AD CLARISS. V. DOCTOREM
FRANCISCVM DE AMAYA I. C. DE EVNVCHO

suo, Ioannes Aguilarius eruditissimus bonarum literarum Antiquariensium Doctor olim eius præceptor.

EPIGRAMMA.

Statuæ fas est vni tibi vincere legem :
Anaya Hesperij nominis altus honor.
Eunuchos quondam steriles simulacra virorum,
Vox tua fœcundos imperiosa facit.
Et quibus omen erat gradienteis occurrere: iam nũc
Auspice te faustum nomen & omen habent.
Quos & estari Latij non iura sinebant:
Te fauente nouam iam meruere fidem.
Ergo illos decoras plusquam Constantius: ergo
Te aucore eunuchis gratia maior adest.

Tiene licencia del Ordinario para imprimirse esta repeticion. Su fecha en Salamanca a diez y siete de Abril de mil y seyscientos y veynte quatro, ante Anacleto del Enzina.

46
46-1-2
1.087

cicio, pues tiene genio para escriuir, y se enseña mejor con lengua y manos, que con lengua sola: *Manus datæ sunt homini melius loquerentur*, dixo san Gregorio Nisseno. Pues pocas vezes concurre con la agudeza del pensar, y expedicion del explicar, la gracia en el escriuir, que es don particular, affectado por muchos, conseguido por pocos, pues ay quien queriendo hazer vn ramillete, vario en olores, y colores, teniendo jardin en que escoger por juntar flores, coge espinas. *Greg. Niss. de opif. hom.*

Inueniat quod quisque velit, non omnibus vnum est
Quod placet: hic spinas colligit, ille rosas. *Petronio in Catalec.*

Dixo Petronio, y quien tambien sabe eligir, y disponer las flores ofende en ser auaro, y en escassearlas, agrauia el gusto y desseo de muchos: porque ha de estar (dixo el Lirico) pendiente ociosa la lira de quien tan diestro es en tocarla? Y tan grangeados tiene espectacion y silencio?

Cur pendet tacita fistula cum lyra. *Hora. lib. 1. Od. 19.*

Yo siempre aborreci manos escassas dixo el mismo. Esparze (ò Autor) pues puedes rosas, y oyga la embidia el alboroço, y vozes.

Parcenteis ego dexteras *Horat. ibi dem.*
Odi sparge rosas, audiat inuidus
Dementem strepitum Lycus.

Y porque quedara corta esta aprobacion, sino passara à Elogio, cumpliendo con sus leyes, preuengo al Lector de atencion cuerda, que aduierta, que si la obra es pequeña, es el Autor grande, pues se da bien à conocer por ella, y menos lineas bastaran para este intento: mayor aplauso mereció Persio por vn breue libro, que Marso en el prolixo, en que cansò, y contò la guerra de Hercules con las Amazonas.

Sæpius in libro memoratur Persius vno, *Mart. lib.*
Quam leuis in tota Marsus Amazonide. *pig. 29.*

Dixo Marcial, y tal vez, vence en dulçura vna humilde flauta à los clarines mas sonoros, dixo el mismo.

Angu-

del pincel, que retrata consiste en coger el ayre al rostro, y en imitar al viuo sus facciones, con la qual merece aplausos el Artifice, y el nombre del original queda escusado. En esta obra conozco el ayre de la pluma del Autor, que cortada de delgado haze (como suele) para adorno de sus letras vistosos rasgos, casi inimitables: reconozco tambien las facciones de su ingenio (que este tambien las tiene indiuiduales, como el rostro, en que se distinguen vnos de otros, pues no todos piensan de vn modo, ò discurren à vna voz) que estan tan al viuo dibuxadas, que no necessitan del nombre de su dueño para ser conocido, y assi viene â ser esta obra simulacro de Minerua, Diosa de las Ciencias, pues tanto tiene de todas letras, y juntamente retrato de su Autor, que ni ella puede ser mejor, ni el mas conocido, diestro artifice qual otro Fidias, mas para esculpir Deidades, que para tallar hombres, pues siempre ha sacado à luz en este Teatro de las letras de Europa las materias del Derecho Ciuil mas retiradas, mas dificiles, y en esta esfera mas soberanas, no las vulgares, y faciles, que en comparacion de las otras podemos llamar humanas. De que es bastante argumento la *l. vnica C. de Maiuma., lib. 10.* cuyo assumpto es enuidiado de muchos, admirado de todos, y en la estampa goza comun aplauso de los doctos. Y en este comentario à la *l. Eunuchis 5. C. qui test. fac. pos.* han obrado su ingenio, y letras vn milagro, pues siendo el sugeto por naturaleza esteril, le han hecho tan fecundo, que produze conocimiento de muchos, y obscuros textos, noticia de historias Antiguas, Eclesiasticas, y Profanas, obseruaciones à varios lugares de letras curiosas, tan necessarias à nuestro derecho, quanto menos professadas, en q̃ da al estudio enseñança, al entendimiento deleyte, y à la curiosidad adorno, todo con tanta abundancia y agudeza, que no es facil el juzgar, qual de las dos es mayor. Lo que juzgo es, que es muy digno todo de la espaciosa luz de la prensa, que si dicho merecio agrados, impresso lograra aplausos, y aun imitaciones, que cedan en enseñança de esta juuentud, para cuyo fin suplico à V.S. se le de la licencia que pide, poniendole por grauamen, que saque à luz otros trabajos que tiene hechos: porque auiendole dado el cielo entendimiento y lengua, con agudeza y facilidad, por tan acomodados instrumentos para la enseñança, es justo que las manos acudan tambien à este exercicio

NOBILISSIMO INCLYTOQ;

HEROI DOMINO DON ALPHONSO DE CABRERA Calatrauensi Equiti clarissimo, supremi interiorisque Consilij Regij Senatori integerrimo, meritissimo. Doctissimo S.

VM ex nostræ Academiæ legibus iuris professores qui per biennij spatium Cathedris adeptis inseruierunt publicam (quod aiunt) facere debeant repetitionem. Ego qui in hac Iustiniani Codicis Cathedra iam fere per triennium versor pro rostris dicturus inter alia difficillima iuris loca hanc sterilem eunuchorum tractationem illustrandam selegi, & è vetustatis tenebricoso sinu in lucem extraxi. Placuit Academiæ rectio, & doctissimorum virorũ plausu inuitatus, auditorumque assidua expostulatione coactus, publicum hominum conspectum subeo, quem si omnes formidarunt, multo magis debuit, qui seinbicipiti somniasse Parnasso nunquam meminit. Horruit non solum emissitios Zoilorum oculos, sed & mitissimos quosque eunuchus. Cur non doctos graues supercilioso sque verebitur, & motæ ad lunæ trepidabit arundinis vmbram, *qui imberbis imbellis semi vir, & pusillus? Inde necessario te quæritat compellatque patronum, & tuo clarissimo nomine coronat frontem, manus armat corpusque tuetur. Nam vt Diuus Augustinus ait:* Pauper ne domum ipsius inuadat aliquis *Psalm. 21.* ponit ibi titulos potentis, vt cum titulus lectus fuerit conterritus quis potentia nominis abstineat se ab inuasione. *Errantem caducamque hederam ita solet arbor seu murus erigere. Quæ me ratio mouit humilem hunc eunuchum tanto committere viro qui. Sub pedibus tuis clypeique sub orbe tegatur, & cum iam diu in*

animo haberem aliquid mei erga te affectus deuinctiſſimi ſpecimen dare, & meam in Heroem nobiliſs. propenſam voluntatem aperire in hac quantumuis minutiſſima re oſtendo. Ad hanc cauſam, quæ tota grati animi eſt aliæ prope infinitæ accedunt, quæ ad te venerandum colendumque ſemper inſtigant. Glorioſam generis tui nobilitatem quis etiam hoſpes non agnouit? Canit Bætica noſtra miratur Hiſpania & Europa. Quin & Corduba ipſa in te vno grauiſſimos Seneccas nobiliſſimoſque Heroes ſuos tanto alumno exultans reponit, & Caprarum tuarum regio ſtemmate ornamentum ſuum adauget. Accedunt excellentes animi tui virtutes ſuauiſſimi mores grauitas humanitate permixta, ingenium, & iudicium acre, ſingulare quibus veræ gloriæ curſum peregiſti. Nam in maius inclytumque Archiepiſcopi Collegium adoptatus facile de te conceptam expectationem ſuperaſti, vnde te poſt varia regia munera, & clariſſimæ Calatrauenſis Militiæ ornamentum, Reges noſtri ad ſupremum ſuũ interiuſque conſilium (cameram vocamus) promorueunt: vbi ita micat ingens tui animi magnitudo, mirabilis integritas, & ſingularis prudentia, vt omnium acclamatione loci quem occupas dignißimus videaris. Hæc omnia cum ita ſint quis dubitet ſe cunctaque ſua tibi conſecrare? Accipe ergo nobiliſs. Mecœnas hoc munuſculum, & exiguum meæ obſeruantiæ pignus, & me ingenerata tibi benignitate foue. Vale. Salmanticæ in Collegio hoc maiori Conchenſi poſtridie Idus Aprilis Anno 1624.

Doctor D. Franciſcus de Amaya.


Apro-

APROBACION, Y ELOGIO del Doctor Don Pedro de Vega de la Peña, Decano, y Cathedratico de Prima de Leyes, de la Vniuerſidad de Salamanca.

POR mandado, y comiſsion de V. S. he viſto vna Repetición, que el Doctor Don Franciſco de Amaya, Colegial del Mayor de Cuenca, y Cathedratico de Codigo de eſta Vniuerſidad, ha hecho a la *l. Eunuchis, 5. C. qui teſt. fac. poſ.* y aun que eſta obra no traxera el nombre de ſu Autor, ni yo dudara del, ni ſe la prohijara â otro: porque ſu eſtilo, elegancia, y erudicion es conocido en eſta eſcuela. Tan ſingularmẽte por ſuyo, q̃ no puede ſer de otro, y aſsi ſin mas retulos, q̃ la obra miſma conociera el dueño, y aun le conocierã todos, q̃ no es nueuo el darſe à conocer al mundo los hombres inſignes por ſus obras, con ſolo el primor dellas, ſin otras inſcripciones. Pues Fidias aquel raro Eſcultor de la Antiguedad (de quien dize Quintiliano, que fue mas dieſtro en eſculpir Deidades, que en tallar hombres: *Dijs tamen quam hominibus efficiendis melior*) publicò ſer ſuya la Eſtatua de Minerua, que tanto celebrò Athenas con ſolo retratarſe en el eſcudo de la Dioſa: *Cum Mineruam illam, quæ eſt in arce coagmentaret, in medio eius ſcuto faciem ſuam expreßiſſe, oculoſque fallenti artificio ita deuinxiſſe ſimulacro, &c.* Dixo del Ariſtoteles, con lo qual hizo lo miſmo, que ſi eſculpiera con letras de oro ſu nombre en marmoles, ò bronzes. Pues à eſto atribuye Tulio el conocimiento comun, y la eternidad de ſu memoria en los ſiglos, quando dixo: *Quid enim Phidias ſui ſimilem ſpeciem inclußit inſcuto Mineruæ, cum inſcribere non liceret?* El primor

Ariſt. lib. de mũdo ad Alexand.

Tul. lib. 1. Tuſcula.



ILLVST.MI AC REV.MI

D. D. F. PETRI DE GODOY

EPISCOPI OXOMENSIS

DISPVTATIONES THEOLOGICAE

IN RRIMAM PARTEM DIVI THOMAE.

TOMVS TERTIVS.

Es de este conu.o de S. Buenau.a de Palencia Hoy de Vmorna
el Canonigo D. Pablo ortiz. siendo Pr.or N. M.o Fr. Joseph de Jesus M.a
Pred.or año de 1694=

DE LA PROPIEDAD

ILLVST.^MI AC REV.^MI

D. D. F. PETRI DE

GODOY

EPISCOPI OXOMENSIS

DISPVTATIONES THEOLOGICAE

IN PRIMAM PARTEM

DIVI THOMAE

TOMVS TERTIVS.


DOCTRINAM QVASI PROPHETIAM
BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA
EFFVNDAM ET RELINQVAM ILLAM QVÆRENTIBVS SAPIENTIAM
ET NON DESINAM INPROGENIES ILLORV
M VS QVE IN ÆVVM SANCTVM: ECCLESIASTICI. 24.
Et rediuidam in aquas plurimas.
Tuitem Salemque conuersus est.
Fons parvus in
Rigat totam Sanc
tam Ecclesiam
quasi torrent
em
Sabello.
Ario.
Eunomio.
Macedonio.
Marcus Orozco Sculpsit
Matriti. 1666.



ILLVSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI

D. D. F. PETRI DE GODOY

EX ORDINE PRAEDICATORVM:

SALMANTICENSIS ACADEMIAE IN SACRA Theologia Magiſtri.

EIVSDEMQVE VNIVERSITATIS QVONDAM CANCELLARII:

Diû Veſpertinæ, & Primariæ Cathedræ Moderatoris:

Cõcionatoris Regij: & nũc Epiſcopi Oxomẽſis:

DISPVTATIONES THEOLOGICAE

In Primam Partem Diui Thomæ.

EIDEM ANGELI-CO DOCTORI DICATÆ.

Tomus Tertius.

CVM PRIVILEGIO REGINÆ.

Burgi Oxomenſis, in Ædibus Epiſcopalibus, excudebat
Fr. DIDACVS GARCIA.
Anno Domini 1671.

ILLVSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI

D. D. F. PETRI DE

GODOY

EX ORDINE PRAEDICATORVM:

SALMANTICENSIS ACADEMIAE IN SACRA

Theologia Magistri.

RIVSDEMQVE VNIVERSITATIS QVONDAM CANCELLARII.

Dilucidationes, & Animadversiones Cathedrae Moderatoris:

Cõcionatoris Regij: & nũc Episcopi Oxomẽsis:

DISPVTATIONES THEOLOGICAE

In Primam Partem Diui Thomae.

EIDEM ANGELI.

CO DOCTORIDICATE.

Tomus Tertius.

* * * \

PRIVILEGIO.

LA REYNA GOVERNADORA.

POr quanto por parte de Vos el Reuerendo en Christo Padre *Don Fray Pedro de Godoy* Obispo del Obispado de Osma del nuestro Consejo, se nos ha representado, auiades compuesto *Tres Tomos sobre la Primera Parte de Sancto Thomas*, y queriades darlos â la Emprenta, suplicandonos os concediessemos Priuilegio por diez años en la forma ordinaria, ô como la nuestra merced fuesse. Y visto en el Consejo, y como por nuestro mandado se hizieron las diligencias que por la Prematica por Nos vltimamẽte hecha sobre la impresion de los Libros se dispone, fue acordado deuiamos mandar dar esta nuestra Cedula para vos, en la dicha razon: y Nos lo tuuimos por bien. Por la qual os damos Licencia, y facultad, para que por diez años primeros siguientes, y no mas, podais imprimir, y vender, vos, ô la persona que vuestro poder tuuiere, y no otra alguna, los dichos libros, por el original q̃ en el Consejo se vio, q̃ vâ rubricado, y firmado al fin, del Secretario Miguel Fernandez de Noriega Escriuano de Camara mas antiguo de los q̃ en êl residẽ, con q̃ antes q̃ se vẽda, se trayga ante ellos, juntamente cõ el original, para q̃ se vea si la dicha impresiõ estâ conforme â êl, ô traigais fee en publica forma, como por Corretor por Nos nõbrado, se viô, y corrigiô la dicha impresion por el dicho original, y se tasse el precio por q̃ se hã de vender. Y mandamos al Impressor que imprimiere dichos Libros, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas que vno solo con su original al Author, ô persona a cuya costa se imprimiere, y para efecto de la dicha correccion, hasta que antes, y primero el dicho

libro eſtê corregido, y taſſado por los del Conſejo; y eſtando-lo, y no en otra manera, puedan imprimir el dicho principio, y primer pliego, y ſegundo, donde ſe ponga eſta nueſtra Cedula, y la Aprobacion que cerca de ello ſe hizo por nueſtro mandado, y la Taſſa, y Erratas, pena de caer, ê incurrir en las penas contenidas en las leyes, y prematicas de eſtos Reynos, que ſobre ello diſponen. Y mandamos, que ninguna perſona ſin vueſtra licencia pueda imprimir dichos Libros; y ſi lo hiziere, aya perdido, y pierda todos, y qualeſquier Libros, moldes, y aparejos que de ellos tuuiere; y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis, la tercia parte para nueſtra Camara, y la otra tercia parte para el Iuez que lo ſentenciare, y la otra tercia parte para el denunciador. Y mandamos a los del Conſejo, Preſidentes, y Oydores de las nueſtras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de Caſa, y Corte, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Aſsiſtentes, Gouernadores, Alcaldes mayores, y Ordinarios, y otros Iuezes, y Iuſticias qualeſquier de todas las Ciudades, Villas, y Lugares deſtos Reynos, y Señorios, y cada vno en ſu jurisdicion, que os guarden, y cumplan eſta nueſtra Cedula, y contra lo en ella contenido no vayan, ni paſſen, ni conſientan ir, ni paſſar en manera alguna, pena de la nueſtra merced, y de diez mil marauedis para la nueſtra Camara. Fecha en Madrid â veinte y nueue dias del mes de Agoſto de mil y ſeiſcientos y ſeſenta y nueue años.

YO LA REYNA.

Por mandado de ſu Mageſtad,

Iuan de Subiza.

Secretario.

Errata ſic corrige.

PAg. 14.num. 21. *inferente*: lege, *inhærente*. Pag.20. columna ſecunda circa medium, *quantum ad id ad quod*: lege, *quantum ad id à quo*. Et paulò inferius, loquendo de proceſsione, *quantum ad id ad quod*: lege ſimiliter, *quantum ad id à quo*. Pag.30.col.2.num.76. *realiter actus*: lege, *realiter actum*. Pag.36. col.1.num.11. *non diſcriminari ratione*, dele ly *non*: & lege, *diſcriminari ratione*. Pag.122 col.2. num.22. *creditur realiter ab illo*: lege, *exceditur realiter ab illo*. Pag.187.col.1.*excludere*: lege, *eludere*. Pag.222. col.1. *poſitum*: lege, *poſito*. Pag.228.in fine, *iſto modo operantur*: lege, *iſto modo comparantur*. Pag.254. num.18. *& ex modo ſignificandi*: lege, *eſt ex modo ſignificandi*. Pag.256.num.26. *intentionum*: lege, *intentionem*. Et col.2.num.27. *vnico*: lege, *vno* Pag.278. col.2. *ex Deo præceſsi*: lege, *ex Deo proceſsi*. Pag.278.col. 1. in vltima linea, *niſi reali*: lege, *niſi realis* Pag.363.col.1.in fine, *prædicatum aliquod*: lege, *prædicatum aliquid*. Pag.368. col.2.in linea vltima, *concreti vnũ*: lege, *concreti vnus*. Pag.379.col.2. in principio, *contractior*: lege, *contractior*. Pag.411.col.2.num.8. *nec Paternitas, nec ſpiratio*: lege, *nec Paternitas, & ſpiratio*. Pag.489.col.1.num.39. *non opponeret*: lege, *non oppooneret*. Pag.505.nu. 35. *in quam eſt*: lege, *in quantum eſt*. Pag.518. col.2.in vltima linea, *nec pure conditionaliter*: lege, *nec purè notionaliter*. Pag.519.col.2. linea 3. *conſtituitur*: lege, *conſtruitur*. Ibidem linea 7. *termini productionum includuntur*: lege, *termini productionum non includuntur*. Et ibidem linea 10 & 11. *conſtituitur Spiritus Sanctus*: lege, *conſtruitur Spiritus Sanctus*. Ibidem linea vltima, *cum conſtitutione caſus ablatiui*: lege, *cum conſtructione caſus ablatiui*. Pag.520. colum. 2. circa medium, *conſtituatur in caſu ablatiuo*: lege, *conſtruatur in caſu ablatiuo*. Pag.521.col.1.num.17. *aliquando conſtituitur*: lege, *aliquando conſtruitur*. Pag. 522.col.1. in principio, *& eſſe dicendum*: lege, *& eſſe dicens*. Pag.544.col.2. nu. 14. *non eſt minus ſimplex*: lege, *non eſt magis ſimplex*. Pag.700.num.192. *relationes relatiuas*: lege, *perfectiones relatiuas*. Pag.729.num.318. *Filius eſt Pater poſterior*: lege, *Filius eſt Patre poſterior*. Pag.737.col.1.num.18. *voluntatis miſsi*: lege, *voluntas miſsi*.

¶ Hic liber inſcriptus, Diſputationes Theologicæ in Primam partem Diui Thomæ, Authore Illuſtriſsimo D.D. Fr.Petro de Godoy Epiſcopo Oxomenſi, demptis his mendis, ſuo exemplari fidelitèr reſpondet. Datum Matriti, die 18.Martij, Anno 1671.

Lic. D. Franciſcus Forero de Torres.

SVMA DE LA TASSA

TASSARON Los Señores del Cõsejo Real à siete marauedis cada pliego de este Libro, como consta de su original, que està en poder del Author. Tiene ducientos y cinquenta pliegos con Principios, y Tablas, que montan cinquenta reales, y quatro marauedis.



R.P. Fr. FRANCISCI DE AYLLON Ordinis Prædicatorũ in Sacra Theologia Magistri, quõdam in Academia Compostellana Primariæ Theologiæ Cathedræ moderatoris, Examinatoris Synodalis Archiepiscopatus Toletani; nunc verò Illustrissimi Domini D. Fr. Petri de Godoy, Oxomensis Episcopi, Authoris huius Operis, Commensalis, & à Secretis.

AD LECTOREM.

CVM Iam iam Tomus iste, tertius in Primam Angelici Præceptoris Partem, ab Illustrissimo, ac Reuerẽdissimo Domino, ac semper Domino meo elaboratus, lucem aspicere festinaret, & ferè vltimæ paginæ sub prælo gemerent; venerũt ad manus opera omnia Sapientissimi, ac R. A. P. M. Fr. Ioãnis Baptistæ Gonet Biterrensis, Prouinciæ Tolosanæ strictoris obseruantiæ, nostræ Dominicanæ Familiæ, & in Academia Burdigalẽsi antecessoris; præcedentibus quidem annis non semel typis mandata: nunc verò editione tertia Parisijs anno 1669. correcta, ac tractatib⁹ aliquot, & disputationibus aucta, in quinque Tomos amplioris paginæ distributa, quibus vniuersam Theologiam Scholasticã mirum immodum cõplectitur, vel vt melius dixerim, cõprehendit. Opus

sanè

sanê tanto Magistro dignum, fęliciter inceptum, fęliciſsimê absolutum: quod non sine ingenti animi delectatione euolui. Tum, quia intueor eo Thomisticam doctrinam, veluti Clypeo firmisſimo munitam, & aduersantium spicula elusſa, tanquam paruulorum sagittas, & contrariorum motiua validisſimis iaculis esſe cõfossa. Tum, quia miram claritatem, cum summa profunditate, ac doctrinæ soliditate coniungens, erit proculdubio hostibus in terrorem; veritati vero Thomisticæ in non leue fulcimentum, & ornatum. Tum, & maximê, quia integrum opus vndequaque redolet sapientiam nostri nũquam satis laudati Præsulis *D. Fr. Petri de Godoy*, vel sententiarum delectu, vel rationũ pondere, vel impugnationum acumine, vel denique styli mira facilitate, suauitate, ac facundia.

Cæterum, quia non exiguo motus fundamento, poterit quis venturis temporibus hærere, ac dubitare: quisnam â quo tanta doctrinæ fluenta hauserit, ac veluti mutuatus fuerit: & iudicij trutina primo aspectu in fauorem prædicti Magistri propendat, cum ille ante decem, & plus annos primo sua scripta communi luci exposuerit: Noster vero Præsul Tractatus, & Disputationes in Primam Angelici Doctoris Partem hoc Anno, qui est septuagesimus primus supra millesimum sexcentesimum concluserit, ac primo typis mandauerit; duobus lustris, & amplius post primam editionem Magistri Gonet. Quo proculdubio fieret, vt nisi veritas manifestê aliunde constaret, quisquis vtriusque Doctoris scripta perlegeret, & in pluribus difficultatibus, & controuersijs ad inuicem conferret, existimaret vtique, neque leuiter ductus, opera nostri Antistitis adeô præclara, quod in admirationem, ac veluti stuporem rapiunt studiosos, esſe non exigua ex parte furtiua; sed in multis, ac præcipuis â prædicto Magistro emendicata. Quis enim crederet Authorem tanto antea fęliciter parturientem, â subsequenti fuisſe ante decennium fęcundatum? Non defuere, qui affirmarent, neque adeô apparenti ducti fundamento, Secundam Secundæ Summæ Theologiæ Ecclesiæ luminis D. Thomæ Aquinatis non ab ipso compositam, sed ex Vincentio Baluacensi fuisſe transcrip-

criptam: eo quod inter opera Vincentij, plura ad verbum reperiantur: quæ tamen edita esse cõstat priusquam Angelicus Magister Theologiæ Summam euulgaret.

Vt ergo his, & similibus obiemus, debitaque gloria vnicuique, vt par est, cõcedatur: opere pretium duxi, id quod prædictus Magister ingenuè fatetur prologo ad Lectorem primo Tomo in Primam Partem editionis nouissimæ, referre, & aliquantulum expendere. *Nolui* (inquit ille) *ingenuitati meæ deesse, teque (amice Lector) huius admonendum existimaui. ne quid enim præterirem, quo locupletiorem hunc meum cursum Theologicum efficerem, præter cæteros Scholæ nostræ Theologos, quorum opera lucem publicam aspexerunt, quæ vbique consului, &c.* Et nõnullis recensitis, subdit: *Impulit me etiam fama doctissimi Magistri Godoy, Ordinis nostri, olim in Salmanticensi Academia Primarij professoris, & nunc Oxomensis Episcopi, vt ipsius scripta viderem, & existimaui, si vel tanti viri nomen in nostris Libris legeretur, maiori plausu esse excipiendos.* Et paucis interpositis: *Existimaui non minus ab eo, quam ab alijs, excipienda esse aliqua, &c.* Hæc inter alia prædictus Magister, quibus profitetur, irrefragabilique testimonio comprobatur, ante primam suam editionem plurima scripta nostri Præsulis euoluisse, Salmanticæ quidem ê sugestu publicè dictata, tantoque studio ab omnibus conquisita, vt neque sumptibus, neque labori parcerent, vt ea compararent, vel de charta in chartam transcriberent, ita quod in Gallijs, vt ille fatetur, *penè publici iuris essent, omniũque manibus tererentur.* Quid dicam in Gallijs? Vniuersum ferê orbem penetrauerant.

Quot, quanta, qualiaque fuerint, quæ prædictus Author decerpserit, quibus suum Clypeum munierit, facilê deprehendet quicumque vtriusque Authoribus Libros euoluerit, ac contulerit. Hæc cum ita sint, non possum non vehementer mirari, qua ratione, vel quo animo addiderit: *Poteram equidem scriptorem hunc præterire, cum & cæteri satis, superque me iuuare potuerint.* Quod sanê parum consonat ingenuitati illi, quam de se se suadere conatur. Vt quid autho-

ritas illa Plinij? *Ingenui hominis eſt profiteri per quem profeceris.* At non eo fine huius ſcriptoris opera recolui (videtur reſpondere) vt ex illis eruditionem aliquam mihi compararem: *Cum ad hoc ſatis, ſuperque aliorum ſcripta iuuare me potuerint: ſed quia exiſtimaui non minus ab eo, quam ab alijs excipienda eſſe aliqua, ne ignorare viderer virum inter primos Scholæ noſtræ Theologos hac tempeſtate habitum: & cum huius ſcripta, etiam antequam ederentur penè publici iuris eſſent, omniũque manibus tererentur, non poterat ſine iniuria, & contemptu, non in eodem ordine poni, cum cæteris ſcriptoribus, quibus frequẽter vtimur. Ideoque ſæpiſsimè huius nomen commemoraui, vt Viri famã augerem; & vt gentem ſtudioſiſsimam, in qua natus eſt hoc veluti commercio litterario cum Viro doctiſsimo conciliarem.* Sic ille.

Reſtat igitur, vt Nos ſtrictiſsimo debito ſummas rependendi gratias adſtrinxerit, qui ſolum vt Viri famam augeret, & ne ignorare videretur Virũ toto orbe celeberrimũ (quod ſine aliqua iniuriæ, & contẽptus ſpecie nõ poterat euenire) tã ingentem aſſumpſit Prouinciam, improbo labori non parcens euoluendi lõgiſsima ſcripta noſtri Præſulis, *qui ſuis diſputationibus vix vmquã finẽ facit, aut reperit, ideoque Gallorũ non admodum genio, & guſtui accõmodata: quod longas ſpes diù ſuſtinere nõ poſsint, & ipſa librorum multitudine ab ijs legendis deterreantur.*

Et ſanè ſi hoc vnũ in cauſa fuit, tã immenſum aſſumẽdi laborẽ: merito *potuiſſet hunc ſcriptorẽ præterire.* Neque enim tãto erat digna labore ſalus, vt ait prouerbium, hoc eſt, non tanti fuiſſet æſtimãda, vel viri notitia, vel illius famæ incrementum; cũ hæc adeô ſit longè, lateque per vniuerſum orbem diffuſa, vt parũ, aut nihil augmenti admittere valeat.

Poterat hunc ſcriptorem præterire, non abnuo. Sicut & poterat ſua ſcripta non euulgare, aut ab ſcribendo abſtinere. At ſi illum præterijſſet, & nihilominus opera ſua lucem aſpicerent, non dubito, quin minori plauſu forent excipienda. In difficultatibus enim, vbi illum præterijt, vel potius vbi diligenter conquiſitum inuenire non potuit, vel quia ſimiles quæſtiones publicè Salmanticæ non dictauerat, vel quia, et-

si dictaſſet, non tamen omnes Codices ad Gallos peruenerant: diſsimilem valdê, ac diſparem ſibi metipſi notare eſt Magiſtrum Gonet. Neque enim in his ſolitam profunditatem, rationum efficaciam, ac robur, impugnationum acrimoniam, aduerſantium argumentorum facilem exitum, qualem in alijs reperies. Cuius veritatis quemlibet eruditum Lectorem teſtem aduoco.

Sed demus, nec apicem ſumpſiſſe ex eius doctrina; ſaltim pulcherrimum illum ſtylum, qui vniuerſum opus Magiſtri Gonet maximê commendat, illumque cæteris ſcriptoribus, qui ad ſua, vſque tempora Theologicas diſputationes ædiderunt, nõ mediocritêr præfert, â quo alio potuiſſet haurire? Numquid *à Lectoribus ſuæ Prouinciæ Toloſanæ, cuius tractationes typis quidem non ſunt mandatæ, in Scholis verò dictatæ, & exceptæ ſunt?* Vel â quonam alio? Sed certê â nullo, niſi â noſtro Theologiæ Scholaſticæ pelago, cuius methodum, ſtylum, ordinem, diſpoſitionemque mirabilem, licet ad vnguem non valuerit exprimere prædictus Magiſter; pro Viribus tamẽ conatus eſt imitari, nec infeliciter quidẽ. Si ergo *ſcriptorẽ hunc præteriiſſet*: præcipua ſuum opus, qua modô condecoratur pulchritudine, priuaretur.

Nec video qualiter ſtuduerit huius Viri famam augere, qui ſæpiſsimê eius ſententias, ſpeciales dicẽdi modos, probationes, replicas, argumenta, ſolutiones, & verba ipſa formalia tranſcribens, nomen tamen Authoris ſilentio præmit, & rariſsimê explicat. *At iſtius Authoris ſcripta* (ait) *præ nimia longitudine inuicũda ſunt Gallis, & eorum genio parum accommodata, eo quod longas ſpes diù ſuſtinere non valeant, &c.* Sed mirabile eſt, poſſe cũ hoc cohærere ſcripta Noſtri Præſulis, tã ingenti ſtudio, & anxio conatu â Gallis eſſe concupita, vt vix Salmanticæ dictarentur, cum proprijs manibus exararent, & ad Gallias tranſmitterent. Adeô vt in illis Prouincijs, *antequam aderentur penè publici iuris eſſent, & omnium manibus tererẽtur*. Vnde manifeſtê deducitur, vel Magiſtrum Gonet ſuæ gentis genium non caluiſſe; vel certê

hæc ſcripta non laborarent tędioſa illa prolixitate, quæ Gallis eſt exoſſa.

Primum dici non poteſt de Viro excellentiſsimi ingenij, inter ſuos nato, & apud illos ſemper commorante. Reſtat ergo veriſsimum eſſe ſecundum. Etenim illud ſcriptum tantum tędioſum, & prolixum meritô iudicatur, quod inani repetitione verborum, id quod paucis poterat explicari, multis potius reddit implicatius. At quod breuiſsimè Authoris mentem exprimit, aſſertionem ſtatuit, minus efficaces probationes ſpernit, & confutat, propriam, & firmiſsimam ſtabilit: indeque reſolutoriê innumeras emergentes, aut ſcaturientes difficultates inſinuat, ac euincit. Quis longum nimis, aut prolixum appellet, quantumuis inexplicandis tot nodis, quam plurimæ abſūmantur paginæ?

Statuamus, ſi placet, quemcumque rigidiſsimum etiam cenſorem, vt perlecta longiori diſputatione, vel ex his, quæ præſenti Tomo continentur, vel in antea æditis, vel etiam in alijs, Deo iuuante in poſterum ædendis, iudicium ferat, quid in ea notauerit, quod meritô reſecari poſſet, ac deberet. Exiſtimo non columnam integram, non clauſulam: quid dicam clauſulam? audeo dicere nec verbum adimere poſſe ſine notabili defectu. Quis ergo longum nimis appellet, quod in nullo ſuperfluit? Aut quis venæ metallicæ affluentiſsimæ vicio adſcribat: quod facillima effoſione interueniente, magis, ac magis argenti, & auri copiam ſubminiſtret?

Sub vnicæ diſputationis titulo plures, eaſque ingentes difficultates miro ordine, & connexione exagitat, & vſque ad ſummum extricat, & dilucidat. Nec tamen hoc aliquam parit confuſionem. §§. enim diſtinguuntur, & interſe ſe ſic cohærent, vnumque aliud infert, & exigit: vt quid magis mireris non facilê diſcernas, an doctrinæ acumen, firmitatem, ac ſoliditatem; an ordinem? Vis hæc ſcripta videri tibi, ac reuera eſſe breuiſsima? Finge in qualibet diſputatione tot titulos, quot graues difficultates in ea enodantur: habe-

biſque ferè innumeras diſputationes, mira breuitate, & conciſione deciſſas. Hoc pacto facillimê ex vna longa diſputatione, plures breues poteris efformare. Non ſic eſſet facilê ê pluribus vnam conterere, ſicut ex vna plures. Vtilitati ergo tuæ conſultum eſt, vt ſi fortè diſputationem longam pro roſtris dicere expediat: in promptu eam habeas, omnibus numeris abſolutam: ſin velis breuiorem facilê adaptare poſſis.

Hinc eſt, quod præcipuæ diſputationis difficultate euacuata per modum conſectarij, aut corollarij, deducuntur plurium difficultatum reſolutiones, quæ ſi ſeorſim forent examinandæ, longiorem deſiderarent indaginem: at verô vſque ad vltimum exagitata præcipua controuerſia, & plenè euicta, veluti per compendium fiunt manifeſtæ. Hæc ſunt, quæ te monere, neceſſarium duxi, vale, & pretioſiſsimo ſapientiæ Theſeuro, in hoc, & alijs Noſtri Præſulis ſcriptis recondito, fruere.

Fr. Franciſcus de Ayllon

Mag. qui ſuprâ.



INDEX.

DISPVTATIONVM,

Cum breui insinuatione doctrinæ in illis traditæ.

Littera P. Paginam. Littera N. Numerum marginalem designat.

TRACTATVS NONVS.

De processione diuinarum personarum.

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA PRIMA.

In quo Processiones diuinæ consistant?

§. PRIMVS.

Statuitur catholica veritas. *Pag.*8.

SVpponitur tanquam de fide certum, dari Processiones in Deo, per quas vna persona ab alia procedit; non secundum actionem transeuntem, sed immanentem, non vt effectus à causa, nec vt causa se explicat in diuersos effectus: qualiter Arrius, & Sabellius posuerunt; sed omni causalitate, dependentia, & imperfectione seclusa. Et probatur Authoritatibus Sacræ Scripturæ. Num. 1.

Deinde ratione Theologica: quia nimirum de fide est dari tres personas distinctas in vnitate essentiæ: quod subsistere nequit sine processione vnius personæ ab alia. Denique tribus congruentijs suadetur. Nu. 3. & 4.

Error Arrij asserentis, processionem esse tanquam effectus à causa excluditur. Et error Sabelij asserentis, processionem esse causam in diuersos effectus se explicantẽ expungitur; ac denique probatur, processionem non esse secundum actionem transeuntem, sed immanentem. Nu. 5.

Obijcitur primo, quod ens à se repugnat ab alio procedere: quælibet autem persona diuina est ens à se, &c. N. 6.

Hæc obiectio cum suis replicis soluitur, à n. 6. vsque ad 9.

Secundo principaliter arg. contra discursum D. Tho. fundatum in illo principio: omne intelligens, eo ipso quod intelligit, formatVerbum, *quod videtur instari. Tum, in visione beatifica. Tum etiã, in intellectione diuina prout in Filio, & Spiritu Sancto. Et prima solutio reijcitur.* Num. 10.

Secunda solutio, asserens de ratione intellectionis vt sic, esse habere annexam productionem Verbi, & cum hoc stare, quod visioni beatificæ repugnet ex ratione specifica: percipi non potest, & efficaciter reijcitur, à num. 11. vsque ad 14.

Vera solutio traditur. Nu. 15. *Consistens in eo quod licet non sit de ratione intellectionis Verbi productio: est tamen de ratione naturæ intellectualis, quod in aliqua sui intellectione Verbum formet. Quæ contra solutionem obijci possunt, diluuntur,* à num. 15. vsque ad 17.

§. SECVNDVS.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio. *Pag.*13.

PRima sententia docet, processiones actiuas esse actiones, ex æquo ab actibus intelligendi, & volendi distinctas, nec illas in se claudere, formali inclusione. Ita Sco-

tus, quem sequuntur Suarez, & alij. Num.18.

Secunda per oppositum docet, processiones actiuas esse formaliter actus intelligendi, & volendi. Sic Thomistæ, cum pluribus alijs.

Dupliciter defenditur hæc sententia, primo adstruendo duplicem actum intelligẽdi, & volendi: primum essentialem in quo non consistunt processiones actiuæ: secundum notionalem, & relatiuum, & istum in processionibus formaliter claudi. Secundus modus, non recognoscit intelligere notionale ab essentiali in ratione intellectionis distinctum. Num.19.

Prima conclusio: Processio actiua, non identificatur adæquatè, cum termino producto per illam. *Duæ inefficaces rationes, reijciuntur breuiter. Num.20.& 21.*

Probatur conclusio primo ex D.Thoma: secundo ratione, quia actio immanens est in eodem subiecto in quo est potentia elicitiua illius. Et instãtijs aduersus illam fit satis. Num.22.& 23.

Tertio probatur, ex eo quod potentia generatiua Patris est summe actualis, ac proinde nequit ab actu sibi proprio realiter distingui. Num.24.

Quarto probatur: nam paternitas conuenit Patri media generatione tanquam fundamento: Paternitas autem identificatur cum Patre realiter. Num.25.

Denique probatur ad hominem aduersus cõtrarium Authorem. Num.26.

Arguitur primo, ex eo quod in creatis fieri effectus prout ab agente est ipsa actio productiua effectus; ac proinde in diuinis produci ipsum Filij prout à Patre erit formaliter actio generatiua. Numero 27.

Respondetur, & replicis occurritur. Ibidẽ, & num.28.

Secundo arguitur, ex eo quod non solum terminus processionis, sed ipsa actiua processio realiter à potentia notionali producitur. Respondetur. Num.29.

§. Tertius.

Statuitur secunda conclusio. *Pag.17.*

PRocessiones actiuæ, non identificantur adæquate, cum relationibus principiorum: v.g. generatio, non identificatur adæquate cum relatione Patris, nec spiratio actiua cum relatione spiratoris.

Probatur primo ex D.Thom. Num.30.

Secundo ratione, ex eodem desumpta, quia potentia generatiua Patris, non est adæquate relatio; sed absolutum cum respectu; ac per consequens generatio, non est adæquate relatio principij; sed absolutum, cum respectu, & euasionibus occurritur, à num.31. vsque ad numerum 33.

Tertio probatur, ex eo quod generatio nequit identificari adæquatè, cum relatione Prtris; nec quia est propria Patris, prout à Filio distinguitur; nec quia Patrem à Filio distinguit. Num.34.

Quarto probatur, ex eo quod posita generatione in absoluto connotato respectu maior identitas, saluatur inter producens, & productum. Num.35.

Et replicis fit satis. Numero 36. & numero 37.

Denique suadetur contra quosdam ex nostris Thomistis, quia dictio, qua Verbum producitur, non est actus ex æquo ab actu intelligendi distinctus: at si adæquate identificaretur, cum Paternitate non posset, non distingui virtualiter adæquate ab actu intelligendi. Num.38. & nu. 39.

§. Quartus.

Argumentis occurritur. *Pag.19.*

ARguitur primo ex *D.Thom. qui pluribus in locis affirmat, actus notionales à relationibus solo modo significandi differre. Et plures authoritates Angelici Magistri, quæ difficultatem ingerunt referuntur,* à num.40. vsque ad 42.

Respondetur, & mens D.Thomæ explicatur, à n.43. vsque ad 45.

Secundo arguitur: nam secluso motu ab actione non remanet, nisi sola relatio, vt docet D.Thom. à processione autem diuina excluditur motus. Respondetur, & argumentum instatur. Num.46.

Tertio arguitur, ex eo quod de conceptu generationis est vt pro quocumque signo intelligatur subiecto cõpetere, ipsum exercite generans constituat: omnis autem alia formalitas, præter Paternitatẽ,

intelligi potest Patri conueniens, quin intelligatur exercite generans. Num. 47. *Respondetur* Num. 48. *Instatur tripliciter.* Num. 49. *Respondetur.* Num. 50.

Quarto arguitur: quia sic comparatur processio actiua ad personam producentem, sicut passiua ad personam productam: sed processio passiua Filij, v.g. in Filiatione adæquate consistit. Num. 51.

De duabus solutionibus fertur iudicium. N. 52. & 53. & Ibidem *Vera solutio traditur.*

Denique arguitur, quod generatio est ratio distinguendi Patrem à Filio: sola autem relatio est ratio distinguendi in diuinis. N. 54.

Hoc argumentum instatur. Num. 55. & Ibidem *soluitur. Et triplex replica aduersus solutionem dissoluitur.* Num. 56.

§. Qvintvs.

Statuitur tertia conclusio. *Pag.* 57.

PRocessio actiua, qua Verbum procedit non est actus ex æquo ab intellectione distinctus: sed est intellectio, vt modificata Paternitate. *Secunda pars conclusionis à nemine negari potest.* Nu. 57.

Prima vero pars probatur primo ex D. Th. Num. 58. & 59.

Secundo probatur: nam omnis actus intellectus est formaliter intellectio: dictio autem est actus intellectus diuini, vt contra Durandum communiter docent Theologi. Num. 60.

Et hæc ratio confirmatur tripliciter aduersus Scotum. Num. 61. & 62.

Tertio probatur: nam respectus ad Verbum vt terminum productum, in quo dictio cõsistit, & respectus ad Verbum cognitum, in quo consistit intellectio, sunt ad terminos ordinate se habentes; ac proinde non sufficiunt adæquate dictionem ab intellectione discriminare. Num. 63. & 64.

Denique probatur: nam si dictio esset actus ex æquo ab intellectione distinctus, sequeretur esse actum identificatum cum Verbo producto. Num. 65.

§. Sextvs.

Obiectionibus occurritur. *Pag.* 27.

AFguunt contrarij primo, quod dictio, & intellectio respiciunt diuersos terminos, gaudentque modis tendendi distinctis: ac per consequens nequeunt, non distingui adæquate, respondetur. Num. 67.

Replicatur dupliciter. Num. 68. *Respondetur.* Ibidem, & num. 69.

Arguunt secundo: nam dictio intellectus creati, non est intellectio formaliter: ergo nec diuina dictio. Num. 70. *Respondetur.* Num. 71.

§. Vltimvs.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 29.

COlligitur primo, ex dictis duplex discrimen inter dictionem intellectus creati, & dictionem diuinam. *Primum, quod in illa ordo ad Verbum productum est prior ordine, quã ad obiectum intellectum: secus vero in ista. Secundum, quod dictio creata comparatur ad intellectionem vt sic, vt species ad genus: diuina autem non sic: sed sicut res, cum modo ad rem sine modo.* Num. 72. & 73.

Colligitur secundo, discrimen essentiale inter dictionem increatam, & creatam intellectionem, non producentem Verbum, non conuenire ex conceptu producentis conuenientis vni, & non alteri, sed ex diuersitate obiectorum. Num. 74.

Denique infertur processiones actiuas esse vere, & proprie actiones vitales immanẽtes. Num. 75.

Contrarium tenuit Suarez, cuius fundamẽta soluuntur. Num. 76. *Et quædam auctoritas D. Thom. quæ aliquam ingerit difficultatem explicatur.* Nu. 77.

DISPVTATIO LXXII.

In quo diuinarum processionum principia consistant?

§. Primvs.

Reijcitur sententia Durandi. *Pag.* 32.

PRima sententia est Durandi, asserentis intellectum, & voluntatem nullatenus ingredi constitutionem principij processionum in Deo: sed relationem spiratoris respectu processionis tertiæ personæ, & relationẽ Paternitatis respectu generationis Verbi, essentia se habente, vt principio radicali. Num. 1.

Placitum Durandi communiter displicet Theologis, & tanquam erroneũ, & adminus vt temerarium ab illis refutatur. Cũ quibus omnino asserendum est intellectum

& voluntatem ingredi constitutionem principiorum diuinarum processionũ formaliter: abstrahendo modò, an proximè, vel remotè tantum ad illas concurrant. Et probatur ex locis Sacræ Scripturæ. N.2.& 3.

Deinde duplici ratione Theologica. Num.4. & 5.

§. Secvndvs.

Occurritur fundamentis Durandi. *Pag.*34.

ARguit primo Durandus, quod conatio actuum intelligendi, & volendi, est fœcunditati opposita, quia iuxta Philosophum 9. Metaphys. per actionem immanentem nihil producitur. N.6. Resp. ex Caietano, dupliciter explicando discrimen à Philos. intentum inter actionẽ immanentem, & transeuntem. N.7.

Secundo arguit Durandus, ex eo quod creaturis competit fœcunditas, non ex hoc, quod sunt intelligentes, & volentes, sed secundum aliquid aliud: ergo similiter Deo. Resp. Num.8.

Sed argumentum Durandi instauratur, & vrgetur. Num.9. Et soluitur, ibidem.

Tertio arguit, quia vbi intellectus, & voluntas differunt realiter, productio est realiter vi naturæ, & non intellectus, & voluntatis. Soluitur, Num.10.

Quarto arguitur in fauorem Durandi, ex D. Tho. asserente, potentiam generatiuã esse Dei omnipotentiam, prout est Patris tantum: omnipotentia autem, iuxta eundem Angelicum Præceptorem, non in intellectu, & voluntate, sed in attributo ab illis distincto, videtur consistere. Resp. Num.11.

Denique in fauorem eiusdem argumentari possumus, ex eo quod etiam si intellectus, & voluntas maneant extra constitutionem principij quo diuinarum processionum, & sint immediatè à natura, adhuc potest sufficiens ratio ordinis processionum assignari, ac perconsequẽs malè ex hoc principio impugnauimus sententiam Duranai. Num.12. Resp. Num. 13.

§. Tertivs.

Reijcitur Scoti sententia. *Pag.*37.

SEcunda sententia est Scoti asserentis, intellectum, & voluntatem ingredi cõstitutionem principiorum notionalium, prout in actu primo, non vero prout in actu secundo: intellectionem tamen in actu secundo, nullatenus ad dictionẽ requiri. Scotum sequuntur eius discipuli. N.14.

Cæterum ab alijs Theologis desseritur. Et omnino asserendum est, actionem intelligendi ad Verbi productionem concurrere, vt actionem, qua Verbum producitur, & vt principium, non actionis, sed Verbi, & idem de volitione respectu spirationis actiuæ est dicendum, N.15.

In prima parte conclusionis omnes Theologi, præter Scotistas, conueniunt. Et probatur primo authoritate D. Augustini. Num.16.

Euasio Scotistarum manifeste præcluditur. Num. 17.& 18.

Secundo probatur conclusio argumẽto Caietani. Sequitur namque ex sententia Scoti, quod si per impossibile Pater nõ intelligeret, adhuc diceret, & produceret Verbum; consequens est falsum, &c. N.19.

Tertio, quia sequitur ex sententia Scoti, dictionem non esse actum intellectus diuini, quod est absurdum, & contra omniũ Theologorum sententiam. N.20.& 21.

Denique ostenditur conclusio, ex eo quod, si intellectus Patris, vt in actu secundo, intelligens pro principio assignetur, perfectiori modo cõstituitur, quam assignato pro principio intellectu, prout in actu primo; & aliàs est possibile, sic assignare. N.22.

Quoad cæteras partes breuiter explicatur, & suadetur conclusio. N.23.& 24.

§. Qvartvs.

Argumenta Scoti soluuntur. *Pag.*41.

ARguunt primo Scotistæ ex Augustino asserente, Verbum Diuinũ gigni à memoria Patris. N.25. Soluitur, & mẽs Augustini explicatur, num.26.

Obijciunt secundo, quod intellectus creatus per modum actus primi, est sufficiens, & fœcundus ad Verbi creati productionem: ergo multo magis intellectus diuinus, vt in actu primo erit ad Verbi productionem sufficiens. N.27. Resp. Ibidem, & num.28.

Tertio obijciunt, quod si intellectio Dei essentialis esset intellectio producta, non

minus

minus obtineret rationem Verbi, quam Verbum, quod de facto est productũ: & tamen, illo impossibili dato, non ab intellectione diuina; sed ab intellectu prout in actu primo procederet. Respond. primo. N. 29. *Secunda solutio traditur.* Ibidem.

Instatur. Nu. 30. *ibique soluitur replica.*

Quarto arguitur in fauorem Scoti: nam in Verbo diuino nullum est prædicatum per se correspondens diuinæ intellectioni actuali, quod sine illa Verbo compere nequeat. Num. 31. *Argumento, cum duplici instantia, fit satis.* Nu. 32. & 33. *Alia, & melior solutio traditur.* Num. 34.

Denique quædam auctoritas D. Tho. explicatur. Nu. 35.

§. Qvintvs.

Referuntur variæ sententiæ, vera eligitur, & probatur. *Pag.* 44.

Restat examinandum: an istæ perfectiones absolutæ sint principium quo *proximum; an vero ratio principij proximi solum relationibus competat; vel relationibus, & absolutis?*

Prima sententia docet, solam relationem esse principium quo. *Ita Durandus. Secũda distinguit de processione, vt productio, & vt est communicatio, & ait sub priori ratione principium eius* quo *esse solam relationem, sub posteriori autem perfectionem absolutam. Authores eius referũtur. Tertia docet, ex vtroque in recto, nempe ex relatiuo, & absoluto principiũ* quo *proximum diuinarum processionũ conflari. Authores huius sententiæ, qui ibi citantur, non conueniunt in determinando, quid principalius, an relatio, an absolutum in constitutione principij importetur? Quarta sententia, pro principio* quo *radicali cõstituit diuinam essentiam, pro principio* quo *proximo generationis intellectum diuinum: spirationis autem voluntatem constituit, relationibus ingredientibus, vel pro conditione, vel de connotato, & in obliquo. Ita omnes Thomistæ.* Num. 36. & 37.

Prima conclusio. Principium *quo*, siue proximum, siue remotum, non est sola perfectio absoluta, sed cointellecta simul relatione. *Ita D. Thom. expresse: & probatur primo, nam principium* quo *reale debet inadæquate saltim, à termino producto distinqui: at si potentia generatiua adæquate in perfectione absoluta consisteret, secundum nihil à suo termino producto, distingueretur realiter. Secundo: nam processiones actiuæ, non adæquant in prædicatione perfectiones absolutas diuinas. Tertio, quia aliàs omnibus personis diuinis competeret principium* quo *diuinarũ processionum, ac per consequens, Filius esset potens remote, & proximè generare se ipsum.* Num. 38. & 39.

§. Sextvs.

Argumentis occurritur. *Pag.* 45.

Contrarium huius conclusionis docuerunt Authores, qui citantur. Nu. 40.

In quorum fauorem arguitur: nam relatio Paternitas, v.c. vtpote in generatione fundata supponit generationem; at generatio, vel est ipsa generandi potentia, vel illam supponit. Paternitas ergo supponit potentiam generandi omnino completam, &c. Num. 40.

Quo argumento conuictus P. Alarcon, triplicem relationem in Patre constituit. Num. 41.

Huius Auctoris sententia singularis est, & sine fundamento, & reijcitur breuiter. N. 42. *Et motiuum, quo ducitur, diluitur.* N. 43.

Vera solutio traditur. Num. 44.

Asserens Paternitatem sub expresso conceptu referentis supra generationem fundari, sub conceptu hypostasis ad generationem supponi, sub conceptu connotato à potentia generatiua, & generatione, Patrẽ potentem, & generantem constituere. Secundo arguitur: nam iuxta D. Thom. potentia generatiua est in Filio; sed si talis potentia non consisteret adæquatè in perfectione absoluta, hoc non esset Verũ. Tũ etiam: nam potentia generatiua sub omnipotentia comprehenditur, quæ Filio cõpetit sicut Patri. Tum denique, quia ex oppositio fieret Filium, non esse æqualem Patri in potentia. Num. 45.

Respondetur ad duas probationes maioris. Ibidem.

Solutio tertiæ probationis, tradita ab Alarcon, friuola est, nec illi satisfacit. Nu. 46.

Vera solutio traditur. Num. 47.

Index Diſputationum.

§. Septimvs.

Secunda concluſio veræ ſententiæ. *Pag.*48.

PRincipium *quo* primum diuinæ proceſſionis non eſt relatio, ſed diuina eſſentia, vt modificata relatione. *Ita D.Thom. & oſtenditur primo ex D. Anſelmo, Damaſceno, & Ioanne Theologo in Concilio Florentino ſeſſ.*8. Num.48. *Et ex D. Auguſtino cuius verba referuntur.* Num.49.

Solutio, quæ aſſignari poteſt ad prædictas Authoritates refutatur. Num.50.

Deinde probatur concluſio ratione D.Tho. quia ſcilicet, principium quo *primum actionis generatiuæ, aut productiuæ eſt id in* quo *genitum, aut productum producenti aſſimilatur, at perſonæ productæ, non aſſimilantur perſonis producentibus in relatione, ſed in natura, &c.* Num.51.

Duæ ſolutiones Durandi referuntur, & impugnantur, à num.52. vſque ad 55.

§. Octavvs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 50.

ARguitur *primo, ex eo quod relatio eſt totum id quo Pater, v.c. redditur potens generare Filium, quod multipliciter ſuadetur.* Num.56. *Reſpondetur.* Nu.57. & 58.

Secundo arguit Durandus: nam actus competens vni ſuppoſito, & repugnãs alteri, debet illi in eſſe, per id, in quo differt ab alio: generatio autem, v.c. competit Patri, & negatur de Filio; ac proinde ineſt Patri, per id, in quo differt à Filio. Nu. 59. *Reſpondetur.* Num.60.

Denique arg. nam principium quo *primum proceſſionis tertiæ perſonæ, non eſt diuina natura; ſed voluntas diuina: cũ principiũ* quo *primũ ſit, id in quo terminus producẽti aſſimilatur, & Spiritus Sanctus, non aſſimiletur producenti in natura ex vi proceſſionis, ſed in voluntate.* Nu.61.

Reſpondetur. Num.62. & 63.

§. Nonvs.

Statuitur tertia concluſio. *Pag.*53.

PRincipium quo *proximum generationis Verbi per modum potentiæ non eſt paternitas; ſed intellectus, cointellecta Paternitate de connotato. Statuitur pro Auctoribus quintæ ſententiæ: & probatur primo, ex D. Auguſtino. Secundo: nã intellectus diuinus ad generationẽ, non cõcurri per modum principij remoti: ergo vt principium* quo *proximum.* Num. 64. & 65.

Euaſio quædam præcluditur. Num.66.

Tertio probatur, quia proprietas, quæ ſpectat ad eſſe veluti indiuiduale, nequit eſſe principium quo *proximum, vt in ſimili arguit D.Thom.* Num.67.

Denique probatur, quia natura diuina connotata Paternitate, eſt principium quo *primum proceſſionis Verbi: ac per conſequens diuinus intellectus, cum eadem cõnotatione erit principium* quo *proximũ.* Num.68.

Solutio, quæ aſſignari poteſt impugnatur. Num.69. & 70.

§. Vltimvs.

Contraria argumenta diluuntur. *Pag.*55

ARguitur *primo authoritatibus Athanaſij, Ambroſij, & Auguſtini.* Nu.71.

Reſpondetur explicando prædictos Patres. Num.72.

*Secundo arguitur, ex D.Thoma quæſt. 36. art.*4. Nu.73. *Reſpondetur dupliciter.* N. 74.

*Tertio arguitur, difficiliori teſtimonio eiuſdem in primo diſtinct. 11. quæſt.*1. *art.*3. *in corpore.* Num.75.

Reſpondetur dupliciter. Num.76.

Quarto arguitur: nam ſi intellectus prout in Patre eſſet principium quo *proximum generationis Verbi, hæc eſſet vera, intellectus generat.* Num.77.

Reſpondetur Ibidem, *& argumentum inſtatur.*

Denique arguitur argumento Durandi: nã iuxta Philoſophum: principium, & principiatum ſunt multa, & non vnum: at ſola paternitas à Filio diſtinguitur realiter: ergo ſola paternitas poteſt eſſe principium generationis Verbi. Hoc argumentum, cum replicis Durandi, & pluribus alijs notatu dignis, ſoluitur, à num.78. vſque ad 84.

Ex dictis in hac diſputatione colligitur primo, terminum quo *diuinarum proceſſionũ eſſe aliquid abſolutum in recto connotata*

tata relatione. Colligitur secundo, id ipsum, quod de potentia generatiua asseritur, dicendum esse de potentia spiratiua in ordine ad tertiam personam. N.85.

Colligitur tertio, relationem, & formam absolutam non importari in principio quo processionum, tanquam duas partes constituentes principium, sed absolutum, vt formam constituentem; & relationem, vt modum talis formæ. Colligitur quarto, relationem non esse conditionem tantum; nec quid extrinsecum ad productiuam potentiam; sed modum intrinsecè afficientem. Nu.86.

Denique infertur, distinctionem illam principij processionis, prout est productio, & prout est communicatio, esse falsam. Num. 87.

DISPVTATIO LXXIII.

Quot sint Processiones diuinæ?

§. Primvs.

Duplex processio in diuinis statuitur. *Pag.* 62.

Prima conclusio. In diuinis sunt duæ processiones, vna per intellectum, alia per voluntatem. *Conclusio est de fide, & probatur testimonijs Sacræ Paginæ.* Nu. 1.

Deinde ratione satis congruenti ex D.Th. quia nimirum processio in diuinis ponitur, non secundum actionem transeuntem, sed immanentem naturæ intellectualis: at in natura creata, præter processionem Verbi per intellectum, est alia processio per voluntatem, scilicet, amoris. Num.2.&.3.

Errores Arrij, & Macedonij referuntur. Num.3.

Contra conclusionem arguitur primo, ex eo quod, semel communicata adæquatè natura, non est communicabilis per aliam processionem: natura autem diuina adæquate communicatur Filio per generationem. Soluitur. Num.4.

Arguitur secundo, & contra solutionem replicatur; quod, eiusdem naturæ nequit esse duplex modus communicandi. Num. 5.

Respondetur ex D.Thom. Ibidem, & num. 6.

Tertium argumentum probare intendit, voluntatem creatam non producere terminum à volitione distinctum; ac proinde rationem D. Thom. falsum assumere. Num.7.

Occasione huius argumenti. Ibi.

§. Secvndvs.

Impulsus in voluntate nostra à volitione distinctus probatur. *Pag.*65.

Secunda conclusio. Voluntas nostra per actum volitionis producit terminum ab illo distinctum, qui vocatur impulsus. *Est expressa D.Thom.locis citatis.* Numero 8.

Et probatur: nam de fide est voluntatem diuinam habere terminum à volitione distinctum, productum ad intra: ergo etiam voluntas creata terminum ad intra producit. Num.8.& 9.

Ad argumentum in contrarium respondetur negando assumptum, & auctoritas D.Th. explicatur. Num.10.& 11.

Redditur ratio discriminis inter Verbum, & impulsum, cur Deus possit vniri in ratione Verbi mentibus beatorum, non autē in ratione impulsus. Num.12.

Expēditur ad quia fit necessarius prædictus impulsus in volantate. Tres sententiæ referūtur, & reijciūtur, à n.13.vsque ad num,17.

Adstruitur impulsum necessarium esse, vt obiectum volitum intra voluntatem constituatur, & replicis contra hoc fit satis, à num.18.vsque ad n.20.

§. Tertivs.

Non esse in Deo processionem distinctam à processione Verbi, & amoris. *Pag.*69.

Tertia conclusio. In diuinis non sunt plures processiones quam duæ. *Est de fide, nam de fide est non dari, nisi tres personas, vnam improductam, & duas productas.* Num.21.

Deinde supposita veritate fidei, suadetur ratione D.Thom. nam processiones in diuinis accipi non possunt, nisi secundum actiones immanentes naturæ intellectualis, quæ tantum sunt duæ, scilicet intelligere, & velle. *Aduersus hanc rationem opponitur primo, quod intelligere, & velle virtualiter distinguantur à natura diuina: ergo dari etiam poterit alia processio secundum naturam. Respondetur.* N.22.

Opponitur secundo, quod dantur plures intellectiones distinctæ virtualiter: ergo dabuntur etiam plura verba distincta. Soluitur cū alijs replicis, à n.23.vsque ad 25.

Index Diſputationum.

DISPVTATIO LXXIV.

Cur vna ex diuinis proceſsionibus generatio ſit, & non alia? *Pag.* 72.

Duo vt certa ac ſiae ſupponuntur. N. 1. *Ratio dubitandi, & quidem difficillima eſt, nam diffinitio generationis viuentium conuenit proceſsioni Spiritus Sancti, vt patet ai, currendo per ſingulas eius particulas*, num. 2.

§. PRIMVS.

Reijciuntur tres modi dicendi. *Pag.* 23.

Ratio dubitandi propoſita, Authores in tot ſententias, quot capita diuiſit, qui nullam rationis diſcriminis inueſtigari poſſe aſſerunt, referuntur, & reijciuntur, num. 3.

Petrus Aliacenſis aſſerens, Spiritum Sanctum, ideò nõ eſſe genitum, quia à duobus procedit. Reijcitur à num. 4. vſq; ad n. 7.

Tertius dicendi modus, qui tribuitur D. Bonaueuturæ, & Scoto aſſerens, ideo Verbum eſſe genitum, ſecus Spiritum Sanctũ, quia Verbum naturaliter proceait, & Spiritus Sanctus libere, diſplicet communiter Theologis. Et reijcitur primo ex D. Tho. num. 8. & 9.

Deinde principaliter reijcitur, ex eo, quod quamuis voluntas libera ſit, non repugnat, quod operetur aliquid per modum naturæ, num. 10.

Quædam authoritas D. Tho. explicatur, num. 11.

§. SECVNDVS.

Reijcitur Canarienſis ſententia. *Pag.* 76.

Quarta ſententia docet, ideo Spiritum Sanctum, Filium non eſſe, quia licet communicetur ei ex vi proceſsionis natura, non tamen procedit per modum imaginis. Hanc tenet Canarienſis, & Torres, quos ſequuntur Vazquez, Alarcon, & alij. Cæteris vero Theologis diſplicet.

Et reijcitur primo ad hominem cõtra Vazquez, qui exinde impugnat Thomiſtarum doctrinam, quia diffinitioni generationis addunt illam particulam ex vi proceſsionis: *at ille tenetur addere aliam particulam, ſcilicet, quod procedat* per modum imaginis.

Secundo: nam vt rationem reddat, cur Verbum ſit imago, ſecus autem Spiritus Sanctus tenetur confugere ad principia, quæ impugnat. Tertio: nam eo ipſo, quod Spiritus ſanctus procedat vt ſimilis in natura, neceſſario procedit vt imago naturalis. Num. 12. & 13.

Duæ euaſiones præcluduntur. Num. 14. 15. & 16. *Alia euaſio ex Alarcon reijcitur*, num. 17.

Solutio ex Noſtro Ioanne de Portugal Epiſcopo de Viſo, refertur, & reijcitur à n. 18. vſque ad num. 22.

Authoritates Sanctorum Patrum, quas in ſui fauorem adducit Vazquez, nihil ad ſuam ſententiam conducunt. Oſtenditur num. 23. & 24. *Vnde ſolutum manet ſecundum huius Authoris argumentum.*

Tertium argumentum in fauorem prædictæ ſententiæ, eo tendit vt probet, quod etiã ſi Spiritus Sanctus ex vi proceſsionis, procederet vt ſimilis innatura poſſet nõ procedere, vt imago, quod vrgetur, & cõfirmatur dupliciter. Num. 25. *Reſp.* Nu. 26.

§. TERTIVS.

Aliorum ſententia reijcitur. *Pag.* 81.

Quinta ſententia eſt Alexandri, & aliorum aſſerentium, ideò Spiritum Sanctum Filium non eſſe, quia licet ex vi proceſsionis ſit ſimilis ſuo principio in eſſentia, non tamen in natura per modum naturæ: eo quod non accipit naturã fœcundam ad alterius perſonæ productionem. Hanc ſententiam deſerunt communiter Theologi, & reijcitur primo ex D. Tho. Num. 27.

Secundo reijcitur, eo quod, licet in creatis Filius ſit ſimilis ſuo principio in fœcunditate ad productionem alterius ſuppoſiti, non licet colligere talem ſimilitudinem eſſe neceſſariam in diuinis. Num. 28.

Tertio reijcitur, ex eo quod Patres Latini diſputantes cum Græcis, vt probarent Spiritum Sanctum à Filio procedere, nũquam vſi ſunt hac ratione, ſcilicet, quia aliàs Verbum Filius non eſſet, &c. Num. 29.

Tertio reijcitur: nam conceptus naturæ in toto rigore ſaluatur, abſque vi producliua realiter alterius ſuppoſiti. Num. 30. & 31.

Obijciunt primo D. Auguſtinum, cuius authoritas explicatur. Num. 32.

Secundo Concilium Florentinum, cuius difficile teſtimonium explicatur. Num. 33. & 34.

Tertio arguunt, quod illa particula posita in diffinitione generationis viuentium; in similitudinem naturæ, debet intelligi de natura facunda ad productionem alterius suppositi. Num. 35. *Resp.* Num. 36. & 37.

Denique arguunt, quia omni, & soli Filio conuenit, quod procedat in similitudinẽ naturæ, cum vi productiua, tam in diuinis, quam in creatis. Num. 38. *Resp.* Num. 39.

§. Quartvs.

Examinantur varij modi explicandi veram D. Thomæ rationem. *Pag.* 85.

PRocessionem Verbi esse generationem, quia est per intellectum, & processionẽ Spiritus Sancti non esse generationem, quia per voluntatem procedit, est cõmunis Theologorum sententia, Authores referuntur. Num. 40.

Diuersimodè autem ratio D. Thomæ, à diuersis explicatur. Suarez, quem alij Recentiores sequuntur, sic explicat. Nam eo ipso, quod Verbum procedat per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem, Verbo communicatur intellectio, & Spiritui Sancto volitio: at intellectio est necessarium constitutiuum diuinæ naturæ, secus autem volitio.

Hic modus explicandi peccat, tum in maiori, tum in minori, vt ostenditur num. 41. 42. & 43. *Vbi inconsequentiæ in propria doctrina Suarez redarguitur. Secũdus modus præcedenti affinis est Cornejo, qui refertur, & reijcitur* à n. 44. vsque ad n. 46.

Tertius dicendi modus, & satis frequens apud Thomistas, supponit etiam diuinam naturam, per actualem intellectionem constitui, quo supposito, sic explicat rationem D. Thomæ. Verbo ex eo quod per intellectionem procedat, communicatur diuinum intelligi; at intelligi, & intelligere sunt omnino idem, absque virtuali diserimine: ergo ex vi processionis communicatur illi diuina intellectio, ac per consequens natura diuina: quod Spiritui Sancto non conuenit.

Hic dicẽdi modus satis quidem probabilis, non congruit cum doctrina Authoris cõstituentis naturam diuinam, nõ in actuali intellectione, sed in radicali intelligere, & propter hoc, & alia plura notatu digna deseritur, à num. 47. vsque ad num. 52.

Quartus modus dicendi asserit, vtramque processionem sub cõceptu communi processionis diuinæ terminari formaliter ad diuinam naturam, secundum verò rationes, quasi specificas sola processio Verbi, ac proinde ista, & non alia est generatio, reijcitur. Num. 53.

Alius modus explicandi asserit, vtramque processionem secundum suam vltimam differentiam terminari ad simile in natura: quia tamen sola processio Verbi id habet ex differentiali ratione, & ex ratione communi, sola illa generatio est, reijcitur. Num. 54.

Vltimo potest explicari ratio D. Thomæ asserendo, vtramque istam processionẽ terminari ad simile in natura, veluti quoad substantiam, non quoad modum, sed hoc solum processioni Verbi competere; quia est per intellectum, qui producit modo assimilatiuo; breuiter impugnatur. Nu. 55.

§. Qvintvs.

Vera rationis D. Tho. explicatio. *Pag.* 91.

PRima conclusio. Ideo processio Verbi est generatio, quia est per intellectũ, qui ex proprio conceptu assimilatiuus est. *Est de mente Caietani, Ferrariẽsis, Zumelis, & Bañez. Et probatur, quia ideò Verbũ est genitum, quia ex vi suæ processionis, est simile producenti in natura: at hoc habet, quia per intellectum procedit, qui est assimilatiua potentia, &c.* Num. 56.

Arguitur primo cõtra conclusionẽ, quia intellectus ex proprio conceptu solum est assimilatiuus termini ad obiectũ, & speciẽ impressam, qua vnitur ex parte principij: at ratio obiecti, & speciei virtualiter distinguũtur à natura diuina. Resp. num. 57.

Secundo arguitur: nam intellectus, etiam in perfectissimo analogato, solum exposcit producere perfectissimè simile in esse intelligibili: quæ saluatur sine identitate virtuali, cum similitudine in esse naturali, cum sola identitate formali. Num. 58.

Solutio prima asserens, genus intelligibile passiuum in Deo non distingui, adhuc virtualiter, ab esse entitatiuo, & naturali, traditur, & ab impugnationibus defen-

ditur à num. 59. vſque ad num. 61.

Secunda ſolutio, admittens genus intelligibile paſsiuum virtualiter diſtinguí in Deo à natura diuina, aſſerit, intellectũ diuinum intra propriam lineam habere aſsimilare, nedum in eſſe intelligibili, verum etiam in eſſe naturali. Defenditur à Nu. 62. vſque ad Num. 66.

Tertio principaliter arguitur, ex eo quod Verbo quia per intellectum procedit cõmunicatur ex vi proceſsionis intelligi *per modum actus ſecundi; at hoc* intelligi *non eſt conſtitutiuè natura diuina, ſed aliquid conſequutum ad illam.* Num. 67. *Pro ſolutione huius argumenti tria nec eſſariò prænotantur.* Num. 68. & 69. *Soluitur autem,* Num. 70.

Sed aduerſus ſolutionem ſex obiectiones proponuntur, & diluuntur, à Num. 71. vſque ad Num. 74.

Alia eiuſdem argumenti ſolutio, conſiſtit in hoc, quod intellectus ex indigentia Verbũ producens per ſe primo intendit Verbi repræſentationem: intellectus autem, non eſt ex indigentia, ſed ex fœcunditate Verbũ producens, qualis eſt intellectus diuinus, non ſimilitudinem intentionalem; ſed naturam intendit per ſe primo: ac proinde Verbum ex indigentia productum conſtituitur per intentionalem ſimilitudinẽ: Verbum autem ex fœcunditate productũ primo, & per ſe per ſimilitudinem in natura in eſſe naturali. Num. 75. & 76.

Denique principaliter arguitur: nam ex eo quod Verbum per intellectum procedat tantum communicatur illi diuina intellectio per ſe primo: intellectio autem diuina, non eſt formaliter diuina natura, ſed tantum identicè. Num. 77.

Solutio P. Granados aſſerentis, quod vt Verbum ſit Filius, ſufficit communicari illi ex vi proceſsionis diuinam intellectionẽ, quæ explicite eſt natura diuina repræſentatiuè, *& implicitè eſt natura; refertur, & reijcitur,* Num. 78.

Alia ſolutio Meratij aſſerentis, quod licet Verbo communicetur primario diuina intellectio, quæ non conſtituit metaphyſicè diuinam naturam; quia tamen intellectio eſt repræſentatiuè diuina natura, & non repræſentatiuè purè intentionaliter: cum eſſe repræſentatiuum ſit eſſe naturale Dei; fit conſequens communicari illi naturam in eſſe naturali, &c. Reijcitur, Num. 79.

Reſpondetur ergo ad argumentum primo, iuxta doctrinam traditam in prima ſolutione ad tertium argumentum aſsignata. Secundo, iuxta doctrinam traditam in ſecunda ſolutione eiuſdem argumenti. Num. 80. & 81.

§. Vltimvs.

Secunda concluſio veræ ſententiæ, *Pag.* 100.

IDeò Spiritus Sanctus non eſt Filius, nec genitus, quia per voluntatem procedit, quæ aſsimilatiua potentia non eſt.

Probatur proponendo rationem D. Tho. ſub hac forma: ideò Spiritus Sanctus genitus non eſt, ſed procedens, quia ex vi proceſsionis non eſt ſimilis producenti in natura: at hoc habet, quia per voluntatem procedit, quæ aſsimilatiua non eſt: ergo, &c. Num. 82.

Ex quibus ad rationem dubitandi in principio poſitam reſpondetur, proceſsioni Spiritus Sancti non conuenire diffinitionem generationis viuentium, quia ad hoc deberet ei communicari ex vi proceſsionis natura per modum naturæ. Num. 83.

Sed contra ſolutionem, & doctrinam traditam multipliciter inſurgunt cõtrarij. Primo, quod in diffinitione generationis viuentium non eſt illa particula, ex vi proceſsionis; *ac perconſequens voluntariè, & abſque vllo fundamento additur. Reſp.* Num. 84.

Secundo obijciunt: nam quod conuenit Spiritui Sancto per proceſsionem, conuenit illi ex vi proceſsionis: cum ergo Spiritui Sancto cõueniat natura per proceſsionẽ, conuenit ei ex vi proceſsionis.

Reſpondetur, tantum id quod terminat formaliter proceſsionem cõuenire ex vi proceſsionis, non vero ea, quæ ratione identitatis cum ratione formali terminante conueniunt. Hæc namque, licet per proceſsionem communicentur, non tamen ex vi proceſsionis. Num. 85.

Sed obijciunt tertio, & eſt replica huius ſolutionis, quod diuinitas eſt id quo Spiritus Sanctus terminat proceſsionem; ac perconſequens diuinitas eſt ratio formalis terminandi. Num. 86. *Ad hãc obiectionem, cum pluribus replicis notandis, reſpondetur* à num. 87. vſque ad num. 90.

Quarto obijciunt: quod Spiritus Sãctus ex vi processionis procedit formaliter vt persona diuina; at persona diuina est subsistẽs in natura diuina formaliter sub conceptu naturæ. N. 91.

Quidam ex Thomistis respondent concedendo, Spiritum Sanctum procedere formaliter vt personam diuinam: sed ex hoc nõ colligi procedere, vt immediatè subsistentem in natura diuina, sed solum mediatè, vel immediatè. Alij per oppositum asserunt, Spiritum Sanctum ex vi processionis, *nec procedere vt personam formaliter, nec vt subsistentẽ.* Num. 92. *Vtraque solutio displicet, & impugnatur,* num. 93. & 94. *Vera solutio traditur,* num. 95. & 96.

Quinto obijciunt: quod conuenit Spiritui Sancto ex vi processionis suæ, quatenus est diuina, conuenit ei formaliter ex vi processionis, sed sub conceptu diuinæ habet Spiritus Sanctus in naturæ diuinæ identitate procedere. Hæc obiectio cum suis replicis proponitur, & soluitur, à n. 98. vsque ad num. 102.

Denique obijciunt: nam sequitur ex ratione assignata, & eius explicatione, Spiritum Sanctum esse Filium realiter, & idẽticè per processionem, etsi non formaliter ex vi processionis. Consequens autem est falsum, &c. Sequela vero quadrupliciter suadetur, num. 104. *Resp.* num. 105. & 106.

Ex dictis in discursu disputationis colligitur primo: Verbum ex vi processionis procedere vt Deum. N. 107.

Colligitur secundo; rationem Verbi, & Filij pro recto esse eandem in omni modo dicendi: pro eo autem, quod important in obliquo immediatè idem esse, si repræsentatio non distinguatur à natura diuina, aut Verbum non repræsentationem pro immediato connotato importet, sed similitudinem in esse naturali, sed pro cõnotato mediato in omni sententia, Verbum, & Filium differre. N. 108. & 109.

TRACTATVS DECIMVS.

De Diuinis relationibus.

DISPVTATIO LXXV.

An inter relationes, & Diuinam Essentiam sit distinctio actualis ante operationem intellectus?

§. PRIMVS.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ. *Pag.* 115.

SVpponitur vt fide certum, relationes à Diuina Essentia non distingui realiter entitatiuè. Cuius contrariũ tenuit Gilbertus Porretanus. N. 1.

Cuius error damnatus est in Concilijs Remẽsi, & Lateranensi. Et rationibus breuiter reijcitur. Ibidem, & num. 2.

Secundo, vt indubitatum supponitur, inter relationes, & essentiam esse distinctionem rationis ratiocinatæ; & probatur euidẽti ratione, Num. 3.

Denique; est certum inter relationem, & naturam esse virtualem distinctionem respectiuè ad formalem per intellectum factibilem, non vero respectiuè ad formalem, actualem, præuenientem intellectus negotiationem. N. 4.

Vertitur ergo in dubium: an licet relatio, & essentia non distinguantur realiter entitatiuè, tanquam duæ res; distinguantur tamen aliqua distinctione actuali ante operationem intellectus?

Prima sententia est Durandi asserentis, essentiam, & relationes differre aliquomodo realiter, id est, realiter modaliter, non tanquam rem, & rem, sed vt rem, & modum rei.

Secunda est Scoti asserentis, relationem non distinguiri realiter ab essentia; bene tamen ex natura rei ante omnem operationem intellectus. N. 5.

Tertia, & vera defendit, essentiam à relationibus nullo genere distinctionis actualis, siue realis modalis, seu formalis ex natura rei ante operationẽ intellectus gaudere, sed sola ratione ratiocinata distingui: sic D. Tho. & cum eo eius discipuli, & plures alij, oppositas sententias varijs censuris inurentes. N. 6.

§. SECVNDVS.

Reijcitur sententia Durandi. *Pag.* 117.

PRima conclusio. Inter relationes, & essentiam non est distinctio realis modalis. *Statuitur contra Durandum, qui in eo in quo à Gilberto differt, peius illo videtur erraſſe, cum doceat, relationes diuinas esse modos incompletos, quod est maximum absurdum. Et probatur primo: nam ex hac sententia sequitur, personam diuinam esse realiter compositam*

ex natura, & modo realiter diſtincto. Num.7.
Euaſio Durandi præcluditur. N.8.& 9.
Secundo probatur ex alio incommodo, quod ſequitur ex dicta ſententia: nimirum dari in diuinis quaternitatem rerum, ſeu realitatum, quod eſt damnatum in Concilio Lateranenſi. N.10.
Prima ſolutio Durandi refertur, & impugnatur. Num.11. *Secunda vero.* N.12. *Tertia autẽ, quæ ex eius doctrina poteſt adhiberi.* N.13.
Denique probatur: nam omnis entitas, aut eſt Deus, aut creatura: relatio autem diuina, eſt entitas, non creatura, vt fide cõſtat: ergo Deus, ac proinde à natura Dei nequit realiter diſtingui. N.14.
Solutio Durandi impugnatur. Num. 15.

§. Tertius.

Argumenta Durandi ſoluuntur. *Pag.*120.

Arguit Durandus primo. Nam ex entitate, & modo entitatis non reſultat realis compoſitio: quod exemplis, & ratione conatur ſuadere. Num. 16. *Reſp.* Num. 17.
Secundo arguit, ex eo quod non omnis realis differentia duorum compoſitionem facit: nam ſecundum fidem paternitas, & filiatio, & ſpiratio paſſiua in diuinis realiter diſtinguuntur, ex quibus tamen nulla compoſitio reſultat. Reſpondetur, num. 18. *Inſtat Durandus.* Num. 19. *Reſpondetur,* ibidem. *Sed vlterius inſtatur pro eodem.* Num. 20. *Reſpondetur,* ibidem, & Num 21.
Denique arguit: quæ non identificantur aliquomodo realiter, aliquomodo realiter diſtinguuntur: at relatio non identificatur eſſentiæ aliquomodo realiter, cum vnum identificari alteri adæquatè, ſit quidã modus realis identitatis; relatio autem paternitatis non identificatur eſſentiæ adæquatè, aliàs identificaretur cum omni eo, cum quo identificatur eſſentia, nempè cum filiatione. Num. 22. *Reſp.* Num. 23. *Vbi argumentum inſtatur, & cuidam replicæ fit ſatis.* Num. 24.

§. Quartus.

Reijcitur ſententia Scoti. *Pag.*123.

Secunda concluſio: Inter relationem, & eſſentiam non eſt diſtinctio formalis ex natura rei ante intellectus operationem. *Statuitur pro Authoribus tertiæ ſententiæ, & contra Scotum.*
Et probatur primo: nam vt diffinit Concilium Lateranenſe, relationes, & eſſentia ſunt omnino idem. Secundo, quæ diſtinguuntur actu ex natura rei ante operationem intellectus, non differunt ſola ratione: relationes autem ab eſſentia, ſola ratione differunt; vt conſtat ex Concilio Florentino. Et ex Patribus, tum Græcis, tum Latinis. Num. 25. *Euaſio Scotiſtarũ præcluditur.* Num. 26.
Tertio probatur: nam Pater eſt omnino ſimplex: at cum diſtinctione formali ex natura rei inter paternitatem, & eſſentiã omnimoda ſimplicitas ſubſiſtere nequit. Num. 27.
Quarto probatur, quia ex diſtinctione reali formali, ſequitur Patrem eſſe compoſitum reali formali compoſitione. Num. 28. *Solutio Scotiſtarum impugnatur.* Num. 29. & 30.
Quinto probatur: nam ex eo quod eſſentia communicetur Filio, & non paternitas, vel probatur entitatiua vtriuſque diſtinctio, vel non conuinceitur formalis. N. 31.
Sexto probatur ad hominem cõtra Scotum, quia, vt ipſe fatetur, illa diſtinguuntur formaliter, quorum vnum nõ eſt alterius diffinitio, nec de illius diffinitione: at paternitas eſt de diffinitione Patris, & ſimiliter diuina natura, &c. Num. 32.
Denique probatur: nam Pater, vt conſtitutus eſſentia, & paternitate, eſt ſummè vnus: ac per conſequens irreſolubilis in duas formalitates realiter formaliter diſtinctas. Num. 33. *Solutio Scotiſtarum efficaciter impugnatur.* Num. 34. & 35.

§. Quintus.

Argumentis Scoti occurritur. *Pag.*25.

Primo arguunt Scotiſtæ Authoritate D. Augiſtini. Num. 36. *Cuius mens aperitur.* Num. 37.
Secundo ratione: nam ea differunt diſtinctione reali formali, quæ diſtinguuntur diffinitione; eſſentia autem, & relationes diſtinguũtur diffinitione, cũ eſſentia diffiniatur ad ſe, relationes vero in ordine ad aliud. Num. 38. *Reſp.* Num. 39. vſque ad num. 42.
Tertio arguunt: Pater intelligens ſe, aut intelligit eſſentiam, & paternitatem, vt

diuersa obiecta, aut vt idē obiectum, sub diuerso modo concipiendi nostro. Si primū, distinguuntur realiter formaliter: si secundum, non erit maior differentia, quā inter Deum, & Deitatem; quod videtur absurdum. N. 43. *Resp.* Num. 44.

Denique arguunt: ex eo quod essentia diuina secundum quod cōstituta per aliquod esse reale ante operationē intellectus negatur de paternitate; ac perconsequēs ab illa distinguitur, saltim realiter formaliter, ante omnem intellectus negotiationem. N. 45.

Hoc argumento vtitur Gilbertus, vt illo probet, distinctionem entitatiuam relationum ab essentia, & Durandus vt probet suam distinctionem realem modalem, ac tandem Scotus, ad suadendam distinctionem realem formalem. Et sanè, vel primum cōuincit, vel nihil. Vnde Scotus, & Durandus illo vtentes, cum Catholicè fateantur, non concludere primum, fateri debent sui argumenti inefficaciam. Soluitur cum suis replicis, à num. 46. vsque ad num. 51.

An autem distinctionem rationis efficiat intellectus diuinus? Disputatum est Tomo Secundo, *vbi negatiua conclusio stabilita est, & latè probata.*

DISPVTATIO LXXVI.

An diuina essentia sit de quidditate, & conceptu relationum?

§. Primvs.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. *Pag.* 134.

Titulus disputationis, & quod in dubiū vertitur, explicatur, num. 1.

Prima sententia est negatiua, quam præter Scotum, & Durandum, tenent alij extra Scholam D. Tho. Nec displicet quibusdā ex Thomistis.

Secunda affirmans est, quam frequenter defendunt Thomistæ citati, num. 2. *Diuersimodè vero à diuersis defenditur.*

Pro resolutione veritatis est prima conclusio: Ratio entis diuini est de quidditate relationum, prout virtualiter distinguuntur à natura diuina; & consequenter est de cōceptu, quem viatores formant de illis. *Num.* 3.

Secunda pars conclusionis euidenter infertur ex prima. Prima vero probatur primo ex D. Tho. Num. 4.

Secundo probatur: nam paternitas, prout virtualiter a natura diuina, distincta est ens essentialiter; at non est creatum: ergo diuinum. N. 5.

Solutio recentiorum prolixè ab illis tradita, breuiter refertur, num. 6. *Efficaciter vero impugnatur,* à num. 7. vsque ad n. 9.

Denique probatur conclusio: nam si diuinæ relationes non clauderent in suo conceptu rationem entis diuini, neque etiam in conceptu illius includerentur, ac perconsequens se mutuo excluderent, & ex illis resultaret compositio rationis, aut virtualis. Num. 10. *Euasio præcluditur.* Num. 11.

Occasione cuiusdam obiectionis propositæ. Num. 12.

Explicatur, quæ compositio rationis repugnet Deo, & quæ non repugnet, & defenditur non repugnare Deo compositionem rationis conceptuum mutuo se includētium. N. 13.

§. Secvndvs.

Quid de diuina essentia sub conceptu essentiæ, & naturæ dicendum? *P.* 138.

Secunda cōclusio: Diuina essentia sub conceptu essentiæ, & naturæ, est de essentia relationis, prout virtualiter, & ratione nostra ab illa distinctæ.

Prima pars conclusionis à quibusdam argumento parum efficaci probatur. N. 14.

Vtraque conclusionis pars eleganti D. Tho. testimonio probatur, quid accurate expenditur, à num. 15. vsque ad Num. 17.

Deinde prima pars probatur: nam quid quid prædicatur realiter de paternitate, essentialiter prædicatur de illa: at paternitas est realiter essentia diuina, &c. Nu. 18. & 19.

Tertio suadetur. Nam si relatio non clauderet in suo conceptu essentiam, non clauderetur in conceptu illius, mutua autem conceptuum exclusio summæ Dei simplicitati repugnat. Num. 19.

Secunda pars conclusionis, scilicet, Diuinā naturam, per modum naturæ, esse similiter de essentia relationum, *suadetur, quia hæc duo argumenta ex ratione petita, quibus prima pars probatur, non minori efficacia conuincunt secundam, vt ostenditur.* Num. 20. *Contrariorum solutio impugnatur,* à num. 21. vsque ad Num. 23.

§. Tertius.

Argumentis contrariorum occurritur. *Pag.* 142.

Arguitur primo ex D. Tho. cuius mẽs explicatur. Num. 24.

Secundo arguit Vazquez: ex eo quod paternitas intelligitur aduenies essentiæ secundum rationem; ac perconsequens, illam secundum rationem essentialiter non includit. N. 25. *Soluitur.* N. 26.

Tertio sic arguunt: si paternitas in suo conceptu essentiali clauderet essentiam diuinam, hæc esset vera: Paternitas est essentia diuina essentialiter; *hãc verò esse falsam quadrupliciter probatur.* Num. 27. & 28. *Resp.* Num. 29. vsque ad num. 33.

Sed aduersus solutionem primæ probationis tres replicæ notandæ proponuntur. Num. 34. *Resp.* Nu. 35. & 36. *Sed instatur vlterius.* Num. 37. *Resp.* Num. 38.

Quarto arguunt, si de cõceptu essentiali relationum esset diuina essentia, sequeretur multiplicata realiter relatione multiplicari essentiam diuinam realiter, sicut multiplicatis relationibus, multiplicatur realiter entitas, seu realitas diuina. N. 39. *Resp.* Num. 40.

Quinto obijciunt aliud inconueniens; sequi scilicet ex conclusione produci diuinam essentiam productã relatione, quod est hæreticum. N. 41. *Resp.* N. 42.

Denique obijciunt, quod Pater constituitur ex paternitate, & essentia: ac proinde vnum ex constituentibus non posse in alio includi. N. 43. *Resp.* N. 44. *Replicatur.* N. 45. *Soluitur replica.* N. 46.

Ex dictis sequitur, ens diuinum sub cõceptu essentiæ, & naturæ, esse de quidditatiuo attributorum conceptu. N. 47.

DISPVTATIO LXXVII.

An relationes sint de cõceptu quidditatiuo essentiæ diuinæ?

§. Primvs.

Relatis sententijs, vera eligitur. *Pag.* 149.

DVo sunt certa: primum, relationes esse de quidditate essentiæ secundum realitatem, qua gaudent à parte rei.

Secundum, nõ esse de quidditate essentiæ, vt metaphysicum eius constitutiuum. Vertitur ergo in dubium, an sint de quidditate essentiæ diuinæ, quatenus virtualiter ab illis distinguitur, & implicitè, saltim clauduntur in conceptu, quem viatores formamus.

Prima sententia est negatiua, Authores eius citantur. Num. 2. *Secunda affirmans est, pro cuius explicatione, est nostra conclusio.*

Relationes sunt de conceptu quidditatiuo Diuinitatis, vt virtualiter, & ratione ab illis distinctæ: & sub ratione essentiæ, & sub ratione naturæ.

Aliquorum fundamentum ad probandam conclusionem, tanquã inefficax reijcitur, N. 3. & 4.

Probatur igitur primo ex D. Tho. N. 5.

Secundo probatur, ex eo quod essentia diuina clauditur in conceptu relationum: ergo & relationes clauduntur in conceptu essentiæ. N. 6. & 7.

Tertio probatur: nã essentia diuina est formaliter realiter paternitas; ac perconsequens, paternitas essentialiter, & essẽtialiter clausa, in conceptu quidditatiuo essentiæ. N. 8.

Denique; principaliter probatur conclusio, ex eo quod Diuinitas identificat sibi relationes summa identitate; ac perconsequens identificat illas, non solum reali, sed etiam essentiali identitate. Hæc ratio explicatur, vrgetur, & euasiones præcluduntur, à num. 9. vsque ad num. 12.

§ Secvndvs.

Occurritur argumentis in contra. *Pag.* 154.

COntra conclusionem obijciunt contrarij duo testimonia D. Tho. quæ explicantur. N. 13. & 14.

Opponunt etiam D. Augustinum, qui explicatur. Num. 15.

Arguunt secundo ex pluribus testimonijs Conciliorum, & Patrum asserentiũ, Patrem communicasse Filio totam essentiam: non vero relationem. Nu. 16. *Resp.* Num. 17.

Tertio arguunt, ex eo quod quidquid essentialiter prædicatur de diuinitate, prædicatur essentialiter de singulis personis: at de Patre non prædicatur filiatio, nec de Filio paternitas, &c. N. 18.

Hoc est præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ. Cui triplex assignatur solutio, & quælibet defenditur, & replicis, & obiectionibus fit satis, à num. 19. vsque ad num. 24.

Denique arguunt: quia si relationes essent de cõceptu essentiæ diuinæ, non posset essentia esse taliter vna, vt nullam distinctionem admitteret: cum includeret relationum essentialem distinctionem: quod dupliciter confirmatur, & vrgetur. Nu. 25. *Resp.* Num. 26. & 27.

Ex dictis colligitur primo: diuinam essentiam claudere actu implicitè in essentiali conceptu attributa diuina. Secũdo colligitur, vnum attributum claudere in suo conceptu essentialiter aliud.

Denique colligitur, triplex intelligentia illius maximæ: Quæ sunt eadem vnitertio, sunt eadem inter se. Num. 28.

DISPVTATIO LXXVIII.

An diuinæ relationes, quatenus ab essentia distinctæ dicant relatiuas perfectiones?

§. Primvs.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. *Pag.* 161.

Supponitur ex dictis, vt indubitatum, relationes diuinas esse identicè formaliter perfectas perfectione essentiæ: deinde, vt distinctas ab essentia includere essentialiter perfectionem essentiæ, & consequenter vt sic distinctas esse perfectas non reduplicatiue; *de quo erit disputatio; sed* specificatiuè. *Vnde colligitur, quod absolute, de relationibus loquendo, asserendum est, quod perfectæ sint.*

Quod igitur vertitur in dubium est, an ratione conceptus relatiui, quem superaddunt essentiæ dicant perfectionem relatiuam ab essentiæ perfectione virtualiter distinctam? Num. 1.

Prima sententia affirmat, loquendo de relationibus sub expresso conceptu ad. *Authores citantur.* Num. 2.

Secunda, distinguit inter bonitatem transcendentalem, quæ in integritate consistit, & formalem, quæ consistit in conuenientia ad alterum; & de prima affirmat, negatque de secunda. Ita Fonseca. Tertia docet, relationes in propria linea perfectionem dicere; sed non explicare illã per respectum ad terminum, sed per ordinem ad subiectũ, & fundamentum; & consequenter non multiplicari realiter in ratione perfectionis; sed omnes relationes eadem perfectione relatiua gaudere: ita noster Magister Ioannes de Santo Thoma.

Quarta, & verior negans est. Ita communiter Thomistæ, & Scotistæ cum alijs citatis. Num. 3.

Prima conclusio: Dato quod relationes addant ad essentiam perfectionem relatiuã, necessario concedendæ sunt tres perfectiones relatiuæ. *Et probatur primo contra Vazquez, ostendendo duplex eius dictum, in quo suam particularem fundat sententiam esse falsum,* à num. 4. vsque ad Num. 7.

Secundo probatur contra tertiam sententiam: nam eo ipso, quod relatio addat essentiæ perfectionem relatiuam, virtualiter ab illa distinctam, ratio perfectionis est communis per rationem, & formalem transcendentiam absoluto, & relatiuo: at quæ sic sunt communia multiplicantur realiter ad multiplicationem realem relationum. Num. 8.

Tertio: nam quæ cõueniunt relationibus, non solum ratione essentiæ inclusæ, sed etiam ratione proprij, & relatiui conceptus multiplicãtur, illis multiplicatis, vt constat in vnitate, realitate, & entitate. Num. 9.

Quarto: quia licet perfectio relationis, non explicetur per respectum ad terminum, sed ad fundamentum, non probat, quod si relationes realiter distinguũtur, non distinguantur similiter perfectiones, vt ostẽditur. Num. 10. 11. & 12.

§. Secvndvs.

Argumenta soluuntur. *Pag.* 165.

Vazquez infert, relationes nõ esse reales perfectiones, perfectione sumpta pro forma alteri conuenienti; quia inter perfectionem, sic acceptam, & perfectibile debet esse realis distinctio. Cuius argumenti inefficacia ostenditur. Num. 13.

Secundo, alij argumentantur ex duplici authoritate D. Tho. sed quod nihil concludant ostenditur. Num. 14. & 15.

Tertio arguunt, intentiones probare id quod conuenit relationibus ex ordine ad subiectum, seu fundamentum, non multiplicari in illis. N. 16. *Resp.* N. 17. & 18.

§. Tertivs.

Non esse in Deo tres perfectiones relatiuas, probatur. *Pag.* 167.

Secunda conoluſio. Non ſunt concedendæ in Deo tres perfectiones reales relatiuæ. *Et probatur primo: nam in Deo non sũt concedendæ tres magnitudines, etiam relatiuæ, vt conſtat ex D. Auguſtino, & D. Tho. in Deo autem idem eſt magnitudo, & perfectio.* N. 19.

Solutio contrariorum refertur, & refellitur. N. 20. & 21.

Secundo probatur: nam ſi dantur perfectiones relatiuæ, cuiuis ex diuinis perſonis neceſſario eſt dicendum, quod aliqua perfectio non competat, quod eſt magnum inconueniens. N. 22.

Primo reſpondet Suarez, perfectiones relatiuas vt formaliter conuenientes eſſe quidem perfectiones; non autem ſimpliciter ſimplices. N. 23. *Quæ ſolutio impugnatur,* à num. 24. vſque ad num. 26.

Alia dicta Suarez, referuntur, & impugnãtur, à num. 27. vſque ad num. 29.

Secunda ſolutio eſt Granados aſſerẽtis, perfectionem filiationis eſſe in Patre, & paternitatis in Filio, non ſolum ratione iãtitatis cum eſſentia, ſed etiam ſecundum id, in quo diſtinguuntur, eo quod per circũinſeſſionem Filius eſt in Patre, etiam prout à Filio diſtinguitur, &c. Sed hæc ſolutio impugnatur, à num. 30. vſque ad num. 33.

§. Qvartvs.

Reſpondetur directê ad quæſtionem. *P.* 178.

Tertia concluſio. Relationes non addunt ad eſſentiam perfectionem relatiuã, ratione ab illa diſtinctam, in ratione perfectionis.

Probatur tribus rationibus, quæ deducuntur ex præiactis aſſertionibus. Num. 34. & 35.

Quarto probatur, ex eo quod relationes ad eſſentiam nihil addant abſolutum, ratione ab illa diſtinctum; at ratio perfectionis in Deo, ſolum dicitur abſolutè, non relatiuè, vt docet D. Tho. expreſsè. N. 36.

In reddenda tamen ratione à priori, eſt nũ modica difficultas; & in quo cõſtat, iuxta principia Authoris, oſtenditur. N. 37.

Graues Thomiſtæ rationem aſsignant: nam perfectio debet ſumi per reſpectum ad ſubiectum ratione ſui inſpectum; relatio autem ſecundum nihil, ſibi peculiare ſubiectum, aut perſonam, reſpicit ratione ſui, & in illa ſiſtendo, ſed ordinando eam ad terminum. N. 37.

Alia ratio à priori ab Authore aſsignata eſt; quia vnumquodque in tantum eſt perfectum, in quantum eſt in actu exiſtẽtiæ, vel ad illam ordinem dicit: relationes autem diuinæ ratione ſui non exprimunt ordinem ad exiſtentiam. Num. 38.

Sed aduerſus hanc rationem arguitur primo: nam paternitas, vt diſtincta à natura, ratione ſui, & explicitè, dicit ordinẽ ad naturam diuinam, quæ ratione ſui eſt formaliter exiſtentia. Hoc argumentum cũ ſuis replicis, proponitur, & ſoluitur. Num. 39. & 40.

Secundo arguitur: nam paternitas ratione ſui reddit ſuum contradictorium chimericum, & impoſsibile, ac perconſequens ratione ſui exigit neceſſario exiſtẽtiam. Nu. 41. *Reſp.* Num. 42.

Vbi aliter, & clarius proponitur idem argumentum, & ſoluitur. N. 43.

§. Qvintvs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pagina* 177.

Arguunt primo ex Cyrillo, & D. Tho. Reſp. explicando eorum mentẽ. Num. 44. & 45.

Secundo ratione: etenim perfectum, iuxta Ariſtotelem eſt, cui nihil deeſt in proprio genere: *Paternitati autem in ſuo eſſe relatiuo nihil deeſt, &c. Et confirmatur dupliciter.* Num. 46. *Reſp. explicando diffinitionem* perfecti, *iuxta D. Tho.* N. 47.

Tertio obijciunt: Deum eſſe trinum eſt maxima perfectio; at hæc prouenit à relationibus. Ad argumentũ cũ ſuis replicis, Reſp. N. 48. & 49.

Quarto obijciunt: quod perſonalitas diuina ratione illius, quod exprimit perfectio eſt; at ratio perſonalitatis eſt à relatione, quatenus ab eſſentia diſtincta. Maior autem quintupliciter ſuadetur. Nu. 50. & 51.

Quidam ex Thomiſtis concedunt, relationes diuinas ſub ratione formæ hypoſtaticæ dicere perfectionem, à perfectione eſſentiæ diſtinctam ratione, & concluſionẽ poſitam reſtringunt ad relationes ſub cõceptu ad. Num. 52.

Cæterum contra hanc ſolutionem militant argumenta ab inconuenienti, quæ potiſſimè ingerunt difficultatem.

Hac solutione relicta ad argumentum cum suis probationibus, resp. à num. 52. vsque ad 54.

§. Vltimvs.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 181.

EX dictis colligitur primo, relationes nõ addere ad essentiam bonitatem relatiuam, cuius contrarium docuit Molina. Et probatur. N. 55.

Colligitur secundo: relatiuas proprietates adorandas esse adoratione Latriæ, & nõ solum personas distinctas, cuius contrarium, vt probabile docet Molina. Et probatur. Num. 56.

Colligitur etiam, relationem creatam perfectionem relatiuam non dicere. Num. 57. & 58.

Denique infertur, quod si relationes inter se comparatæ dicunt perfectionem relatiuam, etiam comparatæ cum diuina essentia dicunt perfectionem illi superadditam. Num. 59.

DISPVTATIO LXXIX.

An diuinæ relationes gaudeant existẽtijs relatiuis, ratione distinctis ab existentia essẽtiæ, & realiter inter se?

§. Primvs.

Relatis sententijs vera eligitur, & examinantur aliquorum rationes pro illa. *Pag.* 183.

SVpponitur, vt omnino certũ, dari in Deo existentiam communem absolutam, & essentialem. Et suadetur ex Sacra Scriptura. Num. 1. *Et ratione e Symbolo D. Athanasij sumpta.* N. 2. *Et ab inconuenienti, quia aliàs ex effectibus naturalibus posset demonstrari Trinitas existentiæ diuinæ.* N. 3.

Quod in dissidium vertitur est, an sicut præter realitatem essentiæ dantur tres realitates relatiuæ, ratione distinctæ ab essentia, & realiter inter se; ita præter absolutam existentiam, dentur in Deo tres existentiæ relatiuæ realiter inter se distinctæ, & ratione ab existentia absoluta essentiæ?

Prima sententia affirmans est, cuius Authores citantur. N. 4.

Secundæ negans, & est communis apud Thomistas, & plures alios citatos. Num. 5.

Quæ sententia pro conclusione statuitur, & probatur à quibusdam Recentioribus ex Vazquez, quia modi existendi existentiam distinctam non addunt: Personalitates autem diuinæ sunt modi existentiæ, seu existendi. Num. 6.

Hæc tamen ratio nullius est roboris, vt ostenditur. Num. 7.

Probant alij, ex eo quod licet personalitates diuinæ gaudeant actualitatibus realiter distinctis, quibus sunt extra nihil: huiusmodi tamen actualitates non sunt existentiæ; sed nec hæc ratio est alicuius momenti, vt ostenditur. Num. 8.

Tertio alij arguunt pro conclusione, quod existentia diuinæ naturæ, est infinita in ratione existentiæ; ac perconsequens se ipsa, absque superaddita existentia potest actuare, & existentes reddere relationes diuinas. Sed nec hæc ratio, nisi aliũde iuuetur conuincit, & instatur. Num. 9.

§. Secvndvs.

Authoritate, & duplici ratione, probatur. *Pag.* 186.

PRobatur ergo conclusio primo ex D. Th. pluribus in locis specialiter expenditur locus ex 1. *Sentent. dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 2. à num. 10. vsque ad num. 13.

Deinde probatur, ex eo quod in Deo nõ sunt tres essentiæ relatiuæ, sed vnica essentia absoluta; ac perconsequens non dantur tres existentiæ relatiuæ. Num. 14.

Tertio probatur, ex eo quod in Deo non datur triplex ratio increati, cum reali distinctione; sed vnica, qua essentia, & relationes in ratione increati constituuntur; ac perconsequens non datur tres existentiæ relatiuæ realiter distinctæ; sed vna, qua essentia, & relationes existant. Hæc ratio prosequitur, & effugijs, & obiectionibus occurritur, a num. 15. vsque ad num. 21.

§. Tertivs.

Eadem conclusio alijs argumẽtis, probatur. *Pag.* 190.

QVarto principaliter probatur cõclusio, quia non dantur in Deo tres æternitates reales relatiuæ; ac proinde, nec tres relatiuæ existentiæ. Num. 22.

Prima solutio negat antecedens, sed reijcitur, à num. 23. vsque ad num. 24.

Secunda concesso antecedenti, negat consequentiam. Num. 25.

Sed impugnatur. Nu. 26. & 27.

Alia solutio, quæ assignari potest, refertur, & impugnatur, à num. 28. vsque ad 30.

Denique probatur: nam existentia cuiusuis entis, etiam relatiui, est prædicatum non relatiuum, sed absolutum, vt expresse docet D. Thom. sed absoluta non multiplicantur realiter in Deo. Hæc ratio vrgetur, & confirmatur: & replicis fit satis, à num. 31. vsque ad 37.

§. Vltimvs.

Contrariorum argumẽtis occurritur. P. 194.

Arguitur primo auctoritate Augustini, cuius mens explicatur ex doctrina D. Thom. Num. 39.

Arguitur secundo, ex eo quod quælibet productio tenait in existẽtiam rei productæ, quæ aliàs sine tali productione non esset; sed personalis productio in diuinis, nõ tendit ad absolutam existentiam. Tum, quia non producitur: tum, quia supponitur in persona producente. N. 40. *Resp. ad hoc argumentum, cum pluribus replicis,* à num. 41. vsque ad 47.

Arguitur tertio: nam existentia relationis creatæ distincta est ab existentia fundamẽti; ac per consequens existentia relationis diuinæ distincta erit ab existentia essẽtiæ. Ad hoc argumentum, & eius replicas, fit satis, à nu. 48. vsque ad num. 51.

Denique arguitur, præcipuo contrariæ sententiæ argumento: nam existentia, vel est entitas actualis, vel actualitas entitatis illam actualem constituens; sed diuinæ relationes sunt tres entitates actuales, realiter distinctæ inter se, & ratione ab entitate actuali essentiæ: ergo sunt tres existẽtiæ distinctæ inter se, & ratione ab entitate actuali essentiæ. Communis solutio traditur. N. 52. *Ibidemque argumentum instatur. Sed replicatur.* N. 54. *Respondetur,* à num. 55. vsque ad 58.

Ex dictis colligitur, falso, & inconsequenter Granados concessisse attributis existẽtias absolutas, distinctas virtualiter ab existẽtia essentiæ. Et probatur. N. 59.

TRACTATVS VNDECIMVS.

De Personis in communi.

DISPVTATIO LXXX.

An persona addat supra naturam aliquid ab illa distinctum?

§. Primvs.

Relatis sentẽtijs prima conclusio statuitur. P. 216.

Prima sententia docet, personam in diuinis addere modum realem positiuum, distinctum realiter modaliter à natura diuina: in creatis vero nihil realiter distinctum addere: ita Durandus. Secunda asserit, addere aliquid positiuum ex natura rei distinctum a natura. & insuper negationem communicabilitatis, supra hoc positiuum fundatam; in creaturis autem nihil positiuum addere, sed solum duplicẽ negationem, &c. Ita Scotus, & cum eo eius discipuli. Num. 1.

Tertia, & vera defendit, personam supra naturam addere aliquid positiuum, in Deo sola ratione, aut virtuali distinctione à natura distinctum; in creaturis autem realiter. Hæc est communis apud Thomistas, & plures alios citatos. N. 2.

Prima conclusio: Persona diuina non addit supra naturam aliquid distinctum ab illa realiter, ex natura rei, aut distinctione reali modali: persona vero creata supra naturam addit aliquid ab illa distinctum. *Prima pars huius conclusionis latè probata relinquitur supra tract. 10. disp. 75. §. 2. & 4. modò breuiter suadetur: nam ex opposito fieret personam diuinam esse realiter compositam, consequens est absurdum, &c.* N. 3. & 4.

Secunda pars probatur primo ex D. Tho. Secundo ratione: nam separabilitas realis est signum realis distinctionis: si mutua sit, distinctionis entitatiuæ; si nõ mutua realis modalis; sed natura creata potest realiter separari à propria personalitate, vt patet in Misterio Incarnationis. N. 5. & 6.

Hoc argumentum adeò efficax visum est pluribus Theologis, vt contrariam sententiam, tanquã erroneam damnent. Excedunt tamen, nam licet nostra sententia conformior sit fidei principijs, non tamen adeò certa, vt opposita censeri possit erronea, & qualiter possit vtcumque responderi facto argumento traditur, à num. 7. vsque ad num. 10.

Sed argumentum vrgetur, & contra solutionem replicatur: nõ enim stat ex humanitate, & Verbo vnam resultare personã, nisi humanitas incompleta intrinsece supponatur; neque humanitatem esse incompletam intrinsicè; si nulla intrinseca entitate ad minus modali careat; sed de fide est ex Verbo, & humanitate vnã resultare personam; & consequenter huma-

nitas in Chriſto realiter incompleta ſupponitur, & cum defectu alicuius entitatis, ſaltim modalis. N. 11.

Dupliciter occurritur huic replicæ, vtraque tamen ſolutio inſufficiens eſt, vt oſtenditur à num. 12. vſque ad num. 14.

Ex quibus obiter infertur: ſubſiſtentiã addere ſupra naturam, ſaltim aliquod connotatum extrinſecum realiter ab illa diſtinctum, eſſe de fide mediate. Quod autem in recto importet aliquid realiter diſtinctum à natura, licet ſit conformius principijs fidei: non tamen eſt adeò certum, vt oppoſitum ſit error in fide. N. 15. & 16.

Primum illatum, limitandum eſt ad ſolam humanam naturam: nam de alijs naturis præcipuè Angelicis non eſt adeò certum; eſt tamen conformius Miſterio Incarnationis. N. 17. 18. & 19.

§. Secvndvs.

Occurritur argumentis in contra. Pag. 221.

Arguit Durandus primo, ex eo quod ſuppoſitum, & natura in genere ſubſtantiæ, differunt vt abſtractum, & concretum: concretum autem, & abſtractum in genere ſubſtantiæ non differunt, niſi ſolum ratione, & ex modo ſignificandi. Hoc argumentum cum ſua replica, ſoluitur, à num. 20. vſque ad num. 23.

Secundo arguit: homo eſt nomen ſuppoſiti, ſed homo, & humanitas idem realiter important. Num. 24. Reſp. N. 25. & 26.

Deinde arguitur tertio, ex duplici teſtimonio D. Tho. cuius mẽs explicatur, à num. 27. vſque ad num. 29.

Denique arguitur: nam ſuppoſitum, & natura non differunt realiter in Angelis, vt videtur expreſſum D. Tho. in duplici teſtimonio citato. N. 30.

Solutio, quæ ex Capreolo refertur, difficilis eſt, & oſtẽditur eius difficultas, à num. 31. vſque ad 33.

Secunda ſolutio eſt Caietani, & communis Thomiſtarum, aſſerentium, ſuppoſitum dupliciter poſſe ſumi. Primo, pro ſubſtantia indiuiduã omnino incommunicabili. Secundo, pro indiuiduo naturæ, & cum D. Tho. docet in ſubſtantijs ſpiritualibus ſuppoſitum à natura realiter non diſtingui, nõ loqui de ſuppoſito in prima, ſed in ſecunda acceptione.

Hæc ſolutio, licet patiatur non leues difficultates, quæ proponuntur, à num. 34. vſque ad num. 39.

Vera tamen eſt, & quæ contra illam obſtant, enodantur, à num. 38. vſque ad num. 43.

Sed adhuc non euacuatur difficultas, expenditur enim alia difficilis authoritas D. Tho. & plures replicæ proponuntur, & ſoluuntur, à num. 44. vſque ad num. 51.

§. Tertivs.

Reijcitur ſecunda ſententia. Pag. 229.

Secunda concluſio. Id quod perſona creata ſuperaddit ad naturam, non eſt ſola negatio, ſed aliquid poſitiuum. Ita omnes Theologi, præter Scotiſtas. Eſtque expreſſa D. Tho.

Et probatur primo, ex eo quod perſona diuina addit ſupra naturam, non ſolum negationem, ſed etiam aliquid poſitiuum, vt fatetur Scotus; ac perconſequens etiam perſona creata aliquid poſitiuũ addit. N. 52. & 53.

Reſpondent triplex aſſignando diſcrimen inter perſonam diuinam, & creatam. N. 54.

Sed hæc triplex ſolutio efficaciter impugnatur, à num. 54. vſque ad num. 60.

Secundo principaliter probatur ex Miſterio Incarnationis: nam iuxta Patres, & Doctiores, Verbum aſſumpſit humanitatem, & non perſonam humanam: inſuper ſuppleuit perſonalitatem creatam terminando humanitatem: ac denique ex Verbo, & humanitate vnum per ſe reſultauit: quæ omnia non poſſunt in legitimo ſenſu ſaluari, ſi perſonalitas creata ſolum negationem ſuperaddat ad naturam, à num. 60. vſque ad num. 64.

Tertio probatur: nam ex natura, & perſonalitate creata, reſultat vnum per ſe poſitum in prædicamento ſubſtantiæ, ſed ex negatione, & poſitiua entitate non poteſt vnum per ſe reſultare. N. 65.

Denique probari ſolet concluſio, ex eo quod omnis negatio petit ſuper entitatem poſitiuam fundari; ac perconſequens, negatio dependentiæ actualis, vel aptitudinalis, neceſſario ſupponit entitatem poſitiuam ſuperadditã naturæ. Sed imbecillitas huius fundamenti oſtenditur, à num. 66. vſque ad num. 69.

Vnde alij Recentiores prædictum argumen-

tum inſtaurant in hunc modum: nam quid quid ſit de alijs negationum generibus, negatio dependentiæ talis eſt conditionis, vt petat neceſſario ſupra entitatem poſitiuam fundari: ſed negatio, quam importat perſona creata, eſt negatio dependentiæ. Num. 70.

Sed hoc argumentum duplici inſtantia manifeſte inſtatur, à num. 70. vſque ad 74.

§. Qvartvs.

Duo Scoti argumenta diluuntur. *Pag.* 234.

ARguit primo Scotus ex diffinitione ſumpta ex Boetio, eſt enim perſona, ſubſtantia indiuidua rationalis naturæ: *ideſt*, ſubſtantia incommunicabilis: *vt communis interpretatio docet. Sed incõmunicabilitas in negatione conſiſtit.* Nu. 75. *Reſponetur primo.* Ibidem. *Secundo.* Num. 76. & 77.

Secundo arguit: namſi perſonalitas creata adderet ſupra naturam entitatem aliquã poſitiuam Verbum, non aſſumpſiſſet totum quod hominis eſt, nec omnes proprietates illius; quod eſt contra Damaſcenum, & Leonem Papam. Num. 78.

Quod tripliciter confirmat, à num. 79. vſque ad 81. *Reſpondetur,* à num. 82. vſque ad numerum 85.

§. Qvintvs.

Alijs argumentis occurritur. *Pag.* 239.

TErtio arguit, ex eo quod poteſt creata natura extra cauſas exiſtere, ſine hac entitate poſitiua, & tunc caſus eſſet ſuppoſitum, vel perſona. Num. 87.

Solutio quorundam negantium antecedens, refertur, & reijcitur. Num. 88. & 89.

Vera ſolutio traditur. Num. 90.

Et conſiſtit in hoc, quod in illo caſu natura exiſteret per ſe negatiuè; & cum capacitate terminationis à ſuppoſito alieno, ac per conſequens non eſſet ſuppoſitum, nec perſona. Sed tres obiectiones notandæ proponuntur, & ſoluuntur, à num. 91. vſque ad num. 98.

Quarto arguitur: namſi perſonalitas eſſet entitas poſitiua, realiter à natura diſtincta reciperetur in illa; ſed hoc non poſſe concedi tripliciter probatur. Num. 99. & 100. *Reſpondetur,* à num. 101. vſque ad 103.

§. Sextvs.

Vltimum argumentum diluitur, & explicatur in qua entitate ſubſiſtentia creata conſiſtat. *Pag.* 241.

VLtimum argumentum petit, vt explicetur in quo conſiſtat entitas iſta modalis; quam addit perſona ſupra naturã, in quo variant Metaphyſici, & in plures diuiduntur ſententias. Prima eſt quorũ, quos ſine nomine refert Durandus, aſſerentium, entitatem iſtam eſſe de prædicamento accidentis. Hic modus dicendi refertur, & reijcitur, à num. 104. vſque ad 106.

Secundus modus dicendi, quorundam Recentiorum, eſt, perſonalitatem creatam conſiſtere in actione, qua natura ſubſtantialis producitur. Num. 107. *Sed hic modus dicendi falſus eſt; & impugnatur efficaciter* à num. 108. vſque ad 115.

Tertius modus dicendi, ſubſiſtentiam ab exiſtentia ſubſtantiæ diſtinctam non eſſe defendit. Ita quidam moderni Thomiſtæ allegantes Capreolum. Refertur, & reijcitur. Num. 116. & 117.

Quartus modus conſtituit ſubſiſtentiam in modo diſtinctio à natura, & exiſtentia, ſupponente tamen exiſtentiam, & modificante naturam. Ita Suarez, & Vazquez & frequenter Recentiores extra Scholã D. Thom. Num. 118.

Sed quod ſubſiſtentia, non ſit modus ſupponẽs exiſtentiam, & illam afficiens oſtenditur. Num. 119. & 120.

Aſſerendum ergo eſt, ſubſiſtentiam creatam eſſe modum complentem naturam conſtituentem concretum ſubſtantiale receptiuum, vt quod *exiſtentiæ, incommunicabile alteri tanquam ſuppoſito. Ita Caietanus, & frequenter Thomiſtæ, & quoad omnes partes conſtat; tum ex prima concluſione: tum ex impugnationibus aliorũ modorum dicendi: ex quo patet ſolutio ad vltimum argumentum.*

Sed aduerſus reſolutionem obijcitur primo: quia ſic comparatur ſubſiſtentia ad ſubſtantiam, ſicut inhærẽtia ad accidens; ſed inhærentia eſt modus accidentis illius exiſtentiam ſupponens. Reſpondetur, negando minorem. Num. 121.

Sed replicatur dupliciter. Num. 122.

Reſpondetur. Num. 123. 124. & 125.

Obijcitur ſecundo principaliter, quod ex natura, & ſubſiſtentia reſultat realis compoſitio phyſica, vel metaphyſica; extrema autem compoſitionis realis debent eſſe realiter exiſtentia; ac per conſequens natura propriori ad ſubſiſtentiam ſupponitur exiſtens. Reſpondetur. Num. 126.

Tertio obijcitur: nam ſi ſubſiſtentia prius cõueniret naturæ quam exiſtentia, ſequeretur poſſe de potentia abſoluta naturam ſubſiſtere, & non exiſtere: conſequens videtur abſurdum, &c.

Quidam reſpondent concedendo ſequelam & negando minorem, ſed reijcitur. Num. 127. *Reſpondetur negando ſequelam.* Nu. 128.

Replicatur, ſaltim ſequi, quod poſſit natura creata ſubſiſtens, exiſtere per increatam exiſtentiam, ſeparatam ab exiſtentia propria: conſequens autem eſſe falſum, probatur. Num. 129.

Reſpondetur concedendo ſequelam, & quæ contra ſolutionem obſtant proponuntur, & diluuntur, à num. 130. vſque ad num. 136.

Quarto obijcitur: quod perſonalitas in Deo non præcedit exiſtentiam, ſed exiſtentiã ſupponit: ergo ſimiliter perſonalitas creata erit exiſtentia poſterior. Num. 137. *Reſpondetur negando conſequentiam, redditurque manifeſta ratio diſcriminis.* Nu. 138.

DISPVTATIO LXXXI.

Quid ſignificet hoc nomen *Perſona diuina*: & an ratio perſonæ proprie in Deo reperiatur?

§. Primvs.

Reijciuntur tres ſententiæ circa primam partem diſputationis. *Pag.* 249.

CErtum eſt hoc nomen Perſona, *vt eſt commune ad creatam, & increatam, non ſignificare determinate abſolutum, vel relatiuum. Quod ergo inquiritur eſt: quid ſignificet de formali hoc nomen* Perſona diuina?

Prima ſententia docet, ſignificare de formali ſecundam intentionem rationis. Pro qua referuntur Henricus, & Durandus, hic tamen præter morem ſatis obſcure loquitur. Hæc ſententia communiter diſplicet Theologis, & probatur ex Diuo Thoma pluribus in locis docente Perſonam *eſſe nomen, non ſecundæ, ſed primæ intentionis. Et quia perſonæ diuinæ, non conſtituuntur per ſecundam intentionem rationis, ſed per aliquid reale poſitiuum.* Num. 2.

Duæ obiectiones notandæ proponuntur, & ſoluuntur, à num. 3. vſque ad numerum 5.

Secunda ſententia docet, tam perſonam vt ſic, quam perſonam diuinam ſignificare formaliter, non poſitiuam entitatem; ſed aliquid negatiuum. Ita Scotus, & hanc ſententiam veriorem alijs reputauit Molina. Cæterum alijs Theologis, etiam extra Scholam D. Thom. communiter diſplicet. Et probatur: nam perſona diuina *ſignificat de formali id per quod conſtituitur formaliter in ratione perſonæ; at non conſtituitur perſona diuina formaliter per negationem; ſed per aliquid poſitiuum.* Num. 6. & 7.

Obiectiones proponuntur, & ſoluuntur, à num. 8. vſque ad 15.

Tertia ſententia docet, hoc nomen Perſona diuina *ſignificare directè eſſentiam ſumptam pro natura diuina. Ita quidam ſupreſſo nomine relati à Magiſtro, & D. Th. cui ex parte adhæſit Magiſter. Diſplicet vero hæc ſententia communiter Theologis: & reijcitur, ex eo quod perſona, vt ſic eſt* rationalis naturæ individua ſubſtantia, *ideſt,* incommunicabilis ſubſiſtentia; *ſed in hac diffinitione natura, non in recto, ſed in obliquo importatur.* Numero 16.

Euaſio Magiſtri: qui ex parte adhæſit huic ſententiæ, proponitur, & reijcitur. Nu. 17.

Duplex obiectio, ex Auctoritate D. Auguſtini, cum alijs replicis ex eodem Sancto Doctore, proponuntur, & ſoluuntur, à num. 18. vſque ad 25.

§. Secvndvs.

Eligitur vera ſententia. *Pag.* 256.

REſtat examinare: an ſignificatum directum huius nominis Perſona diuina, *ſit relatio? Circa quod quarta ſententia in ordine eſt Aureoli aſſerentis, nomine* Perſonæ diuinæ, *nec eſſentiam, nec relatio*

nem in recto ſignificari ; ſed conſtitutum ex illis.

Quinta ſententia docet, relationem eſſe ſignificatum directum, nullatenus vero formale, ſed omnino materiale. Hanc tenet Capreolus, & alij citati. Num.26.

Sexta per oppoſitum docet, relationem eſſe ſignificatum formale directum. Vltima docet, relationem in vno ſenſu, aut ratione ſignificari formaliter : in alio autem materialiter. Authores citantur. Num. 27.

Prima concluſio : Relatio in concreto eſt ſignificatum directum huius nominis *Perſona diuina* : in abſtracto autem ſumpta ſolum in obliquo importatur. *Vtraque pars eſt expreſſa D. Thom.* Nu.28.

Et ratione probatur prima pars. Num.29.

Secunda vero. Num.30.

§. Tertius.

Occurritur argumentis Aureoli. *Pag.*257.

Arguit Aureolus primo, ex eo quod nullum conſtituens aliquid, ſignificatur per conſtitutum in recto; ſed proprietas relatiua, vt ſubſiſtens conſtituit perſonam diuinam: ergo proprietas relatiua, vt ſubſiſtens, non ſignificatur in recto, hoc nomine Perſona. *Solutio Capreoli defenditur,* à num.31. vſque ad num.35.

Secundo arguit: Nam iuxta D. Thom. Perſona diuina *ſignificat ſubſiſtens diuinum diſtinctum: ſed proprietas relatiua, non eſt ſubſiſtens diuinum cum proprietas, nõ ſit* quod *diſtinguitur, ſed* quo *fit diſtinctio.* Num.36.

Ad hoc argumentum, cum replica Aureoli, & pluribus alijs, reſpondetur, à num.37. vſque ad 45.

§. Quartus.

Secunda concluſio, veræ ſententiæ ſtatuitur. *Pag.*260.

Significatum formale huius nominis *perſona diuina*, eſt relatio formaliter, formalitate rei; non tamen formalitate obiecti ſignificati. *Hæc concluſione vtriuſque partis Auctores ad concordiam reducuntur. Prima pars probatur primo ex D. Thom.* Num.46.

Secundo, ex eo quod ſignificatum formale huius nominis Perſona diuina, *eſt in eſſe rei formaliter aliquid : ſed non eſt formaliter aliquid abſolutum, nec abſtrahens ab abſoluto, & relatiuo, &c.* Num. 47.

Tertio: nam relatio diuina conſtituit perſonam ſub conceptu formæ hypoſtaticè ſubſiſtentis; ſed non ſub conceptu ſubſiſtentis, ſubſiſtentia abſoluta. Num.48.

Secunda pars probatur primo ex D. Thom. Num.49.

Et ex verbis eius formatur ratio; ſi formale ſignificatum huius nominis Perſona diuina, *eſſet relatiuum formaliter, formalitate obiecti ſignificati, non materialiter, ſed formaliter relationem, aut relatiuum ſignificaret; ſed iuxta D. Thom. materialiter relationem ſignificat.* Num.49. & 50.

Triplex ſolutio, quæ huic rationi adhibetur impugnatur, à num.31. vſque ad 57.

Denique probatur, ex eo quod nullum nomen poteſt intelligi de aliquo vere prædicari, cui non intelligatur competere formale nominis ſignificatum ; ſed poteſt intelligi hoc nomen perſona diuina, *vere prædicari de Deo, quin in ipſo intelligatur relatio.* Num.58.

Solutiones huius argumenti referuntur, & refutantur, à n.59. vſque ad 62.

§. Quintus.

Diluuntur contraria argumenta. *Pag.*266.

Contra primam partem concluſionis arguitur primo ex D. Thom. cuius doctrina explicatur, à num.63. vſque ad 65.

Aduerſus ſecundam partem arguitur ex eodem Angelico Doctore. Num. 66. *Reſpondetur.* Ibidem, & num.67.

Tertio arguitur: ex eo quod ſignificatum formale huius nominis Perſona diuina, *eſt diſtinctum ſubſiſtens in natura diuina, ſed ſubſiſtens diſtinctum in natura diuina eſſentialiter eſt relatiuum.* Num.68.

Ad hoc argumentum, cum pluribus replicis fit ſatis, à num.68. vſque ad 75.

§. Sextus.

Secunda pars diſputationis reſoluitur. *Pag.* 270.

Tanquam certum de fide tenendum eſt, rationem perſonæ proprie reperiri in Deo. Et probatur ex Symbolo Athanaſij, & Concilijs. Num.76.

Deinde ex diffinitione personæ communiter recepta. Denique ratione D. Thom. nam quidquid est perfectionis, & dignitatis proprie reperitur in Deo: sed persona significat, quod est perfectissimum in tota natura. Num. 77.

Oppositum errorem tenuisse Laurentium Vallа grammaticum referunt Recentiores. Num. 78.

Arguitur primo pro illo, quòd in Deo esse personam, non continetur in Scriptura, nec ex traditione habetur: ac proinde non est veritas de fide. Num. 79. *Respondetur.* Ibidem, & num. 80. & 81.

Secundo arguitur: nam in Deo non est proprie substantia, vt docere videtur Augustinus: ergo nec persona. Num. 82.

Respondetur. Num. 83.

Tertio arguitur: nam in Deo non est indiuidua substantia, cum indiuiduatio sumatur à materia: ergo nec persona proprie. Respondetur. Num. 84. & 85.

Denique arguitur: nam persona, non significat, quod est perfectissimum in tota natura: ergo ex falso principio procedit ratio D. Thom. Num. 86.

Solutio ex P. Suarez refertur, & reijcitur. Num. 87. 88. & 89.

Vera solutio ex Caietano traditur, & defenditur. Num. 90. 91. & 92.

DISPVTATIO LXXXII.

An dentur tres personæ realiter distinctæ in Deo, cum vnitate in essentia?

§. Primvs.

Ratione dubitandi proposita, statuitur catholica veritas. *Pag.* 276.

PRimum nostræ fidei misterium est dari in Deo tres personas, realiter distinctas, seruata essentiæ vnitate, contra quod stat ratio dubitãdi difficilis satis; nam vt communi axiomate, lumine naturali cognito, constat: quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; sed essentia est vna, & personæ identificantur cum essentia: ergo identificantur inter se. Et consequenter, non stat realis personarum distinctio, cum identitate essentiæ. Num. 1.

Quo argumento, oppressi Pagani, & Hæretici in extremos inciderunt errores. Alij enim personarum distinctionem negarunt, vnam tantum personam admittentes in Deo. Ita omnes Gentiles, qui vnum Deũ cognouerunt. Quem errorem secuti sunt Iudæi, & Mahometani, & alij plures Hæretici. Num. 2.

Alij distinctionem personarum fatentes, negauerunt vnitatem essentiæ, inter quos est diuersitas, quæ notatur. Num. 2. & 3.

Veritas catholica quatuor assertionibus explicatur. Prima: Datur in Deo realis personarum distinctio.

Quæ veritas contra Gentiles, non potest argumento efficaci monstrari: contra Iudæos vero admittentes vetus testamentum suadetur quibusdam testimonijs. Num. 4. 5. & 6. *Et contra Hæreticos ex manifestis testimonijs noui testamenti.* Num. 7.

Tertio ratione, eo quod inter personas diuinas datur realis vnius ab alia processio; idem autem nequit realiter à se ipso procedere. Num. 8.

Denique suadetur duplici congruentia sumpta ex D. Thom. Prima, quia oportet in Deo saluari veram, propriam, summamq; amicitiam; quæ sine reali personarum distinctione nequit saluari. Secunda, quia ad summum bonum spectat, summe se communicare; summa autem Dei communicatio, non saluatur sine reali personarum distinctione. Nu. 9. & 10.

§. Secvndvs.

Vnitas essentiæ inter Patrem, & Filium probatur. *Pag.* 279.

Secunda conclusio. Secunda Trinitatis Persona est eiusdem naturæ, & essentiæ cum Patre. *Veritas Catholica contra impium Arrium, & sequaces.* Num. 11.

Et probatur primo, ex nouo testamento. Nu. 12. & 13.

Secundo: nam inter Patrem, & Filium est ad minus conuenientia specifica in natura: Verbum autem est Filius naturalis; cumque natura diuina, non possit numero multiplicari; sit consequens, &c. Nu. 14. 15. & 16.

Denique: nam diuinitati omnis diuisio, aut multiplicatio repugnat; sed Pater, & Filius sunt verus, & perfectus Deus. Nu. 17. & 18.

§. Tertivs.

Argumentis Hereticorum occurritur. *Pag.* 282.

Index Diſputationum.

ARguunt primo, ex eo quod in Scriptura iuſti appellantur Dij, & Filij Dei; & tamen ex hoc non colligitur iuſtos eſſe eiuſdem numero naturæ, & eſſentiæ cum Deo. N. 19. *Reſp.* N. 20.

Secundo arguunt: nam in Scriptura habetur ſolum Patrem eſſe Deum. Reſp. Nu. 21.

Tertio arguunt, quod diuinũ eſt, indigentiã non patitur; ſed Filius indiget Patre. N. 22. *Reſp.* N. 23. à num. autẽ 24. *inſtatur cõtra ſolutionẽ. Et* N. 29. *oſtẽditur in Chriſto nullum fuiſſe defectum poteſtatis, aut ſcientiæ. Et illa verba Matthæi*: De die illa, nemo ſcit, nec Filius hominis, niſi Pater, *explicantur*, à nu. 30. vſque ad num. 39.

Denique obijciunt Hæretici illud Ioannis 14. Pater maior me eſt. *Num.* 40. Reſp. *Num.* 41.

§. Qvartvs.

Diuinitas Spiritus Sancti monſtratur. *Pag.* 289.

TErtia concluſio: Spiritus Sanctus eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, & Filio. *Statuitur aduerſus plures Hæreticos, qui notantur.* N. 42. *Et conſtat ex Symbolo Athanaſij.* Num. 43. *Et quod ſit verus Deus oſtenditur ex veteri teſtamento.* Num. 44.

Deinde: nam Spiritui Sancto conueniunt operationes diuinæ, vt creatio. Num. 45. & 46.

Triplex Hæreticorũ euaſio præcluditur, à num. 47. vſque ad num. 56.

§. Qvintvs.

Argumentis Hæreticorum occurritur. *Pagina* 292.

ARguunt *Hæretici primo, ex quibuſdã locis Sacræ Scripturæ, ex quibus videtur colligi, Spiritum Sanctum eſſe creaturam.* Num. 57. *Reſp.* à num. 58. vſque ad num. 61.

Secundo arguitur: nam diuidi, triſtari, & orare, Deo non poſſunt conuenire; ſed hæc omnia Spiritui Sancto conueniunt. N. 62. *Reſp.* N. 63. & 64.

Denique arguitur: nam Spiritus Sanctus non habet naturam diuinam, per proceſſionem acceptam, aliàs eſſet Filius. N. 65. *Reſp.* Num. 66. & 67.

§. Sextvs.

Tres tantum perſonas eſſe, authoritate, & ratione probatur. *Pag.* 295.

QVarta *concluſio*: In Deo ſunt tres perſonæ, & non plures, nec pauciores. *Eſt veritas de fide tenenda, tradita in Concilijs.* N. 68.

Et probatur ratione D. Tho. quia in Deo tantum eſt vna perſona improducta, & duæ productæ. Hæc ratio explicatur, & ab obiectionibus defenditur, à num. 69. vſque ad Num. 77.

§. Septimvs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 297.

ARguitur *primo: nam in Filio eſt potentia generatiua, ac proinde eſt potẽs generare: ſed in Deo omne poſſibile exiſtit.* Num. 78. & 79. *ad hoc argumentum cum pluribus replicis ſit ſatis*, à nu. 80. vſque ad Num. 89.

Secundo arguitur: ex eo quod Verbum diuinum intelligendo ſe Verbum producit: ſed Verbum à Verbo productum realiter ab illo diſtinguitur. Num. 90. *Reſp.* Num. 91. 92. & 93.

Tertio arguitur: nam præter Verbum, & impulſum, dantur in Deo aliæ perſonæ, procedentes à Patre: quod dupliciter ſuadetur. Num. 94. & 95. *Reſp.* à num. 96. vſque ad Num. 98.

§. Octavvs.

Duæ ſolutionis rationes dubitandi impugnantur. *Pag.* 303.

SVarez, & Vazquez *poſt impugnatas aliorum explicationes illius principij*, quæ ſunt eadem vni tertio, &c. *Reſpondent, illud non eſſe Verbum in Deo. Sed impugnatur, & contra Vazquez oſtenditur, veritatem huius principij.* Dici de omni, & dici de nullo, *vel eſſe eandem cũ veritate huius*, quæ ſunt eadem vni tertio, *vel illam, neceſſario ſupponere.* à Num. 99. vſque ad Num. 103.

Secunda explicatio, per extremum aſſerit, principium illud, quæ ſunt eadem vni tertio, nec etiam in creaturis eſſe vniuerſaliter verum: nam modi oppoſiti ſe habendi, v. c. ſtare, & ſedere, *non diſtinguuntur realiter à re, quam modificant; & tamen inter ſe realiter diſtinguuntur.* Num. 104.

Hæc doctrina displicet communiter Theologis, & impugnatur efficaciter, à num. 105. vsque ad num. 108.

Sed replicatur, quod actio, & passio realiter identificantur cum motu, & realiter inter se distinguuntur; ac proinde realis identitas extremorum cum vno tertio, & distinctio realis inter se, etiã in creaturis inuenitur. N. 109. *Resp*. N. 110.

Mens D. Tho. difficultatem ingerens explicatur. N. 111. & 112.

§. Nonvs.

Ratio dubitandi diluitur. *Pag*. 307.

Ad rationem dubitandi, resp. 1. *Axioma illud esse vniuersaliter verum, quando extrema identificantur re, & ratione: quando autem licet realiter identificentur cum tertio, ratione tamen distinguuntur, non esse vniuersaliter verũ. Solutio est D. Tho*. N. 113.

Illam esse insufficientem censent Aureolus, & plures recẽtiores extra scholã D. Th. eo quod, quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, iuxta qualitatem identitatis cum tertio. Num. 114. *Resp*. N. 115.

Aduersus solutionem est secundum argumẽtum; quia nimirum D. Tho. probauit ex illo principio, quæ sunt eadem vni tertio, &c. *quod potentia Dei, & illius actio sunt idem, quæ tamen non identificantur cum tertio re, & ratione*. N. 116. *Solutio Ferrariensis refertur, & impugnatur*, à num. 117. vsque ad Num. 121. *Vera solutio est distinctionem rationis ratiocinatæ extremorum à medio, non inferre positiue distinctionem realem extremorum inter se: sed tantum termissiuè*. Num. 112. *Est expressum D. Tho*. Num. 123.

Sed contra solutionem est tertium argumentum, quo vtuntur Molina, & Vazquez sequi, scilicet, ex illa syllogismum expositorium nullius esse vtilitatis. N. 124. *Solutio sapientissimi Magistri Ioannis à Sancto Thoma, non placet, & ostenditur, neque esse ad mentem D. Tho. nec vitare inconueniens illatum*, à num. 125. vsque ad Num. 128. *Vera solutio traditur*, à N. 129. vsque ad N. 131.

§. Vltimvs.

Duplex alia rationis dubitandi solutio. *Pag*. 311.

Secunda solutio, & explicatio illius axiomatis est, quod principium illud est verum vniuersaliter de identitate extremorum, quoad rationem identificationis in medio; non autem quoad id quod ratio identificationis non est. Est D. Thom. &c. N. 132.

Quæ contra hanc solutionem obstant, proponuntur, & soluũtur, à num. 133. vsque ad num. 238.

Tertia solutio est, quod ea quæ identificantur vni tertio adæquatè, saltim ex parte vnius extremi vniuersaliter, esse idem inter se, secus autem si non adæquatè identificentur. Num. 139.

Sed arguunt Vazquez, & qui principium illud solum habere verum in diffinitione, & diffinito, & synonomis. Num. 140. *Resp*. Ibidem.

Secundo arguunt alij Recentiores, quod Philosophi non admittebant posse quo inadæquatè identificari. Resp. N. 141.

Tertio arguunt, quod iuxta istam explicationẽ, destruitur forma syllogistica. Resp. à num. 142. vsque ad num. 146.

Ex dictis colligitur, syllogismum istum expositorium: Hæc essentia diuina est Pater; Filius est hæc essentia diuina: ergo Filius est Pater: *duplici laborare defectu*. N. 147. & 148.

DISPVTATIO LXXXIII.

An Trinitas personarum sit ratione naturali cognoscibilis?

§. Primvs.

Referuntur sententiæ, & prima reijcitur. *Pag*. 316.

Prima sententia docet, non solum non posse cognosci per rationem naturalem, sed etiam esse rationi naturali contrariam Trinitatem personarum, seruata essentiæ vnitate. Num. 1. & 2. *Secunda affirmat, posse intellectum creatum in puris naturalibus conditum euidentes probationes huius misterij inuenire*. Num. 3. *Tertia, quod supposita reuelatione huius misterij, possunt rationes conuincentes intellectũ inueniri. Quarta, & vera docet, hoc misterium non esse contrarium rationi naturali; nec adeò illi conforme, vt possit euidenti ratione probari, siue suppositа, siue non suppositа reuelatione*. Num. 4. & 5.

Prima conclusio: Misterium Trinitatis non

est rationi naturali contrarium. *Est adeò certa, vt oppositum nulla ratione defendi possit, & probatur, quia verum nequit vero contrarium esse.* Num. 6. & 7.

§. Secvndvs.

Diluuntur contraria argumenta. *Pag.* 318.

Arguitur primo: quod hoc misterium opponitur illi principio lumine naturali noto. Quæ sunt eadem vni tertio, &c. *Ad hoc argumentum cum suis replicis notabilibus, Resp.* à Num. 8. vsque ad N. 15.

Secundo arguitur. Quod cõtrariatur assensui naturali probabili, est contrarium naturali rationi; at hoc misterium contrariatur assensui naturali probabili. Soluitur §. sequenti. Num. 16. & 17.

§. Tertivs.

Singularis sententia reijcitur, & vera solutio traditur. *Pag.* 320.

Hoc argumento cõuictus Albiz asserit, misterium Trinitatis esse contrarium rationi naturali, actuali probabili. Ex quo sequitur, probabile esse, quod Trinitas personarum in vna essentia non sit. Esse absurdam, & falsam istius Authoris sententiam ostenditur, à num. 18. vsque ad num. 26.

Vera solutio argumenti facti traditur, & defenditur, à num. 27. vsque ad num. 32. *Alia solutio traditur.* N. 33.

§. Qvartvs.

Misterium Trinitatis esse supra rationem naturalem euidentem, probatur. *Pag.* 324.

Secunda conclusio: Nullus intellectus creatus potest naturali ratione euidenter demonstrare existentiam huius misterij, siue ante reuelationem, siue reuelatione diuina suppositа. *Ita omnes Theologi, qui oppositam sententiam, alij hæreticam, alij ad minus omnino inaesensabilem censent.* N. 34.

Et probatur primo duobus testimonijs Sacræ Scripturæ. Num. 35.

Deinde probatur ratione D. Tho. quia nimirum, nec à priori, nec à posteriori potest intellectus creatus hanc veritatem demonstrare, à num. 36. vsque ad num. 40.

Quæ ratio non solũ probat de intellu creato ante huius misterij reuelationem, sed etiam suppositа reuelatione. Num. 41. & 42.

Vnde etiam colligitur, nec sub ratione possibilis, posse misterium Trinitatis euidenter cognosci per rationem naturalem. N. 43.

§. Qvintvs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 327.

Omittuntur argumẽta Raymundi Lulij, eo quod nullius sint momenti, quãuis illi visa fuerint euidentia.

Sed contra conclusionem potest argui primo: quia communicatio diuinæ naturæ ad intra, potest ratione naturali euidenter cognosci ex illo principio: Bonũ est diffusiuum sui. *Vnde infertur, bonum infinitum posse communicari infinitè.* N. 44. *Resp.* à num. 45. vsque ad num. 50.

Secundo arguitur: nam quod est conforme lumini naturali, potest ex vi illius euidẽter cognosci; misterium autem Trinitatis est conforme lumini naturali. N. 51.

Soluitur cum suis replicis notandis, à N. 52. vsque ad Num. 59.

Tertio arguitur, ex eo quod plura cognoscibilia ab intellectu creato connectuntur cum Deo, quatenus Trino: ac perconsequens ex illorum cognitione potest euidenter Deus vt Trinus cognosci. Assumptum probatur primo: nam potentia obedientialis creata cõnectitur cum gratia, & visione beatifica, & consequenter cum Deo vt Trino. Secundo: nam visio beatifica connectitur cum Deo, vt Trino, sed posse illius possibilitatem demonstrari viribus naturæ, docent graues Authores. Tertio: nam habitudo, siue conuenientiæ, siue disconuenientiæ, cum termino habitudinis habet connexionem: sed creaturæ dissimiles sunt Trinitati, &c.

Quarto: nam aliqui effectus sunt à diuinis personis exemplariter: effectus autem habet connexionem, non solum cum causa efficienti, sed etiam cum exemplari. Num. 60. 61. & 62.

Respondetur negando assumptum. Ad primã probationem, resp. Num. 63. *Ad 2.* N. 64. *Ad tertiam.* Num. 65.

Ad vltimam, cum pluribus replicis valdè notandis respondetur, à N. 66. vsque ad N. 80. *Ex qua doctrina colligitur argumentum satis efficax ad probandum relationem non continere eminenter aliquam entitatem creabilem.* Num. 81. & 82.

§. Vltimvs.

Argumento contra ſecundam partem concluſionis occurritur, & ex dictis nonnulla inferũtur. *Pag.* 335.

Denique arguitur ad probandum, quod licet intellectus creatus nõ poſsit ex propriis viribus ante reuelationem demonſtrare exiſtentiam Trinitatis, poteſt tamen reuelatione ſuppoſita; tum, quia inferius ex coniunctione ſuperioris perficitur: tum, quia reuelatione ſuppoſita poteſt, ſaltim fide humana aſſentiri huic miſterio, ad quod ante reuelationem erat impotens; & ſimiliter ſuppoſita reuelatione inueniuntur rationes, probabiles, & congruentiæ, quæ ante illam non inuenirentur. Num. 83, 84, & 85. *Reſp.* à n. 80. vſque ad num. 88.

Ex dictis colligitur primo: vel Philoſophos Gentiles miſterium Trinitatis non cognouiſſe; vel ſi aliqualem notitiam huius miſterij habuerunt, nõ propria induſtria, ſed prævia reuelatione, vel ex libris Iudæorum accepiſſe. Num. 89.

Secundo colligitur contra negantes miſterium Trinitatis non eſſe argumentandum rationibus, ſed authoritatibus Scripturæ, ſi Scripturam admittunt, apud alios verò, ſufficit oſtendere hoc miſterium non eſſe improbabile. Num. 90.

Tertio colligitur, hoc miſterium non poſſe ratione naturali demonſtrari non eſſe impoſsibile; poteſt tamen defendi, quod impoſsibile non ſit. N. 91.

Quarto colligitur, ſuppoſita exiſtentia Trinitatis, poſſe illius conuenientiam demõſtrari, demonſtratione Theologica. Num. 92.

Quinto colligitur, admiſſa Logicorum quorundam ſententia, aſſerentium, ſciẽtiam ſubalternatam in abſentia ſubalternantis eſſe ſcientiam, poſſe quempiam aſſentiri conuenientiæ Trinitatis aſſenſu naturali. N. 93. & 94.

Denique infertur, neque ex effectibus ſupernaturalibus comparatis cum Deo, tanquam cum cauſa efficienti, poſſe euidenter Deum vt Trinum cognoſci. N. 95.

Contra quod argumentum difficile proponitur, & ſoluitur. N. 96. & 97.

DISPVTATIO LXXXIV.

An dentur in Deo vna ſubſiſtẽtia abſoluta, & communis, & tres relatiuæ?

§. Primvs.

Relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio. *Pag.* 340.

Tria ſunt certa apud Catholicos: primum, non dari in Deo perſonalitatem communem, ſicuti neque communẽ perſonam. Secundum, non dari in Deo rationem communem hypoſtaſis. Tertium, dari in Deo tres perſonalitates relatiuas. N. 1. 2. & 3.

Quod in dubium vertitur eſt, an ſicut dantur tres perſonalitates: ita etiam tres ſubſiſtentiæ relatiuæ concedendæ ſint: & an præter iſtas detur aliquid abſolutum, & commune, quod etſi non ſit perſonalitas, obtineat tamen rationem, & cõceptum ſubſiſtentiæ abſolutæ?

Prima ſententia negat abſolutam, & concedit tres relatiuas; ita Vazquez cum alijs Recentioribus. N. 4.

Secunda docet, præter ſubſiſtentiam abſolutam, non dari tres relatiuas, Authores citantur. N. 5.

Tertia docet, dari in Deo vnam ſubſiſtentiam abſolutã, & tres relatiuas. Ita Thomiſtæ, quos alij ſequuntur. N. 6.

Prima concluſio: In Deo datur ſubſiſtentia abſoluta communis tribus perſonis. *Probationes ineficaces huius concluſionis proponuntur, & reijciuntur,* à num. 7. vſque ad num. 15.

§ Secvndvs.

Aliter probatur noſtra ſententia. *Pag.* 343.

Probatur primo ex Agatone Papa. Nu. 16. *Secũdo ex D. Auguſtino.* N. 18. *Tertio apertis teſtimonijs D. Th.* N. 20.

Quarto, quia diuina natura propriori ad relationes eſt ſubſiſtens, cum pro illo priori ſit exiſtens, non ſolum vt quo, *ſed etiã vt* quod. N. 21.

Duplex huius rationis ſolutio refertur, & reijcitur, à num. 23. vſque ad num. 28.

§. Tertivs.

Occurritur argumentis. *Pag.* 346.

Arguitur primo, ex eo quod ſubſiſtentia *Latinè, idem eſt, quo Græcè* hypoſtaſis. N. 30. 31. & 32. *Reſp.* à num. 33. vſque ad num. 38.

Arguitur ſecundo: nam fruſtra ponitur ſubſiſtentia abſoluta, quia, vt diuina natura ſubſiſtat, ſatis ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. Num. 39. *Reſpondetur.* Num. 40. 41. & 42.

Tertio arguitur, ex eo quod diuina eſſentia pro priori ad relationes terminantes illam non ſubſiſtit, quod multipliciter probant. Num. 43. & 44. *Reſp.* Num. 45. & 46.

Denique arguitur, & inſtatur contra datã ſolutionem; quòd natura diuina eſt in perſonis, & quaſi ſuſtẽtatur ab illis, à num. 47. vſque ad num. 50. *Reſp.* à num. 51. vſque ad num. 55.

§. Qvartvs.

In vna acceptione ſubſiſtentiæ non multiplicari, probatur, *Pag.* 351.

Secunda concluſio: Subſiſtentia in hac acceptione, ſcilicet, pro exiſtentia per ſe independenter à ſuſtentante, non multiplicatur in diuinis perſonis, ſed vna ſubſiſtentia abſoluta tres perſonæ ſubſiſtunt. *Oſtenditur primo ex D. Tho.* à num. 56. vſque ad num. 60.

Secundo probatur, ex eo quod attributa, vt virtualiter *ab eſſentia diſtincta, non gaudent ſubſiſtentijs virtualiter diſtinctis, à ſubſiſtentia abſoluta eſſentiæ: ac proinde, nec relationes*, à num. 61. vſque ad num. 66.

§. Qvintvs.

Contraria argumenta ſoluuntur. *Pag.* 354.

Arguitur primo authoritate D. Tho. Num. 68. *Reſp.* Num. 69.

Arguitur ſecundo: ex eo quod dantur in perſonis plures rationes habendi Deitatem, ac perconſequens plures perfeitates independentiæ, & plures ſubſiſtẽtiæ, quia ratio habendi naturam diuinam eſt ſubſiſtentia. Num. 70. *Reſp.* Num. 72. *Contra quam ſolutionem quatuor replicæ notandæ proponuntur.* Num. 73. & 74. *Reſpondetur ad illas cum alijs replicis incidentibus*, à num. 75. vſque ad num. 83.

Secundo arguitur: nam id ſolum poteſt ratione ſui principium quod *actionis conſtituere, quod ratione ſui ſubſiſtentia eſt; perſonalitas autem Patris v. c. ratione ſui conſtituit principium* quod *actionis generatiuæ.* Num. 84. *Reſpondetur.* Num. 85.

§. Vltimvs.

In alia ſubſiſtentiæ acceptione, non dari ſubſiſtẽtiam communem, probatur. *Pag.* 352.

Tertia concluſio: Subſiſtentia accepta pro perfeitate incommunicabilitatis, nõ datur ſubſiſtentia communis, ſed tantum tres relatiuæ. *Num.* 86.

Prima pars adeò certa eſt, vt à nullo poſsit negari. N. 87.

Secunda pars oſtẽditur, ex eo quod iuxta Concilia, & Patres dantur plures ſubſiſtentiæ in diuinis: at non dantur plures, accepta ſubſiſtentia pro perfeitate independentiæ à ſuſtentante, &c. N. 88.

Plures ſolutiones, quib⁹ huic rationi occcurritur ab aduerſarijs proponuntur, & reijciuntur, à Num. 89. vſque ad Num. 97.

Ex dictis in hac diſputatione colligitur, maior confirmatio doctrinæ ſupra traditæ quæſt. 28. *diſp.* 79. *cur ſcilicet relationes perfectionem ad eſſentiam non addant, quamuis gaudeãt proprijs ſubſiſtẽtijs.* Num. 98.

DISPVTATIO LXXXV.

Quænam alia prædicata, pluraliter in diuinis dicantur?

§. Primvs.

Regula generalis, ſtatuitur pro his, quæ pluraliter, & ſingulariter dicuntur in Deo. *Pag.* 361.

Ex dictis præcedenti diſputatione conſtat, ſubſiſtentiam *dici* ſingulariter, & *etiam* pluraliter *in Deo iuxta diuerſas acceptiones.* Num. 1. *Vbi alia prædicata, quæ certum eſt aici tantum ſingulariter recenſentur.*

Ad dignoſcendum vero de alijs hæc generalis regula ſtatuitur.

Quæ perſonis competunt ratione ſolius eſſentiæ, ſingulariter *tantum dicũtur: Quæ ſolum ratione proprietatem perſonalium dicuntur ſolum* pluraliter: *quæ autem, & ratione eſſentiæ, & ratione proprietatũ perſonis conueniunt, &* pluraliter, *&* ſingulariter *dicuntur.* N. 2.

Hanc regulam nullus Theologorum poteſt negare, & oſtenditur ex D. Auguſt. & ratione. N. 3. & 4.

Hinc oritur primo, vt dicantur tres perſonæ, & nullatenus vna perſona. Secundo, quod ſubſiſtentia dicatur vna, & nihilominus concedantur plures. Tertio, quod exiſtentia ſit vna, & nullatenus tres.

Quarto, quod Perſonæ diuinæ dicantur vna res, & plures.

Quinto, dari in diuinis tres vnitates, & vnam vnitatem.

Sexto, non dari plures infinitates, sed vnam tantum, à num. 5. vsque ad num. 8.

Restant quatuor difficultates breuiter examinandæ.

§. Secvndvs.

Resoluitur prima difficultas. *Pag.* 363.

Prima difficultas est, an ens substantiuè acceptũ pluraliter in diuinis dicatur? Affirmatiuè respondent Suarez, Vazquez, & alij. Alij per oppositum negant, quos referunt, & sequuntur Patres Carmelitani. Nu. 9. 10. & 11.

Sed prolite dirimenda est prima conclusio: Ens *nominaliter* potest sumi, vt concretũ existentiæ, vt concretum solius essentiæ, quæ est existendi principium, & vt concretum entitatis, prout opponitur contra nihil.

Prima, & secunda acceptio, probatur. Num. 12. & 13. *Tertia vero.* N. 14.

Secunda conclusio: Ens sumptum *nominaliter*, si absolutè sumatur, est concretũ, non existẽtiæ, nec entitatis vt oppositæ nihilo; sed essentiæ, quatenus est existendi principium. *Explicatur, & probatur.* N. 15. & 16.

Tertia conclusio: Ens, quatenus concretum existentiæ, & concretum essentiæ, non prædicatur *pluraliter* de diuinis personis, bene tamen, quatenus est concretum entitatis.

Primam, & secundam partem rectè probãt secundæ sententiæ Authores. N. 17. *Tertia pars conceditur Autoribus primæ sententiæ, & probatur.* N. 18.

Ens absolutè dictum non prædicatur pluraliter. *N.* 19.

Obiectio ex Concilio Lateranensi, proponitur, & soluitur. N. 20. & 21.

§ Tertivs.

Secunda difficultas resoluitur. *Pag.* 366.

Secunda difficultas est, an verum seu veritas pluraliter de tribus personis prædicetur?

Prima sententia affirmat, quam tenet Granados. Secunda, & verior negat. Et probatur; tum ex D. Augustino; tum ex Angelico Præceptore. N. 22. & 23.

Deinde ratione; veritas namque supra immaterialitatem fundatur; at immaterialitas diuinarum personarum tantum est vna, sicut & ratio actus puri. N. 24. & 25.

Sed arguitur primo ex D. Tho. cuius authoritas explicatur. N. 26.

Arguitur secundo, quia hæc veritas Pater generat, *distincta est ab ista:* Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedit. *Resp.* N. 27. & 28.

§. Qvartvs.

Resoluitur tertia difficultas. *Pag.* 368.

Tertia difficultas est, an prædicatũ aliquid *multiplicetur in diuinis relationibus? Prima sententia, quam tenet Granados affirmat. Secunda, & verior negat. Quæ defenditur.* N. 30. & 31. *Contrariorum motiua diluuntur.* Num. 32.

§. Vltimvs.

Resoluitur vltima difficultas. *Pag.* 369.

Quarta difficultas est, an tres personæ diuinæ possint dici tria indiuidua?

Affirmatiuam sententiam tenet sapientissimus noster Herrera; cuius fundamenta proponuntur, à Num. 34. vsque ad Num. 37. *Negatiua sententia defenditur.* Num. 38. *Et oppositis fundamentis occurritur,* à N. 41. vsque ad Num. 43.

DISPVTATIO LXXXVI.

An in diuinis sint tantum quinque notiones?

§. Primvs.

Notionum existentia, probatur. *Pag.* 371.

Negari non possunt notiones in diuinis, sine nota temeritatis. N. 1. & 2. *Et earum existentia probatur ratione D. Th.* N. 3. 4. & 5. *Diffinitio notionis, scilicet, quod* est ratio propria cognoscendi diuinam personam; *explicatur.* Num. 6. & 7. *Vnde colligitur primo, quod notio debet significari in abstracto.* Num. 8. & 9. *Secũdo colligitur, notionem vsurpari posse, & pro formali conceptu, & pro obiectiuo: proprius tamen pro obiectiuo.* Num. 10.

§. Secvndvs.

Relatis sententijs, vera eligitur, & probatur: *Pag.* 373.

Variæ sententiæ, quorundam per defectum, aliorum vero per excessum, veritatem circa numerum notionum non attingentium, referuntur. Num. 11.

Communis sententia defendit, quinque, & non plures esse diuinas notiones. Et probatur ex D. Tho. quia quæ ad notionem requiruntur, conueniunt Paternitati,

filiationi, spirationi actiuæ, processioni, & innascibilitati: *& nulli alij ab istis virtualiter distincto*. Num. 12.

Sed obijcitur primo, quod potentia generatiua, & actualis generatio obtinent rationem notionis à Patre, & à paternitate, & inter se virtualiter *distinguuntur: dantur ergo plures notiones, quam quinque.*

Solutio P. Alarcon ex ignorantia metaphysicæ procedens, refertur, & reijcitur. N. 15. vsque ad N. 18. *Vera solutio traditur* N. 19.

Secundo obijcitur, quod ratio Verbi, & ratio Filij, virtualiter distinguuntur: at ratio Verbi rationem obtinet notionis. N. 20. *Resp.* Num. 21.

Tertio obijcitur: relatio Spiratoris, non distinguitur virtualiter adæquatè à Paternitate; falsum est enim, quod vnica relatio non possit respicere duos terminos. Num. 22. *& 23. Resp.* Num. 24. *& 25. Replicatur.* N. 26. *Solutio Patrum Salmanticensium.* Ibidem. *Quæ contra illam obstant.* Num. 27. *Vera solutio.* Num. 28. *Et replicis aduersus illam sit satis.* Num. 29.

§. Vltimvs.

Quartum argumentum diluitur, & explicatur, qualiter *innascibilitas* sit proprietas Patris? *Pag.* 378.

Denique obijcitur: quod innascibilitas in Patre, si sumatur pro fundamento, & materiali, non est notio à paternitate, & relatione Spiratoris distincta: si vero pro formali sumatur, est negatio; & cõsequẽter non est dignitas: de ratione autem notionis est, quod ad dignitatem pertineat. Num. 30.

Solutio recentiorum ex doctrina Vazquez, refertur, & reijcitur. Num. 31.

Vera solutio asserit, consistere in aliquo negatiuo: nec ad notionem requiri, quod sit dignitas, sed quod explicet dignitatẽ, circumloquutiuè. Num. 32.

Contra quã replicatur, dari in diuinis plures alias negationes, quæ proinde notiones erunt. N. 33. *Resp. & ad alias emergentes instantias.* Num. 34. vsque ad 37.

TRACTATVS DVODECIMVS.

De Personis Diuinis in particulari.

Littera D. Tho. breuiter exponitur, à Pag. 381. vsque ad Pag. 408.

DISPVTATIO LXXXVII.

Quid significet hoc nomen *ingenitum*, prout est Patri proprium, & notio illius?

§. Primvs.

Tria vt certa supponuntur. *Pag.* 409.

Supponitur primo, tanquam certum hoc nomen ingenitũ *in aliquo sensu esse proprium primæ personæ.* N. 1. & 2.

Supponitur secundo, nomen ingenitum *de formali significare negationem, & non aliquid positiuum.* N. 3. & 4.

Supponitur tertio, aliquod fundamentum intrinsecum de materiali importare. Nu. 5.

§. Secvndvs.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. Pag. 411.

Vertitur in dubium: ratione cuius ingenitum *sit proprietas, seu notio Patris; an ratione positiui; an ratione negationis?*

Prima sententia docet, ratione solius positiui esse Patris notionem. Ita Vazquez cum alijs Authoribus, qui tamen in assignando positiuo, ratione cuius ingenitum *sit noti non conueniunt.* N. 6.

Secunda sententia docet, ingenitum *ratione nullius positiui esse specialem Patris notionem, sed solum ratione negationis, quã de formali importat. Ita omnes Thomistæ, quos alij sequuntur.* N. 7.

Prima conclusio: Nihil positiuum distinctum à paternitate obiectiuè adæquatè, est fundamentum negationis ingeniti; sed est ipsa paternitas, prout immediatè coniungitur cũ diuina natura in ratione formæ hypostaticæ.

Prima pars probatur, ex eo quod illud positiuum non potest esse absolutum, nec relatiuum prædicamentale quinta relatione, quam Theologi non admittunt; nec paternitas, & Spiratio simul, nec relatio aliqua transcendentalis, à num. 8. vsque ad num. 12.

Ex quo etiã secunda pars conclusionis conuincitur. N. 13.

§. Tertivs.

Explicatur, quid significet *ingenitum* in ratione quintæ notionis?

Secunda conclusio: Ingenitum non constituitur in ratione quintæ notionis ab alijs distinctæ, per positiuum, quod impor-

tat de materiali, sed per negationem, quã de formali significat.

Probatur primo ex D. Thom. N. 14. & 15.

Ratione vero, quia ad distinctam notionem requiritur conceptus obiectiuè distinctus ab alijs virtualiter adæquatè; positiuum autem, quod de materiali importat ingenitum, non distinguitur virtualiter adæquatè à paternitate. Num. 16.

Denique probatur: nam ad rationem notionis sufficit, quod notificet aliquid personale, ad dignitatem pertinens, & non requiritur quod ipsa notio dignitas sit. Nu. 17.

Vnde colligitur, non requiri, quod notificet dignitatem diuersam, vt sit notio distincta; sed quod ratio notificans diuersa sit.

Et ex hoc corruit argumentum Vazquez. Num. 18.

Sed opponit Alarcon, Patrem appellari à Sanctis Doctoribus passim fontale Trinitatis principium: at in ratione talis non constituitur per paternitatem, & Spirationem. N. 19. *Resp.* N. 20.

DISPVTATIO LXXXVIII.

An Verbum in diuinis personaliter tantum dicatur?

§. Primvs.

Relatis sententijs prima conclusio statuitur. *Pag.* 415.

SVpponitur tamquam fide certum, dari Verbum in diuinis, illudque non in tempore, sed ab æterno esse Verbum. Num. 1. & 2.

Prima sententia docet, rationem Verbi absque metaphora acceptam solum essentialiter dici, & secundæ personæ accõmodari per quandam similitudinem: ita Durandus, quæ sententia ex falso principio procedit. N. 3. & 4.

Secunda per extremum affirmat, Verbum in diuinis solum personaliter accipi, nullo modo essentialiter. Tertia docet, Verbum proprie acceptum solum personaliter dici: acceptum tamen communiter dici essentialiter: ita expresse D. Tho. N. 5.

Prima conclusio: Verbum adæquate, & proprie acceptum, solum personaliter dicitur.

Probatur primo: nam de ratione Verbi accepti adæquatè est, quod sit repræsentatio actualis obiecti, producta ab intelligẽte. Num. 6.

Secundo probatur: nam in Sacra Scriptura Verbum numquam essentialialiter sumitur, sed semper personaliter. Denique ex D. Augustino. Num. 7. & 8.

§. Secvndvs.

Soluuntur contraria argumenta, *Pag.* 417.

ARguitur primo: quod de ratione Verbi est, quod intelligenti repræsentet obiectum; at nihil personale in diuinis productum, Deo, vel Patri, repræsentat obiectum intellectum. Num. 9. *Solutio Suarez reijcitur.* Num. 10. *Et vera solutio traditur.* Ibidẽ. *Quæ contra illam obstant soluuntur*, à Num. 11. vsque ad Num. 16.

Secundo principaliter arguitur. Ex eo quod Pater in productione Verbi non loquitur sibi, cum per Verbum, nihil sibi manifestet, nec loquitur Filio, quia Verbum ab eo cui fit loquutio debet distingui, nec loquitur Spiritui Sancto; aliàs Filius Verbũ esset Spiritus Sancti. Num. 17.

Vazquez respondet, Patrem in productione Verbi loqui sibi; non Filio. Alij per oppositum dicunt non sibi, sed Filio loquĩ.

Sed melius respondetur, loqui Filio, & sibi. Nu. 18. *Quæ contra solutionem obijciunt Vazquez, & Alarcon, soluuntur*, à num. 19. vsque ad num. 23.

§. Tertivs.

Verbum inadæquatê, essentialiter dici, probatur. *Pag.* 421.

SEcunda conclusio: Ratio Verbi, sumpta inadæquatê, essentialiter dicitur. *Nu.* 24. *Probatur primo ex D. Tho.* Num. 25. *Secundo, quia Deus vt vnus potest loqui per Verbum externum, & multoties, sic cum hominibus loquitur; at tale Verbum externum, non dicit ordinem ad Verbum personale: ergo ad Verbum essentiale. Deinde, nam Deus in visione beatifica gerit munus Verbi.* Num. 26. & 27. *Denique, & à priori: nam esse id in quo intellectus contemplatur obiectum est ratio Verbi, saltim inadæquata; at hæc ratio in diuinis essentialiter dicitur.* Num. 28.

§. Vltimvs.

Argumentis in contrarium occurritur, *Pag.* 422.

OBijcitur primo, quod in Deo non datur essentialis loquutio, sicut nec datur productio essentialis, quæ est de loquutionis conceptu. Respondetur. Nu. 29.

Obijcitur secundo: quod de ratione Verbi sub quocumque conceptu, est ab intelligente procedere, saltim secundum rationem. N. 30. Resp. N. 31.

Obijcitur tertio: ex eo quod sublata ab aliquo vltima differentia, nullo modo remanet constitutum per illam: vltima autem differentia Verbi est esse ab intelligente productum realiter. Num. 32. & 33.

Denique potest argui ex D. Augustino, assimilate, Verbum dici quomodo imago. Nu. 34. Respondetur, & assignatur discrimen inter Verbum, & imaginem. Num. 35. Nec assignato discrimini obstat D. Tho.

Sed contra hucusque dicta duo opponuntur: primum; sequi Filium posse dici essentialiter sicut Verbum. Secundum: apertum D. Thomæ testimonium. Num. 36. & 37. Resp. N. 38. & 39.

Ex dictis infertur primo: non bene quosdã distinxisse inter Verbum, & speciem expressam, illudque personale tantum; istam vero essentialem esse asserentes. Num. 40.

Infertur secundo, absolutè loquendo de Verbo, solum dici personaliter, non essentialiter. Num. 41.

DISPVTATIO LXXXIX.

An Verbum Diuinũ per se procedat ex cognitione omnium, quæ formaliter reperiuntur in Deo?

§. Primvs.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. Pag. 426.

CVm Dei cognitio terminetur ad essentiam, attributa, & relationes: quod inquiritur est, an procedat ex cognitione, vt terminata ad hæc omnia; an vero sub aliqua terminatione ad illa concomitãter se habeat, & sub alia per se, & formaliter?

Quatuor versantur sententiæ: prima negat Verbum ex cognitione alicuius personæ procedere; ita Scotus.

Secunda docet, Verbum procedere ex cognitione essentiæ, & primæ personæ, non autem ex cognitione sui, nec Spiritus Sãcti.

Tertia docet, Verbũ procedere ex cognitione essentiæ Patris, & sui, non autẽ ex cognitione Spiritus Sancti; nisi solum concomitanter. Ita Vazquez, quem alij sequũtur, à num. 1. vsque ad num. 3.

Quarta, & vera sequentibus conclusionibus explicatur; & Authores citantur. Num. 4.

Prima conclusio: Verbum per se in quarto modo ex cognitione essentiæ, & paternitatis procedit. Num. 5.

Et probatur, quia Verbum per se in quarto modo petit procedere ex cognitione perfectissima, & comprehensiua essentiæ diuinæ: at hæc nequit esse, neque intelligi in Patre, paternitate non cognita. Num. 6. Solutio Scotistarum refertur, & reijcitur. Nu. 7. & 8. Secundo probatur, ex eo quod Verbum diuinum per se in quarto modo procedit ex cognitione illorum, quæ per se manifestat; at Verbum est expressiuũ essentiæ, & paternitatis. Num. 9. Deniq; ex eo quod cognitio diuina, prout ad paternitatẽ terminata est per se productiua vt quo Verbi, nõ alterius, quã illius quod de facto datur. Num. 10.

§ Secvndvs.

Soluuntur contraria argumenta. Pag. 419.

ARguunt Scotistæ primo: cognitio diuina prius terminatur ad essentiam, quã ad paternitatem: & pro illo priori est sufficiens ad producendum Verbum. N. 11. Resp. Num. 12. Secundo arguunt, quod Verbum non est imago Patris, ratione proprietatis personalis, sed solum ratione essentiæ: ac proinde non repræsentat Paternitatem; sed solum essentiam. Num. 13. Resp. Num. 14.

§ Tertivs.

Verbum ex sui cognitione procedere, probatur. Pag. 431.

SEcunda conclusio: Verbũ per se, in quarto modo procedit ex cognitione sui.

Et probatur: nam Verbum est per se sui expressiuum, cum sit comprehensiuum essentiæ. Num. 16. Euasiones præcluduntur, à num. 17. vsque ad num. 20.

Deinde ostenditur conclusio ad hominem cõtra Scotum, qui ait, quod Pater volens generat, non tantum voluntate consequẽte, sed antecedente. N. 21. & 22.

§. Qvartvs.

Obiectionibus occurritur. Pag. 432.

ARguunt contrarij primo: nam Verbũ vt existens non præcedit sui generationem

tionem, ac proinde cognitio Verbi eius generationem præcedere nequit. Num. 23.

Reſpondent aliqui; Verbum non ex cognitione ſui intuitiua, ſed abſtractiua procedere. Quæ ſolutio falsò Caietano tribuitur. N. 24. *Et reijcitur.* Num. 25.

Vera ſolutio traditur. N. 26. *Et ad plures replicas notandas, ſit ſatis,* à num. 26. vſque ad num. 34.

Secundo arguunt: nam ſola intellectio eſſentiæ prout in Patre, eſt ad generandum fœcunda: ac proinde ſolius eſſentiæ, & Paternitatis cognitio eſt ex qua Verbũ procedit, reſpondetur. N. 35.

§. Quintvs.

Procedere per ſe ex cognitione Spiritus Sancti, probatur. *Pag.* 435.

Tertia concluſio: Verbum per ſe in quarto modo procedit ex cognitione Spiritus Sancti. *Oſtenditur primo ex D. Thom.* Num. 36.

Secundo: nam Verbum per ſe procedit ex cognitione comprehenſiua eſſentiæ, vt communicabilis tribus perſonis: eſſentia autem prout ſic comprehendi non poteſt, non cognito Spiritu Sancto. Nu. 37.

Euaſiones præcluduntur. Num. 38. & 39.

Tertio: nam Verbum per ſe, in quarto modo, procedit ex cognitione beatitudinis Patris: at hæc cognoſci non poteſt, ſaltim cõprehenſiue, non cognitis tribus perſonis. Num. 40.

Denique probatur: nam Verbum procedit per ſe ex cognitione ſui, prout ſpiratoris: Verbum autem, vt ſpirator cognoſci non poteſt, non cognito Spiritu Sancto. Num. 41. *Solutio auctoris contrarij refertur, & impugnatur,* à num. 42. vſque ad num. 44.

§. Vltimvs.

Obiectionibus fit ſatis. *Pag.* 438.

Opponit Vazquez primo: quod dato impoſsibili, quod Spiritus Sanctus non eſſet, vel non cognoſceretur, adhuc maneret Verbum, vel Filius eiuſdem rationis, ac modo: ac proinde non procedit per ſe in quarto modo ex cognitione Spiritus Sãcti. Num. 45. *Soluitur dupliciter.* Num. 46.

Secundo arguit: ex eo quod ſi Verbum procederet ex cognitione Spiritus Sancti eſſet imago, intentionalis ſaltim, illius conſequens eſt abſurdum, &c. Reſpondetur. N. 47. & 48.

Tertio ſic arguunt: quia Verbum procedit ex cognitione eſſentiæ, quatenus eſt in ſe: at diuina eſſentia in ſe ipſa, prius communicatur Filio quam Spiritui Sancto. N. 49. *Reſpondetur.* N. 50.

DISPVTATIO XC.

Vtrum Verbum per ſe procedat ex cognitione creaturarum poſsibilium?

§. Primvs.

Relatis ſententijs, vera eligitur, & probatur. *Pag.* 440.

Prima ſententia negat, quam præter Scotiſtas tuẽtur Vazquez, & alij. Secunda ſub vna ratione negat, & ſub alia affirmat. Tertia affirmat, Verbum ſecundum intrinſecam perfectionem, & repræſentationem ex poſsibilium cognitione procedere. Quæ pro concluſione ſtatuitur. Et oſtenditur primo ex D. Auguſtino. Num. 1. & 2.

Solutio P. Arrubal refertur, & reijcitur. N. 3. *Deinde ad hominem cõtra Vazquez,* à num. 4. vſque ad 7.

Ratione à priori probatur, quia Verbum diuinum per ſe in quarto modo procedit ex cognitione comprehenſiua eſſentiæ, & omnipotentiæ diuinæ: ac per conſequens ex comprehenſione illorum, ſine quibus cognitis omnipotentia comprehendi non poteſt; at diuina omnipotentia comprehendi non poteſt, non cognitis poſsibilibus, &c. N. 8. & 9. *Solutio Scotiſtarum refertur.* N. 10. *Impugnatur vero,* à nu. 11. vſque ad num. 14.

§. Secvndvs.

Duæ aliæ ſolutiones communis argumenti excluduntur. *Pag.* 444.

Occurrunt alij argumento facto, aſſerendo, veram eſſe maiorem, de potentia, quæ ab intrinſeco eſt virtus productiua effectus abſolute; nõ vero de illa, quæ ſolum ab intrinſeco habet eſſe vim productiuam ſub conditione non repugnantiæ termini producibilis, qualis eſt omnipotentia. N. 15. *Hæc ſolutio impugnatur,* à nu. 16. vſque ad 19.

Denique reſponderi ſolet, reſpectum, ſeu cõnexionem omnipotentiæ cum creaturis poſsibilibus eſſe poſteriorem perſonis, vn-

de priori ad illas, non potest omnipotentia cognosci, vt connexa cum possibilibus. Num. 20. *Impugnatur*, à num. 21. vsque ad num. 29.

§. Tertivs.

Argumentis ab authoritate occurritur. *Pag.* 447.

Arguit Vazquez primo ex Anselmo, cuius authoritas expenditur, & explicatur, à num. 30. vsque ad num. 32.

Secundo ex D. Tho. cuius plura testimonia expenduntur, & explicantur, à num. 33. vsque ad num. 36.

§. Vltimvs.

Cætera argumenta diluuntur. *Pag.* 449.

Tertio opponit, sequi ex nostra sententia, Verbum esse imaginem creaturarum. Num. 37. *Resp.* Num. 38. & 39.

Quarto arguit: ex eo quod dato per impossibile, quod hæc, vel illa creatura, quæ possibilis est, & omnes simul creaturæ repugnarent, Verbum, quod modo est, maneret eiusdem rationis, & quoad naturam, & quoad proprietatem personalem, ac per consequens possibilitas creaturarum per se in quarto modo ad productionem Verbi non cõcurrit. Solutio Raphaelis de Auersa non euacuat vim argumenti. Num. 41. *Soluitur argumentum cum omnibus suis probationibus, & replicis*, à num. 42. vsque ad num. 51.

Quinto arguunt Scotistæ: quod potest comprehendi omnipotentia nulla cognita creatura possibili: sicut & potest comprehensiuè amari, nõ amata aliqua creatura possibili. Num. 52. *Respondetur.* N. 53.

Sexto arguunt. Diuina cognitio prius intelligitur terminata ad essentiam diuinam, quam ad creaturas sub esse possibili; at prout sic concepta est fœcunda ad productionem Verbi, &c. N. 54.

Solutio recentiorum ex Suarez concessa maiori, negantium min. refertur, & reijcitur. Num. 55. & 56. *Vera solutio traditur.* Nu. 57. & *argumentum instatur. Septimo obijciunt, quod prior est dictio Verbi cognitione creaturarum possibiliũ. Resp.* Num. 57.

Denique argumentari possumus aduersus nostram sententiam, quod etsi omnipotentia comprehendi non possit, non cognitis creaturis possibilibus in communi, potest tamen non cognitis creaturis in particulari, quia cum illis in particulari non connectitur. Num. 59.

Ad argumentum cum alijs replicis sit satis, N. 60. 61. & 62.

DISPVTATIO XCI.

An Verbum per se procedat ex cognitione futurorum?

§. Primvs.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. *Pag.* 458.

Prima sententia affirmans est, quã tuetur Valentia, & alij.

Secunda affirmat, Verbum per se procedere ex cognitione futurorum contingentiũ sub conditione: secus autem ex cognitione futurorum in statu absoluto. In hanc inclinat Molina, & Arrubal.

Tertia defendit, ex nullius futuri cognitione per se Verbum procedere, est communis Thomistarum. N. 1.

Prima conclusio: Verbum Diuinum, quoad suam intrinsecam entitatem, non procedit per se ex cognitione libera futurorum; & consequenter absolutê dicendum est non procedere ex illa. *Et probatur euidenti ratione, quia etiam si deesset, vel nõ fuisset in Deo cognitio libera futurorũ, Verbum Diuinum eiusdem omnino, in variæ entitatis manifisset; & consequenter per se in quarto modo ex cognitione libera futurorum nequit quoad suam entitatem procedere.* N. 2. *Prima euasio præcluditur.* N. 3. *Aliæ euasiones præcluduntur.* N. 4.

Vnde etiam demonstratur, non posse procedere per se, quoad suam entitatem ex scientia futurorum contingentium in statu cõditionato. Et similiter secunda conclusionis pars sit manifesta. Num. 5. & 6.

§ Secvndvs.

Obiectionibus in contrariũ occurritur. *Pag.* 641.

Arguitur, ex eo quod Verbum per se in quarto modo petit procedere ex notitia comprehensiua essentiæ; sed supposito decreto de creaturis futuris, petit per se ad illas terminari. Num. 7.

Ad hoc argumẽtum cum suis probationibus, & replicis sit satis, à num. 8. vsque ad 10.

§. Tertius.

Quid dicendum de Verbo sub conditione libera resoluitur. *Pag.* 463.

Secunda conclusio: Verbum sub conceptu liberæ terminationis, repræsentantis creaturas futuras per se in quarto modo, ex illarum cognitione procedit. *Licet conclusionem hanc Thomistæ non exprimant, non tamen ab illorũ doctrina discordat.* N. 11.

Et probatur primo ex D. Aug. Num. 12.

Ex cuius doctrina formatur ratio probatiua, quia scilicet, quidquid in Filio est, est in scientia, de qua genitus est; at in Filio est cognitio libera, & libera repræsentatio futurorum. N. 13. *Secundo: nam Verbum per se procedit ex cognitione illorum, quæ Pater in illo vt in Verbo cognoscit; at Pater omnia in Filio, vt in Verbo, cognoscit: teste Augustino, &c.* Num. 14.

Deinde principaliter suadetur conclusio, ex eo quod Verbum, prout libere repræsentat futura, procedit à Patre; at non ab illo, tanquam necessario cognoscente possibilia per simplicem notitiam: ergo vt libere cognoscente futura. Num. 15. & 16.

Prima euasio. N. 17. *Proponitur, & impugnatur.* Ibidem, & num. 18. *Secunda euasio ex P. Suarez præcluditur.* Numero 19.

Denique suadetur duplici alia ratione: prima, quia Verbum, vt futura repræsentãs ex illa cognitione debet procedere, quanõ existente Verbum non repræsentaret futura; at si Pater non cognosceret creaturas futuras, non procederet Verbum, illas de facto repræsentans. Secunda est, nam Pater, quatenus cognoscit futura, est productiuus Verbi, non alterius ab isto distincti, nec istius secundum entitatem: ergo istius quatenus libere repræsentat futura. Nu. 20. & 21. *Prima euasio præcluditur.* Nu. 22. & 23. *Secunda vero*, à n. 24. vsq; ad 26.

§. Quartus.

Diluuntur contraria argumenta. *Pag.* 467.

Contra cõclusionem opponit Suarez primo, quod processio Verbi, quatenus productio est necessaria adæquate; ac proinde sub nulla ratione, non necessaria terminatur ad Verbum. Antecedens, quod Suarez non probat, probatur tripliciter. N. 27. *Respondetur ad argumentum, cũ alijs replicis*, à num. 28. vsque ad 31.

Secundo arguit: nam fundamentum scientiæ liberæ est simpliciter posterius ratione, quam productio Verbi: ac proinde à fortiori scientia libera productionem Verbi supponit. Num. 32. *Respondetur.* N. 33.

Sed obijcitur; quod, vt Verbum sub formalitate liberæ repræsentationis ex scientia libera creaturarũ procedat, deberet hæc scientia prius origine Patri, quam diuino Verbo competere; consequens autem esse falsum probatur. Num. 34. *Ad obiectionẽ cum alijs replicis meritò notandis occurritur*, à num. 35. vsque ad 40.

Tertio arguit Arrubal: quod cognitio rerũ existentium, quatenus talium non importat aliquid reale intrinsecum Deo; quia in Deo nulla est formalitas intrinseca, quæ potuerit illi non conuenire. Nu. 41. *Respõdetur dupliciter.* Num. 42. *Et inconsequentiæ in propria doctrina notatur.* Nu. 43.

Quarto arguunt alij; vt Verbum repræsentet futura, non est necessarium, quod ex illorum cognitione procedat. Nu. 44. *Soluitur, & instatur argumentum.* Num. 45.

Et quædam replica diſsoluitur. Num. 46.

Denique possumus argumentari: sequi ex nostra sententia, Spiritum Sanctum secundũ liberam processionem, prius quam Verbũ secundum liberam processionem procedere; consequens videtur absurdum. N. 47.

Quidam modernus concedens sequelam, acriter impugnatur. N. 48. & 49.

Vera solutio traditur. N. 50. *Et replicis occurritur*, a num. 51. vsque ad 53.

§. Vltimus.

Corollaria ex præcedentibus. *Pag.* 475.

Colligitur primo ex dictis, quod si Deus diligit necessario creaturas possibiles, Spiritus Sanctus, quoad suam entitatem ex illarum amore procedit: secus autem si illas diligat libere: procedet tamen hoc concesso ex amore illarum secundum aliquam formalitatem liberam: si autem nullo modo diligantur; nullatenus ex illarũ amore procedere. Procedit tamen secundũ formalitates liberas ex amore existentium. N. 54.

Colligitur secundo, Verbum præter ordinem realem ad Patrem, vt dicentem, importare ex consequenti ordinem rationis ad omne obiectum manifestatum Verbo, atque adeo ad creaturas, & probatur. Nu.

55. *Obiectio ex authoritate difficili D. Tho. dissoluitur.* N. 56.

Dubium pro complemento quæstionis resoluitur, scilicet, respectum ad creaturas, vt præcisè manifestatas, & cognitas conuenire Verbo, ratione solius essentiæ; respectum verò ad illas, quatenus Verbo dictas, conuenire Verbo, ratione essentiæ, vt rationis formalis, & ratione proprietatis personalis, tanquam conditionis. Nu. 57. 58. & 59.

An verò, Verbum essentiam importet in recto, & primario, & in obliquo relationē? Quæstio est communis omnibus diuinis personis, & agitatur supra quæst. 29. N. 60.

DISPVTATIO XCII.

An si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo?

§. PRIMVS.

De facto Spiritum Sanctum procedere à Filio, probatur. *Pag.* 477.

CAtholica veritas est, de facto Spiritū Sanctum à Filio procedere, & probatur primo ex Concilijs. Num. 1.

Quam veritatem Recentiores argumento inefficaci confirmant, quia scilicet, vna persona, non dicitur mitti ab alia, nisi procedat ab illa. Et reijcitur. Num. 2.

Quo sensu vsi fuerint hoc argumento aliqui ex Ecclesiæ Patribus explicatur. N. 3.

Secundo suadetur ex locis Scripturæ, in quibus Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filij. Nu. 4. *Tertio ex illis verbis Ioannis cap.* 16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, &c. *Num.* 5. *Obiectio quædam dissoluitur.* Num. 7. & 8.

§. SECVNDVS.

Reijciuntur duæ sententiæ. *Pag.* 479.

SEntentia Gotfredi docētis, hypotesim, vt spote impossibilem, admittendam non esse, & inutiliter disputari hanc quæstionē; refertur, & reijcitur, à n. 9. vsque ad 11.

Secunda sententia Aureoli asserentis, in data hypotesi distinguendos esse realiter Filium, & Spiritum Sanctum; sed non personaliter; nam Filius non maneret persona, eo quod illi deesset relatio spiratoris, per quam constituitur persona. Reijcitur. Num. 12. & 13.

§. TERTIVS.

Vera sententia eligitur, & auctoritate probatur. *Pag.* 481.

PRima sentētia affirmat, in præfata hypotesi Spiritum Sanctum distinguendum fore à Filio. Hanc tenēt Henricus, & Scotus, & eius discipuli. Secunda distinguit de hac quæstione tractata Theologicè, & tractata metaphysicè, in priori sensu esse conclusionem Theologicam, quod Spiritus Sanctus, non distingueretur à Filio, secus in posteriori sensu: ita Valentia. Tertia, & vera absolute docet, in prædicta hypotesi Spiritum Sanctum non aistinguendum à Filio, est D. Tho. & omniū discipulorū, & pluriū aliorū. N. 14. & 15.

Quæ sententia suadetur primo ex Concilio Toletano 11. Num. 16. *solutio Scotistarū relata.* Num. 17. *impugnatur* N. 18. & 19.

Alia solutio ex doctrina Valentiæ, reijcitur Num. 20. & 21.

Secundo probatur: nam in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio; *sed in data hypotesi, non daretur inter Filium, & Spiritum Sanctū relatiua oppositio.* Num. 22. & 23.

Responsio Scotistarum. N. 24. *Impugnatur.* Num. 25.

§. QVARTVS.

Duplici ratione probatur nostra sententia. *Pag.* 483.

TErtio principaliter probatur nostra sententia, ex eo quod relatio spirationis, nō est distincta realiter à Paternitate, & Filiatione, eo quod non opponitur illis relatiuè; atque adeò sola oppositio relatiua relationis sufficit causare realem distinctionem in Deo. N. 26. *Duplex solutio Scotistarum.* Num. 27. *Vtraque impugnatur,* à num. 28. vique ad 31.

Denique probatur conclusio: nā sola oppositio relationis, peculiaris lineæ relatiuæ, & impotens conuenire modis absolutis, potest in diuinis aistinguere realiter. Nu. 32. 33. & 34.

Ex dictis colligitur contra Valentiam, nō solum Theologice, sed etiam metaphysice tractando quæstionem, veram esse sententiā D. Thom. Nu. 35.

§. QVINTVS.

Tribus argumentis occurritur. *Pag.* 486.

ARguitur primo testimonio difficili Anselmi. N. 36. *Prima explicatio Anselmi reijcitur.* N. 37. *Secūda etiā.* N. 38. & 39.

Vasquez, quem alij sequuntur oneri argu-

mẽti succumbit, fateturque Anselmum in oppositã fuisse sententia. Fallitur tamen. Num. 40.

Vera explicatio Anselmi ex D. Thom. N. 41.

Sed cõtra hãc explicationẽ obstare videtur alia authoritas Anselmi. N. 42. *Respondetur.* Num. 43.

Secundo arguunt, quia impossibile est, quod vna persona duplici processione adæquata procedat: at etiamsi Spiritus Sanctus nõ procederet à Filio, origo tamen vnius differret ab origine alterius. Num. 44. *Respõdetur*, à num. 35. vsque ad 37.

Et nota in numeris marginalibus vitio typographi, errorem commissum esse; cũ enim post numerum 44. recto ordine numerus 45. deberet subsequi, loco illius Numerus 35. est appositus, qui error in sequentibus continuatur, vsque ad finẽ Disputationis.

Tertio arguunt; non solum relatiua, sed etiã disparata relationis oppositio, sufficit ad distinguendum realiter in diuinis, quod probant: tum, quia filiatio realiter distinguit Filium ab Spiritu Sancto, & tamen non opponitur illi relatiuè. Tum etiam: nam casu quo Spiritus Sanctus à solo Filio procederet, processio illum realiter distingueret à Patre, cum quo tamen non opponeretur relatiuè, cum ab illo non esset. N. 38. & 39.

Prima solutio ex P. Suarez reijcitur. Nu. 40. *Secunda solutio ex Valencia, reijcitur.* Num. 41. *Vera solutio traditur.* N. 42. & 43.

§. Vltimvs.

Cætera argumenta diluuntur. *Pag.* 491.

Quarto arguunt: si Spiritus Sanctus procederet à Filio, & non à Patre, distingueretur realiter ab vtroque; ac perconsequens; etiam si Spiritus Sanctus procederet à Patre, & nõ à Filio, ab vtroque posset manere realiter distinctus. N. 44. *Solutio Valentiæ refutatur.* N. 45. *Vera solutio traditur.* N. 46. *Et instantiæ Valentiæ.* N. 47. *Propositæ occurritur.* N. 48.

Quinto arguunt: nam in data hypotesi maneret in Filio ratio formalis, quæ illum de facto à Spiritu Sancto realiter distinguit, scilicet filiatio, quæ est ratio formaliter modo distinguens, &c. Num. 49.

Hoc est argumentum, cui potissime fidunt contrarij. Et prima solutio Caietani refertur. N. 50. *Impugnatur vero à grauibus Theologis, qui tamen non videntur caluisse Caietani mentem.* N. 51. *Prædicta solutio, vt communiter explicatur, non placet.* Num. 52. & 53. & 54. *solutio P. Vazquez refertur.* Num. 55.

Sed procedit ex falso principio, & reijcitur Num. 56. *Tertia solutio ex Valencia refertur, & reijcitur.* Num. 57.

Vera solutio consistit in eo quod ratio formalis distinguens Filium ab Spiritu Sãcto, est filiatio, nõ sub expresso filiationis conceptu, quo refertur ad Patrem; sed sub cõceptu radicis spirationis. Num. 58. *Cõtra quam solutionem dupliciter instatur.* N. 59. *Resp. & ad alias replicas emergentes*, à num. 60. vsque ad num. 63.

Sexto arguitur in hypot esi, quod Spiritus Sanctus liberè à Filio procederet, distingueretur realiter ab illo, quamuis actu ab illo non procederet. N. 64. *Resp.* N. 65.

Denique arguitur: nam dato, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio efficienter, dummodo Filius esset ad illius productionem conditio, realiter distingueretur ab illo. Num. 66. *Resp.* Num. 67. & 68.

DISPVTATIO XCIII.

An Spiritus Sanctus per se petat filiationem, & paternitatem in principio spirante?

§. Primvs.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. *Pag.* 497.

Prima sententia negat, quam tenet Scotus. Secunda affirmat, est Thomistarum, & communis inter modernos, etiã extra Scholam D. Th. Licet in modo defendendi diuidantur. Num. 1. & 2.

Prima conclusio: Spiritus Sãctus ratione suæ proprietatis personalis, petit per se pluralitatem suppositorum in principio spirante. *Probatur primo ex D. Th.* N. 3.

Secundo probatur: nam Spiritus Sanctus per se petit ratione proprietatis personalis à Patre, & Filio, secundum quod plures sunt, & paternitate, & filiatione constituti, realiter distingui; at nisi realiter ab illis procedat, nequit realiter ab illis distingui.

Tertio: nam Spiritus Sanctus ratiõt suæ proprietatis personalis per se refertur ad Patrem, & Filium, &c. Num. 4.

Obiectio proponitur, & soluitur. N. 5. & 6.

Denique probatur: nam Spiritus Sanctus ratione suæ proprietatis personalis petit per se procedere, vt terminus mutui, amicabilis, ac reciproci amoris, qui non stat absque pluralitate personarum. Num. 7. & 8.

§ Secvndvs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 500.

Arguunt primo contrarij, quod suppositum, in quo est adæquata virtus agendi, se solo est sufficiens ad producendum effectum, seu terminum: at in Patre est virtus adæquata Spiratiua. N. 9.

Respondetur distinguendo maiorem tripliciter. Num. 10.

Arguunt secundo, & instant contra solutionem: nam pluralitas suppositorum non concurrit per se ad creaturarum productionem, & non alia ratione, nisi quia vis productiua creaturarum est in qualibet persona ratione Deitatis. Num. 11.

Solutio P. Granados non placet. Num. 12.

Vera solutio traditur. Num. 13. & 14.

Tertio arguunt: quod si per impossibile Pater sine Filio maneret; adhuc posset Spiritum Sanctum spirare, & producere. N. 15. *Respondetur.* Nu. 16. & 17.

Denique arguitur: nam ratio mutui nullam addit perfectionem; & consequenter, ex eo quod Spiritus Sanctus ab intrinseco petat, ex perfectissimo amore procedere, malè probatur petere ab intrinseco procedere ab amore mutuo. Num. 18. *Respõdetur ad argumentum, cum suis replicis.* Nu. 19. 20. & 21. *Aliter respondetur* Num. 22.

§. Tertivs.

Explicatur quomodô Paternitas, & Filiatio exigatur in principio spirante. *Pagina* 502.

Secunda conclusio: Connotatum à principio *quo* spiratiuo, vt essentiale complementum illius, non sunt Paternitas, & Filiatio; sed relatio communis spiratoris: illæ autem solum requiruntur vt conditiones producentium vt *quod.*

Hæc conclusio suadetur primo ex doctrina D. Thom. à num. 23. vsque ad numerum 25.

Secundo principaliter suadetur, ex eo quod principium quo *spiratiuum est Patri, & Filio commune; at si pro connotato, completiuo importaret Paternitatem, & Filiationem, Patri, & Filio commune non esset.* N. 26. *Duplex euasio præcluditur,* à num. 27. vsque ad num. 29.

Denique probatur: nã Pater, & Filius, nõ respiciunt Spiritum Sanctum per paternitatem, & Filiationem, bene tamen communi spiratione; ac proinde sola communis spiratio est connotatum à principio quo *spiratiuo.* Nu. 30. *Duplex solutio, quæ adhiberi potest impugnatur.* N. 31. 32. & 33.

§. Vltimvs.

Diluuntur argumenta in oppositum. *Pagina* 505.

Contrariam nostræ conclusioni sententiam docet Suarez esse satis probabilem, & in eandem inclinare vidẽtur quidam Recentiores ex nostris; sed non satis consequenter ad sua principia. Numero 34.

Pro qua sententia arguitur primo difficili D. Thom. testimonio. Num. 35. *Respondetur.* Num. 36. & 37.

Secundo arguit Suarez: nam relatio solum ponitur ex parte principij, vt aliquomodo realiter distinguatur à termino; sed per Paternitatem, & Filiationem sufficienter distinguuntur Pater, & Filius ab Spiritu Sancto. N. 38. *Respondetur.* Ibidem.

Tertio arguit argumẽto, quo præcipue mouetur: nam Pater, vt constitutus Paternitate, vt forma hypostatica immediatè generat per intellectum; ac per consequẽs etiam vt sic constitutus, immediatè per voluntatem spirat. Num. 39. *Respondetur.* Num. 40.

Quarto arguitur: nam voluntas diuina nõ vnitur immediatè, cum relatione spiratoris; sed media Paternitate, & Filiatione; ac per consequens propriori ad vnionem, cum relatione spiratoris intelligitur sufficienter fœcunda, igitur non per illam, sed per alias relationes completur in ratione principij quo *spiratoris.* Numero 41.

Respondetur Nu. 42.

Quinto possumus argumentari: nam Spiritus Sanctus per se petit procedere ex mutuo, & amicabili amore, quo

se diligunt Pater, & Filius: at amor mutuus intelligi nequit absque Paternitate, & Filiatione. Resp. N. 43.

Denique arguitur, quia ex nostra sententia sequitur, virtutem spiratiuam, non prius Patri, quam Filio competere; consequens autem est falsum; cum omnia, quæ habet Filius sint illi communicata à Patre. Nu. 44. *Respondetur.* Num. 45. *& colligitur male aliquos Recentiores negare spirationem actualem prius origine conuenire Patri, quam Filio.*

DISPVTATIO XCIV.

An Pater, & Filius proprie sint, & dicantur vnum principium Spiritus Sancti?

§. Primvs.

Eligitur vera sententia. *Pag.* 509.

EX dictis constat, in Patre, & Filio esse vnam spirandi virtutem, quod nullus catholicorum negare potest. Restat tamen difficultas, an ratione vnius spiratiuæ virtutis sint dicendi vnum spiratiuum principium?

Ratio dubitandi est: nam licet in Patre, & Filio sit vna virtus spiratiua, sunt tamen duo suppositæ spirantia vt quod, *& per se ad spirationem exactia: ergo vel dicendi sunt plura, & non vnum Spiritus Sancti principium; vel vnum, & plura.* N. 1.

Sententia Durandi, qui ratione dubitandi conuictus fuit, proponitur. Num. 2.

Contraria sententia docens, Patrem, & Filium esse vnum principium Spiritus Sancti, non plura principia, certa est, & indubitanter tenenda, quam cum D. Thom. tenent vniformiter Theologi. Et probatur ex Concilio Lugdunensi. Num. 3. & 4.

Sententiam Durandi varijs censuris notãt Recentiores; cæterum ab omni censura liberatur. Num. 5.

Deinde suadetur ratione D. Thom. nam Pater, & Filius in omnibus sunt vnũ, vbi nõ obuiat relationis oppositio; sed in hoc quod est esse Spiritus Sancti principium, non opponuntur. Denique alia ratione eiusdem, ex differentia inter nomen substantiuum, & adiectiuum, quod illud, quia formam per modum per se stantis significat, ad sui pluralitatem petit pluralitatem formæ significatæ: hoc autem nomen Principium Spiritus Sancti, *est substantiuum.* Nu. 6.

§. Secvndvs.

Aliquorum solutio ad rationem dubitandi reijcitur. *Pag.* 511.

MOlina, & alij respondent, principiũ spiratiuum *non supponere immediate pro Patre, & Filio; sed pro spiratore vt* quod *vtrique communi, & ratione ab illis distinctio, consistente in relatione spiratoris subsistente vt* quod *in natura, & voluntate diuina.* Num. 7.

Displicet vero communiter hæc solutio, & nostris, & exteris, & triplex impugnatio inefficax refertur. Num. 8.

Cuius inefficacia ostenditur. Num. 9.

Alia impugnatio minus efficax reijcitur. N. 10.

Efficacius ergo impugnatur primo ex D. Th. asserente, ly vnum principium *in hac propositione:* Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti, *non habere determinatam suppositionem. Secundo, quia substantia dupliciter accipitur, vel pro perfectate opposita dependentiæ ab alio, vt à sustentante; vel pro perfectate incommunicabilitatis: at relatio spiratoris neutra gaudet perfectate.* Num. 11. & 12.

Denique alijs duabus rationibus ex D. Th. breuiter propositis. N. 13. & 14.

§. Vltimvs.

Traditur, & defenditur vera solutio. *Pagina* 513.

VEra solutio rationis dubitandi est, quod hoc nomen Principium *substantiuum est, ac proinde ad sui multiplicationem petit pluralitatem, non solum suppositorum, sed etiam formæ; & quia licet sint duo suppositæ spirantia, est tamen in illis vna virtus spiratiua, ideò, &c.* N. 15.

Obijcitur primo: quod si nomen substantiuũ ad sui pluralitatem requirit, quod multiplicentur formæ, & suppositæ, à fortiori ad sui vnitatem, absolutè, & simpliciter talem petet vnitatem, non solum formæ, sed etiam suppositi. Nu. 16.

Respondetur. Num. 17.

Obijcitur secundo: quod est probabilis sententia, quod si plures personæ eandem humanitatem assumerent, dicerentur plures homines, & non vnum. Num. 18. *Respondetur.* Num. 19.

Denique obijcitur: nam si non datur spirator subsistens Patri, & Filio communis,

nequit aſsignari, pro quo ſupponat prædicatum huius propoſitionis: Pater,& Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti. *Num.* 20. *Reſp.* Nu. 21. *Supponere pro Patre,& Filio confuſè, & quaſi collectiuè.*

Ex dictis colligitur, quod ſi Spirator *adiectiuè ſupponat, non vnus ſpirator, ſed plures ſpiratores ſunt Pater,& Filius. Et quia verius eſt accipi ſubſtãtiuè, quã adiectiuè, ideò non plures ſpiratores, ſed vnus ſpirator ſunt Pater,& Filius: ſicut vnum,& non plura principia, nõ tamen æquali certitudine.* Num. 22.

DISPVTATIO XCV.

An Pater,& Filius propriè dicantur ſe diligere Spiritu Sancto?

§. Primvs.

Eligitur vera ſententia, & authoritate probatur. *Pag.* 516.

RAtio dubitandi eſt: nam caſus ablatiuus, in rigore ſermonis, importat habitudinem cauſæ formalis, aut efficientis; at Spiritus Sanctus non eſt forma, qua Pater,& Filius diligunt, ſiue dilectio ſumatur notionaliter, ſiue eſſentialiter, nec eſt principium quo *diligant; ſed tantum terminus dilectione notionali productꝰ: ergo in proprio ſenſu nequit eſſe vera hæc propoſitio*: Pater,& Filius ſe diligunt Spiritu Sancto. N. 1.

Prima ſententia eſt, quorundam quos ſuppreſſo nomine refert D. Tho. qui ratione dubitandi conuicti aſſerebant dictã propoſitionem eſſe falſam,& ab Auguſtino in ſimili retractatam, ſcilicet, quando retractauit iſtam, quam docuerat: Pater eſt ſapiens ſapientia genita.

Secunda ſententia eſt Durandi aſſerentis, falſam eſſe dictam propoſitionem, ſi diligere ſumatur notionaliter, ſumpto autem eſſentialiter eſſe veram: ſed impropriam,& iſtum facere ſenſum: Pater,& Filius ſe diligũt amore eſſentiali, qui appropriatur Spiritui Sancto. Num. 3.

Tertia,& vera ſententia defendit veram eſſe,& propriam; ſumpto diligere *nõ eſſentialiter, ſed notionaliter.*

Eſt D. Tho. eiuſque diſcipulorum,& aliorũ Theologorum frequenter. Num. 4.

Et ſuadetur primo: nam dicta Sanctorum ſunt cum proprietate accipienda, quando nullum ſequitur inconueniẽs, at quod Pater,& Filius ſe diligant Spiritu Sancto inuenitur expreſſum in Patribus, præſertim in Parente Auguſtino,& aliàs nullum inconueniens ſequitur, quod in proprietate ſermonis accipiatur, vt infra conſtabit. Num. 5.

§. Secvndvs.

Examinantur aliquorum rationes. *Pag.* 518.

RAtione probant nonnulli ex Rectioribus, quia à termino actionis immanentis,& non ſolum ab actione, poteſt principium tale denominari; at Spiritus Sanctus eſt terminus actionis immanentis: ergo Pater,& Filius poſſunt dici cũ proprietate diligentes eſſe Spiritu Sancto. Sed diſplicet hæc ratio,& reijcitur. Num. 6.& 7.

Secundo alij de mente Scoti ſic probãt: Pater,& Filius producunt Spiritum Sanctum, qui eſt amor vtriuſque, vel qui vtrumque diligit: ergo Pater,& Filius ſe diligunt principiatiuè, etſi non formaliter Spiritu Sancto.

Hæc tamen ratio non ſuadet intentum,& parum congruit illorum principijs. N. 8. & 9.

§. Tertivs.

Ratio D. Tho. explicatur,& defenditur. *Pagina* 519.

PRobatur noſtra ſententia ratione D. Tho. nam quandocumque actionis, terminus eſt de intellectu illius, vt ſignificatæ verbo, vel nomine, poteſt principiũ à termino denominationem accipere in caſu ablatiuo; at Spiritus Sanctus eſt de intellectu dilectionis, ſumptæ notionaliter, quatenus ſignificatur verbo diligere. *N.* 10.

Et nota in Num. 11. irrepſiſſe mendas, quæ corriguntur in principio Tomi, ſub titulo *errata ſic corrige*, quæ omnino corrigendæ ſunt. *Præcipua ratio explicatur*, vſque ad num. 13.

Sed obijciunt Scotiſtæ, quod de conceptu generationis diuinæ, eſt Filius genitus; *& tamen non dicitur propriè*: Pater generat Filium Filio: *ac proinde, nec propriè dicetur*: Pater,& Filius ſe diligunt Spiritu Sancto. Num. 14. *Reſp.* Num. 15. & 16.

§. Qvartvs.

Ratio dubitandi soluitur, & alijs argumentis occurritur. *Pag.* 521.

Solutio rationis dubitandi traditur. N. 17.

Sed obijcitur, quod hæc propositio est falsa, Pater intelligit Verbo: *ergo & ista:* Pater, & Filius diligunt Spiritu Sancto. *Antecedens probatur: nam propositio ista:* Pater intelligit Verbo, *eundem sensum facit, ac ista:* Pater est sapiens sapiẽtia genita, *quam Augustinus retractauit.* N. 18.

Solutio P. Vazquez, concedentis veram esse hanc propositionem: Pater intelligit Verbo. *Refertur.* Num. 19. *Et impugnatur,* à num. 20. vsque ad num. 22.

Vera solutio constituit discrimen inter verbum diligo, *& verbum* intelligo, *quod primum capitur, & essentialiter, & notionaliter: secundum autem, solum essentialiter, & ratio huius redditur.* N. 23.

Deinde obijcitur: nam eodem, quo diligunt Pater, & Filius, diligit etiam Spiritus Sanctus: at falsum est dicere: Spiritus diligit se ipso Patrem, & Filium. *Soluit obiectionem D. Th.* Num. 24.

Contra solutionem insurgit Vazquez. N. 25.

Cuius impugnatio ex non penetrata doctrina Angelici Magistri procedit.

Denique obijcitur: nã sicut idem est in Deo esse, quod sapere: ita idem est esse, quod diligere; sed Pater non dicitur aliquo modo esse Spiritu Sancto, nec sapere Verbo, aut Spiritu Sãcto: ergo nec diligere Resp. Num. 26. *Replicatur contra solutionem.* N. 27. *Resp.* Num. 28. à num. *autem* 30. vsque ad Nu. 32. *Explicantur illa Scripturæ testimonia:* Verbo Domini Cœli firmati sunt: Et per ipsum facta sunt omnia.

§. Vltimvs.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 525.

EX dictis colligitur primo: Patrem, & Filium non solum se, sed etiam Spiritũ Sanctum, & creaturas futuras Spiritu Sancto diligere. Num. 33.

Colligitur secundo, quod in hac propositione; Pater diligit creaturas Spiritu Sancto, *potest Verbum* diligere *sumi essentialiter, & notionaliter.* N. 34. & 35.

Tertio colligitur, quod cum Pater dicitur Spiritu Sancto diligere, non est denominatio ab actione, sed à termino per actionẽ producto. N. 36. *Obiectio ex D. Tho. proponitur, & ailuitur.* Num. 37. & 38.

Denique infertur, Patrem non posse dici sapientem sapientia genita; Filium autem posse dici sapientem sapientia ingenita, & sapientia genita. N. 39.

TRACTATVS DECIMVSTERTIVS.

De constitutione diuinarum personarum.

Littera D. Tho. explicatur breuiter, *à Pag.* 529. *vsque ad Pag.* 540.

DISPVTATIO XCVI.

Per quid personæ diuinæ constituantur, & distinguantur?

§. Primvs.

Relatis sententijs, prima reijcitur, *Pag.* 541.

PRima sententia negat, personas diuinas aliquo à se distincto constitui, aut distingui. N. 1.

Secunda docet, constitui proprietatibus absolutis. Tertia docet, non absolutis proprietatibus, sed rationibus constitui; non sub conceptu habitudinum, vel relationum, sed sub conceptu originum. N. 2. & 3. *Quarta docet, tam originibus, quam relationibus constitui, & distingui.* N. 4. *Vltima, & vera docet, personas constitui, distinguique relatiuis proprietatibus. Ita communiter Theologi, cum D. Tho.* Num. 5.

Prima conclusio: Dantur in diuinis personis proprietates aliquæ reales, quibus cõstituũtur, & inter se distinguuntur. *Est adeo certa, vt oppositum tumquam erroneum non nulli damnent.* Num. 6.

Et probatur primo ex Concilio Lateranensi. Num. 7. *Effugium præcluditur.* N. 8.

Secundo probatur: quia diuinæ personæ non se totis differunt; sed aliquo sui: ac proinde non se totis constituuntur, & distinguuntur, sed aliquo sui. Nu. 9.

Denique probatur: destruendo rationem, qua nititur opposita sententia, quia licet in personis diuinis proprietas relatiua, & essentia sint realiter, & formaliter idẽ, nõ bene infertur, quod non aliquo sui; sed se totis constituantur, & distinguantur, vt ostenditur. Num. 10. 11. & 12.

§. Secvndvs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 544.

Index Diſputationum.

ARguitur primo ex Gregorio, qui oppoſitæ ſententiæ adhæſit: nam idem non poteſt conſtituere ſe ipſum, ſi de propria cõſtitutione loquamur; quidquid autem eſt in perſona diuina, eſt idem realiter, & formaliter cum illa. Secundo: nam Paternitas, non eſt magis ſimplex, quam Pater; ſed Paternitas, quia ſimplex, nullo à ſe diſtincto conſtituitur. Tertio: nam conſtituens cauſa eſt conſtitui per ipſum; ſed Pater, v. c. à nullo poteſt cauſari. Nu. 13. & 14. Reſpondetur. Num. 15. & 16.

Sed contra doctrinam ſolutionis inſtatur primo: quod Paternitas includit in ſuo conceptu eſſentiam, & naturam diuinã, etiã per modum naturæ; & conſequenter importat totum, quod Pater. Num. 17. Reſpondetur. Nu. 18.

Secundo, cõtra eandem doctrinam arguitur, ſaltim ſequi Patrem eſſe compoſitum, compoſitione reali virtuali, & compoſitione rationis formali; conſequens autem eſt falſum, aliàs ſummè ſimplex non eſſet.

Duplex ſolutio huic argumento aſſignatur, quæ autem ſit tenenda, & qua ratione oſtenditur, à num. 20. vſque ad 28. Vbi pluribus replicis occurritur.

Tertio contra concluſionem arguitur: nam ex illa ſequitur, perſonã diuinam eſſe ſaltim virtualiter realiter cauſatam, & per rationem formaliter: conſequens falſum videtur, &c. Num. 29.

Solutio ex Doctrina Albertini refertur. N. 30. Sed reijcitur. Num. 31. & 32. Vera ſolutio traditur. Num. 33. & 34.

§. Tertius.

Vltima obiectio diluitur, & explicatur, an cõſtitutio Perſonæ diuinæ ſit realis? Pagina 549.

DEnique arguitur: nam ex doctrina tradita ſequitur, ſaltim conſtitutione reali perſonas diuinas nullo conſtitui; quia cum conſtituens à conſtituto, neceſſario debeat diſtingui ſi proprietas non diſtinguitur realiter formaliter à perſona, non poterit realiter conſtituere. Num. 35.

Reſpondet Albertinus negando ſequelam: nam apartè rei actu non ſolum virtualiter, ſed etiam formaliter conſtituitur Pater Paternitate. Verum hæc ſolutio, & doctrina reijcitur, & efficaciter impugnatur, à num. 36. vſque ad 43.

Vazquez per oppoſitum affirmat, conſtitutionem perſonæ diuinæ nullo modo eſſe realem, ſed rationis. Num. 44. Sed reijcitur Num. 45.

Vera ſolutio traditur, & duplex modus conſtitutionis diſtinguitur, à num. 46. vſque ad num. 48.

§. Quartus.

Reijcitur ſecunda ſententia. Pag. 554.

SEcunda concluſio: Perſonæ diuinæ non conſtituuntur, nec diſtinguuntur proprietatibus abſolutis. Et cenſuræ quibus Auctores oppoſitam ſententiam inurunt, notantur. Num. 49.

Et probatur primo: nam proprietates conſtituentes perſonas ſunt, quæ in Scriptura explicantur; hæc autem ſunt relatiuæ. Num. 50. & 51.

Secundo ex Concilio Florentino. Numero 52.

Denique ratione: nam ſola relatio diſtinguit perſonas diuinas; ac proinde ſola illa conſtituit illas, à num. 53. vſque ad 58.

§. Quintus.

Tribus argumentis contrariorũ occurritur. Pag. 556.

ARguitur primo: nam perſona diuina conſtituitur per ſubſiſtẽtiam incõmunicabilem: ſed hæc eſt aliquid abſolutum in Deo. Minor probatur tripliciter. N. 59. 60. & 61.

Solutio negantium ſubſiſtentias relatiuas in Deo, refertur, & reijcitur. N. 62.

Vera ſolutio traditur, à N. 63. vſque ad 67.

Secundo arguitur: nam ſuppoſitum in Deo conſtituitur per aliquid abſolutum; ſed perſona eſt ſuppoſitum rationalis naturæ. Maior autem multipliciter ſuadetur. N. 68. 69. & 70.

Reſpondetur negando maiorem, & eius probationibus occurritur, à Num. 71. vſque ad N. 76.

Tertio arguitur: nam repugnat relationi conſtituere perſonam, quia relatio nequit dare eſſe ad ſe; ſed ad aliud; ſubſiſtere autem dicitur ad ſe, quod alijs tribus probationibus ſuadetur. Nu. 77. & 78.

Reſpondetur ad argumentum cum ſuis probationibus, à Num. 79. vſque ad N. 84.

§. Sextus.

Occurritur quarto argumento, & explicatur, an Filius in ratione perſonæ relatione cõſtituatur? Pag. 563.

Index Disputationum.

QVarto arguitur: ad probandam filiationem non constituere Filium in ratione personæ, illud enim, quod oritur producto termino, non potest terminū constituere: relatio autem oritur, termino producto; quod ipsum multiplici probatione suadetur, à num. 85. vsque ad N. 88.

Plures solutiones, quæ huic argumento adhibentur, referuntur, & latè impugnantur, à Num. 89. vsque ad num. 102.

Vera solutio argumenti, & suarum probationem traditur, à num. 103. vsque ad nu. 106.

§. Septimvs.

Vltimum argumentum proponitur, & examinantur duo modi dicendi. *Pag.* 568.

DEnique arguitur: nam Paternitas, nequit constituere Patrem in ratione personæ, quod multipliciter probatur, à N. 107. vsque ad Num. 109.

Hoc argumentum ob sui difficultatem in varios dicendi modos diuisit Authores. Vazquez fatetur illa conuinci, Patrem non constitui in esse personæ per paternitatē, quæ est prædicamentalis relatio fundata in genuisse, *& docet, formam constitutiuam esse proprietatem innascibilis, quæ est relatio rationis, nec inconueniens reputat hanc constitutionem per aliquid rationis ordine.* N. 110.

Sed hic modus dicendi displicet, & impugnatur. N. 111. & 112.

Secundus modus dicendi, quadruplicem rationem meditatur in Patre, asserunt que Patrem non constitui in esse Personæ per paternitatem, nec per relationem transcendentalem generationis, nec potētis generare; sed per relationem radicalis, & fontalis principij, quæ relatio transcendentalis est; & hoc docet speciale esse in prima Trinitatis persona, nā secunda, & tertia constituuntur filiatione, & spiratione passiua, quæ sunt prædicamentales relationes. Ita Alarcon, pro quo modo dicendi, refert Bonauēturam, & alios, imò & D. Tho. se quo iure videatur. Num. 113. & 114.

Hic modus dicendi multis titulis aduersatur doctrinæ D. Tho. & veritati, vt ostēditur, à Num. 115. vsque ad Num. 131. *Specialiter autem.* Num. 118.

Ostenditur falsum esse, quod prædictus Author asserit, scilicet in prædicamento relationis esse relationes transcendentales. Num. autem 119. *Ostenditur non requiri in Deo relationes transcendentales. Fundamentis prædicti modi dicendi occurritur,* à num. 132. vsque ad num. 143.

§. Octavvs.

Examinantur alij modi dicendi. *Pag.* 578.

TErtius modus dicendi est, paternitatē, quæ in relatione prædicamentali consistit, generationem supponere, & non constituere personam: Paternitatem vero diuinam, non esse prædicamentalem, sed transcendentalem relationem, nec generationem supponere, sed potius illam præcedere. Num. 144.

Sed displicet, & impugnatur, à num. 145. vsque ad num. 149.

Ad fundamenta quibus fulcitur hic dicendi modus respondetur, à num. 150. vsque ad num. 157.

Quartus modus dicendi fatetur, Paternitatem diuinam non transcendentalem, sed prædicamentalem relationem esse; sed quia substantialis est, non eget supra generationem fundari, sed ante illam intelligitur, etiam sub expresso conceptu, & munere referendi. Refertur pro hoc dicendi modo noster Sapiētissimus Magister Herrera in manuscriptis. N. 158.

Et videtur habere non leue fundamentū in D. Th. N. 159.

Sed nec placet iste modus dicēdi, & reijcitur, à num. 160. vsque ad num. 162.

Quintus modus dicendi, distinguit in relatione actum primum referendi, & actuale exercitium, & docet: Paternitatē, prout dat esse relatiuum non supponere generationem, sed potius illam præcedere, & personam constituere: vt vero præstat actualiter esse relatum super illam fundari, & non constituere. Num. 163.

Hic modus dicendi inefficaciter impugnatur à quibusdam. Num. 164.

Sed displicet, & fortius reijcitur. Nu. 165. & 166.

Sextus modus dicendi est Caietani, docentis, paternitatem sub expressa ratione paternitatis significari dupliciter, vt conceptam, & vt exercitam, & licet vt exercita generationem supponat, & non constituat; vt concepta vero antecedit generationem, & personam constituit. Quæ

contra hunc modum dicendi obstare videntur, insinuantur, & soluũtur, à num. 167. vsque ad num. 170.

Quid obstet aduersus solutionem opponitur. Num. 171.

Etsi in doctrina Caietani intentum vltimæ obiectionis admittatur, coincidit hic modus dicendi cum eo, quem §. sequenti defendemus.

Septimus dicendi modus docet, relationes constituere hypostases, vel personas diuinas, prout subsistentes sunt subsistentia absoluta essentiæ; & prout sic non sequũtur, sed antecedunt origines: sub conceptu vero explicito, & differentiali relationis supra originem fundantur, & personas constitutas supponunt. Tribuitur hic modus dicendi Capreolo, & Ferrariensi: imò Duranaus tribuit D. Tho. sed immeritò. N. 172.

Sed communiter discipiet hic modus, cuiuscũque ille sit, Theologis, & impugnatur, à num. 173. vsque ad num. 175.

§. Nonvs.

Vera solutio explicatur. *Pag.* 585.

VEra solutio sumitur ex D. Tho. passim asserente, paternitatem dupliciter considerari, vel per modum relationis, vel per modũ formæ hypostaticæ, sumpta primo modo supra generationem fundatur, & supponit constitutum Patrem in ratione personæ: secus autem sumpta secundo modo. Num. 176.

Ex qua doctrina ad argumentum cum suis probationibus, resp. à num. 177. vsque ad num. 182.

Sed contra distinctionem D. Tho. obijcit Durandus, sequi ex illa Patrem propriori ad generationem, intelligi constitutũ per aliquid absolutum. Num. 183. *Obiectio ex non penetrata ratione D. Tho. procedit.* N. 184. *Sed* Num. 185. & 186. *Replica notanda proponitur, occasione cuius duplex conceptus inadæquatus differentialis in relatione statuitur, quod manifestis exemplis illustratur*, à nu. 187. vsque ad num. 192.

In quo sensu potest explicari modus dicendi Caietani supra relatus. Num. 193.

§. Decimvs.

Argumentis contra istam resolutionem occurritur. *Pag.* 590.

ARguitur primo: quod relatio cõstituit personam secundum perfectissimum conceptum ex pertinentibus ad lineã personæ; sed ad *vt* ad, *pertinet ad lineã personæ, & est vltimus, & perfectissimus conceptus.* Num. 194. *Resp.* Nu. 195. 196. & 197.

Secundo arguitur: nam paternitas sub expresso conceptu ad *est potens constituere personam Patris; ac proinde sub illo constituit. Antecedens multipliciter suadetur*, à num. 198. vsque ad num. 200. *Resp.* à num. 201. vsque ad num. 209.

Tertio arguitur: si paternitas non constitueret secundum quod dicit ad, *sed sub conceptu formæ hypostaticè subsistentis, non constitueret sub conceptu relationis, sed sub conceptu absoluto, vel sub cõceptu abstrahente ab absoluto, & relatiuo; consequens autem est falsum.* Nu. 210. & 211. *Resp.* Num. 212.

Quarto arguitur: Paternitas sub ea ratione constituit sub qua distinguit, sed distinguit sub conceptu explicito ad, *quia sub hac ratione relatiuè opponit: cum in diuinis omnia sint vnum, vbi nõ obuiat relationis oppositio.* Nu. 213.

Solutio, quæ Ferrariensi, & Caietano tribuitur refertur. Nu. 214. *Sed diuersa est mẽs horum authorum ab illa, cuiuscumque tamen sit displicet, & reijcitur*, à nu. 215. vsque ad N. 218. *Vera solutio assignatur.* N. 219. 220. & 221.

Denique arguitur. Nam forma hypostatica Patrem constituens in esse personæ, distinguitur virtualiter adæquate à relatione paternitatis. N. 222. 223. & 224.

Hoc argumentum petit vt examinetur, quænam distinctio versetur inter paternitatem, vt relatio est, & formam constituentem Patrem in esse personæ. Quidam adæquatam distinctionem agnoscunt. Sed plura inconuenientia tenentur admittere. N. 225.

Alij per extremum solum statuunt distinctionem ex modo significandi; ita vt ex parte obiecti nulla distinctio inueniatur. Quæ sententia ex dictis impugnata manet, & reijcitur. N. 226.

Alij distinctionem rationis admittunt, non tamen rationis ratiocinatæ; sed tantum rationis ratiocinantis. Sed nec isti veritatem attingunt. N. 227.

Aſſerendum ergo eſt, Paternitatem per modum formæ hypoſtaticæ, & per modum relationis differre in ratione obiecti ſignificati, diſtinctione rationis ratiocinatæ adæquata; in ratione tamen entis, diſtinctione rationis virtuali, aut eminentiali inadæquata: quod probatur. Num. 228. & 229.

Et ex his ad argumentum reſp. à num. 230. vſque ad num. 233.

In quo diſtinctio virtualis conſiſtat, breuiter inſinuatur. Num. 234.

§. VNDECIMVS.

Perſonas diuinas non conſtitui originibus, authoritate, & ratione probatur. *Pag.* 602.

TErtia concluſio: Perſonæ diuinæ non conſtituuntur originibus, aut actiuis, aut paſsiuis. *Eſt D. Tho. vbi ſupra, & probatur primo ex Concilio Florentino.* Nu. 235.

Secundo: nam conſtitutiuum perſonæ diuinæ eſt pro recto reſpectiuum, cum ſit incommunicabile, & diſtinguens; ſed origo actiua in recto eſt aliquid abſolutum, &c. N. 236. *Obiectiones aduerſus hanc rationẽ proponuntur, & ſoluuntur,* à num. 237. vſque ad num. 244.

Tertio probatur: nam conſtitutiuum alicuius rei debet ſignificari, vt manens in illa, non autem vt ab illa egrediens, vel tendens in illam: ſed origo actiua ſignificatur vt egrediens à perſona; paſsiua autem vt tendens ad perſonam. Num. 245.

Quarto probatur: nam Filius non conſtituitur generatione paſsiua, ſed filiatione. N. 245.

Et ſimiliter, Pater non conſtituitur in eſſe perſonæ per generationem actiuam, ſed per paternitatem; ac proinde, nec Filius, aut Spiritus Sanctus per paſsiuas proceſsiones; ſed per relationes conſtituũtur. Num. 247 & 248. *Et effugiũ Aureoli præcluditur.* Num. 249.

§. DVODECIMVS.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 606.

ARguitur primo authoritate Beſarion Patriarchæ. Num. 250. *Reſp.* Nu. 251. & 252.

Secundo arguitur: nam Filius conſtituitur in eſſe perſonæ per generationem paſsiuã, & Spiritus Sanctus per paſsiuam proceſsionem; ac proinde Pater per generationem actiuam cõſtituitur. N. 253. *Reſp.* Num. 254. & 255.

Sed replicatur, quod licet generatio paſsiua per modum generationis, & ſub explicito generationis conceptu, ſolum diſtinguat in fieri, & in eſſe viali; ipſa tamẽ vt ſubſiſtens, & ſecundum conceptum implicitum, diſtinguit diſtinctione permanenti, & aliàs diſtinguit prius, quam relatio filiationis; ac proinde ſub hac ratione conſtituet perſonam Filij. Num. 256. 257. & 258.

Prima ſolutio ex doctrina Capreoli, & quæ contra illam obſtare videantur, à nu. 259. vſque ad num. 261.

Triplex alia ſolutio ex Caietano, & quæ cõtra illas militent, à nu. 262. vſque ad nu. 265.

Duplex alia ſolutio ex Ferrarienſi, & quæ contra illas obſtant. N. 266. & 267.

Denique alia ſolutio Recentiorũ refertur, & licet veram contineat doctrinam, adhuc tamen non videtur plenè argumento ſatisfacere. N. 268. & 269.

Cæterum omnes prædictæ ſolutiones, poſsũt faciliter ad noſtram reduci, quæ Nu. 270. *traditur, & explicatur, per quam facilè impugnationes enodantur.* N. 271.

Tertio arguitur: nam generatio actiua conſtituit Patrem in eſſe perſonæ; ac proinde paſsiua conſtituet in eſſe perſonæ Filium: idemque de Spiritu Sancto erit dicẽdum. Nu. 272. *Reſp.* 273.

Sed contra ſolutionem inſurgit eadem difficultas, ac de origine paſsiua. N. 274. *Reſp. primo.* Num. 275. *Secunda ſolutio ex Nazario, & quæ cõtra illam obſtent,* à num. 276. vſque ad num. 278.

Tertia, & melior ſolutio traditur. N. 279.

Doctrina tamẽ huius ſolutionis nequit origini paſsiuæ adaptari. Origo igitur paſsiua, non ideò non conſtituit perſonam, quia illam conſtitutam ſupponat; ſed quia antecedit illius conſtitutionem. Num. 280. & 281.

Quarto arguitur, & inſtatur contra prædicta: nam in ſententia ſatis probabili inter noſtros Thomiſtas, actio naturalis ſubſiſtens, non petit præſupponere naturam, ſed illam primo cõſtituit: intelligere enim diuinum in actu ſecundo, conſtituit naturam diuinam. N. 282.

So-

Solutio Patris Suarez, quæ refertur. Num. 263. *est manifesta petitio principij, vt ostenditur,* à num. 284. vsque ad num. 286.

Solutio ex Patribus Salmanticensibus, refertur, & reijcitur, à num. 286. vsque ad num. 289.

Alia solutio ex eisdem Patribus Salmanticensibus relata. N. 290. *Vires argumenti nō eneruat, vt ostenditur,* à num. 291. vsque ad num. 293.

Respondetur igitur primo, sententiam illā non posse cum ratione ista D. Th. componi, vel si admittatur, qualiter vtcūque responderi possit, insinuatur. N. 294.

Denique arguitur: nam constitutione reali, nec origo, nec relatio constituunt personā: constitutione virtuali vtraque personam constituit; constitutione ex modo significādi, nec origo, nec relatio constituunt: ergo nullum est discrimen à D. Tho. intentum, quoad hoc, quod relationes constituant personas, & non origines. Nu. 295.

Prima solutio traditur. N. 296. & 297.

Secunda solutio traditur, & defenditur, à num. 298. vsque ad num. 301.

§. Vltimvs.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 619.

EX dictis sequitur primo: relationes esse personas diuinas, & esse in illis. Nu. 302. & 303.

Secundo colligitur: personas diuinas distingui originibus, & relationibus: primo tamen relationibus. Num. 304. vsque ad nu. 306.

Tertio colligitur: abstractis per intellectū relationibus, non manere personas diuinas. N. 307. vsque ad num. 309.

Quarto colligitur: origines passiuas præcedere proprietates relatiuas personales: origines vero actiuas præcedere simpliciter relationem non constituentem personam. Respectu tamen relationis personalis origo actiua præintelligitur ad illam sub munere referentis, illam tamen præsupponit sub munere formæ hypostaticæ. Quoad omnes partes ostenditur. N. 309. 310. & 311.

Quinto colligitur: personam diuinam nō esse communem, reali communitate tribus diuinis personis: idemque est dicendum de hypostasi, & supposito diuino. Num. 312.

Sexto colligitur: rationem personæ diuinæ esse aliqua ratione communem tribus personis, communitate rationis; non tamen communitate vniuoca, sed tantum analoga. Num. 313.

Denique infertur: personam diuinam prædicari, non denominatiuè, sed quidditatiuè, de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. N. 314.

Contrarium docuerunt Vazquez, & Suarez, cuius mitiua referuntur. N. 315.

Soluuntur vero. N. 316.

TRACTATVS DECIMVS QVARTVS.

De æqualitate, & missione diuinarum personarum.

Littera D. Th. breuiter explicātur, à Pag. 627. vsque ad Pag. 650.

DISPVTATIO XCVII.

An identitas, similitudo, & æqualitas diuinarum personarum sint relationes reales?

§. Primvs.

Statuitur Catholica veritas. *Pag.* 651.

PRimo extra controuersiam est apud Catholicos, & certum de fide, personas diuinas esse idem in essentia: quod quidem Hæretici negauerunt. Num. 1. & 2.

Secundo certum est, personas diuinas esse perfectissimè similes. Et probatur. Num. 3. & 4.

Nec obstat modus loquendi Patrum, durante Arrianorum errore. N. 5.

Obijcitur, similitudinem in vnitate qualitatis fundari; sed in Deo non est qualitas cum omne, quod in eo est, sit substantia. Num. 6.

Solutio Scotistarum displicet. Num. 7. & 8. *Aliter occurritur.* N. 9.

Tertio, certum est personas diuinas esse inter se æquales. Num. 10. *Nec obstat illud Ioānis* 14. Pater maior me est. *Dupliciter enim explicatur.* N. 11. 12. & 13. *Et quædam obiectio soluitur.* Num. 14. *An autē hæc possit concedi:* Pater coæquatur Filio: *videatur* N. 15. & 16. *Et obiectionibus contra resolutionem occurritur,* à num. 17. vsque ad num. 20.

Sed contra solutionem obstat grauiter doctrina Angelici Præceptoris. N. 21. *Quæ soluitur, & explicatur.* Num. 22.

§. Secvndvs.

Referuntur ſententiæ, & prima reijcitur. *Pag.657.*

Reſtat examinandam; an relatio identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis diuinarum perſonarum realis ſit, an rationis?

Prima ſententia docet, nec realem, nec rationis eſſe: ſed abſolutè tantum dici æquales: ita Aureolus, quam ſententiam, iam ſepultam ſuſcitauit Martinen. Num. 23.

Secunda per extremum affirmat eſſe reales in Deo; & conſtituit viginti duo relationes reales in Deo. Ita Scotus, & ſui diſcipuli. Num. 24.

Tertia docet, relationem æqualitatis, quæ conuenit perſonis ratione eſſentiæ, eſſe relationem rationis, quæ autem illis conuenit ratione proprietatum relatiuarum eſſe relationem realem, diſtinctam virtualiter à relationibus originis. Hanc tenet Raphael de Auerſa, & Lugo.

Quarta, & vera, nullam relationem realem agnoſcit in Deo, præter quatuor relationes originis: vnde relationes identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis inter diuinas perſonas, aſſerit eſſe rationis: ita D. Tho. quem communiter Scholaſtici ſequuntur. Num. 25.

Prima concluſio: Æquale, ſimile, & idem, formaliter ſumpta, non in abſoluto, ſed in relatione conſiſtunt, prout de diuinis perſonis dicuntur. *Ita omnes Theologi, præter Aureolum, & Martinonem. Et probatur: nam æqualitas in creatis, quamuis pro fundamento vnitatem quantitatis importet, formaliter tamen conſiſtit in relatione.* N. 26. *Et euaſsio præcluditur.* Nu. 27. & 28.

Sed arguit Aureolus: ſi æqualitas in Deo eſſet relatio rationis, ideò eſſet, quia ad actum reducitur per operationem intellectus: ſed nihil Dei poteſt ad actum reduci per operationem intellectus. Num. 29. & 30. *Reſp.* à Num. 31. vſque ad 35.

§. Tertivs.

Reijcitur ſecunda ſententia, & varia motiua expenduntur. *Pag.661.*

Secunda concluſio: Relatio æqualitatis inter diuinas perſonas, in magnitudine eſſentiæ fundata, non eſt realis, ſed rationis.

Ita Authores quartæ ſententiæ: licet autem omnes in ſententia conueniant, in ratione probatiua diſcordant, & diuerſæ rationes probatiuæ, referantur, & examinantur, de illisque fertur iudicium, à num. 36. vſque ad num. 60.

Inter quas ratio Capreoli, & Ferrarienſis, prout expenditur, & roboratur, à num. 42. vſque ad num. 60. *præferenda eſt.*

§. Qvartvs.

Tribus alijs argumentis noſtra cõcluſio ſuadetur. *Pag.668.*

Deinde probatur: namſi æqualitas diuinarũ perſonarum, eſſet relatio realis, ſequeretur dari in Deo plures relationes reales, quam quatuor: conſequẽs eſt contra communem Scholaſticorum ſenſum. N. 61.

Solutio contrariorum. Num. 62. *Impugnatur.* N. 63. 64. & 65.

Suadetur vlterius concluſio: nam ex ſententia oppoſita, ſequeretur dari in Deo prædicata ſolo numero diſtincta: conſequens autẽ falſum eſſe multipliciter probatur, à num. 66. vſque ad num. 70.

Plures obiectiones, & replicæ aduerſus hãc rationem proponuntur, & enodantur, à num. 71. vſque ad num. 83.

Denique probatur: nam vt relatio æqualitatis, vel ſimilitudinis ſit realis, requiritur realis diſtinctio, non ſolum extremorum, ſed etiam fundamentorum: ſed fundamenta æqualitatis, & ſimilitudinis diuinarum perſonarum realiter nõ diſtinguuntur, &c. Num. 84.

Solutio Scotiſtarum aſſerentium, fundamenta relationum æqualitatis, nõ referri vt quod, *ſed tantum vt* quo, *referuntur.* Num. 85.

Impugnatur vero. Num. 86. & 87.

Secundo reſponderi poteſt, vt num. 88. *Sed reijcitur.* Num. 89.

§. Qvintvs.

Argumentis occurritur. *Pag.674.*

Arguitur primo contra concluſionem: nam relatio imaginis in Verbo Diuino, eſt realis: ſed talis eſt relatio ſimilitudinis, &c. Num. 90. *Reſp. primo.* Nu. 91. *Secundo.* N. 92.

Secundo arguitur: nam æqualitas conuenit diuinis perſonis ante operationem intellectus; ac proinde relatio æqualitatis realis eſt. N. 92. vſque ad 94.

Solu-

Solutio Molinæ, & Canarienſis, aſſerentiũ, ens rationis exiſtere poſſe antecedẽter ad operationem intellectus. Nu. 95. *relata: eſt contra communem Metaphyſicorũ ſententiam, & reijcitur,* Num. 96. vſque ad 98.

Aliorum ſolutio aſſerens, ens rationis dupliciter poſſe exiſtere: primo exiſtentia ſui fundamenti; ſecundo exiſtentia ſibi propria. Num. 99. *Reijcitur.* Nu. 100. & 101.

Tertio reſpondẽt alij, ab æterno exiſtere relationem æqualitatis, non in vi actionis intellectus creati, ſed per eſſe obiectiuum in intellectu diuino: cui nõ repugnat efficere ens rationis, ſicut de reſpectib⁹ idealibus, docent plures ex Thomiſtis. Hæc vero doctrina eſt falſa, vt oſtenſum eſt ſupra Tomo ſecundo diſp. 34.

Vera ſolutio traditur. Nu. 103. *Et exemplis illuſtratur.* Num. 104.

Quæ contra ſolutionem obijciunt Scotiſtæ, proponuntur, & diluuntur, à num. 105. vſque ad num. 112.

Tertio arguitur, & probatur, rationẽ qua præcipuè innititur concluſio nullam eſſe: nam ſi eadem quantitatis conſtituatur in diſtinctis ſubiectis, ſe reſpicient relatione realis æqualitatis; & tamen fundamentum in tali caſu erit vnum numero in illis. N. 113.

Solutio Canarienſis, concedentis duo quanta ab eadem numero quantitate, realiter relatiuè eſſe æqualia. N. 114. *Reijcitur,* à Num. 115. vſque ad Nu. 117.

Alia ſolutio id ipſum concedens, ex alio tamen motiuo, refertur, & impugnatur, N. 118. 119. & 120.

Vera ſolutio traditur, Num. 121. *Et* num. 122. & 123. *quædam authoritas D. Tho. explicatur.*

§. Sextvs.

Vltimum argumentum diluitur. *Pag.* 687.

Denique arguitur: nam fundamentum æqualitatis inter diuinas perſonas eſt reale, nempe magnitudo eſſentiæ, extrema ſunt realia, realiter diſtincta, & realiter exiſtentia; ac proinde habet omnia requiſita, vt ſit relatio realis. Nu. 124.

Reſpondetur, in relatione æqualitatis, vt relatio realis ſit, requiri, quod fundamenta realiter diſtinguantur. Num. 125.

Sed contra ſolutionem plura, & notatu digna obijciuntur, & diſſoluuntur, à num. 126. vſque ad num. 137.

Duo tamen obſtant contra ſolutionem argumenti, & impugnationum. Primum eſt, falſum eſſe quantitates diſtinctas fundare, vt ſic realem æqualitatis relationẽ diſtinctione, vt conditione ſe habente. N. 139.

Secundum eſt: nam tota ratio diſcriminis aſſignata inter relationes primi generis ab alijs aliorum generum, eſt, quod ſubiecta primo relata, relatione primi generis ſunt fundamenta: ſecus in alijs generibus; at hoc diſcrimen eſſe falſum, probatur, à numero 140. vſque ad num. 142.

Reſpondetur ad vtramque difficultatem, à num. 143. vſque ad num. 153.

§. Septimvs.

Statuitur tertia concluſio, & examinantur aliquorum motiua. *Pag.* 690.

Tertia concluſio: Non datur in perſonis diuinis relatio realis æqualitatis, diſtincta à relationibus originis, fundata in proprietatibus perſonalibus.

In reddenda ratione probatiua huius concluſionis, diſſidium non modicum eſt inter authores noſtræ ſententiæ, N. 154.

Suarez, quem ſequitur Albertinus ex eo probat, quia æqualitas diuinarum perſonarum, ratione relationum non fundatur in vnitate, vel conuenientia formali; ſed in quadam proportionali æſtimatione, vt autem relatio realis eſſet, deberet in vnitate formali fundari. N. 155.

Hæc tamen ratio non vrget, & ex doctrina ipſius P. Suarez reijcitur, Num. 156. & 157.

Alij ducuntur, ex eo quod ſola vnitas ſubſtantiæ fundat relationem identitatis, ſola vnitas qualitatis relationem ſimilitudinis; & ſola vnitas quantitatis relationem æqualitatis; relatio autem ad nullum ex his generibus ſpectat; ſed argumentum ineſficax eſſe conuincitur. N. 158. vſque ad num. 160.

Molina probat: nam relatio, quæ habet pro fundamento aliam relationem, non potest esse realis, sed rationis. Sed in huius probatione tota difficultas consistit, ipse vero improbatum reliquit. Nu. 161.

Assumptum vero probat Vazquez, argumẽto tamen parum vrgenti, vt ostenditur, à num. 162. vsque ad num. 165.

Ex quibus inefficax deprehenditur aliud argumentum, quo ex Caietano, nonnulli recentiores vtuntur, scilicet, cum paternitas v.c. se ipsa sit ratio referendi per se ipsam, nullo superaddito, est alteri similis, vel dissimilis, à num. 166. vsque ad n. 169.

Denique alij ex eo ducuntur, quia si relatio similitudinis esset realiter distincta, deberet per resultantiam existere. Sed habere esse per resultantiam, repugnat omni formalitati diuinæ. Num. 170.

Sed vis huius argumenti non percipitur, & reijcitur, à num. 171. vsque ad nu. 175.

§. Octavvs.

Alijs argumentis nostra cõclusio probatur, & contraria diluuntur. *Pag.* 696.

Svadetur ergo conclusio primo, ex eo quod secundum relationes non attenditur in diuinis personis æqualitas, vel inæqualitas, vt ex D. Augustino, & D. Tho. ostẽditur. Et vlterius ratione, à num. 176. vsque ad num. 180.

Et ratio est: nam magnitudo, quæ est quantitas virtutis, & perfectio, quæ obtinet rationem qualitatis, super quas debẽt fundari relationes æqualitatis, & similitudinis, in Deo solum absolutè dicũtur, nec diuinis personis, ratione relationis conueniunt.

Sed superst difficultas de relatione distinctionis inter paternitatem, & filiationem: cum enim realiter distinguantur, etiam referuntur relatione distinctionis. N. 181.

Huic difficultati potest occurri primo asserẽdo, relationem distinctionis inter paternitatem, & filiationem esse realem, indistinctam tamen etiã virtualiter à paternitate, & filiatione. Nu. 182. & 183.

Duo tamen obstant contra hanc solutionem, quæ proponuntur, à num. 184. vsque ad num. 186.

Quare melius respondetur secundo: relationes inæqualitatis, dissimilitudinis, & distinctionis, non supra quamlibet multitudinum, sed solum supra multitudinem perfectionem debere fundari; & cum relationes perfectionem non dicant, &c. Hæc solutio defenditur, & obiectionibus occurritur, à num. 187. vsque ad num. 191.

Deinde probatur conclusio: nam dato, quod relationes diuinæ perfectiones relatiuas importent, ideò sunt æqualis perfectionis, quia includunt diuinam essentiam: ergo fundamentum est vnum numero in illis. N. 192.

Tertio probatur: nam ex opposito fieret dari in Deo relationes aliquas reales supra quatuor relationes originis, quod est contra omnes Theologos, præter Scotistas. Num. 193. vsque ad num. 195.

Quarto: nam ex opposito fieret dari in diuinis personis formalitates solo numero distinctas: quod esse falsum pluribus est superius, demonstratum. N. 296.

§. Nonvs.

Ratione D. Tho. probatur nostra conclusio. *Pag.* 701.

Denique probatur: ex eo quod vna relatio non potest aliam relationẽ fundare, sed proprietates personales sunt formaliter relationes, &c. Maior probatur ab inconuenienti: nam alias sequeretur resultare actu infinitas relationes; consequens est impossibile. Num. 197. & 198.

Triplex solutio, quæ adhiberi potest, refertur, & impugnatur, à num. 199. vsque ad num. 206.

In reddenda ratione à priori, cur relationi repugnet aliam relationem fundare, est maxima difficultas.

Aliqui probant, ex eo quod totum esse relationis, est ad aliud se habere, sed inefficaciter. Nu. 207.

Alij verò, quia relatio ex sua natura ad correlatiuum ordinatur; ac proinde non potest, per vlteriorem relationem ad aliũ terminum ordinari; aliàs inuerteretur ordo à natura præfixus. Sed reijcitur. N. 208.

Tertio alij probant, quia relatio minimæ entitatis eſt; & conſequẽter incapax actiuitatis fundandi relationem aliam, & qua ratione poſsit defendi, oſtenaitur, à num.209.vſque ad num.213.

§. Decimvs.

Obiectionibus occurritur. *Pag.*705.

ARguitur cõtra concluſionem: nam relatio æqualitatis, qua paternitas ad filiationẽ refertur, fundata in perfectione relatiua, habet quidquid requiritur vt ſit realis, cum fundamenta ſint realiter diſtincta, &c.N.214.

*Reſpondetur primo negando ſuppoſitum: relationes enim diuinæ, ratione illius, quod addunt ad eſſentiam, non dicunt perfectionem. Secundo, hoc admiſſo reſpondetur, nõ fundare relationem æqualitatis ratione perfectionis relatiuæ; ſed ſolum ratione eſſentiæ.*N.215.

*Tertio, abſtrahendo ab his ſententijs, reſp. fundamentũ relationis debere eſſe abſolutum, non relatiuum; relatio enim eſt incapax aliam relationem fundãdi.*N.216.

Replicæ aduerſus hanc tertiam ſolutionem, proponuntur, & ſoluuntur, à num. 217. vſque ad num.226.

§. Vndecimvs.

Primum corollarium ex dictis. *Pag.*708.

EX dictis infertur: perſonas diuinas eſſe in dignitate æquales.

*Opponitur, quod Filio deeſt dignitas aliqua Patri conueniens.*N.227 & 228.

Solutio aſſerentium, relationes diuinas dicere perfectionem relatiuam; non tamen illam multiplicare, ſed eſſe vnam, & eandem in ratione perfectionis, refertur, & eius difficultas oſtenditur, à num.229. vſque ad num.234.

*Qui vero exiſtimant, relationes diuinas addere ſupra eſſentiam perfectiones relatiuas realiter diſtinctas, tripliciter occurrunt obiectioni factæ.*Num.235.

Cæterum omnes ſolutiones difficiles ſunt, & contra omnes militat authoritas D. Th. & reijciũtur, à n.236.vſque ad 245.

*Vera ſolutio aſſerit, perfectionem, magnitudinẽ, & dignitatẽ, non dici relatiuè, ſed tantũ abſolutè in Deo, vt docet D. Th.*N.246.

Duo tamen obſtare videntur aduerſus hanc ſolutionem, quæ proponuntur, & ſoluuntur, à n.247.vſque ad num.253.

§. Dvodecimvs.

Examinatur Recentiorũ ſentẽcia. *Pag.*714.

RVizius, quem alij Recentiores ſequuntur ſentit, relationes diuinas dicere perfectiones relatiuas diſtinctas, pertinẽtes ad integritatem Deitatis, & vt cum hoc componant æqualitatem perſonarũ, docent omnes relationes eſſe in qualibet perſona diuina, ac proinde nulli ex perſonis deficere aliquã perfectionem. N.254.

Quæ contra hunc dicendi modũ poſſunt obijci, & qualiter vtcumque reſponderi poſſit, & ab Authore reſpondebatur, gerente munus patroni, cuiuſdam hanc ſententiam defendentis, proponuntur, à nu.255. vſque ad num.267.

Vrgentius arguitur contra prædictũ dicẽdi modum, à n.268.vſque ad n.278.

§. Decimvstertivs.

Infertur ſecundo ex dictis, æqualitas perſonarum in potentia. *Pag.*720.

*COlligitur ſecũdo, Perſonas diuinas in potẽtia æquales eſſe. Ita D. T. cõſtatq; ex Symbolo Athanaſij. Sed cõtra hãc veritatem eſt obiectio difficilis: nam Filio deeſt aliqua potentia, quæ eſt in Patre, ac proinde non ſunt æquales in potẽtia. Antecedens probatur, quia Filio non conuenit potentia generandi.*N.280.

Solutio P. Vazquez aſſerentis, potentiã generatiuam ſub omnipotentia non contineri, eſt inſufficiens, vt oſtenditur, à num. 281.vſque ad num.289.

Sed aduerſus doctrinam D. Tho. obijcitur: nam omnipotentia eſt attributum ab intellectu, & voluntate diſtinctũ, vt probabiliter docẽt plures Thomiſtæ; ſed potentia generatiua eſt intellectus, prout in Patre, &c.N.290.& 291. *Reſp.*Num.292. & 293.

An vero omnipotentia ſumpta pro virtute proxima ſit diſtincta virtualiter à potentia generatiua, & a potentia ſpiratiua. Videatur. N.294.& 295.

Secundo alij respondent, Filium esse æqualē Patri in omnipotentia, quamuis illi generare repugnet, quia omnipotētia consistit in potentia ad omne id, quod non implicat: Filium autem generare implicatorium est. Numero 296. *reijcitur,* Numero 297.

Et quædam authoritas D. Tho. explicatur, Nu. 298. & Num. 299.

Tertio alij respondent, Filio conuenire potētiam generatiuam, quoad ea, quæ essentialiter importat in Deo. Sed nec placet hæc solutio, & reijcitur, Numero 300.

Vera solutio ex D. Thoma asserit, eandem potentiam, quæ est in Patre, vt actiuè generet, esse in Filio, vt passiuè generetur: ac proinde nullam potentiam conuenire Patri, quæ non competat Filio: etsi vtrique conueniat sub diuerso respectu. Nu. 301.

Contra quam solutionem tres replicæ notandæ proponuntur, & dissoluuntur, à num. 302. vsque ad num. 315.

§. Vltimvs.

Cætera, quæ inferuntur ex dictis. *Pagina* 729.

TErtio infertur, personas diuinas esse in duratione æquales. Patet ex Symbolo Athanasij. N. 316.

Sed aduersus hanc veritatem arguitur: nam vbi est prius, & posterius, non est durationis æqualitas; sed Pater est prior Filio, & Filius Patre posterior. Nu. 318.

Duplex solutio, & vtraque sufficiens assignatur, Num. 319. & 320.

An autem inter diuinas personas, non solum concedendus sit ordo realis, sed etiā prioritas realis originis? Videatur, à nu. 321. vsque ad 331.

DISPVTATIO XCVIII.

In quo missio diuinarum personarum consistat: & quotuplex sit?

§. Primvs.

Prima pars disputationis resoluitur. *Pag.* 733.

PErsonas diuinas mitti, est veritas de fide tenenda. Num. 1.

Duo in ratione missionis importantur: vnū est habitudo missi ad eum à quo mittitur: aliud est habitudo missi ad terminum ad quem mittitur, Nu. 2. & 3. *Alia prænotantur.* Num. 4. & 5.

Inquiritur ergo, in qua istarum habitudinū consistat essentialiter missio, prout diuinis personis tribuitur?

Prima sententia tenet, missionem adæquate saluari in habitudine originis, hoc est in processione vnius personæ ab alia.

Secunda per oppositum docet, adæquate consistere in effectu temporali, vel in habitudine ad illum. Tertia, & vera asserit, vtramque habitudinem esse de ratione missionis: ita communiter Scholastici. N. 6. 7. & 8.

Prima conclusio: De ratione missionis diuinarum personarum est processio, & habitudo ad effectum temporalem.

Prima pars probatur: nam de ratione missionis vt sic, est exitus missi à mittente: at exitus per imperium, aut per consilium personis diuinis nequit competere: ergo exitus per originem, in quo nulla est imperfectio requiritur. Num. 9. 10. & 11.

Secunda pars probatur primo ex D. Augustino. Num. 12.

Deinde ratione. Nam processio vnius personæ ab alia, est æterna; missio autem temporalis, ac proinde missio non consistit adæquate in processione æterna; sed in illa, & in habitudine ad effectum temporalē. N. 13. *Denique probatur: nam missio non est necessaria, sed libera: at processio est omnino necessaria: ergo in illa nequit adæquate consistere.* Num. 14.

§. Secvndvs.

Argumentis contra primam partem conclusionis occurritur. *Pag.* 736.

COntra primam partē arguitur primo, ex eo quod missio nequit dare esse personæ missæ, sed illam productam supponit: ac per consequens æterna processio est extra essentiam missionis. Nu. 15. *Respondetur.* Nu. 16. & 17.

Secundo arguitur: nam ex vi exitus, qui est de ratione missionis, determinari debet aliquomodo voluntas missi in ordine ad

terminum missionis; sed voluntas personæ diuinæ procedentis non determinatur ex vi processionis ad missionis terminũ. N.18.& 19.

Communis solutio traditur, & defenditur, à num.20.vsque ad 25.

At iuxta superius dicta disp.91.nempè, Verbum prout libere repræsentat creaturas per se ex libera cognitione illarum, prout in Patre, procedere: & Spiritum Sanctũ ex libero amore illarum: aliter, & facilius occurritur argumento. Nu.26.& 27.

§. Tertius.

Occasione vltimi argumenti explicatur: an persona diuina mittatur ab ea, à qua non procedit? *Pag.*740.

Tertio arguitur, sequi ex nostra sententia, personam diuinam non mitti, nisi ab eade qua procedit. Consequens autem videtur falsum, & cõtra plura loca Scripturæ, in quibus Filius dicitur missus ab Spiritu Sancto, à quo non procedit. N.28. & 29.

Responderi solet primo, concedendo sequelã: & auctoritates Scripturæ explicant de missione Christi, quatenus homine, ad prædicandum. Num.30.

Secundo alij concedunt sequelam, loquendo de missione propriè dicta, & illã negant, loquẽdo de missione accepta largè, quæ solutio parum à prima distat. Num.31.

Sed contra hos modos dicendi obstat Authoritas D. Augustini, & D. Thom. asserentium, Filium non solum ratione humanitatis sed etiam vt est persona diuina proprie mitti ab Spiritu Sancto, & à se ipso. Num.32.

Explicatio Caietani, & Ferrariæ, à n.33.vsque ad 35.

Expenduntur testimonia Augustini, ex quib⁹ deducitur ratio, à n.36.vsque ad n.39.

Ex quibus ad argumentum resp. negando sequelam, à n.40.vsque ad n.42.

Argumentis Durandi occurritur, àn.43.vsque ad n.50.& 57.

Quod si resolutio ob sui difficultatem non placuerit, potest aliter responderi concedẽdo sequelam; & explicare testimonia Scripturæ de missione largè accepta. N. 58.59.& 60.

§. Quartus.

Argumentis contra secundã partem conclusionis occurritur. *Pag.*748.

Contra secundam partem arguitur primo Authoritate D. Gregorij, cuius mens proponitur, & explicatur, à nu. 61.vsque ad nu.64.

Secundo arguitur ex doctrina D. Tho. comparantis missionem personarum, emissioni florum ab arbore; hæc autem adæquatè consistit in emanatione. Num.65. *Resp.* Num.66.vsque ad num.68.

Denique arguitur: nam missio diuinarũ personarũ est aliquid reale: sed habitudo personæ diuinæ ad terminum de nouo acquisitum non est realis, &c. Prima solutio asserentium, ideas diuinas per respectus rationis compleri; & similiter discurrentiũ de missionibus diuinarũ personarum, refertur, & reijcitur, à n.79.vsque ad 71.

Vera solutio est nomine habitudinis, non accipere D. Th. entitatem rationis, sed fundamentum illius. Nu.72. *Quodnam vero sit fundamentum explicatur.* Num.73. & 74.

§. Quintus.

Explicatur modus, quo istę habitudines ingrediuntur cõstitutionem missionis. *Pag.* 572.

Secunda conclusio: Vtraque habitudo directè importatur in missione, & vtraque magis, aut minus principaliter secundum diuersas considerationes.

Prima pars probatur primo ex D. Tho. Nu. 75.& 76.

Secundo probatur, ex eo quod missio, siue actiuè, siue passiuè sumatur, importat directè vtramque habitudinem: nã actio directè respicit principium, & terminũ: passio verò directè terminum, & principium. N.77.

Secunda pars cõclusionis probatur, quia istæ habitudines sic comparãtur, vt vtraque sit determinans, & distinguens, & vtraque per alteram determinetur: quæ ratio explicatur, & vrgetur. N. 78.79. & 80.

§. Sextus.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 754.

Contra vtramque partem conclusionis videtur stare D. Tho. in 1. dist. 15.

quæst. vnica art. 2. in corpore. Num. 81. *Resp. & mens D. Tho. explicatur*, à nu. 82. vsque ad num. 88.

Secundo arguitur ex eodem D. Tho. in præsenti quæst. 43. art. 2. Num. 89. *Sed nihil contra conclusionem ex verbis D. Thomæ concluditur, vt ostenditur.* Num. 90.

Tertio arguitur: nam per processionem æternam connotato effectu temporali, sufficienter constituitur missio personæ diuinæ. Num. 91. *Resp.* Num. 92. & 93. *& argumentum retorquetur.* N. 94. & 95.

Contra secundam partem arguitur argumẽto Durandi, quia in missione illud, quod est essentiale, nempè effectus temporalis, & habitudo ad illum, est quasi completiuum, & formale respectu eius, quod est notionale. Num. 96. *Resp.* Num. 97. *& replicis fit satis*, vsque ad Num. 101.

Respondetur secundo. Num. 102. *Respondetur tertio*, à numero 103. vsque ad num. 105.

Denique arguitur: nam missio non est formaliter exitus missi à mittente secundum esse, vt constat in seruo miso à Domino, qui ab illo non accipit esse: sed in vi processionis æternæ Filius, & Spiritus Sanctus accipiunt esse, &c. Num. 106.

Sed argumentum plus probat, quam intendit. Num. 107. *Ad illud resp.* N. 108. vsque ad num. 110.

§. Septimvs.

Secunda pars disputationis resoluitur. *Pag.* 762.

Missio diuiditur in actiuã, & passiuã. Nu. 111. *Secundo, ex parte processionis diuiditur missio in missionem Filij, & missionem Spiritus Sancti.* Num. 112. *Tertio, ex parte effectus, vel modi diuiditur missio personæ, in visibilem, & inuisibilem. Diffinitionis assignãtur, & diuisionem esse adæquatam, ostenditur*, à num. 113. vsque ad num. 117. *Missio visibilis sub diuidi potest in missionem pure visibilem, & missionem mixtam ex visibili, & inuisibili.* N. 118.

Contra hanc diuisionem obijcitur primo. Nam visio inuisibilis non est cum proprietate missio: nam mittens, & missum non possunt ad eundẽ terminum pergere, vt constat in missione vnius hominis ab alio. Num. 119. *Hoc argumento conuincitur Zuñiga, sed leui fundamento ductus, vt ostenditur*, à num. 120. vsque ad Num. 125.

Secundo arguitur ad probandum, missionem visibilem ad nihil esse necessariã. N. 126.

Respondetur, quod licet missio visibilis non sit necessaria simpliciter ad finem nostra salutis, est tamẽ conueniens, & vtilis, vt missio inuisibilis per signa visibilia manifestetur. N. 127.

Quatuor notabiles obiectiones proponũtur, à num. 128. vsque ad num. 131.

Sententia P. Suarez circa primã obiectionẽ, refertur, & reijcitur. Nu. 132. & 133.

Obiectionibus resp. à num. 134. vsque ad nu. 143.

§. Octavvs.

Tres difficultates incidẽtes enodantur. *Pag.* 769.

Prima difficultas: vtrum missiones Filij, & Spiritus Sãcti ex parte termini realiter distinguãtur? Et sermo est de missione inuisibili, quæ solum fieri per dona gratiæ gratũ facientis, modò supponitur. N. 144.

Prima sententia, quam tenet Durãdus, affirmat, & eius fundamentum refertur. N. 145. *Alij per oppositum negãt.* N. 146.

Asserendum tamen est, missione accepta appropriatiuè, missionem Filij distingui realiter ex parte termini à missione Spiritus Sancti: secus autem propriè accepta.

Prima pars conuincitur argumento Durandi, & explicatur. N. 147. & 148.

Secunda vero pars probatur: nam missione propriè accepta, non solũ mittitur Filius secundum dona perficientia intellectũ, sed etiã secundum dona perficientia voluntatẽ, & idem est de Spiritu Sancto, vt ostenditur, à n. 149. vsque ad n. 153.

Ex quibus resp. ad argum. Durãdi. N. 154.

Et mens D. Th. explicatur, à nu. 155. vsque ad num. 158.

Secũda difficultas est, an missio Filij, & Spiritus Sancti connexæ sint, ita vt nõ possit vna persona mitti sine alia?

Affirmatiua sententia est communis loquendo, vt loquimur, de missione inuisibili. N. 159. *De missione accepta propriè facili negotio probatur.* Num. 160.

Sed quod missio vt appropriata Filio connexa sit cum missione, vt appropriata Spiritui Sancto, & è conuerso, probatur à Durando. Num. 161.

*Sed eius ratio partim coincidit cum ratione D.Tho.infra adducenda, id autem quod addit non placet.*Nu.162.

Aliter probatur ex D.Th. ex cuius verbis formatur ratio;quia licet effectus gratiæ,secundũ quos missio Filio, & Spiritui Sancto appropriatur,realiter distinguantur, conueniunt tamen in eadem radice, nempè in gratia sanctificante; & aliàs processio vtriusque personæ inseparabilis est. Numero 163. & 164.

Secunda ratio sumitur etiam ex D. Tho. in 1.dist.nst. 15. quæst.4. artic.2. asserente, quod notitia perfecta,secundum quam est missio Filij, semper inducit in amorem,& ideò simul infundũtur,& simul augmentantur.

Contra quam rationẽ insurgit duplex difficultas.Prima est: nam notitia,quam amor,necessario supponit, non est notitia habita per donum sapientiæ,sed notitia habita per fidem; at secundum hanc notitiam non mittitur Filius; ac perconsequens missio Spiritus Sancti non supponit necessario missionem Filij. Nu. 166. 167.& 168.

*Secunda difficultas est: nam nulla notitia quantumcumque perfecta in hac vita, necessitat voluntatem quoad exercitiũ ad amorem; sed solum à Deo clarè viso potest sic necessitari; ac proinde notitia perfecta, secundum quam mittitur Filius,non est necessario connexa cum amore,secundum quẽ mittitur Spiritus Sanctus.*N.169.

Hæ duæ difficultates incidentes soluuntur disputatione sequenti.

*Contra conclusionem arguitur à paritate: quia potest vna persona mitti visibiliter sine alia visibiliter missa, & de facto Spiritus Sanctus fuit missus visibiliter, non misso visibiliter Filio: ergo etiam inuisibiliter.*Num.170.

Respondetur, à num. 171. vsque ad Num. 174.

*Tertia difficultas est, an missio visibilis ex æquo ab inuisibili distinguatur; an vero solum distinguatur ab illa, vt includens ab incluso? Prima sententia docet, ex æquo distingui: imò & posse dari missionem visibilem,sine missione inuisibili.Ita Suarez.*Num.175.

Secunda docet, distingui vnam missionem ab alia tantum,vt includens ab incluso. N. 176.

Et probatur apertis testimonijs D.Th. N. 177. & 178.

Secundo probatur ad hominem contra Suarez, à num.179.vsque ad num.183.

Denique probatur: nam de ratione missionis est,quod persona missa sit realiter nouo modo in illo,ad quem missio fit,&c. Nu. 184.& 185.

*Sed arguit Suarez,quod dari potest, & de facto exstitit missio visibilis Spiritus Sãcti sine missione inuisibili,vt in Iordane baptizato Domino,fuit Spiritus Sãctus ad illum visibiliter missus;& tamen tũc non fuit ad illum missus inuisibiliter.*N. 186.

Ad argumentum cum suis replicis, respondetur, à Num. 187. vsque ad Num. 191.

*Denique arguitur: nam missio visibilis,& missio inuisibilis, sufficienter comparantur in ratione signi,& signati.Respondetur.*Num. 192.

§. Vltimvs.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pagina* 782.

EX dictis infertur primo: missionẽ diuinarum personarum, non æternam, sed temporalem esse.Probatur,& defenditur, à num.193. vsque ad num. 198.

*Secundo infertur,quod licet tota Trinitas veniat ad hominem, & ipsum inhabitet per gratiam; & licet possit tota Trinitas apparere:Pater tamen nõ mittatur, nec possit mitti,bene tamen Filius,& Spiritus Sanctus.*Num.199.& 200.

Tertio infertur,quadruplex differentias inter missionem visibilem Filij, & missiones visibiles Spiritus Sancti, à num.201. vsque ad num.207.

*Quarto infertur,oportuisse,vt fieret missio visibilis Spiritus Sancti ad Christum.*N. 208.

*Quinto infertur, oportuisse vt ad Apostolos fieret missio visibilis.*N.209.

*Sexto infertur,ad Beatissimam Virginẽ non fuisse factam missionem visibilem specialem.*N.210.vsque ad num.212.

Denique infertur, ad Patres veteris testamenti, non fuisse factam missionem visibilem. Nu. 213. & 214.

DISPVTATIO XCIX.

Quem effectum connotet missio inuisibilis. *Pagina* 788.

DE missione visibili secundum id quod addit supra inuisibilem, certum est non connotare effectum entitatiue supernaturalem. Vnde disputatio procedit de missione inuisibili, & inquiritur: an effectus connotatus debeat esse aliqua forma in creatura intrinsecè existens: an extrinseca denominatio sufficiat? Et supposito, quod intrinseca sit; an entitas naturalis sufficiat: an vero necessario debeat esse supernaturalis: & an quæuis supernaturalis sufficiat? Num. 1. & 2.

§. PRIMVS.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. *Pagina* 789.

PRima sententia docet, missionem diuinarum personarum fieri, non solum secundum dona gratiæ; sed etiam secundum dona naturæ. Nu. 3.

Secunda asserit, posse personas diuinas de potentia absoluta mitti per beneuolentiam extrinsecam, & extrinsecam acceptationem ad gloriam. Tertia, non solum mitti per dona gratiæ gratum facientis; sed etiam per fidem informem. Et tres istas sententias, de missione propria defendit Arriaga. Numero 3. & num. 4.

Quarta, & vera defendit, solum per dona gratiæ gratum facientis proprie mitti personas diuinas. Ita D. Thom. & Scholastici communiter, qui citantur. Num. 5.

Prima conclusio: Secundum dona naturæ, non mittuntur diuinæ Personæ. *Ratio, qua Suarez, & cum eo alij Recentiores probant refertur.* N. 6.

Parum tamen vrget contra Durandum, vt ostenditur, à numero 7. vsque ad numerũ 10.

Aliter probatur primo, quia de missionibus diuinis loquendum est iuxta modũ, quo Patres loquuntur, qui solum dicunt personas mitti quando dona supernaturalia infunduntur. N. 11.

Secundo, quia solum mittuntur diuinæ personæ, secundum dona manifestantia propria personarum, & illarum processionẽ: sed dona naturalia, non manifestant propria personarum, nec vnius processionem ab alia. N. 12.

Maior probatur, à num. 12. vsque ad numerum 15.

§. SECVNDVS.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pagina* 792.

ARguitur primo, quia Spiritus Sanctus datur, non solum secundum dona gratiæ, sed etiam secundum dona naturæ: quod suadetur, à num. 16. vsque ad nu. 19.

Respondetur, à numero 20. vsque ad num. 27.

Secundo arguitur argumento Durandi: ideò Spiritus Sanctus datur rationali creaturæ, & ad illam mittitur per dona gratiæ, quia per illa potest in ipsum tendere, vt in obiectum cognitum, & amatum, sed etiam secundum dona naturæ potest in Deum tendere, vt in obiectum cognitum, & amatum quamuis imperfectè, &c. à n. 28. vsque ad 35.

Prætermissis alijs solutionibus inter arguẽdum assignatis, verior solutio traditur, & defenditur, à num. 36. vsque ad numerum 41.

Contra solutionem vero arguitur, à nu. 42. vsque ad 45.

Respondetur vero, à num. 46. vsque ad numerum 52.

§. TERTIVS.

Reijcitur sententia Gregorij. *Pag.* 801.

SEcunda conclusio.: Non possunt Personæ diuinæ mitti per solam acceptationẽ extrinsecam. *Loquendo de lege ordinaria, à nullo, nec ab ipso Gregorio negatur conclusio.* N. 53.

Quod autem, nec de potentia absoluta, sine

intrinseca mutatione creaturæ mitti possint, probat Suarez, ratione quidem veram continente doctrinam, sed parum consequenter ad propriam, vt ostenditur, à n. 54. vsque ad num. 59.

Aliter probatur conclusio: quia solum per gratiam iustificantem possunt diuinæ personæ mitti; sed nec de lege ordinaria, nec de potentia absoluta potest homo sanctificari per extrinsecam acceptationem. N. 60.

Secundo, quia personæ diuinæ, non possunt nouo modo incipere esse in creatura rationali, sine mutatione intrinseca illius. N. 61.

Euasio asserentium, sufficere, quod incipiant esse in creatura nouo modo nouitate morali, præcluditur, à num. 62. vsque ad num. 64.

Tertio probatur, quia vt personæ diuinæ mittantur, necesse est, quod secundum sibi propria repræsententur in nobis ratione suæ similitudinis in nobis receptæ. Num. 65. & 66.

Denique: nam implicat vnio, cum Deo vt obiecto, & coniunctio, cum illo vt fruibili, sine forma intrinseca. Num. 67.

§. Qvartvs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pagina* 806.

Arguit Gregorius: quod per se, & ratione sui donum est potest immediate, & secluso dono, ab illo distincto, donari; sed Spiritus Sanctus per se, & ratione sui est donum. Num. 68.

Ad argumentum, cum replicis notandis, respondetur, à numero 69. vsque ad numerum 72.

Secundo arguitur: nam sequitur ex his, quibus conclusio probatur, Spiritum Sanctum non venire ad humanitatem Christi, nec illi donari ex vi vnionis hypostaticæ; consequens est falsum, &c. N. 73.

Respondetur. Num. 74.

§. Qvintvs.

Explicatur effectus connotatus à missione diuinarum personarum. *Pag.* 809.

Tertia conclusio: Solum per gratiam gratum facientem dicuntur diuinæ personæ mitti, missione propria, & simpliciter. *Probatur primo ex D. Augustino, & D. Thom.* Num. 75.

Ostenditur Augustinum in sensu exclusiuo loquutum fuisse, à num. 76. vsque ad num. 80.

Secundo probatur, quia personæ diuinæ solum per donagratiæ gratum facientis, veniunt ad creaturam rationalem, & illam inhabitant. Num. 81.

Euasio. Numero 82. *Iusinuata præcluditur.* Num. 83. 84. & N. 85.

Non est audiendus Arriaga asserens, loca Scripturæ allegata accipienda esse de donatione, & habitatione completa, non autem de donatione, & habitatione, vera quidem, non tamen totali, & impugnatur, à num. 86. vsque ad numerum 91.

Denique probatur conclusio: nam solum ratione donorum gratiæ gratum facientis dantur proprie diuinæ personæ, & resultat relatio ad Deum, tanquam ad habitum. Num. 92. & 93.

§. Sextvs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pagina* 815.

Primum argumentum intendit probare, per fidem informem mitti personas diuinas. N. 94. & 95.

Respondetur, à num. 96. vsque ad numerum 99.

Ratio autem cur requiratur ad missionem Filij cognitio inferens amorem, assignatur ex D. Thom. Num. 100.

Plura, quæ contra doctrinam D. Thomæ difficultatem ingerunt, & in materia parum trita fere a nullo tanguntur: obijciuntur, à num. 101. vsque ad num. 107.

Enodantur vero, à num. 108. vsque ad num. 118.

§. Septimvs.

Duplex obiectio supra remissa diluitur. *Pag.* 822.

Ex dictis §. præcedenti, soluitur difficultas disputatione præcedenti. §. 8. n.

166. *tacta*, & *ad hunc locum remissa*. N.119.

Secundæ etiam difficultati. Num. 169. *propositæ, occurritur asserendo, notitiam per quam Filius mittitur debere esse connexam cum amore, necessitate non physica, sed morali, quod & non amplius intendit D. Tho*. N. 120.

Sed obijcitur, sequi ex solutione, posse in aliquo casu mitti Filium sine Spiritu Sancto; consequens est falsum, & contra D. Tho. Nu. 121. & 122.

Soluitur dupliciter, primo sustinendo missionem personarum fieri propriè, non solum secundum dona permanentia, sed etiam secundum actus donorum, & quod appropriatio missionis vni personæ præ alia, etiam secundum actus pensetur, à num. 123. vsque ad num. 126.

Sed defendendo personas, non propriè mitti per actus, & ratione illorum, sed solum ratione donorum permanentium: aliter soluitur, à Num. 127. vsque ad Num. 133.

§. Vltimvs.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pagina* 826.

EX dictis colligitur primo, ad creaturas irrationales non posse fieri missionem inuisibilem personarum diuinarum, à num. 124. vsque ad num. 138.

Secundo colligitur, ad Patres veteris Testamenti factam fuisse inuisibilem missionem; etsi non ita plenam, loquendo communiter, quoad primam partem probatur. N. 139.

Secunda vero, à num. 140. vsque ad nu. 150. *Et ibi*, num. 148. *quatuor modi plenitudinis, ex D. Alberto Magno assignatur. Et* Num. 150. *de plenitudine missionis ad Beatissimam Virginem determinatur.*

Tertio colligitur: ad humanitatem Christi factam fuisse duplicem missionem personarum in instanti conceptionis: vnam ratione sanctitatis substantialis: aliam ratione accidentalis, postea tamen numquam fuisse factam ad illam nouam missionem. Nu. 151. & 152.

Obiectiones, quæ contra hoc assertum militant, proponuntur, & soluuntur, à numero 153. vsque ad num. 159.

Quarto colligitur, factam fuisse missionem personarum ad Angelos in primo suæ creationis instanti; nouamque missionem fieri ad Angelos, & ad homines in instanti glorificationis, prima pars probatur. N. 160.

Secunda vero probatur, & defenditur ab impugnationibus; à num. 161. vsque ad num. 170.

Quinto colligitur, ad nouam personarum missionem, semper esse necessariam aliquam nouitatem in gratia gratum faciente. N. 171. & 172. *Et quædam obiectio soluitur*. N. 173.

Denique infertur, ad nouam missionem personarum, sufficere nouitatem intensiuã, aut extensiuam gratiæ gratum facientis: nullam tamen ex illis, necessario requiri. Prima pars probatur, à num. 174. vsque ad num. 179.

Secunda vero. Num. 180. vsque ad num. 183.

Tertia autem. Num. 184. 185. & 186.

DISPVTATIO CENTESIMA.

An ex vi missionis constituantur diuinæ Personæ realiter præsentes, præsentia physica, distincta à præsentia per immensitatem?

§. Primvs.

Quæ certa sint præmittuntur. *Pagina* 840.

SVpponitur primo, cum mittuntur diuinæ personæ, non solum donari nobis dona gratiæ, sed etiam ipsas personas. Ita omnes Scholastici. N. 1.

Et probatur testimonijs Scripturæ. Oppositum, tanquam erroneum damnatur. Num. 2.

Cui censuræ non acquieuit Arriaga, contendens explicare testimonia Scripturæ. N. 3.

Sed efficaciter impugnatur, à num. 4. vsque ad num. 11.

Veritas autem nostræ suppositionis, explicatur, & probatur, à num. 12. vsque ad num. 16.

Secundo supponitur, non solum dari nobis

Spiritum Sanctum, ſed etiam alias perſonas. Numero 17. *Eſt omnium Theologorum.* N. 18.

Deinde oſtenditur, quod Spiritus Sanctus, non datur alio modo, quo non dentur aliæ perſonæ, à num. 19. vſque ad numerum 23.

Obiectiones notandæ ſoluuntur, à num. 24. vſque ad 32.

§. Secvndvs.

Relatis ſententijs, vera eligitur, & probatur. *Pagina* 850.

Dvplex verſatur ſententia: prima affirmans, quam tenet Suarez, & ex noſtris Albelda, & Patres Salmanticenſes exiſtimantes idem eſſe donari nobis perſonas, prout diſtinctas à donis creatis, quæ nobis donantur, ac fieri nobis præſentes perſonas, præſentia phyſica diſtincta ab illa præſentia, quam per immenſitatem, ſunt omnibus rebus præſentes. Cum tamen hoc longe diuerſum ſit. Num. 33. & 34.

Eandem tenet Magiſter Ioannes à Sancto Thoma, cum moderamine tamen notato. Num. 35.

Secunda ſententia negans, videtur eſſe Antiquorum Thomiſtarum. Numero 36.

Quæ pro concluſione ſtatuitur. Et probatur primo: nam D. Thom. vbicumque egit de miſſione perſonarum, & de nouo modo exiſtendi in animabus iuſtorum, ſemper illum explicuit per obiectiuam præſentiam, qua ſunt in anima iuſti, vt obiectum cognitum, & amatum, nulla mentione facta præſentiæ phyſicæ diſtinctæ ab ea, qua per immenſitatem ſunt omnibus rebus præſentes. N. 37.

Solutio Patris Suarez refertur, & reijcitur, à numero 38. vſque ad numerum 41.

Aliorum ſolutio refertur. Num. 42.

Impugnatur vero, ânum. 43. vſque ad num. 47.

Secundo probatur: nam ex eo lumen gloriæ, vt diſpoſitio ſe habet ad vnionem diuinæ eſſentiæ cum intellectu beati, quia eſt principium notitiæ intuitiuæ Dei, quæ petit ad Deum, vt præſentem realiter terminari: ſed ingratia iuſtificante prout communicatur in via, nullum eſt prædicatum exigens Deum, vt præſentem realiter animæ. Numero 48.

Solutio, quæ adhiberi poteſt refertur, & impugnatur, à Num. 49. vſque ad num. 67.

Alia ſolutio aſſerens, gratiam iuſtificantem, prout communicatur in via, non ſolum radicare cognitionem Dei per fidem, ſed etiam cognitionem Dei experimentalem per donum ſapientiæ, refertur, & reijcitur, à num. 68. vſque ad numerum 78.

§. Vltimvs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pagina* 862.

Arguitur primo ex illis teſtimonijs Scripturæ, in quibus habetur, non ſolum dari dona creata nobis, ſed etiam ipſas perſonas diuinas, Num. 79. vſque ad Num. 83.

Reſpondetur, à numero 84. vſque ad numerum 92. *Vbi plures replicæ valde notandæ nodantur.*

Secundo principaliter arguitur ex doctrina D. Thom. 1. 2. quæſtione 28. ex qua Suarez, & cum eo Recentiores intendunt probare ſuam ſententiam. Numero 93.

Reſpondetur primo, numero 94. *Secundo reſpondetur*, Num. 95. *Et inſtatur argumentum.* Num. 96.

Tertio arguitur ex Patribus Salmanticenſibus, quod gratia viæ vnit nos Deo phyſicè per ſuam ſubſtantiam: nam gratia viæ, & patriæ ſunt eiuſdem ſpeciei: gratia autem patriæ vnit animam cum Deo realiter phyſicè præſenti. Numero 97.

Reſpondetur. Num. 98. *replicatur*, N. 99. *Reſpondetur*, Num. 100.

Denique arguitur: nam actus charitatis viæ terminatur ad Deum, & ad diuinas perſonas, vt phyſicè ſecundum ſuam ſubſtantiam præſentes rationali creaturæ; quod tripliciter ſuadetur, à num. 101. vſque ad num. 103.

Index Disputationum.


Respondetur negando antecedens, ad cuius primam, & secundam probationē respondetur, à numero 104. vsque ad numerum 108.


Ad tertiam probationem responderi solet, vt Num. 107.

Sed displicet solutio, & reijcitur, à num. 108. vsque ad num. 110.

Vera solutio traditur, numero 111. *& pluribus replicis, & instantijs meritò notandis fit obiam*, à num. 112. vsque ad num. 117.

FINIS.





TRACTATVS NONVS

DE PROCESSIONIBVS DIVINARVM PERSONARVM.

DE QVO D. Thomas in 1. distinctione 13. q. vnica per quatuor articulos. Ad Anibaldum eadem distinctione, & quæstione de Potentia, quæstione 10. 4. Contra Gentes cap. 10. vsque ad 14. Et in hac 1.p.q.27. Vbi postquam D. Thomas de perfectionibus Dei absolutis tractauerat, vtpotè ordine doctrinæ prioribus, Celsissimum Trinitatis Mysterium explicandum aggreditur, in tres præcipuas partes tractatum distribuens; nempè de Processionibus Diuinarum Personarum, de Diuinis relationibus, de Personis, prius absolutè, deinde in particulari; ac demum de variis comparationibus Personarum cum essentia, cum actibus notionalibus, & inter ipsas Personas. Et quidem ordine doctrinæ mirabili: cum namque relationibus constituantur Personæ, & relationes fundentur in processionibus; prius de istis, deinde de relationibus constituentibus, ac tandem de Personis constitutis oportebat tractari; ordo enim scientificus à principijs sumit exordium.

Igitur quæstionem 27. in qua Angelicus Præceptor de diuinis processionibus agit, in quinque articulos diuidit, inquirens in primo articulo: Vtrûm processio sit

in diuinis; *& reſpondet concluſione affirmatiua, quã probat in argumento* ſed contra *ex illo Ioannis 7.* Ego ex Deo proceſsi. *Deinde in corpore articuli refert primo errorem Arrij* accipientis proceſsionem ſecundum quod effectus procedit â cauſa, aſſerentisque filium procedere â Patre, ſicut primam eius creaturam, & Spiritum Sanctũ procedere â Patre, & Filio, ſicut creaturam vtriuſque. *Quem errorem reijcit D. Thomas*; quia ſecundum hoc, neque Filius, neque Spiritus Sanctus eſſet verus Deus; *quod eſt cõtra expreſſa teſtimonia Scripturæ, ex quibus conſtat vtriuſque Perſonæ Diuinitas.*

Secundo refert errorem Sabellij accipiẽtis proceſsionem in Deo ſecundum quod cauſa dicitur in effectum procedere, aſſerentiſque ipſum Deum Patrem Filium dici ſecundum quod carnẽ aſſumpſit ex Virgine, & eundem dici Spiritum Sanctum, ſecundum quod creaturam rationalem ſanctificat, & ad vitam mouet. *Quem errorem reijcit D. Thomas*, eo quod ex Scriptura conſtat, quod non eſt ipſe Pater, qui Filius; *ex quo infert D. Thomas* vtrumque accepiſſe proceſsionem, ſecundum quod eſt ad aliquid extra; vnde neuter poſſuit proceſsionem in ipſo Deo.

His præiactis aſſerit D. Thomas in Deo eſſe proceſsionem ſecundum emanationem intelligibilem, *& concludit corpus articuli dicens*: Et ſic fides Catholica proceſsionem ponit in Diuinis. *Ante cuius probationem ſupponit*, quod cum omnis proceſsio ſit ſecundum aliquam actionem, ſicut ſecundum actionem, quæ tendit in exteriorem materiã, eſt aliqua proceſsio ad extra; ita ſecundum actionem, quæ manet in ipſo agente, attenditur proceſsio ad intra, quod maximè patet in intellectu, cuius actio immanẽs eſt. Quicumque autem intelligit ex hoc ipſo, quod intelligat,

producit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, & dicitur verbum cordis.

Hoc supposito probat D. Thomas conclusionem; cum enim Deus sit super omnia ea, quæ dicuntur de ipso sunt intelligenda secundum modum perfectissimarum creaturarum; sed creaturæ perfectissimæ nõ sunt corpora, sed sunt substantiæ intellectuales: ergo processio in Deo non est accipienda secundum quod est in creaturis corporalibus per motum localem, vel actionẽ ad extra, sed prout in creaturis intellectualibus per actionem immanentem, & emanationem intelligibilem, vtpotê verbi intelligibilis â dicẽte, quod manet in ipso.

Et ex hac doctrina occurrit primo argumẽto sumpto ex eo quod processio significat motum. Hoc esse verum de processione secundum motum localẽ, vel actionem transeuntem, non autem prout significat emanationẽ intelligibilem. *Secundo argumẽto sumpto ex eo quod* procedẽs est diuersũ ab eo, â quo procedit; hoc esse verũ de termino precedente per actionẽ, quę est ad extra; *hoc est, per actionem transeuntem*: Secus autẽ de termino procedente processione intelligibili; hic enim quanto perfectius procedit, tãto est magis vnus cum eo, â quo procedit. *Vltimo argumento sumpto ex eo* quod procedere ab alio repugnat rationi primi principij. *Respondet ex eadem doctrina*, procedere vt extraneum, & diuersum, qualiter in termino actionis trãseuntis contingit, pugnare cum ratione primi principij; procedere autem vt intimum, & absque diuersitate per modum intelligibilem, includi in ratione primi principij.

Si opponas, Deo conuenit esse primum principiũ secundum prædicata absoluta, vt tenet communis sententia infra q. 45. art. 6. sed processio conuenit Deo secun-

dum prædicata propria, & relatiua: ergo non poteſt claudi in ratione primi principij, vt aſſerit D. Thomas. Reſpondeo, proceſsionem claudi in ratione primi principij, nō quoad rationem qua *cauſandi; hæc enim eſt Diuina eſſentia, vt principium* quo *radicale, omnipotentia vt principium* quo *proximum exequutiuum, voluntas vt mouēs, & diuina ſcientia vt dirigens, quæ omnia ſunt prædicata abſoluta, & communia tribus Perſonis. Nec quoad principium* quod *immediatū, & per ſe quarto modo perfectionis à creaturis exactū; hoc enim eſt hic Deus vt ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, vel vt perfectiſsimè exiſtens, qualiter etiam eſt communis tribus Perſonis. Sed quoad principium* quod *mediatum; cum enim hic Deus, qui eſt principium primum* quod, *ſit communis tribus perſonis; conſequens eſt, quod tres Perſonæ ſint etiam principium* quod, *effectionis omnium rerum, non quidem immediatum, & ratione proprietatum perſonalium, ſed mediatū, & ratione perfectionum abſolutarum; cum autem perſonæ diſtinguantur relationibus, & proceſsionibus: conſequens ſit, quod in primo principio mediato includatur proceſsio vnius perſonæ ab alia, non autē in principio* quo *cauſandi, nec in principio* quod *immediato, loquendo de incluſione formali, & per ſe quarto modo, hoc eſt perfectione cauſæ, & principij ab effectibus exacti.*

Vel aliter poteſt doctrina D. Thomæ explicari; nempè claudi proceſsionem in ratione primi principij, non conſtitutiuè, hoc eſt, conſtituendo primum principium in ratione principij, quod obiectione facta probatur; ſed illatiuè; quia nempè primum principium debet ſupremum modum operandi habere, qui eſt operari per intellectum, & voluntatem. Ex quo infertur, quod Verbum per intellectum, & impulſum per voluntatem producat, non vt terminos à principio diuerſos, & extraneos, ſed vt intimos principio per ſummam vnitatem cum illo.

In secundo articulo inquirit, vtrũ aliqua processio in Diuinis generatio dici possit? *Et respondet conclusione affirmatiua, quam probat in argumento* sed contra *ex illo Psalmi 2.* Ego hodie genui te. *Probat in corpore articuli*: Nam generatio propria viuentium, est origo viuẽtis â viuente coniuncto in similitudinem naturæ; sed Verbum procedit per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ, & â principio coniuncto, vt articulo præcedenti dictum est; & secundum rationem similitudinis: quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, & in eadem natura existẽs; quia in Deo idem est intelligere, & esse, vt q. 3. art. 4. & q. 14. art. 4. ostensum est: ergo processio Verbi in Diuinis dicitur generatio, & ipsum Verbum procedens dicitur Filius.

Notat D. Thomas solutione ad secundum, actioni, qua Verbum in nobis procedit, non competere propriè, & completè, quod sit generatio; quia nostrum Verbum nõ est eiusdem naturæ cum eo, à quo procedit, illam tamen significamus nomine conceptionis: quia in Verbo per eã productio inuenitur similitudo rei intellectæ. Processioni autem Verbi Diuini competit perfectè ratio generationis; quia Verbum Diuinum procedit vt eiusdem naturæ subsistens.

In tertio articulo docet, esse in Diuinis aliam processionem â processione Verbi, *quam probat in argumento* sed contra: nam Spiritus Sãctus procedit â Patre, vt dicitur Ioannis 15. Ipse autem est alius â Filio, vt dicitur Ioannis 14. ergo in Diuinis est alia processio præter processionem Verbi. *Et in corpore articuli illam probat ratione.* Etenim processio in Deo est secundum actionem immanentem, quæ in natura intellectuali est duplex, nempê actio intellectus, & actio voluntatis; sed processio Verbi attenditur se-

cundum actionem intellectus: ergo ſecundum operationem voluntatis eſt in Deo alia proceſsio. Probatur conſequentia: in nobis namque præter proceſsionem Verbi per actionẽ intellectus, eſt proceſsio amoris per actionem voluntatis: ergo in Deo præter proceſsionem Verbi, eſt alia per voluntatem. Notat autẽ D. Thomas ſolutione ad tertium, quod licet voluntas, & intellectus, non diſtinguantur realiter in Deo, inter illorũ terminos realis diſtinctio intercedit, propter ordinem, qui datur inter proceſsionem vnius, & proceſsionem alterius.

In quarto docet, proceſsionem amoris in diuinis non eſſe generationem. *Quod probat in argumento* ſed cõtra: quia aliâs Spiritus Sãctus, qui procedit vt amor, procederet vt genitus, contra illud Athanaſij in Symbolo Fidei, Spiritus Sanctus â Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus. *In corpore articuli id probat*, ex differentia, quæ inter intellectum, & voluntatem verſatur, quod nempê intellectus ſit in actu per hoc, quod res intellecta eſt in intellectu ſecũdum ſuam ſimilitudinem; voluntas autem ſit in actu, non per ſimilitudinem, ſed per hoc, quod habet quandam inclinationem in illud: ergo proceſsio, quæ attenditur ſecundum actionem intellectus, eſt ſecundum rationem ſimilitudinis, & ideô poteſt habere rationẽ generationis; proceſsio autem, quæ attenditur ſecundũ rationem voluntatis, non conſideratur ſecundum rationem ſimilitudinis, ſed ſecundum rationem impellentis, & mouentis; & conſequenter non poteſt rationem generationis habere, nec id, quod per voluntatem procedit, procedit vt genitum. Patet conſequentia; quia omne generans generat ſibi ſimile.

Qua doctrina eſt notanda pro intelligentia rationis,

qua

qua D.Thomas probauit art. 2. Processionem Verbi esse generationem, & illi adiungenda solutio ad primum argumentum, & etiam solutio ad secundum, vbi docet similitudinem pertinere ad Verbum, in quantum ipsum est similitudo rei intellectæ, sicut genitum est similitudo generantis, ad amorem autem pertinet, non quia ipse amor sit similitudo; sed in quantum similitudo est principium amandi; ex quo non sequitur, quod amor sit genitus, sed quod genitum sit principium amoris.

In quinto articulo docet, in Diuinis non esse plures processiones, quam duas, *quod probat in argumento sed contra*; nam in Deo non sunt nisi duo procedentes, nempè Filius, & Spiritus Sanctus: ergo tantum sunt duæ processiones. *Deinde probat in corpore articuli*: nã processiones in Diuinis accipi non possunt, nisi secũdum actiones immanentes; sed huiusmodi actiones in natura intellectuali, & Diuina non sunt nisi duæ, scilicet intelligere, & velle: ergo in Deo nulla alia processio esse potest, nisi Verbi, & amoris.

Si opponas, in nobis non est tantum vna processio Verbi, sed multæ: ergo etiam in Deo multiplicantur Verbi processiones; & consequenter sunt plures processiones, quam duæ. Respondet D.Thomas solutione ad tertium, negando consequentiam: Nam Deus vno simplici omnia intelligit; & ideô solum est vnum Verbum in Deo.

(?)

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA PRIMA.

In quo Diuinæ Proceſsiones conſiſtant?

§. I.

Statuitur Catholica veritas.

Nu. 1. ANTEQVAM ad id, quod inter Theologos cõtrouerſiã habet, explicandũ accedam, placuit in diſputationis limine Catholicam veritatẽ ſtatuere, breuiter explicare, & defendere. Igitur in hac diſputatione, vt indubitatum ſupponimus, dari Proceſsiones in Deo, per quas vna Perſona ab alia procedit, non ſecundum actionem tranſeuntem, ſed immanentem, non vt effectus à cauſa, nec vt cauſa ſe explicat in diuerſos effectus, qualiter Arrius, & Sabellius poſſuerunt, ſed omni cauſalitate, dependentia, & imperfectione ſecluſa. Primum conſtat primo ex Geneſi 19. cap. illis verbis: *Dominus pluit ignem, & ſulfur à Domino de Cœlo*; in quibus exponente Athanaſio *oratione contra gregales Sabellij*, & Hilario *5. de Trinitate*, per illam repetitionem, *Dominus à Domino* clarè inſinuatur proceſsio Dei à Deo. Et Iſaiæ 48. Micheæ 5. Et Zachariæ 2. Deus promittitur mittendus à Deo; miſsio autem includit proceſsionẽ æternam miſsi à mittente, vt docet D. Thomas *infra q. 43.* Et Ioannis 7. Chriſtus de ſe ipſo ſic ait: *Ego ſcio eum*, ſcilicet Patrẽ, *quia ab ipſo ſum*. Et cap. 8. *Ego enim ex Deo proceſsi.* Quæ verba de æterna Filij proceſsione interpretantur Rupertus *lib. 5. de Trinitate cap. 14.* Hilarius *6. de Trinitate*, Athanaſius *in expoſitione fidei*, Auguſtinus, & Gloſſa. Ac denique Ioannis 15. de Spiritu Sancto loquens ſic ait: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

Prob. 1. ex Scriptura.

Secũdà ratione Theologica.

Conſtat ſecundo eadem veritas hac ratione Theologica: de Fide enim eſt dari tres Perſonas diſtinctas in vnitate eſſentiæ; at Perſona-

rum multiplicatio, & distinctio illarum realis, absq; processione vnius ab alia subsistere nequit, vt *infra quæstione 36.* euidenter monstrabitur: igitur in Deo datur processio.

3 *Deniq; triplici congruẽtia.*

Denique licet non possit ratione naturali euidenter ostendi, potest tamen aliquibus congruentijs suaderi. Prima sit: infinitam namq; bonitatem decet infinita communicatio, & ad summam fęcunditatem, qualis est naturæ diuinæ, pertinet sũma communicatio, iuxta illud Isaiæ *66. Nunquid, qui alios parere facio sterilis ero?* at secluſa processione intrinseca vnius personæ ab alia, summa, & infinita communicatio nó stat; cum extrinseca solum finito modo possit diffũdi: ergo datur processio ad intra vnius personæ ab alia.

4 *Secũda congruẽtia.*

Secunda sit, quam tradidit D. Thomas in corpore huius articuli, ad hanc formam redacta: omne indiuiduum intellectualis naturæ in aliqua sui intellectione Verbum producit, vt in Angelis, & hominibus constat; at Deus est indiuiduum intellectualis naturæ in supremo gradu intellectualitatis existens: ergo aliquod Deitatis suppositum Verbum producit; cumque Verbi accidentalis productio diuinæ naturæ non competat, restat dicere esse Verbum substantiale personaliter subsistens, & ab alio procedens; ac proinde debemus fateri aliquã Verbi productionem in Deo. Tertia ratio sit: Deo namque, vtpote infinite perfecto, debemus concedere omnem perfectionem, quæ absque imperfectione potest illi competere; at processio realis vnius personæ ab alia, est perfectio non necessario claudens imperfectionem, vt ex obiectionum solutione constabit: ergo admittenda est in Deo realis & intrinseca vnius personæ ab alia processio.

Tertia.

5 *Excluditur error Arrij.*

Quod autem non sit processio effectus à causa, vt Arrius docebat, constat, ex eo quod Filius, & Spiritus Sanctus sunt verus Deus, iuxta illud 1. Ioannis cap. vltimo, *vt simus in vero filio eius, hic est verꝰ Deus.* Et in eodem cap. illis verbis: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt*, scilicet vnitate essentiæ; ac proinde Spiritus Sanctus, & Verbum, cum Patre in Deitate conueniunt; at cum processione à Deo, vt effectus à causa, vera diuinitas subsistere nequit; cum diuinitas omnem dependentiã excludat: ergo processio vnius personæ ab alia non est vt effectus à causa. Quod etiam non sit processio causæ se explicantis in diuersos effectus, vt voluit Sabellius, probatur; nam eatenus hoc esset verum iuxta intelligentiam Sabellij, quatenus eadem Trinitatis persona Filius diceretur, prout assumpsit carnem ex Virgine, & Spiritus Sanctus secundumquod sanctificat rationalem creaturam; at ista positio tollit Trinitatem Personarum, & illarum realem distinctionem in Deo, quam fides agnoscit: ergo ineptè à Sabellio explicatur diuina processio. Quod denique non sit secundum actionem transeuntem, sed immanentem, ex dictis concluditur: actione enim trãseunte solum producitur, quod est verè effectus; at diuinæ personæ ratio effectus repugnat: ergo, & processio per actionem transeuntem. Deinde: nam, quod actione transeunti procedit à Deo, esse nequit eiusdem naturæ cum illo; tres autem personæ diuinæ sunt eiusdem naturæ: & consequenter vna ab alia nequit per actionem transeuntem procedere.

Impugnatur Sabelliꝰ

Non est processio secũdũ actionem trãseuntem

6 *Obijcies* 1.

Si obijciatur primo: enti à se repugnat ab alio procedere, at quælibet persona dicitur ens per essentiam, & à se: ergo nequit vna ab alia procedere. *Respondeo* distinguendo maiorem: processione ab alio, vt à causa, concedo maiorem: vt à principio originis, omni dependentia, & causalitate secluſa, nego maiorem: & concessa minori, nego consequen-

Resp.

Dices. tiam. Sed dices: non ſtat vnum ab alio procedere, quin ab illo dependeat: ergo cum diuinis perſonis dependentia repugnet, nequit illis realis, & intrinseca proceſsio vnius ab alia competere. Probatur antecedēs primo; nam procedere ab alio eſt ab illo accipere eſſe; at accipere eſſe ab alio eſt dependere ab illo: ergo non ſtat vnum ab alio procedere, & non dependere ab illo. Secūdo; nam procedens ab alio non poteſt eſſe ſine illo; at ſic non poſſe ſine illo ſubſiſtere, eſt ab illo dependere: ergo. Tertio: nam procedere ab alio, eſt illo ad ſui exiſtentiam egere, indigentia autem dependentiam importat: ergo idem, quod prius.

Quarto, id quod ab alio procedit, eſt illo poſterius; at poſterioritas dependentiam importat, & rationem effectus: ergo proceſsio vnius ab alio, nec eſſe, nec intelligi poteſt ſine vera dependentia.

7 *Reſp.* Reſpondeo, negando antecedens: ad primam probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: ſi accipiat eſſe ab alio diuerſæ naturæ, concedo minorem: eiuſdem, nego minorem, & conſequentiam. Ad ſecundam, nego minorem: vnum nāque relatiuum eſſe ſine alio non poteſt, nec omnipotentia ſine poſsibilitate creaturarum in veriori ſententia, & tamen nec relatiuum à ſui correlatiuo, nec omnipotentia à poſsibilitate creaturarum dependent. Amplius ergo ad dependentiam requiritur, quam neceſſaria connexio, ſcilicet quod ſit ratione ſubordinationis ad aliud, ad quam exigitur alietas in natura. Ad tertiam eadem ſolutione reſpondeo, tunc indigentiam, dependentiam importare, quā do eſt indigentia alterius ratione ſubordinationis ad illud; ſecus autē quando eſt præciſe ratione neceſſariæ connexionis, omni imperfectione ſecluſa. Ad quartam probationem, diſtinguo minorem: poſterioritas naturæ, concedo minorem: poſterioritas ſolum originis cum omnimoda ſimultate naturæ, nego minorem, & nego conſequentiam: quia perſona procedens, hoc ſecundo modo, & non primo, eſt poſterior illa, à qua procedit.

8 *Inſtabis* Inſtabis, ex identitate perſonarum in natura, tantum infertur, naturam vnius perſonæ eſſe independētem ab alia, non autem, quod perſonalitas vnius, à perſonalitate alterius non dependeat: ergo admiſſa proceſsione vnius perſonæ ab alia, admitti etiam debet vnius ab alia dependentia, ſaltim ſecundum vtriuſque perſonalitates. Probatur antecedens: cum identitate in natura ſtat perſonalitatum diſtinctio: ergo ex identitate in natura ſolum infertur independētia vnius naturæ à natura alterius, nō autem indepēdentia perſonalitatis procedentis, à perſonalitate perſonæ, à qua eſt procedens. Reſpondeo, negando antecedens: ad probationem, nego conſequentiam: tum, quia cum perſonalitates ſint prædicamentales relationes, relatio autem prædicamentalis à ſuo correlatiuo non dependeat; conſequens eſt, quod inter perſonalitates diuinas dependentia exerceri non poſsit. Tum etiam: nam cum perſonalitas perſonæ procedentis cum ipſius natura identificetur; conſequens fit, quod eo ipſo quod natura procedentis ſit omnino independens, perſonalitas debeat omnem dependentiam excludere. *Reſp.*

9 *Vrgebis* Vrgebis, cum identitate perſonalitatis, & naturæ, ſtat naturam productam non eſſe, & perſonalitatem eſſe productam: ergo pariter cum tali identitate ſtare poterit dependentia vnius perſonalitatis ab alia, cum independentia naturæ. Reſpōdeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: ratio autē diſcriminis eſt: nam productum eſſe cum independentia, imperfectio non eſt, eſſe autem cum dependentia productum, eſt maxima imperfectio: quia ergo natura diuina in formalitate ſibi identificata nullam imperfectionem poteſt admittere; conſequens fit, quod excludat ab illa dependen- *Reſp.*

tiam, non autem producibilitatem.

10 *Secundo arg.*

Secundo principaliter argui potest contra discrimen D. Thomæ; non enim est de ratione intellectionis Verbi productio, vt constat in visione beatifica; constat etiam in intellectione diuina prout in Filio, & Spiritu Sancto: ergo falsum est principium à D. Thoma assumptum, videlicet omne intelligens, eo ipso quod intelligit, format Verbe; ac proinde ruit fundamentum ipsius. Ad hoc argumentum non vno modo respondetur à Theologis. Primo quidam respondent, negando antecedens, vel quia intellectionem non distinguunt à Verbo, & consequenter vbi est intellectio producta est Verbum productum; vel quia actionem sine termino concipere nequeunt; ac proinde cum Verbum sit intellectionis terminus, nequit intellectio sine Verbo subsistere. Cæterum solutionem istam fusè impugnaui *Tract. de visione art.* 2. vbi cum frequentiori Thomistarum sententia defendi à beatis in visione beatifica Verbum non produci.

Excluditur 1. *solutio.*

11 *Secũda solutio reijcitur.*

Secundo alij respondent, de ratione intellections vt sic, esse habere annexam productionem Verbi, quantum est ex propria ratione, cũ quo tamen stat, quod visioni beatificæ ex ratione specifica repugnet Verbi productio. Ita Illustrissimus Araujo Episcopus Segouiensis *tom.* 1. *in primã partẽ quæst.* 12. *art.* 2. *dub.* 3. Solutionem tamen istam nũquam capere potui, quam hac vnica ratione reijcio: etenim prædicata opposita non possunt eidem essentiæ competere; at visio beatifica ab intrinseco, & essentialiter petit non producere Verbum; cum petat versari circa Deum vt est in se, cui repugnat per Verbum creatum repræsentari: ergo non potest ex conceptu communi habere exigentiam productionis Verbi. Patet consequentia; quia exigentiæ istæ sunt inter se oppositæ. Tunc vltra; sed si esset de ratione communi intellectionis ista exigentia, omni intellectioni deberet competere; cum ratio superior ad sua inferiora cum omnibus sibi essentialibus debeat descendere: ergo huiusmodi exigentia non conuenit visioni beatificæ ex conceptu intellectionis, sibi, & alijs cognitionibus communi.

12 *Duplex euasio.*

Respondebis primo, nullum esse inconueniens conuenire prædicata opposita vni et eidem secundũ diuersas rationes, visioni autem beatificæ conuenit exigentia Verbi secundum rationem genericam, & exigentia non productionis Verbi secundum rationem differentialem, quæ sunt rationes diuersæ, ac proinde in eadem visione huiusmodi exigentiæ reperiri possunt. Respondebis secundo, intellectioni vt sic competere exigentiam productionis Verbi ex ordine ad principium, ex ordine vero ad obiectum abstrahere ab exigentia Verbi, & exigentia opposita. Vnde bene potest visio beatifica ex ordine ad principium Verbum exigere, & ex ordine ad proprium obiectum Verbum excludere.

Sed neutra solutio satisfacit, & contra primam facit; si namque animali vt sic essentialiter competeret exigentia risibilitatis, non posset contrahi per differentiam exigentem risibilitatis carentiam, verbi causa, per differentiam equi: ergo quia non possunt vni, & eidem naturæ opposita prædicata competere, vnum secundum genus, & aliud secũdum differentiam. Deinde secunda reijcitur primo, nam ea, quæ actioni competunt secundum ordinem ad obiectum, exiguntur ex ordine ad illud, at Verbum actioni conuenit penes ordinem ad obiectum: ergo si semel petitur, petitur ex ordine ad illud, & non ex ordine præcisè ad principium. Secundo nam visio beatifica dicit ordinem tanquam ad principium, ad lumen gloriæ, quod essentialiter Verbi productioni repugnat; cum petat essentialiter circa Deum clare, & in se ipso visũ versari, cui prout sic repugnat per

13 *Prima reijcitur.*

Secũda reijcitur 1.

Secũdo.

Ver-

Verbum creatum repræsentari: ergo nedum ex ordine ad obiectum, verum etiam ex ordine ad principiũ, repugnat visioni beatificæ Verbi productio. Deniq; *Deniq;* nam ex quocũque capite conueniat generi positiuè aliquod prædicatum, nequit inferioribus generis ex alio capite repugnare, nec oppositi inuenietur instantia: ergo si intellectioni vt sic conueniret essentialiter exigentia productionis Verbi ex ordine ad principiũ, non posset visioni beatificæ ex ordine ad obiectũ repugnare Verbi productio.

14 Instãtia ex peccato sũpta impugnatur.

Si forté respondeas; malitiæ repertæ in peccato ex ordine ad obiectum repugnare, quod terminet Dei causalitatem, cui tamen ex ordine, quem dicit ad Deum in ratione entis participati, competit exigentia terminandi causalitatem Dei. In contrarium arguitur; nam exigentia entis terminandi Dei causalitatem, non est illam terminandi sub communi conceptu, sed solũ sub conceptu entitatis, & exigentia differentiæ peccati non terminandi, non est non terminandi sub cõceptu implicato, sed solum sub explicito, & differentiali: vnde exigentiæ istæ non sunt oppositæ; at vero in nostro casu, exigentia, quam petit visio beatifica non producendi Verbum, non est no producendi sub vno tantum cõceptu sui, sed nullatenus producendi; ac proinde opponitur cum exigentia productionis Verbi sub quauis ratione.

15 Traditur vera solutio.

Omissis igitur his solutionibus, ad argumentum factum respõdeo, concesso antecedenti, negando consequentiam; nam licet non sit de ratione intellectionis Verbi productio, est tamen de ratione naturæ intellectualis, quod in aliqua sui intellectione Verbum formet, ac proinde id erit de ratione naturæ intellectualis diuinæ, quæ in supremo gradu intellectualitatis existit. Sed

Instabis primo. oppones primo, D. Thomam asserere, omne intelligens eo ipso, quod intelligat, verbum producere; at quod competit intelligenti, eo ipso quod intelligat, ei conuenit ex conceptu communi intellectionis: ergo verbi productio non solum est de ratione naturæ intellectualis, verum etiam de ratione communi intellectionis. *Resp.* Respondeo, verba illa D. Thomæ esse intelligenda non per distributionem completam ex parte intelligẽtium, & intellectorum, sed solum incompletam, & ex parte intelligẽtium: vnde explicari debet hoc modo; omne intelligens eo ipso, quod intelligat, hoc est eo ipso quod est intellectualis naturæ, in aliqua sui intellectione format Verbum, ex qua propositione sic intellecta non sequitur, id debere competere ex communi conceptu intellectionis.

16 Instabis secundo.

Oppones secundo, si non est de ratione intellectionis verbi productio, non posse vniuersalem illam à D. Thoma assumptam, etiam congruenter ostendi: ergo vel est de ratione intellectionis ex communi cõceptu, verbi productio, vel congruentia D. Thomæ est omnino insufficiens. Probatur antecedẽs; etenim vniuersalis illa propositio, solum potest ab Angelico Doctore inductivè probari, discurrendo per intellectuales naturas creatas; at istæ circa obiectum infinitum, quod ex se est in vltima actualitate, verbum non producunt, si semel non est de ratione intellectionis Verbi productio: ergo ex his non licet inferre vniuersalem verbi productionem, ab omni intellectuali natura, comprehendẽdo diuinam; cum hæc circa obiectũ infinitum vt in se clare visum versetur. *Cõfirm.* Explicatur hoc amplius; supposito quod non sit de ratione intellectionis verbi pruductio, intelligentia creata circa obiectum infinitum clare visum, non producerent verbum; at Deus circa se ipsum clarè, & comprehensiuè visum versatur: ergo ex creaturis arguendo potius concluderet verbum ab intectu diuino, non produci, quam eius oppositum.

17 Respondeo negando antecedẽs,

ad

Resp. ad cuius probationem concessa maiori, & minori, nego consequentiam: nam quod intelligentia creata circa obiectum, vt in se visum, verbum non producant, prouenit ex duplici capite. Primo: quia verbi productio in illis, non est ex fęcūditate, sed ex necessitate, & cum circa obiectū intelligibile, quod est ex se in actu in linea intelligibilitatis, Verbi productio necessaria non sit; fit consequens, quod in eius clara visione nō producant verbum. Secundo id prouenit; quia obiecto infinito repugnat per creatum verbum repræsentari quidditatiuē, non minus, quam per speciem impressam creatam, vt fusè probaui Tractatu de Visione Dei art. 2. quarum rationum, nulla militat in intelligēte increato: tum, quia verbum non ex necessitate, sed ex fęcunditate producit: tum etiā, quia verbum ab illo productum, est eiusdem immaterialitatis cum illo; ac proinde ex nullo ex his capitibus, ei repugnat producere verbū. Vnde vis congruentiæ D. Thomæ consistit in hoc: omnia intelligentia creata verbum producunt circa obiectum proprium in aliqua intellectione: ergo intelligens increatum circa proprium obiectum, verbum increatum producet; cum talis productio ex alijs capitibus repugnare non possit. Ex his ad obiectionem constat solutio.

(✠)

§. II.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio.

18 *Prima sententia.*

HIs igitur ita præmissis videndum restat, in quo huiusmodi processiones consistant, & cū processio possit sumi pro actiua processione, & pro passiua: de prima est inter Theologos præcipua controuersia; ex dicendis tamē, in quo passiuæ processiones consistant, constabit. Prima sentētia docet, processiones actiuas esse actiones ex æquo ab actibus intelligendi, & volendi distinctas, nec illas in se claudere formali inclusione. Ita Scotus *in 1. distinct. 2. q. vltima, & distinct. 27. q. 2.* Quem præter omnes Scotistas sequuntur Suarez *lib. 6. de Trinitate cap. 9.* Molina *in hoc art. 3. disp. 4.* Valentia *disp. 2. q. 1. punct. 4.* Albertinus *corollario 12. Theologico, dubitatione 3.* Illam tamen, nō vno modo omnes defendunt: nam Scotus, Suarez, Molina, & Valētia, actiuam processionē constituunt in actu inadæquatē identificato cum relatione principij producentis, v. c. generationem Filij, cum Paternitate, & Spiritus Sācti actiuam processionem cum relatione Spiratoris identificant. Albertinns vero cum relatione termini producti actiuā processionem identificari, defendit.

Scotus.

Suarez.

Molina.

Albert.

19 *Secūda sententia.*

Secunda per oppositum docet, processiones actiuas esse formaliter actus intelligendi, & volendi; ita vt dictio, qua verbum producitur, sit formaliter actus intelligendi, & processio, qua Spiritus Sanctus procedit sit per inclusionem formale vo-

litio.

Capreo. Ferrara Gaiet. Zumel. Salmat. S. Tho. Albelda

litio. Ita Capreolus *in 1. dist. 27. q. 1.* Ferrara *lib. 4. Contra-Gent. cap. 3.* Caietanus in hac quęstione *art. 5.* Zumel *in 1a quæst. 41. art. 1.* Patres Salmanticenses *disp. 1. dub. 3.* Reuerendissimus S. Thoma *disp. 12. art. 5.* Mag. Albelda *in præsenti disp. 3. & infra disp. 13. sect. 1.* Et cõmuniter omnes Thomistæ. Eandé ex alienis sequuntur Vazquez *disp. 112. cap. 3.* Granados *tract. 2. disp. 3. & disp. 140. cap. 2.* Et Meratius *tract. de Deo disputatione 43. & disputatione 55.*

Vazq. Granad. Merati

Duplex modꝰ illã defendendi.

Quæ sentẽtia dupliciter solet defendi. Primo adstruendo duplicẽ actũ intelligendi, & volendi: primum essẽtialem, quem à processionibus actiuis formaliter constituendis excludunt. Secundum notionalem, & relatiuum, & istum in actiuis processionibus formaliter claudi. Hunc modum dicendi, tanquam Thomistarum, refert, & fusè impugnat Torres *in hac quæst. art. 5. in secunda parte disputationis.* Attribuitur etiam Arrubali, falsò tamen, vt ipsũ legenti constabit. Secundus modus defendendi hanc sententiam, nõ recognoscit intelligere notionale ab essentiali in ratione intellectionis distinctum, sed vnicum tantum intelligere essentiale, in quo modificato per paternitatem dictionẽ, qua Verbum procedit, consistere affirmat. Et idem de actu volendi respectu processionis Spiritus Sancti defendit. Et quia hic est verior modus dicendi, pro illius explicatione sit

20 *Prima cõclusio*

Prima conclusio. *Processio actiua non identificatur adæquatè cũ termino producto per illam.* Cõclusionem istam adeò certam existimat Ruiz *disp. 84. sect. 3. §. 12.* vt oppositam censeat temerariam, & periculo erroris expositam. Eam probant aliqui primo; quia si actiua generatio, vt in Filio est, idẽtificaretur adæquatè cum illo, non posset Pater denominari generans ab illa; cum importaret relationem filiationis sibi oppositum, à qua non potest Pater denominari generans. Secũdo: quia

Duplex illiꝰ probatio rejicitur.

sequeretur, Filium denominari generãtem; cũ possit denominari qualibet relatione sibi conuenienti, & sibi adæquatè identificata.

Verum rationes istæ non concludunt; cum manifestè in creaturis insistentur, in quibus agens denominatur tale ab actione passo inferente, & passum, & si in se recipiat actionem, non denominatur agens ab illa. Probatur igitur nostra conclusio primo ex D. Thom. *infra quæst. 91. art. 1. ad 2.* vbi ex Magistro in secundo sentẽtiarum *distinct. 26.* docet, quod generatio, & natiuitas, alijs nominibus dicuntur Paternitas, & filiatio; at si generatio actiua esset identificata adæquatè cum filio, Paternitas dici non posset: ergo generatio actiua non identificatur adæquate cũ filio.

21 h

Prob. 1. ex D. Th.

Secundo: actio immanẽs est in eodem subiecto, in quo est potentia elicitiua illius; sed generatio est actio immanens elicita, vel quasi elicita à potentia generatiua, quæ est in Patre: ergo non cum filio, sed cum Patre debet identificari.

Secũdo ratione.

Si dicas, increatis, ex quibus argumenta ad diuina desumitur, nõ solum actio immanẽs, sed etiam eius terminus est in principio cuiatiuo sui; & tamen in Diuinis Verbũ, quod est terminus actionis immanentis, nõ est in principio sui productiuo, scilicet in potentia productiua Patris: ergo etiam de actione, quamuis immanens, sit id ipsum poterit affirmari. Respondeo, Verbum esse in Patre ratione identitatis, quã cum illo habet in eadem natura, quod sufficit vt sit, & dicatur terminus actionis immanentis. Si opponas: ergo etiam vt actio, qua Verbum producitur sit actio immanens, sufficit manare in principio ratione identitatis in essentia cum illo, cum quo tamen compatitur identificari adæquatè cum filio.

22 *Si opponas.*

Resp.

Oppones.

Respondeo negando consequentiam, ratio autem discriminis est: nã cum Verbum sit terminus productus vt *quod*, necessario debet relatiuè

23 *Resp.*

oppo-

opponi cum producente; ac proinde nequit realiter identificari cum illo, nisi solum ratione naturæ: actio autem productiua non producitur vt *quod*, nec id petitur ad rationem actionis, sed solum quod sit vltima actualitas, qua agens terminum suum producat: ac proinde, vt immanens sit, non sufficit identitas cum principio in natura, sed necessario exigitur, quod adæquatè identificetur cũ illo. Et quidem, quod nõ sufficiat ad rationem actionis immanentis identitas cum principio productiuo ratione naturæ, manifestè cõuincitur; ex eo quod aliàs Pater non solum terminatiuè, verum etiam formaliter esset sapiens sapientia genita, nempe verbo producto; consequens est contra omnes Scholasticos cũ Magistro *in 1. dist. 32.* Et cum D. Tho. *infra q. 37. articulo 2. ad 1. & quæstione 39. art. 7. ad 2.* ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: si namque contra rationem actionis immanentis nõ est realiter in Diuinis à principio distingui · ergo poterit Pater Diuinus sapiens constitui formaliter per intellectionem, quæ vel adæquatè identificetur cum verbo, vel in ipso verbo consistat.

24 *Tertio prob. cõclusio.* Tertio principaliter suadetur conclusio; nam potentia generatiua Patris est summè actualis. ergo nequit ab actu sibi propio realiter distingui, sed formaliter debet idẽtificari cum illo, & ad summũ virtualiter ab illo distingui. Patet consequentia; potentia namque à suo actu realiter distincta in summa actualitate non est. Si dicas, quod sicut ex distinctione reali verbi à principio productiuo in diuinis, non sequitur esse potentiale, eo quod ratione naturæ cum illo identificatur: ita similis identitas actionis cum eodem principio semouet ab illo omnem potentialitatem. In contrariũ arguitur: nam quod verbi distinctio à suo principio potentialitatem in illo non arguat, ex eo est; quia non actuat principium; at actio immanens debet suum principium actuare actualitate intrinseca: ergo si realiter à principio distinguitur, tale principium erit potentiale.

Resp. *Excluditur.*

25 *Quarto prob.* Quarto probatur; Paternitas cõuenit Patri media generatione, tanquam fundamento; at Paternitas realiter identificatur cum Patre: ergo generatio, seu processio actiua, media qua ei competit, non potest realiter ab illo distingui; & consequenter nequit cum filio identificari. Patet consequentia: non enim apparet possibile, quod medio fundamẽto realiter à subiecto distincto ei competat relatio per omnimodã identitatem.

26 *Deniq; suadetur cõclusio.* Denique suadetur conclusio ad hominem contra Authorem contrarium, qui ex eo probat per actionem termino identificatam posse Patrẽ, v.c. in ratione generantis constitui: quia in creatis ita contingit, quod principium agens constituitur per actionem subiectam in passo, at hæc ratio, si aliquid probat, cõuincit Patrem Diuinum posse in ratione patris constitui per relationem sibi extrinsecam, & intrinsecam filio, quod est absurdum: ergo hæc ratio nullius roboris est; & consequenter firma manet nostra conclusio. Probo sequelam: nam iuxta istius Authoris principia, relatio in creaturis est extrinseca denominatio à termino; & consequenter Pater creatus denominatur Pater relatiuè à relatione Filij extrinseca: ergo si ex creaturis licet argumentari, & colligere principium denominari agẽs in diuinis ab actione identificata cũ termino; quia in creatis ita contingit, licebit etiam nõ minori efficacia inferre Patrem Diuinum in esse Patris per relationem sibi extrinsecam, & cũ termino identificatam constitui.

27 *Arg. 1.* Contra istam conclusionem arguitur primo: in creatis fieri effectus, prout ab agente, est ipsa actio productiua effectus: ergo in diuinis produci ipsum filij, prout à Patre, erit formaliter actio generatiua; & consequenter hæc, & quæuis alia actiua processio, adæquatè identifi-

catur cum termino producto. Si for-
Si reſp. tè dicatur eſſe diſparem rationem; in creatis nanque datur motus inter vtrumque medians, ſcilicet, inter agens, & paſſum, qui vt reſpicit effectum eſt paſsio, & vt reſpicit principium actio: in diuinis autem talis motus non datur, qui vtrique reſpectui ſubeſſe poſsit. In contrariũ opponit Suarez, primo: quia in diuinis, etſi non mediet motus, bene tamen intelligitur mediare ipſum producì filij: ergo hoc comparatum ad
In contrariũ arguit Suarez principium actiuũ erit actio. Secundo: nam in creatione non datur motus medians inter terminum, & principium; & tamẽ ipſum fieri effectus, prout ab agente, eſt actio creatiua: ergo idem quod prius. Probat minorem primo: quia actio Dei increata eſt principium creationis: ergo non ipſa creatio actualis. Secundo: quia etſi non mediet motus, datur tamen dependentia effectus, prout ab agẽte: ergo prout ſic ſortitur rationem actionis.

Hæc tamen parum vrgent: ad primum reſpondeo, conceſſio antece-
28 denti negando conſequentiam; & ratio eſt, quia actio non eſt motus vtcumque, ſed vt complens principiũ,
Soluuntur quæ opponit Suarez & illud perficiens, produci autem filij non complet, ſed omnino completum ſupponit principium productiuum ſui, & idcircó actio non eſt. Ad ſecũdum, nego minorem: ad primam probationem, nego antecedens; actio namque increata eſt quidem principium effectus, non tamen actionis, qua Deus agens ad extra conſtituitur, vt tenent Thomiſtæ *quæſt.* 25. Et infra *quæſt.* 45. Ad ſecundam conſtat ex ſolutione primæ obiectionis: cum namque dependentia effectus à Deo, principium cauſans omnino perfectum, & completum ſupponat; conſequens eſt, quod ſubire nequeat rationem actionis, de cuius conceptu eſt principium ſui complere, determinare, & perficere.

29 Secundo arguitur, non ſolum
2. *Arg.* terminus proceſsionis, ſed etiam ipſa actiua proceſsio realiter à potentia notionali producitur: ergo realiter ab illa diſtinguitur, & cum termino identificatur. Conſequentia eſt euidens. Antecedens autem probatur: nam iuxta D. Thomam *infra quæſt.* 41. Datur in Deo potentia realis actiua reſpectu actuum notionalium; at potentia actiua realis neceſſario expoſcit realem influxum in id, ad quod datur, quo circa non conſtituit D. Thomas in Deo potentiam realem reſpectu actus eſſentialis; quia in illum non influit, nec ab illo diſtinguitur: ergo non ſolum terminus proceſsionis, ſed etiam ipſa actiua proceſsio realiter à potentia notionali producitur.
Reſp. Reſpondeo negando antecedens: ad cuius probationem diſtinguo maiorem: reſpectu actuum notionaliũ ratione ſui formaliter, nego maiorem: ratione ſui termini, concedo maiorem, & omiſſa minori, nego conſequentiam. Itaque D. Thomas ſolum voluit diſcrimen conſtituere inter actus notionales, & eſſentiales, conſiſtens in eo, quod reſpectu actuum eſſentialium non datur potentia realiter productiua, nec ratione ſui, nec terminatiuè; quia non habent terminum ad intra productum; bene tamen reſpectu notionalium terminatiuè; quia habent terminum intra Deum realiter productum.

(2)

(✠)

§. III.

Statuitur secunda conclusio.

30 *Secũda cõclusio*

Prob. 1. ex D. Thom.

PRocessiones actiuæ non identificãtur adæquatè cum relationibus principiorum, v.g. generatio non identificatur adæquatè cum relatione Patris, nec spiratio actiua cum relatione spiratoris. Conclusionem istam probo in primis ex D. Thoma *quæst. 3. de potentia art. 5. in corp.* quod ita concludit: *Similiter ergo dicendum est de actione, & potentia; nam generatio significat actionem cum aliquo respectu, & potentia generandi significat potentiam cum respectu: unde ipsa generatio est Dei actio, sed prout Patris tantum; & similitèr ipsa potẽtia generandi est Dei omnipotentia, sed prout Patris tantum, &c.* Vbi, vt clarè constat, quantum ad identitatem cum relatione, omnino æquiparat Angelicus Doctor generationem cum potentia generatiua; at hæc non identificatur adæquate cũ relatione principij, sed importat absolutum cum respectu in sui formali constitutione, vt ex dicendis *disp. sequenti* constabit, & docet idẽ D. Th. *q. citata art. 2. & infra q. 41. art. 5.* ergo nec generatio actualis cũ relatione Patris adæquate idẽtificatur.

31 *Secũdo prob. ratione.*

Et ex his ostenditur secundo ratione: potentia generatiua Patris nõ est adæquate relatio, sed absolutum cũ respectu, vt docet D. Th. & *disp. sequenti* ostendemus: ergo generatio, seu actualis actiua processio, non est adæquatè relatio principij, sed aliquid absolutum cũ respectu. Probo consequentiam: tum primo; quia sic saluatur maior identitas actionis cum potentia, actus secundi cũ primo; & consequenter maior perfectio potentiæ, quæ eo perfectior est, quo actualior, & quo cũ actu secundo magis identificata. Tum etiam; nã si omnipotentia vt in Patre, etiam vt Paternitate modificata, est fœcunda ad generandum per modum actus primi, cur actus secundus diuini intellectus, in quo omnipotentia diuina cõsistit prout modificata relatione Patris, non erit fœcundus per modũ actus secundi? & consequentèr in illo prout sic, & nõ in relatione adæquate generatio actualis consistit.

32 *Aduersariorũ solutio.*

Respondebis forte ex aduersariorum doctrina, rationem discriminis esse; quia secluso motu ab actione non remanet nisi sola relatio: vnde cum in diuinis motus non sit, non potest nisi sola relatio remanere; cumque non sit termini, debet esse relatio principij; ac proinde in illa actualis generatio consistit: Potentia autem præter habitudinem dicit actiuitatem in terminum; cumque hæc à relatione præstari non possit: consequens sit, quod nõ in sola relatione, sed in absoluto simul cum respectu consistat.

33 *Reijcitur 1.*

Sed contra primo: nam si relatio præstare nequit actiuitatem per modum actus primi, cur poterit actiuitatem præbere per modũ actus secundi? Secundo: nam actio etiam in creaturis, prout relationem præcedit, à motu distinguitur, vel ratione in multorum sententia, vel ex natura rei, vt alij contendunt vel realiter entitatiue vt volunt alij, qui actionẽ transeuntem in agente intrinsece cõstituunt: etgo separato motu ab actione diuina remanere debet actionis formalitas à relatione distincta, sicut remanet formalitas potẽtiæ; & consequenter constitere poterit non in relatione, sed in absoluto prout relatione modificato. Denique; nam Auctores cõtrarij, qui generationẽ cũ relatione Patris adæquate idẽtificant, in ipsa relatione virtualitèr adæquate, aut inadæquate ad minus

Deniq; reijcitur.

duas formalitates diſtinguunt, ſub quarum vna ſortitur rationem actionis, & ſub alia rationem reſpectus: ergo ſecluſo motu ab actione diuina, adhuc præter reſpectum remanet alia formalitas ; & conſequenter ex hoc fundamento non debet probari, quod generatio identificetur cũ relatione Patris.

34 *Tertio prob. cõcluſio.* Tertio principaliter ſuadetur concluſio: ſi namque generatio, v.c. identificaretur adæquate cum relatione Patris, maxime, quia eſt propria Patris, prout à filio diſtinguitur, vel quia Patrem à filio diſtinguit; at rationes iſtæ manifeſte inſtantur in potentia generatiua : ergo ex eis nõ recte infertur oppoſitum noſtræ concluſionis. Probo minorem potentia generatiua ; eſt propria Patris prout à filio diſtinguitur ; cum non minus repugnet filio poſſe generare, quam actualis generatio, & Patrem à filio diſtinguit; cum non minus repugnet idem poſſe generare ſe ipsũ, quam quod idem actu ſe ipſum producat, & tamen potentia generatiua non conſiſtit adæquate in reſpectu; ſed in abſoluto, & reſpectiuo ſimul, vt Auctores, contra quos diſputamus, concedunt: ergo inſtantur in potentia generatiua rationes prædictæ; & conſequentêr illis conuinci nõ poteſt generationem adæquate cum relatione Patris identificari.

35 *Quarto prob.* Quarto probatur. nam quo maior identitas inter producens, & productum ſaluatur, eo productio perfectior eſt; at poſita generatione in abſoluto, connotato reſpectu, maior identitas ſaluatur inter producens, & terminum productum, quam ſi in relatione adæquatê conſiſtat: ergo primum, & non ſecundum debemus defendere. Maior videtur certa; cũ producens eo tendat, vt ſibi ſimile producat, quo autem magis identificatur cum producente, eo ſimiliusei euadit; & conſequentêr eo perfectiõ intentum ſuæ actionis conſequitur. Minor etiam non minus perſpicua videtur ; ſi enim actio eſt adæquatê cum relatione principij identificata, adæquate à termino producto diſtinguitur, ſi autem in abſoluto cum reſpectu ponatur, eſt idem cum termino pro eo, quod importat in recto, & ſolum ab illo pro connotato diſtinguitur. Cõſequentia autem principalis probatione non indiget.

36 *Dices.* Dices, quod cum producens à termino producto debeat realiter diſtingui : conſequens fit, quod non poſsit tantum identitatem cum illo obtinere, vt identificetur eius actio cum illo. *Sed contra.* Sed contra: nam vis productiua non minus debet à termino productibili realiter diſtingui, quam actu producens vt *quod* à termino producto; & tamẽ forma, qua conſtituitur potens producere, pro eo quod importat in recto, identificatur cum productibili: ergo quamuis producens actu vt *quod* realitêr diſtinguatur à termino producto, poterit forma, per quam conſtituitur actu producens, videlicet actio, cum termino producto identificari pro eo, quod importat in recto.

37 *Reſp.* Reſpondebis, eſſe diſparem rationem: nam agens intendit aſsimilare ſibi terminum in principio, quo agit, non vero in actione, & ideô, quia eſt actio infinite perfecta, producit terminum identificatum cum producente in principio, non autem in actione, qua agit. *Sed contra.* Sed contra: nã intentio agentis creati non eſt aſsimilare ſibi effectum in principio proximo operandi, ſed ſolum in remoto, & radicali, vt in agentibus creatis conſtat; & tamen in agente in creato non ſolum principium radicale, ſed etiam proximum pro eo, quod importat in recto, identificatur cũ termino, & hoc pertinet ad perfectum modum operandi, quo gaudet: ergo, etſi intentio agentis creati non ſit aſsimilare ſibi effectum in actione, qua agit, pertinebit ad ſummam perfectionem agentis increati agere per actionem, quæ pro eo, quod importat in recto, identificatur cum termino.

38 *Deniq; prob. cõcluſio.* Denique eandem concluſionem

oſten-

ostendo cõtra quosdã ex nostris Thomistis: nam dictio, qua verbum producitur, nõ est actus ex æquo ab actu intelligendi distinctus, vt *conclusione sequenti* constabit, & communiter fatentur Thomistæ præter vnũ, qui in hac parte à cõmuni Thomistarum sententia recessit; at si adæquata identitate cum Paternitate gauderet, non posset non distingui virtualiter adæquate ab actu intelligẽdi, cum ab illo virtualiter adæquatê Paternitas discriminetur: ergo non identificatur adæquatê cum relatione Paternitatis.

39 *Quorundã euasio reijcitur.*

Dices, paternitatem ab actu intelligendi essentiali distingui virtualiter adæquatê, non autem ab actu intellectionis notionalis, & relatiuæ, & istũ non primum ad constitutionem formalem dictionis, qua verbũ producitur, pertinere. Sed contra: nõ datur in Deo intellectio notionalis, & relatiua ab intellectione essentiali, & absoluta distincta in linea intellectionis: ergo solutio tradita subsistere nequit. Probo antecedens primo ex D. Th. *infra q. 37. art. 2. ad 1.* vbi ait, quod intelligere in Deo solũ essentialiter dicitur. Secũdo: nam prædicata absoluta nõ multiplicãtur per identitatem cum relationibus, vt docet D. Th. *q. 9. de Potentia art. 9. ad 3.* constatque in Deitate, potentia, misericordia, iustitia, & sic de alijs: non enim datur duplex deitas, altera relatiua, & altera absoluta, duplex potentia, misericordia, &c. At intellectio est vnum ex prædicatis absolutis in Deo: ergo ex coniunctione, seu identitate cum relationibus, nõ multiplicatur virtualiter. Tertio, nõ datur duplex intellectus in Deo, alter absolutus, & alter relatiuus, nec duplex voluntas: ergo nec duplex intelligere, alterum absolutum, & alterum relatiuum, nec similiter duplex volitio. Quarto: nam Paternitas sub conceptu Paternitatis non est in linea intellectualitatis actiuæ: ergo nequit ratione sui constituere intellectionem notionalem in linea intellectionis ab essentiali distinctam.

§. IV.

Argumentis occurritur.

COntra istam conclusionẽ obijciunt cõtrarij Authores, primo D. Th. qui pluribus in locis affirmat actus notionales à relationibus solo modo significandi differre; sic docet *in 1. dist. 27. q. 1. art. 1. ad 5. de Potentia q. 2. art. 5. ad 8. q. 10. art. 3. infra q. 41. art. 1. ad 2. & alibi sæpè*; verba D. Th. in vltimo loco hæc sunt: *Remoto igitur motu, actio nihil aliud importat, quã ordinem originis, secundũ quod à causa aliqua, vel principio procedit in id, quod est à principio: vnde cũ in diuinis non sit motus, actio personalis producentis personã nihil aliud est, quam habitudo principij ad personam, quæ est à principio, quæ quidem habitudines sunt ipsæ relationes, vel notiones, &c.* Confirmatur hoc primo ex D. Th. *q. 9. de Potẽtia art. 9. ad 3.* illis verbis: *Nam potentia absolutum quoddam est, & ideò non distinguitur in diuinis, sicut nec bonitas, nec aliquod sic dictum: generare vero, & generari in diuinis non significant aliquid absolutum, sed solum relatiuum.* In quibus oppositã sententiam docere cõstat primo, ex discrimine, quod inter potentiã generatiuam, & generationẽ cõstituit, quod prima aliquod absolutũ importat, generatio verò aliquid relatiuum; at potentia generatiua de connotato importat relationem: ergo generatio in recto importat illã, aliàs nullum inter vtrumque discrimen subsisteret. Secundo, in eo quod asserit *generationem solum relationẽ importare*; at si in recto importat aliquod absolutum, falso diceretur

40 *Arg. 1. ex D. Th.*

Cõfirm. 1.

importare ſolam relationẽ; cum id, quod in recto ingreditur ſit præcipuè importatum: ergo nullum in recto abſolutum importat.

41 *Cõfirm. 2.* Confirmatur ſecundo ex eodem D. Th. *q.41.art.5.ad 2.* quo intendebat probare potẽtiam generatiuam in diuinis ſignificare relationem in hunc modum arguendo: *In diuinis non differt poſſe, & agere; ſed generatio in diuinis ſignificat relationẽ: ergo & potentia generandi.* Cui argumento his verbis reſpondet: *Ad ſecundum dicendum, quod ſicut eſt idem in diuinis potentia generandi cũ generatione, ita eſſentia diuina cum generatione, & Paternitate, eſt idem re, ſed non ratione*; ac ſi manifeſtè diceret, quod licet generatio in relatione adæquatè conſiſtat, quia tamen relatio à diuina eſſentia ſolum differt ratione, & generatio à potentia generatiua etiam ratione diſtinguitur: conſequens eſt, quod poſsit potentia generatiua importare aliquid abſolutum, & generatio aliquid reſpectiuum; at ſi D. Tho. ſentiret generationem non importare adæquatè, & in recto relationem, facilius argumento occurreret negando minorem, vel illam diſtinguẽdo: ergo ſentit generationem relationem importare in recto, & non in obliquo.

42 *Cõfirm. 3.* Denique confirmatur ex eodem D. Thoma *infra q.40.art.9.ad 3.* vbi loquens de generatione actiua docet; non præintelligi ad proprietatem perſonalem Patris conſtitutiuam, quia ſignificatur vt progrediẽs à perſona Patris; at ſi generatio nõ identificaretur adæquate cum relatione, ſed in aliquo abſoluto in recto conſiſteret, effugium illud neceſſarium non eſſet; cum per hoc ſolum, quod in recto importaret aliquid abſolutum, ſufficienter à conſtitutione perſonæ excluderetur: ergo ſentit D. Thomas proceſſionem actiuam eſſe idem cum relatione perſonali adæquatè.

43 Sed cum de mente D. Thomæ iam conſtet, non eſt à noſtra ſententia propter teſtimonia allegata recedendum. Ad argumentum ergo quidam ex noſtris reſpondent, loqui D. Thomã de actibus notionalibus ſecundum id, quod addunt ad actus eſſentiales, in quib⁹ prout ſic ex his, quæ in actione creata inueniuntur, non remanet, niſi ſola relatio; cum namque in actione creata inueniantur ratio motus, realis egreſſus ab agente, & realis reſpectus ad terminum, & in actu notionali, nec mot⁹, nec egreſſus reperiatur, ſed ſolũ realis reſpectus, veriſsimum eſt, quod ex his, quæ in actione inueniuntur, nihil reperitur in actu notionali ſecundum id, quod addit ad actum eſſentialem, niſi ſola relatio; & ſic loquẽdo de huiuſmodi actibus, verum eſt etiam à relationibus ſolo modo ſignificandi, ſeu ratione virtuali inadæquata differre.

Prima primi teſtimonij explicatio.

Secũda explicatio præfertur.

Sed melius reſpondetur, loqui D. Thomam de proceſsionibus diuinis quantum ad id, ad quod nomẽ proceſsionis fuit impoſitum ad ſignificandum, non vero quoad rem ſignificatam: quia vt *ibi* docet D. Tho. proceſsio fuit impoſita ad ſignificãdũ ex motu, in quo realis ordo fundatur; & quia à proceſsionibus diuinis ſecluditur mot⁹: hinc eſt, quod loquendo de proceſsione quantũ ad id ad quod nomen fuit impoſitũ ad ſignificandum, non remaneat niſi relatio ſola: Ex parte namque rei ſignificatæ præter motum, & realem egreſſum, importatur in nomine actionis ratio vltimæ actualitatis, quæ in diuinis proceſsionibus inuenitur.

44 *Ad 1. & 2. confirmationẽ* Ad primam confirmationem dicatur, non comparaſſe Diuum Thomam potentiam generatiuam, prout hoc nomine ſignificatur, cum generatione, ſed prout ſignificatur nomine potentiæ, prout ſic autem verè ſubſiſtit diſcrimẽ à D. Th. aſsignatũ: nam licet potentia generatiua ſub his vocibus relationem de connotato importet, ſub ratione autem potentiæ, nec in recto, nec de connotato illam dicit. Ad ſecundam dicatur, quod quia in

hoc complexo *potentia generatiua* importatur potentia, quæ nec de connotato relationem dicit, & generatiua, quæ illam importat, vt vtriusque partis complexi discrimẽ constitueret à generatione vsus fuit tradita solutione.

45 *Tertia cõfirmatio diluitur dupliciter.*

Ad tertiam confirmationem dicatur primo, D. Thomam loqui de generatione, secundum quod addit ad actum essentialem, nempe relationẽ, nõ sub conceptu relatis, nec sub conceptu hypostasis, sed sub alio conceptu; & quia sub isto concipitur à nobis vt egrediens à persona, ideo nequit personam constituere, sed illã constitutam supponere. Secundo, quod licet possit generatio à constitutione Patris in ratione personæ excludi, propterea quod in recto importat aliquod absolutum; attamen D. Thomas vsus fuit alia ratione, non tanquam necessaria, sed tanquam sufficienti.

46 *Secũdo arguitur.*

Secundo sic arguunt: nam secluso motu ab actione non remanet nisi sola relatio, vt docet D. Thomas verbis *superius* allegatis; at à processione diuina excluditur motus: ergo in illa non remanet nisi sola relatio; & consequenter generatio, & quæuis alia diuina processio, in relatione adæquatè consistit. Ad hoc argumentum, quo se conuincunt quidam ex nostris, Respondeo illud instando; tum in actione essentiali intellectus diuini, à quo motus secluditur, & tamen in illa non remanet sola prædicamẽtalis relatio, sed vera ratio actionis, & intellectionis: tum etiam in creatione actiua, à qua motum secludi necessarium est, & tamẽ non remanet in illa sola relatio prædicamentalis, alias cum relatio in creatione fundata, sit relatio rationis, in aliquo rationis actualis creatio consisteret, sed remanet in illa vera ratio actionis immanentis in frequentiori, & vera Thomistarum sententia *supra quæst.* 25. Et *infrà quæst.* 45. non ergo potest argumentum factum alicui ex Thomistis fauere, vt à nostra sententia declinent.

Resp. & instatur argumẽtũ

Ad illud respondeo distinguendo maiorem: non remanet nisi sola relatio ex his, quæ importat actio ex parte rei significatæ, nego maiorem: ex his, quæ importat quantum ad id, à quo nomen actionis fuit impositũ ad significandum, concedo maiorẽ, & concessa minori, nego consequentiam. Quę solutio constat ex dictis inter soluendam primũ argumentũ.

47 *Tertio arg.*

Tertio sic obijciunt: de conceptu generationis est, vt pro quocunque signo intelligatur subiecto competere, ipsum exercite generans constituat; at Paternitas nequit intelligi Patri conueniens, quin intelligatur exercite generans, vt perse manifestum videtur, omnis autem alia formalitas intelligi potest Patri conueniens, quin exercite generans concipiatur; cum absoluta sit, & absoluta notionalia præcedant: ergo Paternitas ratione sui est generatio actiua, absque aliqua alia formalitate ingrediente formaliter eius constitutionem; & consequenter quæuis alia actiua processio cum relatione principij adæquatè identificatur.

48 *Resp.*

Respondeo concessa maiori, distinguendo minorem: quin intelligatur exercite generans ratione Paternitatis præcisè, nego minorem: ratione illius vt modificantis, & complentis formam, concedo minorem, & nego consequentiam. Pro cuius maiori intelligentia aduerto Paternitatem sub conceptu Paternitatis nec formaliter, nec completiuè Patrem generantem constituere, sed ipsum generantem supponere iuxta *inferius* dicẽda dum de constitutione personarũ agamus, eo quod prout sic supra generationẽ fundari intelligitur, Paternitas etiam sub conceptu formæ hypostaticæ, sub quo Patrem in ratione personæ cõstituit, non constituit ipsum generantem exercite; eo quod prius à nobis cum fundamento in re intelligitur esse, quam producere, prius nanque est esse, quam operari. Est ergo alia formalitas in Paternitate, qua respicit filium vt genitum, & sub ista con-

ſtituit Patrem generantem, non vt forma, ſeu ratio formalis, ſed vt quaſi modus complens formam, ſeu rationem formalem, quæ forma, ſeu formalis ratio eſt actus intellectus, non abſolutè, ſed prout Patris tantum; ſic autem conceptus actus intelligendi non poteſt intelligi Patri conueniens, quin actu exercite generans concipiatur; nam licet abſoluta ſint priora notionalibus abſolutè conſiderata, abſoluta tamen vt modificata per relationem nõ ſunt priora notionalibus, & relatiuis; ac proinde licet actus intelligendi, vt huic Deo conuenit, prior ſit notionalib⁹, actus tamen intelligendi, vt eſt Patris tantum, non eſt prior illis, & hoc ſecundo modo, non autẽ primo, rationem generationis actu ſortitur.

49 *Inſtabis primo.* Sed inſtabis primo: intellectio eſſentialis ſub conceptu abſoluto intelligitur conueniens huic Deo, quin ipſum generantem conſtituat: ergo ſi Patrem generantem conſtituit, nõ eſt ratione abſoluti, quod dicit, ſed ratione ſuperadditæ relationis, qua trahitur ad eſſe Patris; & conſequẽter relatio ipſa erit ratio formalis conſtituendi Patrem generantẽ, & non abſoluta intellectio. *Secũdo.* Secũdo: Pater pro priori, quo intelligitur in ratione perſonæ, cõcipitur intelligens intellectione eſſentiali; & tamen non concipitur pro illo priori generans; cum generatio perſonam conſtitutã ſnpponat: ergo intellectio etiã prout paternitate modificata non cõſtituit Patrẽ generantẽ. *Tertio.* Tertio, intellectio prout modificata Paternitate eſt principium *quo* proximum generationis verbi, vt fatentur contra Scotum multi Thomiſtæ: ergo ipſa prout ſic non eſt generatio actualis; cum principium actionis, ſaltim virtualiter, debeat ab illa diſtingui.

50 *Reſp. ad primã inſtãtiam.* Reſpõdetur ad primam obiectionem conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: ratione relationis, vt complementi formæ, concedo conſequentiam: ratione illius vt formæ, nego conſequentiam. Et inſto argumentũ in potentia generatiua Patris, quæ in intellectu conſiſtit modificato paternitate, non in ipſa paternitate, vt poſtea probabimus, & plures ex contrarijs fatentur; & tamen vt paternitatem præcedit, non conſtituit Deum potentem generare, ſed relatione modificatus, quin ex hoc inferatur relationem eſſe potentiam, ſed ſolum complementum potentiæ. Ad ſecũdam conceſſa maiori, & minori, diſtinguendum eſt conſequens: prout modificata paternitate vt forma hypoſtatica, concedo conſequẽtiam: prout illa modificata ſub alio conceptu, nego conſequentiã. Quod ſi inquiras, quis ſit iſte cõceptus? Reſpondeo eſſe ipſiſsimũ, ſub quo aduerſarij relationem afferunt eſſe generationem: iſtum enim dicimus non generationis rationem ſortiri, ſed cõplementi formæ, in qua vt ex illo cõpleta generatio cõſiſtit. *Ad 2.* Ad tertiam diſtingno antecedens: eſt principium *quo* proximum termini generationis, & eiuſdem terminatiuẽ, concedo antecedens: generationis ratione ſui formaliter, nego antecedens, & nego conſequentiam: Et licet principium *quo* termini debeat eſſe principium actionis productiuæ, quando eſt principium ab actione diſtinctum, ſecus autem quando eſt principiũ indiſtinctum ab illa, qualiter in præſenti cõtingit, ſicut in actu, quo habit⁹ cauſatur, cõcipicitur; iſte nãq, eſt principiũ *quo* habitus, & nõ actionis, qua cauſatur habitus; quia eſt ipſa cauſatio. *Ad 3.*

51 *Quarto arg.* Quarto obijciunt; ſic comparatur proceſsio actiua ad perſonã producentẽ, ſicut paſsiua ad perſonã productam; ſed paſsiua proceſsio, v.c. filij in filiatione adæquatè cõſiſtit: ergo proceſsio actiua, vel generatio, adæquate conſiſtit in Paternitate. Maior conſtans videtur. Minor autẽ probatur; nã filiatio determinat filiũ taliter ad eſſe producti, vt nec eſſe, nec intelligi poſsit in ipſo, quin ſit, & intelligatur paſsiuè productus, quod nulli alteri formalitati, quæ eſt in illo, poteſt conuenire: ergo filiatio ratione ſui eſt natiuitas, ſeu proceſsio paſsiua filij.

Ad

52 *Varij modi dicendi.*

Ad hoc argumentum non vno modo respondetur ab Authoribus nostræ sententiæ; quidam enim concedentes minorem, negãt maiorem. Ita Granados *vbi supra solutione* 5. Alij maiori concessa, negant minorem, & dicunt, quod sicut actio intelligendi, prout in Patre, est generatio actiua, ita idem actus, prout in Filio, est origo passiua: vnde in vtraque relatio ingreditur, non vt forma, sed tantum vt complementũ formæ. Ita Zumel relatus à Granados *vbi supra*. Quod in D. Thoma videtur fundamentum habere *q. 9. de Potentia art. 9. ad 3.* illis verbis: *Eadem enim potentia est Patris, & Filij, per quam & Pater generat, & Filius generatur*: ergo etiam idem erit actus, quo Pater actu generat, & quo filius actu generatur: ac proinde si actus, quo Pater generat, est actꝰ intellectꝰ, prout in Patre, idem intellectus, prout in Filio, erit, quo generatur; & consequenter generatio passiua.

53 *Iudicium de his modis dicendi, & argumenti solutio.*

Ex his modis dicendi primus est parum consequens ad doctrinã, quã nobiscum tenet Granados. Quod probo: nam Patrem producere Filium est ipsum intelligere, vt modificatum Paternitate, vt prædictus Author fatetur: ergo Verbum à Patre produci est passiuè intelligi, vt modificatum filiatione; Pater namque vt actiuè intelligens ad passiuè intellectum terminari debet. Tunc vltra: ego id, quod est ratio vt intelligatur vt filiatione modificatum, erit ratio passiuæ productionis, at ratio terminandi intellectionem in Filio non est relatiua, sed absoluta: ergo hoc absolutum, vt relatiuè modificatum, erit ratio passiuæ productionis. Ex quibus infero secundum modum dicendi esse verum, si in Deo non distinguantur intelligere, & intelligi, adhuc virtualiter, falsum autem si virtualiter discriminentur. Quod patet: nam passiuum intelligi, vt modificatum filiatione, est passiua processio: ergo si intelligi ab intelligere nõ distinguitur virtualiter, actio intelligendi vt in Filio erit passiua processio, secus autem si distinguantur. Ad argumẽtum ergo concessa maiori, nego minorem: ad eius probationem, distinguo antecedens: quin sit, & intelligatur passiuè productus, ratione filiationis vt formę, nego antecedẽs: ratione illius vt cõplementi formæ, cõcedo antecedẽs, & nego consequentiam. Quæ solutio constat ex dictis inter soluendã tertiam obiectionem.

54 *Deniq; arguitur.*

Denique obijciunt: generatio est ratio distinguẽdi Patrem à Filio; at sola relatio est ratio distinguendi in diuinis: ergo sola relatio est generatio, & idem erit de quauis alia productione actiua. Minor cum consequẽtia tenet. Maior autẽ probatur primo ex D. Th. *q. 2. de Potentia art. 2. ad 1.* illis verbis: *Generans quidẽ per generationem distinguitur à genito: cum nulla res generet se ipsã, sed id, quo generans generat, non distinguitur, sed est cõmune vtrique: vnde non oportet naturã distingui, sicut nec potentia generandi; cũ potentia sit principium* vt quo. Secũdo probatur ratione in præallegatis verbis contenta; nihil enim potest generare se ipsum: ergo generãs, per generationem realiter a genito distinguitur: sicut quia nihil potest ad se ipsum referri, relatum per, relationem à correlatiuo distinguitur.

55 *Resp.*

Ad hoc argumentum respõdeo illud prius instando in potẽtia generatiua; non enim valet ista consequentia *productiuum à producibili realiter debet distingui: ergo potentia productiua est sola ratio distinguendi*; cum antecedens verisimum sit, consequens autem falsum in omniũ Thomistarum sententia, & in sẽtentia multorum contra quos disputamus; cum potẽtiam productiuam importare in recto aliquod absolutũ fateantur: pari ergo ratione non valet, *producens debet realiter à producto distingui: ergo productio est sola ratio distinguẽdi*; sed ad summũ infertur, quod secundum aliquod sui sit ratio distinguẽdi, & consequẽter,

quod ſecundum id debeat realiter à producto diſtingui, quod libẽter fatemur.

56 *Triplex inſtãtia.*

Sed oppones primo; generatio v. c. eſt omnino ſimplex: ergo vel eſt ratio diſtinguẽdi ſe tota, vel ſub nulla ratione. Secundo: nam iuxta hanc ſolutionem, nullum inter potentiam generatiuam, & generationem diſcrimen ſubſiſtit, quãtũ ad hoc, quod eſt diſtinctionem tribuere: cũ vtraque illam præſtet ſecundum aliquod ſui, & neutra ſe tota ſit ratio diſtinguendi; at D. Th. aliquod diſcrimen conſtituit: ergo erit, quod generatio ſe tota ſit ratio diſtinguendi, ſecus autem potentia generatiua. Tertio: nam quia relatio eſt ratio diſtinguẽdi, ſe tota differt à correlatione oppoſita ſibi: ergo ſi generatio eſt ratio diſtinguendi perſonas, ſe tota debet diſcriminari à genito. Reſpondeo ad primam obiectionem diſtinguendo antecedẽs: ſimplicitate cõpoſitioni oppoſita, concedo antecedens: oppoſita conſtitutioni ex multis virtualiter inter ſe diſtinctis, nego antecedens, & nego conſequentiam; quia vt ſub vna ratione diſtinguat, & non ſub alia, ſufficit conſtitui ex duabus rationib⁹ diſtinctis inter ſe virtualiter. Ad ſecundam, nego maiorem: nam in nomine potentiæ generatiuæ, importatur potẽtia, quæ non diſtinguit, nec ratione ſui, nec ratione alicuius à ſe connotati, & ly *generatiua*, quę ratione cõnotati diſtinguit: generatio autem cum nomen incomplexum ſit, non importat aliquid ratione connotati nõ diſtinguẽs. Ad tertiam diſtinguo antecedens: quia eſt ratio diſtinguẽdi ſe tota, differt ſe tota, concedo antecedens: præcisê quia eſt ratio diſtinguendi, differt ſe tota, nego antecedens, & conſequentiam. ratio autem cur generatio ſe tota nõ diſtinguat, bene tamen relatio, eſt: quia ad perfectionem agentis ſpectat idẽtificare ſibi terminum nedum in principio remoto, nec in proximo vtcumque, ſed in proximo vt in vltima actualitate cõſtituto, vt *ſupra* arguebam⁹.

Reſp. ad 1. inſtãtiam.

Ad 2.

Ad 3.

§. V.

Statuitur tertia concluſio.

TErtia cõcluſio. *Proceſsio actiua, qua Verbum procedit, non eſt actus ex æquo ab intellectione diſtinct⁹, ſed eſt intellectio, vt modificata paternitate.* Id ipſum, quod de actione, qua Verbum procedit, aſſerimus, intelligendum eſt de proceſsione Spiritus Sãcti, quod nẽpe non diſtinguatur ex æquo ab actu volendi, ſed eſt volitio eſſẽtialis modificata relatione ſpiratoris, quæ primæ, & ſecundæ perſonæ eſt cõmunis, & eiuſdem rationis. Et quidem ſecundam concluſionis partem, ſcilicet, quod non conſiſtat in actu intellectionis præcisê, ſed vt modificato Paternitate, conuincunt euidenter Scoti argumenta, nec ab aliquo poteſt negari; etenim intellectio eſſentialis eſt toti Trinitati cõmunis; at dictio, qua Verbum producitur, non eſt cõmunis tribus perſonis, ſed eſt propria Patris; cum nec verbum dicat, ſeu producat Verbum, nec Spiritus Sanctus: ergo non conſiſtit in intellectione eſſentiali præcisê, ſed aliquid aliud illius formalem conſtitutionẽ ingreditur, quod in nullo alio poteſt, quã in Paternitate conſiſtere.

57 *Tertia cõcluſio*

Probatur ſecunda pars.

Primam autem concluſionis partem, quam negat Scotus, probãt aliqui ex Anſelmo in Monologio *cap.* 34. illis verbis: *Idem eſt ſummo Spiritui ſcire, quod intelligere, ſiue dicere*: ergo dicere eſt formaliter intellectio, & conſequenter non eſt actus ex æquo ab intellectione diſtinctus. Anſelmus tamen his verbis nobis non fauet: nã iuxta D. Th. *infra q. 37. art. 1. ad 2.* Anſelmus ibi impropriê accipit *dicere* pro *intelligere.*

58 *Prima pars cõcluſionis prob. 1.*

re.

re. Probatur igitur nostra conclusio primo: nam iuxta D. Th. verbum est intellectionis terminus. ita expresse docet de veritate *quæst. 4. art. 2. de de potentia quæst. 9. art. 5. infra quæst. 34. art. 1. ad 2. & 4. Contra Gentes cap. 11.* his verbis: *Est autem de ratione interioris verbi, quod procedat ab intelligente, secundum suum intelligere, cum sit quasi terminus intellectualis operationis*; at Verbum est terminus dictionis: ergo dictio formaliter est intellectio.

59 *Dices.* Dices, esse terminum intellectionis, vt principij, & dictionis, vt actionis causatiuæ; ac proinde non sequitur ex eo quod sit terminus intellectionis, & terminus dictionis, quod dictio formaliter sit intellectio; cum diuersimodè ab vtroque procedat. *Sed contra.* Sed contra; nam si solú hoc modo. Verbum esset terminus intellectionis prout principij, non vero vt actionis, seu causalitatis, dicere in nobis, non significaret vllo modo intelligere; cum nomen actionis non significet eius principium; at dictio in nobis significat intelligere, exprimens Verbum iuxta D. Thomam *quæst. 9. de veritate art. 2. ad 5.* ibi: *In nobis dicere, non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc, quod est ex se exprimere aliquam conceptionem*: ergo Verbum non est terminus intellectionis, præcisè vt principij à quo procedit, sed etiam vt actionis, seu causalitatis; & consequentèr dictio diuina per quam Verbum procedit, non erit actus ab intellectione ex æquo distinctus, sed erit intellectio formaliter.

60 *Secũdo prob. cõclusio.* Secundo suadetur; omnis actus intellectus, est formaliter intellectio, at dictio est actus intellectus diuini, vt contra Durandum fatetur communis Theologorum consensus: ergo dictio, seu processio actiua, qua Verbum procedit, est intellectio formaliter: & consequentèr non est actus ex æquo ab intellectione distinctus. Consecutio cum minori tenet. Maior autem probatur: tum, nam omnis actus intellectus est immaterialis immaterialitate primæ potentiæ in linea intellectiua; at istam immaterialitatem, ratio apprehensiui subsequitur, vt docetur à Theologis *supra quæst. 14. art. 1.* ergo omnis actus intellectus est formaliter apprehensiuus; ac proinde intellectio. Secundo: actus, qui intellectio non sit, sufficit ad specificandam potentiam ex æquo ab intellectiua distinctam: ergo omnis actus intellectus est intellectio formaliter. Consequentia tenet, & antecedens probo; etenim non ob aliam rationem volitio specificat potentiam ab intellectu distinctam; nempe intellectiuam, nisi, quia formaliter intellectio non est: ergo omnis actus, qui intellectio non, sit specificare valebit potentiam, non minus quam voluntas, distinctam.

61 *Conf. 1.* Confirmatur primo: nam iuxta Scotum, dictio, qua diuinum Verbum producitur, nec est propter intellectionem, nec ex illa procedit: ergo nullum ordinem habet ad intellectionem; at actus ex æquo distincti non subordinati inter se, nec ordinati ad aliquam rationem communem ad eandem potentiam pertinere non possunt: ergo eo ipso, quod dictio non sit intellectio formaliter, qualiter à Scoto statuitur, actus intellectus non erit, sed actus potentiæ ex æquo ab intellectiua distinctæ, quod est absurdum. *Conf. 2.* Confirmatur secundo, & præcluditur euasio, qua poterat id argumentum factum occurri; nam licet dictio sit intellectione posterior, vt fatetur Scotus, & etiam si ab illa tanquam à principio procedat, vt alij ex Auctoribus contrarijs censent, non sufficit vt ab eadem potentia, à qua intellectio, procedat: ergo nisi fareantur esse intellectionem formaliter, saluare non possunt esse actum potentiæ intellectiuæ. Probo antecedens; nã in omnium sententia, volitio intellectionem supponit; nihil enim volitum, quin præcognitum, & ab illa

de-

dependet, vt à principio, quo effectiuo, vt aliqui volunt, vel saltim tanquam à necessaria conditione, vt omnes fatentur; & tamen posteriori tas ista seu dependentia, non sufficit vt ab eadem potentia, intellectio, & volitio procedant: ergo quod dictio sit intellectione posterior, vel ab illa dependeat, sufficiens non est, vt ad eandem potentiam pertineant; & consequentêr eo ipso, quod dictio sit actus intellectus, debet esse intellectio formalitêr.

62 *Conf. 3.*

Denique confirmatur: nam etiam si dictio esset propter intellectionem, id non sufficeret, vt ab eadem potentia à qua intellectio procederet ergo vt ab intellectu procedat debet esse intellectio. Consequẽtia est bona, & antecedens probo; productio namque speciei impressæ, qua primo intellectus secundus redditur ad intelligendum, pertinet ad potentiam ab intellectu posibili distinctam, vt multi ex aduersarijs fatentur; quia intellectio non est; & tamen ad intellectionem ordinatur: ergo ordinatio productionis Verbi ad intellectionẽ, dũmodo intellectio nõ sit, no sufficit, vt ad eandem potẽtiam cum intellectione pertineat. Nec sufficit dicere ideô actum productiuum speciei petere diuersam potentiam; quia species impressa est intellectionis principium, Verbum autem est terminus, seu obiectum, in quo intellectio contemplatur obiectum, & id circo disparem esse inter vtrumque actum rationem. Nam in contrarium obstat primo, quod si vterque actus ad intellectionem ordinatur, quod terminus vnius principium sit, & alterius obiectum *in quo* respectu intellectionis, nullius est momenti, vt alter illorum cum intellectione in respicientia eiusdem potentiæ conueniat, & alius diuersam potentiam exposcat. Secundo: nam intellectus posibilis semel per speciem secundus potest per proprium actum, tertiam speciẽ impressam elicere, vt ex speciebus montis, & auri; & tamen species ista ab intellectu posibili elicita, est intellectionis principium: ergo quod actus, quo primo rerum species causantur ad intellectum posibilem non pertineant, non ideo est quia species impressa est intellectionis principiũ, sed quia intellectio non sunt.

Euasio precluditur.

Tertio suadetur, respectus ad terminos ordinatê se habentes, non sufficiunt actus ex æquo distinctos constituere; at respectus ad Verbum, vt terminum productum, in quo dictio consistit, & respectus ad Verbũ cognitum, in quo consistit intellectio sunt ad terminos ordinate se habentes: ergo non sufficiunt, adæquate dictionem ab intellectione discriminare: & consequenter dictio non erit actus ex æquo ab intellectione distinctus, sed formaliter intellectio. Discursus tenet. Maior est certa; nã vna, & eadem actio potest duplicem terminum producere, vnum primario, & alium secundario, vt constat in actione, qua essentia producitur, secundario terminata ad paisiones. Et vna actio indistincta potest ad duo obiecta terminari, primario ad vnum, & secundario ad aliud, vt constat in visione beatifica terminata ad Deum primario, & secundario ad creaturas: ergo termini ordinatê se habentes non specificant actiones ex æquo distinctas. Minorem autẽ probo primo ex D. Thoma *infra quæst. 34. art. 1. ad 2.* illis verbis: *Dicere importat principaliter habitudinem ad Verbum conceptum; sed mediante Verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in Verbo prolato manifestatur intelligenti*: ergo ex mente D. Thomæ Verbum, & res intellecta ordinate se habent in terminando habitudinem dictionis, & intellectionis. Secundo: nam respectus terminatus ad Verbum non sistit in illo, sed transit ad rem intellectam; cum Verbum sit essentialis repræsentatio obiecti: ergo obiectum intellectum, & Verbum ordinate se habent.

63 *Tertio prob. cõclusio.*

64 *Dices.*

Dices, respectum ad Verbum transire ad rem intellectam medio

Ver-

Verbo; cum autem Verbum sit repræsentatio obiecti, non potest ad illud vt intellectum transire, sed solum vt ad obiectum repræsentatum, vt autem transitus ille constitueret dictionem in ratione intellectionis, deberet esse ad obiectum vt cognitum, & non solum vt repræsentatū; ac proinde etsi obiectum terminans vt repræsentatum, & Verbum productum ordinate se habeant: secus autem obiectum vt intellectum, qua ratione comparatur ad intellectionem.

Sed contra.

Sed contra: nam Verbum non solum habet repræsentare obiectū, sed etiam illud constituere intellectum terminatiue, vtpote cum sit vltima actualitas lineæ intelligibilis passiuæ, cuius exercitium est obiectum constituere terminatiue passiuæ intellectum, sicut exercitium vltimæ actualitatis in linea intelligibili actiua est constituere principium intelligens: ergo respectus dictionis ad Verbum transit ad obiectum vt terminatiue intellectum; & consequenter obiectum vt intellectū, qua ratione intellectionem terminat, & Verbum productum, sunt termini ordinate se habentes.

65 *Deniq; prob. cõclusio.*

Denique principaliter suadetur conclusio: si namque dictio non esset intellectio formaliter, sed actus ex æquo ab intellectione distinctus, sequeretur esse actum identificatum cum Verbo producto; at hoc repugnat communis Theologorum consensus: ergo dictio est intellectio formaliter. Probo sequelam ad hominem contra Auctores contrarios: etenim quia Deus non causat creaturas per actionem, quæ sit intellectio in illorum sententia, actio, qua creaturas causat, est identificata cum illis, & non manens in Deo, vt ipsi fatentur: ergo si actio, qua Pater Verbum producit, non est intellectio formaliter, erit actio identificata cũ Verbo producto.

66 *Dices.*

Dices, esse longum discrimen consistens in eo, quod Deus causat creaturas per actionem transeuntem, hæc autem subiectatur in passo, non in agente; & id circo actio, qua creaturas causat, identificatur cum termino; caterum actio, qua Verbum producit, transiens non est; & consequenter debet cum Patre producente, & non cum Verbo identificari.

Sed contra.

Sed contra: nam semel concesso non repugnare Deo agere per actionem, quæ formaliter intellectio non sit, & per actionem identificatā cum termino extrinseco, vel in illo receptum, cur repugnabit illi agere per actionem identificatam cum termino intraneo, & eiusdem naturæ, quæ immanens tunc dicetur; quia identificatur cum termino intra Patrem manente, ratione identitatis cum illo in natura. Certe nulla vel apparens ratio poterit assignari: ne ergo in hoc inconueniens incidant contrarij Auctores fateri tenentur dictionem esse intellectionem formaliter, & non actum ex æquo ab intellectione distinctum.

§. VI.

Obiectionibus occurritur.

67 *Arg. 1.*

IN contrarium obijciunt contrarij Auctores primo: actus, quorum termini, & modi tendendi sunt distincti, ex æquo distinguuntur; at dictio, & intellectio respiciũt distinctos terminos, prima Verbum productum, secunda, obiectum cognitum, gaudentque modis tendendi distinctis; dictio namque respicit Verbum ipsum producendo; intellectio vero suum obiectum per modũ contemplationis ipsum non produ-

cen-

cendo: ergo distinguuntur ex æquo; & consequenter dictio non est intellectio formaliter. Respondeo distinguendo maiorem: si distinctio terminorum, & modi tendendi formalis sit, concedo maiorem: si materialis tantum, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam cum termini dictionis, & intellectionis cum ordine primarij, & secundarij se habeãt, tota illorum distinctio, & modi in illum tendendi, materialis est. Instatur. Instatur arg. Instoque argumentum, tum in intellectu, in quo ratio dictiui, seu productiui Verbi, & ratio intellectiui inueniuntur, non obstante diuersitate terminorum, & modi tendendi; quia propter illorum ordinem est materialis. Tum etiam in respectu productiui respectu creaturarum, & ratione intellectiui, quæ in eodem actu diuini intellectus absque distinctione formali inueniuntur, eo quod ordinate ad obiectum intellectum, & terminum productum comparatur.

Resp. Respondeo ad primam replicam negando sequelam: ad cuius probationem dicatur, D. Thomam intelligendum de dictione creata absolute, scilicet, quod principaliter importet ordinẽ ad Verbũ productũ; quia cũ intellectio creata sub terminatione ad obiectũ Verbum necessario supponat; quia in illo, & ratione illius cõcẽplatur obiectũ, & id circo non ex fœcunditate, sed ex necessitate producit illud: fit consequens, quod prius debeat terminari ad Verbum, & mediante Verbo ad rem intellectam: & de dictione diuina nõ absolute, sed solum secundum id quod addit ad intellectionem essentialem, cuius ratio est: nam cum Verbum diuinum non producatur ex necessitate, sed ex fœcũditate naturæ, & ex cognitione essentiæ, & Trinitatis procedat, fit consequens, quod in diuina dictione prior sit terminatio ad essentiam vt cognitam, quam terminatio ad Verbum vt productũ; secundum id tamẽ, quod addit ad intellectionem essentialem prius ad Verbum, quam ad obiectum cognitum terminatur.

68 Oppones 1. Oppones primo, sequi ex hac solutione diuinam cognitionem terminari ad Verbum primario, & ratione illius ad diuinam essentiam; cõsequens est falsum; cum cognitio, vtpote Verbi productio, & eiusdem principium, prior sit Verbo producto: ergo solutio data est nulla. Patet sequela; quia iuxta D. Thomam dictio principaliter dicit ordinem ad Verbum productum, & mediante Verbo ad rem intellectam: ergo si cognitio essentialis est dictio debet prius Verbum respicere, & mediante Verbo rem in illo intellectam. Secũdo. Secundo, dictio prout dictio terminatur ad rem intellectam mediante Verbo, & ratione illius, & intellectio essentialis in Deo ad diuinam essentiam ratione sui immediate: ergo formales termini dictionis, & intellectionis diuinæ, sunt distincti formaliter.

Resp. ad 1. instantiam. Ad secundam distinguo antecedens: ly *prout actio* reduplicante conceptum adæquatum dictionis diuinæ, nego antecedens: reduplicante conceptum eius inadæquatũ, concedo antecedens: & concessa secunda antecedentis parte, nego consequentiam: sicuti non valet, *relatio sub conceptu inhærentis respicit subiectum ratione sui, & sub cõceptu referentis respicit terminum: ergo diuersis respectib⁹ respicit vtrũque*; nam licet sub inadæquato conceptu inhærentis subiectum respiciat præcisiue explicite in illo sistendo, adæquate tamen inspecta relatio subiectum respicit in ordine ad terminum; ita similiter licet inadæquatus conceptus diuinæ dictionis respiciat Verbum ratione sui; quia tamen sub alio conceptu respicit diuinam essentiam, & ratione illius Verbum attingit consequens fit, quod respectus illi non multiplicent actus, sed vnus, & idem ad vtrumque terminetur.

69 Ad 2.

70 Arg. 2. Obijciunt secundo: dictio intellectus creati non est intellectio

formaliter ergo nec diuina dictio. Consequentia tenet: antecedens autē probatur: tum, quia dictio sub conceptu dictionis non terminatur ad rem intellectam, aliàs dictam denominaret illam, & ab intellectu productam, quod est falsum; at si esset formaliter intellectio ad rem intellectam terminari deberet: ergo non est intellectio formaliter. Tum etiā; nam dictio creata est prior intellectione: prius est enim verbum produci, quod fit per dictionem, quam verbum intelligi, quod ab intellectione præstatur; cum ad hoc producatur vt intellectus in illo contempletur obiectum; at id, quod est prius, non claudit posterius eius formaliter: ergo dictio intellectus creati non est formaliter intellectio.

71 *Resp.* Respondeo negando antecedens, ad primam probationem distinguo maiorem: sub inadæquato conceptu dictionis, cōcedo maiorem: sub adæquato, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; nec sequitur rem intellectam denominari dictam eo modo, quo dicitur verbū, hoc est ab intellectu productū; quia ad hoc requirebatur, quod sub expresso, & inadæquato conceptu dictionis, ad rem intellectam terminaretur; potest tamē res intellecta dicta denominari, hoc est verbo dicto repræsentata, & mediante illo intellecta, qua ratione docet D. Thomas infra *quæst. 34. art. 1. ad tertium*, quamlibet diuinam personam posse dictā appellari, ideſt in verbo intellectam. Ad secundam probationem distinguo maiorem: dictio vt dictio adæquatē concepta, nego maiorem: concepta inadæquatē, concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; nam licet personalitas diuina sub ratione hypostasis prior sit relatione sub conceptu referentis, quia tamen conceptus ille prior est inadæquatus personalitati, non sequitur relationem non esse formaliter; in relatione creata etiam exemplum habemus in qua prior est respicientia subiecti, quam correlatiui, seu termini; & tamen, quia conceptus ille inadæquatus est, non infertur sub illo relationem non esse. Et ratio est; quia potest optimè vna, & eadem forma duplicem inadæquatum conceptū habere, sub quorum vno munus exerceat, quod sit prius eadem forma secundum quod aliud exercet, & ita in dictione creata contingit, quæ sub inadæquato conceptu exercet munus productionis verbi, & sub alio contemplationis, quorum illud hoc secundum munus præcedit, quin liceat colligere intellectionem formaliter non esse.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

72 *Infertur ex dictis primo.* EX dictis infero duplex discrimen inter dictionem intellectus creati, & dictionem diuinā. Primum est, quod in illa ordo ad verbum productum est prior ordine ad obiectum intellectum, eo quod non nisi in illo, & ratione illius potest ad obiectum terminari; dictio autem diuina prius intelligitur terminata ad obiectum sub ratione intellectionis, quam ad verbum vt productum, eo quod verbum necessarium non est, vt in illo, & ratione illius ad obiectum terminetur; imo verbum ex cognitione essentiæ, & Trinitatis procedit vt postea videbimus. Secundum discrimen, quod inter vtranque inuenitur, est, quod dictio creata comparatur ad intellectionem vt sic, vt species ad genus, dictio autem diuina non ita, sed sicut res cum modo ad rem sine modo. Primum consi-

tat,

tat: dictio nanque ab intellectione verbum non producente eſſentialiter differt, & cum illa vniuocè conuenit in ratione intellectionis: ergo hæc ad illam comparatur vt genus ad ſpeciem.

73 *Secundum diſcrimen prob.*

Secundum manifeſte probatur: intellectio nanque diuina non multiplicatur virtualiter intra lineã intellectionis, pẽnes intellectionem notionalem, & intellectionem eſſentialem; cum modus ſuperadditus, nempe relatio, extra lineam intellectionis ſit: ergo dictio ad intellectionem diuinam non comparatur, ſicut inferior in linea intellectionis; aliàs illi ſuperaddit modum prædictum: ergo differt ab illa ſicut res cum modo a re ſine modo. Ratio autem cur dictio creata ab intellectione non productiua verbi differat in linea intellectionis, ſecus autem dictio increata à diuina intellectione, eſt: nã intellectio productiua verbi habet obiectum diſtinctum ab intellectione verbum non producente; cum prima circa obiectum creatum, ſecunda vero circa obiectum increatum verſetur, & ideo differunt in linea intellectionis: cæterum diuina intellectio habet idem obiectum formale, nempe immaterialitatem diuinam, & diuinam eſſentiam, & ideo intra lineam intellectionis non diſtinguitur eſſentialiter.

74 *Infertur ſecũdo. Prob.*

Et ex his infero ſecundo, diſcrimen eſſentiale inter dictionem increatam, & creatam intellectionem non producentem verbum, non prouenire ex conceptu producentis cõuenientis vni, & non alteri, ſed ex diuerſitate obiectorũ. Quod patet: nam demus circa idem obiectum creatum poſſe intellectum verſari producendo verbum, & illud intelligendo ſine verbo producto; tunc caius cognitio producens verbum à cognitione verbum non producente non diſtingueretur eſſentialiter; nam licet vna terminaretur ad rem prout in verbo, & altera ad rem in ſe ipſa, verbum autem, & obiectum ſunt eiuſdem immaterialitatis; ac proinde obiectum vtriuſque formale idem eſſet formaliter, cum quo eſſentiale diſcrimen inter vtranque ſubſiſtere nequit; & tamen tunc differrent pẽnes producere, & non producere verbum: ergo quod dictio verbum producens ab intellectione illud non producente eſſentialiter diſtinguatur, non prouenit ex ratione productionis vni conuenienti, & non alteri, ſed ex diuerſitate obiectorum iam explicata.

75 *Deniq; infertur.*

Denique infero, proceſsiones actiuas eſſe verè, & priuiè actiones vitales immanentes. Quod inſinuare videtur D. Thomas *in omnibus articulis huius quæſtionis*, in quib⁹ abſolutè, & non cum addito diminuente, actiones immanentes vocat iſtas proceſsiones. Probatur: nam ſunt formaliter actus intelligendi, & volendi; at in iſtis vera ratio actionis vitalis ſaluatur; cum illis verè, & propriè viuat Deus vita intellectuali, vt docet D. Thomas *ſupra quæſt.* 18. ergo huiuſmodi proceſsiones ſunt verè, & proprie vitalis, & immanentes actiones.

76 *Contrarium docuere Suarez, & Molina, & probãt.*

Contrarium huius docuiſſe Suarez *lib. de Trinitate cap.* 8. & 2. Tomo metaphyſicæ *diſp.* 48. *ſec.* 4. & Molinam hic *diſp.* 1. referunt PP. Salmanticenſes *diſp.* 1. *dub.* 4. ex eo quod de ratione actionis, quæ verè, & propriè eſt actio, ſunt plures imperfectiones, videlicet motus, realis egreſſio ab agẽte, & quod illius terminus ſit realiter actus, ſicuti, & principium eius eſt agens; & conſequenter quod ſit verè effectus, cum ratio acti, & effectus ſit idem; at omnes iſtæ imperfectiones proceſsionibus diuinis repugnant: ergo & vera ratio actionis. Sed hoc fundamentũ non vrget; nam reſpondetur negando antecedens, nec ab illis efficaciter poteſt probari, etenim de ratione actionis ſolum eſt, quod ſit vltima actualitas agentis ab illo egrediens virtuali egreſſu, aut formali; at in egreſſu virtuali à principio nulla imperfectio inuenitur, ſicut nec quod proprietates diuinæ in illius

Non vrgent.

natura virtualiter radicentur, imperfectionem aliquam ponit in illis, de quo fusè egi *supra quæst.* 14. *art.* 4. ergo nulla imperfectio est de conceptu actionis cum proprietate talis, nec inconueniens est Deum vere, & propriè dici agentem ad intra, non tamen colligitur filium esse proprie actum, sicut nec sequitur, ex eo quod Pater principium sit, quod verbum principiatum dicatur, vt docet D. Thomas *infra quæst.* 33. *art.* 1. *ad* 2. quia in hoc denotatur minoratio, & inferioritas, quæ verbo non competit.

77 *Explicatur D. Thom.*

Nec in his difficultatem alicuius momenti reperio, solum difficultatem habent quædam verba D. Thomæ *quæst.* 2. *de potentia art.* 1. illis verbis: *Ad primum dicendum, quod potentia, quæ in Deo ponitur, nec propriè actiua, nec passiua est; cum in ipso non sit, nec prædicamẽtum actionis, nec passionis, sed solũ actio est sua substantia, sed ibi est potentia per modum potentiæ actiuæ significata, nec tamẽ opportet, quod filius sit actus, vel factus, sicut nec opportet, quod ibi sit actio, vel passio.* In quibus verbis manifeste videtur Angelicum Præceptorem negare diuinis actibus veram, & propriam rationem actionis.

Respondeo, loqui D. Thomam de actione prædicamentali, quæ vere est in prædicamento actionis, & cum passione, & motu identificatur, vt constat ex ratione, quam tradidit; quia scilicet in Deo, nec est prædicamentum actionis, vel passionis, sed hæc actio est sua substantia; actionem autem isto modo acceptam libenter fatemur in Deo nõ reperiri, non vero negat D. Thomas veram, & propiam rationem actionis sub comuni conceptu abstrahente à prædicamentali, & non prædicamentali. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 1. *distinct.* 4. vbi agit de generatione diuina, & *distinc.* 7. vbi agit de generatiua potentia, & *distinc.* 13. vbi de diuinis processionibus tractat. *M. Set.*

(?)

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA SECVNDA.

In quo diuinarum Proceſsionum principia conſiſtat?

CVM in Patre producente Filium, & in Patre, & Filio producentibus Spiritum Sanctũ, inueniantur relationes, & perfectiones abſolutæ, & inter illas natura, quæ eſt radix aliarum, potentiæ, & illarum actus, ſiue diſtinguantur virtualitér ſiue nõ, de quo *alibi*, merito in diſputationẽ vocamus, in qua ex his formalitatib⁹ principium *quo* proceſsionum conſiſtat?

***

* * * \

radicali,& remoto;ita tamen vt excluſis à Deo per impoſsibile intellectu,& voluntate,adhuc manerent generatio Filij, & proceſsio Spiritus Sancti.

2. *Durandus reijcitur 1.*

Hoc tamen Durandi placitum communi Theologorum diſplicuit, & tanquam erroneum, aut temerarium ad minus,ab illis reijcitur. Cũ quibus omnino eſt aſſerendum intellectum,& voluntatem ingredi conſtitutionem principiorum diuinarũ perſonarum formaliter,abſtrahendo modo,an proximè, vel remote tantum ad illas concurrant. Probatur primo: nam Filius in ſcripturis dicitur Verbum. Pſalmo 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum.* Ioannis 1. cap. *Diligamus nos inuicem;quia charitas ex Deo eſt*, quæ verba de Spritu Sancto explicat Auguſtinus *lib.15. de Trinitate cap.* 1. at Verbum eſt terminus actionis intellectus,& amor productus eſt terminus actionis voluntatis, vt de ſe eſt manifeſtum,nec à Durando negatur: ergo intellectus, & voluntas diuina ingrediuntur formalem conſtitutionem principij proceſsionum in Deo.

3 *Reſp. Durãd.*

Reſpondet Durandus, Filium dici Verbum, & Spiritum Sanctum amorem,non *proprie*,ſed *metaphoricè*, & per quandam appropriationem,& ſimilitudinem;quia nempe ſicut intellectus eſt prima proprietas ab intellectuali natura dimanans, & voluntas ſecunda; ita Verbum primo procedit,& deinde tertia perſona,& idcircô prima Verbum, ſecunda amor appellatur.

Sed contra 1.

Sed contra primo: nam ex eo quod allegata verba in rigore capiantur,nullum ſequitur abſurdum: ergo abſque fundamento confugit Durandus ad metaphoricas loquutiones. Secundo: nam eadem ratione vbi ſecunda perſona dicitur Filius,poſſet in metaphorico ſenſu,& non proprio explicari,quod eſt omnino abſurdum;aliàs Verbum proprie filius non eſſet. Sequela autem manifeſta videtur:nam quo iure Durandus teſtimonia, in quibus Verbum dicitur, ad metaphoricum ſenſum extorquet,poterit etiam ea, in quibus dicitur Filius,in metaphorico ſenſu explicare.

Secũdo.

Tertio.

Tertio: nam eo ipſo, quod ſecunda perſona non procedat per intellectum, nec tertia per voluntatem, nulla reſtat ratio ordinis, & prioritatis proceſsionum in Deo; cur ſcilicet prius ſecunda perſona,quã tertia,procedat: ergo non erit ratio cur vna vocetur Verbum,& altera amor.

4 *Secũdo prob. aſſumptũ.*

Secundo probatur: etenim,vel diuina natura eſt principiũ *quo* iſtarum proceſsionum ſub ratione eadẽ adhuc virtualiter,vel ſub diuerſa? Si primum, ſequitur euidenter nullam poſſe aſsignari rationem, cur vna ex illis aliã præcedat,cur vna generatio ſit,& nõ alia,cur Verbũ ab vna tantũ perſona,& Spiritus Sanctus ab vtraque procedat, quæ omnia abſurda reputantur à Theologis. Si vero ſecundum dicatur,ſic infero;at hæc ratio,ſeu virtualis diuerſitas, in nullo alio conſiſtere poteſt,niſi in eo,quod ſit primæ principium,vt intellectiua, ſecundæ autem vt volitiua: ergo intellectus,& voluntas diuina neceſſãrio ingrediuntur in principio *quo* proceſsionum.

5 *Deniq; ſententia Durandi reijcitur.*

Denique reijcitur Durandi ſententia: nam omnis operatio diuina debet habere aliquam potentiam in Deo, ſiue cum proprietate dicatur potentia, ſiue non,de quo *alibi*; at huiuſmodi proceſsiones nullam aliã potentiam recognoſcere poſſunt in Deo,niſi intellectum,& voluntatem: ergo intellectus, & voluntas diuina neceſſario ingrediuntur in principio *quo* proceſsionum. Maior perſpicua videtur: nam omnis operatio diuina ſupponit Deum potentem ẽperari,nedum remotè,verũ etiam proximè;at in nullo alio potentia cõſiſtit, quàm in facultate proxime operatiua: ergo omnis diuina operatio habet potentiam proximã in Deo. Minor autem probatur. Tum, quia in natura purè intellectuali nulla eſt po-

tentia ab intellectu, & voluntate diſtincta, vt docet D. Thomas *infra q. 54. art. 5.* & perſe manifeſtum videtur; cum enim natura per reſpectum ad potentias proximas, ſeu illarum operationes, dicatur, vel pure intellectualis non eſt, vel ſolum eſt principium radicale potentiarum intellectualium, & actuum illarum; at diuina natura eſt pure intellectualis: ergo nulla datur in illa potentia præter intellectum, & voluntatem. Tum etiam: nam proceſsiones iſtæ debẽt eſſe à potentijs perfectiſsimis intellectualis naturæ; at eſtô admitterentur in natura intellectuali potentiæ ab intellectu, & voluntate diſtinctæ, non tamen inueniuntur in illa potentiæ in perfectione adæquantes intellectum, & voluntatem: ergo iſtæ, & non aliæ, ingredi debent formalem conſtitutionem principij *quo* proceſsionum diuinarum.

§. II.

Occurritur fundamentis Durandi.

6 *Arguit primo Durãd.*

NEc Durandi fundamenta alicuius ponderis ſunt. Arguit primo in hunc modum: illud, cuius conditio eſt oppoſita fœcunditati, nõ poteſt eſſe principium actus, quo aliquid producitur; ſed conditio actuum intelligendi, & volendi, eſt fœcunditati oppoſita; quia vt dicitur *9. metaphyſicæ*, inter actionem immanentem, & tranſeuntem hoc intereſt, quod per iſtam eſt aliquid oppoſitum, per illam vero nihil: ergo non poſſunt eſſe principia actuũ, quibus perſonæ diuinæ producuntur.

7 *Reſp. explicãdo dupliciter diſcrimen Phyloſophi.*

Reſpõdeo cõceſſa maiori, negando minorem: diſcrimen autem Phyloſophi inter actionem immanentem, & tranſeuntem, dupliciter à Caietano explicatur, primo quoad neceſsitatem, ſecundo quoad ordinem: primo modo intellectum conſiſtit in eo, quod actio immanens ex genere non petit habere aliquid à ſe productum, ſed permittit in aliquo ſui inferiori termino producto carere; actio vero tranſiens ſemper petit terminum habere productum, cum quo recte compatitur, quod aliqua actio immanens terminum habeat; ſicuti relatio tranſcendentalis à prædicamentali diſtinguitur per hoc, quod prima non petit ſemper realem exiſtentiam termini à ſe inſpecti, prædicamentalis vero termini ſui realem exiſtentiam expoſcit; cum quo tamen compatitur, quod aliquando tranſcendentalis relatio exiſtentiam realem ſui termini petat, vt conſtat in relatione notitiæ intuitiuæ ad obiectum, & in relatione tranſcendentali effectus ad cauſam, à qua infieri, & conſeruari dependet, inſpicitur.

Secundo modo intellectum prædictum diſcrimen conſiſtit in eo, quod actio tranſiens habet terminum productum, ad quem ordinatur; immanens autem terminum à ſe productum pro fine non reſpicit, ſed potius terminus eſt propter illam, & ita in Verbo ab intellectione creata producto contingit: nam intellectio non eſt propter Verbum, ſed potius Verbum propter intellectionem, cum ad hoc Verbum producatur, vt intellectio in illo contempletur obiectum.

8 *Secũdũ Durandi arg.*

Secundo ſic arguit; ſecundum idem proportionaliter competit fœcunditas Deo, & creaturis; ſed fœcũ

ditas aliquid producendi competit creaturis non ex hoc, quod sint intelligentes, & volentes, sed per aliquid aliud, vt constat in vi generatiua cõuenienti rebus intellectu carentib⁹; imo, vbi inuenitur, in habentibus intellectum illis non competit ratione intellectus, nec ratione voluntatis: ergo intellectus, & voluntas non ingrediuntur ad constitutionẽ principij *quo* processionum.

Resp. Respondeo distinguendo maiorem: creaturis purê intellectualibus, & Deo, concedo maiorem: creaturis corporalibus, nego maiorem, & nego minorem: nam creaturis purê intellectualibus competit fœcunditas aliquid producendi per intellectum, & voluntatem, per intellectum Verbum, & per voluntatem impulsum: vt autem docet D. Thomas *in corpore articuli primi*, ea, quæ Deo attribuimus, debent ei attribui, nõ per similitudinem ad res inferiores, quales sunt corporales, sed ad res supremo gradu intra ordinem naturæ gaudentes, quales sunt spirituales.

Instatur arg. Et instò argumentum in sententia Durandi: ipse namque *in primo dist. 7. quæst. 2.* docet potentiam generatiuam in relatione Patris consistere; & tamen increatis potentia generatiua non est substantia, seu personalitas, sed natura, & potentia: ergo eadem difficultate ligatur Durandus.

9 *Instabis* Sed instaurabis sic argumentum Durandi: secundum idem proportionabilitêr debet competerê fœcunditas generatiua Deo, & creaturis; at fœcunditas generatiua in creaturis reperta non conuenit illis per intellectum, & voluntatem; creaturæ namque purê spirituales capaces generationis non sunt; creaturæ autem corporales, & mixtæ, qualis est homo, non per intellectum, & voluntatem, sed per aliam potentiã sibi simile generant: ergo vis generatiua non conuenit Deo per intellectum, sed per aliud principium.

Resp. Respondeo eadem distinctione maioris, eamque concedo de creaturis purê spiritualibus, nego autem de creaturis purê corporalibus, aut mixtis ex corporea, & spirituali natura: nam licet creaturis primi generis non cõpetat facultas generatiua substantialis, conuenit tamen vis generatiua accidẽtalis: nã productio Verbi creati est quadam intelligibilis generatio; quo circa communiter dicitur ab intellectu, & obiecto pari notitiam, partus autem generationem significat; & licet hæc generatio sit accidentalis, & generatio rerum corporalium sit substantialis, non huic, sed illi debet diuina generatio assimilari; eo quod Deus est naturæ purê intellectualis, & etiam ex eo quod ea, quæ illi attribuuntur, debent esse per similitudinem ad perfectiores creaturas, quales sunt purê spirituales, & intellectuales.

10 *Tertiũ Durandi arg.* Tertio sic arguit: qualis est ordo rei inter realiter differentia, talis est ordo rationis inter differentia secundum rationem: sed vbi intellectus, & voluntas differunt realiter, productio est realitêr vi naturæ, & non intellectus, vel voluntatis: ergo sic est in Deo, in quo ista sunt differẽtia solum secundum rationem.

Resp. et instatur arg. Respondeo negando minorem vniuersalitêr intellectam: in Angelis namque, in quibus intellectus, & voluntas realitêr differunt, productio non est vi naturæ immediatê, sed intellectus, & voluntatis, vt constat ex dictis; similitudo autem diuinæ productionis non debet esse ad res corporales, sed ad res purê spirituales, propter rationem iam explicatam. Et instò hoc Durandi argumentum in eius doctrina: nam vbi subsistentia, & natura differunt realitêr, productio nõ est vi subsistẽtiæ, vt principij formalis; & tamen in illius sententia productio diuina habet pro principio *quo* proximo personalitatem diuinam: ergo tenetur soluere argumentum factum.

11 *Arg. 4.* Quarto argumentari possumus in eius fauorem: nam iuxta D. Tho. *quæst. 2. de potentia art. 5. in corp.*

Potẽtia generatiua eſt Dei omnipotentia, prout eſt Patris tántum, at omnipotentia nõ in intellectu, & voluntate, ſed in attributo ab illis diſtincto conſiſtit, vt extra Scholã D. Thomæ multi opinantur, & fundamentum habet in D. Th. *q.* 25. *art.* 1. *in ſolut.* 1. & 4. *argumenti*, vbi docet omnipotentiã à ſcientia, & voluntate ratione differre: ergo intellectus non ingreditur formalẽ conſtitutionem principij *quo* generationis verbi. Patet conſequentia: nam ſi ad principium *quo* pertineret, eſſet vt generatiua potentia: ergo ſi hæc in attributo ab intellectu diſtincto conſtituitur, manet intellectus diuinus extra principium *quo* generationis verbi. Reſpondeo, D. Thomam *in loco* 1. *p. allegato* probabilius exiſtimaſſe omnipotentiã ab intellectu non diſcriminari ratione, vt *ex loco primæ partis*, manifeſtẽ cõuincitur; vbi poſtquam *in prima ſolutione* dedit doctrinam in argumẽto adductam, ſecundam ſolutionem ſubiecit, in qua ſuam vltimam voluntatem aperiens, nec ratione adhuc omnipotentiam ab intellectu diuino diſcreuit; & hanc ſententiam ſequutus potentiam generatiuã in omnipotentia, prout eſt Patris tantum conſtituit.

Aeſp.

12 *Deniq; arg.*

Denique argumẽtari poſſumus in fauorem Durandi: etiam ſi intellectus, & voluntas maneant extra conſtitutionem formalem principij *quo* diuinarum proceſsionum, & ſint immediatẽ à natura, poteſt ſufficiens ratio ordinis proceſsionum aſsignari: ergo ex hoc fundamento non debemus probare intellectum, & volũtatem ad principium *quo* pertinere. Antecedens probatur primo: etſi attributa immediatẽ à natura, hoc eſt, non media potentia, dimanẽt, poteſt ſufficiens ratio reddi, cur vnum immediatius, quam aliud naturæ conueniat, & cur vnum mediãte alio dimanet ab illa: ergo etſi Filius, & Spiritus Sanctus abſque mediatione intellectus, & voluntatis producantur ad intra, poterit ſufficiens ratio ordinis diuinarum proceſsionũ aſsignari, & cur vna aliã ſupponat, & mediante illa exerceatur. Secundo: inter actus elicitos ab eadem potentia poteſt reddi ratio, cur vnus ab alio dependeat, & illum ſupponat, vt videre eſt in aſſenſu cõcluſionis ſupponente principiorũ aſſenſum, etſi omnes pro principio habeant eandem potentiam: ergo eſto aſſeratur proceſsiones diuinas eſſe à natura diuina abſque medio intellectu, & volũtate, poterit ratio ordinis inter illas aſsignari.

13 *Reſp.*

Reſpondeo negando antecedens, ad primam probationem, nego conſequentiam, ratio autem diſcriminis eſt: nã proprietates non petunt medijs alijs principijs proximis dimanare à natura, & licet aliquando vna mediante alia connectatur cum illa; prima tamen immediatẽ ei cõuenit; ac proinde vt aſsignetur ordo dimanationis in proprietatibus neceſſariũ non eſt ad proxima principia illis priora concurrere, actus autem, ſeu operationes conueniunt naturæ, quę eſt remotum, & radicale principium, medijs principijs proximis; ac proin de ratio ordinis inter operationes non eſt reddenda immediatẽ ex natura, ſed medijs principijs proximẽ operatiuis, ſiue realiter à natura diſtinctis, qualiter in creatis cõtingit, ſiue virtualiter, qualiter contingit in Deo. Si dicas eſſe proprium naturæ finitæ egere principijs proximis, vt producat ſuas operationes: ergo natura Dei cum infinita ſit, concurſu principij proximi ad ſuas operationes indigere non poteſt; & conſequẽtur vt inter illas ordinem conſtituamus; non eſt neceſſarium ad principia proxima recurrere. Reſpondeo, indigentiam principij proximi realiter à natura diſtincti eſſe cõditionem naturæ finitæ; natura autem diuina ob ſui infinitatẽ principio proximo realiter à ſe ipſa diſtincto non indiget vt de facto operetur, ſed ſolum eget principijs proximis virtualiter diſtinctis ab illa.

Dices.

Reſp.

§. III.

Reijcitur Scoti sententia.

14 *Scoti sẽ tentia.*

SEcunda sententia est Scoti *in* 1. *dist.* 2. *q. vlt. distinct.* 12. *q.* 1. *& quodlib.* 2. *art.* 3. asserentis intellectum quidem, & voluntatem ingredi constitutionem principiorum notionalium, vt important actum primum intelligendi, & volendi, in quo à Durando distinguitur, non tamen prout dicunt actum secundum: vnde affirmat intellectum, prout in Patre, esse in actu primo ad intellectionem, quæ est operatio essentialis, & ad productionem, quæ est actus notionalis, cum ordine quodã, prius ad intellectionem, secundo ad productionem; intellectionem tamẽ nullatenus ad dictionem requiri, nec tãquam principium, nec tanquam actionem. Scotum sequuntur domestici.

15 *Contra Scotum sentiũt cõmuniter Theologi.* Caiet. Nazarius Molina Vazq. Suarez.

Cæterum alijs Theologis Scoti sententia non placet, & ab omnibus tam intra, quam extra Scholam D. Thomæ in hac parte defenditur: omnes enim fatentur intellectionem actualem ad diuinam verbi productionem concurrere. Ita Caietanus *in præsenti art.* §. *ad* 2. *dubitationẽ.* Et *art.* 5. §. *circa antecedẽs.* Nazarius *ibi controuersia vnica conclusione* 2. Molina *disp.* 2. Vazquez *d disputatione* 112. *cap.* 1. *num.* 4. Et *cap.* 4. *num.* 12. Suarez *lib.* 1. *de Trinitate cap.* 8. *num.* 2. Quorum aliqui volunt actum intelligendi, & volendi, non esse processionum principia, sed tantũ actiones, mẽdijs quibus producuntur personæ. Ita Caietanus, Nazarius, Vazquez. Alij per oppositum docent esse processionum principia, non tamen actiones; illas enim in actibus ab intellectione, & volitione ex aquo distinctis constituunt. Ita Molina, & Suarez.

Asserendum tamen est actionem intelligendi ad verbi productionem cõcurrere, vt actionem, qua verbum producitur, & vt principium, nõ actionis, sed verbi, & idem de volitione respectu spirationis actiuæ est dicendum.

16 *Contrariæ sentia defenditur.*

Prima pars probatur ex Aug.

In prima assertionis parte omnes Theologi extra Scholam Scoti consentiunt, vt dixi. Et ostenditur primo ex Augustino *lib.* 15. *de Trinitate cap.* 7. vbi vt probet Filium Patri nõ esse sapiẽtiã, qua intelligit, nec Patrem intelligere sapiẽtia genita, sic arguit: *Si enim solus sibi Filius intelligit, vt intelligentia sit, & sibi, & Patri, & Spiritui Sancto, ad illam redditur absurditatẽ, vt Pater non sit sapiens de se ipso, sed de Filio, nec sapientia sapiẽtiam genuerit, sed ea sapientia Pater dicatur sapiens, quam genuit; vbi enim non est intelligentia, nec sapientia esse potest, &c.* Et paucis interpositis ait: *Est ergo Deus Pater sapiens sapientia ea, qua ipse sua est sapientia, & Filius sapientia Patris de sapientia.* Et paulò inferius ibi: *Filius autem intelligẽtia Patris de intelligentia genitus, &c.* ergo ex mente Augustini Filius Diuinus ab intellectu Patris procedit, non vt in actu primo, sed vt in actu secundo intelligendi; intelligentia namque, & sapientia, non actum primum intelligendi, sed actum secundum important.

17 *Contrariorum explicatio reijcitur primo.*

Respondẽt Scotistæ, verba August. interpretanda esse de intelligentia, & sapientia, veluti habituali, non de actuali, illa autem intellectui cõuenit prout in actu primo. Hæc tamen interpretatio extorta est, & contra expressam mẽtem Augustini. Quod probo primo: nam sapientia habi-

tualis à memoria eſt indiſtincta, vt Scotiſtæ fatentur; at in illo capite Auguſtinus diſtinguit memoriam ab intelligentia, & ſapientia, vt conſtat illis verbis: *Nihil mentis meminimus niſi per memoriam, nec intelligimus niſi per intelligentiam, nec amamus niſi per voluntatem; at vero in illa Trinitate quis audeat dicere, Patrem, nec ſe ipſum, nec filium, nec Spiritum Sanctum intelligere, niſi per filium? Vel diligere niſi per Spiritum Sanctum? per ſe autem meminiſſe tantummodo, vel ſui, vel filij, vel Spiritus Sancti? Eodem modo filium, nec ſui, nec Patris meminiſſe niſi per Patrem, nec diligere, niſi per Spiritum Sanctum, per ſe autem non niſi intelligere, & Patrem, & ſe ipſum, & Spiritum Sanctum: ſimiliter, & Spiritum Sanctum per Patrẽ meminiſſe, & Patris, & Filij, & ſui, & per Filium intelligere, & Patrem, & Filium, & ſe ipſum; per ſe autem non niſi diligere, & ſe, & Patrem, & Filium, tanquam memoria ſit Pater, & Filij, & ſui, & Spiritus Sancti; Filius autem intelligẽtia, & ſua, & Spiritus Sancti, Spiritus vero Sanctus charitas, & ſua, & Patris, & Filij. Quis hæc in illa Trinitate opinari, vel affirmare præſumat?* Et aſſerit Filiu eſſe ſapientiã de ſapientia, & intelligẽtiã de intelligẽtia: ergo inepte explicatur de intelligentia veluti habituali; aliàs diſtinctione illa ſuppoſita, non de ſapientia genitũ, ſed de memoria Patris debuiſſet filium aſſerere.

18 *Secũdo reijcitur.*

Secundo, & euidentêr ni fallor: nam Auguſtinus, ex eo quod Pater non eſſet ſapiens, niſi ſapientia genita, infert pro abſurdo maximo, ſapientiam non genuiſſe ſapientiam, nec filium eſſe ſapientiam genitam de ſapientia Patris: at ſi hoc intelligatur de ſapientia habituali, illud abſurdum non ſequitur: ergo vel fatendum eſt illationem Auguſtini eſſe malam, quod eſt abſurdum, vel explicandus, non de habituali, ſed de actuali ſapientia, quod Nos intendimus. Conſequutio eſt legitima. Maior in Verbis Auguſtini expreſsè cõtenta. Minorem autem probo: ex eo quod filius eſſet ſapientia actualis Patris, qua Pater ſapiens actualiter eſſet, non colligitur non eſſe genitum de ſapientia habituali, ſtat enim bene eſſe Patris actualem ſapientiã, & naſci ex ſapientia Patris habituali, ſicuti in creatis videmus, in ſentẽtia Scoti aſſerentis Verbum creatũ eſſe intellectionem formaliter; & conſequentêr intellectum creatum Verbo eſſe intelligentem actualitêr, cum quo tamen ſtat, quod Verbum ex habituali ſapientia intellectus procedat, vt de facto contingit: ergo ſi verba Auguſtini in incõuenienti illato de ſapientia habituali intelligantur, vt volunt Scotiſtæ, abſurdum ab Auguſtino illatum nõ ſequitur; ac proinde, vt bona ſit illatio ab ipſo facta, intelligenda ſunt eius verba non de habituali, ſed de actuali ſapientia.

19 *Secũdo prob. ratione Caietani.*

Secundo principalitêr ſuadetur concluſio argumento Caietani *in hoc articulo, §. ad ſe cundam dubitationem* ad hanc formã redacto; ſequitur ex Scoti ſententia, quod ſi per impoſsibile Pater non intelligeret, adhuc diceret, & produceret verbum; conſequens eſt falſum: ergo & Scoti ſententia. Probo ſequelam; actus reſpicientes eandem potentiam ſine dependentia vnius ab alio, taliter comparantur ad illam, quod per impoſsibile vno ſublato, alius non auferatur, ſic docet Scotus *in 2. diſtinc. 1. quæſt. 1. art. 3.* & per ſe manifeſtum videtur; nõ enim melius vnius actus ab alio dependẽtia monſtratur, quam per hoc, quod illo ſublato, iſte remanere non poteſt; at iuxta Scotum dictio verbi, & intellectio diuina, taliter comparantur ad intellectum Patris, quod vnus non eſt principium, actio, nec ratio alterius: ergo etiã ſi per impoſsibile Pater nõ intelligeret, adhuc diceret, & produceret verbum. Falſitas autem conſequentis probatur: tum ex Auguſtino *lib. 15. de Trini-*

tate

tate cap. 10. illis verbis: *De his ergo differimus, quæ nota cogitamus, & nota sunt nobis, etiam dum non cogitantur à nobis, sed certè si ea dicere velimus, nisi cogitata non possumus*: ergo ex mente Augustini verbum nostrum vocale sine cogitatione præuia subsistere nequit; ac proinde multo magis impossibile erit, vt Verbum Diuinum producatur à Patre, dato quod non intelligeret. Tum etiã: nam productio verbi est intellectualis loquutio, sicut productio verbi nostri mentalis est loquutio mentalis, & productio vocalis verbi est vocalis loquutio; at loquutio intellectualis sine intellectione subsistere nequit: quo circa, etsi intellectu carentes loquantur, non tamen loquuntur loquutione intellectuali: ergo implicaret omnino Patrem Diuinum dicere verbum, si non intelligeret.

20 *Tertio prob.*

Tertio suadetur alio inconuenienti, quod sequitur ex sententia Scoti, nempè dictionem non esse actum intellectus diuini; consequens est absurdum, & contra omnium Theologorum sententiam, excepto Durando: ergo & illud, ex quo sequitur. Sequela ista manifesta fuit Durãdo, qui non aliunde probauit processionem verbi non esse actum intellect⁹ diuini, nisi ex eo, quod intellectio, quæ est illius actus, infecunda est ad realem productionem. Et probatur primo: nam actus non conuenientes in aliqua ratione communi, nec ordinatè se habentes ordine dependentiæ vnius ab alio, non possunt eandem potentiam respicere; at dictio, & intellectio diuina, sunt actus distincti sine ordine dependentiæ vnius ab alio, vt Scotus fatetur, & aliàs nõ est assignabilis ratio cõmunis, in qua tales actus conueniãt, vna diffinitione diffinibilis, vt consideranti constabit: ergo ad eandem potentiam attinere non possunt; & consequenter cũ intellectio Diuina sit actus intellect⁹, productio verbi actus intellectus nõ erit, sed alterius potentiæ.

Sequela prob. 1.

21 *Secũdo prob.*

Secundo: intellectus rectè diffinitur per hoc, quod sit potentia aprehensiua obiecti: ergo actus, qui ab illo nõ est sub ratione aprehensiui, nõ est illius actus, at supposito, quod dictio formaliter nõ sit intellectio, nec ab illa vllo modo procedat, non est ab intellectu vt apprehensiua potentia: ergo ex Scoti sententia hoc docente manifestè sequitur actum intellectus non esse. Tertio: nam supposito, quod productio verbi non sit ab intellectu Patris sub ea ratione, qua est potens intelligere obiectum, non interest magis ad mentem Theologorum, quod sit ab illo, quã quod sit ab alia potentia ab intellectu distincta; at iuxta Scoti sententiã productio verbi nõ est ab intellectu Patris, prout est potentia potens intelligere obiectum: ergo iuxta illã nõ interest magis, quod sit act⁹ intellectus, quam alterius potentiæ, & cõsequenter actus intellectus non erit.

Tertio.

22 *Deniq; suadetur prima pars cõclusionis.*

Denique cõclusionem ostendo: nã principium productionis verbi, seu verbi producti, est in Patre constituẽ dũ perfectissimo modo possibili; at si intellectus Patris, vt actu secundo intelligẽs, pro principio assignetur, perfectiori modo cõstituitur, quam constituto pro principio intellectu, prout in actu primo, & aliàs est possibile: ergo intellectus Patris in actu secundo intelligẽs debet pro principio productionis verbi assignari. Maior omnibus Theologis est manifesta. Minor pro prima parte certa videtur: nã principium eo est perfectius, quo actualius, intellectus autẽ diuinus actualior concipitur vt intelligens in actu secundo, quã prout in actu primo. Pro secũda parte probatur ex discrimine, quod inter intelligere nostrum, & diuinum versatur: nempè, quod nostrum productionem supponit, & verbum productum, vel in ipso verbo cõsistit, vt extra Scholã D. Th. fertur cõmuniter: diuinũ autẽ intelligere nec in verbo producto cõsistit, nec verbũ productum supponit, sed potius ad verbum supponitur, & est prius illo, vt Scot⁹ fatetur. Quo circa communiter di-

citur, nos producere verbum ex neceſsitate, vt intelligamus, vel per ipſum in aliorum ſententia, vel in ipſo in ſentẽtia Thomiſtica; Deus autẽ non ex neceſsitate, vt intelligat, ſed ex fœcunditate naturæ producere Verbum; at hac prioritate admiſſa nulla eſt repugnantia, vt intellectus prout actu intelligens influat in verbum, & illud producat: ergo prout ſic illud producit. Secundo; quia nõ alia ratione verbum vocale noſtrum ab intellectu, vt actu intelligẽte, produci poteſt, & de facto producitur, niſi quia vt intelligamus neceſſariũ nõ eſt, & vt intelligẽtẽ intellectum in actu ſupponit; at intellectus Paternº ad productionem Verbi ſupponitur intelligens in actu ſecundo: ergo vt ſic, & non vt in actu primo, poteſt, & debet in verbum influere, & illud producere.

23 *Secũda, & tertia pars cõcluſionis probãtur.*

Secunda pars eiuſdem aſſertionis, qua dicimus actum intelligendi eſſe ipſiſsimã verbi productionem, probata manet *aiſputatione antecedẽti, concluſione tertia.* Quod autem etiam habeat rationẽ principij, & non ſolius actionis reſpectu verbi producti, probatur. Tum primo: nõ enim cum proprietate dicitur filiũ eſſe de actione generatiua Patris, etſi proprie dicatur eſſe à Patre media generatione; at Auguſtinus ait, filium eſſe ſapientiam genitam de ſapientia Patris: ergo iuxta eius mentem actus intelligendi non ſolum eſt actio, qua verbum producitur, ſed etiam eſt principium illius. Tum etiam: nam verbum noſtrũ non dicitur ex cognitione obiecti procedere, etiam ſi cognitio ſit actio, qua verbum producitur; quia non eſt principium illius; at Verbum Diuinũ ex cognitione omnium, quæ continentur in Deo, procedit, vt docet Caietanus *infra q. 34. art. 3.* & cum illo maior pars Theologorum: ergo cognitio diuina ad verbum, non ſolum vt actio, ſed etiam vt principium *quo*, comparatur. Tum etiam: nã poſita cognitione pro principio verbi, ei aſsignamus actualius, & perfectius principium, quam ſi ſolus intellectus per modum actus primi ſit eiº principiũ. ergo cognitio Dei pertinere debet ad principiũ, quo verbũ producitur. Tũ denique: nã ſi aliquid obſtaret, vt eſſet principium verbi, maximẽ, quia eſt actio qua verbum producitur; at hoc nõ obſtat, vt patet in actu ſcientifico, quo producitur habitus, qui non ſolum eſt actio, ſed etiam principium habitus productiuum: ergo idem quod prius.

24 *Vltima pars cõcluſionis prob. 1.*

Quod denique non ſit principium *quo* proceſsionis actiuæ, qua producitur, probo primo; nam principium *quo* debet virtualiter ſaltim ab actione principiata diſtingui; quo circa intellectus ab intellectione diſtinguitur virtualiter in setẽtia aſſerente eſſe principium virtuale illius; at dictio nõ eſt actus ab intellectione virtualiter diſtinctus: ergo nequit eſſe principium dictionis. Secundo; nam licet principium termini per actionem producti debeat eſſe principium actionis, quando eſt ab actione diſtinctum, attamen quando eſt indiſtinctum ab illa id non deſideratur, vt conſtat in actu producente habitum, qui eſt principium habitus producti, & non actionis; quia identificatur cum illa; at actio intelligendi identificatur cum actione verbi productiua: ergo quamuis ſit principium productiuum *quo* verbi, non tamen debet eſſe principiũ dictionis. Tertio: nam ſi vt eſſet principium *quo* verbi deberet eſſe principium actionis, ſequitur debere eſſe principium reale illius; cum reſpectu verbi ſit reale principium; at hoc eſt falſum; cum in omniũ ferẽ Theologorum ſentẽtia ſit indiſtincta realiter ad minus ab actione productiua verbi: ergo nullo modo debet eſſe principium illius.

Secũdo.

Tertio.



§. IV.

Argumenta Scoti soluuntur.

25 *Arg. 1. ex Aug.*

COntra istam conclusionem opponut Scotistæ primo : iuxta Augustinum Verbum diuinum gignitur à memoria Patris ; at iuxta eundem Augustinum *lib. 15. de Trinitate cap. 7.* memoria ab intelligentia distinguitur : ergo Verbum diuinum non ab intellectu, vt intelligente actualiter, qua ratione intelligentia est, sed ab illo prout in actu primo, qua ratione obtinet rationẽ memoriæ, procedit. Discursus cum minori tenet. Maior autem probatur ex Augustino *lib. 5. de Trinitate cap. 10.* vbi ait : *In hoc speculo, & in hoc enigmate, scilicet in Verbo creato, videri aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est, in principio erat Verbum* ; at Verbum nostrũ nõ ex intelligentia, sed ex memoria, id est ex intellectu per modum actus primi, procedit, vt docet Augustinus in eodem capite ibi : *Necesse est cum Verbum loquimur, ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascatur Verbum* : ergo Verbum non ex intelligentia Patris, sed ex illius memoria, ideſt, intellectu per modum actus primi, procedit. *Confir.* Quod amplius confirmãt ex eodem Augustino in eodem *lib. cap. 14.* illis verbis : *Verbum nostrum illud, quod non habet sonum, inde vt cumque simile est in hoc enigmate illi Verbo Dei, quod etiã Deus est; nam & hoc de nostra scientia nascitur, quemadmodum, & illud de scientia Patris natum est*; at Verbum nostrum mentale non nascitur ex scientia actuali, sed ex habituali per modum actus primi : ergo nec diuinum Verbum ex actuali sciẽtia Patris nascitur, sed ex habituali per modum actus primi.

26 *Resp.* Ad hoc argumentum respondet Caietanus, tam Verbum mentale nostrum, quam Verbum diuinũ, nasci ex memoria per modum actus primi tanquam ex principio, & ex scientia actuali tanquam ex actione productiua, seu causalitate, & iuxta hanc distinctionem explicat Augustinum. Sed quia in nostra sententia Verbum diuinum nascitur ex scientia actuali Patris, non solum vt actione, sed etiam vt principio, ideo aliter ad argumentum factum respõdeo, Augustinum loco *vbi supra* pro nostra conclusione relato expresè asseruisse Verbum esse sapientiam genitam de sapientia, & intelligentiam de intelligentia, in loco autem in contrarium adducto non asserit procedere ex Patris memoria; nec refert asimilare Verbum diuinũ Verbo nostro creato quoad hoc; nõ enim voluit omnimodam similitudinem, sed aliquam tantum, vt expressè constat ex verbis illius; ex eo autem, quod inter vtrumque sit aliqua similitudo, non sequitur, quod si Verbum nostrum procedit ab intellectu prout in actu primo, etiam Verbũ diuinum ab intellectu Patris prout in actu primo procedere debeat; stat namque aliqua similitudo per hoc, quod vtrumque ab intellectu vt fœcũdo procedat, etsi cũ discrimine in modo à Nobis intento. Quod si aliquando Augustinus asseruit procedere ex memoria Patris, interprætandus est ex memoria prout in actu secundo, hoc est, ex memoria actuali, non habituali, ne in illius doctrina contradictionem admittam⁹. Et ex his ad confirmationem cõstat solutio.

27 *Arg. 2.* Obijciunt secundo; nihil superfluum, vel non necessarium, potest ad productionem entis necessarij cõcurrere ; at concursus intellectionis actualis ad Verbi diuini productionem

nem neceſſarius non eſt, ſed ſuperfluus: ergo conſtitaendus non eſt reſpectu Verbi diuini, quod eſt ens neceſſarium. Minorem, in qua eſt difficultas, ſic probant; intellectus creatus per modum actus primi eſt ſufficiens, & fęcũdus ad verbi creati productionem; at intellectus diuinus fęcundior eſt intellectu creato: ergo vt in actu primo erit ad verbi productionẽ ſufficiens; & conſequenter cõcurſus actualis intellectionis ſuperfluus erit, & non neceſſarius. *Reſp.* Reſpõdeo negando minorẽ, ad cuius probationem: nego cõſequentiam: imõ, quia intellectus diuinꝰ fęcundior eſt intellectu creato fit vt non ex neceſſitate, vt per illud intelligat, ſed ex ſola fœcunditate verbum producat, ac proinde, quod priꝰ intelligat, qnã verbum producat: eo autem ipſo, quod intellectio verbi productionẽ præcedat: fit, quod poſsit, & debeat pro principio verbi conſtitui, vt *ſupra* arguebamus, intellectns autem creatus, quia infęcundior eſt, non ex fęcunditate, ſed ex neceſsitate verbum producit, vt per illud, aut in illo percipiat verbum, ex quo naſcitur, vt intellectio non ſit verbi creati effectiuum principium.

28 *Replicatio dilui tur.* Si dicas, fęcundior eſt potentia ſe ſola ſufficiens per modum principij ad aliquem terminum, quã illa, quæ indiget ad eius productionem altero cõprincipio: ergo ſi intellectus creatus ſe ſolo eſt ſufficiens, fœcundior erit intellectu diuino indigente concurſu intellectionis ad verbi productionem. Reſpondeo verũ eſſe antecedẽs, ſi indigeat comprincipio à ſe ipſo diſtincto, & ex ipſo non orto; ſecus autem ſi comprincipium ſibi idẽtificet, & ab illo oriatur egreſſu virtuali, aut formali: intellectio autẽ diuina, vel eſt eadem etiam ratione cum intellectu diuino, vel ad minus identitate omnimoda reali, & eſt ab intellectu diuino virtualiter elicita, etſi non formaliter ob defectum formalis diſtinctionis.

29 *Tertio obijciũt Scotiſtæ* Tertio obijciunt; ſi intellectio Dei eſſentialis eſſet intellectio producta, non minus obtineret rationẽ verbi, quam verbum, quod de facto eſt productum; & tamen, dato illo impoſsibili, non ab intellectione diuina, ſed ab intellectu prout in actu primo procederet: ergo nec modo Verbum Diuinum ab intellectione Patris procedit, ſed ab illius memoria, ſeu intellectu in actu primo.

Reſp. 1. Reſpondeo primo negando maiorem: nam in noſtra ſententia verbũ non in intellectione, ſed in termino intellectionis conſiſtit, in quo intellectus contemplatur obiectum, & illo mediante obiectum conſtituitur in actu vltimo intelligibilitatis paſſiuæ: vnde in illo caſu impoſsibili diuina intellectio non obtineret rationem verbi, ſed terminus per illã productus, & ex illa procedens, qui in data hypotheſi eſſet verbũ eſſentiale.

Secũdo. Reſpõdeo ſecundo, omiſſa maiori, & minori negando conſeqnentiam; quia in illo caſu conficto, Deus non ex fœcunditate, ſed ex neceſsitate produceret verbum, vt per illud formaliter obiectum intelligeret; ac proinde intellectio verbi productionem per modum principij non poſſet præcedere, ſed in ipſo verbo producto conſiſteret, de facto autem oppoſitum oppoſita de cauſa contingit, ſicuti iſta illatio in ſententia Scoti non valet: *In illa hypotheſi Deus eſſet ſapiẽs ſapiẽtia producta: ergo modo ſapientia genita eſt ſapiens.*

30 *Inſtãtiæ occurritur.* Si dicas, intellectio creata, in hypotheſi data producta, eſſet verbũ eiuſdem rationis, ac modo eſt Verbum diuinum: ergo principium vtriuſque idem eſt: non enim ſtare poteſt conuenientia eſſentialis in terminis, cum diſconuenientia in principijs; at ſi verbũ habeat pro principio intellectionem, non habet idẽ principium, ac tunc haberet intellectio producta: ergo verbum non poteſt habere pro principio intellectionem. Reſpondeo negando antecedens; nam in illo caſu intellectus diuinus potentialis eſſet, vtpote ab

in-

intellectione essentiali distinctus realiter, & imperfectus, vtpote verbum ex necessitate producens, & non ex sola fęcunditate; ac proinde verbum essentiale, potentiale, & imperfectum esset eiidem de causis, cum quo stare nequit esse eiusdem rationis cum verbo diuino de facto producto.

31 *4. arg. in fauorem Scoti.*

Quarto arguitur in fauorem Scoti; principio per se concurrenti ad aliquem terminum debet in illo prædicatum aliquod respondere, quod sine tali principio subsistere nequit; at in verbo diuino nullum est prædicatum per se correspõdens diuinæ intellectioni actuali, quod sine illa verbo competere nequeat: ergo diuina intellectio non est principium *quo* verbi producti. Probo minorẽ; nam si aliquod esset, maxime coceptus repræsentationis actualis obiecti, vel intellectionis; est enim diuinum verbum intellectio de intellectione; at nullum ex istis petit pro principio *quo* verbi actualem Dei intellectionem, vt constat in verbo creato, quod in aliorum sententia est intellectio actualis, in nostra actualis obiecti repræsentatio, & in nulla pro principio sui petit intellectionem, sed ab intellectu, prout per speciẽ in actu primo fęcundo, vtrunque prædicatum accipit: ergo nullũ est prædicatum in Verbo diuino per se petens pro principio actualem intellectionem, & illi correspondens.

32 *Resp.*

Respondeo negando minorem, ad cuius probationem dicatur, prædicatum correspondens intellectioni diuinæ esse conceptum repræsentationis summê actualis, ac proinde petens pro principio *quo* sui summã actualitatem lineæ intelligibilis actiuæ, qualis est diuina intellectio, verbum autem creatum, cum summa actualitate, & immaterialitate non gaudeat, non petit pro principio *quo* sui vltimam actualitatẽ in linea intelligibili, sed sufficit pro eius principio intellectus, vt fęcundus per speciem impressam.

Sed oppones primo; intellectus diuinus, prout in actu primo ab intellectione distinctus, est summè actualis; cum omnem potentialitatem excludat: ergo etiam si verbum diuinum sit repræsentatio summè actualis, poterit ab intellectu Patris, prout in actu primo fęcundo, absq; intellectionis concursu procedere. Secundo: esto verbum creatum non sit repræsentatio summè actualis, est tamen vltima actualitas in linea intelligibilitatis passiuæ; & tamen ex hoc non petit pro principio sui vltimam actualitatẽ lineæ intellectualitatis actiuæ creatæ: ergo esto verbum diuinum sit repræsentatio summê actualis nõ desiderabit pro principio *quo* sui summam, & vltimam actualitatem lineæ intellectualitatis actiuæ increatæ, sed ab intellectu diuino, prout in actu primo fęcundo, sufficienter vt principio *quo* producẽtur.

Duplex Instãtia proponitur.

33 *Resp. ad 1.*

Respondeo ad primam distinguendo antecedens: est summê actualis in peculiari, & veluti specifica linea intellectus, concedo antecedens: in tota linea intellectualitatis actiuæ, nego antecedens, & nego consequentiam; quia cum verbum sit summa actualitas in tota linea intellectualitatis passiuæ petit pro principio *quo* sui summã actualitatem totiꝰ lineæ intellectualitatis actiuæ. Ad secundam dicatur, in verbo creato hoc ita contingere; quia cum producatur ex necessitate, vt in illo, aut per illud obiectum intelligatur, non potest ab intellectione procedere, verbum autem increatum ex hac necessitate non producitur, & idcircô cũ intellectionem supponat, illã pro principio desiderat, vt *superius* arguebam.

Ad 2.

34 *Secũda solutio principalis argumenti.*

Melius respondetur, prædicatum, ratione cuius Verbum diuinum petit pro principio intellectionem actualem, esse, quod est actualis repræsentatio obiecti, vt actualiter, & non solum habitualiter præintellecti, ad differentiam verbi mentalis creati, quod est repræsentatio obiecti, solũ vt habitualiter præintellecti.

De-

35 *Deniq; arguitur.*

Denique arguitur ex D. Thoma *quæſt. 2. de potentia art. 2.* illis verbis: *Ad ſeptimum dicendum, quod ſcientia, vel voluntas, non eſt principium generationis; cum generatio ſit naturæ, quæ, in quantum eſt actionis principium, ratione potentiæ habet.* Et in 2. diſtinc. 7. q. 2. art. 1. ad 4. ibi: *Dicendum, quod voluntas, & ſcientia non habent rationem primi principij reſpectu generationis Filij, qui procedit per modum naturæ, ſed tantum reſpectu creaturarum, quæ producuntur à Deo ſicut artificiata*: ergo ex mẽte D. Thomæ actus intelligendi non pertinent ad principium, quo verbũ producitur. Reſpondetur, loqui D. Thomam de intellectu, & voluntate, vt ſunt principia actionis productiuæ liberæ, qualiter ad creaturas concurrunt; non autem negat intellectum, & voluntatem vt principia naturalia ad verbi, & impulſus productionem concurrere.

Reſp.

§. V.

Referuntur variæ ſententiæ, vera eligitur, & probatur.

36 *Authorũ ſententiæ.*

SVppoſito igitur intellectum, & voluntatem, & illorum actus, ad diuinas proceſsiones concurrere, in quo parum, aut nihil controuerſiæ inter Theologos inuenitur, reſtat examinare, an iſtæ perfectiones abſolutæ ſint principium *quo* proximum, an vero ratio principij proximi ſolum relationibus competat, vel relationibus, & abſolutis? Prima ſententia docet ſolam relationem eſſe principium *quo* proximum diuinarum proceſsionum. Ita Durandus *in 1. diſtinc. 7. quæſt. 2. num. 26.* quem aliqui recentiores ſequuntur. Secunda diſtinguit de proceſsione, vt productio, & vt eſt communicatio, ſub priori ratione principium eius *quo* eſt ſola relatio, ſub poſteriori autem perfectio abſoluta. Hãc tenent quidam, quos ſuppreſſo nomine refert Durandus *vbi ſupra n. 18.* Referuntur etiam Gotfredus de Fontibus *quodlib. 6.* Et Enricus *in ſumma lib. 7. quæſt. 7.* Et *quodlibeto. 3. quæſt. 3.* Illum ſequuntur Alarcon *trac. 5. diſp. 6. cap. 2. nu. 1.* Tertia docet ex vtroque in recto, nempe ex relatiuo, & abſoluto, principium *quo* proximum diuinarum proceſsionum conflari. Pro hac referuntur Albertus *in 1. diſtinc. 7. quæſt. 2.* Ricardus *ibidem quæſt. 1.* Eamque D. Thomam tenuiſſe *in 1. diſtinc. 7. quæſt. 1. art. 2.* docet Caietanus *infra quæſt. 41. art. 5.* Illam ex modernis ſequuntur Arrubal *diſp. 143. cap. 3. & 9.* Et Zuñiga *diſp. 16. dub. 6.* relatus ab Alarcon *vbi ſupra* aſſerente ſe id putaturum probabile, niſi ferè authoritas omnium Scholaſticorum arceret.

Albert. Ricard. Caiet. Arrub. Zuñiga. Alarcõ.

37 *Diſſenſio in modo:*

An autem principalius eſſentia, an relatio in conſtitutione principij importetur, non conuenit inter iſtos Authores. Alijs aſſerentibus principalius eſſentiam; quia præcipua agẽtis intentio eſt aſsimilatio termini cum principio. Alijs è contra relationem docentibus præcipue importari; quia per illam diſtinguitur terminus à principio, diſtinctio autem, ad principiandum præcipue conducit. Quarta ſententia pro principio *quo* radicali conſtituit diuinã eſſentiam, pro principio *quo* proximo generationis intellectum diuinum, ſpirationis autem voluntatem conſtituit, relationibus ingredientibus vel pro conditione, vel de connotato, & in obliquo. Ita omnes Thomiſtæ *in præſenti, & infra quæſt. 41. art. 5.* Vbi Caietanus, Zumel, Bañez. Nazarius, Albelda, Serra, Re-

uerendiſsimus S. Thoma, & alij. Eãdem ex Patribus Societatis ſequuntur Suarez *lib. 6. de Trinitate cap. 5.* Vazquez *diſp. 164. cap. 3.* Granadus *trac. 13. diſp. 3. ſec. 3.* Ruiz *diſp. 100. ſec. 2. & 3.* eſt que apud Scotiſtas communis. Pro cuius explicatione ſit.

38 *Prima cõcluſio*

Prima concluſio: *Principium quo, ſiue proximum, ſiue remotum, non eſt ſola perfectio abſoluta, ſed cointellecta ſimul relatione.* Ita D. Thomas *quæſt. 2. de potentia art. 2.* in fine corporis, ibi: *Et propter hoc in ratione potentiæ includitur quodammodo paternitas, etiam quantum ad id, quod eſt generationis principium: vnde cum alijs dicendum eſt, quod potentia generandi ſimul eſſentiam, & notionẽ ſignificat.* Idem docet ſolutione ad ſecũdum, & ad quintum vbi loquens de proprietate perſonali ita habet: *Et ideo non oportet, quod ſit generationis principium principaliter, ſed quodammodo cointellectum ratione ſupra dicta, &c.* Et *in 1. diſtinc. 7. quæſt. 1. art. 2.* Et *infra quæſt. 41. art. 5.* Et oſtenditur primo; nam principium *quo* reale debet inadæquate ſaltim à termino producto diſtingui, vt ex dicendis conſtabit; at ſi potentia generatiua, v. c. adæquate in perfectione abſoluta conſiſteret ſecundum nihil ſui à termino producto diſtingueretur realiter: ergo principium *quo* proximum, ſiue remotum, non conſiſtit in perfectione abſoluta adæquatẽ, ſed cointellecta ſimul relatione. Secundo: actio, cuius principium eſt perfectio abſoluta, accepta abſolutè, in prædicatione formam abſolutã adæquat; at proceſsiones actiuæ nõ adæquant in prædicatione perfectiones abſolutas diuinas: ergo principium illarum non eſt perfectio abſoluta abſolutè conſiderata, ſed prout determinata ad aliquam ex diuinis perſonis; & conſequenter relatio determinans cointelligi debet in ratione principij *quo*, ſiuè proximi, ſiue remoti.

Oſtenditur primo.

Secũdo.

Tertio; ſi principium *quo* diuinæ proceſsionis adæquatẽ in perfectione abſoluta conſiſteret, omnibus perſonis competeret; at hoc eſt falſum, aliàs filius eſſet potens remotè, & proximè generare ſe ipſum, vel alium, & Spiritus Sanctus eſſet potens ſpirare: ergo principium *quo* diuinæ proceſsionis nõ conſiſtit adæquatẽ in perfectione abſoluta.

39 *Tertio.*

Reſpondebis concedendo ſequelam, & negando minorem, nec ſequitur Filium poſſe generare: nam ſtat benè quod forma ſit in ſubiecto, & ei nõ tribuat omnem ſuum formalem effectum, aut quaſi effectum ob illius incapacitatem, vt cõſtat in anima rationali, quæ in capillis exiſtens non tribuit illis omnem ſuum effectũ formalem; cum illis rationalitatem non tribuat.

Reſp.

Sed contra: nam Filius eſt capax omnis effectus formalis abſoluti; at eo ipſo, quod principium *quo* generandi adæquatè in perfectione abſoluta conſiſteret, eſſe potens generare eſſet abſolutus effectus: ergo Filius eſſet capax illius; & conſequenter redderetur potens generare.

Sed contra.

§. VI.

Argumentis occurritur.

40 *Contraria ſententia.*

COntrarium huius concluſionis docuit Gabriel *in 1. diſtinc. 7. quæſt. 1. 2. & 3.* relatus à Vazquio *vbi ſupra.* Eam etiam docuerunt alij, quos ſupreſſo nomine refert D. Thomas *q. 2. de potentia artic. 2.* in quorum fauorem in hunc modum arguitur. Relatio paternitatis,

tis, v.c. vtpotê in generatione fundata, ſupponit generationem; at generatio, vel eſt ipſa generandi potẽtia, vel illam ſuppon t: ergo Paternitas ſupponit potentiam generandi omnino completam; & conſequẽter principium *quo* diuinæ generationis, & cuiuſuis alterius proceſsionis, in perfectione abſoluta adæquatê conſiſtit.

41 *Singularis ſententia.*

Hoc argumento conuictus Alarcon *vbi ſupra concluſione tertia* triplicem relationem in Patre conſtituit, primam tranſcendentalem, qua conſtituitur in ratione primæ perſonæ, & primi ſubſiſtentis, & per hanc non conſtituitur Pater potens proxime generare, ſed radicaliter potens generare, & ſpirare: ſecundam etiam trãſcendentalem ad verbum vt poſsibile, & per iſtam vt afficientem diuinum intellectum, & potentiam intelligibilem, conſtituitur prima perſona potens proxime generare; Ac denique tertiam prædicamentalem, quæ eſt relatio Paternitatis ſupra generationem fundata, ac proinde non pertinens ad conſtitutionem primi principij *quo* proximi, vel remoti, ſed illud conſtitutum ſupponens.

42 *Reijcitur præ dicta ſẽtentia.*

Iſtius tamen Authoris ſententia ſingularis eſt, & ſine fundamento adinuenta, & reijcitur breuiter, primo; quia ex illa ſequitur, eſſe in diuinis plures relationes reales quam quatuor, cuius contrarium docet D. Thoma *infra quæſt.* 28. *art.* 4. & cum illo Theologi communiter. Secundo: nam generatio eſt actus à potentia generatiua diſtinctus ratione, vt prædictus Author fatetur: ergo ſemel data relatione tranſcendẽtali à Paternitate diſtincta, vt compleat potentiam generatiuam tanquam connotatum illius, deberet etiam ponere relationem tranſcendentalem diſtinctam, vt modificaret generationem; at relationem iſtam non recognoſcit in Deo: ergo nec tranſcendentalem à prædicamentali diſtinctam connotatam à generatiua potentia. Tertio: nam relatio prædicamentalis, vt à tranſcendentali diſtinguitur, eſt ordo dependentiæ effectus à cauſa, niſi de vocibus ſolũ velimus contendere; at potentia generatiua Patris à filio non dependet, nec filius ab illa: ergo Patris ad filium nulla eſt tranſcendentalis relatio, nec ê contra filij ad Patrem.

43 *Nec vrget illi motiuũ.*

Nec motiuum, quo ducitur, alicuius ponderis eſt, deſumptum ex eo, quod Pater reſpicit filium vt generabilem, vt genitum, & vt filiũ; at reſpectus ad filium vt generabilẽ, vel vt genitum, prædicamentalis nõ eſt; cum non terminetur ad illum vt ad purum terminum, in quo prædicamentalis relatio conſiſtit: ergo eſt trancendentalis. Reſpondeo negando minorem: puritas enim termini à prædicamentali relatione petita non excludit paſsiuam productionẽ, ſeu producibilitatem, ſed ſolum dependentiam, ſeu cauſalitatem; & quia filius vt genitus non dependet a Patre: hinc fit, quod prout ſic terminet prædicamentalem reſpectum.

Dices.

Si dicas, prædicamentalis relatio petit terminum phyſicê exiſtentem; at relatio ad filium, vt producibilem, illius exiſtentiam non petit, ſed tantum poſsibilitatem: ergo prædicamentalis non eſt.

Reſp.

Reſpondeo negando minorem: nam producibilitas filij non eſt contingens, ſed neceſſaria, ac proinde relatio ad illum vt producibilem terminata illum reſpicit vt exiſtentem realiter.

44 *Vera ſolutio.*

Relicta igitur hac ſolutione ad argumentum factum reſpondeo, Paternitatem ſub expreſſo conceptu referentis ſupra generationem fundari, ſub conceptu hypoſtaſis ad generationem ſupponi, ſub conceptu connotato à potentia generatiua, & generatione, Patrem potentem, & generantem conſtituere. Quo modo autem inter ſe diſtinguãtur prædicti conceptus, videbimus poſtea cum *de conſtitutiuo diuinarum perſonarum* tractemus.

45 *Secũdo arg.*

Secundo arguitur: potentia generatiua eſt in filio; at ſi principiũ *quo* generandi non conſiſteret in ſo-

la perfectione absoluta, potentia generandi in filio non esset: ergo in sola perfectione absoluta consistit. Minor cum consequentia tenet.

Maior prob. 1. Maior autem probatur primo ex D. Thoma *in 1. distinc. 7. quæst. 2. art. 1. in corpore* illis verbis: *Si sit gerũdiũ verbi in personalis, tunc potentia generandi est potentia, qua ab aliquo generatur, & ita est in filio potentia generandi, id est qua à Patre generatur*: ergo iuxta Diuum Thomam potentia generandi est in Filio, etsi in illo ad actũ actiuê generandi non reducatur.

Secũdo. Secundo; quia iuxta D. Thomam *q. 2. de Potentia art. 5.* potentia generatiua sub omnipotentia comprehenditur; at omnipotentia conuenit filio: ergo & potentia generandi.

Tertio. Tertio: quia ex oppositio fieret, filium non esse æqualem Patri in potentia; ac proinde nec in omnipotentia; cum careret aliqua potentia, quæ conuenit Patri; consequens est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur.

Respondetur. Ad 1. maioris prob. Respondeo negando maiorem, ad primam probationem concessa, vt iacet, doctrina D. Thomæ, distinguo consequens: potentia passiua generandi, concedo consequentiam: actiua, nego consequentiam. *Ad 2.* Ad secundam distinguo maiorem: sub omnipotentia absolutê, nego maiorẽ: sub omnipotentia in Patre, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Solutio est D. Tho. *loco allegato ad primum argumentum.* *Ad 3.* Ad tertiam probationem Alarcon *vbi supra num. 17.* respondet, Filiũ ideô non esse inferiorem Patri in potentia, nec minus perfectũ: quia per intellectionem, intimamque vnionẽ, potentia generatiua est in termino producto.

46 Solutio Alarcon ad 3. probationẽ reijcitur. 1. Hoc tamen effugium friuolum est, nec argumento facto satisfacit. Quod probo ad hominem cõtra istum Authorem: ibi namque, vt Filiũ æqualem Patri in omnipotentia defendat, docet contra Ruizium omnipotentiam solum esse potentiam productiuam ad extra, ac proinde Filio competere, etsi non sit potens generare, quæ est actio productiua ad intra: ergo si potentia productiua ad intra ad omnipotentiam pertineret, non esset Filius æqualis Patri in omnipotentia; & tamen per intellectionem, & intimam coniunctionem, esset in filio: ergo hic modus existendi sufficiens non est vt Filius Patri in omnipotentia, siue in perfectione potentiæ adæquetur.

Secũdo. Secundo reijcitur: nam si Filius formaliter aliqua perfectione absoluta careret, non esset in perfectione æqualis cum Patre; & tamen tũc per intellectionem, & intimam coniunctionem principij cum termino competeret Filio: ergo hic modus conuenientiæ non est sufficiens ad saluandam æqualitatẽ vtriusque in potentia, sed ad alia principia confugiendum est.

47 Tradit. vera solutio. Relicta ergo hac solutione negãda est sequela: nam in potentia absoluté adæquantur; cum potentia generatiua non sit potentia absolutê, sed potentia prout in Patre, in potẽtia autem prout in Patre non comparantur: quia comparatio inpponit conuenientiam inter vtrumque extremum comparationis in eo, in quo fit comparatio; in potentia autem vt in Patre non conueniunt Pater, & Filius, & ideô in illa non comparantur. Nec ex eo, quod deficiat Filio potentia prout in Patre, sequitur aliqua imperfectio in illo. Tum, quia defectus iste negatiuus est, & non priuatiuus: tum, quia cum non deficiat, nisi relatio, & hæc non sit perfectio, non deficit illi aliqua perfectio formaliter. Tum denique: nam qui dixerit relationem dicere perfectionem, respondebit esse in illo aliã æquiualentem; tantæ enim perfectionis est in filio potentia, vt generetur, quantæ in Patre potentia ad generandum.

(1)

§. VII.

Secunda cõcluſio veræ ſententiæ.

48 *Secũda cõcluſio. prob. 1. ex Anſelmo.*

PRincipium quo *primũ diuinæ proceſsionis non eſt relatio, ſed diuina eſſentia, vt modificata relatione.* Ita D. Thomas locis *vbi ſupra* relatis. Et oſtenditur primo ex Anſelmo in Monologio *cap.* 58. vbi de Spiritu Sancto loquens ſic ait: *Non ex eo procedit, in quo plura ſunt Pater, & Filius, ſed ex eo, in quo ſunt vnum, nõ ex relationibus ſuis, quæ plures sũt, ſed ex ipſa eſſẽtia emittunt Pater, & Filius tantum bonum*: ergo ex mente Anſelmi eſſentia eſt principium *quo* Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio procedit; cumque non ſit principium *quo* proximum, erit principium primum radicale, & remotum. Damaſcenus etiam hanc veritatem docet *lib.* 1. de fide Orthodoxa cap. 8. *Generatio eſt opus naturæ, non ſicut generantis, ſed ſicut eius, quo generat*: ſentit ergo naturam diuinam eſſe principium *quo* proximum, vel remotum, Pater conſtituitur potens ad generandum. Et Ioannes Theologus in Concilio Florentino *ſect. one* 8. Eandem veritatem apertiſsimẽ docet his verbis: *Dixi filium ex Patre, & Patris ſubſtantia generari, idem ſignificare; ita tamen vt perſona ſit producens, & generans; principium autem* quo *ipſa perſona generat ſit id, quod ſolum communicabile eſt.* Et infra: *Pater naturæ ſuppoſitum eſt, ſed generans, diuina vero natura generatiuum principium.* Quo nihil expreſsius potuit dicere pro noſtra ſententia.

Damaſcenus.

Ioannes Theologus.

Denique Auguſtinus veritatem iſtam docuit *lib.* 15. *de Trinitate cap.* 13. *ad finem*, his verbis: *Propter hoc ſicut ſcientia noſtra illi ſcientiæ Dei, ſic & noſtrum verbum, quod naſcitur de noſtra ſcientia, diſsimile eſt illi verbo Dei, quod natum eſt de Patris eſſentia, tale eſt autem, ac ſi dicerem de Patris ſapientia, vel quod eſt expreſsius de Patre ſcientia, de Patre ſapientia*; eſſe autem id, de quo naſcitur verbum, idem eſt, ac eſſe principium, quo Pater verbũ producit: ergo diuina eſſentia eſt principium *quo* primum generationis verbi, & cuiuſvis alterius proceſsionis diuinæ.

49 *Auguſtinus.*

Reſpondebis fortẽ, diuinam eſſentiam eſſe principium *quo* radicale ſolum proceſsionum, quatenus radicat relationes, quæ vt *quo* ad proceſsiones diuinas concurrunt, non autem quia ipſa vt *quo* influat. Sed contra primo: nam explicatio iſta nõ ſtat cũ verbis Anſelmi, qui ait Spiritum Sanctum non procedere ex eo, in quo plura ſunt Pater, & Filius, ſed ex eo quod commune eſt, in quo ſunt vnũ, vel ex patris eſſentia; ſi nanque iſta ſolum concurreret radicando relationem concurrentem vt *quo*, cum etiam Paternitas, & filiatio radicẽt relationem Spiratoris, iam Spiritus Sanctus ex eo, in quo plures ſunt Pater, & filius, & non ſolum ex eſſentia, procederet.

50 *Solutio excluditur primo.*

Secundo: nam principium generatiuum, ſi cum proprietate loquamur, eſt id, quod vt *quo* in generationem præſtat influxum; at Damaſcenus dicit diuinam naturam eſſe id, quo Pater generat, & Ioãnes Theologus eſſe generatiuum principium: ergo ſentiunt verẽ vt principium *quo* in generationem influere.

Secũdo.

Denique Auguſtini verba hanc interpretationem nõ poſſunt admittere: nam ſicut aſſerit verbum procedere de Patris eſſentia, dicit etiã procedere de Patris ſcientia, ac de Patris ſapientia; at ſcientia, & ſapientia prout à natura ſub conceptu

Deniq;

naturæ distinctæ: non radicant relationem Patris; & consequenter nequeunt isto modo ad generationem verbi concurrere, sed vt principium *quo* proximum verbi producti: ergo diuina essentia, aut natura, non ea solum ratione ad generationem concurrit, quia radicat relationem concurrentem vt *quo*, sed quia ipsa verè est principium *quo* primum diuinæ generationis.

51 *Secũda prob. ratione D. Th.*

Deinde principaliter suadetur conclusio ratione D. Thomæ *locis relatis*; nã principium *quo* primum actionis generatiuę, aut productiuæ, est id in quo genitum, aut productũ, producenti assimilatur; cum agentis intentio ea sit vt terminum productum sibi assimilet in principio, quo agit; at personæ productæ personis producentibus non in relatione, sed in natura assimilantur, seu identificãtur: ergo non relatio, sed natura diuina vt connotans relationẽ est principium *quo* primum processionum in Deo. Et explicatur amplius in diuina generatione; etenim principiũ *quo* primum generationis est in quo genitum cum generante conuenit per similitudinem, aut identitatem; at id, in quo filius genitus communicat cum Patre generante, non est relatio, sed natura diuina: ergo hæc est principium *quo* primum generationis verbi.

Conf.

52 *Respondet Durandus dupliciter.*

Respondet Durandus, veram esse maiorem de generatione vniuoca, per quam genito communicatur potentia generandi aliud: secus autem de generatione æquiuoca per quam non communicatur genito potentia generandi aliud: in hoc namque nequit esse principium *quo* id, in quo genitum generanti assimilantur: cu principium *quo* sit potentia generatiua, & in illa non assimilentur; genetatio autẽ diuina est quasi æquiuoca ex parte; quia per illam non communicatur filio potentia generandi aliud, & in illa filius non assimilatur Patri. Secundo respondet veram esse maiorem, quando assimilatio est in forma numero distincta in genito, & generante; tunc enim potest ratione distinctionis vna forma esse principium alterius, secus autem quando genitum, & generans in natura identificantur; tunc enim sublata distinctione remanere nequit ratio, seu habitudo principij in eo, in quo conueniunt; & quia inter Patrem, & Filium est identitas in natura: hinc fit, quod principium *quo* nequeat esse natura, in qua conueniũt, sed relatio, in qua discriminantur.

53 *Prima solutio reijcitur.*

Sed neutra solutio satisfacit; & contra primam facit, quod vniuocatio generationis sumitur ex conuenientia geniti, & generantis, non ex indiuiduantibus conditionibus, aliàs nulla esset generatio vniuoca: cum talis conuenientia impossibilis sit, sed ex conuenientia in natura vtrique communi; at Pater, & Filius in diuinis habent in natura perfectissimam conuenientiam, vtpotè cũ habeant summam identitatem: ergo quamuis in proprietatibus personalibus differant, quæ sunt veluti conditiones indiuiduãtes, generatio Filij est perfectissime vniuoca. Nec refert ad hoc, quod Filio non communicetur potentia generandi aliud: nã cum in sententia Durãdi hæc potentia in relatione consistat, & in nostra sententia relatonem de connotato importet, & cum relatio non pertineat ad diuinam naturam sub conceptu naturæ: fit consequens, quod perfectissimè cõmunicetur natura, non cõmunicata potentia generandi ex defectu relationis: ac proinde, quod saluetur ratio generationis perfectissimæ vniuocæ, absque eo, quod genito communicetur potentia generandi aliud.

54 *Secũda reijcitur 1.*

Deinde secunda reijcitur: nam etiam si principium *quo* primum generationis creatæ debeat adæquatè à genito distingui, non licet colligere debere etiam adæquatè distingui in diuinis, sed sufficit distingui à genito secundum aliquod in obliquo importatum: ergo ex defectu distinctionis naturæ inter genitum, &

generans in diuinis, malê infert Durandus diuinam naturam nõ esse principium *quo* primum generationis verbi. Probo antecedens: in creatis generans vt *quod* adæquatê distinguitur numericê à genito, & exinde non licet colligere, quod generãs vt *quod* in diuinis adæquatê à genito distinguatur numericê: ergo ex eo quod principiũ generationis creatæ distinguatur adæquatê numericê à termino producto, non licet inferre, quod in diuinis debeat adæquatê à termino producto differre, sed sufficit distinctio inadæquata pęnes connotatê importatum, vel relationem.

55 *Secũdo.* Secundo reijcitur: nam etsi generans vt *quod* petat distingui realiter à termino genito, potest tamen ab vno principio habere continẽtiam geniti, & ab alio distinctionem: ergo poterit natura diuina in distincta esse prima ratio continendi; & consequenter primum principium *quo*, etsi à proprietate personali proueniat distinctio. Probo antecedens: etenim in creatis forma secundũ cõceptum essentialem est ratio continendi, & indiuiduales conditiones distinguendi: ergo stat optimê ab vno principio venire distinctio, & ab alio continentia. *Deniq; reijcitur.* Denique reijcitur: nam per hoc solum, quod principiũ *quo* primum secundum aliquid sui distinguatur à termino, saluatur quod requiritur, vt sit ratio continẽ di terminum: ergo in natura diuina connotata relatione saluatur quidquid est necessarium vt sit principiũ *quo* primum. Probo antecedens: nã ratione illius distinctionis potest de illo affirmari, quod negatur de termino, & ê contra: ergo sufficit vt de illo affirmetur, quod sit ratio continentiæ actiuæ, negata de termino, & negetur de illo, quod sit ratio continentiæ passiuæ, de termino affirmata.

(?)

§. VIII.

Argumentis in cõtrarium occurritur.

IN contrarium arguitur primo: relatio est totum id, quo Pater v. c. redditur potens generare Filium: ergo principium *quo* primum relatio est, & non essentia. Probo antecedens primo ex Augustinus *lib. 5. de Trinitate cap. 6. & 7.* illis verbis: *Filius eo Filius, quo genitus: ergo Pater eo Pater, quo generans, & eo generans, quo Pater*; at est Pater paternitate vt forma: ergo est generans, & potens generare paternitate, vt adæquata forma. 56 *Arg. 1.* *Antec. multipliciter prob.* Secũdo: denominatio propria non à forma communi, sed à propria debet prouenire; at denominatio potentis generare est denominatio proprijssima Patris: ergo nõ ab essentia, quæ communis est, sed à proprietate personali, vt à forma, debet prouenire. Tertio: eo modo se habet actio personalis ad personam, quo essentialis ad naturam; sed posse ad actionẽ essentialem est à prædicato essentiali naturæ: ergo posse ad actionem personalem est à prædicato personali. Quarto: id, quod dat esse, dat operari, & posse operari; sed paternitas dat Patri esse Patrem: ergo & posse primum generare. Quinto: imperfectio est in forma, quod det esse, & nõ operationem; at à personalitate diuina omnis imperfectio est relegãda: ergo cũ det Patri esse Patrẽ, dare etiã debet posse generare. Denique: nam posse generare, & posse spirare, sunt à diuersis principijs: ergo non ab essẽtia, quę vna est, sed à relationibus diuersis vtrumque præstatur.

57 *Resp. negãdo antecedẽs. Ad primã probationẽ explicatur Augusti.*

Respondeo negando antecedens, ad primam probationem nego illa esse verba Augustini, sed hæc, *iacò Filius, quia genitus*, ex quo solum colligitur Patrem ideò Patrem esse, quia generans est, quod libenter fatemur, non autem colligitur Patrem paternitate generare, aut posse generare, quod argumentũ contendit. Ad secundan distinguo maiorem: nõ à forma communi in sua communitate relicta, concedo maiorem: non à forma communi appropriata, nego maiorem, & concessa minori, nego consequẽtiam, sed solum colligitur, quod non proueniat à natura diuina absolute, sed ab illa vt appropriata Patri. Si dicas; est ab illa vt appropriata: ergo secundum id, quod est ratio appropriandi; at ratio appropriandi est relatio: ergo formaliter est à relatione, sicut quod est ab animali vt appropriato homini, est tanquam à forma à rationalitate appropriante. Respõdeo distinguendo antecedens: ly *vt* reduplicante rationẽ formalem, nego antecedẽs: reduplicante complementum formæ, concedo antecedens, & distinguo consequens eodem modo, ex quo solũ colligitur esse à personalitate appropriante, tanquam à complemẽto formæ, non vero vt à forma.

Ad 2.

Dices.

Resp.

58 *Ad 3.*

Ad tertiam distinguo maiorem: quoad denominationem agentis vt *quod*, concedo maiorem: agentis vt principium *quo*, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; itaque sicut concretum naturæ est agẽs vt *quod* actione essentiali, v. c. volens vt *quod*, intelligẽs vt *quod*; ita concretum personalitatis, vel personæ, est generans vt *quod*, & spirans vt *quod*, & in hoc tenet æquiparatio, non tamen quoad rationẽ principij *quo*, & ratio est; quia cum personalitas sit veluti conditio indiuidualis, nequit esse principiũ *quo* productionis communicatiuæ, sed id pertinet ad solam naturã connotata relatione. Ad quartã distinguo maiorem: quod dat esse veluti specificũ, concedo maiorem: veluti indiuidua le, nego maiorem, & distinguo minorem: personalitas dat Patri esse Patrem secundum esse veluti indiuidua le Patris, concedo minorẽ: secũdum esse veluti specificum, & naturale, nego minorem, & consequentiam. Vel distinguo maiorem: si forma operatiua sit, concedo maiorem; si non sit operatiua, nego maiorem, & sub cadẽ distinctione minoris, nego consequentiã. Ad quintam distinguo maiorẽ: est imperfectio purè negatiua, concedo maiorem: priuatiua imperfectio, nego maiorem, & cõcessa minori, nego consequentiam. Instoque in Spiritu Sancto, cuius personalitas dat illi esse, & non operari operatione productiua, quin ex hoc aliqua imperfectio sequatur. Ad vltimã distinguo antecedẽs: posse proximum, concedo antecedens: posse primum, & remotũ, nego antecedẽs, & nego consequentiam de posse remoto, & primo: imò nec colligitur, quod posse proximum sit à relationibus, sed posse proximè spirare est à voluntate, & posse proximè generare ab intellectu, vt postea videbimus.

Ad 4.

Ad 5.

Ad vlt.

59 *Secũdo arg.*

Secundo arguit Durandus: actus competens vni suppositi, & repugnans alteri, debet illi inesse per id, in quo differt ab alio; at generatio v. c. cõpetit Patri, & repugnat alijs suppositis diuinæ naturæ: ergo inest Patri per id, in quo differt ab alijs, nempe relatio, non per id, in quo cum illis conuenit, nempe natura; & consequenter illa, & non ista erit principium *quo* generandi. Maiorẽ, in qua est difficultas, probat primo: nã quia ratiocinari inest homini, & repugnat bruto, inest homini per id, in quo differ à bruto: ergo idem de omni actu vni, & non alteri conuenienti est dicendum. Secundo ex Aristotele *primo Ethicorũ* probante beatitudinẽ non esse operationẽ sensitiuæ partis, sed intellectus, quia inest homini, & non bruto, & idcircò debet homini inesse secundum partem intellectiuam, per quam differt à bruto, non secundum partem sensitiuam, in qua cum illo con-

uenit: ergo idem quod prius. Tertio: nam effect⁹ communis petit cauſam communem, & eadem ratione proprius petit propriam: ergo act⁹ proprius vni, & non alteri, pro principio *quo* petit, quod eſt vni proprium, & repugnat alteri.

60 *Reſp.* Reſpondeo diſtinguendo maiorē: ſi differentia ſuppoſitorum ſit in eſſe ſpecifico, concedo maiorem: ſi in eſſe veluti indiuiduali, nego maiorē, & conceſſa minori, nego conſequentiam: quia differentia perſonarum in Deo non eſt ineſſe veluti ſpecifico, quod eſt à natura, ſed in eſſe veluti indiuiduali, quod à perſonalitatibus prouenit: vt enim docet D. Thomas *q. 2. de Potentia art. 2. ad 5. Paternitas non eſt in Patre per modum formæ ſpecificæ, ſicut humanitas in homine; ſic enim in eo eſt diuina natura, ſed eſt in eo, vt ita dicam, ſicut principium indiuiduale; eſt enim proprietas perſonalis, & ideò non oportet, quod ſit generationis principium, ſed quodammodo intellectum ratione ſupra dicta.* Hæc D. Thomas. Ex quibus ad primam, & ſecundam probationē conſtat ſolutio; nam differentia hominis à bruto eſt formalis, & in eſſe ſpecifico. Ad tertiam dicatur, quod vt actus aliquis ſit vni proprius, ſufficit, quod principium illius ſit appropriatum, etſi non ſit proprium; potentia autem generatiua eſt ab eſſentia, nō abſolutē, ſed prout in Patre, qua ratione eſt Patri appropriata, etſi non propria Patri.

61 *Deniq; arg.* Denique arguitur: principium *quo* primū proceſsionis tertiæ perſonæ non eſt diuina natura, ſed voluntas diuina: ergo falſo aſſerimus in noſtra concluſione diuinam naturam eſſe principium *quo* primum omnis proceſsionis diuinæ. Probatur antecedens primo; nam principium *quo* primū eſt id in quo terminus producenti aſsimilatur; at Spiritus Sāctus non aſsimilatur producenti in natura ex vi proceſsionis, vt *inferius* conſtabit, ſed in attributo naturæ, ſcilicet in voluntate: ergo principium *quo* primum proceſsionis tertiæ Perſonæ non eſt diuina natura, ſed diuina voluntas. Secūdo: nam principium *quo*, & termin⁹ *quo* proceſsionis diuinæ ſunt idem; at terminus *quo* proceſsionis tertiæ perſonæ non eſt diuina natura, ſed eius voluntas, vt *infra* videbimus: ergo idem quod prius.

62 *Reſp.* Reſpondeo negando antecedens, ad primam probationem diſtinguo maiorē: eſt id, in quo formaliter, aut identicē terminus aſsimilatur producenti, concedo maiorem: præcisē formaliter, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: qūia licet Spiritus Sanctus non aſsimiletur producenti in natura formaliter ex vi proceſsionis, aſsimilatur tamen illi in voluntate, quæ idēticē eſt natura diuina. Ad ſecundam probationē diſtinguo maiorem: principium *quo* primum, & terminus *quo* proceſsionis ſunt idem identicē ſaltim, concedo maiorem: formaliter, ſub diſtinguo illam: quādo eſt proceſsio ſupponēs principiū *quo* primum perfectiſsimē communicatum ſub conceptu naturæ, nego maiorem: quando eſt proceſsio non ita ſupponens communicatum principium *quo* primum, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: quia proceſsio Spiritus Sancti ſupponit principium *quo* primum perfectiſsimē communicatum per modum naturæ per generationem; & ideò non petit pro formali termino naturam diuinam, quæ eſt principium *quo* primum, ſed aliquid identificatum cum illa, nempē volūtatem; ſed de hoc plura cum de diuina generatione tractemus.

63 *Si dicas* Si dicas. ergo ſufficit pro principio *quo* primo aliquid, quod identicē ſit natura diuina, nempē volūtas, & nō ipſa natura formaliter ſub conceptu naturæ, vt ita æquipāretur terminus cum principio. *Reſp.* Reſpōdeo negando conſequentiam: nam cum voluntas operetur per modū potentiæ, & proprietatis naturæ diuinæ, in qua radicatur, non poteſt operari niſi vt

ſub-

subordinata virtualiter eidem naturæ: quia operari sequitur ad esse, ac proinde ad esse alteri subordinato nequit subsequi insubordinatè operari: vnde sicut hac ratione ad omnem operationem voluntatis creatæ concurrit anima vt primũ principium; ita ad omnem operationem voluntatis diuinæ concurrit Dei natura, tanquam principium *quo* primum.

§. IX.

Statuitur tertia conclusio.

64 *Tertia conclusio.*

PRincipium quo *proximum generationis verbi per modũ potentiæ non est Paternitas, sed intellectus, cointellecta Paternitate de connotato.* Dixi per modũ potentiæ: nam etiam species, & cognitio diuina, & diuina essentia, prout exercet munus speciei, vt principiũ *quo* proximum ad generationẽ concurrunt, non tamen per modum potentiæ. Ita Authores *quintæ sententiæ* cũ Caietano explicante D. Th. *infra q.41.art.5.* quod pro principio *quo* primo diuinam naturam, & pro principio *quo* proximo generationis verbi diuinum intellectum cõstituerit. Et probatur primo ex Augustino *lib.15.de Trinitate cap.3.* vbi loquens de diuino Verbo sic ait: *Quod natum est de Patris essentia, tale est autem, ac si diceremus de Patris scientia, de Patris sapientia*; at quod procedit de sapiẽtia Patris est ab intellectu Paterno per modũ potentiæ, sicuti, & actualis sapientia est ab illo virtualiter: ergo ex mente

Prob.1.

Augustini principium *quo* proximũ generationis verbi per modum potẽtiæ est diuinus intellectus, non autem relatio.

Secundo: nam vt *supra* vidimus, & contra Scotum communiter fatentur Theologi, intellectus diuinus ad generationem verbi concurrit; at nõ per modum principij *quo* primi, aut remoti: ergo vt principium *quo* proximum concurrit ad illam. Discursus tenet. Maiorem contra Durãdum vt omnino certam fatẽtur omnes Theologi. Minorem autem probo: nam principium *quo* primũ debet radicare proximum; at diuinus intellectus, prout à natura distinguitur, non radicat relationes, sicut nec cætera attributa eas radicant: ergo nequit vt principium remotũ, seu radicale ad generationem concurrere; & consequenter, vel nullum præstat concursum ad illam, quæ est sententia Durandi, vel immediatum exhibet, vt principium *quo* proximũ, quod asserit nostra conclusio.

65 *2.prob.*

Respondebis forte, intellectũ non distingui à diuina natura, ac proinde radicare relationes, sicut natura eas radicat. Sed contra primo: nam est probabilis multorum Theologorum sententia intellectum attributaliter distingui à natura diuina, quod autem intellectus ad generationem verbi concurrat est omnium Theologorum sententia: ergo à sententia illa tantum probabili dependere non potest.

66 *Resp.*

Sed contra primo.

Secundo: nam ad minus sequitur voluntatem diuinam quæ in frequentiori Theologorum sententia à natura distinguitur, vel nullum cõcursum præstare ad processionem tertiæ Personæ, vel vt principium *quo* proximum in illam influere; at eadem ratio est de intellectu respectu processionis verbi: ergo eodem modo circa illam est discurrẽdum.

Secũdo.

Tertio: nam si eatenus solum intellectus ad processionem verbi concurrit, quatenus est idem cum natura diuina, & idcircò radicat relationem Patris proximè

Tertio.

concurrentem, sequitur eodem modo ad processionem Spiritus Sancti concurrere, quo concurrit ad verbi generationem; hoc autem aduersatur veræ, & sanæ Theologiæ specialem influxum recognoscenti in intellectu respectu generationis: ergo intellectus non solum concurrit ad generationem verbi, vt est idem cũ natura, sed etiam vt est distinctus co intellecta paternitate de connotato. Patet sequela; quia natura diuina radicat omnes relationes: ergo si intellectus influit, quia formaliter est idem cum diuina natura, influet in processionem tertiæ personæ radicando relationem, quæ est proximũ principium respectu illius, sicut hac ratione in illã influit diuina natura.

67 *Tertio suadetur conclusio.*

Tertio principaliter suadetur cõclusio: nam ea ratione docet D. Th. proprietatem non esse principium *quo* primum, sed diuinam naturam, quia est veluti indiuidualis cõditio diuinę Personæ, id autem, quod pertinet ad esse indiuiduale, nõ est principium *quo* primum; sed nec etiam id, quod pertinet ad esse indiuiduale, est principium *quo* proximum: ergo eadem ratione excludi debet Paternitatis relatio ab hoc, quod est esse principium *quo* proximum generationis verbi, & solum intellectui Patris est attribuendum, Paternitate de connotato intellecta.

68 *Deniq; prob.*

Denique probatur: natura diuina connotata Paternitate est principium *quo* primũ processionis verbi, vt docet D. Thomas, & probauimus §. *præcedenti*: ergo diuinus intellectus cum eadem connotatione erit principium *quo* proximum istius processionis, & non Paternitatis relatio. Probo consequentiam primo: nam id ipsum, quod remotè præstat diuina natura, exhibere potest proximè intellect⁹ diuinus intra propriam lineam. Secundo: nam in creatis in id, in quod natura influit radicaliter, influunt potentiæ ad naturam sequutæ, tanquam principiũ, proximum: ergo pariter in diuinis.

69 *Resp.*

Respondebis forte negando consequentiam, & reddendo rationem discriminis: etenim principium *quo* pr imum generationis est, in quo genitum generanti assimilatur: & ideo non petere ex communi cõceptu à termino realiter distingui; ac proinde potest natura diuina à termino producto indistincta esse principium *quo* primũ generationis verbi; principium autem *quo* proximum non est id, in quo genitum generanti assimilatur, sed potius est ratio distinguendi vtrumque, & idcircò ex communi conceptu petit realiter distingui à genito; ac proinde nõ potest diuino intellectui competere, vtpotè à verbo producto realiter indistincto.

Contra primo.

Sed contra primo: nam licet prima generantis intentio ea sit, vt genitum sibi assimilet in principio *quo* primo, secundo tamen etiam intendit sibi illud assimilare in principio *quo* proximo, assimilatione possibili, vt in generante creato manifestè conspicitur; at verbum assimilari Patri, seu cum illo identificari in principio *quo* proximo, pro eo quod importat in recto, possibile est: ergo principium *quo* proximum verbi debet esse absolutum, pro eo quod importat in recto, vt sic identificetur cũ termino, connotata relatione in obliquo; & consequenter erit intellectus cointellecta Paternitate.

70 *Secũdo.*

Secundo: nam ea solum ratione principium *quo* proximum esset ratio distinguendi generãs à genito, & consequenter realiter distinctũ à genito, quia generatiuũ proxime vt *quod* à proxime generabili realiter debet distingui; at hæc ratio est nulla; cum etiã generatiuum vt *quod* radicaliter à generabili radicaliter debeat realiter distingui, quin ex hoc colligatur principium *quo* radicale esse rationem distinguendi realiter distinctam à generabili: ergo non est de conceptu principij *quo* proximi adæquatè realiter distingui à termino.

Tertio.

Tertio: nam in creatis nõ solum principium *quo* proximum, sed etiã

prin-

principium *quo* primum à termino producto realiter distinguitur; & tamen in diuinis principiu *quo* primum, & radicale, non differt realiter à termino producto adæquatè, vt fatetur ista solutio: ergo ex eo quod in creatis principium *quo* proximum debeat realiter distingui à termino, non licet colligere principiu *quo* proximum in diuinis eadem distinctione à termino producto gaudere.

Deniq; Denique traditam solutionem reijcio: nam tota distinctio necessaria inter principium *quo* primum, & terminum, saluatur in diuina natura per connotationem relationis realiter distinctæ: ergo pariter tota distinctio requisita in principio *quo* proximo simili connotatione saluabitur in diuino intellectu.

§. Vltimus.

Contraria argumenta diluuntur.

71 *Arg. 1. authoritate Patrum.* CONtra istam conclusionem opponunt contrarij Autores primo Athanasium Dialogo primo de Trinitate illis verbis: *Pater Hypostasi gignit*; at gignit Pater principio *quo* proximo generandi: ergo hoc in recto est hypostasis, & relatiua proprietas. Ambrosiu *lib. 4. de Fide ad Gratianum cap. 4.* illis verbis: *Generatio Paternæ proprietatis est, non potentiæ.* Augustinum *lib. 1. de Trinitate cap. 5.* vbi ait: *Ex eo ipso Patrem esse, & dici Patrem, quod est ei Filius*; sed Patri est Filius ex vi potentiæ generatiuæ: ergo est Pater ex vi illius; cumque sit Pater ex vi paternitatis, hæc, & non intellectus est generatiua potentia.

72 *Resp. explicãdo Athanasium, Ambrosium, & Augustinum.* Respondeo, Patrem gignere hypostasi, non vt principio *quo* proximo, vel remoto, sed vt connotato, & complemento principij *quo* primi, & proximi, neque aliud Athanasium voluisse. Et eodem modo explicatur Ambrosius, videlicet generationem nõ esse potentiæ absolutè, sed potẽtiæ, vt in Patre per proprietatem modificatæ; quia per hoc solum saluatur æqualitas in omnipotentia, quam *in ulo capite* defendere conabatur Ambrosius. Et quidem *paulò inferius* asseruit, nec inter ipsos quoque homines non potẽtiæ esse, sed personæ proprietatem filios habere, vel non habere; *nam si esset potentiæ*, inquit, *vtique potentior multos haberet*; ex quo inferre nõ licet generationem in creatis non esse à generatiua potentia, vt à principio *quo* proximo, & à natura tanquam à principio primo, & remoto. Denique ad Augustinum dicatur, si illa verba sunt Augustini, intelligẽda esse in sensu causali, eo esse Patrem fundamentaliter, quo est ei Filius, & hoc est verum: nam potentia generatiua, qua Filius gignitur, fundamentum est paternitatis, non tamen in sensu formali, ita vt id, quo generat, sit formale constitutiuum Patris in ratione Patris.

73 2. *arg.* Obijciunt secundo D. Th. *q. 36. art. 4.* vbi vt probet Patrem, & Filiũ esse vnum principium Spiritus Sancti, hæc habet verba: *Dicendum est ergo, quod licet hoc nomẽ principiũ significet proprietatem, tamen significat illam per modum substantiui: vnde numerum accipit à forma significata: sicut igitur Pater, & Filius sunt vnus Deus, propter vnitatem formæ significatæ per hoc nomen Deus; ita sunt vnum principiũ Spiritus Sancti propter vnitatem proprietatis significatæ in hoc nomine principium.* Et solutione ad secundum sic habet: *Dicendum, quod cum dicitur Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti, designatur vna proprietas, quæ est forma significata per nomen.*

Ex quibus verbis tale argumentum conficitur: eadem eſt ratio de principio *quo* Filij, ac de principio *quo* proximo Spiritus Sancti; at hoc cõſtituitur proprietate perſonali, & nõ forma abſoluta, iuxta D. Thomam: ergo idem eſt dicẽdum de principio *quo* Filij. Probatur minor: vt ſaluet vnitatem principij inter Patrem, & Filium reſpectu Spiritus Sancti, recurrit D. Thomas ad vnitatẽ proprietatis ſignificatæ nomine principij: ergo ſentit, ly *principium* ſignificare proprietatem, & in ratione primi principij per illam conſtitui.

74 *Reſp.* 1. Reſpondeo dupliciter, primo ex D. Tho. infra q. 41. art. 5. ad 1. *Quod potentia non ſignificat ipſam relationem principij, alioquin eſſet in genere relationis, ſed ſignificat id, quod eſt principium, non ſicut agens dicitur principiũ, ſed ſicut id, quo agẽs agit, dicitur principiũ*; Verba ſunt D. Thomę. Ex quibus manifeſte colligitur, quod licet ly *principium* principaliter relationem ſignificet, potẽtia autem generatiua, aut ſpiratiua, non ſignificat relationem principij, ſed id, quod eſt principium, vt autem D. Thomas ſaluaret in Patre, & Filio non ſolum vnitatem in veritate ſpirandi, ſed etiam in ratione principij, quatenus relationem ſignificat, ad vnitatem proprietatis recurrit: vnde in forma conceſſa maiori, nego minorem, ad probationẽ diſtinguo antecedens; vt ſaluet vnitatem in virtute ſpirãdi, quæ vt *quo* eſt principium, nego antecedens: vt ſaluet vnitatem in ratione ſignificata per nomen *principium* acceptũ relatiuê, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens; ly *principium*, cõcedo conſequentiã: id, quod eſt principium, vel virtus ſpiratiua, nego cõſequentiã. Vel ſecũdo dicatur, quod quia virtus ſpiratiua non ſignificat voluntatem abſolutê, ſed cointellectã relatione, vt ſaluet D. Thom. vnitatem, nedum in recto virtutis ſpiratiuæ, ſed etiam in eo, quod in obliquo importatur, recurrit ad vnitatẽ proprietatis, ex quo ſolum ſequitur potentiam generatiuam, proprietatẽ in obliquo importare, quod libenter fatemur.

Secũdo reſp.

Tertio arguitur difficiliori teſtimonio Angelici Doctoris *in 1. diſtinc. 11. q. 1. art. 3. in corpore*, illis verbis: *Generatio enim non egreditur ab eſſentia, in quantũ eſt eſſentia, ſed in quantum eſt paternitas, etſi iſta duo, ſcilicet eſſentia, & Paternitas, differrent in diuinis, egrederetur ab vtraque generatio, ſed à Paternitate immediatè, & ab eſſentia ſicut à primo principio*; ex quibus ſic arguitur: ſi Paternitas ab eſſentia diſtingueretur realiter, generatio eſſet à Paternitate immediatê, & mediatê ſolum ab eſſentia; ſed modô virtualiter diſtinguuntur: ergo erit immediatê à Paternitate, & virtualiter mediate ab eſſentia; quod enim tunc faceret realis diſtinctio ad immediationem, & mediationem realem, facit etiam diſtinctio virtualis ad immediationem, & meditionem virtualem.

75 *3. arg.*

76 *Reſp.* 1. Reſpondeo primo ex Caietano *infra quæſt. 41. art. 5.* D. Thomã *in libris Sententiarum* in ea fuiſſe ſententia, vt aſſereret eſsẽtiã eſſe principium generationis verbi, nõ prout in Patre, ſed prout eſt Paternitas. Quam ſententiam *infra q. 41. art. 5.* retulit, etſi non vt à ſe aliquando defenſatam, & expreſsê refutauit, & iuxta illam hic ait D. Thom. quod ſi realiter differret ab eſſentia paternitas, eſſet generatio ab illa immediatê, & mediatê ab eſſentia.

Secũdo reſp.

Vel ſecundo dicatur, quod cum Paternitas ſit principium *quo* proximum, non formaliter, ſed completiuê vt ab intellectu connotata, qui eſt principium *quo* immediatum, verũ eſt dicere, quod ſi diſtingueretur realiter ab eſſentia, eſſet generatio ab illa immediatê, non tanquam à ratione formali principij, ſed tãquam à complemẽto rationis formalis, & id etiam verificatur modo, non quo ad realem mediationem, ſed quoad virtualem.

77 *4. arg.* Quarto obijciunt, ſi intellectus

prout in Patre esset principium *quo* proximum generationis verbi, verũ esset dicere *intellectus generat*; sicut quia est principium *quo* proximum virtuale intellectionis est verũ dicere *intellectus diuinus intelligit*; at hæc propositio *intellectus generat* non est minus falsa, quã ista *essentia generat*, cuius falsitas diffinita est contra Abbatem Ioachim, *in cap. damnamus de summa Trinitate*, quod est Concilij Lateranensis sub Innocencio 3. ergo intellectus non est principium *quo* proximũ generationis verbi.

Resp. arg. & instatur

Respondeo instando argumẽtum: hæc enim est falsa, *Paternitas generat, filiatio generatur*, iuxta D. Thomam *infra q. 32. art. 2. ad 2.* & tamen iuxta aduersarios Paterni tas est virtus generat ua vt *quo*: ergo ex eo quod essentia,& intellectus sint principium *quo* primum,& proximum generationis verbi, non sequitur verẽ affirmari posse de essentia,aut de intellectu quod generet; quia licet sint principium *quo* generationis,non tamen vt *quod* generant;quia ad hoc requirebatur realiter distingui à genito, nec possunt pro personis supponere, vtpoté abstracta in modo significandi; nec est eadem ratio de actibus essentialibus quoad hoc,quod est prædicari de intellectu,& de essentia : quia isti realem distinctionem personarum non requirunt. Mitto aliorum solutionẽ idcircó asserentium non prædicari generationem de intellectu,& essentia in abstracto: quia virtus generatiua proxima,aut remota petit pro recto absolutum, & saltim de connotato relationem; quia ad minus sequitur hanc esse veram *essentia cũ intellectu prout in Patre generat*, quod nescio an ab aliquo Theologo possit concedi. Patet sequela; quia iam de connotato ponitur relatio.

78 *Deniq; arg. Durandus.*

Denique arguitur argumento Durandi: nam iuxta Philosophum 1. *Ethicorum*, principium,& principiatum sunt multa,& non vnum; & consequenter realiter distinguntur; at sola paternitas à Filio distinguitur realiter : ergo sola Paternitas potest esse principium generationis verbi, & idem de relatione Spiratoris respectu processionis tertiæ Personę est dicendum.

Si resp.

Si respondeatur veram esse maiorem de principio, & principiato vt *quod*, falsam autẽ de principio *quo*, & de termino *quo*: inter hæc namq; non est necessaria realis distinctio.

Insurgit Durandus primo.

In contrarium arguit Durandus primo: nam principium *quo* magis obtinet rationem principij,quam principium *quod*: ergo si hoc petit à termino producto distingui, à fortiori & illud realem distinctionem exposcet. Antecedens probatur primo; nam principium *quo* est principium ratione sui,principiũ autem *quod* nó nisi ratione illius; at propter quod vnumquodque tale,& illud magis: ergo principium *quo* magis obtinet rationem principij,quam principium *quod*. Secundo : nam principiũ *quo* se toto est principium, principium autem *quod* non se toto, sed ratione principij *quo* : ergo hoc magis,quã illud. Tertio: nam qualitas v.c. quæ est principium *quo*, agit separata à supposito,& constat in Sacramento Altaris; sed suppositum nullo modo posset agere, nisi qualitatem haberet: ergo principium *quo* strictiori modo obtinet rationẽ principij,quã principium *quod*.

79 *Secũdo.*

Secundo arguit Durandus contra hanc responsionem : nam terminus productionis *vt quo* debet esse realiter vt *quo* productus, & non solum communicatus; si enim totum esset communicatum, & nihil productum, nulla esset productio; sed si terminus product onis vt *quo* posset esse idem realiter cum principio *quo* productionis, nõ posset realiter esse productus; cum existeret in Patre, qui nihil habet productum : ergo impossibile est quod principium *quo* productionis nõ distinguatur realiter à termino *quo*. Tertio alij opponunt; principium *quo* & virtus productiua debet realiter continere ter-

Tertio alij contra solutionẽ instant.

minum productionis ; at nihil poteſt continere realiter ſe ipſum, nec eſſe virtus realiter productiua ſui: ergo principium *quo* debet realiter à termino producto diſtingui.

80 *Quarto*

Quarto inſiſtunt ex D. Thom. *infra quæſt.* 41. *art.* 4. *ad* 8. illis verbis: *Potentia ſignificat principium: principium autem diſtinctionem importat ab eo, cuius eſt principium.* Et paucis interpoſitis ait: *Et ideo reſpectu illarum actionum, ſecundum quas aliquæ res procedunt diſtinctæ à Deo, vel eſſentialiter, vel perſonaliter poteſt Deo attribui potentia ſecundum propriam rationem principij ; & ideò ſicut potentiam ponimus creandi in Deo : ita poſſumus ponere potentiam generãdi, ſpirandi, &c.* ergo ex mente D. Thomæ potentia realis debet realitêr à termino producto diſtingui; & tamen potentia non eſt principium *quod*, ſed *quo* agendi: ergo principium *quo* debet realitêr à termino producto diſtingui. Quinto: ſi principium *quo* non deberet realitêr à termino producto diſtingui, ſequitur diuinam naturam non ſolum eſſe principium *quo* Filij, ſed etiam principium *quo* ſui ; conſequens eſt falſum : ergo & illud ex quo ſequitur. Sexto; nam principium *quo* ad principiatum realitêr refertur ; cum ſit principium reale; nomen autem principij relationem ſignificat, vt docet D. Thomas *infra quæſt.* 41. *art.* 5. & conſequentêr vt reale ſit, debeat relationem realem dicere; at nihil poteſt ad ſe ipſum realiter referri: ergo ſi principium *quo* ad principiatum realitêr refertur, realiter debet ab illo diſtingui. Denique; nam principium *quo* eſt ratio diſtinguendi producens *quod* à termino producto; at nõ alia ratione relatio à relatiuo diſtinguitur, niſi quia eſt ratio diſtinguendi relatiuum: ergo idem dicendum eſt de principio *quo*, & termino producto. Probatur maior: producens etenim in quantum tale à termino diſtingui debet: ergo ratio producendi eſt ratio diſtinguendi; ratio autem producendi eſt principium *quo*: ergo principium *quo* eſt ratio diſtinguendi producens *quod* à termino producto.

Quinto.

Sexto.

Deniq;

Ad argumentum reſpondeo iuxta ſolutionem *ibi* aſſignatam, quæ eſt D. Thomæ *quæſt.* 2. *de potentia art.* 2. *ad tertium*, & *infra quæſt.* 41. *art.* 5. *ad* 1. & intelligenda eſt de principio *quo* pro eo, quod importat in recto; prout ſic namque nõ debet à termino producto diſtingui; imo quo magis identificatur cum illo, eo perfectior eſt productio, ſeu generatio; cum generans ad ſimilitudinem tendat termini cum agente in principio *quo* agendi; non autem intelligenda eſt de principio *quo* agendi ſecundum id, quod dicit modificatiue ſaltim in obliquo; vt ſic nãque debere à termino producto diſtingui conſtat ex dictis §. 3. Ad obiectiones autem, quatenus contra iſtam ſolutionem facere poſſunt, reſpondeo ad primam diſtinguendo antecedens : magis quoad formalitatem, concedo antecedens: quoad adæquationem, nego antecedens, & cõſequentiam : ideſt quod principium *quo* formalius obtinet rationem principij, quam principium *quod*, non tamen ita adæquatê; cum in principio *quod* includatur quidquid exigitur ad rationem principij : ſecus autem in principio *quo* : vnde non colligitur, quod ſi principiũ *quod* à termino producto debet diſtingui realitêr pro eo, quod importat in recto, debeat eodem modo principium *quo* à termino producto diſtingui ; quia cum vnum ex requiſitis ſit diſtingui à termino vt *quod*, debet inueniri in principio *quod*, in quo inueniuntur omnia requiſita ad rationẽ primi principij, nõ autem in principio *quo*, quod tantum dicit, quod per modum formæ in agente requiritur. Nec amplius tres antecedentis probationes conuincunt. Et inſto argumentum in contraria ſententia; nam inter principium *quod*, & terminum genitum, conuenientia realis, & realis diſtinctio requiri-

81 *Suſtinetur ſolutio.*

Ad 1. *obiectionẽ*

tur;

tur;& tamẽ non valet iſta conſequẽtia in ſententia contraria: *Paternitas*, vtpote principium *quo*, *magis obtinet rationem principij, quã producens vt* quod; *ſed hoc petit realiter conuenire cum termino: ergo Paternitas realem conuenientiam exposcit.*

82 *Ad 2.* Ad ſecundam obiectionem, nego maiorem: nec ſequitur nihil eſſe productum, ex eo quod terminus formalis productionis non producatur; nam cum præter formalem terminum aliud requiratur ad terminum *qui*, per hoc quod illud aliquod producatur, datur aliquod productum, & terminus totalis producitur, ſicut in productione hominis abſque eo quod producatur materia, nec forma, per hoc ſolũ quod producatur vnio, producitur homo.

Ad 3. Ad tertiam, conceſſa maiori de virtute productiua vt *quo*, & continẽtia vt *quo*, diſtinguo minorem: nihil poteſt cõtinere ſe ipſum vt *quod*, concedo minorem: vt quo, ſub diſtinguenda eſt minor: ſe ipſum re, & ratione, concedo: ſe ipſum re, ratione tamen diuerſum, nego minorem, & nego conſequentiam: ideſt quod virtus productiua eſt ratio continendi aliquid realiter identificatum cũ illa pro eo, quod importat in recto, diſtinctum tamen ſecundum rationem prout ſic, & realitêr pro eo, quod dicit modificatiuê, & in obliquo. Et inſto argumentum in principio *quo* radicali, & remoto, quod multi ex contrarijs Auctoribus in diuina eſſentia connotata relatione conſtituunt.

83 *Ad 4.* Ad quartam dicatur potentiã realem petere diſtinctionem termini producti per illam ab agẽte *quod* per talem potentiam conſtituto, nõ autem à ſe ipſa, niſi ad ſummum pro eo, quod de connotato dicit, nec amplius D. Thomam intendere cõſtat, ex illis verbis: *Vnde reſpectu illarum actionum ſecundum quas aliquæ res procedunt diſtinctæ à Deo, &c.* Si namque realem diſtinctionẽ potentiæ à termino producto requireret, non deberet ſub ſumerẽ diſtinctionem rerum à Deo, vt inferret potentiam realem reſpectu talium rerum, ſed diſtinctionem rerum à potẽtia Dei; non autem hoc ſecundum, ſed primum D. Thomas ſubſumpſit: ergo non requirebat ad realem potẽtiam diſtinctionem realem termini producti à potentia, ſed ab agente *quod* per illam conſtituto. Ad quintam nego ſequelam propter duo; primo, quia ſaltim debet ratione diſtingui à termino producto vt *quod*, non autem ſic à ſe ipſo diſtinguitur. Secundo; quia terminus productus vt *quod* debet realitêr diſtingui ab eo, quod conſtituitur per potentiam agens vt *quod*; ipſe autem à tali agente realiter non diſtinguitur, & id circo non poteſt habere rationem potentiæ productiuæ reſpectu ſui, bene tamen reſpectu alicuius ſibi realiter identificati. *Ad 5.*

84 *Ad 6.* Ad ſextam, diſtinguenda eſt maior: quando principium realiter à termino producto diſtinguitur, concedo maiorem: quando non ita, nego maiorem: & conceſſa maiori, nego conſequentiam: nec ſequitur eſſe principium rationis; nam licet principium relationem ſignificet, id tamen, quod principium eſt, vel potentia, non ſignificat relationem, & vt aliquid realitêr dicatur tale, etiã nomine relatiuo, ſufficit fundamentum reale, vt conſtat in Chriſto, qui realitêr appellatur Virginis Filius, & ſi relatio filiationis non realis, ſed rationis ſit; quia fuit realitêr genitus ab illa.

Ad vltimam. Ad vltimam diſtinguo maiorem: eſt ratio diſtinguendi formaliter, nego maiorem: eſt ratio diſtinguendi illatiue, id eſt inferens formã diſtinguentem, nempe relationem, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam relatio eſt ratio diſtinguendi, non illatiuê, ſed formalitêr; principium autem *quo* formalitêr non diſtinguit, ſed potius eſt id in quo terminus cum producente conuenit. Nec ſequitur, principium

quod est realitèr à termino producto distinctum: ergo id habet à principio *quo*; quia ab isto adæquatè non constituitur, ac proinde potest, imo & debet, ab alio distinctionem habere, cum ab isto habeat conuenientiam. Vel aliter potest maior distingui: est ratio distinguendi pro eo, quod importat in recto, nego maiorem: pro eo, quod dicit in obliquo, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam; vel distinguo illam eodem modo.

85 *Primũ corollarium ex dictis.*

Ex dictis in discursu disputationis colligo primo, terminum *quo* diuinarum processionum esse aliquid absolutum in recto, connotata relatione. Quod patet eadem ratione, qua id ostendimus de principio *quo*: nam in termino *quo* formali debet terminus productus cum producente conuenire; at in relationibus conuenientia non est, bene tamen in absoluto: ergo hoc connotata relatione erit terminus formalis diuinarum processionum. Colligo secundo, id ipsum, quod de potentia generatiua asseruimus, dicendum esse de potentia spiratiua in ordine ad tertiam personam, quod nempe in voluntate consistat, relatione connotata. Et probatur eisdem rationibus. An autem relatio connotata ab spiratiua potentia sit relatio spiratoris duabus personis communis, vel relationes Patris, & Filij, constabit *infra q. 36.*

Secũdũ

86 *Tertiũ.*

Colligo tertio, relationem, & formam absolutam non importari in principio *quo* processionum, tanquam duas partes constituentes principium, sed absolutum vt formam constituentem, & relationem vt modum talis formæ. Probatur primo: nam præcipua intentio agentis non est ad distinctionem, sed ad similitudinem sui cum termino producto: ergo quamuis in principio *quo* agẽdi vtrumque debeat importari, non tamen ex æquo. Secundo probatur; aliàs sequeretur generationem non esse adæquate vniuocam, sed partim equiuocam; cum terminus esset similis agenti in principio *quo* agendi, & idem agenti dissimilis in alia comparte principij; at diuina generatio est perfectissime vniuoca: ergo in principio *quo* processionum absolutum ingreditur vt forma constituens, & relatio vt modus talis formæ. Tertio probatur, quia aliàs sequeretur idem omnino importari in principio *quo* agendi, & in producente *quoa*; hoc autem est falsũ; cum omnes Theologi, inter principium *quo*, & *quoa* distinguant: ergo idem quod prius. Colligo quarto, relationem non esse conditionem tantum, nec quid extrinsecum ad productiuam potentiam in Deo, sed modum afficientem intrinsecè. Quod probo: nam id, quod tãtum vt conditio requiritur, extra rei essentiam exisiit; at distinctio principij *quo* à termino producto est illi essentialis, & intrinseca: ergo relatio distinguens non est solum cõditio, aut quid extrinsecum ad rationem productiuæ potentiæ, sed modus intrinsecus.

Quartũ corollarium.

Denique infero, distinctionem illam principij processionis, prout est productio, & prout est communicatio, esse falsam. Tum, quia illius sub vtroque conceptu principium *quo* est absolutum modificatum respectu, vt ostendi. Tum etiam; quia eiusdem actionis vnum est principium formale; processio autem sub vtraque ratione est vna indiuisibilis actio: ergo exigere nequit duplex principium formale. Tum tertio: nam ex vi processionis, vt productio, producitur relatio vt terminans naturam diuinam, & illi identificata: ergo vt sic naturam communicat; & consequentèr principium *quo* illius, quatenus est productio, erit principium eiusdem sub conceptu communicationis. Tum quarto, nam in creatis, etiam quando vnum communicatur, & aliud producitur, ex vi eiusdẽ principij formalis vtrũque præstatur; etenim ex vi eiusdẽ principij remoti, & proximi producitur homo, & anima infunditur cor-

87 *Vltimũ corollarium.*

pori: ergo pariter in diuinis. Ac denique: nam si principium *quo* processionis, vt communicatio, est natura diuina, & illius, vt productio, proprietas personalis, processio verbi nõ esset generatio vniuoca, sed partim equiuoca, vt *supra* arguebamus; consequens autem est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in primo distinctione* 5. §. *dicitur quoque*, §. *imò*, & *difficultatem istam*, vbi D. Thom. *quæst.* 2. *articulo* 1. Et *distinctione* 7. §. *item quæritur à quibusdam*, vbi disputat Diuus Thomas de potentia generandi *quæst.* 1. *articulo* 2. Et *distinctione* 11. vbi agitur à D. Thoma *quæst.* 1. *articulo* 3. Vtrum Spiritus Sanctus à Patre, & Verbo procedat, in quantum sunt vnum in natura.

M. Set.

(?)

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA TERTIA.

Quot ſint Proceſsiones diuinæ?

§. I.

Duplex proceſsio in diuinis ſtatuitur.

Nu. 1. *Prima cõcluſio*

PRIMA CONcluſio: *In diuinis ſunt duæ, proceſsiones, vna per intellectum, alia per voluntatem.* Hæc concluſio eſt de fide, ſicut de fide eſt dari tres perſonas realiter diſtintas, quarum vna eſt improducta, & aliæ productæ. Probaturque primo ex Scriptura, Ioannis 8. dicit Dominus de ſe ipſo: *Ego ex Deo proceſsi*: ergo Verbum à Patre procedit, eſtque realitêr ab illo diſtinctum; cum lumine naturali ſit notum idem non poſſe ſe ipſum producere, ſed inter producens, & productum debere intercedere realem diſtinctionem; aliàs Verbum eſt verus Deus, vt conſtat ex illo 1. Ioannis cap. vltimo: *Vt ſimus in vero Filio eius, hic eſt verus Deus*: datur ergo vna proceſsio in Deo, quæ eſt Verbi à Patre procedentis per intellectum. Deinde de Spiritu Sancto dicitur Ioannis 15. *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*, cuius diſtinctio à Filio conſtat ex illo Ioannis 14. *Rogabo Patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis*: eſt ergo in diuinis alia proceſsio à generatione Verbi; & conſequentêr eſt duplex proceſsio.

Prob. 1. teſtimonijs Scriptu ræ.

2 *Secũdo prob. ratione.*

Secundo, etſi non poſsit hæc veritas euidentêr oſtendi, congruenter tamen ab Angelico Doctore probatur *in art. 3.* hac ratione: indiuinis ponitur proceſsio non ſecundũ actionem tranſeuntem in exteriorẽ materiam, ſed ſecundum actionem immanentem naturæ intellectualis; at in natura intellectuali creata præter proceſsionem verbi per intelletum, ratione cuius obiectum eſt in intelligente, eſt alia proceſsio per voluntatem, ſcilicet amoris, ratione cuius amatum eſt in amante: ergo in diuinis præter proceſsionem Verbi

per

per intellectum, alia per voluntatē eſt conſtituenda; ac proinde eſt in Deo duplex proceſsio. Si forte dicatur, ex hoc non concludi dari in Deo duas proceſsiones, ſed vnam tantum, qua vna perſona procedat, & per intellectum, & voluntatem: nā ſicut inter hæc attributa non datur in Deo realis diſtinctio, ſed virtualis ſolum, & ſecundum rationem, ita inter proceſsionem per intellectum, & proceſsionem per voluntatem diſtinctio realis neceſſaria non eſt, ſed ſolum virtualis, & ſecundum rationem.

Incōtra arguit D. Tho.

In contrarium arguit D. Tho. *ſolutione ad tertium*: nam de ratione termini per actionem voluntatis producti eſt, quod non procedat, niſi medio Verbo producto per intellectū: ergo ſicut verbū productū à Patre realiter ab illo diſtinguitur, etſi intellectus, per quem vt principium procedit, identificetur cum Verbo; ita impulſus medio Verbo per volū tatem productus, & ab illo procedens, erit realiter à Verbo diſtinctus, etſi voluntas, quæ eſt principium illius, tali diſtinctione non gaudeat; at proceſsiones paſsiuæ, de quibus loquimur in præſenti, cum perſonis procedentibus adæquate identificantur: ergo eſt inter illas entitatiua realis diſtinctio.

3 *Oppoſiti errores.*

Contrarium huius concluſionis tenuere Arrius, & Macedonius relati à D. Thoma *quæſt.* 10. *de potentia art.* 2. alio, & alio ducti fundamento: Arrius namque ex eo proceſsiones negabat inter diuinas Perſonas; quia exiſtimabat proceſsionem ab alio repugnare diuinæ naturæ, cuius fundamentum diluimus *ſupra*. Macedonius vero Spiritum Sanctum creaturam eſſe docebat, & non verum Deum, ac proinde, nec procedentem proceſsione diuina, ſed tanquam creatura per actionem tranſeuntem ad extra. Quo modo autem ſtare poſsit, quod Spiritus Sā ctus procedat in identitate naturæ, & tamen non ſit natus, nec genitus, *diſputatione ſequenti* conſtabit.

4 *Contra concluſionem arg.* 1.

Modo contra poſitam concluſionem arguitur primo: ſemel communicata adæquatē natura non eſt communicabilis per aliam proceſsionem; at natura diuina fuit communicata adæquatē Filio per generationem: ergo nequit vlterius communicari per aliam proceſsionem; & conſequentēr vel Spiritus Sanctus non procedit à Deo, vel non accipit per proceſsionem diuinam naturā, vt Macedonius volebat. Ex quo vlterius ſequitur eſſe creaturam.

Reſp.

Reſpondeo veram eſſe maiorem, ſi natura diuina communicetur adæquate per vnam proceſsionem quoad ſubſtantiam, & modum, ſecus autem ſi non ſit quoad modum adæquatē communicata, per generationem autem, etſi ſit communicata adæquatē quoad ſubſtantiam, non eſt adæquatē communicata quoad modum; quia eſt communicata modo naturæ, non autem per modum voluntatis: vnde vlterius per modum voluntatis poteſt communicari.

5 *Contra ſolutionē eſt 2. argumētū.*

Sed contra hanc ſolutionem eſt ſecundum argumentum: eiuſdem naturæ non eſt duplex communicandi modus: ergo adæquatē communicata Dei natura per vnam proceſsionem quoad ſubſtantiam, etiam quoad modum adæquatē communicatur; & conſequentēr nullo modo eſt vlterius communicabilis. Et confirmatur: nam proceſsio, qua Verbū procedit, eſt infinita in ratione proceſsionis: ergo eſt communicatio naturæ diuinæ omni modo, quo eſt communicabilis.

Confir.

Reſp.

Reſpondeo ex D. Thoma *in art.* 3. verum eſſe antecedens in natura creata, quæ cum ſuis proprietatibus identificata non eſt, ſecus autem in natura diuina, quæ ob ſui infinitatem cum proprietatibus eſt identificata: vnde in omni communicatione proprietatum natura debet cō municari; cumque communicata ſemel Verbo per modum naturæ, Spiritui Sancto communicetur per modum voluntatis, cum qua identifica

tur natura: ſit vt nedum vno modo, ſed etiam alio communicari poſsit.

Ad obſ. Ad confirmationem diſtinguo antecedens: eſt infinita in linea proceſsionis veluti generica, nego antecedēs, veluti ſpecifica, ſcilicet generationis, concedo antecedens, & nego cōſequentiam, ſed ſolum infertur quod non ſit communicabilis alia generatione, non tamen alia proceſsione, quæ generatio non ſit.

6 *Obijcies.* Dices, proceſsio verbi eſt in linea proceſsionis vt ſic; & non eſt finita in tali linea: ergo eſt infinita nedum in ratione generationis, verum etiā in ratione proceſsionis; & conſequēter per illam communicatur natura diuina omnimodo, quo poteſt. *Reſp.* Reſpondeo diſtinguendo minorem; non eſt finita, veluti negatiuē in linea proceſsionis actiuæ, ideſt formaliter non continens omnem proceſsionē, nego minorem: finitudine poſitiua, concedo minorē, & nego conſequentiam. *Inſtabis* Inſtabis, inter finitum, & infinitum poſitiuē non datur medium: ergo ſi proceſsio verbi non eſt poſitiuē infinita in linea proceſsionis, erit in illa linea poſitiuē finita.

Reſp. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: inter finitum poſitiuē, & poſitiuē infinitum, non datur medium in re, concedo antecedens; inter illa extrema ſub reduplicatione alicuius conceptus, nego antecedens, & nego conſequentiam; nam in conſequentiam reduplicatur aliqua ratio communis, ſcilicet proceſsionis. Et inſto argumentum in Paternitate, quæ in linea relationis, veluti generica, nō eſt infinita formaliter; cum nō contineat omnem relationem, ſed ſolum eſt infinita in linea Paternitatis; & tamen non ſequitur eſſe poſitiuē finitam in ratione relationis. Ita ſimiliter in præſenti.

7 *Tertio arg.* Tertio arguitur: voluntas creata non producit terminum à volitione diſtinctum, ſed ſolā volitionē: ergo non rectē probat D. Thomas proceſsionem tertiæ Perſonæ à generatione diſtinctam, ex eo quod in natura intellectuali creata præter proceſsionem verbi per intellectum, eſt alia proceſsio per voluntatem. Conſequentia eſt bona: nam Spiritus Sāctus non eſt volitio producta: cum nec ſit volitio eſſentialis producta, vtpotè cui repugnat productam eſſe, nec volitio notionalis; cum Spiritus Sanctus non ſit notionaliter volens, aliàs impulſum produceret, quod eſt contra Fidem, ſed eſt terminus per volitionem notionalē productus: ergo vt bene inferat Angelicus Doctor debet argumentum deſumere non ex volitione à voluntate creata producta, ſed ex termino producto per illam; & conſequenter ſi talis terminus productus in voluntate noſtra nō datur, illatio ab illo facta non tenet. *Antec. prob. 1.* Antecedens autē oſtēditur primo ex D. Th. *q. 4. de veritate art. 2. ad 7.* illis verbis: *Hæc autem differentia eſt inter intellectum, & voluntatem, quod operatio voluntatis terminatur ad res; in quibus eſt bonum, & malū, ſed operatio intellectus terminatur in mente, in qua eſt verum, & falſum, vt aicitur in 6. Metaphyſicorum, & ideò voluntas non habet aliquid progrediēs à ſe ipſa, quod in ea ſit, niſi per modum operationis, ſed intellectus habet in ſe ipſo aliquid progediens ab eo, non ſolum per modum operationis, ſed etiam per modum rei operatæ, & ideo verbū ſignificatur vt res procedens, ſed amor vt operatio procedens: vnde amor non ita ſe habet ad hoc vt dicatur perſonalis, ſicut verbū.* Vbi, vt clare conſtat, inter intellectum, & voluntatem hoc conſtituit diſcrimen, quod in intellectu datur aliquid procedens, & per modum termini, & per modum operationis: in voluntate autem nihil datur procedens vt terminus, ſed ſolum vt operatio: ergo in voluntate creata non eſt productio impulſus terminātis volitionem. *Secūdo.* Secundo: ſi daretur iſte terminus poſſet Deus vniri cum voluntate creata gerens vices illius, ſicuti cum intellectu beati vnitur per modum verbi; quia terminus eſt, &

non

non intellectio;at hoc implicat;cum terminus voluntatis voluntarius esse debeat;& consequenter ab intrinseco emanans,quod Deo competere nequit: ergo idem quod prius. Tertio: nam impulsus iste productus necessarius non est,vt in eo, & ratione illius voluntas amet obiectum , nec vt sit volitionis principium, nec vt obiectum volitum intra voluntatem constituatur: ergo ad nihil est necessarius;& consequenter superflue ponitur.

Tertio.

§. II.

Impulsus in voluntate nostra à volitione distinctus probatur.

8 *Secũda cõclusio*

Occasione huius argumenti sit secunda conclusio : *Voluntas nostra per actiũ volitionis producit terminum ab illo distinctum, qui vocatur impulsus.* Ita expresse D.Thomas *q.10.de potentia art.2. ad 11. 4. Contra-Gentes cap. 19.* Et *infra q.37.art.1.* Angelicũ Doctorem sequuntur omnes eius discipuli,& ex alienis Molina *circa istum articulum disp.2.* Probaturq; primo: nam voluntas diuina habet terminum ad intra productum à volitione distinctum: ergo etiam voluntas creata terminum ad intra producit,qui vocatur impulsus. Antecedẽs est de fide. Consequentia autẽ probatur: quia non est vnde colligi possit productionem impulsus exigere infinitam virtutẽ: ergo dato per voluntatem Dei terminũ ad intra produci,id non est negandum voluntati creatæ.

Prob.1.

9 *Secũdo.*

Secundo: nam Verbum ab intellectione distinctum ad hoc in intellectu ponitur,vt res intellecta ratione illius constituatur intra intellectum; at etiam per amorem non solũ amãs est in re amata,iuxta illud Matth.6. cap. *Vbi est thesaurus tuus,ibi est, & cor tuum*, sed etiam ê cõtra, res amata in amante vt docet D.Th. *locis relatis*,& *1.2.q.28.art.2.* constatque ex illis verbis primæ Ioannis 4.cap. *Qui manet in charitate, in Deo manet,& Deus in eo.* Et ad Philip.1. vbi Paulus,*eo quod habeã vos in corde*,scilicet per amorẽ: ergo vt obiectum volitum intra volũtatẽ constituatur,ponendus est in voluntate terminus per amorem productus.Tertio: vt intellectus trahat ad se obiectum non sufficit intellectio,sed necessario exigitur terminus ab intellectione distinctus : ergo vt voluntas ad obiectum trahatur non sufficit volitio , sed necessarius erit terminus ab illa distinctus ; at sicut intellectio fit trahendo obiectum ad intra,ita & volitio fit per hoc quod ad obiectũ feratur , & ab illo trahatur:ergo indiget termino ab actu volitionis distincto.

Tertio.

10 *Resp.*

Ad argumentum in contrariũ positum respondeo negãdo antecedẽs, ad primam probationem prætermissa illorum solutione,qui asserunt D. Tho. mutasse sententiã , quia effugiũ istud in hac parte necessarium non est,respondetur discrimen intelligẽdum esse quoad hoc,quod etsi in voluntate detur terminus productus, non tamen habet nomẽ, nec modum termini,non nomen,quia vocatur amor,qui est nomen actionis, nõ mõdum;quia in illo non sistit voluntas, sed potius ad hoc ponitur vt perfectius feratur ad obiectum ad extra: terminus autem ab intellectu productus,& nomen, & modum habet termini,vocatur enim verbũ, & non ponitur vt intellectum inclinet , seu propendat ad extra,sed intra se ipsũ cõtẽpletur obiectũ. Ita Caietanus *in præsenti art.3.*ex quo nõ sequitur nõ dari in voluntate terminũ per actionem productum.

11 *Obijcies*

Si dicas,ex illo discrimine intulit D.Thomas verbum notionaliter di-

ci, ſecus autem amorem, ſed ſolũ dici eſſentialiter; at ſi voluntas terminum haberet productũ, quamuis nec nomen termini haberet, nec modum, amor diceretur notionaliter: ergo negat terminum amoris vllo modo productum. *Reſp.* Reſpondeo, D. Thomã ſolum docuiſſe verbum dici eſſentialiter tantum, amorẽ autem, & eſſentialiter, & notionaliter, & hoc recte ex diſcrimine aſsignato colligitur; nã quia termin⁹ per intellectionẽ productus habet modũ termini, fuit hoc nomen *verbum* impoſitum ad illum primario ſignificandum; quo circa tantum notionaliter dicitur; quia tamen impulſus modum termini non habet, ſignificatur non proprio nomine ad ipſum deſtinato primario, ſed nomine amoris primario ad actũ ſignificandum impoſito; & idcircô amor eſſentialiter dicitur, & notionaliter, verbum autem ſolũ eſſentialiter; quomodo autem hoc ſit verum in verbo, conſtabit *inferius*.

12 *Secũda probatio antecedẽtis diluitur.* Ad ſecundam probationem nego ſequelam, ratio autem diſcriminis inter verbum, & impulſum, hæc eſt, quod verbum habet eſſe terminum vitalem, & eſſe imaginem, in qua cõtinetur obiectum, & ratione cuius vnitur intelligibiliter cum potentia, quoad primum nequit ſupleri à Deo, bene tamen ſub ſecũda ratione, quatenus Deus ſe ipſo ob infinitã intellectualitatem cum intellectu vnitur; at vero in impulſu hæc duplex conſideratio non datur, ſed tantum habet vitaliter trahere per modum vitalis ponderis propendentis voluntatem ad extra; & quia Deo repugnat ſe ipſo immediate vitaliter voluntatem inclinare: hinc fit, quod non poſsit exercere munus impulſus. *Dices.* Si dicas, per impulſum rẽ amatam intra amãtem conſtitui, vt poſtea dicemus; at ex eo quod per verbum res intellecta intra intellectũ ponitur, poteſt Deus ſe ipſo munus verbi exercere: ergo etiam munus impulſus. *Reſp.* Reſpondeo, rem amatam non poni in amante ratione ſimilitudinis, ſed ratione ponderis inclinantis vitaliter extra, & ideo id munus Deus exercere nõ poteſt, per verbum autem conſtituitur obiectum intra intellectum ratione ſimilitudinis, quam habet cum obiecto: vnde quando obiectum ſe ipſo eſt præſens etiam obiectiue, verbum neceſſarium non eſt; ac proinde cum Deus prædicto modo ſit præſens, verbo non indiget, ſed ſe ipſo exercet munus verbi quoad hoc.

13 *Triplex ſolutio refertur.* Ad tertiam varie reſpondetur ab Authoribus noſtræ ſententiæ. Prima ſolutio eſt Molinæ concedentis totũ antecedens, & negantis conſequentiam, eo quod impulſus ad nihil illorum in voluntate ponitur, ſed ex intraneis actionis ſub communi conceptu, cui repugnat termino producto carere. Secundo alij reſpondent negando ſecundam partem antecedentis, & aſſerunt impulſum eſſe volitionis principium, quatenus voluntatem in obiectũ impellit, ad modũ quo impulſus ſagitæ impreſſus motũ illius cauſat efficienter. Vel vt alijs placet, etſi non ſit principiũ amoris, quo producitur, qui eſt amor ſpecialiter dictus, eſt tamen principiũ deſiderij, & gaudij, quos actus ab amore ſpecialiter ſumpto procedere docet D. Thom. 4. *Contra Gẽtes cap.* 19. Tertio ab alijs iſta ſolutio defenditur aſſerendo, quod licet non ſit principium effectiuũ amoris, à quo impulſus producitur, quatenus primo fit, eſt tamen principiũ illius quoad cõtinuationẽ, vt ſcilicet magis continuetur. Denique alij reſpondent negando primam antecedẽtis partem, & aſſerunt, quod ſicut in verbo, vt in obiecto *quo*, intellect⁹ meditatur obiectum; ita voluntas in termino à ſe producto ſuum obiectum attingit.

14 *Reijcitur ſolutio Molinæ.* Nulla tamen ex his ſolutionibus argumento facto ſatisfacit. Prima nãque falſitatis conuincitur; tum in actionibus ſenſuum externorum, per quas nihil produci illas terminans docet verior ſententia, de quo *in libris de Anima*: tum etiam in viſione beatifica intellectus creati, per quam non produci verbum latè oſ-

ten-

tendimus *tractatu de visione Dei art.* 2. Tum denique in intellectione essentiali increata quam esse veram actionem diximus *disp.* 1. *ad finem*; & tamen per illam vt sic nullus terminus producitur: non ergo est de conceptu essentiali actionis ex communi conceptu terminum productū habere. Secunda reijcitur: nam terminus iste producitur per actionem voluntatis: ergo nequit esse principium effectiuum illius; aliàs daretur mutua causalitas in genere causæ efficientis inter volitionem, & impulsum, quod est impossibile: qua ratione vsus est D. Thomas *q.* 3. *de veritate art.* 2. ad probandum verbū non esse intellectionis principiū his verbis: *Cum illa forma sit excogitata per actum intelligendi, & quasi per actū effecta, non potest esse principium actus intelligendi.* Et ex his constat discrimen inter impulsū lapidis, & voluntatis impulsum: ille nāque non est terminus productꝰ per motum, quo lapis mouetur, & idcircō potest esse principium illius.

Primus modꝰ defendēdi 2. solut. impugnatur.

15 *Secūdꝰ modꝰ reijcitur.*

Secundus autem modus, quo ista solutio ab alijs defenditur, eo falsitatis conuincitur: nam eatenus solū potest terminus amoris specialiter dicti ad gaudium, & desideriū effectiuē concurrere, quatenus requiritur ad ipsum amorem, quē terminat, qui ad prædictos actus concurrit: ergo nisi priꝰ necessitas impulsus adstruatur ad amorem specialiter sumptū, cuius est terminus, non potest illius necessitas ad desiderium, & gaudiū defendi per modum effectiui principij. Tertius etiam modus defendendi istam solutionem est falsus: tum quia non aliter ad continuationem amoris, quam ad illius primum esse requiritur; sicut non aliter ad continuationem intellectionis, quam ad illius inceptionem, requiritur verbū. Tum etiam: nam sicut impulsus vt primo existens depēdet ab amore vt à causa effectiua; ita vt continuatus ab eodem amore vt continuato effectiuē dependet: ergo sicut non potest ad amoris primum esse effectiue concurrere; quia effectiue causatur ab illo; ita ad amoris continuationem nequit effectiuum influxum præstare. Tum Denique: nam amor vt continuatus, & vt primo productus est eiusdem essentiæ: ergo nequit vt continuatus dependere essentialiter ab eo, à quo, vt omnino existens est independens.

Tertius modus impugnatur.

16 *Tertia solutio reijcitur primo.*

Tertius modus dicendi reijcitur primo ex discrimine inter intellectū, & voluntatem versante, videlicet voluntatem ferri ad obiectum prout in se ipso, intellectum autem intra se suū obiectum attingere; at si voluntas ratione impulsus obiectum attingeret, hoc discrimen nō subsisteret; cum haberet rationem formalē, *sub qua* diligibilitatis obiecti intra se, qua ratione solum intellectus obiectum intra se meditatur: quia nempē verbū in ipso existens est ratio formalis *sub qua* intelligibilitatis passiuæ: ergo voluntas ratione impulsus suum obiectum non attingit.

Secūdo.

Secūdo: quia aliàs falso affirmaret D. Thomas *infra q.* 81. actus voluntatis circa res ordinis superioris esse perfectiores actibus intellectus circa illas versantibus, eo quod voluntas eas atingit prout in se ipsis, intellectus vero prout in se ipso; res autē superiores prout in intellectu descendunt à perfectione, quā habent in se. Probatur sequela: nam iuxta istum modū dicendi, sicut intellectus attingit res superiores intra se ipsum, eo quod species, & verbū sunt rationes *sub quibus*, & in quibus suum obiectū attingit, ita etiā voluntas prout intra se ipsam suum obiectum attingeret; cū impulsus in voluntate existens esset ratio *sub qua* suum obiectū attingeret: ergo non subsisteret doctrina D. Thomæ.

17 *Specialis obiectio.*

Si opponas, sequi obiectū volūtatis sibi identificare suā vltimā actualitatē; cósequens est falsum; cū nō minus hoc repugnet, quā obiectū in linea intelligibili suā vltimam actualitatem sibi idētificare: ergo & illud ex quo sequitur. Probo sequelā: nā præter impulsū in linea volibili nihil datur

nō idētificatū cū obiecto dilecto; cū volitio non ad lineā paſsiuā, ſed ad actiuā pertineat; ſicut nec intellectio eſt vltima actualitas in linea intelligibilitatis paſsiuæ, at ſi impulſus non eſt ratio appetibilitatis paſsiuæ in actu ſecundo, non eſt vltima actualitas in hac linea: ergo obiectum volibile ſibi identificabit ſuam vltimam actualitatem. *Reſp. 1.* Reſpondeo, quod ſicut in linea viſibili nō datur aliquod habens rationem vltimæ actualitatis poſsitiue, hoc eſt poſitiue exigentis eſſe in actuali terminatione viſionis, ſed ſolum negatiuē, hoc eſt non indigentis vlteriori actualitate actuari, & id circo inconueniens nō eſt, quod obiectum viſibile ſe ipſo abſque alio, ratione cuius terminet viſionem, videatur; ita in linea appetibili non datur vltima actualitas vltima poſitiuē ſed ſolum negatiuē; & id circo incōueniens non eſt, quod obiectum amabile ſe ipſo, ideſt abſque aliquo, ratione cuius terminet dilectionem, ametur. *Poteſt reſpōderi 2.* Vel ſecundo dicatur, volitionē prout à fine eſſe vltimam actualitatē in linea paſsiuē appetibili, ſicut ſolet dici *lib. 2. phyſicorum* dum agitur de actuali finis cauſatione, ſeu cauſalitate; ratio autem cur intellectio prout eſt obiecti attingentia, nō ſit eius vltima actualitas, ſed Verbū, eſt; quia cum intellectus habeat immaterialitatem atractiuam debet ſuum obiectum prout intra ſe attingere: vnde id, ratione cuius intra illam conſtituitur, eſt ratio terminandi, & vltima actualitas in linea intelligibilitatis paſsiuæ; & quia intellectio non conſtituit rem intra intellectū, ſed terminus eius, ſcilicet Verbum, hoc, & non illa, eſt vltima actualitas generis paſsiuē intelligibilis.

18 *Traditur vera ſolutio.* Miſsis igitur his modis dicendi ad tertiam probationem illius antecedentis nego antecedens pro tertia parte, quia vt docet D. Tholocis *ſupra* relatis, obiectum voluntatis eſt intra voluntatem: vnde ſicut ad hoc, quod obiectum intellectus ſit intra intellectum, requiritur Verbum ab intellectione diſtinctum; ita vt amatum ſit in amante requiritur impulſus ab amore diſtinctus. *Oppones 1.* Sed oppones primo, ſequi ex hac ſolutione voluntatem trahere ad ſe obiectum; conſequens eſt falſum, & contra omnium ſententiam conſtituentium diſcrimen inter intellectum, & voluntatem per hoc, quod intellectio fit trahendo obiectum ad intellectum, volitio non ita, ſed per inclinationem, & propenſionem in obiectum ſuum, & veluti extra ſe feratur ad illud: ergo & ſolutio tradita. Probatur ſequela: voluntas producendo impulſum conſtitueret obiectum intra ſe; at non alia ratione trahit obiectum intellectus, niſi quia producendo verbum, obiectum intra ſe cōſtituit: ergo ex hac ſolutione ſequitur volūtatē trahere obiectum ad ſe.

19 *Reſp. 1.* Reſpondeo primo, intellectum id circo trahere obiectū ad ſe; quia producit Verbum, quod eſt ſimilitudo formalis obiecti, & eiuſdem naturæ cum illo, impulſus autem non eſt eiuſdem naturæ cum obiecto, ſed ſolum habet conuenientiam habitudinis, & proportionis cum illo, & id circo, etſi voluntas producat impulſum, non trahit obiectum; quia ad hoc requirabatur, quod in impulſu obiectum amatum contineretur per formalem conuenientiam in eadem natura. *Reſp. 2.* Vel ſecundo dicatur ex Cajetano *circa art. 3.* obiectum fieri in voluntate vt amatum, & quia amari non conſiſtit in trahi, ſed potius in trahere, non valet iſta conſequentia: *Voluntas facit obiectum intra ſe per impulſum: ergo trahit obiectum*; ſed potius deberet inferri: *ergo trahitur ab obiecto*, eo quod amatum ſit in amante, non vt tentu vel poſſeſſum ab amante, ſed potius vt tenens, & poſidens amantem, & illum ad ſe trahens; ſicut licet centrū in graui ſit media grauitate, non tamen dicitur graue media grauitate tenere, poſidere, aut trahere ad ſe cē trū, ſed potius trahi, ſeu inclinari ad illud, eo quod grauitas illud continet, non vt trahat, ſed poti⁹ vt trahatur, & in illud inclinetur.

20 *Instabis*

Instabis: ergo ad hoc esset necessarius impulsus, vt mediante illo obiectu in volũtate, vt illã ad ie trahens, cõstitueretur; at ad hoc necessãri° nõ est: ergo ad nihil: & cõsequenter superflue ponitur. Probo minorem: sufficientêr trahitur voluntas ab obiecto, & in illud inclinatur media volitione: ergo ad hoc impulsus à volitione distinctus necessarius nõ est. Probatur antecedens: voluntas per modum actus primi se ipsa sufficienter inclinatur ad obiectum absque aliquo addito: ergo media volitione absque alio ab illa distincto sufficientêr in obiectum perpendet per modum actus secundi. Patet cõsequentia: nam quod voluntati conuenit per modum actus primi, conuenit volitioni per modum actus secundi.

Resp. Respondeo, per volitionem trahi voluntatem ad obiectum inchoatiue, & in fieri; at in facto esse, & cõpletê trahitur per impulsum: vnde ad hoc constituitur, vt complete, & perfectê voluntas in obiectum inclinet. Nec probatio in oppositum vrget: nam quæ in principio vnitê continentur, cum minori vnitate inueniuntur in effectu: vnde inclinatio in obiectum, quæ per modum actus primi in voluntate absque aliqua realitate superaddita inuenitur, cum minori vnitate explicatur in effectu; & id circo ponitur actio, & impulsus. Præterquamquod potest dici secundo, etiam completam inclinationem per modum actus primi non conuenire voluntati nudę, sed prout determinatæ obiectiuê à bono proposito: vnde ad complementum prædictæ inclinationis bonum apprehensum concurrit.

* * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * *
* * * * *
* * *
*

§. III.

Non esse in Deo Processionem distinctam à Processione Verbi, & Amoris.

21 *Tertia cõclusio*

TErtia conclusio: *In diuinis nõ sunt plures processiones, quã duæ.* Est etiam hæc conclusio de fide. Eam docuit D. Thomas *in art. 5. huius quæstionis*, & ostenditur primo: nam de fide est non dari nisi tres personas, vnam improductam, & duas productas; at primæ processio repugnat, vt autem duæ procedant, duæ processiones sufficiunt: ergo tantum duæ processiones reperiuntur in Deo. Secundo: nam ideô est de fide dari tãtum tres personas; quia de tribus fit mentio in Scriptura, & nulibi fit mentio de alia; at etiam de duabus processionibus in Scriptura fit mentio, alia autem nulibi exprimitur, imo nec insinuatur: ergo de fide est dari tantum duas processiones. Denique, suppositâ fide, suadetur ratione D. Thomæ *in art. 5.* processiones namque in diuinis accipi non possunt nisi secundũ actiones immanentes naturæ intellectualis; at in natura intellectuali actiones immanẽtes nõ sũt nisi duæ, scilicet intelligere, & velle: ergo tantũ sunt duæ processiones in Deo.

Prob. auctoritate, & ratione

Rationem D. Thom.

Contra rationem istam obijciet quis primo: velle, & intelligere virtualitêr distinguuntur à diuina natura: ergo sicut datur in Deo processio secundum intellectum, scilicet Verbi, & processio impulsus secundum voluntatem, dari etiam poterit alia processio secundũ naturã ab intellectu, & voluntate distinctã.

22 *Contra illam arg. 1.*

Antecedens est probabilis multorum Theologorum sententia. Consequentia autem probatur; nam quæ ratiô esse potest, vt multiplicentur processiones in Deo secundum potentias distinctas intellectus, & voluntatis, & non multiplicentur secundum naturam ab vtroque distinctam?

Resp. Respondeo negando consequentiam, & ratio discriminis est; nam multiplicatio operationum est secundum distinctionem in principijs proximis, non enim natura operatiua est immediatè, sed illis mediantibus; cum autem in natura diuina vtpotè purè intellectuali, non sint nisi duæ facultates proximæ, scilicet intellectus, & voluntas; cõsequens fit, quod etiam si natura distincta sit ab intelligere, & velle, non sit multiplicãda processio ob eius distinctionem.

23 *Oppones 2.* Oppones secundo: dantur plures intellectiones distinctæ virtualiter, vna scilicet, qua intelligit se, & alia qua creaturas intelligit: ergo dabuntur etiam plura verba distincta, quorum vno dicantur creaturæ, & alio dicatur essentia diuina.

Resp. Respondeo omisso antecedenti, negando consequentiam, vel distinguendo consequens; plura verba virtualiter, transeat consequens: plura verba realiter, nego consequẽtiam; nam sicut intellectio diuina non esset comprehensiua, & infinita, si multiplicata realiter esset pęnes obiecta intelligibilia; ita nec verbũ diuinum esset comprehensiuum, & adæquatum, si realiter multiplicaretur, & non vnum, & idem realiter diceret omne obiectum intelligibile.

Replica bis. Dices, esto intellectio, & volitio distinguãtur solum virtualiter, dantur secundum illas processiones terminorum realiter distinctorum: ergo etiam non obstabit, quod intellectiones diuinæ realiter identificẽtur, vt dentur secundum illas, processiones distinctæ, per quas verba realiter distincta procedant.

Cõfirmatur. Et confirmabis; nam si intellectio diuina non identificaretur realiter cum volitione, non esset entitatiuè infinita; & tamen verbum est entitatiuè infinitum absque identitate cum Spiritu Sancto: ergo etiam si infinitas in diuina intellectione subsistere nequeat absque identitate reali cum omni alia intellectione Dei, in terminis secundum illas productis stare infinitas poterit absque reali identitate.

24 *Resp.* Respondeo negando consequentiam; & ratio discriminis est; nam inter impulsum per voluntatem productum, & verbum productum per intellectũ, datur relatiua oppositio, inter relatiuè autem opposita infinitas potest dari absque vnius cum alio identitate, verbum autẽ repræsentans creaturas, dato, quod virtualiter distinguatur à se ipso, quatenus repræsentat diuinam essentiam, non tamen datur relatiua oppositio inter huiusmodi virtualitates; & idcircô infinitum verbum non esset, nisi vtrãque amplecteretur absque reali multiplicitate.

Ad cõf. Ex quo ad confirmationem respondeo negando consequentiam: nã inter terminos secundum intellectionem, & volitionem productos, datur realis oppositio; & idcirco absque infinitatis defectu datur inter illos negatio realis identitatis, quæ ratio cum non militet in actibus intelligẽdi, & volendi: fit consequens, quod stare non possit inter illas negatio identitatis cum infinitate, quin hoc inferatur in terminis: cæterum in terminis per intellectiones diuinas virtualiter distinctas productis oppositio realis non est, & cũ negatio oppositionis relatiuæ, sit adæquata ratio cur intellectio, vel infinita non sit, vel identificare sibi debeat omnem virtualitatem intellectionis, manifeste colligitur, aut verbum infinitum non esse, aut sibi identificare omnem virtualitatem repræsentationis.

25 *Vrgebis* Instabis, quod Spiritus Sanctus relatiuè opponatur cum verbo, &

ab illo procedat, non aliunde colligitur, nisi ex virtuali præsuppositione intellectionis ad volitionem; iuxta illud axioma commune, *nihil volitum, quin præcognitum*, ex quo vlterius infertur, inter volitum notionaliter, & notionaliter intellectum debere interuenire realem ordinem originis; at semel data distinctione virtuali intellectionis in Deo ex terminatione ad essentiam diuinam, & ad creaturas, cognitio terminata ad essentiam prior est virtualiter, cognitione terminata ad creaturas; cum hæc sit cognitio *scientifica*, illa autem luminis principiorum, inter quas ad minus requiritur ordo virtualis: ergo verbum representans creaturas, erit posterius origine, verbo terminato ad essentiam diuinam, & ab illo procedet, realiterque distinguetur ab illo.

Ad obiectionem istam *infra quæst. 36.* ocurremus.

(2)

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA QVARTA.

Cur vna ex Diuinis Processionibus generatio sit, & non alia?

Nu. 1. *Supponitur 1.*

DVO, VT FIDE certa, supponimus, primum est dari duas, & nō plures processiones in Deo. Quod docet D. Thomas *in art. 3. & 5. huius quæstionis.* Et probatur ratione ex Angelico Doctore desumpta, quam *præcedenti disputatione* explicuimus: nam diuinæ processiones accipi non possunt, nisi secundum actiones immanentes intellectualis naturæ; at huiusmodi actiones duæ sunt, & non plures; nempé intellectus, secundum quam accipitur verbi processio, & voluntatis, per quam procedit amor: ergo diuinæ processiones duæ sunt, & non plures.

2 *Secūdo supponitur.*

Sēcundo vt fidei veritatem supponimus, verbi processionem generationem esse, non autem processionem Spiritus Sancti. Quod, omissis pluribus testimonijs Scripturæ, cōstat ex Symbolo Athanasij, vbi de Persona Filij sic dicitur: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Et de tertia Persona: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Quod igitur in examen vocamus est, cur processio verbi sit generatio, & non processio amoris? Et ratio dubitandi, eaque difficillima, est: nam generatio viuentium propria, quæ sola reperiri potest in Deo, *Est origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ*; at hæc diffinitio non soli conuenit processioni verbi, sed etiam processioni Spiritus Sancti; cum sit origo viuētis; Spiritus enim Sanctus est non minus viuens, quàm Verbum, & à viuente coniuncto; cū sit terminus actionis immanētis immanens in principio ratione identitatis in omnibus absolutis cum illo, & simili in natura; cum eandem Patris, & Filij naturam per suam processionem accipiat: ergo nulla est ratio assignabilis cur vni, & non alteri processioni cōueniat, quod generatio sit, sed hoc est sola fide credendum.

Ratio dubitādi eaque difficillima.

§. I.

Reijciuntur tres modi dicendi.

3 *Primus modus dicendi reijcitur.*

RAtio hæc obsui in gentem difficultatem adeo Theologorum torsit ingenia, vt illos in tot sententias, quot capita, sparserit. Primo quidam illa conuicti asserunt nullã huius discriminis rationem in vestigandam esse. Ita Magister *in primo distinct.13.* Quem sequuntur Maior,& Gabriel, ducti aliquorum Patrum auctoritate asserentium talis mysterij ignorare rationem. Ita Damascenus *lib.1. de fide cap.* 10. esse mysterium hoc in vestigabile. Ita Athanasius *dialogo. 3. contra Anomeos* Basiiius *Homilia 2. contra Sabelianos*, & Augustinus *lib. 3. contra Maximinum cap.* 14. Ac denique hoc inquirere tutum non esse, quod soli Trinitati cognitum est Ita Anastasius Sinaita *lib. de rectis fidei dogmatibus.* Hi tamen Auctores extra nostram sunt controuersiam, vt potè quæstionis titulo se se opponentes,& reijciũtur facile ex communi Scholasticorum sententia, qui in huius rei ratione reddenda insudarunt, sequuti Augustinum, Anselmum, Doctorem Angelicum,& plures Ecclesiæ Patres, qui licet euidentem, & demonstratiuam rationem non inuenerint,nec adinuenire potuerint,tamen fide supposita rationem congruentem,& probabilem,cur vni, & non alij ex his processionibus ratio generationis conueniat, vt hæreticorum argumentis occurrere possint,laudabilitèr inuestigarunt. Nec Patres in contrarium adducti aliud intendunt, quam de monstratiuam huius rei rationem non posse solo naturæ lumine inueniri, quod libentèr fatemur. Parum ab auctoribus relatis discedunt, qui asserunt processiones istas, vtpotè differentes se ipsis,ex se ipsis habere, vt vna generatio sit,&nõ alia,nec rationem aliam esse inquirendam. Ita ex Scoto refert Suarez *vbi infra n.* 3. Sed reijcitur facile: nam licet ita sit, quod processio verbi se ipsa sit generatio,& Spiritus Sancti processio se ipsa non sit generatio,quod nihil aliud est, quam veritas ex fide suppositа, restat rationem reddere cur ita sit;si enim vtrique generationis viuentiũ diffinitio cõuenit,vtraque generatio erit;si autem vni, & non alteri competat, restat inuestigandum, quæ ex particulis diffinitionis dictæ vni ex prædictis processionibus non adaptetur,& cur alteri competat.

Ab hoc modo dicendi parum discedit Scotus.

4 *Secũdus modus dicendi reijcitur 1.*

Secundus dicendi modus asserit Spiritum Sanctum ideò non esse genitum,bene tamen Verbum; quia hoc ab vno tantum, ille vero à duobus procedit. Ita Petrus Aliasensis relatus à Vazquio *vbi infra cap. 3.num.19.* Hic tamen dicendi modus insufficiẽs est,&reijcitur primò: quia per nullam particulam in generatione viuentium repertam excluditur,quod sit à duobus; si enim per aliquam maxime per illam *à viuente*, quæ cum in singulari principium designet, pluralitatem principiorum videtur excludere; at per hanc non: nam etiam terminus in particulari importatur, cum dicitur *origo viuentis*; & tamen per hoc non excluditur,quod ex vi eiusdem generationis actiuæ duo viuentia procedant,in sententia asserente actionem subiectari in agente: ergo etiam si principium in singulari importetur non inde colligitur à duobus non posse aliquid procedere vt genitum.

5 *Secũdo.*

Secundo: nam si ob aliquam rationem pluritas concurrentium

obsta-

obſtaret rationi generationis: maximè, quia in creatis hoc ita contingit quod genitum ab vno tantum principio vt à Patre procedit; at ex hoc id inferre in diuinis non licet; nam etiam in creatis genitum petit Patrem, & Matrem, & tamen in diuinis Pater ſine Matre generat Filiũ, & vnus effectus nõ poteſt à duobus cauſis procedere, cũ tamen in diuinis Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedat: ergo ex creatis non poteſt argumentum deſumi. *Tertio.* Tertio: nam vel Spiritus Sanctus procedit vt ſimilis Patri in natura ex vi proceſsionis, vel non ita procedit? Si ſecundum, reſtat rationem reddere, cur ex vi proceſsionis non procedat vt ſimilis? nam quod a duobus procedat, non videtur ratio ſufficiens, ſi illa duo in natura à dunentur. Si primum, non eſt ratio cur ab illis nõ procedat vt genitus; cum ei competat adæquata diffinitio generationis viuentium: ergo ex hoc ſolo capite non rectè probatur non eſſe genitũ; quia à duobus procedit.

6 *Deniq; reijcitur.* Denique: nam ſi Pater, & Filius per intellectum producerent Spiritum Sanctum, ille vere eſſet Verbum, & conſequenter Filius: ergo nõ ideo Filius non eſt, nec genitus; quia à duobus procedit, ſed quia non procedit per intellectum, ſed per voluntatem, quæ eſt ratio D. Thomæ inferius proſequenda. *Si opponas Auguſtinũ.* Si opponas Auguſtinum *lib. 15. de Trinitate cap. 27.* vbi inquirit: *Cur non dicatur natus eſſe, ſed potius procedere Spiritus Sanctus?* Cui interrogationi reſpondet, *quoniam ſi, & ipſe, Filius diceretur, amborum vtique Filius diceretur, quod abſurdiſsimum eſt, Filius quippe nullus eſt duorum, niſi Patris, & Matris; abſit autem vt inter Deum Patrem, & Deum Filium aliquod tale ſuſpicemur*: ergo ex mente Auguſtini per hoc, quod Spiritus Santus à Duobus procedat, ſufficienter à ratione geniti excluditur.

7 *Reſp.* Reſpondeo, Auguſtinum rationem iſtam non vt abſolute ſufficientem tradidiſſe, ſed ſolum vt ſufficientem his, qui extendi non valent in amplius, vt conſtat ex illis verbis in capitis principio vbi ait: *Sufficiat interim eis, qui extendi non valent in amplius*; ideſt illis, qui ex humanis tantum mouentur ad rimãda diuina, his autem ſufficienter ſuadetur argumento Auguſtini Spiritum Sanctum non procedere vt natum, ſi admittãt ſimul à duobus procedere: nam in creatis Filius à duobus naſci non poteſt, niſi alter ſit Pater, & alter ſit Mater: ergo ſi Spiritus Sanctus à duobus vt natus procederet, vnus Pater eſſet, & alius Mater, quod eſt abſurdiſsimum. Tenet conſequentia, non abſolutè, & ex vi terminorum, ſed reſpectiuè ad illos, qui ad amplius extendi non poſſunt, qui ſolum ex his, quæ in creaturis contingunt, poſſunt de diuinis ſuaderi.

8 *Tertius modus dicendi reijcitur 1.* Tertius dicendi modus, ideô Verbum eſſe genitum, & non Spiritum Sanctum affirmat; quia Verbum naturaliter procedit, & Spiritus Sãctus libere. Hic ſolet tribui Bonauenturæ *in 1. diſtinctione 13.* & Scoto *diſtinctione 10. quæſt. vnica.* Hæc tamen ſententia diſplicet communiter Theologis, & reijcitur primo ex D. Thoma *quæſt. 10. de potentia art. 2. ad 4. & infra quæſt. 41. art. 2. ad tertium*, vbi docet voluntatem in proceſsione Spiritus Sancti operari naturaliter, non minus quam intellectus in productione Verbi. Et *quæſt. 22. de veritate art. 6. prope finem corporis*, illis verbis: *Cum autem voluntas dicatur libera in quantum neceſsitatem non habet, libertas voluntatis in tribus conſiderabitur, ſcilicet quantum ad actum, in quantum poteſt velle, vel non velle, &c.* at voluntas diuina neceſsitata eſt ad amorem, ex quo Spiritus Sanctus procedit, nec poteſt velle, & non velle: ergo talis actus non liber, ſed neceſſarius eſt, & à voluntate diuina modo naturali procedit. Et *quæſt. 23. de veritate art. 4. in corpore*

pa-

parum ab initio. vbi docet voluntatem respectu principalis voliti necessitatem habere; quia in illud tendit per modum naturæ; sed Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, vt amantem principale volitum, nempe bonitatem diuinam: ergo procedit per voluntatem vt necessario amantem, & per modum naturæ, nō autem per modum libertatis.

9 *Resp.* Respondent contrarij Authores non sufficere ad actionem non liberam, quod à principio determinato ad vnum procedat, sed requiri quod tale principium non à se, sed aliunde determinetur; voluntas autem diuina est à se determinata ad talem productionem, non aliunde ad illam determinatur, & ideo non naturaliter sed liberè comparatur ad illam. Sed cōtra: determinatio competens voluntati pro priori ad omnem suum actū non est determinatio illi à se conueniens, sed aliunde, nempè ex propria voluntatis natura; at voluntas diuina pro priori ad omnem suum actum est determinata ad productionem Spiritus Sancti: ergo talis determinatio nō cōuenit, à se; & consequēter libertatem omnem excludit. Maior constans videtur. Minorem autem probo: voluntas diuina pro priori actus primi ad amorem essentiæ, & ad productionem impulsus, omnem suum actum præcedit; at pro illo priori non est indifferens ad productionem, & non productionem: ergo est determinata ad talem productionem pro priori ad omnem actum, & propriam determinationem.

Sed contra.

Tacita solutio excluditur. Nec respōderi potest, esse pro illo priori determinatam, vt se determinet per proprium actum. Primo: nā determinatio indifferentiam supponit: ergo si pro priori ad actum, determinata ad illum supponitur, nequit esse determinata ad se determinandum, sed solum ad volendum volitione virtualiter ab illa egrediēte. Secundo: quia non alia ratione intellectus diuinus non se determinat per intellectionem necessariam, nisi quia pro priori actus primi ad illam est ab intrinseco determinatus: ergo si voluntas pro priori actus primi determinata supponitur, nō erit determinata ad se determinandum, sed ad operandum per modum naturæ.

10 *Denique;* Denique principaliter reijcitur ista sententia: si namque processio Spiritus Sancti libera esset, maximè quia voluntas, cum libera sit, non potest aliquid operari per modū naturæ; at hæc ratio est nulla: ergo & sententia falsa. Maior est adæquatū Scoti fundamentum: ait enim, quod cum agere per modum naturæ, & agere libere, sint membra diuidentia principium actiuum, non possunt eidem potentiæ competere; ac proinde voluntas, cum libera sit, nequit habere actum per modū naturæ. Minorem autem probo: non enim minus opponuntur agere liberè libertate contingenti, & libertate necessaria, quam agere liberè, & per modum naturæ; at in eadem potentia inuenitur operatio libera contingēti libertate, & libertate necessaria, vt constat in volūtate Dei, quæ respectu diuinæ essentiæ est libera libertate necessaria, vt tenet Scotus, & respectu creaturarū libertate cōtingenti; cum illas potuerit nō diligere, & in voluntate nostra, quæ Deum clarè visum amat liberè necessario, & obiecta creata liberè cōtingenter, & in motibus primo primis libertatem necessariā exercet, in deliberatis autem, libertatem cōtingentem: ergo etiā agere per modum naturæ, & per modum libertatis, poterunt in eadem potentia inueniri.

11 *Si opponas.* Nec refert, si opponas D. Thomam *quæst.* 10. *de potentia art.* 2. *ad* 5. vbi ait: *Liberè ergo Spiritus Sanctus procedit à Patre, non tamen possibiliter, sed necessariò*: sentit ergo Doctor Angelicus processionem Spiritus Sancti liberā esse, & libertatem cum necessitate componi, nec libertatem omnē contingentiam importare.

Resp. Respondeo D. Thomam longè

dista-

distare à mente Scotistarum; nam *ibi* D. Thomas libertatem sumit contra positiuè ad coactum, non ad naturale, constat hoc euidenter; nam *in solutione 4. argumenti eiusdem articuli* docuit Spiritum Sanctum naturaliter procedere: quando ergo ait eius processionē liberam esse, interpretandus est de libertate à coactione, quod libenter fatemur, non de libertate opposita naturalitati, quod Scotus intendit, & primo quidem genere libertatis etiam gaudet processio Filij, & tamen libera dicenda non est, nec à Scoto sic dicitur.

§. II.

Reijcitur Canarienſis ſententia.

12 *Quart⁹ modus dicendi.*

QVarta sententia docet, ideò verbum esse Filium, non autem Spiritum Sanctum, quia licet vtrique communicetur ex vi processionis natura diuina, & cōsequēter vt similis suo principio procedat Spiritus Sanctus, non tamen procedit per modū imaginis, quod necessarium erat, vt esset Filius. Hāc tenent Canarienſis, & Torres, quos sequuntur Vazquez *disp. 113. cap. 6. & 7.* Turrianus *disp. 2. dubitatione 7.* Et Alarcon *tract. 5. disp. 8. cap. 16.* nec reprobat M. Bañez *art. 4. dub. 1.* Cæteris tamen Theologis, etiam domesticis, displicet. Et reijcitur primo ad hominem contra Vazquez, qui exinde impugnat Thomistarum doctrinam, quia diffinitioni generationis addunt particulam illam *ex vi processionis* vt Spiritus Sancti processioni rationem generationis nō cōuenire defendāt; at ille addere tenetur aliam particulam, nempè supra illam *in similitudinem naturæ*, quæ in diffinitione inuenitur, quod sit *per modum imaginis*, vt suam sententiam sustineat: ergo vel malè impugnat Thomistas, vel insufficientem reddit rationem.

Vazq. Turria. Alarcō. Bañez.

Reijcitur primo.

Secundo: nam vt reddat rationem, cur Spiritus Sanctus imago nō sit, verbum autem sit imago, tenetur confugere, ad hoc quod verbum per intellectum procedit, & per voluntatem Spiritus Sanctus; at hoc discrimen, vel sufficiens est ad hoc vt verbum procedat vt simile ex vi processionis, & non Spiritus Sāctus, vel insufficiens, vt vni, & non alteri ratio imaginis competat: ergo vel insufficienter impugnat Thomistarū sententiam, quod credo, vel insufficientem reddit rationem discriminis.

13 *Secūdo.*

Tertio: nam ratio imaginis ad generationem terminandam, & ad rationem Filij sufficiens, est imaginis naturalis, vt patet in Filio creato, qui non est imago intentionalis Patris, sed imago naturalis; at hæc competit Spiritui Sancto, eo ipso quod procedat vt similis in natura ex vi processionis: non enim alia ratione Filius increatis imago est naturalis sui genitoris, nisi quia per generationem accipit naturam formaliter, in qua assimilatur illi, quin ad hoc requiratur quod per intellectū procedat: ergo si Spiritus Sāctus accipit ex vi processionis naturā diuinam, erit imago sufficienti ratione vt sit Filius, & illius processio sit generatio.

Tertio.

Respondebis primo, Filium increatis idcircò esse imaginem Patris, quia recipit naturam ea intentione, vt Patrem repræsentet, quod non competit Spiritui Sancto. Sed contra: nam vel loquitur Author contrarius de intentione primaria naturæ, vel de intentione secundaria? Primum est falsum: solum enim imago intentionalis ad repræsentandum ordinatur ex prima naturæ intentione: secundum est ve-

14 *Prima euasio reijcitur.*

rum;

rum, attamen eo ipso, quod ex vi productionis intendatur in termino similitudo cum principio in natura, secundo intenditur eius repræsentatio, nec aliunde hæc secũda intentio, quam ex illa prima colligi potest: ergo si Spiritus Sanctus ex vi processionis accipit naturam formaliter, ex secunda intentione accipit ad repræsentandum principium; & consequenter erit imago sufficienti ratione, vt sit Filius.

15 *Dices.* Dices, Spiritum Sanctum nulli repræsentare; non enim intellectui creato, non Paterno, aut Filij intellectui, & idcircô imaginem esse non posse. Hoc tamen in primis expressè aduersatur Angelico Doctori *in 1. distinct. 27. q. 2. art. 2. solutione ad secundum* ex argumentis *secundo loco factis*, vbi expressè docet, Patrem se, & Filium in Spiritu Sancto cognoscere; & consequenter intellectui Patris Spiritus Sanctus repræsentat.

Sed contra 1.

Contra 2. Secundo reijcitur: nam eo ipso quod Spiritus Sanctus sit similis suo principio in natura, cognito Spiritu Sancto poterit suum principium cognosci; nec enim alia de causa in Filio creato cognoscitur Pater, nisi quia ex vi productionis accipit naturam Parentis: ergo eo ipso, quod Spiritus Sanctus sit in natura similis ex vi processionis, est repræsentatiuus, & imago ex vi illius.

16 *Secũda euasio reijcitur.* Respondebis secundo, ad rationem imaginis non sufficere repræsentationem illius, in quo conuenit terminus cum principio, sed insuper repræsentare debet id, in quo discriminatur ab illo; at Spiritus Sanctus, etsi ex vi processionis similẽ naturam recipiat, & illam, in qua cum suo principio conuenit, repræsentet, non tamen repræsentat, quæ sunt propria Patris, & Filij; verbum autem, quæ sunt propria Patris repræsentat; quia procedit vt verbũ, & idcircô est imago Patris, Spiritus Sanctus non ita. Sed contra; vel ideô verbum repræsentat quæ sunt propria Patris, quia accipit ex vi processionis Patris naturam, & ratione naturę, vel quia ad Patrem relatiuê se habet, & ratione relationis? Si primum, etiam Spiritus Sanctus accipit ex vi processionis sui principij naturã; & consequenter, quæ sũt illi propria repræsentare poterit. Si secundum, etiam Spiritus Sãctus ad Patrem, & Filium sua relatione refertur; & consequenter ratione relationis, quæ illis propria sunt repræsentare poterit: ergo nihil ei deerit vt sit amborum imago.

17 *Reijcitur solutio Alarcon.* Dices, Spiritum Sanctum non referri ad Patrem, & Filium secundum proprias relationes, sed secundum relationem Spiratoris vtrique communem. Sed contra: relatiua proprietas Spiritus Sancti, eo quod est amor mutuus, essentialiter petit relationes Paternitatis, & Filiationis, vt inter se distinctas, vt modificãtes vim spiratiuã, de quo *infra q. 36.* ergo ob istam connexionẽ vtrãque repræsentabit non minus, quam verbum relationem Patris. Respondebis ex Alarcon, cuius solutionem reijcimus, toto hoc admisso nihil inferri; quia hæc repræsentatio est per modum effectus connexi cum causa, seu principiati cũ principio, quæ ad rationem imaginis sufficiens non est, sed requiritur repræsentatio per modum similitudinis, quæ Spiritui Sancto ratione proprietatis non cõuenit. Sed contra: aut verbum repræsentat, vt paulô ante arguebam, quæ sunt propria Patris ratione naturæ, aut ratione relationis? Si primũ, fateor esse per modum similitudinis, cæterum id ipsum Spiritui Sancto conueniet, si semel ex vi processionis vt similis in natura procedat. Si secundum, esse nequit per modum similitudinis; cum relatio Filij non sit similis, sed dissimilis relationi Paternitatis, ab illaque, quasi specie distincta: erit ergo ratione cõnexionis, aut per modum quasi effectus, aut per modum relati cum suo correlatiuo; cumque repræsentatio ista Spiritui Sancto ratione proprietatis conueniat respectu illorum, quæ

ſunt propria Patris, & Filij, vt probatum relinquo, obtinebit omne, quod requiritur, & neceſſarium eſt ad rationem imaginis.

18 *Aliter reſpõdet Ioannes de Portugal.*

Denique reſpondebis ex noſtro Ioanne de Portugal Epiſcopo Deuiſco, cui grata extitit Canarienſis ſententia, *lib. 2. de proceſsione Spiritus Sancti cap. 19. n. 24. & ſeqq.* ſolam ſimilitudinẽ in actione fundatam ſufficere ad rationem imaginis, non illam, quæ fundatur in vnitate naturæ: ſimilitudo autem competens Spiritui Sancto ex vi proceſsionis non in actione, ſed in naturæ vnitate fundatur; & idcircò inſufficiens eſt vt ei competat ratio imaginis.

Inſufficiẽtia ſolutionis prob.

Sed nec iſta ſolutio ſatisfacit. Quod probo: non enim alia de cauſa ſimilitudo verbi cum Patre in proceſsione fundatur, niſi quia illam accipit ex vi proceſsionis; at ſimilitudo Spiritus Sancti in natura cum Patre & Filio, etiam eſt habita ex vi proceſsionis formaliter, in ſententia, quam impugnamus: ergo fundatur non ſolum in naturæ vnitate, ſed etiã in proceſsione.

Reſpondet prædictus Magiſter.

Reſpondet *num.* 25. negando conſequentiam: nã ſimilitudo æquiparantiæ, qualis eſt, quæ Spiritui Sancto conuenit ex vi proceſsionis, per accidens coniungitur cum productione; cum etiam alijs rebus, quæ à ſuis ſimilibus non producuntur, communis ſit iſta ſimilitudo; & conſequenter, etſi habeatur ex vi proceſsionis, non fundatur in illa, ſed in natura communicata. Ex quo vlterius colligitur, Spiritum Sanctum imaginem eſſe non poſſe; nam ad hoc requiritur ſimilitudo diſquiparãtiæ, id eſt quæ eiuſdem denominationis in vtroque extremo non eſt, ſicut inuenitur in Filio, qui eſt ſimilis Patri vt imago, quæ denominatio Patri non conuenit, ſed denominatio exemplaris.

19 *Illius reſpõſio impugnatur.*

Cæterum contra hanc ſolutionem obſtat in primis D. Thomas *infra quæſt. 35. art. 1. ad finem corporis* illis verbis: *Ad hoc ergo, quod vere aliquid ſit imago, requiritur quod ex alio procedat ſimile ei in ſpecie, vel ſaltem in ſigno ſpeciei*: ergo ex mente D. Thomæ nihil aliud ad rationem imaginis requiritur, niſi ſimilitudo cum alio, & ab illo proceſsio. Secundo; nam in verbo, ſi quæ eſt diſquiparantiæ ſimilitudo, non alia de cauſa illi conuenit, niſi quia habet naturam per proceſsionem, & ex vi proceſsionis: ergo ſi Spiritus Sanctus accipit formaliter naturam ex vi proceſsionis, habebit non minus, quam verbum, diſquiparentiæ ſimilitudinem, quæ non in natura nudè, ſed in illa vt ab alio communicata fundetur.

20 *Reſp. ex Authoris doctrina.*

Reſponderi poteſt ex Portugalis doctrina *in 2. parte capitis relatiui num. 13.* non quamuis proceſsionem fundare iſtam ſimilitudinem, ſed requiritur quod ſit proceſsio per modum exemplationis; ignis nanque ab igne in ſimilitudine naturæ procedit; & tamẽ illi imago nõ eſt, nec illi ſimilis ſimilitudine diſquiparantiæ in actione fundata; quia ab igne producente nõ exemplatur, & hoc ideo; quia ad exemplationem requiritur, quod in ipſo agente non ſolum ſit forma naturalis, qua agens conſtituitur, ſed præterea ſit aliquid loco imaginis deducendæ, quod proprie vocatur exemplar; v. g. in artifice non ſolum eſt ars, qua operatur, ſed etiam idæa rei faciendæ loco ipſius rei, & hæc vocatur propriè exemplar, non ars, quæ effectiuè concurrit. Et in viuentium generatione ſemen ipſum ita diſponitur, vt in viuente ſit loco rei generandæ, tanquã exemplar; quia ergo in proceſsione per intellectum datur obiectum vnitum intellectui vt forma, quod verbum imitatur: ideo verbum per intellectum procedens habet ſimilitudinem in actione fundatam diſquiparantiæ ad principium vt ad exemplar; in proceſsione autem, quæ fit per voluntatem, quia obiectum non vnitur vt forma, quam impulſus procedens imitetur, ideo nec fundatur relatio diſquiparantiæ, nec terminus procedens ſortitur rationẽ imaginis.

21 *Impugnatur 1. ex D. Thom.*

Hæc tamen doctrina reijcienda est in primis ex D. Thoma *in 1. distinct. 28. quæst. 2. art. 3. ad 2.* illis verbis: *Dicendum, quod licet Spiritus Sanctus imitetur Patrē, non tamē habet ex ratione suæ processionis, vt imago dicatur, & ideo non dicitur imago, sicut non dicitur Filius.* Et *infra quæst. 35. art. 1. ad 3.* illis verbis: *Dicendū, quod imitatio in diuinis Personis non significat posteriorit atem, sed solum similitudinem*: ergo ex mente D. Thomæ ad rationem imitationis prout in diuinis reperitur, necessarium non est, quod aliquid vt exemplar præcedat loco rei producendæ, sed solum quod ab alio procedat, & illi assimiletur. Secundo: nam licet ad imaginem artificialem id requiratur, non tamen ad rationem imaginis naturalis: ergo licet ex illo discrimine recte inferatur Spiritum Sanctum non esse imaginem artificialem, seu intentionalem, non tamen probatur imaginem naturalem non esse, si semel ex vi processionis similis suo principio in natura procedat. Antecedens probatur: Filius namque in creatis est imago naturalis Parentis; & tamen in eius generatione nihil datur habens rationem exemplaris præter essentiā, in qua illi assimilatur: semen namq; quis vnquam exemplar rei fiendæ appellauit? cum solum sit instrumentum physicum generationis agens in virtute generantis: ergo ad rationē imaginis naturalis alia exemplatio necessaria non est, quam processio ab alio in similitudinem naturæ formaliter.

Secūdo.

22 *Obiectio dilui tur.*

Si dicas, speciem impressam esse exemplar expressæ; & tamen est virtus obiecti, & in virtute illius ad Verbi productionem concurrit: ergo estō semen virtus sit generantis, & eius instrumentum, poterit nihilominus esse exemplar rei genitæ. Respondeo, esse duplex discrimen, primum, quod in specie in esse intelligibili continentur omnia, quæ in esse rei conueniunt obiecto: secus in semine essentia generantis. Secundum, quod species non est instrumentum obiecti, sed substituta illius præstans ea munera, quæ præstaret obiectum, si per se ipsum intellectui veniretur; semen autem virtus est generātis, illi vt instrumentum subordinata.

Sed opponit Vazquez primo Plures Ecclesiæ Patres asserentes de ratione Filij esse, quod sit sui Patris imago, scilicet Athanasius in Epistola de decretis Nicenæ Synodi parum ante medium, vbi de Filio loquens sic ait: *Si enim imaginem nominas, Filium hoc ipso eum esse indicaueris, quid enim simile Deo, nisi sua ipsius progenies?* Nazianzenus *orat. 4. de Theologia*, sic ait: *Breuis, & compendiosa, facilisque naturæ declaratio, est Filius; omne enim, quod genitum est, genitorē suum tacita quadam voce diffinit.* Deinde alios Patres opponit id circo excludentes Spiritum Sanctum à ratione geniti, & filij; quia imago nō est. Ita Ricardus de Sancto Victore *lib. 6. de Trinitate cap. 19. 20. & 21.* Anselmus *in monologio cap. 53.* & D. Thomas *lib. 4. Contra Gentes cap. 11.* ergo ratio vnica quare Spiritus Sanctus Filius non est, est quia non procedit vt Patris imago.

23 *Oppo-- ni Vazquez 1.*

Respondeo, auctoritates istas nihil ad Auctoris contrarij sententiam conducere: fatemur namque Filium debere esse imaginem Patris, fatemur etiam hinc probari Spiritum Sanctum Filium non esse; quia imago non est, cæterum ratio quare imago nō sit, ideō est, quia ex vi processionis non euadit similis suo principio in natura, vt docet D. Thom. *infra quæst. 35. art. 2. & in 1. dist. 28. quæst. 2. art. 3. ad 2. & 4. argumentum.* Vt autem Patres sententiæ oppositæ aliqua ratione fauerent, debuissent asserere Spiritum Sanctum, & si ex vi processionis Dei naturam accipiat, imaginem tamen non esse, eo quod non repræsentat, quæ est Canariensis, & sequacium sē-

24 *Resp.*

tentia; hoc tamen non docent, ſed potius oppoſitum, vt videre eſt in Anſelmo in Monologio cap. 55. verbis à Vazquio relatis ibi: *Sic amor aperte ſe prolem negat, quia dum à Patre, & Filio procedere intelligitur, non ſtatim tam perſpicuam exhibet ſe contemplanti eius, ex quo eſt, ſimilitudinem, quamuis ipſum conſiderata ratio doceat omnino id ipſum eſſe, quod Pater, & Filius.* Ac ſi apertius diciſſet Anſelmus id circo imaginem nō eſſe, nec Filium; quia licet ſit eiuſdem naturæ cum Patre, & Filio, nō tamen ſtatim, hoc eſt, ex vi ſuæ formaliſsimæ proceſsionis illius ſimilitudinem in natura præ ſe fert. Et ex his ſolutum manet ſecundum argumentum eiuſdem Auctoris, quo totis viribus probare cō tendit de ratione Filij eſſe, quod imago ſit Patris; concedimus enim libē tiſsime hoc eſſe de ratione Filij, nec hoc aliquis Doctorum negauit, quare in hoc probando inaniter tempus conſumitur, ſed probari deberet poſſe compati quod non ſit imago, cū hoc quod ex vi proceſsionis ſit ſimilis ſuo principio in natura.

25 *Arg. 3.* Tertio argumentari poſſumus in fauorem huius ſententiæ: nam Spiritus Sanctus de facto eſt ſimilis ſuo principio in natura, & ſimilitudine per proceſsionem accepta, etſi non ex vi proceſsionis iuxta noſtram ſententiam; & tamen de facto imago nō eſt: ergo etiam ſi ex vi proceſsionis vt ſimils ſuo principio procedat, poterit imago non eſſe. Et augetur difficultas; nam Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis euadit ſimilis ſuo principio, etſi non in natura, bene tamen in naturæ attributo, nempe in voluntate; cum, iuxta communem noſtrorum ſententiam, ei ex vi proceſsionis communicetur diuina volitio, aut diuina voluntas; & tamen imago non eſt: ergo etiam ſi ex vi proceſsionis ei communicetur diuina natura, poterit tamen imago non eſſe. Patet conſequentia; quia Iuxta D. Thomam *infra quæſt. 35. art. 1. in corpore*, vt aliquid ſit alterius imago ſufficit, & requiritur, quod ab illo procedat ſimile ei in ſpecie, vel ſaltim in ſigno ſpeciei: ergo ſi quamuis Spiritus Sanctus procedat ſimilis in voluntate, quæ eſt ſignum ſpeciei, deficit à ratione imaginis, etiam ſi procederet ſimilis ſuo principio in natura, vel ſpecie, poſſet deficere à ratione imaginis.

Conf. 1.

Confirmatur, & vrgetur ſecundo: ignis genitus ab igne non eſt imago ignis generātis; cum ex illo non magis in generantis notitiam veniamus, quam cuiuſuis alterius; & tamen ab illo vt ſimilis in natura procedit: ergo etiam ſi Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis accipiat naturam diuinam, & in illa ſit ſimilis, poterit vt imago non procedere, quæ eſt ſententia Auctoris contrarij. *Conf. 2.*

26 *Solutio argumēti.* Reſpondeo ad argumentum conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam: quia vt docet D. Thomas in 1. diſtinct. 28. quæſt. 2. art. 3. ad 4. *Nomen imaginis, etſi impoſitum ſit ab æqualitate, & ſimilitudine, tamen eſt impoſitum ad ſignificandum rem, cui ex modo ſuæ proceſsionis competit ſimilitudo, & ideò quamuis aliquid in re, & abſolutè ſit ſimile alteri, & ab illo procedat, non eſt dicendum imago abſolutè, & in re, niſi ex modo ſuæ proceſsionis ſimilitudinem habeat, quod Spiritui Sancto non conuenit.* Ita fere ad Verbum D. Tho. *loco allegato.*

Ad 1. cō firmat. Ad primam confirmationem dicatur, Spiritui Sancto ex vi proceſsionis, nec voluntatem, nec volitionem diuinam communicari, ſed rationem impulſus, ſicuti enim in nobis impulſus à volitione, & voluntate differt realitēr in omnium Thomiſtarum ſententia; ita in diuinis virtualitēr ſaltim differt impulſus à voluntate, & volitione: vnde ex vi proceſsionis ſolum eſt ſimilis volitioni, & voluntati proportionali ſimilitudine, quæ non ſufficit ad rationem imaginis. Quod ſi Thomiſtæ doceant Spiritui Sancto ex vi proceſsionis

com-

communicari volitionem diuinam; respondere poterunt, hanc non ingredi ex parte principij, sed solum voluntatem, vt Caietanus docet de Verbo: volitio autem prout à voluntate distincta, solum proportione, nõ similitudine omnimoda gaudet cum voluntate per modum actus primi. Ad secundam confirmationem, nego maiorem: nam cum D. Thomas *infra quæst. 35. art. 1.* in vno ovo respectu alterius ovi, non alia ratione non inuenerit rationem imaginis, nisi quia non procedit ab alio, non est cur ab igne genito rationem imaginis ignis generantis excludamus; quod autẽ illo cognito non magis in ignis generantis cognitionẽ veniamus, quam cuiusuis alteri⁹, ideô est; quia sunt homogenea, & eiusdẽ figuræ. Imo, & hoc ipsũ in viuentibus cõtingere potest, quando Pater, & Filius non assimilantur in figura, sed in natura solum; tunc enim qui Filium cognoscat, non magis veniet in cognitionem Parentis, quam aliorum hominum, quo non obstante verê obtinet rationem imaginis.

§. III.

Aliorum sententia reijcitur.

27 *Quint⁹ modus dicendi.*

ALexander *prima parte q. 42. memb. 2. §. 1.* Maior *in primo distinctione 13. quæstione 1.* Richardus de Sancto-Victore *libro 6. de Trinitate cap. 18. & sequentibus*, quos sequitur Zuniga *disp. 2. dubitatione 20.* ideô docent Verbum esse Filium, quia accipit naturam ex vi processionis ad alterius suppositi productionem fœcundam, & Spiritum Sanctum ideò Filium non esse; quia licet ex vi processionis sit similis suo principio in essentia; nõ tamen in natura sub conceptu naturæ; eo quod hæc consistit in fœcunditate alterius suppositi productiua, quam non accipit sua processione Spiritus Sanctus. Hanc tamen sententiam deserunt communiter Theologi, & reijcitur primo ex D. Thoma *infra quæst. 35. art. 2. in corpore*, vbi expressê refutat aliquorum sententiam, qui ex hoc Spiritum Sanctum defendebant non esse imaginem; quia cum Patre, & Filio non conuenit in notione principij, & rationem reddit, quia similitudo, aut æqualitas non attenditur in relationibus, notio autem principij relationem importat: ex quibus sic arguo: similitudo ad generationem diuinam, in persona genita exigitur, non in relatiuo, sed in absoluto: at similitudo in fœcunditate alterius productiua, est non in absoluto præcisse, sed in absoluto adiuncta relatione, seu connotata: ergo hæc ad rationem geniti in diuinis necessaria non est. *Reijcitur 1.*

Secundo reijcitur: si esset necessaria hæc similitudo ad rationem Filij in diuinis, maxime, quia in creatis ita contingit, quod scilicet Filius est similis suo principio in fœcunditate alterius suppositi productiua; at ex hoc non colligitur: ergo talis similitudo necessaria non est. Probo minorem; vis productiua, in qua Filius assimilatur Patri in creatis, est vis generatiua; & tamen ex hoc inferre non licet, de ratione Filij in diuinis esse, quod assimiletur suo principio in vi generatiua: ergo nec licebit colligere necessitatem assimilationis in vi productiua. Respondebis, assimilationem Filij cum Patre in vi generatiua ex imperfectione procedere, & id circo ad rationem Filij in diuinis necessariam nõ esse; cum omnis imperfectio relegari debeat ab illo. Sed contra; nam sicut in Filio foret imperfectio assimilari 28 *Secũdo.* *Euasio reijcitur.*

Patri in vi generatiua, eo quod ſequeretur non adæquare potentiam generatiuam in diuinis repertam; ita imperfectio eſſet in Spiritu Sancto non adæquare vim ſpiratiuam, & vi alterius impulſus ſpiratiua gaudere: ergo ſicut ob hanc rationem colligunt huius ſententiæ Auctores non eſſe de ratione generationis ex communi conceptu producere terminum ſimilem ſuo principio in vi generatiua; ita qui Spiritum Sanctũ eſſe genitum dixerit, poterit reſpondere, non eſſe de ratione generationis abſtrahentis à creata, & diuina, producere terminum ſimilem ſuo principio in vi productiua.

29 *Tertio.* Tertio reijcitur: nam Patres Latini diſputantes cum Græcis, vt probent Spiritum Sanctum à Filio procedere; numquam vſi ſunt hac ratione; quia ſcilicet ſi Spiritus Sanctus à filio non procederet, non eſſet Filius; at ſi in ratione Filij conſtituerẽtur per hoc, quod aſsimilaretur Patri in vi ſpiratiua, hac ratione vſi fuiſſent, vt græcorum refutarent ſententiam: ergo Filius in ratione talis nõ cõſtituitur per hoc quod Patri aſsimiletur in vi ſpiratiua. *Conf. 1.* Quod amplius confirmo; nam omnes Doctores diſputantes, an ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, diſtingueretur ab illo, ſupponunt, Filium remanſurum in dicta hypoteſi Filiũ formaliter; at ſi de ratione Filij eſſet fęcunditas productiua alterius ſuppoſiti, hoc non poſſent ſupponere: ergo ſentire debent id non eſſe de conceptu geniti, & Filij ex vi terminorum. *Conf. 2.* Explicatur, & vrgetur ſecundo: ſuppoſitio iſta, ſeu conditionalis, *ſi Spiritus Sanctus à Filio non procederet, ab illo non diſtingueretur*, vtilis eſt ad inveſtigandum rationem formalem multiplicandi perſonas diuinas, vt Theologi admittunt *infra quæſt. 36.* at ſi Verbum conſtitueretur in ratione Filij formaliter ex vi terminorum per fęcunditatem productiuam Spiritus Sancti, eſſet omnino invtilis; cum eſſet ſuppoſitio implicans in adicto ex vi terminorum; ſicut hæc *ſi homo rationalis non eſſet, &c.* ergo fœcunditas iſta alterius ſuppoſiti productiua non eſt de ratione Filij ex vi filiationis, nec etiã ex generationis conceptu.

30 *Deniq; reijcitur iſta ſentẽtia* Denique reijcitur: de ratione Filij in diuinis ſolum eſt aſsimilari ſuo principio in naturâ ſub conceptu naturæ; at conceptus naturæ in toto rigore ſaluatur abſque vi productiua realiter alterius ſuppoſiti: ergo ſi id conuenit Spiritui Sancto ex vi proceſsionis, erit genitus, & Filius, eſto non aſsimiletur Patri, & Filio in fœcunditate productiua. Diſcurſus tenet. *Minor prob. 1.* Maior conſtat ex diffinitione generationis viuentium. Minor autem oſtenditur primo ex cõmuni Patrum doctrina aſſerentium tres diuinas perſonas eſſe non ſolum vnius eſſentiæ, ſed etiam vnius, & eiuſdem naturæ; at ſi de conceptu naturæ eſſet facultas realiter productiua alterius perſonæ, non eſſent tres diuinæ perſonæ vnius, & eiuſdem naturæ: ergo conceptus naturæ ſaluatur abſque vi productiua.

Secundo Secundo: ſi de conceptu naturæ, prout ponitur in diffinitione generationis viuentium, eſſet vis productiua, ſequeretur, Filium non eſſe Patri ſimilem in adæquato conceptu naturæ, & Patris, & Filij naturam eandem non eſſe; conſequens vtrumque videtur abſurdum, alias non eſſet Filius; cum de ratione Filij ſit adæquatam Patris naturam ex vi proceſsionis accipere, nec illius generatio vniuoca eſſet; cum non cõueniret vniuoce in ratione naturæ ſaltim ſpecificè athomê: ergo non eſt de conceptu naturæ, prout ponitur in generationis viuentium diffinitione, vis productiua alterius ſuppoſiti. Probo ſequelam quoad vtrãque partem; natura Patris eſſet generatiua, & ſpiratiua, natura autem Filij ſpiratiua tantum: at vis generatiua differt à ſpiratiua: ergo non eſſet in Filio adæquata Patris natura, nec Pater, & Filius eſſent eiuſdem naturæ.

De-

31 *Tertio.*

Denique minor principalis suâ detur : sicut diffinitur natura per hoc quod sit *principium motus*, &c. Ita diffinitur viuens per hoc, quod est *se mouere* ; at ratio vitæ, perfectissimè, & cum omni proprietate saluatur in Deo absque vi productiua ; per hoc quod sit principiũ virtuale actionis vitalis: ergo etiam ratio naturæ saluatur per hoc quod sit radix virtualis actionum intelligendi, & volendi absque facultate productiua alicuius suppositi.

32 *Obijciunt* 1.

Sed opponunt istius sententiæ Auctores primo Augustinum *lib. 3. contra Maximinum cap.* 14. in principio, asserentem ideò Verbum esse genitum : *Quia Pater gignendo illud dedit ei, vt etiam ex ipso procederet Spiritus Sanctus*: ergo ex mente Augustini ratio quare Verbum sit Filius, est quia procedit similis in fœcunditate productiua personæ. Respondeo, causalem esse Augustini, sed non huius quod est Verbum esse Filium, & genitum, sed illius quod Dominus Ioannis 20. *cap.* dixit de Spiritu Sancto, quod à Patre procedit, huius dicti doctrinã Augustinus assignat : *Quia Pater processionis eius est Auctor, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, quod de ipso procederet Spiritus Sanctus* ; quod ideo Augustinus asseruit, vt contra Maximinũ probaret Spiritum Sanctum ab vtroque procedere ; quod autem sit causa cur Verbum sit Filius, quod à Patre acceperit vt ab illo Spiritus Sanctus procederet, non affirmauit vnquam Augustinus.

Resp.

33 *Obijciunt* 2.

Obijciunt secundo Concilium Florentinum *sessione vltima §. quoniam græci suspicantur*, vbi hæc habentur verba : *Id circo autem diuinum Symbolum declaratum à Maioribus nostris fuisse dicimus, ne quis ambigens an Filius Spiritus Sancti causa sit, in aliquã incideret hæresim: nam credentes Spiritum Sanctum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, vt intelligant Spiritum Sanctum ex solo Patre procedere, & consequentèr Verbum non esse Filium* : vbi vt clare constat Ecclesia Latina consequentiam bonam existimat, *Spiritus Sanctus non à Filio, sed à solo Patre procedit : ergo Verbum Filius non est* ; at si de ratione Filij non esset fœcunditas productiua alterius personæ, consequentia facta friuola esset : ergo tenet Ecclesia Latina, & Concilium Florẽtinum de ratione Filij in diuinis esse istam fœcunditatem ; & consequenter ex eius negatione rectè colligitur Spiritum Sanctum non esse Filium.

Respondent aliqui diffinitiones, & Canones Conciliorum esse de fide; secus autem argumenta, & consequentias factas à Concilijs, in conueniens autem illatum diffinitio non est, sed argumentum, quo probat Concilium Spiritum Sanctum procedere à Filio. Hæc tamen solutio non placet ; nam licet verum sit argumenta facta à Conciliis, de fide non esse, sunt tamen magnæ auctoritatis, & sufficiet contrariæ sententiæ, quod Concilium illam veram existimasset, etsi non diffiniret. Quare aliter ad argumentum factum respondeo duo inferri à Concilio ex eo quod Spiritus Sanctus à solo Patre procederet, primum non procedere à Filio, & hoc est contra fidẽ. Ex quo secundo infert, Filium in diuinis non esse; quæ consequentia immediata, & formalis non est, sed mediata, & materialis, ac si ita argumẽtaretur, *si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, non communicasset Pater Verbo vim spiratiuam: ergo nec naturam diuinam*. Patet hæc consequentia : nam cum in vi spiratiua non opponantur Pater, & Filius, eadem ratio est de communicatione vis spiratiuæ, ad de cõmunicatione naturæ: ergo si illam non communicat, nec naturam communicaret: ex quo rectè infertur Verbum non esse Filium; vt autem Concilium oppositæ sententiæ faueret, consequentia facta deberet esse immediata, & formalis.

34 *Missa quorundam solutione respõdetur argumẽto.*

35 *Tertio obijcitur*

Tertio obijciunt: illa particula poſita in diffinitione generationis viuẽtium *in ſimilitudinem naturæ*, debet intelligi de natura fœcũda ad producendum realiter aliud ſuppoſitum: ergo ex conuenientia naturæ ſit acceptæ Verbo Diuino, & nõ cõuenientia illius Spiritui Sancto rectè colligitur Verbum eſſe Filium, & Spiritum Sanctum non ita. Conſequentia eſt bona. Antecedens autem oſtenditur primo, debet accipi pro natura ſtrictè, & rigoroſè; at natura in iſta acceptione eſt natura fœcunda, & realiter productiua: nã ſi realiter productiua nõ ſit eſt natura veluti mortuo modo: ergo intelligenda eſt de natura fœcunda. Secundo: id, quod eſt de ratione filiationis, & generationis in communi, eſt explicabile in communi diffinitione; at Filiũ aſsimilari Patri in natura realiter productiua ſuppoſiti, eſt de ratione Filij in communi abſtrahentis à creato, & increato: cum cõpetat omni inferiori, nẽpé Filio creato, & diuino: ergo explicatnr in diffinitione generationis, & filiationis ſub conceptu communi; cumque explicari nequeat, niſi dicta particula pro natura fœcunda accipiatur: cõſequens ſit, quod ſic debeat accipi in dicta diffinitione.

36 *Reſp.*

Reſpondeo negando antecedens: ſi enim ſic acciperetur natura in illa diffinitione, ſequeretur vt arguebamus *ſupra*, Filium non eſſe eiuſdem naturæ cum Patre, nec perfectè ſimilem in natura ex vi proceſsionis, quod nullus audebit concedere. Ad primam probationem, cõceſſa maiori, nego minorem: nam ſicut ratio vitæ intellectualis ſtrictiſsimè accepta ſaluatur in diuina eſſentia, prout eſt virtuale principium intellectionis, & volitionis; ita ſtricta ratio naturæ ſaluatur in illa, per hoc quod ſit primum principium virtuale, non motus, ſed actionis vitalis, quod in natura diuina intelligitur pro priori ad fœcunditatem realiter productiuam, quæ illi non cõuenit niſi cointellecta relatione. Ad ſecundam diſtinguo maiorem: id quod eſt de ratione generationis, in communi, quidditatiuè, primario, & formaliter, concedo maiorẽ; conſequutiuè ſolum, & materialiter, nego maiorem, loquendo de diffinitione quidditatiua, & diſtinguo minorem; conuenit generationi; quidditatiuè, & formaliter, nego minorem; conſequutiuè, & materialiter, concedo minorem, & nego conſequẽtiam de diffinitione quidditatiua, qualis eſt diffinitio generationis viuentium. Itaque eſſentia generationis ſpecificatur à termino formali ſecundum proprium eius conſtitutiuum; licet autem omni Filio competat vis productiua ſuppoſiti, non tamen hæc ſpecificat vt terminus formalis rationem generationis, ſed eſſentia ſub conceptu eſſentiæ, & naturæ prout eſt principium formale, aut virtuale actionis, ſeu motus; & conſequenter eſſentia generationis, non ex ordine ad vim productiuã, ſed ex ordine ad naturã, prout eſt principium formale, aut virtuale actionis, ſeu motus debet diffiniri, ſi quidditatiuè diffiniatur, qualiter diffiniri dicta diffinitione nullus negauit; & idcircò illa particula accipienda non eſt pro vi productiua, ſed pro radice virtualiter, ſaltim actionis.

37 *Inſtãtia diluitur.*

Si dicas, quamuis facultas proximè productiua ſit conſequuta ad naturam, facultas autem productiua radicaliter alterius ſuppoſiti eſt de primario conceptu naturæ terminantis generationem: ergo eſſentialiter à generatione reſpicitur; & conſequenter ingredi debet in diffinitione quidditatiua. Probatur antecedens in natura creata, cui eſſentialiter conuenit vis productiua radicaliter alterius ſuppoſiti, etſi proprium ſit paſsio illius. Reſpondeo, etiam in creatis reperiri rationem naturæ, abſque vi productiua alterius ſuppoſiti, nedum proxima, verum etiam radicali, vt conſtat in natura Cęlorum. Quod ſi fiat argu-

men-

mentum de natura viuentium. Respondeo quod licet in creaturis ita contingat, quod vis radicaliter productiua competat essentialiter naturæ viuenti creatæ, non tamen competit naturæ diuinæ ex conceptu naturæ: aliàs Spiritui Sancto non conueniret ratio naturæ, nec Filius adæquatè assimilaretur Patri in natura, quod est absurdum, sed ei conuenit cointellecta simul relatione, quæ est extra constitutionem naturæ formaliter; verba autem diffinitionis traditæ de generatione in communi, accipienda sunt de natura sub cõcepto essentiali naturæ, vt communis est creatæ, & diuinæ.

38 *Deniq; arguũt.* Denique obijciunt: omni, & soli Filio conuenit, quod procedat viuens à viuente coniuncto in similitudinem naturæ cum vi productiua, vt inductione patet; nullus enim est Filius, nec creatus, nec diuinus, qui non procedat viuens à viuente coniuncto in similitudinem naturæ cum vi productiua, nec aliquis ita procedit, qui Filius non sit: ergo eo solũ, quod Verbum procedat cũ facultate productiua alterius suppositi, & Spiritus Sanctus, non ita, rectè probatur Verbum esse Filium: secus autem Spiritum Sanctum. Patet consequentia: nam id, quod conuertibiliter se habet ad aliud, vel est essentia aut propria passio illius; & consequentèr illo sublato, recte colligitur essentiam auferri, & illo posito conuenire: ergo si procedere cum vi productiua conuertibiliter se habet cũ Filio in communi, aut erit essentia, aut passio filiationis; & consequenter ex affirmatione, aut negatione vis productiuæ, recte probabitur cõuenire, aut non conuenire essentiam filiationis.

39 *Resp.* Respondeo antecedens esse verum, supposito quod Spiritus Sanctus Filius non sit, qui namque pertinaciter doceret filium esse, nec conuinci posset, nec persuaderi vt à sua sententia recederet hoc argumento; cum ad probandum contrarium necessarium esset supponere Spiritum Sanctum non esse Filium, de quo erat cum pertinaci quæstio: vnde cõcesso antecedenti, distinguo consequens, recte probatur rectitudine consequentis, concedo consequentiam: rectitudine argumenti ostensiui veritatis, nego consequentiam: quia ad hoc requiritur pro antecedenti assumi aliquid non probandũ per suppositionem veritatis inferendæ, sed aliunde, antecedens autem assumptum, vt probetur, indiget quod supponatur Spiritum Sanctum, non esse Filium, cuius rationem probatiuam inuestigamus.

§. IV.

Examinantur varij modi explicandi veram D. Thomæ rationem.

PRocessionem verbi esse generationem, quia est per intellectũ, & processionem Spiritus Sancti generationem non esse, quia per voluntatem procedit, est communis Thomistarum sententia. Id docet Diuus Thomas *in primo distinctione 13. quæstione 1. art. 3. ad tertium distinctione 28. quæst. 2. art. 3. in corpore. Primo ad Annibaldum distinctione 3. quæstione vnica art. 3. q. 10. de potentia art. 2. ad 11. ad 22. & 23. 4. Contra Gentes cap. 11. & 19.* vbi Ferrara. *in hac quæstione art. 2. & 4.* Vbi Caietanus, Bañez, Zumel, Albelda, Nazarius, Cornejo, Patres Salmanticenses,

40 *Variæ explicationes rationis D. Thomæ.* Caiet. Bañez. Zumel. Albelda Nazar. Corn. Salm.

S. Tho. Serra. Rada. Smiſing Molina Valent. Suarez. Arrubal Gran.

Explicatio Patris Suarez.

Magiſter Sancto Thoma, Marcus de la Serra, & alij. Hanc etiam rationem tradunt ex Scotiſtis Rada 1. *p. controuerſiarum controuerſia* 14. Pro illa referens Theodorum Smiſing. *quæſt. de Deo Trino, & vno*, & ex Patribus Societatis Molina *hic diſp.* 3. *quæſt.* 2. *concluſione* 2. Valentia *lib.* 2. *capitulo* 5. Suarez *lib.* 11. *de Trinitate. cap.* 5. Arrubal *diſp.* 48. *cap.* 4. Granadus *Tract.* 2. *diſp.* 5. *ſectione* 5. & alij Recentiores frequenter. Non tamen vno modo ratio iſta D. Thomæ explicatur. Suarez, quem aliqui Recentiores ſequuntur, ſic explicat; nam eo ipſo quod Verbum per intellectum procedat, & per voluntatem Spiritus Sanctus, illi communicatur intellectio, & Spiritui Sancto volitio; at intellectio eſt neceſſarium conſtitutiuum naturæ diuinæ; ſecus autem volitio, quæ naturam conſtitutam ſupponit: ergo Verbū eo ipſo, quod per intellectum procedat, euadit ex vi proceſsionis ſimile ſuo principio in natura; & conſequenter Filius, & Spiritus Sanctus, ex quo per voluntatem procedit, nō euadit ſimilis in natura, ſed in attributo naturæ; & conſequenter, nec eſt Filius, nec genitus.

41 *Reijcitur* 1.

Hic tamen modus dicendi peccat primo in maiori: nam ex eo quod Verbum per intellectum procedat, non recte colligitur ei communicari intellectionem ex vi proceſsionis; Verbum enim non in intellectione, ſed in termino intellectionis conſiſtere eſt perpetua Diui Thomæ doctrina, ſic docet *quæſt.* 8. *de potentia art.* 1. *quæſt.* 3. *de veritate art.* 2. *quæſt.* 4. *art.* 1. & 2. 1. *Contra Gentes cap.* 54. *lib.* 4. *cap.* 11. & *infra quæſtione* 34. *articulo* 1. *ad* 2. ergo ex eo quod Verbum per intellectum procedat, non ſequitur conſequentia immediata, ei ex vi proceſsionis communicari intellectionem. Nec ex eo quod Spiritus Sanctus per voluntatem procedat, ſequitur ex vi proceſsionis ei communicari actum amoris. Tum; quia impulſus per voluntatem productus non in actu amandi, ſed in eius termino conſiſtere debet, vt modo dicebamus de Verbo. Tum etiam: nam id quod concurrit vt principium proximum tantum, neceſſarium non eſt communicari per ſe primo termino producto, ſed poteſt per proximum principium, non ipſum, ſed radicale communicari, niſi ex alio capite repugnet: ergo ex eo quod amor ſit proximum principium impulſus, non recte colligitur, illi communicari actum amoris ex vi proceſsionis, ſed poterit per amorem proximè concurrentem, primario communicari termino radicale principium, niſi aliunde repugnet, cuius rei rationem inquirimus.

42 *Reijcitur* 2.

Peccat ſecundo in minoritum, quia naturā Dei, nō in intellectione actuali, ſed in radice intellectionis conſiſtere, probabilius cenſui *ſupra tractatu primo diſp.* 4. §. 7. ſequutus Capreolum *in* 1. *diſtinctione* 38. *quæſtione* 4. *art.* 1. Caietanum *infra quæſt.* 41. *art.* 5. & *ſupra quæſt.* 1. *art.* 7. & alios Recentiores Thomiſtas, & quod magis eſt D. Thomam *ſupra quæſt.* 19. *art.* 1. *in fine corporis*, quod ita concludit: *Et ſic oportet in Deo eſſe voluntatem, cum ſit in eo intellectus, & ſicut ſuum intelligere, eſt ſuum eſſe, ita ſuum velle.* Quod etiam docet *inſolutione ad* 1. & *in eadem quæſt. art.* 4. *ad* 2. *quæſt. etiam* 14. *art.* 5. *ad* 3. vbi docet intellectionem diuinam ſpecificari ab eſſentia vnita per modum ſpeciei ſpecificatum autem ab ſpecificatiuo virtualiter ſaltim debet diſtingui, *q.* 26. *art.* 2. *ad* 1. vbi ait beatitudinem Deo non conuenire, ſecundum rationem eſſentiæ, ſed intellectus. Et *ad* 2. ex eo quod beatitudo ſit obiectum voluntatis, docet debere præſupponi ad actum; quia obiectum præſupponitur actui; ſed eſſentia Dei eſt obiectum intellectionis: ergo debet præſupponi ad intellectionem, vel conſequentia Diui Thomæ eſt nulla; &

con-

consequentêr non potest natura Dei per intellectionem constitui, sed ad illam supponitur constituta. Et *infra quæstione* 41. *articulo* 4. *in corpore*. Et *in solutione ad tertium*. Vbi ex eo quod generatio significatur vt egrediens à persona Patris, infert non posse Patrem constituere in ratione personæ, quæ ratio intellectioni applicata respectu naturæ pari efficacia probat, illam in ratione naturæ non posse constituere.

43 Tum etiam, quia naturam Dei non solum per intellectionem, sed etiam per volitionem constitui formaliter, est sententia Suarez *disp.* 30. *metaphysicæ sectione* 16. *numero tertio*, vbi docet volitionem solo modo significandi à natura diuina differre; differentia autem, penes modum significandi solum, obstare nequit, quo minus Dei naturam constituat; cum etiam intellectio ex modo significandi differat à diuina natura, quo non obstante, in illius sententia, Dei naturam constituit: ergo secunda pars minoris assumptæ est in consequens in propria doctrina. Denique totus discursus deficit in eo, quod rationem Diui Thomæ coarctat ad sententiam non certam in Angelici Doctoris doctrina, sed solum probabilem; cum tamen eius ratio in omni opinione in via Diui Thomæ probabili debeat defendi.

44 *Secunda modus explicãdi rationẽ D. Thomæ.* Secundus modus, huic proxime accedens, affirmat, quod licet Dei essentia in actuali intellectione non constitat, Dei natura constituit in actuali intellectione, non in volitione; & quia Verbo ex vi processionis, eo quod per intellectum procedat, communicatur diuina intellectio; fit consequens, quod ex vi processionis similis sit suo principio in natura sub conceptu naturæ, licet non sub essentiæ conceptu; ac proinde esse Filium; quia ad hoc nõ requitur similitudo in essẽtia, sed in natura sub cõceptu naturæ formaliter ex vi processionis; quia tamen volitio, qua formalitêr communicatur Spiritui Sancto, eo quod per voluntatem procedat, non constituit, nec essentiam, nec naturam diuinam; fit, quod ex vi processionis non euadat similis suo principio in natura, ac proinde, quod Filius non sit. Ita explicat rationem D. Thomæ Cornejo *supra quæst.* 14. *art.* 4. *disp.* 1. *dub.* 4.

Sed nec iste modus dicendi placet, primo: quia Verbo, ex hoc quod per intellectum procedat, non communicatur diuina intellectio, vt ex D. Thoma contra primum modũ dicendi probaui. Secundo: quia de ratione filij non solum est similitudo cum principio in natura, sed etiã in essentia sub conceptu essentiæ ex vi processionis: tum, quia communis Theologorum interpretatio particulam illam *in similitudinem naturæ* indifferentêr, & promiscue vsurpat pro natura, & essentia. Tũ etiã: quia in creatis ex quibus manu ducti diuina rimamus, Filius in natura sub vtroque conceptu assimilatur Patri ex vi processionis: ergo diuinum Verbum, cum sit perfectissimê Filius, debet ex vi processionis Patri assimilari in natura sub vtroque conceptu. Tertio; quia, quæ in creatis non distinguuntur etiam virtualiter, in diuinis à fortiori virtualitêr non distinguentur, at conceptus naturæ, & essentiæ virtualitêr non distinguuntur in natura creata; eadem enim humanitas per comparationẽ ad esse obtinet rationem essentiæ, & per comparationem ad operationes, vt illarum radix, vocatur natura absque distinctione virtuali adæquata conceptuum: ergo in Deo non potest essentia, & natura virtualitêr adæquate distingui: & consequenter nequit Dei intellectio naturam diuinam constituere sub conceptu naturæ, & non sub ratione essentiæ.

45 *Reijcitur* 1. *Secũdo.* *Tertio.*

46 *Denique reijcitur,* Denique: nam eo ipso, quod essentia sub conceptu essentiæ ab intellectione virtualiter distinguatur, in illa

vt ſic diſtincta, ſaluatur ratio naturæ: ergo non conſtituetur per intellectionem in ratione naturæ. Conſequentia eſt bona. Antecedens autem probatur: eo ipſo quod ab intellectione virtualiter diſtinguatur, debet eſſe radix illius; at conceptus naturæ in radice operationis cõſiſtit: ergo in illa, vt ab intellectione diſtincta, ſaluatur conceptus naturæ. Et cõfirmatur: nam eo ipſo, quod concipiatur in Deo vis proximè intellectiua virtualiter ab intellectione diſtincta, concipitur ratio intellectus: ergo eo ipſo quod concipiatur radix intellectionis virtualiter adæquatè ab intellectione diſtincta, concipitur ratio naturæ; & alias per intellectionem non conſtituitur: ergo data diſtinctione eſſentiæ ab intellectione nequit per illam in ratione naturæ conſtitui.

Cõfirm.

47 *Tertius modus explicãdi rationem D. Th.*

Tertius modus dicendi, ſatis frequens apud recentiores Thomiſtas, cum primo in eo conuenit, quod Dei natura in actuali intellectione conſiſtat, quo ſic ſuppoſito, ſic format rationẽ D. Thomæ: Verbo, ex eo quod per intellectum procedat, communicatur diuinum intelligi; at intelligi, & intelligere ſunt omnino idem abſque virtuali diſcrimine: ergo ex vi proceſsionis communicatur illi diuina intellectio; & conſequenter diuina natura in intellectione conſiſtens. Modum iſtum doctè explicant, & defendunt Patres Salmaticenſes *trac. 6. de Trinitate diſp. 2. dub. 3. & diſp. 3. dub. etiam 3.* Et quidem illorum ſententia præ omnibus eſt eligenda, ſuppoſito quod diuina natura in intellectione cõſiſtat. Cæterum ab illa recedo ductus primo, ex eo, quod oppoſitum probabilius reputaui *ſupra tract. 1. diſp. 4. §. 7.* Secundo: nam eſto probabilius ſit Dei naturã in actuali intellectione cõſiſtere, oppoſitum tamen eſt in via D. Thomæ probabile: ergo ratio D. Thomæ ad eam ſententiam reſtringenda nõ eſt. Tertio: nam ſi paſsiuum intelligi, & actualis intellectio idem ſunt formaliſsimè, ſequitur paſsiuũ amari, & amorem idem formaliſsimè eſſe; at hoc eſt falſum: ergo & iſte modus dicendi. Probo minorem: ſi hoc ita eſſet, Spiritui Sancto ex vi proceſsionis cõmunicaretur diuina volitio; cumque hæc ſit principium illius, erit ex vi proceſsionis ſimilis ſuo principio in attributo naturæ: cumque hoc ſufficiat ad rationem imaginis, vt clarè colligitur ex doctrina D. Thomæ *infra q. 44. art. 1.* Spiritus Sanctus eſſet imago, quod eſt contra communem Theologorum doctrinam.

Rejcitur 1.

Secũdo.

Tertio.

48 *Præterea rejicitur.*

Quarto: nam diuina intellectio ſpecificatur ſaltim virtualiter ab eſſentia, vt eſt paſsiuè intelligibilis, nõ minus quàm volitio diuina ab eadẽ eſſentia, vt amabili; at ſpecificatum virtualiter ab ſpecificatiuo debet diſtingui: ergo intellectio, & paſsiuum intelligi virtualiter diſtinguentur. Quinto: nam licet intelligi, & intelligere non diſtinguerentur inter ſe virtualiter, eminenter tamen, ſeu æquialẽter diſtinguntur, non minus quã intellectio à diuina natura æquialenter, ſeu eminenter diſtinguitur, à qua vno ex prædictis modis procedit; at eminentialis iſta diſtinctio ſufficiens eſt, vt etſi Verbo communicetur formaliter paſsiuum intelligi ex vi proceſsionis, non communicetur diuina intellectio formaliter: ergo ſufficit, vt non procedat ſimilis in natura diuina ſub conceptu naturæ. Probo minorem: ſola eminentialis diſtinctio inter intellectionem, & naturam, ſufficiens eſt, vt à viſione beatifica participetur formaliter diuina intellectio, & non natura ſub cõceptu naturæ. Item, ſola eminentialis diſtinctio inter eſſentiam, vt ſortitur rationem ſpeciei, & vt exercet rationem naturæ, ſufficit vt vniatur cum intellectu beati formaliter diuina eſſentia ſub conceptu ſpeciei, & non ſub conceptu naturæ, aut intellectionis.

49 *Aliud eiuſdem doctrinæ exẽplum.*

Denique: ſola diſtinctio eminentialis in ratione verbi, & ratione Filij, ſufficit vt ſuppoſitũ verbi, Chriſtũ vt hominem, Filium naturalem conſ-

tituat

tituat, quin constituat illum in ratione Verbi: ergo pariter sola eminentialis distinctio inter intelligi, & intelligere diuinum, sufficiet, vt licet ex vi processionis communicetur Verbo diuinum intelligi, ei non communicetur formaliter diuina intellectio. Quod si dicatur, Verbo ex vi processionis, quia perfectissimū est, debere comunicari diuinum intelligi, & etiā ipsum intelligere, eo quod de ratione perfectissimi verbi est esse rem intellectam perfectissimo modo; & consequenter esse omne id, quod pertinet ad obiectum intellectum, & illud constituit. In contrariū arguitur: quia iam hoc non prouenit ex eo quod esse Verbi est intelligi, & esse Dei intelligere, sed ex alio principio; & consequenter, etsi admittatur intellectionem non constituere diuinam naturam, sed radicale intelligere; imò etiam si admittatur Dei naturam in aliquo attinente ad lineam essentiæ à linea intelligibili distincto, consistere, ratio D. Thomę erit efficax, quod Nos intendimus.

Resp.

Contra.

50 *Deniq; reijcitur.*

Denique: nam postquam D. Thomas *in art.* 2. probauit processionē Verbi esse generationē, quia est per intellectum, qui est assimilatiuus, & consequenter procedit in similitudinem naturæ, vt probaret *in artic.* 4. processionem Spiritus Sancti non esse generationem, non recurrit ad hoc, quod volitio, per quam procedit, non sit esse Dei, sed quia assimilatiua non est, & consequenter Spiritus Sanctus non procedit in similitudinē naturæ ex vi suæ processionis: ergo ratio D. Thomæ non ex eo desumitur, quia intellectio est formaliter natura diuina, secus autem volitio; sed quia intellectus est assimilatiuus ex proprio conceptu, secus autem voluntas. Videatur D. Thomas *quodlibeto 19. cap. 23. §. vltimo*, vbi ex eo quod esse Dei est velle ipsius, probat Spiritum Sanctum productum per voluntatem procedere in identitatem naturæ: ergo quando vtitur argumento ex identitate inter intelligere, & esse, desumpto, cō-

tendit solam consubstantialitatem probare, non similitudinē ex vi processionis.

51 *Si opponas.*

Si opponas, D. Thomam *in 2. articulo huius quæstionis* inde probasse Verbum procedere in identitate naturæ, quia per intellectionē procedit, quæ est esse Dei. Et 4. *Contra Gentes cap.* 11. quia intelligi est esse Verbi, & intelligere est esse Dei; at intellecta causali de identitate formali, non virtuali, conuincit intentum: ergo intelligendus est de identitate omnino formali distinctioni virtuali oppositā inter intelligere, & naturam diuinam, & passiuum intelligi. Probatur minor: Spiritus Sanctus procedit per velle, quod identicē est natura diuina; & tamen nō procedit in identitate naturæ sufficienti modo vt sit genitus: ergo vt ratio D. Thomæ conuincat in verbo, debet loqui de idētitate omnino formali inter intelligere, & passiuū intelligi.

Resp. 1.

Respondeo dupliciter, primo ad rationem geniti quatuor desiderari, primum, quod à viuente viuens procedat: secundum, quod à principio cōiuncto: tertium, quod in similitudinem naturę ex vi, & modo processionis: quartum, quod consubstantiale sit cū principio: D. Thomas ratione obiecta non tertium, sed quartum probauit, nempē consubstātialitatem, & ad istam sufficit identitas formalis intellectionis cum diuina natura, non requiritur identitas virtualis; & quia volitio est isto modo idem cum diuina natura, etiam illius terminus cōsubstantialis est suo principio: vnde ex hoc capite non excluditur à ratione geniti, sed solum ex eo quod non procedit similis ex modo suæ processionis, cuius signum manifestum est, quod *in vltima probatione* dicebam; nempe D. Thom. *in art.* 4. *& infra quæst.* 30. *art.* 2. *ad* 2. non ex eo probasse Spiritum nō esse genitum; quia velle Dei non sit esse Dei, sed quia voluntas assimilatiua non est, quod benē considerauit Marcus de la Serra *in præsenti.* Et

in ſolutione ad primum expreſſè docet D. Thomas quidquid eſt in diuinis eſſe vnum cum diuina natura: vnde ex parte illius vnitatis accipiẽda non eſt propria ratio huius, aut illius proceſsionis, ſed ſecundum ordinem vnius proceſsionis ad aliam; nempe ex eo, quod vna per intellectum eſt, altera per voluntatem: ſentit ergo D. Thomas diſcrimẽ vtriuſque proceſsionis non eſſe ſumendum ex identitate principij cum natura, ſed ex proprio modo operandi; nempè aſsimilatiuè, aut non aſsimilatiuè.

52 *Reſp. 2.*

Vel ſecundo dicatur, inter identificata formaliter, & virtualiter diſtincta, latitudinem eſſe penes magis, & minus, & ad rem præſentem diſcrimen conſiſtit in hoc, quod intelligere eſt eſſe Dei vt primum attributum naturæ, & vt attributum aſsimilatiuum; velle autem, vt ſecundum attributum, & non aſsimilatiuum; & quia communicare naturã, quæ eſt primũ, quod innenitur in aliqua re, pertinet ad primum, non autem ad ſecundum attributum: cõſequens eſt, quod ex identitate formali non qualibet, ſed per modum primæ potentiæ, & primæ operationis intellectualis cũ natura, rectè inferatur per intellectionem communicari Dei naturam formaliter; ſecus autem ex identitate volitionis cum eadẽ natura; quia nec primum attributum eſt, nec operatio aſsimilatiua.

53 *Quint⁹ modus explicã di reijci tur.*

Quintus modus dicendi eſt aliorum conſiderãtium vtramque iſtam proceſsionem, & ſub conceptu communi proceſsionis diuinæ, & ſecundum differentias ſpecificas: ſub priori ratione aſſerunt vtramque terminari formaliter ad diuinam naturã, ſub poſteriori autem ſola verbi proceſsio: quia per intellectum eſt, & ideò illa ſola obtinet rationem generationis. Sed nec placet modus iſte dicendi: non enim ſtat quod ratio communis petat pro formali termino naturam ſub conceptu naturæ, & quod ratio contrahens naturam non inſpiciat pro termino: ergo ſi proceſsio Spiritus Sancti ex conceptu communi proceſsionis diuinæ habet terminari ad naturam ſub conceptu naturæ, id etiam ſub differentiali cõceptu obtinebit: & cõſequenter erit generatio. Secundo: nam ſi vtraque proceſsio ſub conceptu cõmuni habet pro termino ſimilitudinem cum principio in natura: ergo vtraque ex cõceptu communi generatio eſt; & conſequenter neutra ſub differentiali habere poterit rationem oppoſitam.

54 *Sexta explicatio impugnatur.*

Sextus modus explicandi oppoſito modo ſe habet, & aſſerit vtranque iſtam proceſsionem ſecundum ſuam vltimam differentiam terminari ad ſimile in natura: quia tamen ſola proceſsio Verbi id habet ex differentiali ratione, & communi; quia eſt per intellectum, qui ex conceptu communi habet producere terminũ ſimilẽ: hinc eſt quod ſola Verbi proceſsio generatio ſit. Sed nec ſatisfacit iſta explicatio, tũ: nam proceſsio Verbi ex cõmuni conceptu creatæ, & increatæ, non habet niſi ſimilitudinem ſolum intentionalem, vel abſtrahentem à naturali, & intentionali; at hæc ad rationem generationis ſufficiens non eſt: ergo ſi eſt generatio hoc habet, quia ex conceptu differentiali proceſsionis intellectualis diuinæ terminatur ad ſimile in natura; & conſequenter ſi id ipſum cõuenit proceſsioni Spiritus Sancti, nihil illi deerit vt generatio ſit. Tum etiam: nam abſque fundamento aſſeritur ad rationem generationis requiri, quod ex vtroque conceptu, communi, ſcilicet, & differentiali, petat terminari ad ſimile in natura cum producente.

55 *Vltima explicatio reijcitur.*

Vltimo explicari poteſt ratio D. Thomæ, aſſerendo vtramque iſtam proceſsionem terminari ad ſimile in natura, veluti quoad ſubſtantiam, non quoad modum, ſed hoc ſolum proceſsioni Verbi competere, quia eſt per intellectum, qui habet producere modo aſsimilatiuo, & ideo hãc ſolam eſſe generationem; nec nouum eſt duas actiones ad vnum, & eundem

terminum terminatas, diuersificari ex modo tendendi, quod videtur fundari in D. Thoma, qui vbicumque loquitur de his processionibus, ideò asserit Verbum esse genitum, quia ex modo suæ processionis habet similitudinem in natura cum Patre. Verum contra istam explicationẽ obstat in primis, quod verba illa Diui Thomæ *ex modo suæ processionis*, idem sonant, atque *ex vi processionis*, vt ferè omnes Theologi interpretantur; at eo ipso, quod vtraque processio habeat formaliter terminum similem in natura, vtraque ex vi processionis naturam communicat: ergo vtrique conuenit ratio generationis. Secundo: nam potentia generatiua humana non alia ratione habet modo assimilatiuo producere, nisi quia petit communicari termino naturam principij secundum conuenientiam specificam: ergo si potentia volitiua diuina petit cõmunicare impulsui producto naturam principij secundum conuenientiam numericam, habebit modum assimilatiuum sufficiẽtẽ, vt processio per illam sit generatio, & terminus productus sit Filius, & genitus.

§. V.

Vera rationis D. Thomæ explicatio.

56 *Vera explicatio rationis D. Tho.*

EXaminatis iam aliorum placitis, restat vt proprium in hac re proferamus, & quod antiquorum Thomistarum menti iudicamus conformius. Pro quo sit prima conclusio: *Ideò processio Verbi est generatio, quia est per intellectum, qui ex proprio conceptu assimilatiuus est.* Hanc iudico de mente Caietani, Ferrarę, Zumelis, & Bañez, & probo in hunc modum: ideò Verbum est genitum, quia ex vi suæ processionis est simile producenti in natura; at hoc habet, quia per intellectũ procedit, qui est assimilatiua potentia: ergo ideo processio Verbi est generatio, quia est per intellectum, qui est assimilatiua potentia. Discursus est euidens. Maior ex iam dictis est certa: nam id sufficit, & requiritur ad generationem viuentium. Minor autẽ probatur: intellectus vt abstrahit à creato, & increato, est assimilatiuus: intellectio namque per assimilationem fit, & intelligere est fieri rem intellectam; quo circa vt docet D. Thomas *supra q. 14. ar. 1.* ex Philosopho, intellectus habet fieri quodãmodo omnia, & intelligendo lapidem fit lapis, & hominẽ homo, &c. ergo in supremo, & perfectissimo sui analogato est assimilatiuus perfectissima similitudine, qualis est in identitate naturæ; & consequenter Verbum, quatenus per diuinum intellectum procedit, accipiet ex vi processionis naturam diuinam.

57 *Contra istã explicationem arguitur primo.*

Contra istam conclusionem arguitur primo: de ratione geniti, & Filij est esse similem in natura sub cõceptu naturæ; at Verbũ, ex eo quod per intellectum procedat, non est simile producenti in natura sub conceptu naturæ: ergo hac ratione non probatur esse genitum, & Filium. Minor probatur: intellectus ex proprio conceptu solum est assimilatiuus termini ad obiectum, & speciem impressam, quæ vnitur ex parte principij; at ratio obiecti, & speciei virtualiter distinguuntur à natura diuina sub conceptu naturæ: ergo ex eo quod Verbum per intellectum procedat non est simile producenti in natura sub conceptu naturæ.

Resp. Respondeo negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: ad speciem, & obiectum secũdum conditionem speciei, aut obiecti, nego maiorem: secundum natu-

ram,

ram, quæ est obiectum speciei, concedo maiorem, & omissa minori, nego consequentiam: nam intellectus Verbum producens nō intendit exprimere rationem speciei impressæ, aut rationem obiecti, sed naturam in specie contentam, & quæ exercet munus obiecti; vnde quamuis munus speciei, & obiecti à natura, distinguantur virtualiter adæquatē, non sequitur Verbo, ex quo per intellectum procedat, non communicari naturam sub conceptu naturæ.

58 *Secūdo arguitur.* Secundo arguitur: de ratione geniti, & Filij est assimilari producenti in natura sub modo essendi naturali; at Verbū ex vi processionis per intellectum perfectissimum non assimilatur producēti in natura, sub modo essendi naturali, sed intelligibili, & intentionali: ergo ex eo quod per intellectum procedat, non rectē probatur illius processionem esse generationem. Maior supponitur, & probo minorem: intellectus in perfectissimo sui analogato solum exposcit producere perfectissimē simile in esse intelligibili; sed hæc saluatur absque identitate virtuali cum similitudine in esse naturali, cum sola identitate formali: ergo ex vi processionis per intellectum non est simile producenti in natura sub modo essendi naturali, sed solum intelligibili, & intentionali. Probatur minor: quia vnio affectiua est extra lineam identitatis in esse naturali, potest saluari impulsus perfectissimus cum perfectissima vnione affectiua absq; identitate in esse natutali ex vi processionis, vt *conclusione sequenti* dicemus; at identitas in natura sub modo essendi naturali est extra lineam identitatis in esse intelligibili; cum genus intelligibile distinguatur virtualiter ab esse entitatiuo: ergo potest saluari perfectissima similitudo in esse intelligibili absque identitate virtuali cum similitudine in esse entitatiuo, & naturali; & consequenter Verbo ex vi processionis per intellectum perfectissimum solum prima similitudo communicabitur formaliter, alia autem identicē, quod non sufficit vt ex vi processionis sit Filius.

Ad hoc argumentum respondeo primo negando genus intelligibile passiuum distingui virtualiter ab esse entitatiuo, & naturali in Deo, sed esse vnum, & idem absque virtuali distinctione; cumque intellectus in perfectissimo sui analogato petat producere perfectissimē simile in esse intelligibili, si hoc in perfectissimo ente ab esse entitatiuo non distinguatur, habebit intra propriam lineam producere perfectissimē simile in esse entitatiuo. Sed dices genus intelligibile actiuum, & passiuum sunt intra eandem lineam; at genus intelligibile actiuum proximum est linea distincta ex æquo à genere entis, adhuc in Deo; cum in sententia satis probabili, tam intellectio, quam potētia proxima intellectiua sint extra constitutionem metaphysicam diuinæ naturæ: ergo intelligibile passiuum est extra lineam entis in Deo, & ab illa virtualiter distinguitur.

59 *Resp. 1.* *Sed dices.*

Resp. Respondeo negando minorem: nam intellectiuum radicale, & proximum in Deo non sunt lineæ distinctæ ex æquo, sed intra eandem lineam genericam intellectualitatis continentur, etsi veluti specie in illa distinguantur, quod sufficit vt sint extra constitutionem metaphysicam diuinæ naturæ.

60 *Instabis* Instabis: etsi intellectus sit intra eandem lineam genericē cum diuina natura: quia tamen non est intra eādem veluti speciem, saluatur perfectissimus intellectus absque identitate virtuali cum diuina natura; at licet intelligibile proximum, & diuina natura intra eandem lineam contineantur, distinguuntur tamen veluti specificē in illa: ergo saluari poterit perfectissimē simile in linea intelligibili absque identitate virtuali cum similitudine in esse naturali. Probatur minor: vis proximē intellectiua nō est in eadem veluti spe-

cie

cie cũ natura diuina: ergo neq; proxima intelligibilitas erit in eadem ſpecie cum illa. Patet conſequentia primo: quia eſt par ratio in vtroque. Secundo: quia vis proximè intellectiua, & ratio proximè intelligibilis ſunt ſimul; at ratio naturæ prior eſt vi proximè intellectiua: ergo & ratione proximè intelligibili. Tertio: quia non aliunde colligimus rationem amabilis, & boni eſſe extra lineam naturæ diuinæ, niſi quia vis proximè volitiua exiſtit extra lineam naturæ: ergo idem quod prius.

61 *Reſp.* Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem, ad cuius probationem nego conſequentiam, ad primã probationem nego paritatem rationis, & diſcrimen conſiſtit in eo, quod vis proximè intellectiua eſt potentia vitalis vt *quoa*, ſicut autem actio vitalis abſque virtuali ſaltim elicientia ſubſiſtere nequit, nec iſta abſque virtuali diſtinctione à principio, ita potentia vitalis vt *quoa* abſque virtuali dimanatione à principio radicali vitæ non poteſt ſaluari; & conſequenter abſque eo, quod virtualiter diſtinguatur ab illo, quæ ratio in proxima intelligibilitate non militat; & conſequenter neceſſarium non eſt, quod à diuina natura virtualiter diſtinguatur. Ad ſecundam probationem diſtinguo maiorem: ſimultate *in quo*, concedo maiorem: ſimultate *à quo* virtuali, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Ad tertiã, nego cauſalem, ſed quia prius intelligitur Deo conuenire intellectum, quã proxima amabilitas, ac proinde cũ intellectus naturam conſtitutã ſupponat, etiam amabilitas proxima ſupponit cõſtitutam naturam, quod autem proxima amabilitas intellectum ſupponat, patet: nam ſicut nihil eſt proximè intelligibile, niſi vt in ſpecie vnitum intellectui; ita nihil eſt amabile proximè, niſi vt media cognitione vnitum voluntati, ſeu illi propoſitum.

62 Quia tamen ſententia probabilis eſt, genus intelligibile paſsiuũ à natura diuina diſtingui virtualiter, ſicut actiuum, ideò vt rationem Diui Thomæ non coarctemus opinioni probabili, reſpondeo ſecundo ad argumentum factum conceſſa maiori, negando minorem, ad cuius probationem, nego maiorem: nam licet intellectus creatus, quia imperfectus eſt, ſolum ſit aſsimilatiuus termini cum obiecto in eſſe intentionali, & intelligibilis, intellectus tamen diuinus intra propriam lineam, & ex differentia contractiua formaliter intellectus vt ſic, habet aſsimilare, nedum in eſſe intelligibili, verum etiã in eſſe naturali, & entitatiuo: vnde intellectus abſtrahens ab vtroque, etſi poſitiuè non petat aſsimilationem in modo eſſendi naturali; permittit tamen in aliquo ſibi inferiori hanc aſsimilationem.

Secũdo reſp. cõſequentius ad noſtram doctrinam.

63 *Oppones.* Oppones: ſuppoſita virtuali diſtinctione intra lineam entis, & intelligibilis, aſsimilatio in eſſe naturali, & aſsimilatio in linea intelligibili non poſſunt formaliter pertinere ad eandem potentiam, ſicut, quia vnio affectiua, & identitas in eſſe naturali diſtinguuntur, nõ poſſunt ſpectare ad eandem potentiam; at ſimilitudo in eſſe intelligibili ſpectat ad intellectum diuinum pront intellectus eſt: ergo ad illum ſpectare non poteſt formaliter ſimilitudo in eſſe naturali, ſed identicè ſolum, quod non ſufficit, vt terminus per illũ productus ſit genitus.

Reſp. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: æquè primo, concedo maiorẽ: vna primo, & alia ex cõſequenti, nego maiorem; & diſtinguo minorem: per ſe primo, nego minorem: ex cõſequenti, concedo minorem, & nego conſequentiam.

64 *Inſtabis.* Inſtabis: ſimilitudo in eſſe intelligibili ſpectat per ſe primo ad intellectum diuinum: ergo naturalis ſolum ex conſequenti, & identicè ad illam ſpectabit; ſiquidẽ vtraque æquè primo ad diuinum intellectum ſpectare non poteſt. Antecedens probatur primo: ea ſimilitudo ſpectat

per ſe primo ad diuinum intellectum, quæ per ſe primo ſpectat ad creatum, ſublatis imperfectionibus; at qui ad intellectum creatum ſpectat per ſe primo ſimilitudo in eſſe intentionali, & intelligibili: ergo hæc denudata ab omni imperfectione ſpectabit per ſe primo ad intellectū diuinū. Secundo probatur: quia non aliunde colligimus voluntatem diuinam per ſe primo terminari ad impulſum perfectiſsimum, niſi quia voluntas creata habet pro termino, non ſimilitudinem, ſed impulſum; at intellectus creatus pro termino habet, non ſimilitudinem in eſſe naturali, ſed intelligibili, & intentionali: ergo intellectus diuinus per ſe primo terminabitur ad ſimilitudinem perfectiſsimam in eſſe intelligibili, non autē ad ſimilitudinē in eſſe naturali.

65 *Reſp.* Reſpondeo, negando antecedens, ad primam probationem dicatur, quod licet ſimilitudo in eſſe intelligibili perfectiſsima ſaluetur in Deo abſque identitate virtuali cum ſimilitudine in eſſe naturali per ſolam identitatem formalem cū illa, quod autem hæc ſimilitudo intendatur per ſe primo, & non ſimilitudo in eſſe naturali, dicit imperfectionem; quia ſolus ille intellectus intendit per ſe primo communicare Verbo ſimilitudinem repræſentatiuam, qui Verbum ex neceſsitate producit, vt in illo intelligat obiectum, hoc autem imperfectio eſt; & ideo per ſe primo intendere ſimilitudinem intentionalem in Verbo producto, imperfectionem Deo repugnantem inuoluit. Et ex his ad ſecundam probationē conſtat ſolutio.

66 *Si dicas* Si dicas, volūtas diuina per ſe primo intendit, nō naturā cōmunicare, ſed attributū volūtatis, aut rationē impulſus, quin ex hoc inferatur producere impulſum ex neceſsitate ad amandum: ergo ſtare poterit in productione Verbi intendi per ſe primo intentionalem ſimilitudinem, & non naturalem, quin ex hoc inferatur Verbum ex neceſsitate, & non ex fęcunditate produci.

Reſp. Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: nam cū voluntas ſupponat perfectiſsimē cōmunicatam naturam diuinam ſub conceptu naturæ, poteſt per ſe primo intendere, non naturam, ſed impulſum, quin ex hoc colligatur impulſum ex neceſsitate producere: intellectus autem diuinus non ſupponit communicatam naturam ſub cōceptu naturæ: vnde ſi per ſuam actionem, non ſimilitudinem in eſſe naturali, ſed in eſſe repræſentatiuo, & intētionali intenderet, ideo eſſe deberet, quia Verbum non ex fęcunditate, ſed ex indigentia produceret. Ad ſecundam antecedentis probationem conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam; quia ex humanis ad diuina aſcendimus ſublatis imperfectionibus; & quia in hoc quod diuina voluntas per ſe primo intendat, non ſimilitudinem, ſed ſolum impulſum, nulla imperfectio importatur, vt paulo antedicebam, recte colligitur, ex eo quod voluntas creata impulſum producat, diuinam ſolum intēdere perfectiſsimū impulſum producere. In hoc autē quod dicim⁹, quod intellectus per ſe primo intendat ſimilitudinem repræſentatiuam, & intentionalem, imperfectio importatur productionis Verbi ex indigentia, & id circo ex eo quod intellectus creatus ſimilitudinem intentionalem intendat, non rectē colligitur diuinum intellectum per ſe primo intendere illam, etſi perfectiſsimam.

67 *Tertio principaliter arguitur.* Tertio principaliter arguitur; Verbo, ex eo quod per intellectum procedat, communicatur ex vi proceſsionis intelligi per modum actus ſecundi; at hoc intelligi non eſt conſtitutiuē natura diuina, ſed aliquid conſequutum ad illam: ergo ex eo, quod per intellectum procedat, non communicatur illi ex vi proceſsionis natura ſub conceptu naturæ; & conſequenter ex hac ratione non probatur eſſe filium. Conſequutio tenet, minor ſupponitur. Maior autē probatur; Verbo ex vi proceſsionis per intellectum communicatur primo, &

forma-

formaliter id, per quod in ratione Verbi formaliter constituitur; at in ratione Verbi formaliter constituitur per intelligi passiuum per modũ actus secundi: ergo Verbo ex vi processionis per intellectum communicatur intelligi per modum actus secundi. Maior videtur nota: tum paritate impulsus, cui ex vi processionis communicatur id, quo in ratione impulsus formaliter constituitur: ergo & Verbo id, quo in ratione Verbi constituitur, debet primo ex vi processionis communicari. Tum etiam: nam ratio Verbi, & Filij, est eadem re, & ratione in communi Thomistarum sententia; at comunicatur illi ex vi processionis id, quo constituitur in ratione Filij ex parte naturæ: ergo & id, quo in ratione Verbi constituitur. Minor autem ostenditur primo: nam Verbum in ratione Verbi constituitur per aliquid spectans ad lineã intelligibilem passiuam; at non per radicalem, aut proximam intelligibilitatem: ergo per intelligi passiuum per modum actus secundi. Secundo: nam species impressa constituitur per proximam intelligibilitatem passiuam: ergo per intelligi actuale passiuũ cõstituitur Verbũ in ratione Verbi. Tertio: nam Verbũ ex propria ratione est vltima actualitas lineæ intelligibilis passiuæ; sed vltima actualitas huius lineæ est actuale intelligi: ergo per actuale intelligi constituitur. Quarto: nam sic se habet Verbũ in linea intelligibilitatis passiuæ, sicut intellectio in actiua. Deniq; probatur ex D. Th. 4. *Cõtra gentes cap.* 11. vbi ait, quod esse Verbi est intelligi: ergo idem quod prius.

68 *Notantur aliqua pro solutione argumenti.*

Vt ad hoc argumentum respondeam, adverto, quod sicut hoc nomen *Persona diuina* in recto importat relationem prout est forma hypostatica, & de connotato naturam, vt docet D. Thomas *infra quæst.* 29. ita hæc nomina, *Filius*, *Verbum*, & *impulsus* in recto relationem important, & de connotato formam absolutam. Adverto secundo, quod licet Verbum, & Filius, conueniant re, & ratione in eo, quod dicunt in recto, nempe in relatione, differunt tamen in eo, quod importãt de connotato, & in obliquo: nam Filius in obliquo importat naturam sub conceptu naturæ; Verbum autem importat naturam, non sub conceptu radicis attributorum, qualiter obtinet rationem naturæ, sed sub conceptu repræsentantis actualiter, primo diuinam essentiam, & secundo alia, quæ per intellectũ diuinum secundario attinguntur. Quod docuit D. Thomas *quæst.* 4. *de veritate art.* 4. *ad sextum*; vbi ait, quod licet Filius, & Verbum ex eadem proprietate personali sumantur, differunt tamen in modo significandi; quia ly *Verbum* importat rationem manifestationis, quam non dicit Filius. Ex quo oritur, quod dicatur Verbum creaturarum, non vero illarum Filius.

Animaduerto tertio, quod si de constitutiuo Verbi, aut Filij pro eo, quod importat in recto, loquamur, nec communicatur formaliter ex vi processionis id, quo in ratione Verbi constituitur, nec id, quo constituitur in ratione Filij. Quod patet: nam id communicatur formaliter ex vi processionis, quod est terminus formalis illius; cum autem relatio terminus formalis non sit, vt constat ex dictis *disputatione* 72. fit consequens, quod non communicetur formaliter ex vi processionis; cumque relatio sit constitutiuũ formale Verbi, & Filij secundum id, quod importat in recto, non communicatur formaliter ex vi processioni; tale cõstitutiuum; si autem loquamur de eo, quod in obliquo importatur in Filio, & in Verbo, hæc est differentia, quod communicatur primo importatum in obliquo in nomine Filij, nempe natura sub conceptu naturæ, non autem importatum in obliquo in Verbo, videlicet ratio repræsentationis.

69 *Cõstitutiuũ in recto nõ communicatur ex vi processionis.*

Quibus positis ad argumentum respondeo negando maiorem, sed sicut ratio intelligibilitatis in specie

70 *Resp. arg.*

cie

impreſſa,& obiecto,non eſt cui aſsimilatur Verbum vt Filius ; ita nec intelligi paſsiuum eſt,quod primo ei ex vi proceſsionis communicatur. Ad probationem nego etiam maiorem, ad primam illius probationem, nego conſequentiam,& ratio diſcriminis eſt : nam actio voluntatis ſupponit iam communicatam naturam ex vi proceſsionis,& ideo per ſe primo intendit communicare attributum naturæ ; actio verò intellectus non ſupponit communcatam naturam,& ideo illam, & nõ attributum: quale eſt ratio repræſentatiui , aut paſsiuum intelligi, per quod Verbũ, vt per connotatum conſtituitur , intendit communicare. Ad ſecundam probationem diſtinguo maiorem; ratio Verbi,& Filij ſunt idem pro eo, quod important in recto , nempe relationem, concedo maiorem;pro eo, quod importãt de connotato , & in obliquo,nego maiorem,& diſtinguo minorem: id,quo Filius conſtituitur ſecundum importatum in obliquo, concedo minorem ; quod illi communicatur ex vi proceſsionis id,quo in ratione Filij conſtituitur,pro eo, quod importat in recto,nego minorem,& conſequentiam. Quæ ſolutio ex prænotatis facile intelligitur.

71 *Obijcies* 1. Sed oppones primo Auguſtinum *lib.* 10. *de Trinitate cap.* 2. vbi de ſecunda perſona loquens ait: *Eo Filius, quo Verbum, & eo Verbum quo Filius*: ergo ex Auguſtino per idem conſtituitur in ratione Verbi, & Filij. *Secũdo.* Secundo:nam Verbum diuinum, prout Verbum eſt reduplicatiuê , eſt explicitè Filius ; illi enim prout ſic conuenit diffinitio generationis viuentium; cum procedat viuens à viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ: ergo id,per quod in ratione explicita Verbi conſtituitur , communicatur illi ex vi proceſsionis. *Tertio.* Tertio proceſsio Verbi ſub omni cõceptu eſt generatio , alias darentur plures proceſsiones,quam duæ: ergo terminus illius ſub omni conceptu eſt genitus, & Filius. *Quarto* Quarto : proceſsio Verbi quatenus terminatur ad illud, vt Filium,eſt formaliter intellectio: ergo quatenus terminatur ad Verbum,ſub ratione Filij, terminatur ad Verbum ſub expreſsiſsima Verbi ratione. Patet conſequentia;quia actio intellectus non poteſt intelligi terminata vt productio , niſi ad terminum vt explicitê Verbum. *Quinto* Quinto ratio dictionis eſt formaliſsimè generatio: ergo terminus dictionis eſt formaliſsimê terminus generationis; at terminus dictionis,vt dictio , eſt Verbum,vt Verbum: ergo Verbum, vt Verbum , eſt formaliſsime terminus generationis ; & conſequenter formaliſsimê Filius. *Sexto.* Denique ; nam Pater vt generans,eſt formaliter intelligens : ergo Filius vt genitus eſt formaliter intellectus, & ipſum generari eſt intelligi; at Filius vt intellectus,eſt formaliſsimê Verbum : ergo quatenus Filius eſt formaliſsime Verbum.

72 *Reſp. ad 1. inſtantiam.* Reſpondeo ad primã ex his obiectionibus explicando Auguſtinũ de Verbo,& Filio pro eo,quod importãt in recto,non autem pro eo quod dicunt connotatiuê , & in obliquo; aliàs ſicut dicitur Verbum creaturarum, ita etiam diceretur illarum Filius, & ſicut inconueniens non eſt, quod ratio impulſus,& ratio perſonæ in Spiritu Sancto non ſint re , & ratione omnino idem pro eo , quod in obliquo important , ita inconueniens cenſeri non debet, quod Verbum,& Filius ratione differant pro eo,quod important in obliquo,ſi vtrobique ſit omnimoda conuenientia in eo quod important in recto, nempê in relatione.

Ad 2. Ad ſecundum nego antecedens loquendo de Verbo,& Filio ſecundum in obliquo importatum , nec prout ſic illi explicite conuenit diffinitio generationis explicita; quia non explicat ſimilitudinem naturalem in natura diuina, ſed in attributo naturæ , ſcilicet ſecundum rationem repræſentatiuam,& intentionalem, licet præſupponat ſimilitudinẽ naturalem in natura diuina.

Ad 3. Ad tertium , nego antecedens,

nec mirum debet esse, cum *infra q.* 34. simus dicturi Verbum sub aliqua ratione libera ex scientia libera creaturarum procedere; cum tamen generatio diuina sub nulla ratione sit libera, aliàs daretur Filius libere talis, quod nunquam audiui. Nec sequitur dari plures processiones, quam duas, sed in vna, & eadem processione dari munia diuersa, seu diuersa exercitia, sub quorum vno terminatur ad genitum, & sub alio ad Verbum, vt Verbum. Nec ex hoc sequitur esse duas processiones ex terminorum diuersitate: nam ad hoc requirebatur, quod eque primo vtrũque munus ingrederetur, quod tamẽ non ita contingit, sed primo munus generationis, secundo productionis Verbi sub explicita Verbi ratione.

73 *Ad 4.* Ad quartam concesso antecedenti, nego consequentiam, ad eius probationem distinguo antecedẽs, illud que concedo de actione intellectus producente Verbum ex indigentia, nego autem de illa, quæ Verbum nõ ex indigentia, sed ex fœcunditate producit, qualis est diuina intellectio; hæc enim non repræsentationẽ, per quam Verbum in ratione Verbi constituitur, intendit primario, sed naturam, qua in ratione Filij constituitur. *Ad 5.* Ad quintã distinguo antecedens: sub omni conceptu, nego antecedens: sub conceptu, & munere primario, concedo antecedens, & distinguo consequens: terminus dictionis sub conceptu primario, concedo cõsequentiam: sub conceptu veluti secundario, nego consequentiam, & sub eadem distinctione minoris sub sumptæ, negãda est consequẽtia. Ita que sicut in termino producto, & est ratio Filij, & est ratio Verbi, quæ distinguũtur quantũ ad connotata: nã vt Filius dicit relationẽ subsistentem in natura diuina sub cõceptu naturæ, & vt Verbũ relationẽ vt subsistentẽ in naturæ attributo, scilicet repræsentatione; ita in dictione datur duplex munus, seu duplex cõceptus, alter generationis terminatus ad Filiũ vt subsistentẽ in natura diuina, & alter expressionis terminatus ad Verbũ vt repræsentatiuũ, priorẽ cõceptũ terminat Filius vt Filius, posteriorẽ autem Verbum, vt Verbum.

74 *Ad vlt.* Ad vltimã concesso antecedẽti, & prima cõsequẽtia, distinguo minorẽ: vt intellectus quatenus subsistẽs in natura sub conceptu naturæ, nego minorẽ: vt intellectus sub ratione repræsentantis, concedo minorem, & nego consequentiã: nã vt Filius nõ intelligitur vt repræsentans formaliter, sed vt subsistens in natura diuina sub cõceptu naturæ. *Si dicas* Si dicas, vt generatio est formaliter intellectio: ergo terminus formalis illius vt generationis, est terminus formalis eiusdẽ vt est intellectio; at terminus formalis diuinæ intellectionis nõ est natura sub cõceptu naturæ, supposito quod spectet ad lineã entitatiuã distinctam à linea intelligibili, sed est natura vt intelligibilis: nã obiectũ intellectus est verũ: ergo terminus formalis illius, quatenus generatio non erit natura sub cõceptu naturæ, sed natura vt spectat ad lineã intelligibilem. *Resp.* Respondeo, obiectũ, seu terminũ formalẽ intellectus diuini, nõ esse verũ, vt verũ, sed rei quidditatẽ, veritate vt modo ingrediente, vt docẽt Caietanus *supra quæst. 16. art. 3.* in explicatione *solutionis ad tertiũ*. Nazarius *ibidem* & Illustrissimus Araujo *tom. 1 metaphysicæ lib. 4. q. 5. art. 1. n. 4. & 5.* Pro quo videantur Patres Salmãticenses *disp. 2. dub. 2. n. 72.* hæc necessario videntur dicenda, supposita virtuali distinctione inter esse entitatiuũ, & intelligibile passiuũ in Deo.

75 *Secũdo ad 3. argumẽtũ resp.* Nihilominus potest secũdo ad tertiũ argumẽtũ responderi, quod sicut intellectus ex indigentia Verbũ producens per se primo intẽdit Verbi repræsentationẽ, secus autẽ intellectus Verbũ ex fecũditate producens, qui nõ similitudinẽ Verbi intẽtionalẽ, sed naturalẽ intendit primo, ita Verbũ, quod ex indigentia producitur, primo, & per se per similitudinẽ intẽtionalẽ constituitur, Verbũ autẽ ex fœcunditate productũ, primo, & per se petit similitudinem in natura in esse

naturali;& veluti ſecũdario in eſſe intelligibili,& intentionali. Iuxta quã ſolutionem ad argumentum tertium principale neganda eſt maior, ad cuius probationẽ, cõcedo maiorẽ, & nego minorem, ad primã probationem, nego maiorẽ de cõſtitutiuo primario, concedo autem de conſequẽti,& veluti modali, quando Verbum ex fęcunditate producitur: nam cum tale Verbũ non ſit imago intẽtionalis, ſed imago naturalis, non eſt ex primaria intẽtione vt repræſẽtet, ſed vt ſit, ſicut in imagine naturali cõtingit: vnde non per eſſe intẽtionale, ſed per naturale primario cõſtituitur.

Ad 1. probationem minoris

Ad ſecundam dicatur, etiam conſtitutiuum primariũ eſſentiæ diuinæ, vt habet rationẽ ſpeciei, eſſe naturã ſub modo eſſendi naturali, intelligibilitate, vt modo, ſeu aliquo conſequenti ingrediẽte. Ad tertiã dicatur, antecedens eſſe verũ de Verbo ſecundũ eſſe cõſequens,& ſecundarium, nõ autẽ ſecundũ eſſe illius primarium,& primo cõſtitutiuũ. Perquod ad alias probationes conſtat ſolutio. Quando autẽ D. Th. dicit, quod eſſe Verbi eſt intelligi, interpretari poteſt primo in ſenſu identico; ſicut quãdo aſſerit, quod eſſe Dei eſt intelligere. Secũdo de eſſe non cõſtitutiuo, & primario, ſed vel primario vt in Verbo creato, vel ſecundario vt in Verbo increato. Vel deniq; interpretari poteſt in ſẽſu cauſali, ſcilicet eſſe Verbi, medio intelligere vt actione,& intelligi vt veluti paſsione, cauſatur, vel procedit.

76 Cæteræ probationes diluuntur.

Denique principaliter arguitur, etſi diuinum Verbum per intellectum procedat, illi communicatur per ſe primo diuina intellectio; at intellectio non eſt natura Dei conſtitutiuẽ, ſed ſolum identicẽ: ergo ex eo quod per intellectum procedat, non recte probatur illi communicari diuinam naturam formaliter ex vi proceſsionis, ſed ſolum identicẽ, quod ad rationem Filij non ſufficit. Maior, in qua eſt difficultas, oſtenditur primo: nam Verbum ex vi proceſsionis per intellectum eſt ſapiẽtia genita: ergo communicatur diuina ſapientia ex vi proceſsionis formaliter. Secundo: idem communicatur formaliter ex vi proceſsionis, quod formaliter ingreditur ex parte principij; at ex parte principij formaliter ingreditur diuina cognitio, qua Pater ſe,& omnia cognoſcit: ergo hæc communicatur formaliter ex vi proceſsionis. Tertio: nã Pater ſub eadẽ ratione eſt dicens,& generans, alias eſſent plures, quã quatuor relationes reales in diuinis; at Verbo vt terminanti dictionẽ per ſe primo,& formaliter cõmunicatur diuina intellectio: ergo etiam vt termino generationis. Probatur minor, Pater vt dicens, & loquens exprimit per ſe primo,& formaliter mẽtẽ; at nõ illã prout in actu primo: ergo prout in actu ſecundo; & cõſequẽter actualẽ intellectionem.

77 Deniq; arg.

Ad hoc argumentum Granadus *vbi ſupra* reſpõdet, quod vt Verbum ſit Filius, ſufficit ei communicari ex vi proceſsionis diuinã intellectionẽ, quæ explicite eſt natura diuina repræſentatiuẽ,& implicitẽ in eſſe naturali. Hæc tamen ſolutio nõ placet, & reijcitur primo; nã falſum eſt Verbo, nec vt Filio, nec vt Verbo per ſe primo communicari diuinam intellectionem, niſi in illa Dei natura cõſiſtat, vt cõſtat ex dictis inter impugnandum modũ dicendi Suarez. Secũdo: nam quod requiritur ad rationẽ generationis viuentium, debet diuino Filio competere ex vi proceſsionis formaliter; at qui ad illã requiritur ſimilitudo in natura ſecundũ cõceptũ naturæ: ergo ei ex vi proceſsionis debet cõmunicari, nõ implicite,& identicẽ, ſed explicite, & formaliter. Tertio: ad rationẽ generationis non ſufficit ſimilitudo in eſſe repræſẽtatiuo, ſed requiritur ſimilitudo naturalis in natura ſub cõceptu naturæ: ergo vt Verbũ ſit Filij nõ ſufficit, quod ei cõueniat ſimilitudo in eſſe repræſẽtatiuo ex vi proceſsionis,& in eſſe naturali ſub conceptu naturæ implicite ratione identitatis.

78 Solutio P. granadosim pugnatur.

Secundo reſpondet Meratius, quod licet Verbo communicetur primario diuina intellectio, & hæc

79 Solutio Meratij reijcitur.

non

constituat metaphysicè diuinam naturam; quia tamen intellectio est repræsentatiuè diuina natura, & non repræsentatiuè purè intentionalis, cum esse repræsentatiuum sit esse naturale Dei; sit consequens, quod cõmunicetur ei formaliter diuina natura in esse naturali, ad differentiam tertiæ personæ, cui communicatur volitio; & quia hæc nec repræsentatiuè est diuina natura, ideo ei non cõmunicatur formaliter ex vi processionis diuina natura. Sed nec placet ista solutio, quæ fere in idem cũ prima coincidit. Et reijcitur primo; quia diuina intellectio nec repræsentatiue est natura Dei: hoc enim quod est repræsentatiuè obiectum continere, non intellectioni conuenit, sed Verbo, vt traditur à nostris Thomistis *in libris de anima*, & *supra q.* 12. *art.* 2. Deinde: nam licet intellectio Dei sit repræsentatiuè diuina natura, non tamen est constitutiua Dei per modum naturæ: ergo si constituit Filium formaliter in ratione termini suæ processionis, non constituit illũ formaliter Deum; & consequenter non terminabit propriam processionem vt Deus, nec formaliter ratione naturæ, sed ratione attributi naturæ. Tertio: etsi esse repręsentatiuè Deũ, sit esse Deum sub conceptu naturæ formaliter realiter, non tamẽ est esse Deum sub ratione naturæ virtualiter, hoc est, absque virtuali distinctione à diuina natura sub conceptu naturæ: ergo si terminat ratione intellectionis, per quã constituitur in esse Dei repræsentatiuè, non terminat ratione naturæ sub conceptu naturæ, nisi solum identicè, quod ad rationẽ Filij non sufficit, vt constat clare in Spiritu Sancto.

80 *Resp.* 1. Vnde his omissis solutionibus ad argumentum factum respondeo primo, iuxta *primam solutionem, tertij argumenti*, distinguendo minorem, illamque omittendo de Verbo, vt Verbum est, negando autem de eodem prout Filio: nam cum non sit eadem ratio iuxta illam solutionem constitutiua Verbi, & Filij, ex parte absoluti, esto illi vt Verbo non communicaretur natura, sed diuina intellectio, dummodo ei vt Filio communicaretur, saluabitur quidquid ad generationem requiritur.

Resp. 2. Secundo respondeo negando maiorem, imo nec Verbum in creatis iuxta Thomistarum sententiam in intellectione consistit, sed in termino intellectionis realiter per illam producto, & ab illa distincto; quo circa in beatifica visione non admittunt Verbum, cum tamen creatam intellectionem negare non possint: vnde si Verbo diuino communicaretur intellectio, non inde esset, quia Verbum est, sed quia diuina intellectio Dei naturam constitueret.

81 *Ad 1. probat. maioris* Ad primam maioris probationem respondeo ex D. Thoma 4. *Contragentes cap.* 12. sapientiam sumi primo pro principio sapientiæ, secundo pro actuali sapientia, tertio pro termino per sapientiam producto, diuinum Verbum est, & vocatur sapientia in tertia acceptione, secus vero in secunda. *Ad 2.* Ad secundam probationem distinguo maiorem: quoad naturam in principio fęcundante conrentam, concedo maiorem: quo ad conditionem principij, nego maiorem, & concessa minori distinguo consequens: debet cõmunicari cognitio, nego consequentiam; natura cognita, concedo consequentiam: nã sicut Verbo procedenti ab intellectu per speciem impressam fœcundo non communicatur ratio speciei impræssæ, sed natura repræsentatiuè in specie contenta; ita diuino Verbo procedenti ab intellectu diuino vt fęcundo cognitione actuali, non communicatur ex vi processionis cognitio actualis, sed natura cognita, & in tali cognitione cõtenta intellectualiter. *Secũdo resp. ad istã probat.* Vel secundo ad istam probationem dicatur, ex vi processionis non communicari Verbo, primo, & formaliter principum proximum, sed remotum, & radicale, sicut in generatione creata contingit; intellectio autem, & si principium sit, non est principiũ

remotum, ſed proximum. Ad tertiam probationē omiſſa maiori, nego minorem, ad cuius probationem dicatur, loquentem non intendere per ſe primo exprimere in Verbo mentem, ſeu cōceptum formalem ratione ſui, ſed ratione obiecti cogniti, & in mēte contenti: vnde cum obiectum primarium diuinæ cognitionis ſit natura, hæc eſt, quam Pater loquens per ſe primo in Verbo producto intēdit exprimere.

Ad 3. prob.

§. Vltimus.

Secunda concluſio veræ ſententiæ.

82 *Ratio D. Tho. formatur.*

IDeò Spiritus Sanctus non eſt Filius, nec genitus; quia per voluntatem procedit, quæ aſsimilatiua potentia non eſt. Probatur reducendo rationem D. Thomæ ad hanc formam: ideò Spiritus Sanctus genitus non eſt, ſed procedens, quia ex vi proceſsionis non eſt ſimilis producenti in natura; at hoc habet quia per voluntatem procedit, quæ aſsimilatiua non eſt: ergo Spiritus Sanctus non eſt Filius, nec genitus, quia per voluntatem procedit, quæ aſsimilatiua potentia non eſt. Maior ex iam dictis conſtat; eo namque ipſo, quod Spiritui Sancto ex vi proceſsionis communicaretur formaliter diuina natura, nihil ei ad rationē geniti deficeret, ſed tota generationis diffinitio illi proceſsioni cōpeteret. Minor autē probatur; proprius modus operandi voluntatis non eſt per aſsimilationem ad obiectum amatū, ſed per propenſionem, & inclinationem in illud, producendo terminum non ſimilem obiecto dilecto, ſed impellentem, & in ipſum inclinantē: ergo quantuncūque creſcat voluntatis perfectio, nūquam habebit ex differentia intranea terminum ſimilem principio, vel obiecto producere, ſed impulſum perfectiſsimum intra lineā impulſus; & cōſequenter Spiritus Sanctus, quia per voluntatem producitur, nō erit ex vi proceſsionis ſimilis producēti in natura, ſed impulſus omnino perfectiſsimus; ac proinde, quamuis Dei naturam accipiat, erit identice; quia quod in Deo eſt, debet Dei naturam habere, non vero ex vi proceſsionis formaliter.

Vnde ad rationem dubitandi in principio poſitam, in forma reſpondeo negando minorē. Ad cuius probationem diſtinguo vltimam antecedentis partem: accipit diuinā naturam formaliter ex vi proceſsionis, nego antecedēs: identice ex eo quod, quidquid in Deo reperitur, eſt Deus, concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia ad hoc, quod proceſsioni Spiritus Sāncti generationis diffinitio cōpeteret, deberet ei ex vi proceſsionis cōmunicari diuina natura.

83 *Ratio dubitandi diluitur.*

Cæterum contra hanc ſolutionem, & rationem traditam, multipliciter inſurgunt Authores contrarij, primo in hunc modum: nam diffinitionibus rerum nihil eſt addendum, ſed vt ſunt in ſe accipi, debent; at in diffinitione generationis viuentium non eſt illa particula *ex vi proceſsionis*: ergo abſque fundamento illi additur, vt Spiritus Sancti proceſsio à ratione generationis excludatur.

84 *Contra ſolutionē arg. 1.*

Quod amplius explicari poteſt: vel proceſsioni Spiritus Sancti conuenit diffinitio generationis viuentium, prout ab Ariſtotele traditur, & ab omnibus admittitur, vel non? Si primum, erit generatio. Si ſecundūm: ergo neceſſarium non eſt addere illam particulā *ex vi proceſsionis*. Reſpondeo, rerū diffinitionibus nihil eſſe addendū, vt pars diffinitionis, poteſt tamen aliquid addi per modum explicationis alicuius partis illius, & hoc non eſt addere, ſed diffinitionem explicare; illa autem particula

Conf.

Reſp. arg.

ex vi processionis non additur vt pars prædictæ diffinitionis, sed ponitur ad explicandum, quod vt actio generatio sit, eius terminus debet esse formaliter similis, id est, per illam accipere primo, & formaliter id, in quo principio assimiletur. Et quidem vt vidimus, Vazquez, cuius est hoc argumentum, addit diffinitioni traditæ, quod debeat eius terminus procedere per modum imaginis: si ergo ipsi licet diffinitioni Aristotelis addere, cur non licebit D. Thomæ, & eius discipulis? Ad confirmationem dicatur, non conuenire istam diffinitionem processioni Spiritus Sancti, cæterum vt explicetur ista non conuenientia additur illa particula *ex vi processionis*, non vt noua pars diffinitionis, sed vt illius partium explicatio.

Ad cõf.

85 *Secundũ arg. diluitur.*

Obijciunt secundo; quod conuenit Spiritui Sancto, ei conuenit per processionem, & consequenter ex vi processionis; at Spiritui Sancto conuenit natura diuina: ergo ei conuenit per processionem, & ex vi processionis; & consequenter ex vi illius est similis producenti in natura. Respondeo, non omne, quod per processionem communicatur, conuenire termino ex vi processionis, sed solum id, quod est ratio formalis terminandi processionem, quod vero non est ratio formalis terminandi, licet communicetur per processionem ratione identitatis cum ratione formali, communicatur quidem per processionem, non tamen ex vi processionis; & quia licet natura diuina communicetur Spiritui Sancto, non est ratio terminandi processionem, sed quid identificatum cum ratione formali terminandi, nempe cum ratione impulsus, quæ formaliter terminat; consequens fit, quod quamuis communicetur per processionẽ, non tamen ex vi processionis.

86 *Obijciunt 3.*

Cæterum contra hanc solutionem obijciunt sic tertio: id, quo primo Spiritus Sanctus terminat processionem, est ratio formalis terminandi; at diuinitas est id, quo primo terminat processionem: ergo diuinitas est ratio formalis terminandi; & consequenter communicatur illi ex vi processionis. Maior est certa. Minor autem probatur: per id primo terminat, quod primo ei conuenit; at prius conuenit Spiritui Sancto diuinitas, quã quodvis attributum, tum quia diuinitas est attributorum radix, non solum in Deo, vt præintellecto personis, sed etiam in qualicumque persona. Tum etiam; quia aliàs de Spiritu Sancto demonstrari posset à priori diuinitas per attributum, quod illi prius conueniret; cum hoc esset ratio à priori cur illi conueniret diuinitas. Tum denique: nam in sententia probabili, natura Dei in intellectione consistit, nihil autem potest esse volens, quin prius sit intelligens; & consequenter prius Spiritui Sancto debet intellectio, quam volitio, competere: ergo nec voluntas, nec volitio, aut quodvis aliud attributum est, quod primo competit Spiritui Sancto, sed natura diuina; & consequenter diuinitas est ratio formalis terminãdi processionẽ.

87 *Resp.*

Respondeo concessa maiori, negando minorem, ad illius probationem, distinguo maiorem: quod primo in intentione, & in genere rationis finalis conuenit Spiritui Sancto, concedo maiorem: quod primo in exequutione, & in genere subiecti, & principij ei conuenit, nego maiorem, & distinguo minorem: primo in exequutione, & in genere subiecti, & principij conuenit Spiritui Sãcto diuinitas, concedo minorem: in intentione, & in genere rationis finalis, nego minorẽ, & consequentiam. Itaq; id, quod prius conuenit in intentione, & in genere finis, seu rationis finalis, est ratio prima terminãdi actionem, non id, quod prius conuenit in exequutione, & in genere subiecti, aut principij. Constat in multorum sententia asserentium vnica actione, produci partialem substantiam, & partialem quantitatem, quæ actio non à partia-

li ſubſtantia, quæ prior eſt in exequutione, & in genere ſubiecti, & principij, ſed à partiali quantitate, quæ prior eſt in intentione naturæ, & in genere cauſæ finalis, ſpecificatur. Conſtat etiam in aliorum ſententia aſſerentium vnica actione produci qualitates alteratiuas, & formam ſubſtantialem, quæ actio non à qualitatibus primario in exequutione, & in genere cauſæ materialis productis, ſed à forma ſubſtantiali, quæ prior eſt in intentione, ſpeciem deſumit; licet autem natura prius veluti exequutiue communicetur Spiritui Sancto, quam omnia attributa; quia eſſentia eſt veluti ſubiectum, & radix illorum, in intentione tamen nó ita contingit, ſed actio voluntatis primo in intentione ad communicãdum attributum inclinat, nempe rationem impulſus, & ideô non naturam, ſed attributum eſt ratio primaria terminandi ſpecificatiue proceſſionem, quæ fit per voluntatem.

88 *Replic.* Sed dices, quandocumque eadem actione producitur natura, & proprietas, natura non ſolum eſt prior in exequutione, ſed etiam in intentione: ergo etiam quando eadem actione communicatur natura, & naturæ attributum, natura gaudet vtraque præcedentia; at Spiritui Sancto eadem actione communicatur natura, & attributum: ergo natura diuina reſpectu talis actionis, nedum in exequutione, ſed etiam in intentione attributum præcedit.

Reſp. Reſpondeo, verum eſſe antecedẽs; quando primo producitur natura, & proprietas: ſecus autem quando non primo producitur, ſed iam primo producta ſupponitur, vt conſtat in augmentatione, quæ quia ſubſtãtiam productam ſupponit, licet producat partialem ſubſtantiam cũ partiali quantitate, non fertur intentio naturæ primo in partialem ſubſtantiam, ſed inquantitatem partialem. Iuxta quam diſtinctionem verum eſt primum conſequens, & conceſſa minori ſubſumpta, nego conſequentiam; quia proceſsio per voluntatẽ iam ſupponit communicatam naturam ſub conceptu naturæ per generationem Verbo, & ideó primario in intentione, non ad communicandam naturam, ſed ad attributum terminatur.

89 *Inſtabis 1.* Sed inſtabis primo, in exemplo adducto non produci ſubſtantiam totalem, ſed partialem ſolum: ergo quandocumque primo producitur ſubſtantia totalis cum proprietate, illa in intentione præcedit: ergo etiã quando cõmunicatur tota natura ſimul cũ proprietate, illa in intentione debet præcedere; at Spiritui Sancto tota communicatur natura diuina: ergo illa in intentione præcedit. *Secũdo.* Secundo: licet Dei natura ſupponatur communicata per aliam actionem Verbo diuino, non ſupponitur communicata Spiritui Sancto: ergo actio, qua illi cõmunicatur primario, etiam in intentione naturam communicat. *Tertio.* Tertio: natura diuina per ſe petit communicari tribus perſonis: ergo proceſsio, qua tertia procedit, per ſe primo tendit ad communicationem diuinæ naturæ.

90 *Reſp. ad 1.* Reſpondeo ad primam ex his obiectionibus, paritatem non tenere quoad omnia, nec in creatis adæquatum huius myſterij exemplum poteſt inueniri, eo quod ſubſtantia ſemel in vno ſuppoſito producta, nõ poteſt in alio ſuppoſito eiuſdem individuæ naturæ produci, quod ſi hoc contingere poſſet, idem eueniret quoad per ſe primo intẽdi, quod in productione partialis ſubſtantiæ, & partialis quantitatis contingit; exemplum autem partialis ſubſtantiæ, & partialis quantitatis in hoc tenet, quod ſicut non obſtante, quod ſubſtantia partialis ſubiectiuè, & exequutiue præcedat, non ſpecificat actionem; quia in intentione non præcedit: ita in noſtro myſterio, &c. *Ad 2.* Ad ſecundam concedo antecedens, & nego conſequentiam: quia vt Spiritui Sancto ex vi proceſsionis non intendatur per ſe primo diuinitas, ſufficit, quod licet ſuppoſitaliter diſtin-

gua-

gua tur à Verbo, non tamen indiuidualiter; omnes enim tres personæ sunt vnũ Deitatis individuum. Ad tertiam distinguo antecedens: per se petit communicari sub conceptu naturæ formaliter, nego antecedẽs: vni formaliter sub conceptu naturæ, & alteri ex vi processionis identicè, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Ad 3.

91 Quarto obijciũt

Quarto obijciunt: Spiritus Sãctus ex vi processionis procedit formaliter vt persona diuina; at diuina persona est subsistens in natura diuina formaliter sub conceptu naturæ: ergo ex vi processionis procedit vt subsistens in natura diuina sub conceptu naturæ; & consequenter vt in natura similis ex vi processionis. Maior probatur primo: Spiritus Sanctus formaliter ex vi processionis procedit, vt est; at est formaliter persona diuina: ergo ex vi processionis procedit formaliter vt persona diuina. Secundo: Spiritus Sanctus procedit vt relatiuè oppositus, & distinctus ab alijs personis; at relatiue distinguitur per relationem vt est forma hypostatica, & personalitas: ergo formaliter procedit ex vi processionis, vt constitutus forma hypostatica; & consequenter vt persona diuina. Tertio: prius intelligitur Spiritus Sanctus vt subsistens in natura sub conceptu naturæ, quam in naturæ attributo; at vt subsistens in natura sub conceptu naturæ, est formaliter diuina persona: ergo ratio personæ est quod primo in illo intelligitur; & consequenter formaliter terminat vt persona diuina, & formalitèr vt talis procedit.

92 Quorundam solutio reijcitur.

Ad hoc argumentum quidam ex nostris respondent, quod licet Spiritus Sanctus formaliter procedat vt diuina Persona, non colligitur procedere vt subsistentem immediate in natura diuina, sed solum mediate, vel immediate: nam sicut vt sit formalitèr diuina persona, sufficit, quod mediate in diuina natura subsistat, ita vt procedat formalitèr vt diuina persona, sufficit quod procedat, vt subsistens immediate in naturæ diuinæ attributo, & mediate in natura sub conceptu naturæ; ex quo nõ colligitur formaliter procedere vt Deũ; quia ad hoc requireba tur, quod procederet vt subsistens immediate in natura sub conceptu naturæ. Alij per oppositũ extremũ respõdẽt Spiritũ Sanctũ ex vi processionis, nec procedere vt personã formaliter, nec procedere vt subsistẽtẽ, sed vtrũq; illi idẽtice solu conuenire.

Sed neutra solutio satisfacit: & cõtra primã facit: nã vt Spiritus Sãctus sit formaliter Deus, sufficit subsistere in natura diuina, siue mediate siue immediate subsistat in illa; & tamen hoc non sufficit vt dicatur procedere vt Deũ formaliter ex vi processionis: ergo licet vt sit formaliter diuina persona, sufficiat mediate subsistere in natura sub conceptu naturæ, id tamen non sufficiet, vt ex vi processionis procedat, vt diuina persona.

93 Reijcitur 1. solutio.

Secunda etiã exinde reijcitur, quod ratio substantiæ non identice, sed per transcendentiam formalem conuenit attributo, ratione cuius formaliter terminat processionem Spiritus Sanctus: ergo Spiritus Sanctus terminans vt *quod* processionem, non terminat illam vt subsistens identicè, sed formaliter vt subsistens in attributo saltim naturæ. Quod si solutio ista solum intendat rationẽ communem substantialiter subsistendi non esse rationem formalem terminandi processionem, fateor liberter: nam sicut licet ratio entis formali transcendentia competat homini, vt terminanti generationem, non tamen est ratio formalis terminandi illam, sed aliud prædicatum claudẽs transcendentaliter entis rationem; ita ratio communis subsistentis substantialiter, nec ratio communis substantiæ diuinæ, quæ cõmunis est omnibus attributis, sũt rationes formales terminãdi processionẽ, qua Spiritus Sanctus procedit, sed formalis,

94 Secũda solutio impugnatur.

& explicita ratio impulſus, ſeu inclinationis in obiectum amatum in ſe imbibens per formalem tranſcendentiam rationem diuinæ ſubſtantiæ.

95 *Reſp. Ad 1. maioris prob.* Ad argumentum ergo reſpondeo negando maiorem, ad primam probationem diſtinguo maiorem: ſub omni formalitate, qua eſt, nego maiorem: ſub aliqua, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: inſtoque argumentum in homine genito, & homine creato, quibus quoad eſſe eædem formalitates conueniunt, & tamen ſub diuerſis rationibus terminant, vnus generationem, & alter creationem, iſtam ſub ratione communi entis creabilis: illam vero ſub ratione aliqua peculiari entis: non ergo requiritur omne prædicatum formaliter ſe habens ad eſſe alicuius, formaliter etiam ſe habere ad illum, quatenus terminat propriam actionem.

96 *Ad 2.* Ad ſecundam conceſſa maiori, diſtinguo minorem: præcisè per relationem vt eſt forma hypoſtatica, nego minorem: ſub alijs etiam conceptibus, ſeu muneribus talis relationis, concedo minorem, & nego conſequentiam: itaque relatio, qua Spiritus Sanctus ab alijs Perſonis diſtinguitur, illum conſtituit vt ſubſiſtentem in natura ſub conceptu naturæ, & vt ſubſiſtentem in attributo voluntatis, ſeu impulſus, & ſub vtraque ratione illum ab alijs diſtinguit; cum tamen ſub prima ſolum; illum formaliter conſtituat in ratione Perſonæ: non ergo valet iſta conſequentia: *Procedit vt relatiuè oppoſitus: ergo vt conſtitutus in ratione Perſonæ*: quia etiam vt ſubſiſtens in attributo naturæ, relatiuè opponitur, & ab alijs diſtinguitur; quinimo relatio ſub conceptu expreſſo referentis etiam relatiuè diſtinguit, & prout ſic Perſonam non conſtituit.

97 *Ad vlt. prob.* Ad vltimam probationem diſtinguo maiorem: prioritate ſubiecti, & in exequutione, concedo maiorem: prioritate rationis finalis, & in intentione, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo primum conſequens eodem modo, & nego ſubillatam conſequentiam. Quæ ſolutio ex dictis *in ſolutione tertij argumenti* innoteſcit.

98 *Quinto arg.* Quinto obijciunt; quod conuenit Spiritui Sancto ex vi proceſſionis ſuæ, quatenus eſt diuina, conuenit ei formaliter ex vi proceſsionis: tum quia eſſe diuinum eſt formale prædicatum illius: tum etiam: nam Verbum in ſimilitudinem naturæ procedere non conuenit illi ex vi proceſsionis abſtrahentis à Diuina, & non diuina, aliàs omni Verbo competeret, ſed ex vi illius quatenus eſt diuina; & tamen ei conuenit formaliter ex vi ſuæ proceſsionis; ſed Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis ſub conceptu diuinæ habet in naturæ diuinæ identitate procedere: ergo id habet formaliter ex vi proceſsionis.

99 *Reſp.* Reſpondeo diſtinguendo maiorem: quod illi conuenit ex vi ſuæ proceſsionis, vt eſt diuina diuinitate attributali propriæ lineæ, concedo maiorem: diuinitate ſubiectiua naturæ, quæ eſt veluti ſubiectū omnium attributorum, nego maiorem, & per eandem diſtinctionem minoris, nego conſequentiam: nam quod proceſsio per voluntatem, Dei naturam communicet, non conuenit illi, quatenus eſt diuina diuinitate ſuæ lineæ, ſed diuinitate naturæ, quæ extra illius lineam exiſtit, ad differentiam proceſsionis per intellectum, quæ vt diuina eſt, intra propriam lineam intellectus, habet communicare naturam ſub conceptu naturæ, & terminum ſimilem in natura producere.

100 *Replica bis primo.* Sed obijcies primo: quod conuenit proceſsioni Spiritus Sancti ex vi radicalis principij, conuenit illi intra propriam lineam formaliter; cum nō ſolum proximum, ſed etiam radicale principium reſpiciat formaliter; at natura diuina eſt radicale, & remotum principium il-

lius

lius : ergo quod ei conuenit ratione naturæ diuinæ , non materialiter , sed formaliter conuenit illi.

101 *Secũdo.* Secundo: etsi intellectus creatus solum petat terminum obiecto similem in esse intentionali producere , intellectus tamen diuinus, quia diuinus diuinitate suæ lineæ formaliter, petit producere terminum similem principio in esse naturali, vt diximus *præcedenti conclusione* : ergo etiam si voluntas creata non petat terminum producere similem, sed solum affectiuam inclinationem & impulsum , tamen voluntas diuina ex conceptu diuinæ diuinitate propriæ lineæ formaliter exigere poterit terminum similem in natura producere. Patet consequentia : quia non minus distat similitudo purè intentionalis,& similitudo naturalis;quam similitudo,& inclinatio affectiua : ergo si intellectus diuinus ex conceptu diuini producit terminum similem producenti in esse naturali , quamuis creatus solam similitudinem intentionalem valeat producere, poterit etiam diuina voluntas ex conceptu diuinæ producere terminum similem producenti in natura , etsi creata voluntas solum possit producere impulsum.

102 *Resp. ad 1.* Respondeo ad primam ex his obiectionibus , principium radicale non petere se communicare termino per omnem potentiam,sed solum per primam,& quia intellectus est prima potentia intellectualis naturæ,petit natura diuina se communicare formaliter per operationem intellectus, non autẽ per operationẽ,quæ à prima potentia non est,nec à potentia assimilatiua: vnde quod termino per voluntatem diuinam producto Dei natura cõmunicetur,non conuenit processioni ex vi naturæ diuinæ, quatenus est radicale principium illius,sed ex alio capite , scilicet , quia quidquid in Deo est,non potest non esse Deus.

103 *Ad 2.* Ad secundam concesso antecedenti, nego consequentiam , ad probationem nego antecedens:quia licet verum sit quod similitudo in esse naturali multum distet à similitudine purè intentionali , non tamen tantum distat ab illa , atque ab inclinatione affectiua: cum vtraque similitudo in ratione similitudinis conueniat; & si alicui potentiæ spirituali concedenda est vis assimilatiua in esse naturali , non est concedenda illi, cuius analogatum minus principale nullatenus est assimilatiuum,sed ei, cuius minus principale analogatum aliqualiter est assimilatiuum , qualiter est intellectus creatus. Tum , quia maior conuenientia est,vt dixi , inter vtramque assimilationem , quam inter similitudinem , & puram inclinationem. Tum etiam : quia potentia assimilatiua intentionaliter est prima potentia intellectualis naturæ , ac proinde per illam est communicanda natura intellectualis sub modo essendi naturali,quando est sic cõmunicabilis , qualis est natura diuina.

104 *Deniq; obijciũt* Denique obijciunt : nam sequitur ex nostra ratione Spiritum Sanctum esse Filium realiter, & identice per processionem,& si non formaliter ex vi processionis ; consequens est absurdum : ergo insufficiens est ratio tradita. Probatur sequela primo; nam cui conuenit diffinitio cum addito,cum eodem addito conuenit diffinitum ; at Spiritui Sancto conuenit diffinitio Filij cũ hoc addito, scilicet *materialiter* , & *identicè*; cum sit procedens in similitudinem naturæ identicè per processionem, etsi non ex vi processionis formaliter: ergo erit identice Filius. Secundo, quod est simile producenti in natura ex vi processionis , est Filius formaliter ex vi processionis : ergo quod est simile producenti in natura per processionem , & identice, erit identicè Filius. Tertio Spiritus Sanctus est Deus identicè per processionem,quia per illam identicè communicatur natura diuina , etsi non sit

Deus ex vi proceſsionis formaliter; quia non communicatur formaliter ex vi proceſsionis: ergo pariter erit identicè Filius per proceſsionem, & ſi non formaliter ex vi proceſsionis, ſi per proceſsionem habet eſſe ſimi ẽ producenti in natura. Denique: nam ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, ſed ſolum à Patre, tunc perſona Spiritus Sancti eſſet identicè Filius; quia identice illi conueniret diffinitio Filij; nempe; quia identice in ſimilitudinem naturæ procederet: ergo ſi modo identice procedit in ſimilitudinem naturæ, dicendus erit Filius identicè.

105 *Reſp. ad 1. & ſecundam probationem.*

Reſpondeo negando ſequelam, ad primam probationem conceſſa maiori, nego minorem: nam licet conueniat Spiritui Sancto eſſe ſimilem producenti in natura, cum addito illo, ſcilicet *identicè*, diffinitio tamen Filij non conuenit illi cum addito, additum enim illud deſtruit diffinitionem Filij, eo quod Verba diffinitionis formaliter ſunt accipienda; ac proinde cum in diffinitione Filij dicatur, quod in ſimilitudinem naturæ procedat, debet explicari formaliter ex vi proceſsionis: vnde addito ly *materialiter*, ponitur aliquid deſtruens diffinitionem generationis, & diffinitionem Filij. Per quod ad ſecundam probationem conſtat ſolutio.

106 *Ad 3. prob.*

Ad tertiam conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, & diſparitas eſt: nam in diffinitione Deitatis non ponitur, quod competat, vel non competat per proceſsionem, bene tamen in diffinitione geniti, & Filij: vnde vt ſit Deus neceſſarium non eſt, quod Deitas illi competat ex vi proceſsionis, bene vero vt ſit Filius.

Ad vltimam.

Ad vltimam conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, ratio autem diſcriminis eſt: nam in illo caſu eſſet perſona Spiritus Sancti identificata cum aliquo, cui ex vi proceſsionis conueniret Dei natura formaliter, ſcilicet Filius, & ideo eſſet Filius identice, modo autem ſub nulla ratione ſibi identificata habet Dei naturam formaliter ex vi proceſsionis, & ideo nec identice eſt Filius.

107 *Primũ corollarium.*

Ex dictis in diſcurſu diſputationis colligo primo, Verbum ex vi proceſsionis procedere vt Deum, cuius contrarium docent aliqui ex noſtris Thomiſtis; eo quod procedere vt Deum eſt deitatem produci; cum autem deitas non producatur, non poteſt procedere vt Deus. Sed fundamentum eſt falſum: Verbum namque procedere vt ſimile conceditur ab omnibus Theologis, quin ſimilitudo producta dicatur, ſed ſolum communicata: ergo Verbum procedere vt Deum, non erit deitatem produci, ſed communicari formaliter ex vi proceſsionis, & conſequenter ſicut rectè conceditur procedere vt ſimile, concedi etiam debet procedere vt Deum.

108 *Secũdũ.*

Colligo ſecundo, rationem Verbi, & Filij pro recto eſſe eandem in omni modo dicendi; pro eo autem, quod important in obliquo immediatè idem eſſe, ſi repræſentationem non diſtinguamus à diuina natura; aut Verbum non repræſentationem pro immediatè connotato importare, ſed ſimilitudinem in eſſe naturali, aſſeratur, cæterum pro connotato mediatè in omni ſententia Verbum, & Filium differre.

109 *Prima, & ſecũda pars prob.*

Primum patet: nam Verbum, & Filius dicunt relationem in recto ad Patrem dicentem, & generantem; at relatio hæc realis eadem eſt in vtroque: ergo ratio Verbi, & Filij pro recto eſt eadem.

Secundum probatur: nam Filius de connotato dicit naturam diuinam: ergo ſi hæc à repræſentatione ſui diſtincta non eſt, vel ſi diſtinguatur Verbum non rationem repræſentationis, ſed identitatem in natura ſub conceptu naturæ connotat immediatè, non diſtinguntur Verbum, & Filius pro connotato immediatè, bene vero ſi Ver-


bum pro immediato connotato repræsentationem importet, & hæc à natura diuina virtualiter distinguatur.


Tertium probatur: nam de Verbo verè dicitur, quod sit creaturarum Verbum, non autem dicitur creaturarum Filius; at si in omni connotato conuenirent Verbum, & Filius, vel vtrumque esset verum, vel vtrumque falsum: ergo saltim debent distingui in aliqua connotatione mediata, videlicet; quia Verbum mediatè connotat repræsentationem etiam creaturarum, quam non connotat ratio Filij. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 1. *distinc.* 13. *§. inter generationem vero Filij, & processionem Spiritus Sancti, dum hic viuimus, distinguere non valemus.* Et hæc etiam de tota quæstione.

(?)

110 *Tertia pars corollarij probatur.*

M. Sot.





TRACTATVS DEZIMVS

DE DIVINIS RELATIONIBVS.

DE QVO D. Thomas in 1. distinct. 26. q. 2. art. 1. & distinct. 33. q. vnica, artic. 1. Ad Anibaldum distinct. 26. q. 2. art. 1. Et distinct. 33. q. vnica per quatuor articulos. De Potentia q. 8. per quatuor articulos. 4. Contra-Gentes cap. 14. Et in hac 1. p. q. 28. Quam diuidit in quatuor articulos. In primo inquirit, Vtrûm in Deo ſint aliquæ relationes reales? *concluſio eſt affirmatiua, quam probat in argumento* ſed contra: nam Pater non eſt niſi â Paternitate, & Filius â filiatione: ſi igitur Paternitas, & filiatio non ſunt in Deo realiter, ſequitur, quod Deus non ſit realiter Pater, aut Filius, ſed ſecũdum rationem intelligentiæ tantũ, quod eſt hæreſis Sabelliana.

Quod ſi in contra facias argumentum: Deus dicitur realiter Dominus, & Chriſtus dicitur realiter Filius Virginis; & tamen relatio dominij nõ realis, ſed rationis eſt; eo quod Dei ad creaturas relatio realis eſſe non poteſt, & relatio filiationis Chriſti ad Virginem etiam eſt relatio rationis, vt docet D. Thomas 3. p. q. 35. art. 5. ergo etiam ſi relatio Paternitatis non realis, ſed rationis eſſet, poſſet nihilominus dici, & eſſe realiter Pater; ac proinde deficit

argu-

argumentum ſed contra D. Thomæ. Reſpondeo, denominationem à nomine relatiuo tunc dici realiter, etiam ſi relatio rationis ſit, quando fundamentũ eſt reale, à quo tunc prouenit realis denominatio; & quia licet relatio dominij rationis ſit, fundamentum tamen eius eſt reale, & ſimiliter fundamentum filiationis in Chriſto reale eſt, ſcilicet, eſſe genitũ à Beatiſsima Virgine: hinc fit, quod Deus dicatur realiter Dominus, & Chriſtus dicatur realiter Filius Virginis, & ſi relationes non reales, ſed rationis ſint: caterum in Patre Diuino ſi Paternitas relatio realis non eſſet, non daretur reale fundamentum Paternitatis: nam Paternitas ſupra generationem fundatur, qua requirit realem diſtinctionem geniti à generante; cumque diſtinctio in diuinis Perſonis à relationibus ſumatur, ſi reales non ſint relationes, diſtinctio realis inter Perſonas eſſe non poteſt; ac proinde nec realis vnius ab altera generatio, ſupra quam fundatur Paternitas: vnde ſublata realitate à Paternitate, non manet realiter fundamentum, à quo poſsit denominari realiter Pater.

Dices, ex hoc ſolum probari Paternitatem vt formam hypoſtaticam, qua ratione conſtituit Patrem in ratione Perſonæ, & illum ab alijs diſtinguit, debere eſſe realem, non autem ſub conceptu ad, qua ratione perſonam conſtitutam ſupponit, & ſupra generationem fundatur: ergo ſaltim ratio D. Thomæ non probat de Paternitate ſub expreſſo relationis conceptu quod realis ſit. Vazquez diſp. 114. cap. 1. aſſerit Caietanum docere, quod licet diuinæ relationes ſub conceptu in realitatem importent, ſub expreſſo tamen relationum conceptu quatenus dicunt ad reales non eſſe, ſed abſtrahere, à reali, & rationis. Sed longè hoc diſtat à mente Caietani, qui ſolum aſſeruit ad, vt ad commune relationi reali, & rationis, non eſſe quid reale, ſed ab vtroque abſtrahere, & ſecundum quod determinat genus entis realis non exprimere realitatẽ, eo quod

non

non explicet prout sic ordinem ad subiectum, seu existentiam, sed solum ad terminum, ex quo sumitur fundamẽtũ vt intellectus confingere possit relationes rationis, quæ absolutè relationes denominentur, ad differentiam aliorũ generum, v.c. substantiæ, quantitatis, &c. *quæ, quia explicant ordinem ad subiectum, aut ad esse, secundum proprias rationes, non dant fundamentum, vt intellectus cõfingat res similes, absolutè denominatas nominibus illorum generum, sed solum cum addito, v.c. non potest confingere aliquod ens rationis, quod absolutè dicatur substantia, quantitas, vel qualitas, sed cum addito diminuẽte, scilicet* quantitas conficta, &c. *non autem docet Caietanus, quod* ad *constitutiuum prædicamenti relationis realis abstrahit à reali, & rationis; cum implicet realitatem. Sed his omissis ad obiectionẽ factam respondeo, quod cum* ad *relationis, & in sint duo inadæquati differentiales conceptus relationis, non potest sub vno esse realis, & sub altero rationis; ens nãque reale, & rationis, nedum in eadem differentia, verum nec in eadẽ specie, vt superius, & inferius, siue vt ratio communis, & differentialis, conuenire possunt; vnde eo ipso, quod Paternitas Diuina sub conceptu formæ hypostaticæ realis sit, non potest non esse realis sub expresso relationis conceptu, & munere referentis.*

In corpore articuli probat conclusionẽ ratione; cũ enim aliquid procedit à principio eiusdem naturæ, ambo conueniunt in eodem ordine, & consequẽter oportet vt ad inuicem realiter referantur; sed processiones in diuinis sunt in identitate naturæ: ergo relationes in illis fundatæ, vel secundum illas acceptæ, sunt reales.

In secundo articulo inquirit, vtrum relatio in Deo sit idem, quod sua essentia? *Conclusio est;* relatio realiter existens in Deo est idẽ cũ essentia secundum rem, & non differt, nisi secundum intelligentiæ rationem.

Primam partem probat in argumento ſed contra: Quia omnis res, quæ nõ eſt Diuina eſſentia, eſt creatura; ſed relatio realiter competit Deo: ergo ſi non eſt diuina eſſentia, erit creatura, & ita ei non erit adoratio latriæ exhibenda, contra quod in præfatione cantatur, & in perſonis proprietas, & in maieſtate adoretur æqualitas.

Si opponas: humanitas Chriſti realiter diſtinguitur à ſuppoſito Verbi; & tamen adoratur latria, vt docet D. Thomas 3. p. q. 25. art. 2. ergo etiam ſi relationes diuinæ diſtinguerentur realiter ab eſſentia, poſſent adorari adoratione latriæ. Reſpondeo, humanitatem Chriſti adoratione latriæ, non per ſe, ſed per aliud, nempè ratione ſuppoſiti Verbi, adorari, ex quo ſolum ſequitur, quod ſi relationes realiter ab eſſentia differrent, ſi realiter eſſent in illa, poſſent adorari adoratione latriæ, modo prædicto, ſcilicet per aliud, & ratione alterius, non autẽ quod adorari poſſent latria per ſe, & hoc eſt incõuenies à D. Th. illatum, & quod in præfatione dicitur, accipit D. Thomas de latria per ſe terminata ad relationes, quod qualiter intelligendum ſit, ex dicendis infra *conſtabit.*

Deinde concluſionem probat in corpore articuli: Nam quidquid in rebus creatis habet eſſe accidentale, in Deum translatum habet eſſe ſubſtantiale; nihil enim eſt in Deo, vt accidens in ſubiecto, ſed quidquid eſt in Deo eſt eius eſſentia; ſed relatio in rebus creatis habet eſſe accidentale: ergo relatio realiter in Deo exiſtens habet eſſe eſſentiæ diuinæ idem omnino exiſtens. *Secundam partem concluſionis probat*: Nam in relatione importatur reſpectus ad ſuum oppoſitum, qui non importatur nomine eſſentiæ: ergo differunt ratione. *Quam doctrinam fusè explicabimus in noſtris diſputationibus.*

In tertio articulo inquirit, vtrum relationes, quæ

sunt in Deo, realiter ad inuicem distinguantur? *Conclusio est affirmatiua, quam probat in argumento* sed cõtra *ex Boetio in lib. de Trinitate asserente*, quod substantia in diuinis continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem: ergo si relationes non distinguuntur realiter, non erit in diuinis Trinitas realis, sed rationis tantum, quod est Sabelliani erroris.

In corpore articuli probat conclusionem hac ratione; cum enim aliquid alicui attribuitur, debent ei attribui omnia, quæ sunt de ratione illius; sed de ratione relationis est respectus vnius ad alterum; & consequenter relatiua oppositio: cum ergo in Deo realiter sit relatio, oportet quod in illo detur relatiua oppositio; sed relatiua oppositio in sui ratione includit distinctionem: ergo in Deo est realis distinctio, non quidem secundũ rem absolutam, quæ est essentia, in qua est summa vnitas, & simplicitas, sed secundum rem relatiuam.

In responsione ad primum commune axioma asserens, quæcumque vni, & eidem sunt eadem, sibi inuicem esse eadem, explicat ex Philosopho lib. 3. physicorum, verum tenere in his, quæ sunt idem, re, & ratione; non autẽ in his, quæ ratione differunt, qualiter relationes distinguuntur ab essentia; quæ doctrina qualiter sit accipienda constabit, cum de distinctione reali personarum tractemus.

In quarto articulo inquirit D. Thomas, vtrum in Deo sint tantum quatuor relationes reales, scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio, & processio? *Conclusio est affirmatiua, quam probat in corpore articuli*; nam secundum Philosophum in 5. metaphysicæ, omnis relatio fundatur, vel supra quantitatem, vel supra actionem, & passionem; sed in Deo quantitas non est: est enim sine quantitate magnus: ergo in Deo solum est relatio realis super actionem fundata; sed non super actionẽ transeuntem ad extra: Deus enim ad creaturas rela-

tionem realem non dicit, vt probatum eſt ſupra q. 13. art. 7. ergo relationes reales in Deo ſolum fundari poſſunt ſuper actiones immanentes, ſcilicet intelligere, & velle; ſed ſecundum quamlibet ex his proceſſionibus debent accipi duæ relationes oppoſitæ, quarum vna ſit procedentis â principio, & alia ipſius principij: ergo conſtituendæ ſunt quatuor relationes in Deo, duæ ſecundum proceſsionem intelligibilem, ſcilicet Paternitas, & Filiatio, & duæ ſecundum proceſsionem per voluntatem, ſcilicet ſpiratio, & proceſsio,

Quæ doctrina intelligenda eſt de diſtinctione virtuali, loquendo de relatione ſpiratoris; cum enim non opponatur relatiue Paternitati, aut Filiationi; eſt enim Patri, & Filio communis, non poteſt realiter ab illis diſtingui, bene tamen à relatione ſpirati, cui opponitur relatiue; & conſequenter, non ſunt quatuor relationes reales realiter diſtinctæ in Deo, ſed tres realiter diſtinctæ; nempe Paternitas, Filiatio, & proceſsio, & quarta, nempe ſpiratio, virtualiter diſtincta à Paternitate, & Filiatione, & diſtincta realiter à relatione ſpirati.

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA QVINTA.

An inter Relationes, & Diuinã Essentiam, sit distinctio actualis ante operationem intellectus?

§. I.

Quibusdam præsuppositis referuntur sententiæ.

Nu. 1. *Non datur realis distinctio inter relationes, & essentiam.*

IN Hac Disputatione vt fide certũ supponimus, relationes à Diuina essentia nó distingui realiter entitatiuè: cuius contrariũ docuisse Gilbertum Porretanum refert D. Th. *in præsenti art.* 2. Et *infra q.* 39. *art.* 6. Bonauentura *in* 1. *dist.* 23. *art.* 1. Et frequenter id sentiunt cęteri Theologi contra Vazquez *disp.* 12. *cap.* 1. & 2. asserẽtem Gilbertum solã distinctionẽ formalẽ inter relationes, & essentiam possuisse. Sententia tamen Gilberti damnata fuit in Concilio Remensi sub Eugenio 3. vbi fuit diffinitum tres Personas Diuinas esse vnam substantiam Dei, & relationes ipsas esse Deum, quod in Gilberti sententia stare non potest. Et in Conc. Lateranensi diffinitur, in diuinis non esse quaternitatem rerum, esset autem rerũ quaternitas, si relationes ab essentia realiter differrent. Et præterquáquod falsitas huius sententiæ à fortiori ex dicẽdis cõstabit, breuiter reijcitur primo: quia in diuinis omnia sũt vnum, vbi non obviat relationis oppositio; at inter relationes, & essentiã oppositio relationis non datur; cum nec essentia ad relationes, nec relationes ad essentiã referantur: ergo relationes, & essentia sunt vnum, ideſt entitatiuè realiter non distinguũtur. Secundo: quia ex tali distinctione sequitur euidenter Personas Diuinas simplices omnino non esse, sed compositas ex essentia, & relatione; consequens est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur. Patet sequela: nam cõpositio est distinctorum vnio; at in Diuina Persona daretur vnio relationis, & essentiæ realiter distinctorum: ergo & realis compositio.

Sententia Gilberti reijcitur 1.

Secũdo.

Tertio; quia relatio diuina est

Tertio. 2

ens reale; at non reale creatum, aliàs Perſona Diuina ex creata, & diuina entitate conſtaret: ergo eſt ſaltim identicè realiter ens reale diuinum; & conſequenter realiter à diuina eſſentia nequit diſtingui. Denique: nam ex ſententia Gilberti ſequitur manifeſtè diuinum eſſe non eſſe purum actum, nec aliquid *infinitum*; conſequens quoad vtramque partem eſt hæreticum: ergo & ſententia Gilberti eſt falſa. Probo ſequelam: nam quod eſt in potentia ad vlteriorem actum, purus actus non eſt; nec ens infinitum, quod non idẽtificat formaliter omne, quod nullam dicit imperfectionem: at in ſententia Gilberti eſſentia diuina eſt in potentia ad vlteriorem actũ, nec ſibi realiter identificat diuinas relationes, quæ nullam imperfectionem dicunt, & cum eſſentia relatiuè non opponuntur: ergo purus actus non erit, nec ens infinitum.

Deniq;

3 *Sententia nominaliũ reijcitur.*

Secundo vt indubitatum ſupponi m', inter relationem, & eſſentiã eſſe diſtinctionem rationis ratiocinatæ, cuius contrarium docent Aureolus *in* 1. *diſtinc.* 2. Gabriel *ibi quæſt.* 1. Maior *diſtinc.* 8. *quæſt.* 1. Et Gregorius *ibi quæſt.* 1. *art.* 2. cæteri tamen Theologi in veritate ſuppoſita vnanimi cõſenſu conueniunt. Et præterquamquod illam probant Scoti, & Durandi argumenta referenda *inferius*, euidenter ſuadetur hoc argumento: nam de eodem re, & ratione non poſſunt contradictoria verificàri; at hæc eſt vera *eſſentia communicatur Filio*, & iſta ſimiliter *Paternitas non communicatur Filio*, quæ ſunt contradictoriæ propoſitiones: ergo eſſentia, & filiatio aliqualiter diſtinguuntur: cumque non realiter, nec formaliter ex natura rei, vt videbimus, ſequitur euidenter diſtingui ratione; & aliàs eſt fundamentũ ad talem diſtinctionem, tum in eminentia diuina; tum in noſtri intellectus infirmitate, & imbecillitate, vt docet Bernardus *lib. de conſideratione cap.* 7. erit ergo diſtinctio nó ſolius rationis ratiocinãtis, ſed rationis ratiocinatæ.

Denique certum debet eſſe, & ex dictis colligitur, inter relationẽ, & naturam, eſſe virtualem diſtinctionem reſpectiuè ad formalem per intellectum factibilem, nõ verò reſpectiuè ad formalem diſtinctionem actualem præuenientem intellectus negotiationem. Primum patet: nam virtualis iſta diſtinctio eſt fundamẽtum, quod habet intellectus, vt formet diſtinctionem actualẽ rationis; at hoc fundamentum datur in diuina eſſentia, quatenus ob eius infinitatem exercet munia abſolutæ, & relatiuæ entitatis: datur ergo in illa diſtinctio virtualis reſpectiuè ad formalem per intellectum faciendam, non quidem per intellectũ illã vt eſt concipientem, ſed per intellectũ viatoris. Secundum patet, quia vt ex dicendis conſtabit, non datur diſtinctio aliqua actualis inter eſſentiam, & relationes ante intellectus negotiationem: ergo nec virtualis per reſpectum ad diſtinctionem actualem præuenientem operationem intellectus.

4 *Datur virtualis diſtinctio, ideſt fundamẽtalis rationis.*

His igitur ita ſuppoſitis, quod in dubiũ vertimus eſt, an licet relatio, & eſſentia non diſtinguantur realiter entitatiuè, tãquã duæ res, diſtinguãtur tamen aliqua diſtinctione actuali ante operationẽ intellectus? In quo tres reperio ſentẽtias. Prima eſt Durãdi *in* 1. *diſt.* 33. *q.* 1. *n.* 23. aſſerentis differentiã relationis ab eſſentia nó eſſe purè, & præcisè ſecundum rationem, nec abſolutè eſſe dicendũ, quod differant realiter, benè tamen quod differant aliquomodo realiter ante omnem operationẽ intellectus, quod magis *infra* explicans docet diſtingui realiter modaliter, hoc eſt nõ tãquam rem, & rem, ſed vt rem, & modum rei. Secunda docet relationem non diſtingui realiter ab eſſentia, benè tamen ex natura rei ante omnem operationem intellectus. Ita Scotus *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 4. & 7. Et *diſt.* 26. & 28. Et quamvis non deſint, qui Scotum bene interpretari velint ſolam diſtinctionem virtualem inter relationes, & eſſentiam poſſuiſſe;

5 *Prima ſententia.*

Secũda ſententia.

Moderni tamen Scotistæ huic interpretationi nolut acquiescere, sed sententiam relatam, vt iacet, ex sui Doctoris mente defendunt. Durandus etiam, & frequenter alij in eodem sensu Scotum interpretantur.

6 *Tertia, & vera sententia.*

Tertia, & vera sententia defendit essentiam à relationibus nullo genere distinctionis actualis, siuè realis modalis, siuè formalis ex natura rei ante operationē intellectus gaudere, sed realiter formaliter identificari cum illis, & sola ratione ratiocinata ab illis discriminari. Hanc tenet D. Thomas *in 1. distinc. 33. q. 1. art. 1. ac potentia quæst. 8. art. 2. quodlibeto 6. art. 1. opusculo 3. cap. 54. 55. & 57. opusculo 9. quæst. 6. 10. & 16. 4. Contra gentes cap. 14.* vbi Ferrara. *Infra q. 39. art. 6. & in hac quæst. art. 2.* vbi Caietanus, Bañez, Zumel, Zanardus, Ripa, Patres Salmanticenses, Magister Santo Thoma, Marcus de la Serra, & alij. Ex alienis Molina *in hac q. disp. 5.* Vazquez *disp. 120. cap. 4. & sequentibus*, Valentia *quæst. 2. puncto 3. & quæst. 13. puncto 1.* Suarez *lib. 4. de Trinitate cap. 9.* Arrubal *disp. 100. cap. 2.* Granadus *trac. 3. disp. 3. sec. 2. & sequentibus.* Alarcon *trac. 5. disp. 2.* per plura capita, pro illa referens Ruicium, & Gilium, estque recentioribus Societatis cōmunis, imo & alijs Theologis extra Scholam Scoti. Ex quib' Molina *cōclusione 2.* contrariam sententiam ait esse parum tutam in Fide. Valentia, parum Fidei consentaneam. Arrubal, non esse in Fide tutā. Alarcon *disp. relata cap. 5.* Durandi sententiam erroneam, & *cap. 6.* sententiam Scoti ab schola veræ Theologiæ deportandam, & expellendam censet. Zumel *quæst. 2. ad articulum 3. concl. 1.* nostram sententiam asserit Fidei, & communi sensui Ecclesiæ consentaneam esse, pro illius explicatione sit.

D. Tho.

Ferrar.

Caiet. Bañez, Zumel, Zanar. Ripa. P. Sal. S. Tho. Serra Molina Vazq. Valētia Suarez. Arrub. Grana. Alarcō. Ruici'. Gilius.

(?)

§. II.

Reijcitur sententia Durandi.

PRima conclusio: *Inter relationes, & essentiam non est distinctio realis modalis.* Hanc statuo contra Durandum, cuius sententia, etsi Conciliorum verba videatur effugere, illorum tamen mentem non saluat, & in eo, in quo differt à Gilberto, peius illo videtur errasse; cum relationes diuinas esse doceat modos incompletos, quod absurdum maximum esse ex dicendis cōstabit. Probatur conclusio primo: nam ex sententia Durandi sequitur, personā diuinam esse realiter compositam ex natura, & modo realiter ab illa distincto; consequens est absurdum; cū opponatur summæ simplicitati diuinæ: ergo sententia Durādi est falsa.

7 *Sententia Durandi reijcitur primo.*

Respondet Durandus, non sequi tale inconueniens; quia ex modo, & re, cuius est modus, nō resultat realis compositio; eo quod modus non habet esse, vel alteri inesse, sed est ipse modus essendi per se, vel inhærendi alteri, quod explicat in modo inhærendi accidentis: nam licet accidens alteri inhæreat, modus tamen inhærendi non inhæret, aliàs modi daretur modus, & sic in infinitum; vt autem ex re, & modo illius resultaret compositio, deberet modus inesse rei, cuius est modus; quia ergo relatio diuina differt ab illa sicut modus à re: hinc fit, quod ex relatione, & essentia non resultet compositio in persona. Cæterum hæc solutio est omnino insufficiens, & reijcitur primo; quia compositio nihil aliud est quam distinctorum vnio: ergo si mo-

8 *Resp. Durandus.*

9 *Solutio Durandi reijcitur.*

dus à re, cuius est modus, realiter distinguitur, & ex illis vnitis tertiũ resultat, voluntarie asseritur non resultare compositionem.

Secundo: nam diuina relatio non magis est modus, quam relatio creata; at ex relatione creata, & subiecto compositio resultat, sicut etiam ex subiecto, & alijs accidentibus: ergo etiã ex relatione diuina, & natura, si sit realis distinctio, cõpositio fiet. Tertio: nam sequitur Angelum esse omnino simplicem in linea substantiæ; consequens est contra communem Theologorum sententiam: ergo illud, ex quo sequitur, est falsũ. Probo sequelam: Angelus iuxta hãc solutionem non est compositus ex natura, & personalitate; cum hæc sit modus illius; & aliàs cõpositione ex materia, & forma non gaudet: ergo erit omnino simplex intra lineam substantiæ. Denique reijcitur ista solutio: nam Christus est composita persona ex subsistentia Verbi, & humanitate, vt docet D. Thomas 3. *p. quæst.* 2. *art.* 4. quem sequuntur Theologi communiter, idque docet Durandus *in tertio sententiarum distinc.* 6. *quæst.* 3. esseque diffinitũ in quinta Synodo actione 8. *canone* 4. illis verbis: *Si quis non confitetur vnionem secundum compositionem, &c.* docet Suarez 3. *part. quæst.* 2. *disp.* 7. *sec.* 4. & tamen nec natura humana inest subsistentiæ Verbi, nec subsistentia inest, seu informat naturam humanam, cum ex vtroque imperfectio maxima Verbo attribuatur: ergo quod personalitas diuina sit modus naturæ non inhærens illi, nõ tollit quo minus ex natura, & personalitate resultet compositio, & persona cõposita, si semel adstruitur inter vtrumque realis modalis distinctio.

10 *Secũdo prob. cõclusio.*

Secundo probatur conclusio ex alio inconuenienti, quod sequitur ex contraria sententia, videlicet dari in diuinis quaternitatem rerum, seu realitatum; consequens est damnatũ in Concilio Laternensi sub Innocẽtio tertio, quod refertur *in cap. damnamus de summa Trinitate* illis Verbis: *Quædam summa res est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, non quaternitas; quia quælibet trium personarum est illa res*: ergo inter diuinam essentiam, & relationes non intercedit realis modalis distinctio. Patet sequela, darentur tres personalitates realiter inter se à natura diuina distinctæ: ergo darentur quatuor res; & consequenter rerum quaternitas.

11 *Solutio Durandi reijcitur 1.*

Respondet Durandus primo, ibi non damnari quamlibet quaternitatem; cum omnes Catholici admittant quaternitatem relationum in Deo, sed solum damnari quaternitatem personarum, quam quidem Abbas Ioachin Arrianus ponebat, & imponebat Magistro Sententiarum. Hæc tamen solutio sustineri non potest primo, quia ex illa sequitur posse salua fide huius diffinitionis defendi quaternitatem entitatum cum reali entitatiua distinctione, dummodo illa quarta entitas à Personis distincta, persona non sit; consequens est contra omniũ Theologorum sententiam, & omnino pugnat cum causali Concilij, scilicet, *quia quælibet trium personarum est illa res*; cum eo ipso, quod personalitas realiter entitatiuè à diuina natura differret, hæc esset falsa propositio *Pater est natura diuina*, sicut hæc est falsa *Christus est natura humana*; quia illius personalitas realiter à natura humana distinguitur: ergo Durandi solutio, seu explicatio sustineri nullatenus potest.

Secũdo.

Secundo reijcitur: nam ibi non solum diffinitur non esse quaternitatem personarum, sed etiam quamlibet Diuinarum Personarum esse summam illam rem, quæ est diuinitas; at data quaternitate entitatũ huius veritas nequit subsistere: ergo prædicta Durãdi solutio est nulla. Probo minorẽ: si omnes tres diuinæ Personæ eandẽ terminarent naturam, esto in illa conuenirent, falsum tamen esset asserere, quamlibet diui-

nam personam esse illam rem, quæ est humanitas, seu esse humanitatem; at non alia ratione, nisi quia distinguerentur entitatiue ab illa, etsi humanitas persona distincta non esset: ergo pariter si personalitates diuinæ entitatiuê à natura differrent, esto quarta persona non esset, falsificaretur ista propositio: *Tres diuinæ personæ sunt res, quæ est diuinitas, vel sunt diuina natura.*

12 *Secũda solutio Durãdi reijcitur.*

Secundo respondet, quod dato, quod condemnetur rerum quaternitas, non condemnari, nisi quod tres personæ, & essentia, sint quatuor res, & hoc saluatur rectê admissa distinctione modali personalitatis à natura diuina; cum enim essentia includatur in quauis persona, non ponit in numero cum personis, ita vt sit quarta res, alias idem numeraretur bis, videlicet secundum se, & vt in alio, quod est inconueniens. Sed cõtra primo: nam licet partes includantur in toto compositio, verê tamen in numero ponunt cum illo, est enim de quauis illarum verum, quod entitatiuê realiter à toto distinguitur, & quod est entitas à toto realiter distincta: ergo per hoc, quod essentia in personis claudatur, non fugitur in numerum rerum ponere cum personis, ita vt sit res ab illis realiter distincta; & consequẽter sit quarta res. Secundo: nam concessa reali distinctione, etiã modali, personalitatis à natura diuina, hæc esset falsa propositio: *Pater est natura diuina*: ergo poneret in numerum rerum cum personis, quod negat Concilium, & tres personæ nõ essent vna res, quod Concilium affirmat. Probo antecedens, minor distinctio est realis entitatiua, quam realis modalis; at si distinguerentur realitér entitatiue à natura, hæc esset falsa; *Pater est natura diuina* vt proxime arguebam: ergo etiam data distinctione modali falsificatur prædicta propositio.

13 *Tertia solutio reijcitur.*

Tertio responderi potest ex doctrina Durandi, relationes diuinas, cum sint modi incompleti, non esse entitates, nec res, sed tantum sunt modi entitatis; ac proinde ex eo quod realiter modaliter distinguantur à diuina natura, non sequi dari quaternitatem rerum, aut entitatum. Sed contra: nam sequitur ex hac solutione, non esse in Deo Trinitatem rerum, & entitatum; cõsequens est contra fidem fatentem Trinitatem personarum; & consequenter rerum, & entitatum: ergo solutio ista sustineri non potest. Probo sequelam: non aliter distinguuntur personæ inter se, ac personalitates ad inuicem; cum personarum distinctio ex personalitatum distinctione sumatur; at iuxta hanc solutionem personalitates non sunt res, aut entitates entitatiue distinctæ: ergo nec personæ entitatiuê possunt distingui; & consequenter non datur in Deo Trinitas rerum, seu entitatum, cuius contrarium, & ex locis Scripturæ, & Conciliorum testimonijs constat, & expresse traditur à Lateranensi *loco allegato* negans quaternitatem, & Trinitatem concedens.

14 *Deniq; prob. cõclusio.*

Denique probatur conclusio: omnis enim entitas, aut est Deus, aut creatura; cum ens adæquate diuidatur penes creatum, & increatum; at relatio diuina est entitas: ergo Deus, aut creatura; secundum est contra fidem: ergo primum est concedendum; & consequentêr nequit diuina relatio à natura Dei realiter distingui, etiam distinctione modali. Respondet Durandus, sub distributione maioris non cadere relationem diuinam, quæ vt sic non est res, sed rei, & tota sua quidditas est, vt huius, vel cuius, non vt *hoc*, aut *quod*, concedit tamen quoad rationem creati, vel increati iudicandum esse modo secundum rem, cuius est modus: vnde essentia diuina cum omni suo modo, vel relatione est increata, & omnis creatura cum omni suo modo creata est.

Resp. Durãdi.

15 *Reijcitur 1.*

Hæc tamen solutio reijcitur primo, esse modum incompletum, & non entitatem, seu rem, est maxi-

ma imperfectio; at cũ ratione increati nulla imperfectio compati potest: ergo eo ipso quod relatio diuina increata sit, non potest entitas non esse. *Secũdo.* Secundo : eo ipso quod relatio sit modus realiter à diuinitate distinctus, & non sit saltim identice ipsa diuinitas, vere ab illa dependet : cũ eo ipso diuinitati competat, non per identitatem, sed per resultantiã cum reali distinctione quod ad veram dependentiam sufficere constat in resultantia passionum ab essentia, relationis à fundamento, & personalitatis creatæ à natura; at cum depẽdentia ratio increati non potest componi: ergo eo ipso, quod non sit idẽtice Deitas nequit ei competere ratio increati. Tertio, estô modus sit, verê tamen à parte rei existit : ergo vel diuina existentia, vel existentia creata, inter quas non datur medium; secundum est hæreticum : ergo primum est concedendum ; at non potest existere existentia diuina realiter à se distincta, aliàs potentialis, & imperfecta esset: ergo existentia diuina ei realiter identificatur; & consequenter etiam entitas diuina, quæ à diuina existentia est indistincta, debet per identitatem saltim de relatione prædicari.



§. III.

Argumenta Durandi soluuntur.

COntra istam conclusionem opponit Durandus primo: ex entitate, & modo entitatis non resultat realis compositio : ergo ex eo quod relatio à diuina natura realitêr distinguatur modaliter, non recte pro inconuenienti infertur personam diuinam realiter fore compositam; & consequentêr ex hoc inconuenienti non improbatur distinctio realis modalis relationum ab essentia. Antecedens probat primo ab exemplis: si enim humanitas Christi dimitteretur à Verbo, haberet alium modũ essendi, non tamen haberet aliam compositionem. Similiter vnum tangens aliud, non est compositius, quam si illud non tangeret; & tamen tangere, vel tangi est realis modus essendi differens aliquomodo realiter ab vtroque tangentium; cũ illa possint manere soluto tactu: ergo ex modo, & re, quam modificat non resultat compositio. Secundo probat antecedens: omnis realis cõpositio, est per hoc, quod vnum alteri inhæreat; at modus non inhæret rei cuius est modus : ergo ex modo, & re cuius est modus, non resultat realis compositio. 16 *Arguit Durãd. primo.*

Respondeo, negando antecedens, ad primam probationem, nego veritatem exemplorum : si enim humanitas à Verbo dimitteretur haberet componere personam creatam, cum tamen antea non componeret personam creatam, sed increa- 17 *Resp.*

tam.

tam. Tangens etiam aliud est concretum accidẽtale ex tactu,& subiecto tangente, cum tamen secundum se acceptum, & præcisso tactu,non habeat talem compositionem. Ad secundam probationem, nego maiorem:vt constat in Christo ex subsistẽtia Verbi,& humanitate composito, quin humanitas inhæreat Verbo; aut ẽ contra. Constat etiam in composito ex partibus integralibus,quarum vna non inhæret alteri,nec omnes vni tertio: solum ergo requiritur ad realem cõpositionem, multorum adunatio,quæ erit per accidens si componentia inter se non habeant ordinem per se vnius ad alterum, & per se, seu faciens per se vnum, si interponentia sit ordinatio per se vnius ad aliud.

18 *Arguit secundo.* Secundo sic arguit: non omnis realis differentia duorum facit compositionem: ergo ab inconuenienti compositionis non recte probatur realis indistinctio relationis à natura diuina. Probat antecedens: nam secundum fidem, Paternitas,Filiatio,& spiratio passiua in diuinis realiter distinguuntur;& tamen ex illis nulla compositio resultat; cum non solum in eodem supposito non sit cõpositio,sed totaliter à Deo,& à diuinis personis secundum totum suum ambitum compositio excludatur:ergo non omnis realis distinctio infert realem compositionem. *Resp.* Respondeo, distinctionem solam non facere compositionem, sed insuper requiri vnionem distinctorum ad constituendum aliquod vnum,à quo distinguatur. Si autem relatio à natura distingueretur realiter;cum ex vnione illorum constituatur diuina persona,resultaret ex illis realis cõpositio:relationes vero diuinæ, etsi realiter distinguantur, non tamen realiter vniuntur ad constituendum aliquod vnum;à quo distinguantur; atque adeo ex illis nulla realis compositio resultat. Et quidem hoc argumentum Durandi plus probat, quam Auctor intendit:nam personæ diuinæ non modaliter solum,sed entitatiue realiter distinguuntur: ergo si ex eo quod personæ non componãt realiter,infertur,nec personalitatem simul cum natura componere, inferretur hoc ipsum,esto personalitas à natura diuina entitatiuè distingueretur,cuius contrarium expresse affirmat Durandus, ex hoc solum negans in persona diuina realem compositionem;quia personalitas non entitatiue complete,sed modaliter realiter à natura distinguitur.

19 *Instat Durãd.* Sed instat Durandus; eatenus pluralitas duorum in vno supposito compositionem faciet,quatenus advnarentur in aliqua subsistentia communi,vel in aliquo vno;at tres relationes etiam adunantur in aliqua subsistentia communi iuxta nostram sententiam, vel in aliqua existentia communi,& in natura Deitatis communi omnibus diuinis personis:ergo ex illis etiam compositio resultaret.

Resp. Respondeo, negando maiorẽ, sed quia adunarentur ad constituendum aliquod vnum, cum distinctione reali inter se,& à constituto per illa;relationes autem diuinæ si considerentur respectiue ad essentiam non distinguuntur realiter ab illa,& sic respectu illius compositionem facere nequeunt;si autem inter se comparentur veluti præcisiue ab essentia, importantur vt omnino distinctæ, & non vt constituentes aliquod vnum; ac proinde cum prout sic non vniantur, non faciunt compositionem.

20 *Si dicas.* Si dicas: etsi relationes prout inter se oppositæ non constituãt aliquam vnam entitatem, constituunt tamen numerum Trinitatis; & tamen prout sic non componunt prædictum numerum,alias numerus trium personarum compositus esset ex tribus vnitatibus, cuius oppositum docet D. Thomas *quæst. 9. de potentia art.5. ad 15. argumentũ. infra quæst. 30. art. 1. ad 4.* Et suadet ratio; quia aliàs quæuis ex vnitatibus rationem partis habe-

ret,

ret, & excederetur à Tribus, quod de ratione compartium esse videtur: ergo stat constitutio alicuius ex pluribus realiter distinctis absque reali compositione.

Resp. Respondeo, quod etsi numerus prædicamentalis sit vnum per se; & consequenter componatur ex vnitatibus, quatenus in complete consideratæ in linea quantitatis discretæ vna ordinatur ad aliam; numerus tamen transcendentalis non est aliquid vnum ex partibus cõpositum, quod præcipue habet verum in ternario numero personarum, quarum nulla potest sub aliqua ratione in completionem habere: vnde prædictus numerus nihil addit ad tres vnitates resultans ex illis, seu ex illis compositum, sed est ipse tres vnitates.

21 *Si dicas* Si dicas, etsi numerus transcendentalis non sit vnum per se, est tamen vnum per accidens, & per agregationem ex partibus non per se ordinatis ad illud constituendum compositum: ergo numerus trium personarum erit vnum per accidẽs; & consequenter constabit ex partibus per accidens componentibus, vel si non obstante, quod ex rebus realiter distinctis coalescat, non cõponitur ex illis, non omnis rerum distinctio realis arguit realem compositionem. *Resp.* Respondeo, relationes diuinas prout inter se oppositas nõ componere vnum per se, ob rationẽ assignatam; quia nempe vt vnum per se componerẽt, oportebat vt essent sub aliqua ratione incompletæ, & sub illa per se ordinatæ ad illius compositionem; nec componere vnum per accidens, eo quod per se connectuntur propter summam in essentia identitatem, & intimam essentiæ inclusionem.

22 *Deniq; arguit Durãd.* Denique arguit: quæ non identificantur aliquomodo realiter, aliquomodo realiter distinguuntur; at relatio non identificatur essentiæ aliquomodo reali: ergo distinguitur ab illa aliquomodo realiter. Maior ex eo constans videtur, quod distinctio realis nihil aliud est, quam negatio identitatis extremorum existentium: ergo quæ existunt, & non identificantur aliquomodo realiter, distinguuntur aliquomodo realiter. Minor autem probatur: vnum identificari alteri adæquate est aliquis modus identitatis realis; at relatio, v.c. Paternitatis non identificatur essentiæ adæquate; aliàs identificaretur cum omni eo, cum quo identificatur essentia, nempe cum filiatione: ergo non identificatur essentiæ aliquomodo reali, seu caret aliquomodo identitatis realis cum illa Confirmatur hoc primo, quod non est idem cum alio conuertibiliter realiter, excluditur realiter ab illo; at Paternitas non identificatur realiter conuertibiliter cum essentia diuina, alias identificaretur cum omni, cum quo identificatur essentia: ergo exceditur ab illa realiter; & consequenter realiter ab illa distinguitur. *Cõf. 1° excedit* Confirmatur secundo, maior est vnitas identitatis omnimode realis, quam vnitas æqualitatis realis; at quod est alteri omnimodè equale non potest non æquari cum eo, cui illud adæquatur: ergo quod est vnũ omnino realiter cum alio, non potest non identificari cum illo, cũ quo illud alterum identificatur; at Paternitas, v.c. non identificatur realiter cum Filiatione, cum qua identificatur essentia: ergo non identificatur cum illa omnimodo identitatis realis; & consequentèr aliquomodo realiter ab illa distinguitur. *Secũdo.*

Hoc argumentum; siquid probat, conuincit distinctionem realem entitatiuam inter essentiam, & relationes. Quod Patet: nam filiatio à Paternitate entitatiue distinguitur: ergo si ex eo, quod filiatio non identificatur cum paternitate, in quo cõsistit non identificari adæquatè cum essentia, licet colligere distinctionẽ filiationis ab essentia: licebit colligere non solum modalem distinctionem ab illa, quam intendit Durandus, sed etiam distinctionem entitatiuam. Ad illud ergo respondeo, veram esse maiorem de illis, quæ secun-

23 *Resp. arg. & instatur*

dum

dum realitatem non identificantur aliquomodo realiter; falsam autem si solum secundum virtualitatem ratione nostra distinctam aliquomodo realiter non identificantur; secundum realitatem autem identificantur realiter omnimodo: licet autem relatio, v.c. Paternitas non identificetur adæquatè cum diuina essentia prout hoc nomine significatur, qua ratione concipitur per intellectum nostrum ab essentia distincta, accepta tamẽ secũdũ suã realitatẽ prout in re, adæquate identificatur cum essentia, ideſt, cũ omni eo, cũ quo identificatur essentia; & ideô non licet colligere aliquomodo reali à diuina essentia distingui. Et per hoc ad primam confirmationem constat solutio. Quæ doctrina est D. Thomæ *quæst.8. de potentia art. 2. ad 10.* illis verbis: *Et similiter non dicitur, quod Paternitas est in Filio, sed id quod est, scilicet essentia.*

24 *Si dicas* Si dicas: Paternitas secundum realitatem à Filiatione realiter distinguitur: ergo non identificatur realiter cum omni eo, cum quo identificatur essentia: & consequentêr nõ identificatur cum illa realiter adæquatê, & conuertibiliter. *Resp.* Respondeo distinguendo antecedens: distinguitur à Filiatione realiter, & realiter identificatur cum illa, concedo antecedens: distinguitur solum, nego antecedens, & consequentiam; quia vt secundum realitatem prout est à parte rei non identificaretur adæquate realiter cum essentia, necessarium erat, quod distingueretur à Filiatione, taliter quod non identificaretur realiter cum illa, Paternitas autem secundum suam realitatem distinguitur realiter à Filiatione & identificatur realiter cum illa: nã licet identificari, & distingui in eadem entitate finita inueniri non possint, bene tamen in entitate, quæ infinita est.

Dices. Dices: ergo Paternitas distinguitur realiter ab essentia diuina, & realiter identificatur cum illa. Patet consequentia, distinguitur realiter à Filiatione, & identificatur realiter cum illa: ergo etiam ab essentia, quæ est idem cum Filiatione realiter. *Resp.* Respondeo distinguendo primam partem consequentis: distinguitur realiter ab essentia vt significata nomine essentiæ, nego consequentiam: ab illa secundum realitatẽ, ideſt, ab aliquo, quod est essentia realiter, nempe Filiatio, concedo consequentiam.

§. IV.

Reijcitur Scoti sententia.

25 *Secũda cõclusio* SEcunda conclusio. *Inter relationem, & essentiam non est distinctio formalis ex natura rei ante intellectus operationem.* Ita Auctores tertiæ sententiæ contra Scotum. *Prob.1.* Et probatur primo: quæ namque sunt omnino idem, non distinguuntur actu ex natura rei ante operationem intellectus; cum omnimoda identitas omnem actualem realem distinctionem excludat; at relationes, & essentia sunt omnino idem, vt constat ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. quod refertur incapite damnamus de summa Trinitate illis verbis: *Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, sed id quod est Pater, est Filius, et Spiritus Sanctus idem omnino.* Et ex Augustino *lib.7. de Trinitate cap. 6.* vbi ait: *Non aliud est Deum esse, aliud personam esse, sed omnino idem*: ergo nulla distinctione possũt ante operationẽ intellectꝰ gaudere.

25 *Secũdo.*

Secundo: quæ diſtinguuntur actu ex natura rei ante operationẽ intellectus, non differunt ſola ratione; at relationes ab eſſentia differũt ſolum ratione, vt conſtat ex Concilio Florentino *ſeſſ.19.* vbi Andræas in concordiam reducens, quę Ioannes, & Marcus diſputantes dicebant, hæc protulit verba *In communi, tũ Græcorum, tum Latinorum Authorum Theologia, ſimpliciter proferre, Diuinam ſubſtantiam, ſcilicet Patris, Filijque ſubſtantiam, haud quaquam tamen eo putare debetis, vt re differant, quandoquidem ſola ratione, & intelligentia differre creduntur.* Quod etiam docuere Bernardus *Sermone* 80. *in Cantica*, Anſelmus *lib. de Incarnatione cap.* 1. & 3. *lib.* 1. *de Fide cap.* 11. & alij Patres communiter: ergo relationes, & eſſentia non diſtinguuntur actu ex natura rei ante intellectus operationem.

26 *Reſp. Scotiſtæ*

Reſpondent Scotiſtæ, ly *ſola ratione* ſumi pro ratione formali, nõ pro intelligentia: vnde non colligitur indiſtinctio formalis ex natura rei inter relationes, & eſſentiam.

Sed contra.

Sed contra primo: nam, vt ex verbis relatis conſtat, pro eodem accipitur diſtingui ſola ratione, ac diſtingui ſola intelligentia: at ſola intelligentia diſtingui, prædictam interpretationem non ſuſtinet: ergo nec ly *ſola ratione* talem interpretationem ſuſtinebit. Secundo: nam D. Thomas non alijs terminis explicuit indiſtinctionem realem, aut formalem eſſentiæ à relationibus, quam aſſerendo ſola ratione diſtingui, aut intelligentia, vt conſtat ex ipſo *de potentia quæſt. 8. art. 2. quodlibeto 6. art. 1. in 1. diſtinctione 2. q. 1. art. 5. diſt. 33. quæſt. 1. art. 1.* & *in præſẽti art. 2.* illis verbis: *Relatio realiter exiſtens in Deo eſt idẽ eſſentiæ ſecundum rem, & non differt niſi ſecundum intelligentiæ rationem*; & tamen Authores contrarij aperte fatentur ſe contra D. Thomam procedere: ergo fateri etiam debent verbis ex Concilio Florentino relatis opponi.

27 *Tertio prob.*

Tertio probatur: Pater eſt omnino ſimplex, vt conſtat ex Concilio Lateranenſi ſub *Innocẽtio 3. cap. 7.* illis verbis: *Cum ſubſtantia Patris indiuiſibilis ſit, vt potè ſimplex omnino*; at cum diſtinctione formali ex natura rei inter perſonalitatem, & eſſentiam, omnimoda ſimplicitas ſubſiſtere nequit in Patre: ergo talis diſtinctio releganda eſt. Minor, in qua eſt difficultas, probatur: ſimplicitas omnimoda non minus opponitur diſtinctioni, quam compoſitioni; at ſi in Patre eſſet compoſitio formalis ex natura rei, Pater non eſſet omnino ſimplex: ergo ſi actu ex natura rei diſtinguuntur in illo eſſentia, & Paternitas, Pater ex illis conſtitutus omnino ſimplex non erit. Minor ab Scotiſtis admittitur, qui ideo à Patre relegant formalem compoſitionem; quia cum illa omnimoda ſimplicitas ſubſiſtere nequit. Maiorem autem probo: ſimplicitas namque eſt ſpecies vnitatis, vnitas autem in indiſtinctione conſiſtit: ergo & omnimoda ſimplicitas; ac omnimoda vnitas, & omnimoda indiſtinctio, omnem diſtinctionem ante operationem intellectus excludunt, non minus, quam omnimoda ſimplicitas omnem compoſitionem: ergo omnimoda ſimplicitas non minus opponitur diſtinctioni, quam compoſitioni; & conſequenter ſi cum compoſitione reali formali ſubſiſtere nequit, nec cum diſtinctione reali formali ſubſiſtere poterit.

28 *Quarto prob.*

Quarto probatur: ex diſtinctione reali formali ſequitur Patrẽ eſſe compoſitum reali formali compoſitione; conſequens eſt abſurdum, & à nemine admiſſum: ergo & illud, ex quo ſequitur. Probo ſequelam: compoſitio eſt vnio diſtinctorum: ergo ſicut vnio diſtinctorum realiter, eſt compoſitio entitatiua realis, ita vnio diſtinctorum diſtinctione reali formali, erit compoſitio formalis; at iuxta hanc ſententiam datur in Patre vnio Paternitatis, & eſſentiæ, formali reali diſtinctione gaudentium:

ergo

ergo Pater erit ex illis compositus compositione reali formali. Qua ratione vsi sunt Anselmus *lib. 3. de Incarnatione cap. 3.* Damascenus *lib. 1. Fidei cap. 12.* Hilarius *lib. 8. de Trinitate.* Et D. Thomas *quodlibeto 6. art. 1. & q. 8. de Potentia art. 2. & in præsenti art. 2.*

Resp. Scotistæ

Respondent Scotistæ, ad compositionem necessario requiri vnionem extremorum reali distinctione gaudentium; eo quod extrema compositionis debent inter se cõparari per modum actus, & potentiæ; eo autem ipso, quod Diuina essentia à Paternitate non distinguatur realiter, sed solum formaliter, est omnino infinita; & consequenter comparari nequit tanquam potentia ad relationem; ac proinde ex illa, & Paternitate distinctis solum formaliter, resultare nequit compositio formalis.

29 Reijcitur 1.

Cæterum contra hãc solutionem obstat in primis esse omnino voluntariam; diffinitio namque compositionis est *vnio distinctorum*: ergo compositio entitatiua petet extrema distincta entitatiuê, compositio autem formalis solum formalem distinctionem extremorum exposcet; cum argumentemur à diffinitione ad diffinitum cum eodem addito, & oppositum omnino voluntariê affirmatur.

Secũdo.

Secundo: nam comparatio per modum potentiæ, & actus, vel requiritur ex conceptu compositionis abstrahentis à per se tali, & peraccidẽs tali, aut ex conceptu compositionis talis per se? non primum: ens nãque peraccidens compositum est ex extremis non comparatis vt actus, & potentia. Nec secundum: etenim cõpositio per se à compositione peraccidens in hoc discriminatur, quod in hac extrema non per se vniuntur in tertio; bene autem in illa: ergo data hac perfeitate vnionis, etiam si nõ cõparentur vt actus, & potentia, resultabit compositio per se.

Tertio.

Tertio: nam ex partibus integrantibus resultat compositio integralis, ex subsistentia Verbi, & humana natura componitur Christus; & tamen nec vna pars integrans vt actus, aut potẽtia comparatur ad aliã, nec subsistentia ad humanam naturã comparatur vt potentia, aut actus, sed solum vt terminus: ergo ad rationem compositionis comparatio ista necessaria non est.

30 Præterea.

Quarto: nam eo ipso, quod diuina essentia formaliter distinguatur à Paternitate, est realiter formaliter ab illa terminabilis, & non est infinita formaliter; sicut enim entitatiua infinitas petit identitatem entitatiuam cum omni entitate, quæ in suo conceptu imperfectionẽ non dicit: ita infinitas formalitatis petit formalem identitatem cum omni formalitate: ergo nihil ei deficit vt comparetur ad Paternitatem vt potentia formaliter.

Denique reijcitur.

Denique: nam ex Paternitate, & essentia, non solum vt sunt vnum, sed etiam vt distinctis formaliter, constituitur Pater Diuinus; at non vt vnus per simplicitatem: ergo vt vnus per formalem compositionem. Probo minorem: si distinguerentur entitatiuê, Pater constitutus ex illis non esset vnus per simplicitatem, esto non comparetur tãquam actus, & potentia; cum in tali casu minori vnitate gauderet, quam si vt potentia, & actus inter se cõpararetur: ergo pariter si distinguuntur ex natura rei, esto non comparentur tanquã potentia, & actus, Pater constitutus ex illis non erit vnus per simplicitatem. Patet consequentia: nam si aliqua ratio discriminis excogitari posset, ea esset, quod cum distinctione entitatiua comparantur, vt actus, & potentia, secus autem cum formali: ergo si stante entitatiua distinctione absque comparatione per modũ potentiæ, & actus, tollitur à Patre simplicitas, nulla stat ratio discriminis.

31 Quinto suadetur.

Quinto principaliter suadetur conclusio impugnando rationẽ Scoti, qui ex eo probat Paternitatem ab essentia distingui formaliter, quia

essen-

essentia communicatur Filio, & non Paternitas; at hæc ratio, vel probat entitatiuam vtriusq; distinctionem, vel non conuincit formalem: ergo cum ad primum inefficax sit, vt Catholicè Scotus fatetur, etiam ad secundum inefficax debet cẽseri. Probo minorem: essentia communicatur entitatiuè Filio, & Paternitas entitatiuè de illo negatur, & non solum formaliter, aliàs Pater, & Filius solum formaliter, & non entitatiue distinguerẽtur: ergo si ex affirmatione, & negatione distinctio colligitur, colligi debet ned um formalis, verũ etiam entitatiua. Explicatur hoc amplius: communicari entitatiuè, & entitatiuè esse communicabile, possunt de eadem entitate affirmari ratione infinitatis in entitate: ergo cõmunicari, & non communicari formaliter, poterunt de eadem formalitate verificari propter infinitatem formalitatis; & consequenter ex eo quod essentia communicetur Filio, & nõ communicetur illi Paternitas, male infert Scotus inter essentiam, & Paternitatem, distinctionem formalem.

Confi.

32 *Sexto prob.*

Sexto eandem conclusionem ostẽdo contra Scotum ad hominem: nã, vt ipse fatetur, illa distinguuntur formaliter, quorum vnum non est alterius diffinitio, nec de illius diffinitione; at Paternitas est de diffinitione Patris, & similiter diuina natura: ergo natura, & Paternitas identificantur formaliter Patri. Exquo vlterius infero identificari inter se. Probo hanc consequentiam: constitutum ex pluribus entitatiuè distinctis nullum ex constituentibus potest identificari entitatiuè, vt constat in toto compositio ex partibus, quod ab illarum qualibet differt entitatiuè per aliam: ergo pariter constitutum ex pluribus distinctis formaliter nullũ ex constituentibus potest identificari formaliter. Patet hæc consequentia: nam ideò totum ex entitatiuè distinctis compositum ab illorum quolibet differt entitatiuè, quia claudit aliã partẽ entitatiuè distinctam à comparte; at constitutũ ex pluribus distinctis formaliter dicit vnum ex constituentibus formaliter distinctum ab alio: ergo per illud, & ratione illius, debet à quolibet seorsim distingui formaliter; & consequenter eo ipso, quod diuina essentia identificetur Patri formaliter, non potest à Paternitate reali formali distinctione gaudere.

33 *Deniq;*

Denique probatur conclusio, & hucusque dicta explicantur: Pater vt constitutus ex essentia, & Paternitate, est summè vnus, vt constat ex Concilio Lateranensi: ergo irresolubilis in duas formalitates realiter formaliter distinctas. Patet consequentia: nam distinctio opponitur vnitati: ergo summæ vnitati reali opponitur omnis realis distinctio. Patet consequentia primo: nam vnitas excludit distinctionem: ergo sũma vnitas realis excludit omnem distinctionem realem. Secundo: quia namque simplicitas excludit cõpositionem, summæ simplicitati reali opponitur omnis realis compositio: ergo si vnitas excludit distinctionem, summæ vnitati reali opponitur omnis realis distinctio.

34 *Resp. Scotistæ*

Respondent Scotistæ, Patrem vt sic constitutum esse summè vnũ realiter: quia formalitates, ex quibus constituitur, non distinguuntur realiter entitatiuè, nec obstat distinctio realis formalis, quæ inter illas inuenitur: quia hæc distinctio est necessaria, & indistinctio realis formalis inter illas formalitates est impossibilis, non autem tollitur summa vnitas realis propter distinctionem, quę necessaria est, nec propter carẽtiam identitatis implicantis.

Sed contra arg.

Contra quod sic arguitur: sequitur ex hac doctrina, quod, qui assereret Patrem esse compositũ compositione reali formali, non damnaretur à Concilio Lateranensi asserẽte Patrem esse summè simplicem; cõsequens est falsum, aliàs posset salua fide defendi compositio realis formalis inter diuinas formalitates, quod nullus Scotista asserit: er-

go hæc doctrina non eſt ſuſtinenda. Probo ſequelam: ſaluatur ſumma vnitas in Deo realis, non obſtante diſtinctione reali formali, quia hæc diſtinctio eſt neceſſaria, & indiſtinctio realis formalis eſt impoſsibilis; ſed affirmans in Deo realem formalem compoſitionem, aſſereret eſſe neceſſariam, & incompoſitionẽ formalem eſſe impoſsibilem: ergo cum reali formali compoſitione ſaluaret ſimplicitatem ſummam; & conſequenter non ſe opponeret Concilio aſſerenti Deum eſſe ſummê ſimplicem. Patet conſequentia: nam ſicut ſummæ vnitati non opponitur diſtinctio realis neceſſaria, nec carẽtia identitatis impoſsibilis, ita ſummæ ſimplicitati non poteſt opponi neceſſaria compoſitio, nec incompoſitio impoſsibilis: ergo ſicut Scotus docens diſtinctionem illam eſſe neceſſariam, & impoſsibilem identitatem realem formalem, ſaluat veritatem Concilij ſtatuentis ſummã vnitatem, ita qui doceret compoſitionem realem formalem ex formalitatibus diſtinctis eſſe neceſſariam, & incompoſitionem realem formalem in conſtituto ex illis eſſe impoſsibilem, ſaluaret veritatem Concilij aſſerentis Deum eſſe ſummê ſimplicem. Et ratio omnium eſt: nam bonitas in aliquo genere nõ petit, niſi quod obtineat quod in illo genere nõ eſt implicatorium.

35 *Aliud effugiũ excluditur.*

Quod ſi propter hoc aſſeratur, docentem realem formalem compoſitionem ſaluare veritatem Concilij aſſerentis Deum eſſe ſummê ſimplicem. In contrarium obſtat primo, hoc à Scoto, & eius diſcipulis vno ore negari: nam Scotus totus eſt ſemper in defendenda formali diſtinctione, quin ex illa formalis compoſitio inferatur, cenſens præiudicare ſummæ ſimplicitati. Deinde: nam ex hac ſolutione inferretur, non eſſe hæreticum, qui in Deo ſtatueret realem entitatiuam compoſitionem ex Concilio aſſerente Deum eſſe ſũmê ſimplicem, ſi pertinaciter defenderet compoſitionem realem entitatiuam ex eſſentia, & relationibus, eſſe neceſſariam, & identitatem eſſe impoſsibilem: nam licet aliunde poſſet conuinci, non tamen ex illa diffinitione, qua docetur Patrẽ eſſe ſimplicem. Denique: nam id, quo datur aliquid ſimplicius, ſummê ſimplex non eſt, ſed natura diuina, v.c. ſub conceptu naturæ foret ſimplicior Patre, vt conſtituto ex eſſentia, & Paternitate; quandoquidem foret minus compoſita; & conſequenter ſimplicior: ergo Pater vt ſic conſtitutus ſummê ſimplex non foret, ſi eſſet cõpoſitus compoſitione reali formali ex eſſentia, & relatione.

§. V.

Argumentis Scoti occurritur,

36 *Primo arg.*

COntra iſtam cõcluſionem obijciunt Scotiſtæ, primo Auguſtinum *lib.7.de Trinitate cap.4. ad finem*, vbi ait: *Patrem non eo Deum, quo Patrem, ſed aliud eſſe Deum, aliud Patrem eſſe, vel Dominũ eſſe*; at, vt hoc verificetur, neceſſaria eſt maior diſtinctio, quã virtualis, aut rationis ratiocinatæ: ergo iuxta Auguſtinum Paternitas à Deitate differt, non ſola diſtinctione rationis, aut virtuali, ſed etiã formali ante operationem intellectus. Minor probatur: nam *in eodem capite, & præcedentibus*, docet Auguſtinus, Deum eo eſſe Deum, quo ſapiẽtem; & tamen ſapientia virtualiter à diuina eſſentia diſtinguitur: ergo vt verum ſit Deum non eſſe Deum, quo Patrem, neceſſaria eſt inter Paternitatem, & deitatem maior diſtinctio, quam virtualis; cumque

realis entitatiua esse nequeat, debet esse realis formalis.

37 *Resp.* Respondeo, Augustinum non loqui de esse constitutiuo deitatis in esse naturæ, prout ab attributis distinguitur, sed de esse absoluto, & cõmuni tribus personis, siue attributali, siue per modum naturæ, & vt sic loquendo, subsistit discrimen inter sapientiam, & Paternitatem, quantũ ad esse Deum: sapientia nãque, etsi distinguatur virtualiter à diuina natura per modũ naturæ, pertinet tamẽ ad esse absolutum deitatis vt tribus personis communis, vt metaphysicum eius constitutiuum, non in esse naturæ, sed in aliquo esse absoluto, & communi: Paternitas autem, &si formaliter abesse absoluto non distinguatur, non tamen ad constitutiuũ deitatis in aliquo esse absoluto, & communi pertinere potest. Vnde in forma, concessa maiori, nego minorem, ad probationem explico maiorem: Deus eo est Deus, quo sapiẽs secundum aliquid esse absolutũ deitatis, concedo: secundum cõceptum Deitatis sub conceptu naturæ, nego maiorem, & distinguo minorem: à Diuina essentia sub conceptu naturæ, cõcedo: sub aliquo conceptu absoluto, nego minorem, & consequentiam. Et quidem hoc argumentum Scotistis fauere non potest, cum non solum distinguant sua distinctione formali relationes ab essentia, sed etiam inter essẽtiam, & attributa, eandem distinctionem realem formalem constituant.

38 *Secũdo arg.* Obijciunt secundo: ea differunt distinctione reali formali, quæ distinguuntur diffinitione; at essentia, & relationes distinguuntur diffinitione: ergo distinctione ex natura rei, & formali. Probant minorem primo: nam essentia diffinitur ad se, relationes autem diffiniuntur in ordine ad aliud: ergo diffinitio essentiæ distincta est à diffinitione relationum. Secundo: relatio, & essentia absoluta vt præscindunt à creato, & increato differunt diffinitione; & cõsequẽter distinctione formali; at ea, quæ essentialia sunt rationi communi Deo, & creaturis, in Deo etiã reperiuntur formaliter: ergo essentia absoluta, & relatio differunt in Deo diffinitione, & ratione formali. Tertio: relatio, nec est diffinitio essentiæ, seu naturæ diuinæ, neque est de illius diffinitione, & similiter natura Diuina. nec est diffinitio relationis, nec de illius diffinitione: ergo gaudent diffinitionibus ex æquo distinctis; & consequenter distinguuntur diffinitione.

39 *Resp.* Respondeo, dupliciter diffiniri posse essentiam, & relationes Diuinas, primo à comprehensore attingente illa, quatenus sunt in se. Secũdo à nobis viatoribus, prout significantur his nominibus *essentia*, & *relatio* per distincta nomina, & distinctis conceptibus, si priori modo diffiniantur, eadem est diffinitio relationis, & essentiæ, sicut & illarum entitas eadem est, & eadem formalitas: si autem diffiniantur posteriori modo qualiter solum in hac vita à nobis diffiniri possunt, distinctis diffinitionibus diffinientur; sed ex hoc solum colligitur inter illa distinctio rationis, qualiter solum illorum diffinitiones distinguuntur. Vnde in forma ad argumentum factum respõdeo, distinguendo maiorem: quæ distinguũtur diffinitione data de illis, quatenus sunt in re, concedo maiorem: quæ distinguuntur diffinitione data de illis non prout in re sunt, sed quatenus per distinctos conceptus concipiuntur ab intellectu imperfectè cognoscente, nego maiorẽ, & sub eadẽ distinctione minoris, nego consequentiam. Ad primam probationem minoris, quatenus contra istam distinctionem potest obstare, dicatur, quod si essentia, & relatio diffinirãtur, quatenus sunt in re, vtraque debet diffiniri, & ad aliud, & ad se; cum namque essentia Diuina in re ipsa, & absoluta, & relatiua sit, & relatio similiter relatiua, & absoluta, si prout sic diffiniantur, & ad se, & ad aliud debent diffiniri.

40 *Secũda probatio diluitur.*

Ad secundam probationem dicatur relationem,& essentiam absolutam in illa abstractione, nec petere distinctas diffinitiones datas de illis prout àparte rei,nec illas excludere,sed ab vtroque præscindere,& in creatis illas habere,in diuinis autem non,sed vnam, & eandem diffinitionem,licet semper gaudeant diffinitionibus distinctis datis de illis, non prout in re,sed quatenus à nobis imperfecte nominantur, & connotatiue cognoscuntur per diuersos conceptus. Ad tertiam distinguo antecedens,illud que concedo de relatione,& essentia ,quatenus his nominibus à nobis significãtur, & distinctis conceptibus cognoscuntur,nego autem loquendo de illis prout sunt à parte rei : prout sic namque idem sunt;& consequenter diffinita essentia diffinitur relatio,& diffinita qualis relatione,diffinitur essentia. Ex quo solum sequitur distingui ratione , non autem quod distinguantur aliqua distinctione reali ante intellectus operationem.

41 *Obijcies*

Sed dices,omnis diffinitio vt sit bona debet esse de re prout est, non prout à nobis falso apprehenditur;cum eo ipso , quod ita non contingat, non exprimat rei essentiam, sed falsam nostram apprehensionẽ; at Paternitas v.c. diffinitur à nobis viatoribus diffinitione non defectuosa, quin in eius diffinitione explicetur essentia, & ê contra essentia diuina,quin in eius diffinitione explicetur Paternitas:ergo diffiniuntur prout sunt in re ipsa diffinitionibus exæquo distinctis;& cõsequenter differũt diffinitione data de illis quatenꝰ sunt in re;ex quo vlteriussequitur distingui formaliter, & ex natura rei.

42 *Resp.*

Respondeo, diffinitionem aliquam dupliciter posse esse defectuosam,primo per excessum, attribuendo rei aliquid,quod non habet. Secundo per defectum , non attribuendo rei totum,quod habet. Primum diffinitionem vitiat, secundum non ita , etsi reddat illam non ita perfectam,& rei non adæquatam , & hoc secundo defectu laborat omnis diffinitio à viatoribus data de Deo;sicuti , & omne nomen à viatoribus impositum illi. Vnde in forma distinguo maiorem: de re prout est per exclusionem prædicati contrarij, concedo maiorem:per expressionem omnis prædicati ei prout in se conuenientis,sub distinguo maiorem : si diffinitio sit adæquata,concedo maiorem: si inadæquata,nego maiorem, & distinguo minorem: diffinitur à nobis diffinitione non defectuosa contrariè,concedo minorem:non defectuosa defectu adæquationis, nego minorem,& nego consequentiam. Et quidem hoc argumentum soluendum est à Scotistis loquendo de diffinitione,non formalitatis essentiæ, sed entitatis;cumque essentiæ entitas entitatiue sit relationes diuinæ, si diffinienda sit quoad totam entitatem, entitatiuê in illius diffinitione debent ingredi relationes.

43 *Arg.3.*

Tertio sic obijciunt:Pater intelligens se, aut intelligit essentiam, & Paternitatem, vt diuersa obiecta formalia,aut vt idem obiectum, sub alio, & alio modo concipiendi nostro? Si primum,distinguuntur realiter formaliter; cum Patris intellectio terminetur ad illa quatenus sunt in se , & consequenter omnis distinctio illis competens prout in Paterno intellectu àparte rei necessario conueniat. Si secundum:ergo non est maior differentia,quam inter Deũ, & Deitatem,quod est absurdum. Patet hac consequentia ; Pater namque concipit Deum , & Deitatem vt idem obiectum in re , distinctum tamen sub alio,& alio modo concipiendi nostro : ergo si non aliter concipit essentiã,& Paternitatẽ,nõ plus distinguũtur, quã Deus , & Deitas.

44 *Resp.*

Respondeo eligendo secundam partem antecedentis,& negando consequentiam illatam , ad eius probationem concesso antecedenti,nego consequentiam. Primo: nã si Deus,& Deitas distinguuntur solum ratione ratiocinante , discrimen est manifestum;cum relatio , &

essentia differant distinctione rationis ratiocinatæ cum fundamento non solum in modo imperfecto concipiendi nostro, sed etiam in diuina entitate, quatenus exercet munera absolutæ, & relatiuæ entitatis. Secundo: nam etsi Deus, & Deitas distinguantur ratione ratiocinata, cũ intra lineam huius distinctionis detur latitudo pęnes magis, & minus, non licet colligere essentiam, & relationes non distingui magis inter se, quam distinguantur Deus, & Deitas; nam magis distinguuntur relationes ab essentia, quam ab illa differunt attributa; & tamen vtraque distinctio est rationis cum fundamento in re, & neutra realis, seu formalis.

45 *Deniq; arg.*

Denique arguitur: essentia diuina negatur de Paternitate v. c. secundumquod constituta per aliquod esse reale ante operationem intellectus: ergo distinguitur ab illa saltim realiter formaliter ante omnem negociationem intellectus. Cósequentia est euidens; nam eo modo vnum ab alio distinguitur, quo potest negari de illo, sicut é contra eo modo, quo cum illo identificatur, potest de illo affirmari: ergo si essentia, vt constituta per aliquod esse reale, negatur de relatione ante omnem operationem intellectus, per illud esse reale ante omnem intellectus actũ distinguetur ab illa; & consequenter aliquomodo realiter. Antecedẽs autem probatur: diuina essentia constituitur in aliquo esse reali per aptitudinem, vt identificetur cũ tribus personis, siue vt actu illis cómunicetur; sed vt sic constituta negatur de Paternitate v.c. ante omnẽ operationem intellectus: ergo negatur de illa essentia vt constituta per aliquod esse reale ãte intellectus operationem. Minor, in qua est difficultas, probatur: de quocũque negatur constitutiuũ, negatur etiam constitutũ per ipsum; sed de Paternitate v.c. negatur aptitudo vt identificetur cũ tribus personis ante omnem intellectus operationem; tum, quia de illa negatur actualis idẽtitas cũ tribus personis; & consequenter etiã aptitudo: tũ etiã: nã distinguitur realiter ab alijs personis; & consequenter ei repugnat aptitudo vt identificetur cũ illis: ergo etiã negatur de Paternitate essentia prout constituta per talem aptitudiné in aliquo esse reali ante omnem operationem intellectus.

46 *Resp. arg. & instatur*

Ad hoc argumentum reducitur tota efficacia rationis ex veritate duarũ contradictoriarũ desumpta, qua vtuntur Gilbertus vt probet entitatiuam realem distinctionem relationum ab essentia, Durandus vt probet inter illa distinctionem realem modalem, & Scotus vt conuincat suam mediam distinctionem, videlicet formalem, & ex natura rei, inter essentiam, & relationes. Et quidem, vt *superius* arguebam, conuincit primum, vel nihil: vnde cum Durandus, & Scotus, catholice fatentur suum argumentum ad primum conuincendum ineptum, necesse est vt illius inefficaciam ad suas sententias suadendas pariter recognoscãt. Ante cuius solutionem aduerto, Nos posse loqui de essentia, & Paternitate dupliciter, primo quatenus significantur à nobis viatoribus, & diuersis conceptibus concipiuntur. Secundo, de illis quatenus sunt in re, & obijciuntur menti beatorum illa prout in se sunt intuentium. Primo modo potest aliquid affirmari de essentia, & negari de relatione, & ê cótra, quia ad hoc sufficit distinctio rationis, qua gaudent prout nobis in hac vita obijciuntur: vt enim aliquid affirmetur de vno, & negetur de alio, quatenus per rationem distinctis, sufficit distinctio rationis, vt docet Diuus Thomas *quæstione octaua de potentia articulo secundo ad septimum* his verbis: *Sicut dicit Philosophus tertio physicorũ, non opus est, quod omnia eadem prædicentur quomodolibet de eisdẽ, sed solum de eisdem secundum rationem; essentia autem diuina, & Paternitas, etsi sint idem re, non sunt*

idem

idem ratione, & ideò non oportet, quod quidquid prædicatur de vno, prædicetur de alio. Quam doctrinã repetit *in hac quæst. art. 3.*

Si autem secundo modo sumantur essentia, & relatio, quidquid affirmatur de essentia, affirmatur de relatione, & nihil, quod de relatione affirmatur, negatur de essentia; quia tamen semper quod de illis loquuntur viatores, vtuntur his nominibus *essentia*, & *Paternitas*, quibus significantur vt ratione distincta: consequens sit, quod absolutè loquendo affirmentur aliqua de essentia, quæ de Paternitate negantur, & è contra, & ex hoc nascitur contrariorum Halucinatio.

47 *Resp. in forma.*

Hoc ita suppositò ad argumentum factum respondetur in forma negando antecedens, ad illius probationem nego etiam minorem, quam non conuincunt duæ probationes. Prima enim assumit falsum, scilicet Paternitatem, quatenus est à parte rei, non identificari cum alijs relationibus. Secunda non concludit intentum, stat enim, quod eadem forma infinita, quatenus est in re, identificetur realiter cum alia, & realiter distinguatur ab illa: vnde ex hoc, quod Paternitas, quatenus est in re, distinguatur realiter à Filiatione, non rectè colligitur non identificari cum illa realiter: nam sicut Authores oppositi id tenentur de identitate entitatiua affirmare, scilicet Paternitatem secundum aliquid, cum quo entitatiuè identificatur, identificari cum Filiatione, & realiter ab illa distingui; id ipsum Nos asserimus de identitate vtriusque reali formali.

43 *Sed replicabis primo.*

Sed oppones contra istam solutionem primo, identitas realis vnius cum alio dicit negationẽ realis distinctionis ab illo; at Paternitas realiter à Filiatione distinguitur: ergo non identificatur cum illa realiter. Secundo, bene valet: *Paternitas prout in re est incõmunicabilis realiter Filio; & Paternitas prout in re, est: ergo non est communicabilis Filio*; cum argumentemur ab affirmatiua ad negatiuam variato prædicato penes finitum, & infinitum, & posita constantia, quam esse bonam consequentiam, est communis Dialecticorũ regula ex Philosopho accepta; at maior, & minor sunt veræ, & de Fide: ergo consequens negari non potest; & consequenter hæc propositio est vera: *Paternitas, prout in re non est apta vt identificetur cum Filio, seu illi communicetur.*

Secũdo.

Tertio: nam minus opponuntur termini contradictorij, quã extrema relatiuè opposita; cum oppositio contradictoria sit maxima omnium; at si de natura sub conceptu essenti e verificaretur, quod est extremum relatiuè Paternitati oppositum, non posset prout sic cũ Paternitate identificari: ergo cum verè affirmetur de illa, quod sit communicabilis, & de Paternitate, quod sit incommunicablis, qui sunt termini contradictorij non potest omnino realiter identificari cum illa. *Tertio.*

Quarto: nam ex hac solutione sequitur verè affirmari de essentia quod sit ratio distinguendi Patrem à Filio, quod ab illo realiter distinguatur, ac denique quod relatiuè cum Filio opponatur; cum hæc omnia de Paternitate verè affirmentur; consequens videtur absurdum: ergo solutio, ex qua sequitur, est falsa.

48 *Quarto*

Denique obijcies: communicari essentiam intelligibiliter intuitiuè intellectui beati, & non communicari Paternitatem eidem intellectui intuitiuè, argueret inter illa realem distinctionem ad minus formalem, vt constat ex doctrina communi Thomistarum *supra quæst. 12. art. 11.* vbi ex identitate relationum cum essentia colligũt non posse vnum sine alio intuitiuè videri: ergo essentiam communicari Filio, & Paternitatem sub aliqua ratione non communicati, arguere etiam debet distinctionem inter illam, ad minus realem formalem. Patet ista consequentia: quia non

minus terminatur ad illa, prout sunt in se, realis communicatio physica, quam communicatio obiectiua, & intentionalis.

50 *Ad 1. replicam.* Respondeo ad primam ex his obiectionibus veram esse minorem in formis limitatis: secus autem in forma infinita: nam sicut hæc ob sui infinitatem, simul est relatiua, & absoluta, absque distinctione reali entitatiua in Scoti sententia; ita in nostra absque distinctione reali formali, & eandem ob causam, simul habet identificari realiter, & realiter entitatiuè distingui.

Ad 2. Ad secundam nego maiorem; nec dialecticorũ regula tenet, quando arguitur *à non distributo ad distributum*, qualiter in præsenti virtualiter contingit: nam licet Paternitas sit entitas singularis formaliter, æquiualenter tamen est vniuersalis, quatenus prout in re æquiualet pluribus entitatibus: vnde argumentatio posita facit hunc sensũ: *Res, quæ est Paternitas, sub aliqua ratione non cõmunicatur: ergo sub nulla communicatur.* In qua consequentia antecedens est verum, & cõsequens falsum; cum essentia, quæ est res, quæ est Paternitas, Filio cõmunicetur. Recolite Sotum in Summulis ad illam consequẽtiam *in Sequana sunt non pisces: ergo in Sequana non sunt pisces.*

Ad 3. Ad tertiam nego maiorem, quantum ad conuenientiam in eadẽ formalitate, licet nãque oppositio contradictoria, omniũ maxima sit quãtum ad veritatem, & falsitatem propositionis, incompatibilitas tamen in eadem forma non est tanta inter terminos contradictorios, atque inter terminos relatiuè oppositos, quod etiam Scotistæ fateri tenẽtur, cum duos terminos contradictorios verificent de eadem entitate; & tamen si essentia relatiuè se haberet ad Paternitatem secundum conceptum essentiæ, fateri tenentur quod à filiatione deberet entitatiuè distingui, id ipsum nos dicimus de conuenientia in eadem formalitate.

51 *Ad 4.* Ad quartam concedo omnes partes sequelæ, loquendo de essentia prout est à parte rei: secus autem de illa secundum quod significatur hoc nomine *essentia*, prout à Paternitate, & relationibus virtualiter, & ratione distincta. Primum enim nihil est aliud, quam quod aliqua formalitas à parte rei identificata cũ formalitate essentiæ sit ratio distinguendi, relatiuè se habendi, & oppositionis relatiuæ.

Ad vlt. Ad vltimam concesso antecedẽti, nego consequentiam ob duplicem rationem discriminis, prima est: nam communicari, & non communicari solum potest prouenire ex oppositione, aut ex distinctione, quod autem non communicetur Paternitas intellectui beati communicata essentia, ex oppositione prouenire non potest; cũ quoad hoc non opponantur essentia, & Paternitas; benè vero prouenire potest ex oppositione, quod communicata realiter essentia Filio, non communicetur Paternitas, & idcircò ex primo sequitur realis distinctio; secus verò ex secundo. Secunda est: nam essentia, & Paternitas terminant intuitionem sub ratione eadem, & virtualiter, & formaliter, nempè sub ratione diuinæ naturæ: vnde quod vna videatur, & altera non, cum existant sub eadem ratione etiam virtualiter, solum prouenire posset ex identitatis negatione; Paternitas autem non continetur sub ratione formali communicabilitatis realis ad intra: vnde sine distinctione aliqua actuali potest communicari essentia, Paternitate non communicata.


52 *Distinctio ista rationis non fit à Diuino intellectu* Disputari poterat pro complemento disputationis, an distinctionem istam rationis inter relationes, & essentiam, efficiat intellectus Diuinus? de quo egimus *Tomo secundo tractatu quinto*, vbi fabricationem omnis entitatis rationis Diuino intellectui repugnare monstrauimus; eo quod ens rationis habet esse fictum ab intellectu

rem

rem aliter, ac est, concipiente, v. c. relatú, quod revera relatum nõ est, distinctum, quod in re est indistinctum, Deo autem omnia vt sunt concipiẽti huiusmodi confictio repugnat; & consequẽter distinctionem istam rationis inter relationes, & essentiam conficere nequit. Qua etiam ratione hoc ipsum de beatis per beatificam visionem comincitur, cum per illam Deum vt est in se intuitiuè cognoscant. Deinde: nam huiusmodi distinctio rationis resultat ex distinctis, & partitis conceptibus, beatus autem vno indiuisibili actu Deú vt est in se intuetur; ac proinde ex tali actu resultare nequit præfata distinctio. Quod docuit D. Tho. *in* 1. *dist.* 2. *q.* 1. *art.* 3. & *supra quæst.* 13. *art.* 4. per cognitiones autem, quas beati habent extra Verbum, huiusmodi distinctionem efficere possunt, quod opposita ratione probatur: quia scilicet non vna, sed multiplex esse potest huiusmodi cognitio. Quod etiam docuit D. Thom. *in* 1. *vbi proximè*. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 1. *distinctione* 2. & 8. & 33.

M. Sët.

(?)



DISPVTATIO SEPTVAGESIMA SEXTA.

An Diuina Essentia sit de quidditate, & conceptu Relationum?

§. I.

Relatis sententijs statuitur prima conclusio.

Nu. 1. *Pũctus difficultatis aperitur*

EX Dictis *Disputatione præcedenti* manifestũ est, quod si relationes, prout in se sunt, accipiãtur, hoc est quãtum ad entitatem, quam habent à parte rei, essentialiter claudunt diuinam essentiam, seu potius habent ipsissimam essentiam diuinam; cum namque entitas relationum sit eadem, nedum entitatiuê, sed etiam formaliter, cum essentia, seu natura Diuina, vt ibi manifestê probauimus: consequens sit, quod si relationes pro entitate, quã a parte rei habent, sumantur, essentialiter sint ipsa diuinitas, & diuinitas eodem modo sumpta sit essentialiter relationes; quia tamen hæc diuina entitas sumpta adæquatê multiplici gaudet virtualitate per intellectum nostrum distincta formaliter, examinata reali identitate relationum, & essentiæ, restat examinandum, an entitas illa diuina secũdum virtualitatem essentiæ sit de quidditate sui secundum virtualitatem relatiuam; & ẽ contra secũdum virtualitatem relatiuam sit de essentia, & quidditate sui secundum quod exercet munus essentiæ? hoc secundum *in disputatione sequenti*, primũ *in hac disputatione* in examẽ vocamus.

2 *Prima sententia.* Molina Vazq. Becan. Turria. Alarcõ.

In qua prima sententia negãs est, quam præter Durandum, & Scotũ *in disputatione antecedẽti* pro prima, & secunda sententia relatos, tenent Molina *hic disp. 6. conc. 4.* Vazquez *disp. 21. cap. 2.* Becanus *tract. 1. de Trinitate cap. 2. q. 5.* Turrianus *disput. 5. dub. 1.* Alarcon *tract. 5. disp. 2. cap. 13.* nec displicet quibusdã ex nostris Thomistis.

Secũda sententia.

Bañez, Caiet. Zumel. Nazar. Canar. P. Sal. S. Tho. Serra Suarez. Arrub. Grana.

Diuersimodè defenditur.

Secunda affirmans est, quam frequenter tenét nostri Thomistæ. Bañez *in hac quæstione dub.3.ad sextum* pro se referens Caietanum. Zumel *disp.3.conclusione* 1. Nazarius *controuersia 1. conclusione* 7. Canariensis *disp.3.*PP. Salmanticenses *tractatu 6.disp.5.dub. 6.* S. Thoma *disp. 13.art.2.* Marcus de la Serra *dubio 2.concl.1.* Tenent etiam ex alienis Suarez *lib.4.de Trinitate cap.7.&* 8. Arrubal *disp. 101. cap.1.* Granadus *tract. 3. disp. 4. sect.2. & alij recentiores.* Non tamen ab omnibus vno modo defenditur; quidam enim distinguunt de essentia diuina per modum entitatis transcendentis, & per modum naturæ: priori modo asserũt esse de quidditate relationum; secus autem in posteriori acceptione. Alij huius distinctionis non faciunt mentionẽ. Alij denique expressè affirmant sub vtraque ratione esse de quidditate, & essentia relationum, etiam vt virtualiter à natura distinguuntur.

3 *Prima cõclusio*

Sit prima conclusio: *Ratio entis diuini est de quidditate relationũ, prout virtualiter distinguuntur à natura Diuina; & consequenter est de conceptu, quem viatores formamus de illis.* Secunda pars conclusionis ex prima euidenter colligitur: etenim in conceptu, quẽ formamus de relatione vt virtualiter à natura distincta, importatur saltim implicitè, quidquid est de essentia illius prout sic; cum virtualis distinctio in formali per intellectum nostrum facta explicetur: ergo semel probato rationem entis diuini esse de quidditate relationũ, quatenus virtualiter differunt ab essentia, rectè colligitur esse implicitè saltim de conceptu, quem viatores formamus de relationibus, quatenus virtualiter à natura Diuina distinctis.

Secũda pars cõclusionis ex prima colligitur.

4 *Prima pars cõclusionis probatur 1.ex D. Tho.*

Primam autem conclusionis partem probo ex D.Thoma *infra q.33. art.3.ad 1.* vbi ait: *Communia absolutè dicta esse de intellectu priorum*: vbi cum non distinguat de personalibus in concreto, & in abstracto, sed absolutè asserat, communia esse de intellectu priorũ, nec Nos debemus distinguere, sed D.Th. absolutè intelligere de personalibus in vtraq; acceptione. Et *in hac quæstione art.2. in corpore*, vbi docet claudi in diuinis relationibus esse subsistentiale diuinum, sicut in creatis ratio accidentis. Quod etiam docuerat *q.8.de potentia art. 2. circa finem corporis*, his verbis: *Et si relatio creata non significetur vt inhærens, tamen oportet vt sit inhærens, & hoc quando relatio est res aliqua, & sicut in rebus creatis oportet, quod sit accidens, ita oportet quod sit in Deo substantia: quia quidquid est in Deo est eius substãtia*; at ratio accidentis essentialis est relationi creatæ: ergo & ratio entis subsistãtialis diuini essentialiter cõuenit diuinis relationibus. *In eodem* etiam *articulo solutione ad 4.* de attributis, & relationibus loquens docet significare essentiam Diuinam, licet cum hoc discrimine, quod attributa illam significãt per modum essentiæ: quia significant aliquid vt in Deo existens, relationes autem non illam significant per modum essentiæ, quia non per modũ inexistentis, sed per modum se habentis ad aliud; at id, quod significatur per nomen, implicitè ad minus ad rei essentiam debet pertinere: ergo Diuina essentia est de quidditate relationum, etiam prout virtualiter à natura diuina distinguũtur. Denique id ipsum clarè videtur docuisse D.Thomas *in 1.ad Annibaldum distinct.33.art.1.ad 4.* cuius verba referam *conclusione sequenti*, vbi docet attributa essentialia, vt *sapiẽtia, bonitas*, &c. in abstracto accepta essentialiter prædicari de essentia, & etiam de relationibus; at de quo essentialiter prædicãtur proprietates essentiæ, & essentia ipsa essentialiter prædicatur: ergo ratio entis diuini prædicatur essentialiter de diuinis relationibus, etiã prout à natura virtualiter distinguuntur.

5 *Secundo prob. & eluſio.*

Secundo principaliter ſuadetur concluſio; Paternitas, v.c. prout virtualiter à natura diuina diſtincta, eſt ens eſſentialiter; at non ens creatum: ergo diuinum; & conſequenter ratio entis diuini eſt de quid ditate relationis prout virtualiter à natura diuina diſtinctæ. Secunda conſequentia probatione non indiget, ſicut nec præmiſſæ facti diſcurſus. Conſequentia autem prima probatur: nam ens adæquatè diuiditur per creatum, & increatum, ſiue diuinum: ergo ſi Paternitas, vt virtualiter ab eſſentia diſtincta, eſt ens eſſentialiter, & non ens creatum, erit eſſentialiter ens diuinum; cum argumentemur per regulam illam dialecticam *à diuiſſo cum negatione vni membri ad alterius affirmationẽ*, quæ in adæquata diuiſione nunquam deficere poteſt.

6 *Recẽtio rum ſolutio.*

In huius argumenti ſolutione multa verba Recentiores quidam in ſumunt, ſumma tamen ſolutionis conſiſtit in hoc, quod licet in re non detur medium inter eſſe ens à ſe, vel ab alio, creatum, aut increatum, facta tamen aliqua reduplicatione, vel addito ſtatu aliquo, aut modo, medium poteſt aſsignari; ſicut inter eſſe hominem album, & non album in re, medium non datur, ſi tamen reduplicatio fiat de homine vt diſcurſiuo, prout ſic nec eſt albus, nec non albus. Ad rem ergo præſentem inter hoc, quod eſt relationem à parte rei eſſe ens creatum, vel increatum, medium non datur: vnde aparte rei relatio eſt ens increatum, addendo tamen, & reduplicando relationem, vt virtualiter ab eſſentia diſtinctam, prout ſic nec eſt eſſẽtialiter ens creatum, nec increatum, ſed relatio.

7 *Reijcitur.*

Hæc tamen ſolutio ex non penetrata vi argumenti facti procedit. Et in primis exemplum adductum eſt omnino extra rem: diuiſio enim hominis in album, & non album, non eſt eſſentialis, ſed ſubiecti in accidentia, ſeu accidentalia prædicata: vnde cum accidentia ſubiecto, niſi vt exiſtenti non competant, & aliàs extra rei eſſentiam exiſtant, nec ratione eſſentiæ cum reduplicatione conueniant; conſequens fit, quod addito ly *eſſentialiter*, vel reduplicatis eſſentialibus prædicatis, nec vnum, nec alterum de ſubiecto affirmetur, ſed præſcindat ab vtroque extremo accidentali; in noſtro autem caſu diuiſio eſſentialis eſt, & diuiſum cum illa reduplicatione conueniens eſſentialiter; ac proinde aliquod ex membris diuidentibus cum eadem reduplicatione competere debet.

8 *Deinde reijcitur.*

Deinde reijcitur: reduplicatio illa virtualis diſtinctionis relationis ab eſſentia non tollit quominus eſſentialiter prædicetur de illa ratio entis vt ſic: ergo nec tollit quominus eſſentialiter prædicetur de illa aliquod ex membris, per quæ adæquate diuiditur ens. Patet conſequentia; tum quia non eſt ratio cur reduplicatio tollat verificationem alicuius ex membris diuidentibus ens, & non verificationem ipſius entis. Tum etiam: nam ſi verificato ente nullum ex diuidentibus poteſt verificari, non adæquabunt rationem diuiſi; & conſequenter diuiſio illa ad æquata non erit.

9 *Tertio.*

Tertio; de quocumque affirmatur ens, & negatur ens diuinum, verè affirmatur ratio entis creati non ſolum in re, & abſolutè, ſed quauis facta reduplicatione: ergo pariter affirmato ente, & negata ratione entis creati, recte colligitur affirmatio eſſentialis entis diuini, non ſolum in re, ſed etiam ſub quacumque reduplicatione.

Deniq; reijcitur.

Denique, & explicatur hoc amplius; quia de relatione creata verè affirmatur ratio entis vt ſic, & negatur ratio entis diuini, eſſentialiter affirmatur de illa ratio entis creati: ergo cum de diuina relatione, vt virtualiter ab eſſentia diſtincta, eſſentialiter prædicetur ratio entis vt ſic, & negetur ratio entis creati, vere de illa affirmatur ratio entis diuini, etiã quatenus virtualiter à diuina eſſentia diſtinguitur.

Deni-

10 *Tãdem suadetur conclusio.*

Denique principaliter suadetur conclusio; si diuinæ relationes non clauderent in suo conceptu rationem entis diuini, non includerentur in conceptu illius; & consequenter isti conceptus distinguerentur cũ mutua exclusione; at hoc est impossibile: ergo, & quod diuinæ relationes non claudant in suo conceptu formali rationem entis diuini. Probo minorem: ex conceptibus mutuo se excludentibus non potest non resultare compositio saltim rationis, aut virtualis; at hoc cum omnimoda simplicitate diuinarum relationum stare non potest: ergo impossibile est quod relationes in conceptu entis diuini non claudantur; & consequenter quod isti conceptus distinguantur cum mutua exclusione.

11 *Resp.*

Respõdebis, quod licet diuina simplicitas excludat realẽ, aut formalẽ cõpositionẽ, imo, & compositionem metaphysicam ex genere, & differentia, non tamen excludit compositionem virtualem, aut rationis, quæ ex genere, & differentia non fit.

Sed contra 1.

Sed contra primo: melius namque saluatur omnimoda simplicitas Dei, si compositionem etiam rationis simpliciter talem remoueamus ab illo; & aliàs illam remouere nullum est inconueniens, nec potest aliquo argumento falsitatis conuinci: ergo debemus ab illa excludere compositionem virtualem rationis, etiã si ex genere, & differentia non fit.

Secũdo.

Secundo: quia non minus imperfectionis est compositio rationis ex forma, siue modo, & subiecto, quam ex genere, & differentia; cum in vtraque aliquid potentialitatis admisceri sit necessarium; non enim minus comparatur vt potentia subiectum ad formam, quam genus ad differentiam; at compositio admissa erit ad minus ex forma, siue ex modo, & subiecto: ergo non minus relegari debet à Deo; quam compositio ex genere, & differentia.

Tertio.

Tertio: nam data inter formalitates diuinas mutua conceptuum exclusione, per bonam consequentiam infertur possibilis compositio metaphysica ex genere, & differentia: ergo si hæc relegatur à Deo, relegari etiam debet distinctio conceptuum cum mutua exclusione obiectiua. Probo antecedens: eo ipso, quod sit possibilis mutua exclusio conceptuum, poterit dari aliquis cõceptus communis omnino à particularibus præcisus; atqui admissa communitate ista cum præcisione ponitur vniuocatio; cum nulla in tali conceptu actualis importetur diuersitas, & vniuocatione ista admissa conceptus sic communis erit genericus: ergo ex admissa mutua exclusione obiectiua conceptuum per bonam consequentiam infertur possibilis compositio metaphysica ex genere, & differentia. Argumenta contra istam conclusionem, fortius contra sequentem militant, & ideô omittuntur.

12 *Obijcitur.*

Solum contra illam obijcio; non minus opponitur distinctio vnitati, quam compositio simplicitati; at summa vnitas, quam Deus habet in re, non tollit distinctionem virtualem, & per rationem: ergo pariter summa simplicitas Deo in re conueniens non obstabit compositioni virtuali, aut compositioni rationis; & consequenter ab inconuenienti compositionis non recte probatur inclusio entis diuini in relationibus prout virtualiter à natura distinctis. Et confirmatur; ideô namque datur in Deo virtualis distinctio, quia diuina entitas indistincta manens æquualet pluribus ex, quibus in creatis realis compositio resultat: ergo admittenda est in illo virtualis compositio. Confirmatur, & vrgetur secundo: vt enim *disputatione præcedenti* contra Scotum arguebamus, simplicitati summæ non minus opponitur distinctio, quam compositio: ergo si summa Dei simplicitas non excludit virtualem distinctionem, & formalem rationis, non excludet etiam compositionem virtualem, aut per rationem.

Conf. 1.

Conf. 2.

13 *Resp.*

Respondeo, omnibus alijs, iuxta

modum distinctionis dari etiam cõpositionem in Deo; cum autem duplex sit rationis ratiocinatæ distinctio, alia conceptuum mutuo se excludentium, alia pęnes implicitum, & explicitum cum mutua implicita inclusione, ex quibus prima est distinctio *simpliciter* intra limites distinctionis rationis, secunda autem distinctio rationis *secundum quid*; ita duplex est compositio rationis, alia *simpliciter* talis, consistens in vnione cõceptuum se mutuo excludentium; alia *secundum quid*, resultans ex vnione conceptuum se mutuo includentium, & solum distinctorum pęnes implicitum, & explicitum; sicut ergo negamus Deo primã distinctionem, & secundam concedimus, ita admittendam censeo compositionem secundam, & primam relegandam. Ex quo ad argumentum, & vtranque confirmationem constat solutio.

§. II.

Quid de diuina essentia sub conceptu essentiæ, & naturæ dicendum?

14 *Secũda conclusio. Quorundã argum. reprobatur.*

SEcunda conclusio: *Diuina essentia, & per modum essentiæ, & per modũ naturæ est de essẽtia relationis prout virtualiter, & ratione nostra ab illa distinctæ.* Prima pars huius conclusionis probari solet cõmuniter, eo quod relatio diuina, prout virtualiter à natura distincta, essentialiter est ens diuinum per essẽtiam, & à se, vt *præcedenti conclusione* monstrauimus; at ratio entis per essentiam, & à se, est ipsissima essentia diuina absoluta. ergo diuina essentia per modum essentiæ claditur essentialiter in ratione diuina, quatenus virtualiter à natura distincta. Hæc tamen ratio, etsi efficax sit contra illos, qui in diuinis relationibus solum agnoscunt *Ad* relatiuum explicitum, & non *in* relatiuum subsistens, aduersus illos autem, qui præter *Ad* explicitum recognoscunt in illis proprium *in* relatiuum pœnes ordinem ad subiectum, parum habet efficacitatis, nisi amplius vrgeatur. Ad illam namque respondere non difficile poterunt, rationem entis à se, & per essentiam dupliciter sumi, primo per exclusionem causæ, secũdo per exclusionem virtualis principij: hoc secundo modo est ipsissima essentia, seu natura diuina, prout sic autem non est de conceptu relationum, priori modo esse prædicatum commune transcendens non solum essentiam, sed etiam attributa, & relationes, & de omnibus essentialiter prædicari; ex hoc tamen non sequi diuinam essentiam absolutam essentialiter prædicari de illis.

15 *Vtraq; pars cõclusionis probatur. ex D.T.*

Probatur igitur primo vtraque pars conclusionis ex D. Thoma 1. *ad Annibaldum distinc. 33. q. vnica art. 1. ad 4. argumentum*, quod ita procedebat: *De quocumque prædicatur essentia, prædicantur essentialia attributa; hæc autem nõ prædicatur de proprietatibus: non enim dicitur, quod Paternitas sit sapiens, vel quod creet: ergo proprietas non est essentia.* Cui argumento sic respõdet Sanctus Doctor: *Ad quartum dicendum, quod attributa essentialia possunt significari in abstracto, vel in concreto: si in abstracto, sic essentialiter prædicantur, & de essentia, & de proprietate in abstracto acceptis: dicimus enim, quod essentia diuina, vel etiã Paternitas, est bonitas, vel sapientia Dei; si autem in concreto significentur, sic non prædicantur de essẽ-*

tia,

tia, vel proprietate in abstracto significatis, nisi illa attributa, quæ circũeunt omne ens: dicimus enim, quod essentia, vel potentia est ens, vna, vel bona, non autem quod sit sapiens, vel creans, sed hoc dicitur de Deo, vel de Patre, qui significantur per modum suppositi, non autem essentia, vel Paternitas.

16 *Verba D. Tho. vrgentur.*

Quibus verbis vtrãque nostræ conclusionis partem expræsisse Angelicũ Doctorem probo in hunc modum: argumentum procedebat de diuina essentia nedum per modum essentiæ, sed etiam per modum naturæ; at de illa prout sic asserit prædicari essentialiter, si in abstracto accipiatur, de diuinis relationibus: ergo sentit manifeste essentiam sub vtraque ratione esse de conceptu essentiali diuinarum relationum, etiam quatenus virtualiter ab essentia distinguuntur. Maior, in qua est difficultas probatur: argumentum procedebat de essentia, quatenus attributa radicat; at essentia quatenus radicat attributa non est essentia per modum essentiæ tantum, sed etiam per modum naturæ: ergo argumentum procedebat de diuina essentia, nedum per modum essentiæ, sed etiam per modum naturæ. Probo maiorem: etenim maior argumenti erat hæc; *de quocumque prædicatur essentia, prædicantur essentialia attributa*, quã propositionẽ concesit D. Th. at hæc propositio solum est vera de essentia, vt est attributorum radix: solum enim prout sic infert conuenientiam attributorum: ergo argumentum procedebat de essentia, quatenus attributa radicat; & consequenter procedebat de illa, nedum sub conceptu essẽtiæ, sed etiam sub munere, & conceptu naturæ.

17 *Conf. 1.*

Explicatur, & vrgetur amplius: de quo verificãtur essentialiter attributa in abstracto, prædicatur etiam essentialiter natura diuina sub conceptu naturæ; at D. Thomas apertẽ fatetur prædicari attributa in abstracto essentialiter de Paternitate: ergo de illa prædicatur essentialiter diuina essentia, etiam sub conceptu naturæ. Minor ex contextu constat. Cõsequentia euidens est, & maiorem ostẽdo: etenim attributa diuina, siue in concreto, siue in abstracto accepta, radicantur in diuina natura sub conceptu naturæ. Explicatur, & vrgetur secundo: non enim minorem difficultatem reperient contrarij Authores inquo quod attributum sapientiæ sit de essentia relationum, quam in conuenientia essentiali naturæ sub conceptu naturæ; at D. Thomas primum concedit: ergo etiã concedit secundum. *Conf. 2.*

18 *Prima pars cõclusionis suaetur.*

Deinde prima pars conclusionis suadetur: quidquid prædicatur realiter de Paternitate v. c. essentialiter prædicatur de illa; at Paternitas est realiter essentia diuina: ergo & essentialiter; & consequenter essẽtia est de essentiali Paternitatis conceptu.

Maior ostenditur 1.

Discursus cum minori tenet. Maior autem ostenditur primo: ad id, quod prædicatur de aliquo realiter, & non essentialiter, subiectum prædicationis est essentialiter in potentia, sicut ad id, quod prædicatur entitatiuẽ identicẽ, & non identitate formali, subiectum est in potentia formaliter; sed ad nihil, quod de Paternitate realiter prædicatur, est Paternitas in potentia essentialiter, aliàs illius essentia potentialis esset: ergo quidquid prædicatur realiter de paternitate, prædicatur de illa essentialiter.

Secũdo.

Secundo: quod prædicatur de Paternitate realiter, prædicatur de illa ratione summæ actualitatis; at summa actualitas petit actu essentialiter omnem perfectionẽ, & actualitatem nõ admixtam imperfectione, & potẽtialitate: ergo quod prædicatur de Paternitate realiter, prædicatur de illa essentialiter.

Deniq;

Denique probatur: quidquid enim prædicatur realiter de Paternitate, debet prædicari de illa cum summa vnitate possibili; at vnitas identitatis essentialis maior est, quam vnitas solius identitatis realis, & aliàs est possibilis, vt ex argumentorum so-

lutio-

lutione conſtabit : ergo idem quod prius.

19 *Deinde ſuadetur prima pars concluſionis.*

Tertio ſuadetur: ſi namque relatio non claudere in ſuo conceptu diuinam eſſentiam , non claudetur in conceptu illius, vt in confeſſo eſt apud omnes Authores contrarios; at hæc mutua excluſio conceptuum repugnat ſummæ ſimplicitati Dei, vt *ſuperi* arguebam: ergo,& quod relatio non claudat in ſuo conceptu diuinam eſſentiam. Probo minorẽ: eo ipſo quod eſſentia diuina, nec claudat, nec claudatur in cõceptu Paternitatis, erit in potentia ad illam, ab illa determinabilis, & actuabilis: ergo ex illa , & Paternitate reſultabit compoſitio rationis ex potentia, & actu,quæ non minus pugnat cum diuina ſimplicitate , quam compoſitio metaphyſica ex genere , & differentia : vt ergo inconueniens illud vitemus,aſſerendum eſt,diuinam eſſentiam eſſe de conceptu eſſentiali relationum, quatenus ab illa virtualiter , & ratione noſtra diſtinguuntur.

20 *Secũda pars cõcluſionis probatur.*

Denique eãdem concluſionem, quoad ſecundam partem, oſtendo: etenim hæc duo argumenta non minori efficacia militant de diuina eſſentia per modum naturæ, quam per modum eſſentiæ; at illis vtuntur noſtri Thomiſtæ, quorum eſt præfata diſtinctio, vt probent Dei eſſentiam per modum eſſentiæ includi eſſentialiter in conceptu relationum : ergo vel illa inefficacia debent cenſere, vel fateri tenentur ſub vtraque ratione eſſe de eſſentiali conceptu relationum. Maiorem,quoad ſecundum argumentum ,ſic probo: non enim ſolum prædicatur diuina eſſentia de Paternitate ſub conceptu eſſentiæ, ſed etiam ſub conceptu naturæ;cum ſub vtraque ratione realiter identificetur cum illa: ergo ſi quidquid realiter prædicatur de Paternitate,eſſẽtialiter prædicatur de illa ; non ſolum ſub conceptu eſſentiæ,ſed etiam ſub conceptu naturæ , prædicatur Deitas eſſentialiter de Paternitate. Quod etiam tertium argumentum pari efficacia militet de eſſentia diuina ſub conceptu naturæ, ac de eadem ſub conceptu eſſentiæ,probo in hunc modum: etenim relatio diuina non ſolum determinat,ſeu modificat Deitatem ſub conceptu eſſentiæ,ſed etiam ſub conceptu naturæ : ergo ſi ex eo , quod determinet Deitatem ſub conceptu eſſentiæ , cum mutua excluſione conceptuũ, ſequitur reſultare ex illis compoſitionem virtualem,& per rationem , ex eo etiã, quod determinet Deitatẽ ſub conceptu naturæ, & detur mutua excluſio cõceptuũ , infertur ex illis reſultare cõpoſitionẽ virtualẽ,ſeu rationis. Explicatur hoc magis : ex Deitate ſub conceptu eſſentiæ,& Paternitate illam determinante,reſultat compoſitio rationis,ſi diſtinguantur per conceptus mutuo ſe excludentes : ergo pariter ex Deitate ſub conceptu naturæ , & Paternitate illam determinante , reſultabit compoſitio rationis,ſi diſtinguantur cum mutua excluſione conceptuum.

Cõfirm.

21 *Contrariorum euaſio eſſe ꝑcitur.*

Reſpondebis forte , quod vt ex Deitate ſub conceptu naturæ, & ex Paternitate nulla compoſitio reſultet,ſufficit Deitatem ſub alio conceptu,ſcilicet eſſentiæ tranſcendentis,claudi in Paternitatis conceptu. Sed contra,etſi ratio entis tranſcendentaliter clauſa in ſubſtantia tranſcendat differentias contractiuas ſubſtantiæ ; quia tamen ſubſtantia ſub proprio , & expreſſo conceptu non tranſcendit tales differentias, verẽ cum illis compoſitionem metaphyſicam facit : ergo quod ratio eſſentiæ tranſcendentaliter imbibita in Deitate ſub conceptu naturæ,claudatur eſſentialiter in conceptu Paternitatis,non tollit quo minus ex Deitate ſub conceptu naturæ , & Paternitate illam terminante,reſultet compoſitio rationis , ſi Deitas ſub ratione naturæ non eſt de conceptu eſſentiali Paternitatis.

22 *Dices.*

Dices, non ſic comparari rationem entis ad rationem ſubſtantiæ in ſubſtantia , ſicut comparatur ratio eſſentiæ cum ratione naturæ in Dei-

tate,

tate: prima enim comparatio est superioris transcendentaliter ad sua inferiora; secunda autem non ita, sed sunt duo inadæquati conceptus, seu duo inadæquata munia Deitatis, quæ absque virtuali distinctione adæquata, & est essentia per comparationem ad existentiam, & natura per comparationem ad operationem, quatenus attributa radicat; ac proinde non mirum, quod inclusio entis in differentijs contractiuis substantiæ non impediat, quo minus substãtia cum illis componat, bene tamen inclusio Deitatis per modum essentiæ in conceptu Paternitatis tollet compositionem ex natura, & Paternitate.

Sed contra. Sed contra: eo ipso quod ratio essentiæ, & ratio naturæ comparentur vt duo inadæquati conceptus, non stat essentiam sub conceptu essẽtiæ relationes transcendere, & non transcendere sub conceptu naturæ: ergo solutio ista non potest subsistere. Probo antecedens primo: duo enim inadæquati conceptus eiusdem essentiæ, aut differentiæ comparantur inter se conuertibiliter; at eo ipso quod sic comparentur, de quocumque essentialiter vnus prædicetur, alter etiam debet prædicari essentialiter: ergo si ratio essentiæ, & ratio naturæ sic se habent in natura diuina, eo ipso, quod diuinitas sub conceptu essentiæ sit de essentiali conceptu relationum, sub conceptu etiã naturæ debet essentialiter prædicari de illis, & illarum conceptus transcendere.

Antecedens probatur 1.

2 *Secũdo.* Secundo: ratio essentiæ, & ratio naturæ eo ipso, quod sic comparentur, intimius, & cum maiori conuertibilitate se habent, quam natura, & attributa; at iuxta D. Thom. *in principio huius cõclusionis* relatum, de quocumque essentialiter prædicatur essentia, prædicantur essentialia attributa: ergo de quocumque prædicatur essentialiter Deitas sub conceptu essentiæ, prædicari etiã essentialiter debet Deitas sub cõceptu naturæ.

Deniq; Denique contra istam solutionem arguitur: essentia diuina sub conceptu essentiæ conuertibiliter se habente ad conceptum naturæ, consistit in ratione entis à se per exclusionem causæ, & principij virtualis: ergo si sub hoc conceptu includitur in conceptu relationum, etiam includitur in illis sub conceptu radicis attributorum, id est, naturæ. Antecedens constat: nam ratio entis à se per exclusionem causæ est cõmunis, & transcendens transcendentia rationis ad omne prædicatum diuinum; & consequenter non se habet conuertibiliter cum conceptu naturæ. Consequentiam autem probo: non minus opponitur à se per exclusionem principij virtualis cum formalitate habente virtuale principium, quam conceptus radicis cũ conceptu radicati; sed relationes, quamuis habeant principium virtuale, claudunt implicite essentiam vt est à se per exclusionem principij virtualis: ergo quamuis sint formalitates radicatæ in alio, includunt in suo conceptu essentiam sub conceptu radicis, & consequenter sub conceptu naturæ.



§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

24 *Arguitur primo ex D. Tho.*

COntra iſtam concluſionem opponunt contrarij Authores, primo D. Thomam *quæſt.* 8. *de potentia art.* 2. *ad* 6. quod ita procedebat: *Quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur etiam de ſubiecto; ſed ſi relatio eſt ipſa eſſentia diuina, hæc prædicatio erit vera, eſſentia diuina eſt Paternitas; & ſimiliter iſta Filiatio eſt eſſentia diuina: ergo ſequitur quod Filiatio ſit Paternitas.* Huic argumento reſpondet D. Thomas, maiorem ſolum eſſe veram in prædicabilibus per ſe, id eſt, quando aliquid prædicatur de alio ſecundum propriam rationẽ, & non ſolum ob realem identitatem: *Cum ergo dicitur*, inquit D. Thom. *eſſentia diuina eſt Paternitas, non prædicatur de eſſẽtia diuina Paternitas propter identitatem rationis, ſed propter identitatem rei; & ſimiliter nec eſſentia de Paternitate, vt iam dictum eſt; quia alia eſt ratio eſſentiæ, & relationis*: ergo ex mente D. Thomæ eſſentia nõ prædicatur de Paternitate per ſe, & formaliter, ſed tantum identicẽ, nec per rationem identificatur cum illa, ſed tantum realiter; & conſequenter non clauditur in relatione ſecundum quod per noſtros conceptus ab illa ratione diſtinguitur. Reſpondeo D. Thomã nomine prædicationis per ſe, & ſecundum propriam rationem, intelligere id, quod prædicatur de aliquo tanquam expreſſum eius cõſtitutiuum, hoc autem modo, nec Paternitas de eſſentia, nec eſſentia de Paternitate prædicatur; Paternitas namque non eſt formale, nec expreſſum conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ, ſed modus eſſentialiter incluſus in illa, vt videbimus *diſputatione ſequenti*, nec eſſentia eſt formale, & expreſſum conſtitutiuum Paternitatis, ſed quid implicite, & tranſcendẽtaliter incluſum in illa ratione ſummæ actualitatis, & infinitatis. Quæ interpretatio ex eo vera deprehenditur, quia ad ſoluendum argumentum factum ſufficit, quod nec relationes de eſſentia, nec eſſentia de relationibus iſto perfeitatis modo prædicẽtur, vt ex dicendis *ſequenti diſputatione* conſtabit.

Reſp.

25 *Secũdo arguitur.*

Secundo arguit Vazquez: id, quod ſecũdum rationem aduenit eſſentiæ, non claudit illam ſecundum rationẽ; at Paternitas v. c. intelligitur aduenies eſſentiæ ſecundum rationẽ: ergo illam ſecundum rationem eſſentialiter non includit. Probat maiorem; id nanque, quod ſecundum rationem alteri aduenit, nõ affert ſecũ illud, cui aduenit; at quod ſecũdum rationem aliud includit, illud affert ſecum per rationem: ergo id, quod ſecundum rationem aduenit eſſentiæ non poteſt illam per rationem includere.

Conf.

Quod amplius in hunc modum confirmat: relatio à nobis concipitur aduenies eſſentiæ vt illã determinet; at id, quod determinatur, nõ continetur in conceptu determinantis, vt inductione patet in rebus creatis, & probari poteſt in reali determinatione, in qua realiter determinans nequit realiter includere realiter determinatum: ergo in relatione, vt à nobis concipitur, non continetur eſſentia.

26 *Reſp.*

Reſpondeo, veram eſſe maiorem de eo, quod aduenit ſecundum rationem eſſentiæ, quoad explicitũ, & implicitum: ſecus autem de eo, quod aduenit ſolum quoad explicitum, relatio autem non primo, ſed

secundo modo advenit essentiæ, ad quod sufficit, quod licet implicet in suo conceptu essentiam, illam tamen non explicet, nec explicite adducat. *Ad cõf.* Et ex his ad confirmationem distinguo maiorem: determinatione quoad implicitum, & explicitum, nego maiorem: quoad explicitum tãtum, concedo maiorem, & sub eadem distinctione nego minorem: nec inductio ex creatis fauet contrario Authori, sed Nobis; modi namque, quia solum quoad explicitum aduenium enti, & illud determinant, implicant in suo conceptu ens, etsi illud non explicent; differentiæ autem contractiuæ generis, quia determinant genus determinatione simpliciter quoad implicitum & explicitũ, nec implicitè, nec explicitè genus important, & licet neget Auctor contrarius determinari per modos determinatione expressionis, communis tamẽ Metaphysicorum consensus id docet, qui ens non vniuocum, sed analogum ad sua inferiora fatentur.

27 Tertio sic arguit: si Paternitas in suo conceptu essentiali clauderet essentiam diuinã, hæc esset vera propositio, *Paternitas est essentia diuina essentialiter*; at hæc propositio concedi non potest: ergo Paternitas in suo conceptu essentiali non claudit essentiam diuinam. Minor, in qua est difficultas, probatur sic primo: de quo prædicatur diuina essentia essentialiter, prædicatur etiam essentialiter omne prædicatum essentiale essẽtiæ; at de essentia prædicatur essentialiter, quod sit cõmunicabilis tribus personis, quod non potest de Paternitate essentialiter prædicari; cum hæc sit falsa propositio, *Paternitas est communicabilis tribus Personis*: ergo essentia non potest prædicatione essentiali de Paternitate enunciari. Secundo: nam hæc est bona consequentia, *Pater essentia intelligit; Paternitas est essentia: ergo intelligit Paternitate*; at hoc consequens est falsum: ergo aliqua ex præmissis est falsa; cumque maior falsa non sit, minor necessario falsa debet esse.

Tertio: nam de essentia vt à Paternitate distincta verè prædicatur, quod Deum constituat in esse Dei, & quod est radix omnium relationum: ergo si essentia de Paternitate essentialiter prædicatur, verum erit dicere de illa, quod Deum constituat in esse Dei, & quod sit radix omnium relationum; & consequẽter Paternitas erit radix sui ipsius, quod est impossibile. 28 *Tertio prob. minor.* Quarto suadetur: si namque essentia verè affirmaretur de Paternitate essentialiter, verũ esset dicere de essentia, quod est propria Patris; cum enim tota Paternitas sit Patri propria, omne, quod essentialiter enunciatur de illa, debet esse proprium Patri; consequens est falsum: ergo relatio in suo conceptu essentiali non claudit diuinam essẽtiam. *Quarto*

Denique illa minor suadetur: si namque de Paternitate essentialiter prædicatur essentia, sequitur verè affirmari de essentia, quod sit forma constitutiua Patris in ratione personæ, quia Paternitas est forma constitutiua Patris secundum omnia sibi essentialia, quorum vnum esset essẽtia; consequens autem est falsũ, aliàs Pater in essentia à Filio realiter differret secundum propriam rationem essentiæ: ergo idem quod prius. *Deniq; prob. minor.*

29 *Resp. argum.* Ad hoc argumentum respondeo concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, distinguo maiorem: absolutè, vel specificata essentia, concedo maiorem: absolutè semper, nego maiorẽ, licet autem esse communicabile non prædicetur de Paternitate absolutè: vnde hæc est falsa propositio *Paternitas est communicabilis Filio*, quia facit sensum, quod Paternitas sub expresso conceptu sit illi communicabilis, quod est hæreticũ, prædicatur tamen de Paternitate cũ addito, & specificatione essentiæ diuinæ: vnde hæc est vera propositio, *Paternitas est essẽtia Diuina pluribus Personis communis*, nec est necessarium, quod omne prædicatum essentiale essentiæ diuinæ prædice- *Ad 1. minoris probat.*

tur

tur de Paternitate accepta absolutè, sed sufficit prædicari absolutè, vel cum addito, & specificatione essentiæ, vt dictum est. Et quidem contrarij Authores eadem difficultate præmuntur; cum fateãtur hanc esse verã propositionem, *Paternitas realiter est essentia diuina*, hanc autem esse falsam, *Paternitas est realiter Filio communicabilis*: sicut ergo necessarium non est ad hoc, quod essentia diuina prædicetur realiter de Paternitate, quod cõmunicabilitas prædicetur realiter de Paternitate absolutè, sed solum cum addito, & specificatione essentiæ, asserendo, *Paternitas est realiter essentia diuina realiter communicabilis*, ita in nostra opinione est dicendum de prædicatione essentiali.

30 *Ad 2.* Ad secundam probationem nego antecedens; nam variatur appellatio: licet namque Paternitas sit essentia diuina implicitè, non tamen explicat essentiam diuinam, & ab illa ratione ratiocinata distinguitur, in maiori autem prædictæ consequẽtiæ reduplicatur explicitus conceptus essentiæ, in minori non fit reduplicatio, & in consequenti fit reduplicatio supra expressum relationis conceptum; eo quod in ordine ad formales constitutiones semper reduplicantur expræsi, & formales conceptus: vnde appellatio in cõsequẽtia facta variatur, sicut in ista: *Omne ens causatur à Deo; deformitas peccati est entitas: ergo deformitas causatur à Deo*, potest autem concedi hæc propositio, *Pater intelligit Paternitate ratione essentiæ, quam implicitè claudit*, sicut etiam ista conceditur, *deformitas peccati causatur à Deo sub ratione entitatis.*

31 *Ad 3.* Et ex his ad tertiam probationem constat solutio; nam de Paternitate verum est affirmare, quod cõstituat Deum, & omnia radicet, non absolute asserendo, *Paternitas cõstituit Deum, & radicat cætera, quæ competunt Deo*, sed addendo, & specificando essentiam, dicendo *Paternitas ratione essentiæ, quam implicitè claudit, radicat omnia attributa, & Deum constituit, imo & se ipsam*: nam hoc nihil est aliud quam, quod essentia, quam implicite claudit, radicat Paternitatem.

32 *Ad 4.* Ad quartam nego sequelam, quam non conuincit probatio facta: nam licet tota Paternitas sit propria Patri, ly *tota* accepto *cathegorematicè*, non tamen *syncathegorematicè* accepto, id est secundum omnia, quæ implicite includit; sicut tota rationalitas est propria hominis, non *syncathegorematicè*, id est secundum omnia, quæ implicite includit; cum includat in suo conceptu entitatem, quæ propria hominis non est, sed *cathegorematicè*, id est secundum aliquem conceptum, quem exprimit.

33 *Ad vlt. prob.* Ad vltimam nego etiam sequelam; cum namque constitutio Patris non sit per compositionem, extrema constituentia non constituunt quoad omnia, quæ explicitè, & implicitè important, sed solum quoad ea, quæ explicitè dicunt: vnde cum Paternitas non explicet essentiam diuinam, sed solum implicite illam importet; consequens est, quod non verificetur de essentia, quod personam Patris in ratione Patris constituat formaliter.

34 *Replica bis primo.* Sed aduersus solutionem datam primæ probationi obijciet quis primo: de quo prædicatur essentia, prædicantur omnia, quæ essentialiter prædicantur de essentia: ergo de quo prædicatur essentia absolutè, etiam prædicantur absolutè omnia, quæ de illa absolutè dicuntur; & consequenter vel absolutè concedendum non est Paternitatem esse essentialiter diuinam essentiam, vel absolutè debet concedi Paternitatem esse cõmunicabilem.

Secũdo. Secundo: attributa diuina, vt sunt *intellectio, volitio, &c.* absolutè prædicãtur de quo absolutè prædicatur essentia diuina: ergo etiam quodvis aliud prædicatum essentialiter absolutè enunciatum de essentia debet absolute enunciari de quo

abso-

Tertio. absolute prædicatur essentia. Tertio; quia ex illa solutione sequitur verè affirmari de Paternitate, quod sit diuina essentia actu communicata tribus personis: tum, quia de quo verificatur potentia, potest etiam actus verificari. Tum etiam: nam communicabilitas essentiæ diuinæ non est potentialis, sed summè actualis; consequens autem absurdum videtur: ergo etiam illud ex quo sequitur.

35 *Resp.* Respondeo prædicata, quæ essentialiter affirmantur de essentia, esse in duplici differentia; alia enim absolute affirmantur de illa absque reduplicatione superioritatis illius, & virtualis distinctionis, qua à relationib⁹ discriminatur, alia vero prædicantur de essentia vt superior est ad personas, & cum reduplicatione virtualis distinctionis, qua distinguitur à relationibus: prædicata prioris generis absolute affirmãtur de omneo, de quo absolute affirmatur essentia: vnde absolutè affirmãtur de Paternitate *intellectio*, *volitio*, &c. secus autem prædicata posterioris conditionis; & quia communitas affirmatur de essentia cum reduplicatione superioritatis realis, quam habet ad tres personas, & virtualis distinctionis, qua à relationib⁹ differt: consequens est, quod non affirmetur de quauis relatione absolutè, sed cũ addito, & specificatione essentiæ diuinæ.

36 *Explo firmatur doctrina.* Habeo exemplum ex creatis desumptum: essentiale est enti, quod sit specificatiuum nostri intellectus; & tamen quamuis ens absolute enuncietur de rationali, & omnibus alijs, non tamen verificatur absolute de illis, quod sint specificatiuum intellectus humani, sed solum cum addito, & specificatione entitatis: vnde hæc est falsa propositio, *rationalitas specificat intellectum humanũ*, hæc tamen est vera, *rationalitas sub ratione entitatis intellectum nostrum specificat*, & hoc non alia de causa, nisi quia specificatio conuenitenti non absolute, sed cum reduplicatione expressionis proprij conceptus, & distinctionis, qua gaudet respectu differentiarum. Et ex his ad primam, & secundam obiectionẽ constat solutio. Ad tertiam ex dicẽdis *disputatione sequenti* constabit. Et totum argumentum instatur in affirmatione essentiæ diuinæ de Patre, quam esse essentialem nemo est, qui possit dubitare; & tamen ista consequentia non valet, *Pater est essẽtia diuina; essẽtia diuina est communicabilis Filio: ergo Pater est communicabilis Filio.* Maior, & Minor verissimæ sunt, consequẽs autem falsum, sed solum potest inferri: *ergo Pater est essentia communicabilis Filio.*

Ex his aliæ obiectiones diluũtur.

37 *Replic. contra dicta.* Sed instare quis poterit ex dictis à Nobis *disp. 71. §. 1.* videlicet prædicatum positiue competens rationi superiori genericę non posse repugnare rationi differẽtiali, ex quo intulimus, quod si intellectioni vt sic positiuè competeret exigentia producendi Verbum, non posset repugnare visioni beatificæ ex conceptu differentiali verbi productio: ergo à fortiori quod essentialiter positiue competit rationi transcẽdẽti, repugnare nequit formalitati, in qua per transcendentiam inclusa inueniturtur; & consequenter, vel communicabilitas essentialiter competens essentiæ diuinæ debet cuiuis relationi sub expresso conceptu non repugnare, vel diuina essentia relationes transcendere nequit, nec de illis essentialiter poterit prædicari.

38 *Resp.* Respondeo, communicari essẽtiam sub conceptu essentiæ, & relationem esse incommunicabilem sub omni ratione sibi essentiali, nõ posse componi cum inclusione essentiæ essentiali in relationibus, bene tamen relationem esse incommunicabilem sub expresso conceptu relationis cõponitur cũ inclusione essentiæ, quæ sub conceptu essentiæ communicabilis est, nec est simile de exigentia positiua productionis Verbi in intellectione vt sic, & repugnantia productionis Verbi in visione beatifica:

hæc namque non ſolum dicit repugnantiam productionis ſub vno conceptu, ſed etiam repugnantiam productionis Verbi abſolute, & ſub omni conceptu in beatifica viſione reperto, & id circo ſi de conceptu intellectionis vt ſic eſſet Verbi productio, contrahi nō poſſet ad viſionem beatificam, quæ petit ſub nulla ratione Verbum producere.

39 *Arg. 4.* Quarto obijciunt: ſi de conceptu eſſentiali relationum eſſet diuina eſſentia, ſequeretur, multiplicata realiter relatione, multiplicari eſſentiam diuinam realiter; conſequēs eſt abſurdum: ergo diuina eſſentia non eſt de conceptu eſſentiali relationum. Probatur ſequela primo: quia non alia ratione multiplicatis relationibus, multiplicatur realiter entitas diuina, ſeu realitas, niſi quia entitas relationes tranſcendit: ergo ſi diuina eſſentia eſſentialiter relationes tranſcenderet, multiplicaretur realiter ad multiplicationem realē relationum. Secundo: multiplicatis realiter relationibus, multiplicatur realiter relationum eſſentia; at ſi eſſentia diuina eſſentialis eſſet relationibus, eſſet illarum eſſentia: ergo neceſſario deberet multiplicari realiter ad multiplicationem realem relationū.

40 *Reſp.* Reſpondeo negando ſequelam: ad primam probationem nego conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt: nam entitas, ſeu realitas, relationes tranſcendit per modum prædicati communis communitate rationis abſtrahentis à relatiuo, & abſoluto, & ideō multiplicatur realiter, multiplicatis relationibus; tranſcendētia vero diuinæ eſſentiæ reſpectu relationum non eſt prædicati communis communitate rationis, ſed reali communitate, & ideo illis multiplicatis debet diuina eſſentia realiter immultiplicata manere. Ad ſecundam dicatur, multiplicari eſſentiam relationum non ſecundum adæquatum conceptum, ſed ſolum ſecundū expreſſum, eſſentia autem diuina nō pertinet ad expreſſum relationum conceptum, ſed implicite clauditur in illis.

41 *Arg. 5.* Quinto obijciunt aliud inconueniens, quod ſequitur ex noſtra ſententia, videlicet produci diuinam eſſentiam, producta Filiatione; conſequens eſt hæreticum: ergo noſtra ſententia non eſt tenenda. Probatur ſequela primo: nam prædicatum eſſentialiter improducibile nequit eſſe eſſentiale formalitati producibili eſſentialiter: ergo vel producta relatione neceſſario producitur eſſentia diuina, vel non eſt prædicatum eſſentiale Filiationi. Secundo: quia non alia ratione producta Filiatione producitur realitas Filiationis, niſi quia eſt prædicatum eſſentiale illius: ergo ſi diuina eſſentia eſt prædicatum eſſentiale Filiationis, producetur Filiatione producta. Tertio: nam ſi eſſentia diuina incluſa eſſentialiter in Filiatione non produceretur, hæc eſſet vera propoſitio, *Filiatio eſt entitas improducta*; at hoc eſt falsū; cum oppoſita propoſitio ſit vera, ſcilicet, *Filiatio eſt entitas producta*: ergo eſſentia diuina incluſa eſſentialiter in Filiatione producitur. Probo ſequelam; hæc namque eſt bona conſequentia: *Eſſentia diuina eſt entitas improducta; Paternitas eſt eſſentialiter eſſentia diuina: ergo eſt eſſentialiter entitas producta*; at vtraque præmiſſa eſt vera in noſtra ſententia: ergo & ſequela manifeſte manet probata.

42 *Reſp.* Reſpondeo negādo ſequelam: ad primam probationem nego antecedens, ſi prædicata infinita ſint: nam ſicut ratione infinitatis ſtat formalis realis identitas inter prædicata diuina cum improducibilitate vnius, & alterius producibilitate, ita ratione infinitatis ſtare poterit incluſio eſſentialis inter huiuſmodi prædicata.

Ad ſecundam diſtinguo antecedens: quia eſt eſſentialis per modum prædicati communis communitate rationis, cōcedo antecedens: ex præuiſſa ratione prædicati eſſentialis, nego antecedēs, & cōſequentiā: eſſē

tia namque diuina est essentialis relationibus, vt prædicatum commune communitate reali non rationis: vnde sicut hac ratione non multiplicatur realiter ad realem multiplicationem relationum; ita nec producitur Filiatione producta; si nãque produceretur, etiam multiplicaretur. Ad tertiam concedo sequelam, nec opponuntur ista prædicata, scilicet, esse entitatem productam, & esse entitatem improductam; quia vnũ conuenit ratione essentiæ, quam essentialiter includit relatio, & alterum ratione explicitæ relatiui, quod dicit, sicuti hac de causa conceduntur istæ propositiones, *tres relationes diuinæ sunt tres res, & sunt vna res*, primum ratione essentiæ, quã implicant, secundum rationem cõceptus relatiui, quam exprimunt, & sicut etiam istæ duæ propositiones debent concedi *Pater est entitas producta*, *Pater est entitas improducta*, primum est ratione relationis, & secundum ratione essentiæ

43 *Deniq; arg.* Denique obijciunt: Pater constituitur ex Paternitate, & essentia: ergo essentia nequit in Paternitate implicitè claudi. Probatur consequentia primo: quia vnum ex constituẽtibus non potest includi in alio, quo circa, nec animal in rationali potest implicitè claudi, nec ê contra rationalitas in animali: quia scilicet ex illis homo constituitur. Secundo: nã si Paternitas clauderet implicitè essentiam, diceret adæquatè totum, quod dicit Pater: ergo non posset Patrem cõstituere, sicuti nec potest aliquomodo concedi, quod Pater Patrem constituat.

Resp. Ad 1. cõsequentiæ probationẽ Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad primã probationem dicatur, verum esse antecedens, quando constitutio est per compositionem realem, aut rationis *simplicitèr* talem, quales sunt cõstitutio hominis ex anima, & corpore, & metaphysica ex animali, & rationali: secus autem quando est cõstitutio per omnimodam simplicitatem, qualis est constitutio Patris ex Paternitate, & essentia. Et quidẽ verè affirmamus Deum Deitate constitui; & tamen nihil est de ratione Dei, quod implicitè saltim in Deitate non includatur.

44 *Ad 2. prob.* Ad secundam distinguo antecedens: diceret implicitè, & per modum formæ, concedo antecedens: explicitè, & quasi per modu totius, nego antecedens, & consequentiam. Nec est eadem ratio de Patre, vt Patrem constituere dicatur, ac de Paternitate: nam Pater dicit relationem, & essentiam per modum constituti ex illis sub expressis illorum conceptibus, sicut hæc est vera *modus per se constituit substantiam*, licet implicet totum, quod dicit substantia; & tamen hæc est falsa: *Substantia constituit substantiam*. Et similiter hæc est vera: *Deitas cõstituit Deum*, etiam si implicitè importet totum, quod Deus, & tamen hæc est falsa *Deus Deum cõstituit*. Et ratio omnium est diuersitas rationis, & in modo importandi pẽnes implicitum, & explicitum.

45 *Replica bis.* Sed dices: si Paternitas clauderet implicitè essentiam, & naturam Diuinam, esset constituta obiectiuè ex essentia absoluta, & expresso relationis conceptu: ergo diceret totum, quod Pater, non per modu formæ constituentis, sed per modu cõstituti, & quasi totius. Antecedens probatur primo: nam quodlibet cõstituitur ex suis essentialibus prædicatis: ergo si Paternitas essentialiter dicit essentiam, & expressum relationis conceptum, importabit vtrumque, tanquam constitutum ex illis. Secundo: nã eo ipso, quod importet essentiam vt inclusam in Paternitate, importat necessario illam, vt Paternitate terminatam, & per illam incommunicabiliter subsistentem: ergo illam importat eo modo, quo Pater; & consequenter eodem modo per illam constituitur in ratione Personæ, ac Pater constituitur.

46 *Resp.* Respondeo negãdo antecedẽs. Ad primam probationem distinguo an-

tecedens: ſecundum omnem ſignificationem, nego antecedens : ſecundum aliquam, concedo antecedens, & nego conſequẽtiam, loquendo de Paternitate vt ſignificatur hoc nomine *Paternitas*: ſic enim non ſignificatur vt conſtituta ex eſsẽtia, & Paternitate, ſed vt conſtituens Patrẽ; vt autẽ ſignificatur hoc nomine *Pater*, ſignificatur vt conſtitutum ex eſſentia, & Paternitate. Ad ſecũdam nego antecedens : ad hoc nãque neceſſarium erat, quod importaret eſſentiam ſub expreſſo conceptu eſſentiæ, & naturæ, qualiter à Paternitate diſtinguitur, non autẽ ſic illam importat Paternitas, ſed vt tranſcendẽtaliter in relatione incluſam, qua ratione amittit expreſsionem naturæ, & ſolũ exprimitur, quatenus eſt relatio. Quod ſi hoc ſolum velint, qui negant naturam ſub conceptu naturæ claudi in conceptu relationum, quia ſcilicet ſub expreſſo naturæ conceptu non clauditur in illis; cum eo ipſo, quod in illis claudatur, expreſsionem illam amittat, libenter aſſentior : cæterum in hoc nullum diſcrimen inter naturam ſub conceptu naturæ, & ſub cõceptu eſſentiæ reperio; cum etiam prout incluſa in conceptu relationum amittat expreſsionem eſſentiæ abſolutæ, prout talis.

47 *Ex dictis infertur.*

Ex dictis infertur ens Diuinum, etſi detur ſub conceptu eſſentiæ, & naturæ, eſſe de quidditatiuo attributorum conceptu, quod multi concedunt, qui tamen negant hoc reſpectu relationum. Conſtatque eiſdẽ rationibus, quibus reſpectu relationum huiuſmodi incluſionem oſtendimus. Et hæc de iſta Diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *vbi ſupra*.

(?)

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA SEPTIMA.

An Relationes sint de conceptu quidditatiuo essentiæ diuinæ?

§. I.

Relatis sententijs vera eligitur.

Nu. 1. *Aperitur difficultas.*

DVO sunt Mihi certa in hac parte. Primum est, relationes esse de quidditate diuinæ essentiæ secundum realitatem, qua à parte rei gaudẽt, acceptas. Quod patet eadem ratione, qua id monstrauimꝰ *disputatione præcedenti in principio* de essentia diuina respectu relationum secundum realitatem, siuẽ formalitatem, quam habent à parte rei. Secundum est, relationes non esse de quidditate essentiæ diuinæ, vt metaphysicum eius constitutiuũ. Quod patet: nam id metaphysice constituit naturam diuinam, quod primo in illa explicatur secundum conceptum, quem viatores formamus; at primo explicatum relationes non sunt, sed aliqua absoluta perfectio: ergo relationes non sunt de quidditate essentiæ, vt metaphysicũ eius constitutiuum. Quod igitur in disputationem vocamus est, an relationes sint de quidditate essentiæ diuinæ, quatenus virtualiter ab illis distinguitur, & implicite saltim claudantur in conceptu, quem viatores de illa prout sic formamus?

2 *Duplex sẽtẽtia refferetur.*

Prima sententia est negatiua, quam præter omnes Auctores *disp. præcedenti pro 1. sententia* relatos, tenent Canariensis *vbi supra* Zumel *disp. 3. concl. 4.* Suarez *cap. 5. & 6.* Arrubal *cap. 3.* & Granados *disp. & sect. relata.* Secunda affirmans est, quam tuentur cæteri Auctores *pro 2. sententia disp. præcedenti* relati, quorum aliqui distinguentes de natura sub conceptu essentiæ, & sub conceptu naturæ, asserunt sub priori ratione relationes includere, vt sibi essentiales: secus autem sub posteriori. Alij tamen indiscriminatim affirmãt esse de essentia sub vtroque cõceptu. Pro cuius explicatione sit Nostra conclusio.

Canar. Zumel. Suarez. Arrubal Gran.

3 *Statuitur conclusio.*

Relationes sunt de conceptu quidditatiuo diuinitatis, vt virtualiter, & ratione ab illis distinctæ, & sub ratione essentiæ, & sub ratione naturæ. Cõclusionẽ istã probant aliqui, ex eo quod relationes sũtà parte rei idẽ formaliter cũ essentia diuina; at idẽtitas ista subsistere nequit, nisi sint de essẽtia, & quidditate illi⁹; cũ eo ipso quod sint extra essẽtiã diuinitatis, distinguãtur vt essẽtia, & essẽtia, ac proinde ex natura rei, in quo cõsistit Scotistica distinctio formalis: ergo relationes sunt de quidditate essentiæ, seu naturæ diuinæ. Hæc tamẽ ratio Mihi placere non potest: tum, quia relationes non esse de quidditate essentiæ diuinæ in sensu nostræ quæstionis est satis probabile etiam inter nostros Thomistas, cum tamen in Scoti sẽtẽtia vix species probabilitatis Theologi extra Scholam Scoti reperiãt: non ergo potest vnũ ex alio pendere, nec per bonã consequentiã deduci. Tum etiam: nã rationalitas est identificata formaliter realiter cum animalitate; & tamen nemo dicit esse de illius quidditate, & essentia; alias non posset à rationalitate perfectẽ præscindi, sicut hac ratione in via Thomistarum, ens à modis, & differentijs præscindere nequit: ergo ex identitate reali formali relationum cum essentia, perperã colligitur esse de quidditate illius.

Aliquorũ probatio reÿcitur 1.

Secũdo.

4 *Tertio.*

Tum etiam: nam in sententia frequenti satis apud nostros Thomistas, singularitas est de essentia naturæ Gabrielis prout est à parte rei, & in omnium Thomistarum sententia est indistincta realiter formaliter ab illa; & tamen non est de essentia illi⁹ secundum quod exercet munus naturæ, & prout à nobis vtsic inadæquate concipitur: ergo ex eo quod relationes sint realiter formaliter indistinctæ ab essentia diuina, non recte colligitur esse de essentia illius secũdum virtualitatem essentiæ, nec de intrinseco conceptu illius, quatenus à nobis sub ista ratione concipitur, sed solum esse de essentia, & quidditate diuinitatis, secundum realem formalitatem, quod vt in principio dixi, à nullo potest negari, qui inter essentiam, & relationes non agnoscat distinctionem realem formalem.

Aliter ergo est probanda nostra conclusio. Et in primis ex D. Thom. *q. præced. art. 2. ad 3.* illis verbis. *In ipsa perfectione diuini esse continetur, & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, sicut, & quæcumque ad eius perfectionem pertinent, vt supra dictum est*, scilicet *q. 4. art. 2.* sed alia, quæ pertinent ad perfectionem diuini esse, scilicet attributa, continentur in diuina essẽtia nedum formaliter realiter, sed etiã essẽtialiter, vt ex cõtrarijs fatẽtur, Suarez, Arrubal, & Granados, & cõstãs videtur, ex eo quod alias diuina essentia non conciperetur omnino perfecta, si in suo quidditatiuo conceptu omnem perfectionem non clauderet: ergo Verbum, & principium Verbi; & consequenter relationes diuinæ in diuina essentia, nedum formaliter realiter, verũ etiam essentialiter continentur. Et *infra q. 39. art. 6. ad 2.* illis verbis: *Vnde sicut est per se ista, Pater est Deus, ita est ista, Deus est Pater, & nullo modo per accidens.* Vbi duo ponderanda sunt, primum est æquiparatio quoad perfectatem inter vtramque propositionem; at ista *Pater est Deus* est per se non solum per identitatem, sed etiam per se formalis per inclusionem essentialem Deitatis in Patre: ergo & ista *Deus est Pater* est per se formalis per essentialem inclusionem Paternitatis in Deitate. Secundo ponderanda sunt illa verba, *& nullo modo per accidens*; at si Paternitas non esset de diuinitatis essentia essentialiter, prædicaretur de illa aliquo modo per accidens: ergo Paternitas est de diuinitatis essentia secundum D. Thomam. Probo minorem: etsi non diceretur de illa accidentaliter prædicamentaliter, quia non est accidens, sed substantia, diceretur tamẽ de illa accidẽtaliter prædicaliter ad minus vt quartum prædicabile;

5 *Prob. cõclusio 1. duplici testimonio D. Thom.*

cum

cum esset extra essentiam subiecti, nec identitas obstet, vt constat in proprietatibus entis, quæ de illo prædicantur prædicatione *quarti prædicabilis* non obstante identitate, si non sint de illius essentia: ergo si Paternitas non sit de essentia Diuinitatis, hæc prædicatio *Deus est Pater* erit aliquomodo per accidens.

6 *Secũdo probatione.*

Secundo probatur conclusio: essentia Diuina clauditur essentialiter in conceptu relationum: ergo & relationes essentialiter claudentur in conceptu essentiæ. Antecedẽs admittunt ex contrarijs Canariensis, Zumel, Suarez, Arrubal, & Granadus, *Disputationq; præcedẽti* id probauimus. Consequẽtia vero probatur primo: nam si semel admittatur prædicatum aliquod realiter enunciari de Deo, & non essentialiter, cur repugnabit Deitatem realiter de Paternitate enunciari, & nõ essentialiter? ergo si hoc secundum repugnat, primum etiam repugnabit; & consequenter sicut ex hoc, quod Deitas realiter de Paternitate dicatur, recte colligitur essentialiter enunciari de illa; ita ex hoc, quod Paternitas realiter dicatur de diuinitate, colligi debet de illa essentialiter prædicari. Secundo probatur consequẽtia: id namque, quod essentialiter, & per rationem in aliquo includitur, nõ potest adhuc per rationem ab illo præscindi; & consequenter clauditur essentialiter in eius conceptu: ergo si essentia Diuina essentialiter, & per rationem, in Diuinis relationibus clauditur, non poterit etiam per rationem præscindere ab illis, & consequẽter erunt de diuinitatis essentia.

7 *Antec. ostenditur. 1.*

Antecedens constat primo: quia namque ens clauditur in differentijs omnibus, à nulla potest per rationem abstrahere, vt communiter docetur à nostris Thomistis *in antepræd icamentis*. Secundo: nam quia animal essentialiter clauditur in homine adæquatè concepto, etsi ab illo præscindat secundum hominis aliquam partem, scilicet prout est rationalis, qua ratione in illo non clauditur, ab illo tamen adæquatè præscindere nequit, scilicet prout est animal. Tertio: id namque, quod realiter in aliquo includitur, nequit ab illo realiter separari: ergo id, quod per rationem in aliquo includitur, non poterit per rationem ab illo separari, aut præscindi. Et ratio est: nam abstractio, aut præscisio, est quidam motus, terminus autem *ad quem* motus separantis, nõ potest in termino *à quo* separationis reperiri: ergo eo ipso, quod aliquid in alio per rationem claudatur, ab illo abstrahi, aut præscindi non poterit, sed necessario debet illud in suo conceptu claudere.

Tertio.

Deniq;

Denique idem antecedens probatur: eo namque ipso, quod concipiatur aliquod prædicatum, debet concipi actu, saltim implicite, omne, quod illud essentialiter claudit, sicut concepto animali concipitur actu omne, quod est essentialiter animal in quantum tale: ergo eo ipso, quod prædicatum essentialiter includatur in aliquo, non potest ab illo præscinci, seu abstrahi.

8 *Tertio prob.*

Tertio principaliter suadetur conclusio: essentia Diuina est formaliter realiter Paternitas: ergo est Paternitas essentialiter; & consequẽter Paternitas essentialiter clauditur in conceptu quidditatiuo essentiæ. Antecedens ex dictis contra Scotum *disputatione præcedenti* supponitur. Consequentia autẽ probatur sic primo: ideò est Paternitas per identitatem realem formalem, quia formalitas essentiæ est infinita in ratione formalitatis; at etiam infinita est diuinitas in ratione essentiæ: ergo erit Paternitas per identitatem essentialem. Secundo: ideò diuinitas est Paternitas per identitatem formalem; quia aliàs formalitas Diuinitatis esset in potentia ad Paternitatẽ formaliter, & ex vtraque resultaret in Patre cõpositio realis formalis: ergo eadem

Secũdo.

ratione si diuinitas non est Paternitas per essentialem identitatem, erit ad Paternitatem in potentia essentiali, & ex vtraque resultabit in Patre compositio essentialis; sicut enim vnio distinctorum formaliter efficere valet compositionem realem formalem: vnio etiam distinctorum essentialiter efficere valebit distinctionem essentialem. Tertio; ideò diuinitas est Paternitas realiter, quia est realiter integra Deitas, Paternitas autem pertinet ad integritatem diuinitatis; at etiam est essentialiter integra Deitas: ergo debet esse Paternitas essentialiter. Denique probatur: prædicatum competens realiter formæ non prout in potentia, sed ratione actualitatis, non solum realiter, sed etiam essentialiter enunciatur de illa; at Paternitas conuenit realiter diuinitati, non prout in potentia, sed ratione summæ actualitatis: ergo non solum prædicatur de illa identice realiter, sed etiam essentialiter.

9 *Deniq; prob. cõclusio.*

Denique, omissis alijs, principaliter suadetur conclusio: diuinitas identificat sibi relationes summa idẽtitate, absque inconuenienti possibili, imo & imaginabili; at identitas essentialis maior est identitate solummodo reali formali, & aliàs ex tali identitate cum relationibus nullum sequitur inconueniens: ergo identificat illas sibi non solum reali, sed etiam essentiali identitate. In maiori nulla est difficultas, illamque plures ex contrarijs assumere debent, vt probent diuinitatem essentialiter de relationibus prædicari. Minor etiã pro prima parte probatione non indiget. Pro secunda parte probatur: si namque aliquod inconueniens ex tali identitate inferretur, maximé esset, quod cum omne, quod de prædicato essentialiter dicitur, debeat essentialiter de subiecto enunciari, si Filiatio v.c. essentialiter conueniret essentiæ, & hæc essentialiter Filiationi, fieret inde, quod Paternitas essentialiter Filiationi competeret, & hæc esset vera propositio, *Filiatio est Paternitas essentialiter*; at hoc inconueniens non sequitur ex identitate essentiali: ergo nullum ex illa colligitur; & consequenter debet concedi.

Minor prob. 1.

Probo minorem primo: ex idẽ titate reali formali essentiæ cum Filiatione, & Paternitatis cum essentia, non sequitur Paternitatem realiter cum Filiatione identificari, aut de illa realiter enunciari; eo quod cum tali identitate reali stat inter illa distinctio rationis; at etiam cum identitate essentiali Filiationis cum essentia, & essentiæ cum Paternitate, stat in nostra sententia inter illa distinctio rationis: ergo ex identitate essentiali vtriusque relationis cum essentia non sequitur inter illa identitas, nec prædicatio essentialis.

10 *Explicatur, & vrgetur.*

Explicatur hoc magis: non minus est naturali lumine notum, quæ cumque identificantur cum tertio identificari inter se, quam illud, quod contrarij in sui fauorem adducunt, videlicet, quando quidpiam de quopiam prædicatur, quidquid prædicatur de prædicato, de subiecto etiam prædicari debere, imo hoc supra primum fundatur; at primum non tenet, quando extrema identificata cum tertio realiter, distinguuntur ab illo, vel non identificantur cũ tertio adæquatê, vt docet D. Thomas *in præsenti art. 3.* quo circa ex identitate reali relationum cum essentia non licet in diuinis colligere realiter identificari inter se: ergo pariter secundum principium ad infallibilitatem expoicet, vt prædicatum enuncietur sine distinctione virtuali, seu rationis ab illo, vel prædicatione essentiali adæquata; & consequenter quamuis essentia de Paternitate essentialiter prædicetur, & de essentia Filiatio, non licebit colligere Filiationem de Paternitate essentialiter dici saltim immediate; eo quod essentia ratione, & virtualiter à Paternitate distinguitur, & similiter Filiatio essentialiter inclusa in essentia virtualiter differt ab illa, & neutra

cum essentia identificatur essentialiter adæquate.

Secũdo prob. minor. Secundo illa minor suadetur: non minus petit quod vt proprietas de prædicato dicitur, vt proprietas etiam de subiecto enunciari, quam quod essentialiter dicitur de prædicato alicui essentiali, essentialiter dici de illo; at Filiatio v. g. prædicatur de Deo vt proprietas in aduersariorum sententia; cum non omnino accidentaliter comparetur ad illam, quin de Patre, cui essentialiter conuenit Deitas, tanquam proprietas prædicetur: ergo etiam poterit de essentia essentialiter dici, quin de Patre, aut Paternitate, cui essentialiter competit Deitas, essentialiter prædicetur.

11 Tertio prob. minor. Tertio eandem minorem ostendo contra illos, qui Nobiscum *disputatione præcedenti* affirmarunt essentiam diuinam essentialiter in relationibus diuinis includi; isti nãque fatentur Filiationem produci, quin producatur essentia diuina, etiã si in Paternitate essentialiter includatur: ergo pariter non obstante quod Paternitas essentialiter claudatur in essentia, poterit communicari essentia Filio, quin communicetur illi Paternitas; & consequenter stare poterit essentialis inclusio Paternitatis in essentia diuina, quin debeat prædicari de Filio, de quo essentialiter prædicatur essentia; cum prædicatio in communicatione fundetur.

Conf. Et confirmatur: non minus communiter docetur à Concilijs, & Patribus, Paternitatem esse Patri propriam, & non communicari Filio, quam quod Deitas illi communicetur; sed ad primi veritatem necessarium non est, quod omne prædicatũ, in Paternitate essentialiter clausum, sit Patri proprium, & Filio non communicatũ: ergo ad veritatem secũdi necessarium non erit, quod omne prædicatum essentialiter clausum in Deitate Filio communicetur.

Deniq; alia instantia prob. Denique aduersus omnes eandem minorem ostendo: ipsi namque fatentur essentiale esse diuinæ naturæ, quod sit communicabilis tribus personis, & tribus personalitatibus terminabilis; at hoc prædicatum non enunciatur verè essentialiter de Patre; hæc enim est falsa, *Pater est cõmunicabilis tribus personis*, seu *tribus subsistentijs terminabilis*: ergo ex eo, quod Filiatio v. c. essentialiter prædicetur de essentia, & essentia de Patre, non sequitur de Patre essẽtialiter dici Filiationem.

12 Euasiones reijciũtur. Si fortè respondeant, esse communicabile prædicari etiam de Patre, non immediatè, sed mediante essentia: vnde hæc est vera propositio, *Pater est essentia tribus personis communicabilis*. In contrarium obstat: nam idem, & Nos asserimus, hanc scilicet esse veram propositionem, *Pater est essentia diuina actu communicata Filio*, & ista *Pater est essentia diuina, quæ essentialiter est Filiatio*. Si dicant secundo, cõmunitatem esse prædicatum competens essentiæ diuinæ, qua ratione superior est ad personas, & ab illis distincta virtualiter; vnde non petit de personis singulis prædicari. In contrarium obstabit, id ipsum, & Nos de relationibus diuinis asserere, scilicet conuenire essentiæ diuinæ, qua ratione est superior, & virtualiter à singulis personis distincta: vnde ex eadem causa, nec desiderabitur vt omnes relationes de singulis personis dicãtur, sed de quauis singula relatio. Si forte dicatur, relationes conuenire essentiæ in statu quasi contractionis ad personas, quod autem sic conuenit non posse illi competere, qua ratione est superior; cum superiotitas solum *illi* conueniat in statu quasi abstractionis. In contrarium obstar, quod licet superioritas, quæ est per rationem, solum competat ei in statu abstractionis, & quod per contractionem tollitur amplitudo, qua ad plura inferiora se extendit, realis autem communitas, qualis est diuinæ essentiæ, per determinationem ad personas non tollitur; cum eademmet essentia terminata per vnam

perso-

personalitatem extendatur ad alias: ergo solutio tradita ruit.

§. II.

Occurritur argumentis in contra.

13 *Arg. 1. duplici testimonio D. Th.*

CONtra istam conclusionem opponunt cõtrarij Authotes, primo D. Thomam *q. 8. de potentia art. 2. ad 6.* vbi docuit prædicationem istam *Deus est Pater* nõ esse per se formalem, sed identicam; at si Paternitas in Diuinitate essentialiter esset inclusa, prædicatio ista esset per se formalis: ergo Paternitas in Diuinitate essentialitêr non includitur, & idem est de quauis alia relatione dicendum. Et *infra q. 33. art. 3. ad 1.* vbi affirmat, communia, idest essentialia, absolutê dicta esse de intellectu propriorum, sed non ê conuerso; in intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus, sed non conuertitur: ergo ex mente D. Th. Paternitas non includitur in conceptu Diuinitatis; & consequenter non est de essentia illius. Respõdeo, in primo testimonio solum negare prædicationem illam esse per se formalem formalitate constitutionis, & expressionis, quod libenter fatemur: relationes namque, nec exprimuntur in conceptu essentiæ, nec metaphysicê illam constituunt, non autem negat esse per se formalem formalitate inclusionis. Vel secundo dicatur, non esse formalem per modum prædicati essentialis, eo modo, quo attributa de essẽtia dicũtur, esse tamen per se formalẽ per modum modi essentialis, & essentialis essentiæ terminationis.

Explicatur primum testim. 1

Secũdo.

In secundo solum intendit communia esse de intellectu propriorũ, tãquam prædicata illorum essentialia enunciata de omni, de quo propria prædicantur, qua ratione propria non sunt de intellectu communium, quia nec sunt prædicata essẽtialia, sed modi essentiales, nec prædicantur immediatê, saltim de omni, de quo prædicantur communia, & hoc sufficiebat intento D. Thomæ, quod erat, communia esse prioa proprijs *subsistendi consequentia*: quia non valet: *Est Deus: ergo Pater, &c.* Et eadem ratione interpretandi veniunt Boetius *in libelo de Trinitate*, vbi ait Trinitatem non dici substantialiter de Deo, idest essentialiter constitutiuê, seu per modum prædicari essentialis, non autem negat Diuinitatem de Deo essentialiter per inclusionem, & per modum modi, seu determinationis essentialis. Et Augustinus 5. *de Trinitate cap. 6. & sequentibus*, vbi ait: *Relationes non prædicari de Deo secundum substantiam, nec etiam secundum accidens, sed vt ad aliquid*; vbi ly *secundũ substantiam* idem est, quod *secundum essentiam*, sed non negat dici secundum essentiam per modum modi, & determinationis essentialis, sed per modum constitutiui, seu per modum prædicati essentialis, qualiter attributa enunciantur de Deo.

14 *Explicatur secundũ*

Alij PP. explicantur.

Si opponas Augustinum 7. *de Trinitate cap. 2. & 4.* asserentem, aliud esse in Patre esse Patrem, vel esse Deum, seu esse simpliciter. Et 5. *de Trinitate cap. 8. lib. 6. cap. 6. & 7. lib. 11. cap. 10. & lib. 15. cap. 5. & 6.* docentem in Deo non esse aliud esse, quam sapientem, vel magnum esse; at si Paternitas esset essentialis diuinitati nullum inter illam, & sapientiam discrimen staret, ratione cuius posset verificari idem esse Patri esse, ac sapientem esse, non vero esse idem Patri esse, & Patrem esse; cum vtrumque in diuini-

15 *Opponitur Augustinus*

tate essentialiter includatur, & neutrũ in diuinitate explicetur, seu constitutiuè importetur; suppono enim sapientiam non esse metaphysicum constitutiuum Deitatis: ergo secundum Augustinum Paternitas nõ est essentialis diuinitati.

Resp. Respondeo primo solutione data *supra disp. 76. §. 5.* Vel secundo nego minorem ob rationem disparitatis traditam, scilicet relationes esse de essentia diuinitatis, non per modum constituẽtium metaphysicè illam, nec per modum prædicati essentialis, sed per modum modi, & determinationis essentialis; licet autem sapientia metaphysicè non constituat Deitatem in ratione naturæ, nec in illius conceptu êxplicetur, includitur tamen non per modum modi, sed per modum prædicati essentialis: vnde cum inclusione essentiali vtriusque in diuinitate saluatur discrimen inter relationes, & sapientiam, assignatum ab Augustino.

16 *Secũdo arg.* Opponunt secundo plura testimonia Conciliorum, & Patrum, passim asserentium Patrem communicasse Filio totam essentiam, non vero relationẽ. Ita Cõcilium Lateranense *in cap. firmiter*, & *capite damnamus*. Florentinum. Toletanum 11. *in confessione fidei* vbi dicitur: *Singulariter vnaquæque persona est plenus Deus*. Ex Patribus Damascenus *3. de Fide cap. 6.* illis verbis: *Confitemur omnem naturam esse in Patre, & omnem, & perfectam naturam esse in Filio, in quo secundum Apostolum habitat omnis plenitudo diuinitatis*. Athanasius oratione contra Gregales Sabellij illis verbis: *Vniuersa plenitudo, & integritas Deitatis est in Patre, & Filio, &c. quandoquidem amborum vna forma*. Id ipsum docent Hilarius *lib. 9. de Trinitate*. Nazianzenus *oratione* 50. Et Ambrosius *de Filij diuinitate cap. 7.* Et tamen Pater non communicauit Filio Paternitatem: ergo Paternitas non pertinet ad essentiam diuinitatis.

Damas. Athan. Hilari⁹. Naziãç. Ambro.

17 *Resp.* Respondeo, Patrem communicasse Filio totam essentiam *cathegoromaticè*, nõ vero *syncathegorematicè*, id est totam non totaliter, quia ei communicauit constitutiuũ Deitatis in esse naturæ, & omnia prædicata essentialia, qualia sunt attributa, non tamen omnem modum essentialem: ex quo solum sequitur Paternitatem non pertinere ad essentiam diuinitatis, vel vt constitutiuum metaphysice, vel vt prædicatum essentiale illius, quod libenter fatemur, non tamen non pertinere ad illius essentiam tanquam modus essentialis.

Instatur arg. Et quidem in aduersariorum sententia, ex hoc quod Fides doceat Patrem communicasse Filio totam substantiam, non licet inferre communicasse Paternitatem, quæ ad substantiam pertinet Deitatis, tanquam modus eius connaturalis. Insuper, ex eo quod Fides doceat Patrem nõ communicasse Filio Paternitatem, non licet colligere non cõmunicasse illi diuinitatem, quæ in sententia plurium ex contrarijs est de essentia Paternitatis: pariter ergo, ex hoc quod Patres doceant cõmunicasse Filio totam substantiam: totam essentiam, seu totam naturã, non licebit inferre, vel Paternitatem communicasse, vel non esse de essentia diuinitatis.

18 *Tertio arg.* Tertio obijciunt: quidquid essentialiter prædicatur de diuinitate, prædicatur essentialiter de singulis personis diuinis; at de Patre vel non prædicatur essentialiter Filiatio, & ê contra de Filio non prædicatur vere Paternitas: ergo Paternitas, & Filiatio non sunt de diuinitatis essentia, nec de illa essentialiter prædicantur. Consequutio est legitima. Minor certa videtur: hæc enim falsa est, & hæretica propositio, *Pater est Filiatio*.

Maior ostenditur primo. Maior autem ostenditur primo ex illa regula anteprædicamentali, *quando quidpiam de quopiam prædicatur, quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur etiam de*

sub-

subiecto, quæ in vniuersum tenet, quando prædicatio est essentialis; at diuinitas essentialiter prædicatur de singulis personis: ergo de illis omnibus prædicatur quidquid essentialiter dicitur de diuinitate.

Secũdo prob. Secundo probatur: nam prædicatum, cuius aliqua pars essentialis essentialiter repugnat subiecto, nequit verè, & essentialiter de subiecto enũciari, quo circa si animali esset intrinseca, & essentialis rationalitas equo repugnans, non posset animal essentialiter enunciari de equo; hæc etiam propositio est falsa *homo est vniuersum*; quia in vniuerso includitur aliquid, quod homini conuenire non potest: ergo vt diuinitas essentialiter prædicetur de singulis Personis Diuinis, omne, quod essẽtiale est Diuinitati, debet de illis singulis prædicari, & nihil, quod ei sit essentiale, potest cum singulis personis repugnantiam habere.

Tertio prob. Tertio suadetur: nam quælibet ex Diuinis personis seorsim ab alia est perfectus, & integer Deus; at non possunt esse integer, & perfectus Deus, si aliquid essentiale Diuinitati singulis personis nõ competat, sicut non potest esse integer, & perfectus homo, cui aliquod essentiale humanitati deficeret: ergo quidquid de Diuinitate essentialiter enunciatur debet de singulis personis enunciari.

19 *Resp. 1.* Hoc est argumentum, cui præcipuè fidut Authores contrarij. Sed certè, etsi pluribus ex illis omnino euidens, & prorsus insolubile appareat, longè à veritate distat illorum iudicium; cum triplex ad illud colligatur solutio ex dictis à Nobis *in vltima nostræ sententiæ confirmatione*. Prima sit distinguendo maiorem, illamque concedendo de prædicatione absoluta, vel cum specificatione diuinitatis, negando autem in vniuersum de absoluta prædicatione, iuxta dicta *disputatione præcedenti solutione ad 3.* de ista propositione *Paternitas est communicabilis*, quod scilicet absolutè concedi non potest, bene tamen addita, & specificata essentia ex parte prædicati: vnde istam posse concedi asseruimus, *Paternitas est essentia pluribus communicabilis*, pariter hæc propositio concedenda non est: *Paternitas est Filiatio*; bene tamen ista: *Paternitas est essentia, quæ Filiatio essentialiter est.* Iuxta quam solutionem ad primam maioris probationem distinguo maiorem: debet prædicari de subiecto absolutè, nego maiorem: absolutè, vel cum specificatione prædicati, de quo immediatè prædicatur, concedo maiorem, & concessa minori, distinguatur consequens eodem modo. Ad secundam distinguo antecedens: si repugnet tam absolutè, quã mediante prædicato, de quo essentialiter enunciatur, concedo antecedens: si primo, & non secundo modo repugnet, nego antecedens, & distinguo consequens eodem modo. Ad tertiam probationem concessa maiori, distinguo minorẽ: si nec cõpetat absoluta prædicatione, nec media, & specificata essentia, concedo minorem: si tantum primo modo non competat, nego minorem, & distinguatur consequens eodem modo. Quæ solutio ex paritate prædicati communicabilitatis satis verosimilis apparet, & quæ contra illam possunt opponi, ex dictis *in solutione illius tertij argumenti* euanescunt.

20 *Secũdo resp.* Secundo respondeti potest negando maiorem, ad primam probationem distinguo maiorem: quando prædicatum re, & ratione, cum subiecto identificatur, concedo maiorẽ: quando prædicatum, & si essentiale sit, ratione tamen à subiecto distinguitur, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequẽtiam. Ad secundam distinguo antecedens: tanquam idem re, & ratione cum illo, concedo antecedens; tanquam idem re, diuersum tamẽ ratione, subdistinguendum est, & concedendum in creatis, negandum autem in diuinis, & neganda est consequentia: nam sicut in creatis tenet illud

axio-

axioma, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, etiam si ratione distinguãtur à tertio, in diuinis autem non tenet, interueniente distinctione rationis à tertio, sed tunc possunt cum idẽtitate reali cum tertio, realiter distingui inter se: ita in creatis, si in prædicato includatur essentialiter aliquid repugnans subiecto, prædicatum absolutê subiecto repugnat; in diuinis tamẽ stare optimê potest, quod cũ prędicato aliquid essentialiter identificetur repugnans subiecto, cui tamen non repugnat essentialiter tale prædicatum, sed solum repugnat cũ tali subiecto, re, & ratione identificari. Ad tertiam ex dicendis quid sit dicendum constabit.

21 *Contra solutionẽ arg. 1*

Cæterum contra hanc solutionẽ opponi potest, sequi ex illa, quod, vt Dialecticorum regula teneat, prædicatum, de quo aliquid essentialiter dicitur, debeat de subiecto enunciari in propositione identica; consequens videtur falsum, cũ regula illa sit fundamentum totius artis syllogisticæ, quæ maxime in propositionibus non identicis, sed formalibus exercetur: ergo ista solutio sustineri non potest.

Secũdo. Secundo: nam hæc est bona consequentia: *Diuinitas essentialiter enunciatur de Patre, & sapientia de diuinitate: ergo hæc de Patre essentialiter dicitur*; & tamen diuinitas ratione à Patre distinguitur: ergo vt prædicta regula teneat necessarium non est vt prædicatum essentiale subiecto re, & ratione identificetur cum illo.

Resp. ad 1. replicam. Respondeo ad primam obiectionem distinguendo antecedens: vt regula illa irrefragabiliter in omni materia teneat, concedo sequelã: vt teneat in creatis, nego sequelam: iuxta quam distinctionem nego minorem, nec oppositum conuincitur ex eo, quod prædicta regula sit fundamentum artis syllogisticæ; nam etiam vulgare illud principium, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, est fundamentum totius artis syllogisticæ; & tamen, vt teneat sine instantia, necessario requiritur, quod extrema identificentur cum tertio absque distinctione virtuali, seu rationis ab illo.

Ad 2. Ad secundam distinguo maiorem: est bona, & formalis, nego maiorem: ratione materiæ inter prædicata absoluta, concedo maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: vt teneat formaliter, & sine instantia, nego consequentiam: vt teneat in speciali materia, concedo consequentiam. Itaque sicut extrema identificari cum tertio realiter, & ratione ab illo distingui, nõ infert positiuè, quod extrema realiter inter se distinguantur, sed permissiuê solum, id est, permittit, quod aliquando extrema realiter identificata cum tertio, realiter inter se distinguantur, quod contingit solum, quãdo extrema sunt relatiua; quia tunc datur locus vt pro ea parte, qua ratione differunt ab essentia, exerceant inter se oppositionem, quam non habent cum essentia; ita similiter prædicatum, de quo aliquid essentialiter dicitur, distingui ratione à subiecto de quo essentialiter prædicatur, non infert positiuê, sed permissiuê solum, quod ea, quæ de tali prædicato essẽtialiter dicuntur, non prædicentur essentialiter de subiecto, cui est essentiale; hæc autẽ permissio exercetur, quando id, de quo dicitur, & quod de illo dicitur, sunt relatiua.

22 *Resp. 3.* Denique responderi potest ad argumentum factum distinguendo maiorem: quod prædicatur de Diuinitate, tanquam eius metaphysicũ constitutiuum, vel prædicatum essẽtiale, concedo maiorem: tanquam modus, seu determinatio essentialis, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: non sunt de Diuinitatis essentia tanquam prædicata essentialia, concedo consequentiam: tanquam modi, & determinationes essentiæ, nego consequentiam.

Ad 1. prob. maioris Ad primam probationem maioris, quatenus cõtra istã distinctio-

nem

nem poteſt obſtare, diſtinguo maiorem. ſi prædicatum adæquatè de ſubiecto enuncietur, ſeu cum illo adæquatè identificetur, concedo maiorem: ſi inadæquate cum ſubiecto identificetur, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: quia diuinitas non identificat ſibi eſſentialiter adæquate aliquã ex perſonis diuinis, nec ad illarum aliquam adæquatè eſſentialiter deſcendit in noſtra ſententia, ſicut nec in ſententia contraria adæquatè realiter identificatur cum aliqua ex illis: vnde ſicut in ſententia contraria ex identitate reali eſſentiæ cum Paternitate, & Filiationis cum eſſentia, non ſequitur identitas illarũ inter ſe: quia identitas adæquata nõ eſt: ita in noſtra ſententia conſequẽtia facta non tenet, addito ly *eſſentialiter*, & eandem ob cauſam.

23 *Ad 2.* Ad ſecundam probationem diſtinguo antecedens ſi in tali prædicato pars repugnans exprimatur, vel vt enunciata importetur, concedo antecedens: ſi nec exprimatur, nec enuncietur, ſed tantum in ſignificando implicitè importetur, nego antecedens, & conſequentiam, cuius inſtantiam habemus in ente, in quo actu eſſentialiter implicantur modi eſſendi *per ſe*, & *in alio*; & tamen verè ens prædicatur de ſubſtantia, quin de illa enuncietur modus eſſendi in alio, qui ſubſtantiæ repugnat; eo quod talis modus in hac prædicatione *ſubſtantia eſt ens* non exprimitur ex parte prædicati, nec enunciatur, etſi in ſignificando implicitè importetur.

Ad 3. reſp. 1. Ad tertiam probationem reſponderi poteſt primo conceſſa maiori, negãdo minorem: tum, quia relationes non addunt perfectionem ad eſſentiam diuinam: vnde ex eo, quod ſingulis perſonis non competant, non tollitur, quo minus quælibet perſona ſit integer Deus integritate perfectionis. Tum etiã, quia non omnis modus eſſentialis diuinitati, debetur ſingulis perſonis diuinis, & ideo ex eo quod ſingulis perſonis non competant relationes, non ſequitur, quod non ſint integer Deus.

Secũdo reſp. Vel ſecundo, claritatis gratia, diſtinguo maiorem: integritate prædicatorum eſſentialium ſibi debita, concedo maiorem: integritate modorum eſſentialium, qui diuinitati debentur, & nõ ſingulis perſonis, nego maiorem, & diſtinguo minorem: ſi aliquod eſſẽtiale diuinitati per modum prædicati eſſentialis ſingulis perſonis non competat, concedo minorem: ſi aliquod eſſentiale diuinitati per modum modi, nego minorẽ, & conſequentiam. Et quidem hoc argumentũ contrarij tenentur ſoluere, loquendo de conuenientia, & integritate reali; ſicut & Nos loquẽdo de conuenientia, & integritate eſſentiali.

24 *Replicabis 1.* Sed opponet quis primo: Paternitas ingreditur ad conſtitutionẽ potentiæ generatiuæ, & actualis generationis tanquam modus, vt diximus *q.27. diſp. 72. & 73.* & tamen cui Paternitas non conuenit, nec potentia generatiua, nec generatio conueniunt: ergo ſi relationes eſſentiales ſunt diuinitati vt modi, cui omnes relationes non conueniunt, nec diuinitas poteſt competere.

Secũdo. Secundo: nam ſequitur ex hac ſolutione, poſſe diuinitatem, vt ſignificatam hoc nomine, à relationibus perfectè præſcindi; conſequens aduerſatur noſtræ ſententiæ; cui ex illo ſequatur, non eſſe de diuinitatis eſſẽtia, quatenus virtualiter, & ratione differt à relationibus: ergo & ſolutio tradita eſt nulla. Patet ſequela: nam id ab alio perfectè præſcindit, quod intelligi poteſt ſine illo etiam implicite in conceptu importato; at diuinitas intelligitur à nobis in Patre, quin in illa etiam implicite intelligatur Filiatio v. c. ergo à Filiatione, & conſequenter ab alijs relationibus, perfectè præſcindit.

Reſp. ad 1. inſtantiã. Reſpondeo ad primam obiectionem conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam, ratio autem diſcriminis eſt: nam Paternitas im-

por-

portatur vt modus explicitè, sine quo nec explicita generationis ratio intelligi potest; relationes autem nó sic pertinent ad constitutionem essentiæ diuinæ, sed implicitè solum.

Ad 2. Ad secundam nego sequelam, ad probationem distinguo maiorem: quod adæquatè intelligi potest, cõcedo maiorem: quod inadęquate solum, nego maiorem, & distinguo minorem: intelligitur diuinitas in Patre adæquatè quoad implicita, & explicita, nego minorẽ: inadæquatè quod ea, quæ implicitè vt modos importat, concedo minorem, & nego consequentiam.

25 *Deniq; principaliter arg.* Denique obijciunt: diuina essentia tota ita est vna, & simplex, vt in ratione essentiæ nullam distinctionẽ admittat; aliàs personæ in essentia non essent perfectissimè vnum; at si relationes essent de essentia essentiæ diuinæ, non posset tota essentia esse taliter vna, vt nullam distinctionem admitteret; cum includeret relationes, & consequenter relationũ essentialem distinctionem: ergo relationes non sunt de essentia essentiæ diuinæ.

Conf. 1. Confirmatur primo: tota diuina essentia est absoluta essentialiter: ergo de essentia illius non possunt esse relationes. Patet consequentia: nam id, de cuius essentia est relatio, adæquatè absolutum non est quoad essentiam, sicut id, de cuius realitate est relatio, non est adæquate realiter absolutum.

Conf. 2. Confirmatur secundo: nam si relationes essent de conceptu essentiæ, constituerent essentiam relatam; consequens est falsum; cum ad nihil referatur essentia: ergo & quod relationes sunt de conceptu essentiæ. Patet sequela: relatio nanque tribuit suum quasi effectum formalem vbicumque inuenitur: ergo si inuenitur essentialiter inclusa in essentia, tribuit illi suum quasi effectum formalem, qui est constituere relatum ad aliud.

Resp. Respondeo distinguendo maiorem: quoad explicitum conceptũ essentiæ, concedo maiorem: quoad omne implicatum in illa, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam.

26 *Si dicas* Si dicas, quia explicitus cõceptus entis claudit diuersitatẽ modorũ, nó est adhuc quoad explicitũ perfectè vnus, sed solum vnitate imperfecta, & analoga: ergo si explicitus cõceptus essentiæ implicitè claudit diuersitatem relationum, non erit quoad explicitum perfectissime vnus.

Respondeo. Respondeo distinguendo antecedens: præcisè ex illa causa, nego antecedens: ex illa, & quia aliàs conceptus finitus est, & communis communitate solum rationis, concedo antecedens, & nego consequentiam: nam explicitus conceptus essentiæ diuinæ infinitus est, & communis, non rationis communitate, sed reali.

27 *Ad 1. cõfirm.* Ad primam confirmationem distinguo antecedẽs: tota quoad explicitum, concedo antecedens: tota, & totaliter quoad implicitum, nego antecedens, & consequentiam, sed solum infertur non explicare esse relatiuum, non autem, quod in illa nó implicetur. *Ad 2.* Ad secundam nego sequelã, sicut nec sequitur ex eo quod modus differentialis prædicamentũ relationis consequens actu implicite includatur in ente, quod constituat ens relatum; quia necessarium erat, quod explicitè, & constitutiuè in illo importaretur; pariter dicimus relationes diuinas non constituere essentiam relatam; quia ad hoc erat necessarium, quod explicite in illa importaretur, & vt ad subiectum cõpararetur ad illam; non autem sic comparatur, sed implicitè, & tanquã modi determinatiui illius.

28 *Ex dictis infertur 1.* Ex dictis colligitur primo, Diuinam essentiam claudere actu implicitè in essentiali conceptu attributa Diuina. Quod concedunt plures Authores, qui talem inclusionem negant respectu relationum; id tamen negant, & magis consequenter alij ex Authoribus cõtrariæ sententiæ. Sed probatur manifestè eisdem

ratio-

rationibus, quibus id probauimus respectu relationum. Secundo colligitur, vnum attributum claudere in suo conceptu essentialiter aliud. Patet: nam claudit in suo conceptu essentiã, & hæc omnia attributa: ergo quodvis attributum claudit omnia in suo conceptu essentiali. Quæ illatio legitima est non interueniente relatiua oppositione.

Infertur 2.

2 9 Deniq; infertur.

Denique infertur triplex intelligentia illius maximæ, *quæ sunt eadẽ vni tertio, sunt eadem inter se*, ob quas in diuinis non infertur ex identitate relationum cum essentia negatio distinctionis realis illarum inter se. Prima est, vt intelligatur tũc veritatem habere, quando extrema identificantur cum tertio, ita vt nec ratione distinguantur ab illo, quam dedit D. Thomas *in hac quæst. art. 3. ad 2.* & *q. 8. de potentia art. 1. ad 7.* & 10. *argumẽtum: in 1. ad Annibaldum distinct. 33. q. vnica art. 1. ad 1.* Vnde, quia relationes identificatæ realiter cum essentia ratione distinguuntur ab illa: fit consequens, quod ex tali identitate nõ inferatur realiter non distingui inter se. Secũda est, quod quæ identificantur cum tertio, identificãtur inter se nõ adæquatẽ, sed secũdum aliquod sibi iuẽtificatum, vel quantum ad id, in quo cum tertio identificantur. Ex qua sic intellecta solum sequitur, quod quia relationes identificantur cum essentia, aliquod identificatum vni relationi, alijs etiam idẽtificatur, & ipsæ identificantur in essentia inter se, nõ tamen sequitur realiter inter se nõ differre secũdũ expressos relationum conceptus. Hanc interpretationem dedit D. Thomas q. 8. de potẽtia art. 2. ad 10. illis verbis: *Id ẽ est instans, quod est finis præteriti, & principium futuri; non tamẽ principium futuri dicitur esse in præterito, sed illud, quod est principiũ futuri; & similiter nõ dicitur quod Paternitas est in Filio, sed illud, quod est Paternitas, scilicet essentia Diuina, est in Filio.* Et *in 1. distinct. 33. q. 1. art. 1. ad 2.* Et *infra q. 39. a. 1. ad 1.* Tertia expositio est, vt teneat illa regula quando extrema identificantur cum tertio, & tertium cum extremis adæquatẽ, secus autem inadæquatẽ: vnde cum essentia diuina nec sic cum relationibus adæquatẽ identificetur; consequens est, quod ex identitate relationum cum essentia non colligatur in distinctio realis illarum inter se.

(?)

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA OCTAVA.

An Diuinæ Relationes quatenus ab essentia distinctæ dicant relatiuas perfectiones?

§. I.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio.

Nu-1. *Ex dictis supponitur* 1.

EX DICTIS *in præcedētib⁹* duo vt indubita ta supponimus. Primum est, relationes diuinas esse identice formaliter perfectas perfectione absoluta essentiæ. Quod patet: nam eo modo, quo de relationibus prædicatur essentia, debet etiam de illis perfectio essentiæ verificari; at *disp.* 75. contra Scotū, & Durandum, ostendimus essentiā, & relationes non distingui distinctione reali formali, aut modali, & consequenter essentiam Dei de illis affirmari identice realiter formaliter: ergo etiam essentiæ perfectio de relatione affirmatur; & consequēter sūt perfectæ identice formaliter perfectione essentiæ. Secundum, quod ex dictis colligitur, est, relationes diuinas vt distinctas ab essentia includere essentialiter perfectionem essentiæ; & consequenter vt sic distinctas esse perfectas, non *reduplicatiuè*, de quo disputatio erit, sed *specificatiuè*. Quod patet eadem ratione: eo namque modo, quo includunt essentiam, includunt etiam perfectionem essentiæ; at vt *disputatione* 77. probauimus, vt virtualiter, & ratione distinctæ ab essentia, essentiam diuinam essentialiter claudunt: ergo vt sic distinctæ includunt essentiæ perfectionem, & consequenter, etiam vt sic distinctæ, perfectæ sunt, ly *vt* accepto *specificatiuè*. Ex quo vlterius colligitur, absolute loquendo de relationibus, asserendū esse, quod perfectæ sint, & quod dicant perfectio-

Secūdo supponitur.

Tertio supponitur.

ctionem; hæc namque abſolute eſt vera propoſitio, *relatio eſt diuina eſſentia*, propter incluſionem eſſentiæ in relationibus: ergo & hæc abſolute debet concedi, *relatio diuina eſt perfectio*. Quod ſatis inſinuari videtur *in 6. Synodo generali ſeſſione* 18. vbi dicitur: *Credimus vnã ſubſtantiam in tribus ſubſiſtentijs, vnitatem, propter vnionem, Trinitatem propter ſubſiſtentiarum perfectionem*; ſubſiſtentiæ autem relationes ſunt: ergo de relationibus vere affirmatur, & abſolute dicitur, perfectas eſſe, & perfectionem importare.

2 *Apperitur difficultas.*

Quod igitur in diſcrimen vertimus eſt, an ratione conceptus relatiui, quem ſupper addunt eſſentiæ, & non ſolum ratione eſſentiæ incluſæ, perfectionem relatiuam ab eſſentiæ perfectione virtualiter diſtinctam importent? Prima ſententia affirmat, loquendo de relationibus diuinis ſub expreſſo conceptu *ad*. Quam tuentur Suarez *lib. 3. de Trinitate cap. 9.* Pro illa referens Gabrielem *in 1. diſtinct. 7. quæſt. 3. art. 3.* Herbeum *diſtinct. 2. quæſt. 4. art. 1.* & Clitoueum *ſupra Damaſcenum lib. 1. cap. 11.* Vazquez *diſp. 122.* per plura capita. Arrubal *diſp. 105.* Granadus *tract. 3. diſp. 5. ſect. 2.* Tenẽt etiam ex noſtris Zumel *circa articulum 2. diſp. 5. concl. 2. & 3.* Albelda *diſp. 6. ſect. 1.* ex quibus Vazquez, & Zumel, negant multiplicari realiter perfectiones relatiuas, cæteri tamen conſequentius affirmant.

Prima *Prima ſentẽtia* Suarez. Gabriel Herb. Clitou. Vazq. Arrubal Gran. Zumel. Albeld.

3 *Secũda.*

Secunda diſtinguit inter bonitatem tranſcẽdentalẽ, quæ in integritate conſiſtit, & formalem, quæ conſiſtit in conuenientia ad alterum: priori modo affirmant relationes addere perfectionem ad eſſentiam; ſecus autem in ſecunda acceptione. Hanc tenet Fonſeca *4. metaphyſicæ cap. 2. quæſt. 7. concl. 7.* Tertia docet, relationes ſecundum ſe in propria linea perfectionem dicere, ſed non explicare illam per reſpectum ad terminum, ſed per ordinem ad ſubiectum, & fundamentum; & conſequenter non multiplicari realiter in ratione perfectionis; quia fundamentum non multiplicatur, ſed omnes relationes eadem perfectione, etiam relatiua, gaudere. Hanc tenet Magiſter Ioannes à S. Thoma *diſp. 13. art. 3. num. 8.* Quarta, & verior ſententia defendit, relationes diuinas non addere perfectionem ad eſſentiam, ſed ſola eſſentiæ abſoluta perfectione gaudere. Ita Antiquiores Thomiſtæ. Capreolus *in 1. diſt. 7. quæſt. 1. ad 3.* Aureoli *contra primam concluſionem.* Ferrara 2. *Cõtra Gentes cap. 5.* Caietanus *in hac quæſtione art. 2. circa ſolutionem ad 3. & q. ſequenti art. 3.* Bañez *dub. 1.* Nazarius *controuerſia 2.* Canarienſis *diſp. 3. p. 2.* Salmanticenſes *diſp. 6. dub. 2.* Serra *hic dub. 4.* Tenent etiam omnes Scotiſtæ cum ſuo Doctore *in 3. diſt. 1. q. 1. & 4.* & *quodlibeto 5. art. 1. & 2.* Durandus *in 3. diſt. 1. quæſt. 3. num. 13.* & ex Patribus Societatis Molina *infra quæſt. 42. art. 6. diſp. 2.* & Beccanus *cap. 2. quæſt. 6.* Pro cuius explicatione ſit

S. Tho. *Quarta & vera ſententia* Capre. Aureoli Ferrara Caiet. Bañez. Nazar. Canar. Salm. Serra. Durãd. Molina. Beccan.

4 *Prima cõcluſio*

Prima concluſio: *Dato quod relationes addant ad eſſentiam perfectionem relatiuam, neceſſario concedendæ ſunt tres perfectiones reales relatiuæ.* Ita frequentius Theologi. Et probatur primo contra Vazquex, quiex eo ducitur ad ſuam ſingularem ſententiam; quia ſi perfectio in integritate conſiſtat, cum omnes diuinæ relationes ad vnam Dei integritatem concurrant, multiplicatis relationibus, non multiplicantur integritates; & conſequenter nec perfectiones; ſi autem in forma alteri conueniente conſiſtat, vt ſit realis perfectio, realem diſtinctionem à perfectibili expoſcit: vnde cum relationes à perſonis conſtitutis realiter non diſtinguantur, non ſunt reales perfectiones, ſed rationis tantum; & conſequenter non ſunt plures perfectiones reales, ſed tantum ſecundum rationem; at vtrumque iſtius Auctoris dictum eſt falſum: ergo multiplicatis realiter relationibus, multipli

Prob. 1. contra Vazq.

can-

cantur realiter perfectiones relatiuæ. Probo minorem primo pro prima parte: nam licet integritas absoluta in personis non multiplicetur, relatiua tamen, & personalis multipliicatur in illis; Pater namque est integra Persona, & similiter Filius; at non integritate eadem personali: ergo integritate realiter diuersa; & consequenter si perfectio in integritate consistit, multiplicatis realiter relationibus, multiplicantur realiter perfectiones. Secundo: Paternitas est integra relatio, & Filiatio similiter integra relatio est; at integritas relatiua Paternitatis non est integritas relatiua Filiationis: ergo distinguuntur realiter in ratione integritatis. Deinde pro secunda parte suadetur; si namque relationes non essent perfectiones reales in secundo sensu, maximè quia à personis, seu essentia, quas perficiunt, realiter non distinguuntur; at hæc ratio est nulla: ergo & quod relationes nõ sint perfectiones in secundo sensu est falsum. Maior est fundamentum vni cum contrarij Auctoris. Minorem autem probo: si namque ratio illa alicuius esset valoris, sequeretur nullã esse realem perfectionem in Deo, perfectione sumpta pro forma alterum perficiente, & illi conueniente; cum nulla ex diuinis perfectionib⁹ à Deo quem perficiunt, realiter distinguatur; consequens est falsum; cum Deus realiter sit perfectus; & consequenter realibus perfectionibus debeat gaudere: ergo & illud ex quo sequitur.

Si forte dicatur, Deum esse realiter perfectum, ideſt realiter integrum, non autem realiter perfectũ, prout perfectum resultat, seu est concretum perfectionis realiter conuenientis, seu perficientis. In contrarium obstat primo: quia non maior requiritur distinctio inter perfectionem, & perfectibile, quam inter integrãs, & integratum: ergo si Deus est realiter integer, non obstante idẽtitate integrantium cum ipso, erit etiam realiter perfectus, quamuis eius perfectio realiter ab illo nõ differat. Secundo non requiritur maior distinctio inter perfectionem, & perfectibile, quam inter habens, & habitum; at Deus dicitur realiter habens suas relationes: ergo & perfici realiter per illas. Tertio: personæ diuinæ realiter constituuntur suis proprietatibus relatiuis, quamuis ab illis realiter non distinguantur; quia ista constitutio non est per cõpositionem, sed per simplicem identitatem: ergo eadem ratione realiter perficietur per tales relationes, semel admissõ, quod perfectionem dicant ratione distinctam à perfectione essentiæ.

Quæ omnia confirmari possunt ex eo quod si relatio realis perfectio non esset, quia realiter non distingui tur à persona quam perficit, sequeretur omnipotentiam, v.c. & alia attributa, reales perfectiones non esse; consequens in doctrina huius Auctoris admitti non potest: ergo neque dicere potest quod relatio, realis perfectio non est, quia realiter non diguitur à persona, quam perficit. Sequela cuidens est; cum attributa à natura diuina realiter non distinguantur. Minorem autem probo; ex eo namque quod relationes, reales perfectiones non sunt, infert Vazquez, nullum esse inconueniens, quod Paternitas in ratione perfectionis Filio non competat; quia solũ ei deficit perfectio rationis: ergo ex non connenientia perfectionis, quæ talis est, nõ realiter, sed per rationẽ, non sequitur in personis diuinis negatio summæ perfectionis; at ex non conuenientia alicuius diuini attributi ad aliquam ex personis diuinis euidenter infertur summe perfectam nõ esse, de quo nullus dubitare potest: ergo attributa non sunt perfectiones rationis, sed reales; & consequenter realis indistinctio relationum à personis obstare nequit, quo minus reales perfectiones sint.

Si forte dicatur, defectum attributi priuatiuum esse; eo quod cũ illo nulla ex diuinis personis habet oppo-

Secũdo.

Pro 2. parte prob.

5 Euasio quædã reijcitur 1.

Secũdo.

Tertio.

6 Confir. hæc omnia.

7 Si resp̃ deatur.

fitionem; & id circo, quamuis realis perfectio non ſit, ſed rationis, arguere defectum ſummæ perfectionis, ſecus autem relationis defectus, qui negatiuus eſt ratione oppoſitionis.

In contrariũ arg. In contrarium obſtat: ergo iam defectus perfectionis relatiuæ nõ ideô non arguit defectum perfectionis sũmæ, quia perfectio realis non eſt, ſed quia opponitur ſuo correlatiuo; & conſequenter quamuis realis ſit perfectio id ipſum reſponderi poterit, ſcilicet defectum perfectionis Paternitatis in Filio, non inferre Filiũ non eſſe ſumme perfectum; quia licet realis perfectio ſit, defectus tamẽ eius, negatiuus eſt ratione oppoſitionis, quam habet cum Filio.

8 *Secũdo prob. cõcluſioim pugnando tertiam sẽtentiã.* Secundo principaliter concluſionem oſtendo contra tertiam ſententiam: eo ipſo quod relatio addat eſſentiæ perfectionem relatiuam virtualiter ab illa diſtinctam, ratio perfectionis eſt communis per rationẽ, & formalem tranſcendentiam abſoluto, & relatiuo; at quæ ſic ſunt communia, multiplicãtur realiter ad multiplicationem realem relationum, vt conſtat in realitate, vnitate, & entitate, quæ multiplicantur realiter, eo quod gaudent communitate prædicta: ergo eo ipſo quod relationes addant ad eſſentiam perfectionem relatiuam virtualiter ab illa diſtinctam, multiplicatis relationibus multiplicantur realiter perfectiones.

9 *Tertio ſuadetur.* Tertio contra eandem ſententiam ſuadetur concluſio: quæ conueniunt relationibus ratione eſſentiæ incluſæ, & etiam ratione proprij, & relatiui conceptus, non poſſunt non multiplicari realiter, illis multiplicatis, vt conſtat in realitate, vnitate, & entitate: dicuntur enim plures res relatiuæ, plures vnitates, & plures entitates; quia realitas, vnitas, & entitas, competunt relationibus non ſolum ratione eſſentiæ incluſæ, ſed etiam ratione ſui conceptus proprij, quo ab eſſentia diſtinguuntur; at eo ipſo quod relationes addant ad eſſentiam perfectionem relatiuam virtualiter ab illa diſtinctam, illis conuenit ratio perfectionis, non ſolum ratione eſſentiæ, quã implicitè includunt; ſed etiam ratione conceptus relatiui, quo ab eſſentia virtualiter diſtinguuntur: ergo eo ipſo, quod addant ſupra eſſentiam perfectionem relatiuam, multiplicari debent in ratione perfectionis, multiplicatione reali.

10 *Quarto* Quarto: nam ſi ob aliquam rationem non multiplicarentur realiter in ratione perfectionis, maxime quia hæc non exprimitur per rationem ad terminum, ſed ex fundamento deſumitur, quod vnum, & idem eſt; at hæc ratio eſt nulla: ergo neceſſario debent multiplicari in hypoteſi facta in ratione perfectionis. Probo minorem: ratio hypoſtaſis, ſeu perſonalitatis, non exprimitur in diuinis relationibus per reſpectũ ad terminum, ſed ad perſonam; & tamen multiplicatur realiter in diuinis relationibus: ergo quod ratio perfectionis non exprimatur per reſpectum ad correlatiuum, ſed ad fundamentum, non probat non multiplicari realiter in illis.

11 *Dices.* Dices, ſubſiſtentiam multiplicari, quia de conceptu illius eſt, incommunicabilitas, ex quo naſcitur, quod in illis, relationes diuinæ opponantur; at de ratione perfectionis, etiam relatiuæ incommunicabilitas ſeu oppoſitio non eſt, & id circo in diuinis relationibus non multiplicantur realiter. *Sed contra 1.* Sed contra primo: nam ſi opponuntur in ratione hypoſtaſis, quamuis non exprimatur per comparationem ad correlatiuum: ergo ad oppoſitionem inter relationes neceſſarium non eſt, quod id, in quo opponuntur, exprimatur per reſpectum ad terminum; & conſequenter etiam ſi ratio perfectionis relatiuæ non exprimatur reſpectiuẽ ad correlatiuum, erit inter relationes oppoſitio realis in ratione perfectionis relatiuæ; ex quo vlterius infertur realis multiplicatio. *Cõtra 2.* Secundo: eo ipſo quod perfectio Paternitatis relatiua ſit, eſto deſu-

ma-

matur per comparationem ad fundamentum, debet involuere, & adæquatè connecti cum conceptu *ad* ipsius Paternitatis, alias quomodo ad vltimum, & differentialem conceptum Paternitatis poterit pertinere? at non alia ratione Paternitas in ratione hypostasis est realiter à Filiatione distincta, & cum illa incompossibilis in eadem persona, nisi quia, etsi non exprimat conceptum referendi, illum tamen imbibit, & cum illo connectitur: ergo eadem ratione perfectio relatiua Paternitatis realiter à perfectione relatiua Filiationis debet distingui.

12 *Cõtra 3.*

Tertio: perfectio Paternitatis, eo ipso quod relatiua sit, debet ab illa sub differentiali, & propria ratione præstari; at quod ab illa prout sic cõuenit, propriũ est Paternitatis, & alijs incommunicabile: ergo eo ipso quod illius perfectio relatiua sit, debet esse realiter incommunicabilis Filiationi; atque ex consequenti realiter ab illa distingui. Denique tradita solutio reijcitur: in Paternitate prout ab essentia distincta, & ad lineam relatiuam spectante, non dantur formalitates virtualiter ex æquo distinctæ; at si perfectio relatiua Paternitatis esset Filio communicabilis, darentur in illa formalitates distinctæ ex æquo virtualiter: ergo eo ipso, quod perfectio relatiua sit, debet esse realiter incommunicabilis. Probo minorem: non enim alia euidentiori ratione probant Theologi inter Paternitatem, & essentiam, distinctionem virtualem adæquatam, nisi quia essentia communicabilis est Filio, secus autem Paternitas: ergo si perfectio relatiua Paternitatis esset Filio communicabilis, & Paternitas sub conceptu referentis, & formæ hypostaticæ, non est communicabilis, dabuntur in Paternitate prout spectat ad lineã relatiuam, & ab essentia virtualiter differt, formalitates distinctæ distinctione virtuali adæquata.

Denique; solutio reijcitur.

§. II.

Argumenta soluuntur.

NEc fundamenta contrariorũ alicuius ponderis sunt. Primum est Vazquij exinde inferentis relationes non esse reales perfectiones, perfectione sumpta pro forma alteri conuenienti, quia inter perfectionem sic acceptam, & perfectibile, debet esse realis distinctio; eo quod perfectio realis debet realiter perficere, nihil autem potest se ipsum perficere realiter; at inter relationes, & essentiam, seu personas cõstitutas per illas, realis distinctio nõ est: ergo dici nequeunt reales perfectiones. Sed iam constat huius fundamenti imbecillitas, ad quod respondeo distinguendo maiorem: inter perfectionem compositiue, aut informatiue perficientem, concedo maiorem: perficientem per identitatem nego maiorem: sed ad hanc ad summum requiritur virtualis distinctio, & concessa minori, nego consequentiam. Et insto argumentum, tum in attributis, quæ reales perfectiones esse ad hominem contra Vazquez ostendi; & tamen à naturâ realiter non distinguũtur. Tum etiam in constitutione personarum per relationes, quæ realis est; & tamen ab illis realiter sunt indistinctæ.

13 *Argum. Vazquij diluitur*

Resp.

14 *Secundo alij arguũt ex D. Th.*

Secundo alij argumentantur ex D. Thoma *infra quæſt. 42. art. 4. ad 2.* vbi docet, quod ſicut eadem eſſentia, quæ in Patre eſt Paternitas, in Filio eſt Filiatio, ita eadem dignitas, quæ in Patre eſt Paternitas, in Filio eſt Filiatio: ergo ex mente D. Thomæ dignitas, ſeu perfectio realis, in relationibus nõ multiplicatur. *Reſp.* Reſpondeo totum hoc verum eſſe, caterum inde id prouenit, quia dignitas, & perfectio, non relatiuè, ſed ſolum abſolute dicuntur, vt conſtat ex D. Thoma *ibidem* negantis hanc eſſe bonam conſequẽtiam, *quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius; Paternitatẽ habet Pater: ergo Paternitatem habet Filius*, mutatur enim *quid* in *ad aliquid*, id eſt abſolutum in relatiuum, ſi autem dignitas, aut perfectio in maiori importata abſoluta non eſſet, talis defectus non committeretur: ergo ſentit D. Thomas, quod ſi dignitas, & perfectio, dicerentur relatiuè, aliquam dignitatem in Patre repertam, non inueniendam in Filio; & conſequenter realiter eſſe multiplicandas perfectiones relatiuas.

15 *Sed inſtant ex D. Th.*

Sed inſtant ex eodem D. Thoma in 1. diſtinctione 33. quæſt. 1. art. 1. ad 2. *Quod ſicut in Filio eſt eſſe eſſentiæ, ita, & eſſe Paternitatis; quia in diuinis nõ eſt niſi vnum eſſe*, vbi condiſtinguendo eſſe eſſentiæ ab eſſe Paternitatis, non poteſt accipi eſſe Paternitatis pro eſſe abſoluto eſſentiæ, ſed pro eſſe relatiuo, & ait conuenire Filio, quia in diuinis non eſt niſi vnum eſſe: ergo non ſolum eſſe abſolutum eſſentiæ non multiplicatur in relationibus, ſed nec eſſe relationum, quamuis relatiuum ſit, in illis multiplicatur. Ex quo vlterius colligitur, quod quamuis perfectio relationum relatiua ſit, poterit in illis immultiplicata manere. *Reſp.* Hoc tamen nihil vrget: nam, quod D. Thomas non loquatur de eſſe Paternitatis relatiuo, euidenter conſtat, ex eo quod eſſe eſſentiæ, & eſſe Paternitatis, aſſerit non diſtingui, ſed eſſe vnum, & idem, quod intelligendum eſt de identitate etiam virtuali; nam formalis identitas etiã inuenitur inter rationem Paternitatis, & rationem eſſentiæ, & tamen D. Thomas aſſerens eſſe Paternitatis, & eſſe eſſentiæ non diſtingui, docet rationem Paternitatis, & rationem eſſentiæ diſtingui; cum autem hæc non diſtinguantur niſi virtualiter, hanc diſtinctionem negat inter eſſe Paternitatis, & eſſentiæ; at ſi eſſe Paternitatis relatiuum eſſet, diſtingueretur virtualiter ab eſſe eſſentiæ abſoluto: ergo D. Thomas non concedit eſſe relatiuum Paternitati. Nec obſtat, quod D. Thomas condiſtinguat; hanc enim diſtinctionem non ponit inter eſſe, & eſſe, ſed inter illa, quibus communicatur eſſe, ſcilicet Paternitatem, & eſſentiam.

16 *Deniq; obijciũt*

Denique obijciunt: id, quod conuenit relationi non ex habitudine ad terminũ, ſed ex ordine ad ſubiectum, & fundamentum, non multiplicatur in diuinis relationibus; at perfectio, eſto ſit relatiua, non conuenit relationi diuinæ ex ordine ad terminum, ſed ad ſubiectum, & fundamentum: ergo quamuis relatiua ſit, realiter nõ multiplicatur. Minor cum conſequentia tenet. *Maior prob. 1.* Maiorem autem probo primo: quia namque eſſe, ſeu exiſtere, conuenit relationi diuinæ reſpectiuè ad ſubiectum, & non ex ordine, quem dicit ad correlatiuum, vnicum, & idem eſt in omnibus relationibus: ergo omne, quod relationi conuenit reſpectiuè ad ſubiectum, & fundamentum, immultiplicatũ manet in relationibus diuinis. *Secũdo.* Secundo: nam multiplicatio realis in Deo ſolum poteſt oriri ex oppoſitione relatiua; at in eo, quod relationibus conuenit ex ordine ad ſubiectum, & fundamentum, & non ex ordine ad terminum, relatiuè nõ opponuntur; cum relatiua oppoſitio non ſit cum fundamento, ſed ſolum cum correlatiuo: ergo id, quod conuenit diuinis relationibus ex ordine ad ſubiectum, ſeu fundamẽtum, non multiplicatur realiter in illis.

16 *Resp. argumẽto, & instatur.*

Respondeo negando maiorem absolute : instatur enim in ratione formæ hypostaticæ , quæ relationi cõuenit respectiuè ad subiectum, & non expresse ex conceptu ad correlatiuum; & tamen multiplicatur realiter in relationibus diuinis. Ad primam probationem nego causalem, sed quia existentia relationum non relatiua, sed absoluta est, vt ex *infra* dicendis constabit. Ad secundam distinguo maiorem: ex oppositione relatiua explicata, aut implicata, formaliter, aut connexiuè tali, concedo maiorem : præcisse ex oppositione relatiua explicata , & formaliter tali, nego maiorem, & distinguo minorem: explicite, & formaliter, concedo minorem: implicite, & connexiue, nego minorem, & consequentiam. Instoque in ratione subsistentiæ, quæ multiplicatur realiter in diuinis relationibus ; & tamen cũ ex ordine ad subiectum sumatur, nõ explicatur in illa formaliter relatiua oppositio, sed implicatur solũ, & exactiuè importatur : quia ergo eo ipso quod perfectio relatiua sit, debet implicare oppositionem cum termino , & illam exigere : consequens est, quod eo ipso debeat multiplicari realiter.

18 *Sed vrgent.*

Sed vrgent; quia stat bene relationem in Deo opponi cum alia relatione sibi correlatiua in ratione respectus oppositi; & tamen in ratione relatiuæ entitatis identificari cũ alijs, cum quibus non opponitur, vt constat in spiratione actiua, quæ relatiue opponitur Spiritui Sancto, & tamen identificatur in ratione entitatis relatiuæ cum Paternitate, & Filiatione, quibus non opponitur : ergo si relationes personales non opponuntur in perfectione relatiua, prout distincta à fundamento , etsi multiplicetur in ratione respectus, poterunt in ratione perfectionis, etsi relatiua sit, non multiplicari realiter.

Resp.

Respondeo concesso antecedenti, & consequentia, vt conditionali, nego autem possibilitatem conditionis; est enim impossibile, quod perfectio relatiua sit, & Paternitas v.c. opponatur Filio in ratione respectus, & non in ratione perfectionis, potest quidem contingere, quod relatio etiam in ratione entitatis relatiuæ identificetur cum alia relatione, cui non opponitur, quod autem à relatiuo sibi opposito non distinguatur in aliquo relatiuo omnino est impossibile, vt *superius* arguebam: vnde etsi possit spiratio actiua à Paternitate, & Filiatione, ad quas non refertur, realiter non distingui, etiam in ratione relatiuæ entitatis, omnino tamen repugnat perfectionem Paternitatis relatiuam esse, & non distingui realiter à Filiatione, cui opponitur in ratione respectus.

§. III.

Non esse in Deo tres perfectiones relatiuas probatur.

19 *Secũda cõclusio*

SEcunda Conclusio : *Non sunt concedendæ in Deo tres perfectiones reales relatiuæ.* Hanc statuo contra primam sententiam. Illamque probo primo : in Deo nõ sunt concedendæ tres magnitudines etiam relatiuæ: ergo nec tres perfectiones. Consequentia patet primo: nam iuxta Diuum Thomam *infra quæst.* 42. *art.* 4. magnitudo Dei idem est quod Dei perfectio. Tum etiam: quia ideò tres magnitudines negantur in Deo, ne alicui ex personis diuinis aliqua magnitudo non cõpetat , & ne in magnitudine sum-

Prob. 1. *auctoritate*

mê non adæquentur; at idem eſt inconueniens, quod alicui perſonæ aliqua perfectio non competat, & quod in ratione perfectionis ſummè non adæquentur: ergo eadem ratione qua tres magnitudines negantur in Deo, debent etiam tres perfectiones in illo negari. Antecedens eſt expreſſum in doctrina Auguſtini *pluribus in locis*, præcipuè *lib. 5. de Trinit. cap. 8. 9. & 10.* verba illius in capite 8. hæc ſunt: *Quemadmodum enim Deus eſt Pater, Filius Deus eſt, & Spiritus Sanctus Deus eſt, non tamen tres Deos dicimus, ſed vnum Deum; ita magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus Sanctus, nõ tamen tres magni, ſed vnus magnus*; & ad finem capitis: *Sicut non dicimus tres eſſentias, ſic non dicimus tres magnitudines, ſed vnam eſſentiam, & vnã magnitudinem.* Id ipſum docet perpetuo D. Thomas, præcipuè infra q. 42. art. 4. ad 2. illis verbis: *Sicut eadem eſſentia, quæ in Patre eſt Paternitas, in Filio, eſt Filiatio, &c.* Sentiũt ergo apertè Auguſtinus, & Thomas, non eſſe concedendas in Deo tres magnitudines, aut tres dignitates, ſed vnam tantum.

20 *Contrariorum ſolutio reijcitur 1.*

Reſpondent contrarij, Auguſtinum, & Doctorem Angelicum, loqui de magnitudine abſoluta eſſentiæ, nõ de magnitudine relatiua, vel ab vtraque abſtrahente. Sed contra primo: nam ad hoc negabant tres magnitudines, vt ſaluarent perſonarum æqualitatem contra Arrianos; at ſi præter magnitudinem abſolutã eſſentiæ, eſſent tres magnitudines relatiuæ, Arrianorum argumentum inſolutum relinquerent; cum licet ſaluarent perſonarum æqualitatem in magnitudine abſoluta eſſentiæ, reſtaret illis ſaluare æqualitatem in magnitudine relatiua, quæ in relationibus multiplicaretur: ergo hæc interpretatio eſt omnino inſufficiens.

Secũdo. Secundo: nam Auguſtinus æquiparat magnitudinem cum eſſentia, omnipotẽtia, & alijs atributis, quoad vnitatem, & negationem multiplicationis; at eſſentia, & omnipotẽtia, taliter obtinent vnitatem, quod nullatenus multiplicantur, nec abſolutè, nec relatiuè: ergo sẽtit magnitudinem taliter vnam eſſe, quod nec dentur plures magnitudines abſolutæ, nec relatiuæ.

Tertio. Tertio: qui aſſereret eſſentiam, & omnipotentiam, dici abſolutè, & relatiuè, & primo modo eſſe vnam, ſecundo multiplicari, manifeſtè ſe opponeret Auguſtino aſſerenti eſſẽtiam, & omnipotentiam dici *ad ſe*, & non multiplicari; at eiſdem verbis, imò, & comparatione cum eſſentia facta, docet magnitudinẽ dici *ad ſe*, & eſſe vnã, quibus id affirmat de eſſentia, & omnipotentia: ergo qui affirmant magnitudinem dici relatiuè, & realiter multiplicari, manifeſtè Auguſtino ſe opponunt.

21 *Quarto*

Quarto: ſi eſt in Deo magnitudo abſoluta, & non multiplicata, & relatiua multiplicata realiter, concedendum eſt abſolutè Patrem Filium, & Spiritum Sanctum, eſſe tres magnos, nedum *adiectiuè*, ſed etiã *ſubſtantiuè*; at Auguſtinus expreſsè docet non eſſe tres magnos, ſed vnũ magnum, ſicut non ſunt tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens, nec tres Dij, ſed vnus Deus: ergo contra Auguſtinum conceduntur tres magnitudines relatiuæ. Probo minorẽ: quia namque realitas dicitur *abſolutè*, & *relatiuè*, abſolutè conceditur tres Diuinas perſonas, eſſe tres res, & eſſe vnam rem, ſecundum rationem eſſentiæ, & primum rationem ſui, & nõ ſolum dicuntur tres res relatiuæ: ergo ſi detur magnitudo eſſentiæ abſoluta, & magnitudo relatiua multiplicata, non ſolum dicentur tres perſonæ tres magni *relatiuè*, ſed etiam tres magni *abſolutè*.

Deniq; reijcitur. Denique tradita ſolutio reijcitur: nam D. Thomas *loco citato* affirmat æqualitatem diuinarum perſonarum attendendam non eſſe pœnes relationes, ſed pœnes abſoluta; at ſi præter magnitudinem abſolutam eſſentiæ, darentur tres magni-

tu-

tudines relatiuæ,æqualitas personarum deberet attendi nedum pœnes essentiam, sed etiam pœnes relationes: ergo contra D.Thomam traduntur tres magnitudines relatiuæ. Probo minorem: æqualitas in magnitudine molis fundata attenditur pœnes omnem molem quantitatis: ergo æqualitas in magnitudine virtutis attendi debet pœnes omnem quantitatem virtutis; at si relationes dicerent magnitudinem relatiuam,gauderent quantitate virtutis, quæ nihil aliud est,quam perfectio: ergo pœnes ipsas attendi etiam debet summa æqualitas in magnitudine personarum diuinarum.

22 *Secũdo prob.cõcluſio.* Secundo principaliter ſuadetur concluſio: eo ipſo quod dentur tres perfectiones reales relatiuæ,cuiuis ex diuinis personis neceſſario eſt dicendum, quod aliqua perfectio non competat; at hoc cum ſumma perfectione, & ſumma æqualitate diuinarum personarum non poteſt componi:ergo nec tres perfectiones reales relatiuæ. Maior conſtans videtur : Patri nãque non conuenit Filiatio,nec Filio Paternitas,nec Spiritui Sancto Filiatio,& Paternitas: ergo ſi Paternitas,& Filiatio, reales ſunt perfectiones,realiterque diſtinctæ , cuiuis ex diuinis personis aliqua perfectio non conuenit ; Patri ſcilicet perfectio Filiationis, Filio perfectio Paternitatis,&neutra Spiritui Sancto.

*Minor prob.*1. Minor autem probatur primo: nam Auguſtinus,& Thomas, vt ſalnent æqualitatem in ſumma magnitudine inter diuinas personas,negãt in Deo tres magnitudines realiter: ergo quia ſentiunt cum multiplicatione magnitudinis , aut perfectionis,nec ſummam perfectionem , nec ſummam magnitudinis æqualitatẽ inter diuinas personas ſubſiſtere.

Secũdo prob.minor. Secundo : id , quod à forma ſummê perfecta non perficitur adæquatê, ſummê perfectum nõ eſt, & quod gaudet perfectione eſſentialiter ab alterius perfectione diſtincta, neceſſario comparatur, vel vt excedens, aut exceſſum ab ipſo; at ſi Patri aliqua perfectio Filio propria non competat,& è conuerſo,neuter illorum à Diuina eſſentia,quæ eſt forma ſummê perfecta, adæquatê perficitur; cum neutri illarum omnem ſuã perfectionem tribuat , & gaudent perfectionibus diſtintis eſſentialiter: ergo nullus illorum eſt ſummê perfectus, nec inter ſe gaudẽt omnimoda æqualitate.

23 *Solutio P. Suarez.* Huic argumento variê reſponderi ſolet ab Authoribus contrariæ ſententiæ. Primo reſpondet Suarez *vbi ſupra capite* 10.*num.* 7.nullam eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem , quæ negari poſsit formaliter de aliqua ex diuinis perſonis,perfectiones autem non ſimpliciter ſimplices,quales ſunt relationes,poſſe quidem negari formaliter , non autem eminenter : quia quæuis ex illis in quauis perſona eminẽter continetur, ratione eſſentiæ illas continentis formaliter, vt autem aliquid ſit ſummê perfectum,& à nullo excedatur,ſufficit habere formaliter omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem,& eminenter alias,quæ ſimpliciter ſimplices perfectiones non ſunt.

24 *Reijcitur* 1. Sed iſta ſolutio non ſatisfacit,& reijcitur primo : nam dato relationes eſſe perfectiones relatiuas, erũt perfectiones ſimpliciter ſimplices; cum in indiuiduo Deitatis ſint meliores ipſæ,quã non ipſe,quod ad rationem perfectionis ſimpliciter ſimplicis ſufficiens non eſſe non poterit Suarez aliqua efficaci ratione ſuadere : ergo ſi de ratione ſummê perfecti eſt habere formaliter omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem,nõ poterit ratio ſummi perfecti in perſonis ſaluari cum carentia perfectionis relatiuæ.

Secũdo. Secundo: nam omiſſa quæſtione de nomine an eſſent , vel non eſſent perfectiones ſimpliciter ſimplices, eſſent tamen perfectiones nihil admittentes imperfectionis ; at de ratione ſummê perfecti eſt continere formaliter omnem perfectionem,de

cuius conceptu imperfectio non eſt: ergo non ſtaret ſumma perſonarum perfectio cũ carentia alicuius ex illis formaliter. Probo minorem primo: non eſſet Deus in re ſummè perfectus, ſi aliqua ex diuinis relationibus illi formaliter non conueniret, ſuppoſito, quod relationes perfectiones relatiuæ ſint; at non alia ratione, niſi quia perfectiones eſſent nullam in ſuis cõceptibus imperfectionem importantes: ergo de ratione ſummè perfecti eſt formaliter cõtinere omnem illam perfectionem, quæ in ſuo conceptu imperfectio nõ eſt. Secundo: nam ad rationem ſummè, perfecti aliter requiritur continentia perfectionis de cuius conceptu imperfectio non eſt, ac continentia illarum perfectionum, quæ in ſuis conceptibus imperfectionem aliquã dicunt; at reſpectu iſtarum requiritur continentia eminentialis: ergo reſpectu illarum eſt deſiderata cõtinentia formalis.

Minor prob. 1.

Secũdo prob.

Reſpondebis, veram eſſe minorẽ de perfectione debita, ſecus verõ ſi debita non ſit, relatiua autem Filiationis perfectio non debetur Patri, & ideò ſine illa, vt formaliter habita, poteſt ſaluari ratio ſummæ perfectionis in Patre. Sed contra: de ratione ſummè perfecti eſt, quod illi omnis perfectio abſque imperfectione debeatur, quo circa Deus ſummè perfectus non eſſet, ſi aliqua huiuſmodi perfectio illi non eſſet formaliter debita: ergo vel Pater ſummè perfectus non eſt, vel illi omnis perfectio abſq; imperfectione debetur.

25 *Reſp.*

Sed contra.

Dices, Deũ eſſe ſummè perfectum in omni genere, & ideò illi eſſe debitam omnem perfectionẽ abſque imperfectione; Pater autẽ licet vt Deus in omni genere infinitus ſit, & ideò prout ſic omnes relatiuas perfectiones ſibi identificet, vt Pater autem ſolum in perſonali linea infinitus eſt, & idcircò non debetur illi continẽtia formalis omnis perfectionis abſque imperfectione.

Dices.

Sed contra: Deitas vt ſummè perfecta in omni genere conuenit Patri formaliter, aliàs Pater nõ eſſet perfectus Deus, contra fidei doctrinam; at Deitati, *reduplicatiuè* vt in Patre, non debetur Filiatio: ergo enti ſummè perfecto in omni genere, Filiatio non debetur vt formaliter habita; & conſequenter perfectio non eſt, vel ſi perfectio eſt, debebitur Deitati formaliter prout conuenit Patri.

Sed contra.

Tertio principaliter traditam ſolutionem reijcio. Deitatem continere eminenter omnem perfectionem Filiationis eſt illam radicare virtualiter, non enim iſta continentia cauſalitatis eſt: at Deitas non conuenit Patri vt radicans Filiationem: ergo non conuenit illi vt eminenter continens eius perfectionem; & conſequenter in Patre non continetur Filiationis perfectio formaliter, nec emitenter.

26 *Tertio tradita ſolutio reijcitur.*

Denique reijcitur: eo ipſo quod Paternitas perfectio relatiua ſit, realiter à Filiatione diſtincta, eſt perfectio realiter diſtincta à perfectione Filiationis; & conſequenter æquales eſſe non poſſunt: quia vt communis Philoſophia tradit, duæ ſpecies, ſeu duo eſſentialiter diſtincta, non poſſunt inter ſe adæquari, ſed neceſſario debet inter illa intervenire exceſſus, aſſerente Philoſopho *ſpecies eſſe ſicut numeros*, inter quos eo ipſo quod intercedat eſſentialis diſtinctio, æqualitas in ratione numeri intercedere nequit: ergo Pater, vt Pater, & Filius, vt Filius in perfectione adæquari non poſſunt, eo ipſo quod relationes perfectiones dicant non conuenientes omnibus perſonis formaliter: inæqualitas namque formarum in ſuis concretis relucere, eſt neceſſe.

Deniq; reijcitur.

Suarez *vbi ſupra num. 9. & 10.* reiecta ſententia Clitonei aſſerentis Paternitatem formaliter dicere maiorem perfectionem, quam Filiatio, reſpondet, Paternitatem, & Filiationẽ ratione eſſentiæ incluſæ æqualitatem habere, ratione autem ſui, quia ſunt diuerſæ rationis, nec æquales, nec inæquales eſſe, quia æquali-

27 *Prima ſolutio P. Suarez reijcitur.*

tas,

tas, seu inæqualitas, solum reperitur inter habentia quantitatem eiusdem rationis. Sed contra: nam Paternitas, & Filiatio conueniunt, etsi analogicè, in ratione relationis; at conuenientia analoga in aliqua ratione communi cum differentia essentiali sufficit ad inæqualitatem, vt constat in decem prædicamentis, quæ analogicè solum conueniunt in ente, & inæqualia sunt, cum substantia omnia alia in perfectione excedat, & ipsa inter se inæqualiter comparentur: ergo inter Paternitatem, & Filiationem est sufficiens conuenientia, vt comparentur inter se quoad rationem æqualis, aut inæqualis.

28 *Secunda illius solutio impugnatur* 1.

Secundo respondet, quidquid sit de speciebus creatis, an necessario inæquales esse debeant, Paternitatē, & Filiationem in suis proprijs conceptibus æquales esse; eo quod tam perfectum terminum, & fundamentū habet vna, atque alia: vnde inuniuersum necessarium non est, quod inter perfectiones essentialiter diuersas, inæqualitas intercedat, quod etiā tenentur fateri, inquit Suarez, qui docent perfectionem non dicere: nā esto ita sit, negare tamen non possūt essentialiter differre, & tamen sine excessu essentiali: non ergo est de ratione essentialiter distinctorū, quod inæqualia sint. Sed cōtra primo: fundamentū Paternitatis est generare, & Filiationis fundamentum est generari; at de generare, & generari, si perfectionem dicant, eadem est difficultas quoad inæqualitatem, ac de ipsis relationibus: ergo rationem æqualitatis diuinarum relationum, suppositō, quod perfectionem dicāt, pēr æquē difficilē reddit Suarez, & principium petit, dum ad fundamēti vtriusque æqualitatem recurrit.

Secūdo. Secundo: non stat differentia essentialis in quantitate discreta absque inæqualitate in ratione numerationis, siue in creatis, siue in diuinis: ergo nec differentia in quantitate perfectionis essentialis subsistere potest sine æqualitate in perfectione, siue in Deo, siue in creaturis.

Tertio: nam quia vnum attributum virtualiter ab alio distinguitur in ratione perfectionis, vnum est virtualiter perfectius altero in veriori Theologorum sententia, quamvis non per participationem, sed per essentiam sint talia; at natura diuina virtualiter est omnibus attributis perfectior: ergo si perfectiones diuinæ relatiuæ, realiter, & essentialiter distinguantur, quamvis per participationem tales non sint, sed per essētiam, vna erit altera perfectior. 29 *Tertio.*

Denique reijcitur dicta solutio: ex illa namque sequitur, duas cognitiones creatas specificè differentes esse æquales inter se; consequens nō admittit Suarez: ergo dicta solutio ruit. Probo sequelam: dato quod possit videri Paternitas Filiatione non visa, visio vnius est essentialiter à visione alterius distincta; cū vnius veritas essentialiter ab altera diuersa foret, si in ratione perfectionis essentialiter distinguātur; & aliàs veritates Paternitatis, & Filiationis æquales essent in ratione veritatis: ergo cognitiones illarum essent aliter inter se differētes, forēt æquales. Nec instātia, quam adducit Suarez, est ad propositum: inæqualitas namque non fundatur in qualibet differentia essentiali, sed in differentia essentiali perfectionum, & æqualitas non in qualibet conuenientia, sed in conuenientia in perfectione fundatur; eo quod æqualitas, aut inæqualitas, supra quantitatem molis, seu virtutis fundatur. *Deniq; reijcitur.*

30 *Secūdo respondet Granados.*

Secundo respondet Granados *vbi supra*, perfectionem Filiationis esse in Patre, & Paternitatis in Filio, non solum ratione identitatis cū essentia, sed etiam secundū id, in quo distinguūtur; eo quod per circūincessionem Filius est in Patre, etiā prout à Filio distinguitur, vt terminus actionis immanentis in principio, & Pater in Filio vt principium in termino, & hæc existentia vnius in alio sufficit, vt omnem Filij perfectionē habeat Pater, & ē conuerso; ac proinde vt inter illas nō sit inæqualitas.

Impugnatur ſolutio 1.

Sed nec ſatisfacit iſta ſolutio,& reijcitur primo: nam iuxta Auguſtinum 5.*de Trinitate cap.6.* Filius non eſt Patri æqualis ſecundum id, quod ad Patrem dicitur,& rationem reddit: *Quoniam ad Patrem Filius dicitur, ille autem non Pater, & Filius eſt*: ergo ex mente Auguſtini inter Patrem,& Filium,non eſt æqualitas in proprietatibus proprijs relatiuis: ergo nec Filius æqualis Patri, aut Pater Filio in perfectione Paternitatis, aut in perfectione Filiationis;at ſi iſte modus circumince ſſionis ſufficeret vt perfectio Filiationis v.c. Patri conueniret, eſſet inter Patrem,& Filium,æqualitas in perfectione propria Filiationis: ergo talis circumince ſſio non ſufficit vt perfectio Filiationis Patri conueniat, aut perfectio Paternitatis Filio.

Secũdo.

Secundo: ſi aliqua perfectio abſoluta non competeret Patri formaliter,& intrinſicè, etiam ſi terminatiuè,& per circumince ſſionem eſſet in illo, nõ eſſet ſummè perfectus formaliter: ergo ille modus habendi perfectionem Filiationis non eſt ſufficiens vt in Patre ſaluetur ratio perfecti,& ſummæ æqualitatis.

Tertio.

Tertio: eſto Filiatio ſit in Patre per circumince ſſionem, non tamen perficit Patrem intrinſicè, & formaliter: ergo ratione iſtius conueniẽtiæ Pater nõ conſtituitur ſummè perfectus.

31 *Aliorũ ſolutio excluditur.*

Denique alij ad argumentum factum reſpondent, perfectionem Filiationis competere Patri non relatiuè,& conſtitutiuè,ſed eſſentialiter,hoc eſt ratione eſſentiæ,cum qua identificatur,& hoc ſufficere vt sũmè perfectus ſit,& vt æqualitas inter illum, & cæteras perſonas,ſaluetur. Sed contra: relatio, vt relatiuè habita,eſt aliqua perfectio relatiua iuxta iſtam ſententiam; at relatiuè non competit Patri: ergo aliqua relatiua perfectio non conuenit Patri.

Dices.

Dices,hinc ſolum inferri relatiuam perfectionem Filiationis non conuenire Patri omnimodo, nõ vero quoad ſubſtantiam Patri nõ conuenire,& primũ inconueniens neutiquam eſt. Sed contra: relatio Filiationis, vt relatiuè cõueniens, eſt perfectio diſtincta ſecundum rationem à ſe ipſa, vt abſolutè conuenienti Patri: ergo ſolutio eſt nulla. Probo antecedens: vt abſolutè conueniens eſt ipſa natùra diuina abſoluta, in qua eminenter cõtinetur; at relatio, vt conueniens relatiuè, eſt perfectio diſtincta ſecundum rationem à natura diuina in ſententia contraria: ergo & à ſe ipſa,vt abſolutè conueniẽte Patri.

Conſ.1.

Explicatur difficultas:perfectio creata in ſe, quoad ſubſtantiam differt à ſe ipſa vt in cauſa contenta,reduplicata continentia actiua: ergo pariter relatiua perfectio, ſi quæ datur ratione ab eſſentia diſtincta, differt quoad ſubſtantiam in ſe conſiderata à ſe ipſa prout in eſſentia eminenter prahabita,ſi reduplicetur continentia actiua qua ſolum ratione conuenit Patri.

Secũdo.

Explicatur ſecundo: etiam ſi realitas Filiationis conueniat Patri ratione eſſentiæ,quia tamen illi non conuenit ratione ſui, quatenus virtualiter ab eſſentia diſtincta, abſolutè dicimus aliquam realitatem Patri non cõuenire, nedum quoad modum,verum etiam quoad ſubſtantiã: ergo id ipſum de relatiua perfectione eſt dicendum.

32 *Si opponas.*

Si opponas: ſumma entitas Patris, ſummaque æqualitas in ratione entitatis cum Filio,ſaluatur cum multiplicatione reali entitatum, & quin illi formaliter competat omnis entitas relatiua: ergo pariter ſumma Patris perfectio,sũmaque æqualitas Patris cum Filio,ſubſiſtet cum multiplicatione perfectionum reali,& quin illi formaliter competat omnis perfectio relatiua.

Conſ.1.

Explicatur difficultas: non eſt contra rationem ſummi entis, quod ei deſit formaliter aliqua entitas relatiua: ergo nec erit contra rationem ſummi perfecti,quod ei formaliter deficiat aliqua relatiua perfectio.

Ex-

Secũdo. Explicatur secundo: si entitas esset absoluta, non minus repugnaret sũmo enti defectus talis entitatis, quã summê perfecto defectus absolutæ perfectionis: ergo si summo enti defectus relatiuæ entitatis non obest, nec obesse poterit defectus relatiuæ perfectionis enti summæ perfecto.

33 *Resp.* Respondeo ad argumentum cõcesso antecedenti, negando consequentiam: ratio namque summi, & ratio æqualitatis, non fundantur in conceptu entitatis, sed in conceptu perfectionis, nec attenditur in Deo pœnes relatiuum, sed pœnes absolutũ, vt docet D. Th. *infra q.42. a.4.* vnde æqualitas inter diuinas Personas non attenditur pœnes rationem entitatis ex vi huius conceptus, sed prout entitas dicit perfectionem; & idcircô stat bene ratio summi perfecti, & summæ æqualitatis in Patre cum non connenientia entitatis relatiuæ, & illius multiplicatione, secus autem cum multiplicatione perfectionis, & negatione illius secuncundum cõuenientiam formalem in Patre. Per quod ad primam confirmationem constat solutio. Ad secũdam dicatur, quod si per posibile, vel impossibile, esset entitas diuina absoluta, perfectionem non dicens, negatio talis entitatis non incompateretur cum summa perfectione; sicut negatio terminationis liberæ, in mea sententia, intrinsecæ, quia negatio perfectionis non est, rectê cum summa Dei perfectione componitur.

Ad 1. & 2. cõfirm.



§. IV.

Respondetur directè ad quæstionem.

34 *Tertia cõclusio* TErtia conclusio: *Relationes nõ addunt ad diuinam essentiam perfectionem relatiuam ratione ab illa distinctã in ratione perfectionis.* Hac conclusione directê respondemus quæstioni. Et colligitur apertê ex prioribus, primo: nam si adderent ad essentiam relatiuam pêrfectionem, darentur in Deo plures perfectiones realiter, vt mõstrauim⁹ *prima cõclusione*; at hoc est falsum, vt *in secunda* probauimus: ergo non addunt ad essentiam relatiuas perfectiones.

Prob.1.

Secũdo. Secundo: id sine quo formaliter habito, habetur formaliter omnis perfectio, formaliter perfectio non est; at sine Filiatione v. c. formaliter habita, saluatur quod in Patre inueniatur formaliter omnis infinita perfectio, & in Filiatione sine Paternitate formaliter, vt *præcedenti cõclusione* monstrauimus: ergo Filiatio non est relatiua perfectio; & consequenter ad diuinam essentiam, relatiuam perfectionem non addit.

Tertio. Tertio: id quod ratione sui non perficit diuinam essentiam, non addit perfectionem ad illam; at Filiatio v.c. ratione sui non perficit diuinam essentiã; aliàs essentia cum Filiatione formaliter habita, perfectior esset se ipsa vt Filiationem præcedit; & essentia non communicaretur Patri, vt summê, & omnimodo perfecta: ergo Filiatio ratione sui nihil perfectionis addit ad essentiã.

35 *Si fortè dicatur*

Si fortè dicatur, essentiam cum Filiatione esse perfectionem se sola extensiuè, non autem intensiuè; eo quod in essentia se sola omnis relatiua perfectio eminentialiter continetur; sicut Deus homo est perfectior extensiuè Deo solo, non autem intensiuè, eadem de causa. In contrarium obstat, essentiam cum attributo sapientiæ v.c. esse perfectionem se sola, nedum extensiuè, verum etiam intensiuè; aliàs ex defectu attributi secundum esse formale non argueretur defectus intrinsecæ perfectionis; sicut hac ratione ex relationis defectu in Patre, non colligitur intensiuæ perfectionis defectus; at in sensu cõtrariorum, eodem modo addit relatio perfectionẽ ad essentiam, quo illam addunt attributa; vel si non eodem modo, argumentum ex attributis ad relationes desumptum, vt in illis colligatur ratio perfectionis distinctæ, inefficax erit omnino: ergo essentia cum Paternitate v.c. nedum extensiuè, sed etiam intensiuè, est perfectior se sola.

In contrariũ arg.

36 *Præterea suadetur cõclusio.*

Quarto principaliter suadetur conclusio: relationes ad essentiã nihil addunt absolutum ratione ab illa distinctum; at ratio perfectionis in Deo solum dicitur absolutè non relatiuè, vt expressè docet D. Thomas *infra q.42. art.4.* sequutus Augustinum *lib.5. de Trinitate cap.9.* vbi ex eo quod, quidquid ad se dicitur in Deo, substantialiter, & singulariter dicitur, infert, quod sicut Deitas dicitur substantialiter, & singulariter, ita magnitudo, quod idem est ac perfectio, substantialiter, & singulariter dicitur: ergo relationes ratione sui, quatenus ab essentia distinctæ; nullam addunt perfectionem ad essentiam, sed sola essentiæ absoluta gaudent perfectione.

37 *Assignatur ratio à priori.*

Licet autem ab inconuenienti satis efficaciter nostra conclusio probetur, in reddenda tamen ratione à priori nõ modica est difficultas. Molina *vbi supra* rationibus ab inconuenienti contentus nullam tradit à priori. Et quidem si teneremus in diuinis relationibus nihil relatiuũ peculiare implicari, quo quasi respiciãt essentiam, seu personas, sed rationẽ subsistẽtiæ implicatam in illis, à subsistentia absoluta essentiæ esse virtualiter indistinctam, facilè posset nostra conclusio à priori suaderi; ratio namque perfectionis debet per respectum, seu comparationem ad perfectibile summi: ergo si relationes nihil addunt ad essentiam præter esse *ad*, quo solum respiciunt terminum, cuius non sunt perfectiones, non vero subiectum, quod per illas perficitur, non addunt ad essentiam relatiuam aliquam, seu distinctã ratione perfectionem: quia tamen valdè probabile est in relatione creata dari relatiuum, & peculiare *in*, & in diuina peculiare subsistens ab absoluta subsistentia distinctum, maior difficultas est in assignanda ratione, quare relatio in ratione subsistẽtiæ, qua ad essentiam, & personam comparatur, perfectio non sit.

Alia ratio à priori apud Thomistas communis.

Docti, & graues D. Thomæ discipuli id hac ratione suadent: ratio nãque perfectionis debet sumi per respectum ad subiectum ratione sui inspectum; at relatio secundum nihil sibi peculiare, subiectum, aut personam respicit ratione sui in illo sistẽdo, sed ratione termini, seu correlatiui; cum eo ipso, quod conceptus aliquis relatiuus sit, & subiectũ respiciat, debet illud respicere ordinando ad terminum, & ratione illius: ergo nihil relatiuum potest ratione sui obtinere perfectionis cõceptum. Maiorem, in qua est difficultas, sic probant: perfectio debet respicere subiectum perfectibile per commensurationem cum illo; at nisi subiectum ratione sui respiciat, non commensuratur cum illo, sed cum termino, qui est ratio respiciendi subiectum: ergo ratio perfectionis debet sumi per respectum, & ordinem ad subiectum ratione sui inspectum.

38 *Aliter à nobis à priori prob.*

Denique suaderi potest conclusio hac ratione à priori: vnumquodque in tantum est perfectum, in

quan-

quantum est in actu existētiæ, vel ad illam ordinem dicit; sed relationes diuinæ ratione sui non exprimunt ordinem ad existentiam, sed solum ratione essentiæ, & naturæ diuinæ: ergo ratione sui non dicunt perfectionem, sed solum ratione essentiæ; & consequenter ad essentiam relatiuas perfectiones non addunt. Consequentia tenet. Præmissæ autem indigent probatione.

Maior prob.1. Maior probatur primo ex D. Thoma supra quæst. 4. art. 1. ad finem corporis, illis verbis: *Secundū hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundū quod est in actu.* Et q. 5. art. 1. in corpore ibi: *In tantum est autem perfectū vnumquodque, in quantum est in actu*: ergo ex mēte D. Thomæ vt aliquid sit perfectū consumatē, & perfectē, actualitas existentiæ requiritur; vt autem sit perfectum perfectione increata desiderabitur, quod ad existentiam, in qua consistit consumata perfectio, ordinem dicat.

Secūdo. Deinde inadetur: nam vnumquodque est bonum in quantum est perfectum, vt docet, & demonstrat D. Thomas *ibidem*; at est bonum in quantum assequibile; est autem assequibile inquantum ordinem ad existentiam dicit: ergo prout sic solum potest esse perfectum.

Prob. min. Minor etiam probatur, & quidem, quod ratione sui non sit in actu existentiæ, sed solum ratione essentiæ, *disputatione sequenti* cōstabit; quod autem ratione sui ordinem ad existentiam non dicat, probatur; relatio secundū sibi propria nihil respicit nisi ad terminum ordinando; quia totum eius esse, seu tota illius quidditas, est ad aliud se habere; at existentiam suam ad terminum ordinare non potest, quia existentia relationis non est ad terminum, sed ad subiectum: ergo ratione sui ordinem ad existentiam non dicit.

39 Contra rationē istam arg.1. Contra istam rationem arguitur: Paternitas vt distincta à natura, ratione sui, & explicitē, dicit ordinem ad naturam diuinam; hæc ratione sui est formaliter existentia: ergo ratione sui dicit ordinem ad existentiam. *Confirmatur*: ratione sui dicit ordinem ad naturam, quam terminat; & tamen illam non refert: ergo potest existentiam respicere, & illam non referre.

Resp. Respondeo distinguendo minorem: natura diuina est existentia realiter formaliter, concedo minorem: virtualiter, & ratione, nego minorem, & consequentiam, vel aliter: est existentia absque distinctione inadæquata ab illa, nego minorē: absque distinctione adæquata, trāseat minor, & nego consequentiam; sicut enim distinctio inadæquata, & in munere inter rationem referendi, & suppositādi, sufficit vt Filiatio vniatur humanitati vt hypostasis, & non vt relatio; ita sufficit vt natura respiciatur à Paternitate vt natura, & non vt existentia. *Ad cōfi.* Ad confirmationem dicatur, Paternitatem respicere naturam, non sub conceptu *Ad*, & referentis, sed sub conceptu formæ hypostaticæ, & ideo illam non refert, sed terminat, & incommunicabilem reddit.

40 Instabis 1. Instabunt primo: ergo etiam poterit respicere existentiam sub cōceptu formæ hypostaticæ, quamuis illam non referat. *Secūdo.* Instatur secundo: natura non terminatur à personalitate, nisi existens: ergo si personalitas respicit naturam vt à se terminabilem, respicit illam vt existentem; & consequenter respicit existentiam.

Resp. ad 1. Respondeo ad primam instantiam negando consequentiam, & ratio discriminis est: quia existentiā sub conceptu existentiæ nec terminat, nec refert, naturam autem sub conceptu naturæ terminat, & si illā, vt sic non referat, & ideo respicit sub conceptu formæ hypostaticæ naturam, non autem existentiam.

Ad 2. Ad secundam dicatur, quod vt terminetur natura, sufficit, quod in re existat, non autem requiritur quod formaliter vt existens à personalitate terminante respiciatur. Se-

cun-

cundo reſponderi poteſt, Paternitatem vt formam hypoſtaticam reſpicere exiſtentiã naturæ, vt conſtituẽtem exiſtentem naturam, non autem vt reddentem exiſtentem ipſam Paternitatem, & hoc eſt, quod in ratione noſtra negatur, non primum.

41 *Secũdo arg.*

Secundo arguitur: Paternitas ratione ſui, ſecundum id, quod explicat, reddit ſuum contradictoriũ chimericum, & impoſsibile: ergo ratione ſui exigit neceſſario exiſtentiam. Conſequentia probatur: nam contradictorium Paternitatis conſtituitur chimericum per repugnantiam ad exiſtendum; ſed repugnantia exiſtendi non præſtatur niſi ab exigentia exiſtendi conueniente poſitiuo cõtradictorio: ergo ſi Paternitas ratione illius, quod explicat, reddit contradictorum ſuum chimericum, & impoſsibile, ratione illius, quod explicat, exigit exiſtentiam. Antecedens autem probatur: contradictorium Paternitatis ſecũdum id, quod explicat, eſt non Paternitas; ſed hoc contradictorium redditur chimericũ, & impoſsibile, per Paternitatem ſub expreſſo Paternitatis conceptu: ergo Paternitas ſub expreſſo conceptu Paternitatis reddit chimericum ſuum contradictorium.

42 *Reſp.*

Reſpondetur, contradictorium Paternitatis, ſub expreſſo conceptu illius, non eſſe negationem Paternitatis vt exiſtentis, ſed negationem Paternitatis eſſentiæ, vel ſub cõceptu entitatis, vt autem hoc contradictorium chimericum conſtituatur per Paternitatem ſub expreſſo conceptu, ſufficit, quod ſub illa importet entitatem, quamuis exiſtentiam non explicet, nec exigentiam exiſtentiæ, negationi autem exiſtentiæ Paternitatis non opponitur contradictorie Paternitas ratione illius, quod explicat, ſed ratione exiſtẽtiæ, quam implicat, & repugnantiæ exiſtendi, quam dicit negatio Paternitatis, non opponitur ipſa Paternitas ratione illius, quod explicat, ſed ratione exigentiæ exiſtentiæ, quam implicite importat ratione eſſentiæ, quam in ſuo conceptu includit. Et inſtatur argumentum in terminatione libera actus voluntatis diuinæ, quæ ratione illius, quod explicat ſub ratione poſsibilis reddit chimericã negationem ſui vt poſsibilis: & tamẽ ratione ſui non explicat ordinem ad exiſtentiam, aliàs ratione ſui explicaret perfectionem, ac proinde aliqua perfectio poſſet deficere Deo. *Inſtatur arg.*

Aliter, & clarius, poteſt argumentum proponi: Paternitas ratione illius, quod explicat, eſt entitas neceſſaria; ſed entitas neceſſaria à non neceſſaria diſtinguitur per exiſtentiam, vel per exigẽtiam eſſentialem exiſtentiæ: ergo ratione ſui exigit neceſſario exiſtentiam; & conſequenter ratione ſui dicit ordinem ad exiſtentiam, ſiuẽ propriam, & relatiuam, ſiuẽ abſolutam eſſentiæ. Maior probatur: ratione ſui eſt entitas; ſed non eſt entitas ratione ſui contingens: ergo eſt entitas ratione ſui neceſſaria. Patet conſequentia: non enim datur medium inter entitatem neceſſariam, & contingentem. Reſpondetur, non dari medium inter entitatem neceſſariam, & cõtingentem in re, at cum aliqua reduplicatione addendo *ratione ſui* datur medium; ſicut inter album, & non album in re non datur medium, at inter album, & non album cũ addito *ratione ſui*, medium datur; homo namque ratione ſui, nec eſt albus, nec non albus, & paſsim in hac materia alia reperiuntur exempla. *Aliter arg. proponitur*

Reſp.



§. V.

Argumentis contrariorum occurritur.

44 *Arg.1.*

COntra istam conclusionem argumentantur Auctores oppositi, primo ex Cyrilo *lib.1. Thesauri cap.6.* vbi de diuino Patre sic ait: *Non solũ perfectus est, quia Deus, sed etiam quia Pater*: ergo sentit Paternitatem, quatenus ab essentia distinctam, dicere perfectionem. Et ex D.Tho. pluribus in locis, *Opusc. 1. ad Vrbanum cap.2.* vbi dictum illud Basilij, *Quod Spiritus Sanctus sit dignitate secundus à Filio*, interpretatur de dignitate personali 4. *Contra Gentes cap.9.* vbi probat relationem esse in Deo constituẽdam, quia perfectio est. Et *q.3. quæsti art. 3.* probat reperiri in Deo rationem personæ, quia est summa perfectio; at personalitas diuina est relatio: ergo relatio diuina importat perfectionem. Respondeo ad Cyrilum, verum esse quod Pater est perfectus, non solum quia Deus, sed quia Pater, non tamen perfectione ab essentia in ratione perfectionis distincta, sed ipsissima essentiæ perfectione in Patre modificata. Ad primum D.Thomæ testimonium dicatur, debere intelligi, esse secundum origine, ideſt in accipiendo dignitatem esse secundum, non autem aliquam dignitatem Filio, & non Spiritui Sancto competere, sed eadem vtrique competit cum posterioritate originis, & hoc verum est, quod ratione proprietatis personalis conuenit Spiritui Sancto. Ad secundum, dicere quidem perfectionem, non tamen distinctam à perfectione essentiæ, & eodem modo respondetur ad tertium.

Resp. explicando Cyrilũ & D. Thom.

45 *Sed dices.*

Sed dices, D.Thomam ex eo probare esse in diuinis constituendã rationem personæ, quia significat perfectissimum, quod est in tota natura, at de formali significat relationem: ergo relatio perfectionem dicit. Respõdeo cõcedẽdo consequentiam, sed non concluditur ex D.Thoma dicere perfectionem relatiuam distinctam à perfectione essentiæ.

Resp.

Instabis

Instabis: ratio personæ ostenditur à D.Tho. in Deo, quia est quid perfectissimum in natura: ergo sentit ex negatione personalitatis in Deo negandam illi esse aliquam perfectionem; at id, ex cuius defectu colligitur defectꝰ perfectionis, ratione sui, & formaliter est perfectio: ergo personalitas ratione sui est formaliter perfectio ab essentia distincta. Respondeo concesso antecedenti, & prima consequentia, distinguendo minorem: si ex defectu illius quoad explicitum colligatur à priori perfectionis defectus, concedo minorem: si ex defectu illius solum quoad implicitum à priori inferatur, & à posteriori secundum explicitum, nego minorem, & consequentiam; quia ex defectu personalitatis relatiuæ secundum id, quod explicat, solum à posteriori infertur defectus perfectionis, à priori autem ex defectu illius secundum implicitum intellectualis naturæ, quam implicat; quia eo ipso, quod in Deo non esset personalitas, nec in illo esset intellectualis natura.

Resp.

46 *Arg.2.*

Secundo sic arguunt ratione: perfectum secundum Aristotele est, *cui nihil deest in proprio genere*, quam dissinitionem admittit Diuus Thomas *supra quæst.4.art.1*: ergo perfectio in integritate cõsistit; at Paternitas v.c. est integra integritate relatiua ratione distincta ab integritate diuinæ naturæ: ergo est perfecta perfectione relatiua distincta à perfectione essentiæ. Minor proba-

tur : integritas relatiua consistit in entitate relationis cum negatione defectus alicuius pertinentis ad propriam lineam; at Paternitas est entitas relatiua, cui nihil deest ex pertinentibus ad lineam Paternitatis: ergo est integra integritate relatiua.

Conf. 1. Et confirmatur primo: Pater est perfectus Pater: ergo à Paternitate perfecta in ratione Paternitatis, & consequenter Paternitas est perfecta perfectione relatiua.

Conf. 2. Confirmatur secundo: perfectio sequitur entitatem; at Paternitas est entitas ab entitate essentiæ ratione distincta: ergo, & perfectio ratione distincta à perfectione essentiæ.

47 *Resp.* Respondeo explicando diffinitionem traditam: perfectum est, cui nihil deficit in proprio genere dicente perfectionem, concedo: in quocumque genere, nego, sic à D. Tho. *ibidem* explicatur dicente perfectum esse, cui nihil deficit secundum modum suæ perfectionis.

Instatur arg. Et necessario esse sic explicandum exinde colligitur, quod alias peccatum secundũ formalissimum peccati conceptum esset perfectum; cum vt sic nihil ei desit ex his, quæ ad suum genus desiderantur, quod licet forte à contrarijs admittatur, est tamen contra Aristotelem expresse asserentem, non nisi translatitiè, & metaphorice, vitiũ, & peccatum, dici perfecta; & contra manifestam rationem, alias verum esset absolute dicere perfectionem aliquam, Dei causalitatem subterfugere effectiuam, & finalem; cum peccatum, vt peccatũ, nullo modo causetur à Deo, & aliàs admittatur perfectum esse; eo quod ei in proprio genere nihil deest.

Prima, & secunda confirmatio diluũtur. Ad primam confirmationem, distinguo antecedens: perfectione absoluta essentiæ, concedo antecedens: perfectione relatiua, subdistinguo, & concedo de perfectione negatiua, nego autem de positiua perfectione. Iuxta quam distinctionem concedo primam consequentiam, & nego secũdam, quæ subinfertur. Ad secundam confirmationem distinguo maiorem: ad entitatem vt in actu existentiæ, vel in ordine ad illam, concedo maiorem: sine existentia, vel ordine ad illam, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam.

Instatur iterũ arg. Et instò argumentum in decreto libero Dei, cui, prout ab actu necessario distinguitur, nihil deest, & tamen prout sic perfectionem non dicit; aliàs cum potens sit Deo ab æterno non conuenire, aliquam perfectionem liberam sub ratione perfectionis, & quæ Deo esse potuerit, necessarium est admittere, quod est contra veram, & communem omnium Theologorum sententiam.

48 *Tertio arg.* Tertio obijciunt: Deum esse Trinũ est maxima perfectio; at hæc prouenit à relationibus, quatenus ab essentia distinctis: ergo relationes prout sic perfectionem important; & consequenter relatiuam à perfectione essentiæ distinctam.

Resp. Respondeo distinguendo maiorem: est summa perfectio distincta à Deo, vt vno, nego maiorem. eadem, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam.

Dices. Sed dices: inter perfectum, & imperfectum non datur medium; at personarum Trinitas, reduplicatiuè quatenus à bonitate essentiæ distincta, imperfecta non est: ergo prout sic perfectionem importat.

Resp. Respondeo, inter perfectum, & imperfectum absolutè, mediũ nõ dari, facta tamẽ reduplicatione dari, nõ quidẽ datur mediũ inter perfectũ, & imperfectũ negatiue, bene tamen inter perfectũ, & imperfectum priuatiue, ex quo solum sequitur Trinitatem Personarũ absolutè perfectam esse, reduplicata tamen distinctione ab essentia, nec perfecta est, nec imperfecta priuatiuè, est tamen negatiue imperfecta, hoc est, non perfecta; quia prout sic nulla ei perfectio debetur.

49 *Instabis 1.* Instabis: summa imperfectio est, quod alicui nulla perfectio debeatur. ergo si Trinitati personarũ, quatenus ab essentiæ vnitate distinctæ in sensu reduplicatiuo, perfectio

non

Secũdo. non debetur, erit summe imperfecta. Et vigesimo secundo: exigentia identitatis cum essentia diuina perfectio aliqua est; at huiusmodi exigentia conuenit Trinitati personarum, quatenus ab essentia distincta, & illi prout sic debetur: ergo reduplicatiue vt distincta perfectionem importat. Respondeo ad primam replicam distinguendo antecedens: si nec explicite, nec implicite, absolutè, aut reduplicatiuè, perfectio debeatur, concedo antecedens: si non debeatur reduplicatiuè, & explicitè, bene tamen absolutè, & implicitè, nego antecedens, & consequentiam: quia Trinitati Personarum, & si reduplicata distinctione ab essentia, & explicite, non debeatur perfectio, absolutè tamen, & implicitè, ei debetur absoluta essentiæ perfectio. Ad secundam nego maiorem, quando exigentia illa ordinem ad existentiam non exprimit, qualiter in relatione contingit: tunc enim etsi exigentia perfectionis sit, formaliter tamen perfectio non est.

Resp.

50 *Quarto arg.* Quarto obijciunt: personalitas diuina ratione illius, quod exprimit, perfectio est; at ratio personalitatis est à relatione, quatenus ab essentia distincta, alias personam in communicabilem non constitueret, si ratione absoluti, & non ratione sui, munus personalitatis exerceret: ergo relatio diuina ratione illius, quod explicat adæquatè concepta, perfectionẽ dicit; & consequẽter relatiuã perfectionẽ à perfectione absoluta essentiæ distinctã. Minor cũ cõsequentia tenet. Maior autem ostenditur primo: eminentialis continentia perfectionis necessario supponit rationẽ perfectionis formaliter, sicut eminentialis continentia entitatis in non ente formaliter reperiri non valet; at personalitas diuina ratione sui, quatenus ab essentia distincta, eminentialiter continet perfectionem subsistẽtiæ creatæ: tum, quia prout sic est mensura illius, sicuti & diuina Paternitas est id, à quo omnis Paternitas in Cœlo, & in terra nominatur.

Maior suadetur 1.

Tum etiam, quia quatenus ab essentia distincta supplet effectum subsistentiæ creatæ terminando humanam naturam; terminat enim illam sub eadem ratione, qua terminat diuinam essentiam: ergo prout distincta ab essentia est perfectio formaliter. *Secũdo.* Secundo: personalitas, prout ratione differt ab essentia, sanctificat immediate humanitatem Christi in sententia satis frequenti apud graues Thomistas; at sanctitas necessario est perfectio; cum debeat constituere subiectum sanctificatum obiectum congruum diuinæ dilectionis, quod non potest nisi à forma perfecta præstari: ergo prout distincta ab essentia est perfectio formaliter.

51 *Tertio* Tertio: si in Deo non daretur nisi vna persona, tunc Dei personalitas ratione sui, quatenus distincta à natura, diceret perfectionem; at nulla est ratio assignabilis, cur ex multiplicatione personarum in Deo admittat personalitas rationem perfectionis à natura distinctæ: ergo personalitas, prout ab essentia distincta, formaliter dicit perfectionem.

Quarto. Quarto: personalitas creata perfectionem dicit realiter modaliter à perfectione naturæ distinctam: ergo personalitas diuina perfectionẽ dicit virtualiter modaliter distinctã à natura diuina.

Quinto. Quinto: quod est melius, est perfectius, & cõsequẽter absolutè perfectum, sicut quod est bonum, perfectum est; at personalitas ratione sui melior est essentiæ diuinæ, quam personalitatis carentia: ergo est perfectior illa; & consequenter absolutè est ratione sui perfecta, & perfectio. Denique illa maior suadetur: perfectio formalis consistit in conuenientia ad illud, cuius est; sed personalitas diuina, quatenus ab essentia distincta, conueniens est personæ constitutæ; cum omne constituens, consonum, & conueniens sit constituto: ergo prout sic distincta est perfectio personæ constitutæ; & cõsequenter admittenda erit in persona diuina perfectio relatiua à perfectione essentiæ distincta.

52 *Aliquorũ solutio reijcitur.*

Huic argumento quidam ex nostris respondent concedendo relationes diuinas sub ratione formæ hypostaticæ dicere perfectionem à perfectione essentiæ distinctam ratione: vnde conclusionem nostram restringunt ad relationem sub conceptu *ad*, & munere respicientis. Cui solutioni libentissime assensum præberem, si argumenta ab inconuenienti pro nostra sententia posita, quæ potissime difficultatem habẽt, contra illam non militarent; quia tamen in hac solutione necessario admittendæ sunt plures perfectiones reales, sicuti admittuntur plures subsistentiæ; & consequenter vna altera debet esse perfectior: deinde iuxta illam quælibet persona diuina aliqua perfectione formaliter debet carere, quæ sunt incõueniẽtia, quib⁹ potissime fidit Thomistarum sẽtentia.

Vera traditur.

Ideô prætermissa hac solutione ad argumentum factum respondeo negando maiorem, ad primam probationem dicatur, quod sicut, quamuis personalitas diuina relatiua sit, continet eminenter subsistẽtiam creatam eo quod licet non explicet rationem absolutam, implicat tamen illam; ita similiter, quamuis perfectionem non explicet, quia implicat illam, potest perfectionem subsistentiæ creatæ eminenter continere, & illius effectum præstare.

53 *Ad 2. maioris prob.*

Ad secundam distinguo maiorem: ratione illius, quod explicat, & ab essentia distinguitur, nego maiorem: ratione implicati, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam licet forma, quæ sanctificat, in hac sententia relatio sit, ratio autem *sub qua* hæc forma sanctificat, non est id, quod explicatur, sed quod implicatur in illa, ad quod sufficit, quod relatio, quæ sanctificat, implicet in se ipsa perfectionem essentiæ.

Ad 3. & alias probationes.

Ad tertiam, concessa maiori, nego minorem: ratio autem est, quã pro conclusione assignauimus: tunc namque personalitas absoluta adderet entitatem absolutam; & consequenter adderet perfectionem, modo autem nihil addit absolutum, & id circo, nec perfectionem addit; quia ratio perfectionis in absoluto consistit. Et per hoc ad quartam probationem constat solutio. Ad quintam distinguo maiorem: quod est melius positiue, concedo maiorem: quod negatiue solum est melius, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: quia personalitas ratione illius, quo differt ab essentia, non est positiue melior sui negatione, sed solum negatiuê, positiuê autem solum est melior ratione essentiæ inclusæ. Ad vltimam distinguo maiorem: consistit in cõueniẽtia vt est in actu existẽtiæ, vel vt exprimit ordinem ad illam, concedo maiorem: sine tali expressione, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequẽtiam. Quæ solutio clare constat ex *vltima probatione nostræ tertiæ cõclusionis*.

54 *Sed obijcies.*

Sed obijciet aliquis: omnipotentia addit perfectionem ad diuinã essentiam; & tamen non explicat ordinem ad existentiam: ergo sola implicatio ordinis ad existentiam sufficit, vt addatur ad essentiam perfectio. Probatur minor: omnipotentia consistit in vi productiua cũ termino producibili connexã; at in hac connexione non explicatur ordo ad existentiam: ergo non explicat ordinem ad illam. Respondeo, in vltima differentia, seu quasi differentia omnipotentiæ, esse cõceptum cõnexionis cum termino, & quasi ordinis ad subiectum, & licet sub primo non exprimat ordinem ad existentiam, bene tamen sub secundo: vnde adæquatê concepta ordinem ad existentiam exprimit.

Resp.

Sed instabis 1.

Sed instabis primo, secundum conceptum cõnexionis addit omnipotentia perfectionem; & tamen sub tali conceptu non exprimit ordinem ad existentiam: ergo sine tali expræsione exprimitur perfectio.

Secũdo.

Secũdo: relatio diuina adæquata cõcepta etiã dicit ordinẽ adsubiectũ: ergo prout sic ordinẽ

ex-

exprimit ad existentiam ; & consequenter perfectionem dicit.

Resp. Respondeo ad primam replicam , connexionem omnipotentiæ cum termino producibili adæquatè conceptam exprimere ordinem ad subiectum, licet cõcepta inadæquatè talem ordinem non exprimat ; & consequenter conceptam adæquatè ordinem exprimere etiam ad existẽtiam. Ad secundam concesso antecedenti, nego consequentiam : nam cum totum esse relationis sit referre, nihil potest respicere, nisi illud referẽdo ad suum correlatiuum: & quia subiectum refert ad correlatiuum, existentiam autem suam non potest referre ad illud ; consequens fit, quod respiciat subiectum , non tamẽ exprimat ordinem ad existentiam, nisi ratione diuinæ essẽtiæ absolutæ, quam imbibit.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

55 *Primũ corollariũ. Probatur.*

EX dictis colligitur primo, relationes non addere ad essentiam bonitatem relatiuam, cuius cõtrarium docuit Molina *vbi supra solutione ad tertium.* Probatur primo: quia Augustinus quæstiunculis de Trinitate in principio inquirens, *Cur tres personas , non tres Deos, nec tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos dicere fas est?* respondet ; *quia Deus, & omnipotens, & magnus, & bonus, & æternus, substantialia nomina sunt, & ad vnum dicuntur, ideo non licet ea plurali nomine dicere, sed singulari, & omne nomen , quod substantiam Dei, vel essentiam significat semper singulari numero proferendum est: Pater autem , & Filius relatiua sunt nomina , & ideo tres personæ rectè dicuntur* ; at si relationes ad essentiam adderent relatiuam bonitatem, multiplicaretur realiter bonitas, & tres boni dicerentur personæ diuinæ, non solum *adiectiuè*, sed etiam *substãtiuè*, vt cõstat ex dictis *in secunda conclusione* : ergo relationes non addunt ad essentiam bonitatem relatiuam.

Secũdo. Secundo : nam iuxta D. Thomam *supra quæst. 5. art. 1.* bonum idem est, quod perfectum cum ordine ad appetitum : ergo si relationes perfectionem entitatiuã non addunt ad essentiã diuinam, vt fatetur Molina, nec possunt addere bonitatem.

Tertio. Tertio: nam si bonitatem adderent ratione à bonitate essentiæ distinctã, cum non esset bonitas medij , esset bonitas vltimi finis; at non possunt addere bonitatem vltimam finalem, aliàs darentur plures vltimi fines relatiui , quod nullus concedit, sicut nec plura prima relatiua effectiua principia: ergo non addunt ad essentiam bonitatem relatiuam.

56 *Secũdũ corollarium.*

Colligo secundo, relatiuas proprietates adorandas esse adoratione *Latriæ*, & non solum personas distinctas, cuius contrarium vt probabile docet Molina *ibidem solutione ad 5.* Probatur: non solum persona, sed etiam personalitas vt ab essentia distincta , claudit in suo conceptu diuinam essentiam ; & consequenter eius perfectionem, & eius bonitatẽ: ergo non solum personæ à proprietatibus distinctæ adorãdæ sunt adoratione *Latriæ*, sed etiam proprietates ipsæ, & si ratio terminandi dictã adorationem non sit, quod explicat relatiua proprietas , sed essentia inclusa in illa.

57 *Tertiũ.*

Colligitur etiam , relationem creatam perfectionem relatiuam nõ dicere. Patet : nam ratio à priori cur diuina relatio perfectionẽ relatiuam non addit, vel est, quia subiectum respicit in illo non sistendo , vt

volũt graues Thomistæ, vel quia ordinem ad existẽtiam non exprimũt, qua ratione vsi sumus; at hæc duplex ratio pari efficacia de relatione creata conuincit, vt consideranti absque difficultate cõstabit: ergo vel ad alia principia recurrendum est ad negãdas diuinis relationibus perfectiones relatiuas, vel id ipsum de relatione creata est dicendum,

58 *Instantiæ diluũtur.*

Quod si in contra opponatur primo Aristoteles diuidens perfectionem per omnes entis cathegorias. Secundo, quod relatio ratione sui appetibilis est; sed appetibilitas supra bonitatem fundatur: ergo ratione sui dicit bonitatem. Denique, quod ratione sui est conueniens, & consona subiecto; & consequenter perfectio formalis. Respõdeo ad primam, vel Aristotelem loquutũ fuisse summa cum latitudine pro quauis integritate, vel solum de prædicamentis absolutis. Ad secundam, negando maiorem. Ad tertiam, illud nõ sufficere, nisi exprimatur ordo ad existentiam, quem relatio ratione sui non exprimit, ob rationem iam assignatam: Vnde licet existentia relationis, quia absoluta est, sit perfectio, ipsa tamen relatio, quatenus ab existentia distincta, perfectio relatiua non est.

59

Denique infero contra nostrum Albelda, quod si relationes inter se comparatæ dicunt perfectionem relatiuam, etiam comparatas cum diuina essentia dicere perfectionem illi superadditam, illamque perficere. Quod patet: nam quia relationes inter se comparatæ dicunt entitates relatiuas distinctas, comparatæ cum essentia dicunt entitatem relatiuam essentiæ superadditam: ergo si inter se comparatæ perfectiones relatiuas important, cum essentia comparatæ perfectiones erunt, & perfectionem addent ad essentiã. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in 1. distinct. 19. §. *Sciendum tantam esse æqualitatem in Trinitate, vt ait Augustinus lib. 8. de Trinitate, vt non solum Pater non sit maior, quam Filius, sed nec Pater, aut Filius simul aliquid maius sint, quam Spiritus Sanctus.* *M: Sẽt.*

(?)

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA NONA.

An diuinæ relationes gaudeant existentijs relatiuis ratione distinctis ab existentia essentiæ, & realiter inter se?

§. I.

Relatis sententijs, vera eligitur, & examinantur aliquorum rationes pro illa.

Nu. 1. *Dari in Deo existentiam absolutam probat.*

IN hac disputatione aliquid vt omnino certum supponimus, & aliud in examen vocamus. Illud est dari in Deo existentiam communem absolutam, & essentialem, quod communiter docetur à Theologis, vno, vel altero excepto, quos refert, & refellit Suarez 1. *tomo in 3. partem disp. 11. sect. 1.* qui confundentes existentiam cum subsistentia, sicut illam negant in Deo, ita & primam excludunt ab ipso Cõtra quos nostra suppositio manifeste suadetur primo ex illo exodi 3: *Ego sum qui sum, qui est misit me ad vos*, vbi nomen *qui est* existentiã, & non solum essentiam significat: at nomen hoc essentiale esse dicunt Augustinus *lib. 12. de Trinitate cap. 2.* Basilius citatus *in catena Lypomani*, & alij Patres communiter: ergo agnoscenda est in Deo existentia essentialis absoluta, & communis.

2 *Secũdo.* Secundo: in Deo est vna æternitas absoluta, & essentialis, iuxta illud Athanasij, *non tres æterni, sed vnus æternus*, vnica ratio increati, iuxta illud; *non tres increati, sed vnus increatus*, vnicum attributum im-

mutabilitatis eſſentiale, & ratio actus puri eſſentialis, & communis, omnem prorſus potentialitatem excludens; at æternitas, cũ duratio ſit, eſt idẽ cũ exiſtẽtia, vel exiſtẽtiã neceſſario ſupponit; ratio etiã increati, vel conſiſtit in exiſtere à ſe, vel ſupponit exiſtẽtiam, ſicut ratio creati exiſtentiam inuoluit neceſſario; immutabilitas etiam, cum ſupponat ſummam actualitatem, & in exiſtendi neceſsitate conſiſtat, exiſtentiam ſupponere debet: ac denique ratio actus puri in ſumma actualitate conſiſtens ipſiſsimam exiſtentiam deſignat: ergo neceſſario eſt admittenda in Deo exiſtentia abſoluta eſſentialis, & communis.

3 *Deniq; ſuadetur.*

Denique ſuaderi poteſt ex eo, quod aliàs ex effectibus naturalibus poſſet aſsignari Trinitas exiſtentiæ diuinæ; & conſequenter naturaliter cognoſci poſſet Trinitas perſonarũ; conſequens eſt abſurdum: ergo & illud ex quo ſequitur. Patet ſequela: nam ex effectibus cognitis cognoſcitur naturaliter Deus vt exiſtens: ergo ſi Deus non exiſtit exiſtẽtia abſoluta, & communi, ſed relatiua, ex his poterit naturali lumine cognoſci Trinitas exiſtentiæ diuinæ.

Confir.

Et confirmari poteſt: ſi namque non daretur in Deo vna omnipotentia abſoluta, & communis, ſed tantum triplex relatiua, ex effectibus naturalibus poſſet triplex omnipotentia cognoſci; eo quod ex illis cognoſcitur Deus vt omnipotens: ergo ſi non gaudeat vna exiſtẽtia communi, ſed tribus relatiuis, poterit ex illis cognoſci Trinitas exiſtentiarum: manet ergo firmum dari in Deo vnicam exiſtentiam eſſentialem abſolutam, quod adeo certum plures Auctores exiſtimant, vt oppoſitum cenſeant erroneum.

4 *Prima ſentẽtia*

Quod in diſidium vertimus eſt, an ſicut præter realitatem eſſentiæ dantur tres realitates relatiuæ ratione diſtinctæ ab eſſentia, & realiter inter ſe, ita præter abſolutam exiſtentiam dentur in Deo tres exiſtentiæ relatiuæ realiter inter ſe diſtinctæ, & ratione ab exiſtentia abſoluta eſſentiæ? Prima ſententia affirmat, quam tenet Albertus *in 1. diſt. 23. art. 1. ad 2.* Scotus *diſt. 11. quæſt. 2. ad 1. 1. ſententiæ.* Ricardus *in 1. diſt. 1. q. 2. ad 1.* ex Thomiſtis Medina *3. p. q. 19. art. 2. dub. 3.* & Zumel *in præſenti*, ex Patribus Societatis Suarez *3. p. diſp. 11. ſect. 2. & lib. 5. de Trinitate cap. 5.* Arrubal *diſp. 104. cap. 3.* Quos alij Recentiores ſequuntur.

Albert. Scotus. Ricard. Medina Zumel. Suarez. Arrubal

5 *Secũda ſentẽtia deffenditur.*

Secunda negans eſt, quam tenet Durandus *in 3. diſt. 1. quæſt. 2.* Capreolus *in 1. diſt. 26. q. 1. ad 4.* Aureoli *contra 3. concl. & diſt. 33. quæſt. 1. ad 5. & in 3. diſtinctione 1. q. 1. ad 2. & diſtinct. 5. quæſt. 1. ad 5.* Caietanus *in hac quæſt. art. 2.* Bañez *infra quæſt. 40. art. 4. dub. 2.* Salmanticenſes *diſp. 7. dub. vnico* Albelda *diſp. 6. ſect. 1.* Magiſter à Sancto Thoma *diſp. 13. art. 3. num. 20.* Marcus de la Serra *in hac q. art. 2. dub. 3.* eſtque apud Recentiores Thomiſtas communis. Illam ex Patribus Societatis ſequuntur Vazquez *diſp. 126. cap. 2. & 3.* Beccanus *Tract. 2. cap. 3. quæſt. 8.* Turrianus *diſp. 10. dub. 4* Granadus *tract. 5. diſp. 1. ſect. 3.* Ruicius relatus ab Alarcon *tract. 5. diſp. 4.* qui etiam illã probabilẽ reputat, ne ſuum Vazquez deſerat, etſi forte, quia Vazqz in hac parte Thomiſta, non plene illum ſequatur, ſed oppoſitæ, vt probabiliori det patrocinium. Tenet etiã illam Meracius *diſp. 59. ſect. 2.* Quæ ſententia ſit noſtra concluſio.

Durãd. Capre. Aureol. Caiet. Bañez, Salm. Albelda S. Tho. Serra. Vazq. Beccan. Turria. Gran. Alarcõ.

6 *Ratione illã probat Vazquez.*

Concluſionem iſtam probant Recentiores ratione deſumpta ex Vazquez in hunc modum; quia etiã ſi alij modi ſe ipſis exiſtant exiſtentijs diſtinctis ab exiſtentijs rerum, quas modificant, modi tamẽ exiſtẽtiæ non addunt exiſtentiam diſtinctam; at perſonalitates diuinæ ſunt modi exiſtentiæ, ſeu exiſtendi: ergo non gaudent exiſtentijs relatiuis diſtinctis ab exiſtentia diuinæ naturæ. Maiorem probant in natura humana, quæ ſiuẽ per ſe exiſtat, vt ſit in nobis, ſiuẽ exiſtat in alio, vt contingit

in Christo, nó censetur nouam existẽ tiam accipere, sed nouum existendi modum; eo quod *esse in se*, vel *in alio*, sunt modi existendi. Secundo in accidentibus, quæ siue existant in subiecto, siuè extra subiectum, vt in Eucharistia contingit, semper retinent eandem existentiam, etsi mutẽt modum existendi: ergo modi existẽtiæ existentiam non addunt. Tertio id probant à priori: nam modus distinguitur à re, quam modificat, nec addit ei aliquid eiusdem rationis: ergo modi existendi ab existentia differunt, nec existentiã addere possunt.

7 *Prædictũ fundamentũ reijcitur.*

Hæc tamen ratio nullius roboris est, aut efficaciæ: si namque alij modi se ipsis sunt extra nihil, & nõ ratione rei modificatæ, quo circa se ipsis existunt existentijs à rei modificatæ existentia distinctis, nulla est repugnãtia in hoc, quod modus existendi se ipso extra nihil ponatur, gaudeatque ex consequenti existentia distincta ab existentia modificata. Quod probo primo: nam modi entitatis possunt addere entitatem modalem, nec ex hoc sequitur esse eiusdem naturæ cum re modificata: ergo etiam modi existendi possunt addere modalem existentiam distinctam modaliter ab existentia modificata: ergo etiam si existentiã modificent, possunt addere existẽtiam incompletam, & modalem: nam hoc ipso, quod existentia modi sit existẽtia modalis, non est eadem, nec eiusdem rationis cum existentia modificata.

Assumptum probatur primo.

Secũdo.

Secundo: nam modi subsistentiæ possunt addere subsistentiam distinctam, quod licet neget Vazquez, cõceditur tamen ab alijs, qui ratione facta vtuntur: ergo modi existentiæ poterunt etiam addere existentiam distinctam, nisi ex alio capite repugnet, quod repugnantiæ caput non traditur ab his Authoribus. Nec exẽpla adducta quidquam conuincunt. Non primum, quia falsum assumit; cum humanitas in veriori sententia non habeat in Verbo existentiã propriam, sed solius Verbi existentia in Christo Domino existat, de quo *in 3. p.* & dato, quod ibi eandem existentiam haberet, quam habet quãdo in se subsistit, respondent contrarij primo, humanitatem non existere existentia modi, sed propria, ex quo non probatur modum ipsum non gaudere propria sibi existentia distincta ab existentia humanitatis, quod in sententia Authorum, contra quos disputamus, reperiri non potest; cum asserant formam actuare materiam, quin existentia formæ actuet existentiam materiæ. Secundo, quod licet humanitas in vtroque statu gaudeat eadem existentia substantiali, habet tamen diuersam existẽtiam modalem. Ex quibus cõstat ad secundum exemplum ab Authoribus contrarijs adductum.

Exẽpla non vrgent.

8 *Aliorũ ratio.*

Secundo alij conclusionem nostram probant, ex eo quod licet personalitates diuinæ gaudeant actualitatibus realiter distinctis, quibus sint extra nihil, huiusmodi tamẽ actualitates non sunt existentiæ, sed sola actualitas, qua essentia extra nihil constituitur, existentia est; at personalitates diuinæ non habent essẽtias distinctas, aliàs darentur in Deo plures essentiæ, quod est absurdum: ergo nec gaudent existentijs distinctis. Sed nec ista ratio alicuius ponderis est: tum quia litigium reducunt ad quæstionem de nomine, an scilicet vocandæ, aut non vocandæ sint existentiæ, actualitates illæ relatiuæ? Quod licet recentiores quidã cõcedant, falluntur tamen, aliàs omnis quæstio tractans, an aliqua prædicata multiplicanda sint in diuinis, de nomine erit, vt cum disputatur *an sint tres æternitates? an tres immutabilitates? tres rationes increati? &c.* Tum etiam: nam ratio existentiæ consistit in hoc, quod sit actualitas, qua aliquid est extra nihil: ergo concessis diuinis relationibus tribus actualitatibus, quibus sint extra nihil, necesse est concedere tres existẽtias, sicut concessis tribus rationibus incommunicabilitatis, conceduntur tres personalita-

Reijcitur 1.

Secũdo.

tes.

Tertio. tes. Tum denique: nam hoc cõceſſo, non poſſunt relationes diuinæ extra nihil conſtitui ratione actualitatis eſſentiæ formaliter: ergo nec exiſtunt exiſtentia abſoluta eſſentiæ; cumque aliqua exiſtentia debeant gaudere, neceſſarium erit concedere tres exiſtentias relatiuas. Probo antecedens: res extra nihil conſtituta non poteſt per aliud formaliter extra nihil conſtitui, ſicut res incommunicabilis reddita, per nihil aliud poteſt formaliter incõmunicabilis reddi: ergo ſi relationes ratione ſui gaudent actualitatibus, quibus ſunt extra nihil, non poterũt extra nihil conſtitui formaliter ratione actualitatis eſſentiæ diuinæ.

9 *Tertia ratio reijcitur primo.*

Tertio alij pro noſtra concluſione ſic arguunt: exiſtentia diuinæ naturæ eſt infinita in ratione exiſtentiæ: ergo ſe ipſa abique alia exiſtẽtia ſuperaddita poteſt actuare, & exiſtentes reddere relationes diuinas; & conſequenter exiſtentijs relatiuis non gaudent. Sed nec iſta ratio conuincit, niſi aliunde adiuuetur, quod probo primo: nam ex eo quod entitas diuinæ naturæ infinita ſit, non licet colligere ſe ipſa conſtituere relationes in ratione entitatis, abſque entitate virtualiter ſuperaddita: ergo pariter ex infinitate exiſtentiæ naturæ, non rectê per immediatam conſequentiam colligitur ſe ipſa abſque exiſtentia virtualiter diſtincta poſſe relationes exiſtentes cõſtituere.

Secũdo. Secundo: nam ſubſiſtẽtia abſoluta eſſentiæ, ſi datur, infinita eſt; & tamẽ admittit ſubſiſtentias relatiuas virtualiter ab illa diſtinctas, quib⁹ ſubſiſtunt perſonalitates diuinæ: ergo ex infinitate exiſtentiæ præcisê, non rectê colligitur ſe ſola per excluſionem exiſtẽtiæ relatiuæ reddere exiſtentes perſonas.

Tertio. Tertio: nam per hoc ſolum quod exiſtentia abſoluta eſſentiæ ſibi idẽtificaret realiter formaliter exiſtentias relatiuas, & in ſuo conceptu clauderet illas eſſentialiter, ſaluaretur eius infinitas, ſicut infinitas eſſentiæ abſolutæ ob hanc idẽtitatem cum relationibus perfectê ſaluatur: ergo ex infinitate exiſtentiæ abſolutæ eſſentiæ diuinæ, nõ colligitur excluſio exiſtentiarum relatiuarum virtualiter diſtinctarum ab illa, niſi aliunde hæc ratio adiuuetur.

§. II.

Authoritate, & duplici ratione probatur.

10 *Prob. 1. teſtimonijs D. Tho.*

QVare omiſsis his argumentis, vt inſufficientibus ad noſtram roborandam ſententiam, probanda eſt in primis ex Angelico Doctore, qui vbicumque loquitur de exiſtentia perſonarum, & eſſentiæ, aſſerit eſſe vnã, & eãdẽ, nec in Deo eſſe aliud eſſe, niſi eſſentiæ diuinæ. Sic docet *in hac quæſtione art. 2. in corpore ad finem. Infra q. 39. art. 3. q. 40. art. 2. ad 2. 3. p. q. 17. art. 2. ad 3. q. 2. de potentia art. 6. q. 8. art. 2. ad 11. q. 1. de veritate art. 2. ad 18. Quodlibeto 12. art. 1. in 1. diſtinct. 1. q. 1. art. 2. diſtinct. 33. q. 1. art. 1. ad 1. Ad Annibaldũ ibidem,* & alibi paſsim. Verba illius in 1. ſententiarũ, poſtquam diſtinxit inter eſſe ſumptum pro quidditate, & pro actu eſſentiæ, quod idem ac exiſtentia eſt, hæc ſũt: *Et ſic dico, quod non oportet, quod eſſe eſſentiæ Diuinæ ſit ad aliud ſe habere: quia illud eſſe, in quo Paternitas, & eſſentia vniuntur, ſignificatur vt eſſe, quod eſt actꝰ eſſen-*

tiæ, non autẽ vniuntur in esse, quod significat definitio rei: quia alia est ratio Paternitatis, qua ad aliud refertur, & alia ratio essentiæ. Et ibidẽ solutione ad 1. hæc habet. *Dicẽdum, quod si aliqua duo sunt idẽ, secundũ id, quod idem sunt, in quocumque est vnum, est & alterum, Paternitas autem, & essentia diuina sunt idem secundum esse, & ideò sicut in Filio est esse essentiæ, ita & in Filio est esse Paternitatis; quia in diuinis non est nisi vnum esse, sed Paternitas habet aliquid, in quo non vnitur cum essentia, videlicet rationem Paternitatis, quæ est alia à ratione essentiæ, &c.* Ex his verbis tale formo argumentum, per quod præcluduntur contrariorũ effugia, quibus verba D. Thomæ conantur exeludere : distinctionem, quam D. Thomas concedit inter rationem Paternitatis, & rationẽ essentiæ, negat inter esse Paternitatis, & esse essentiæ; at inter vtriusque rationem solum est virtualis distinctio, vt cum D. Thoma ex ipso fatẽtur contrarij : ergo inter esse, seu existentiam vtriusque, virtualis distinctio nõ est, sed esse essentiæ est omnino formaliter, & virtualiter idem cum esse relationis; & consequenter existentia non multiplicatur in relationibus.

11 *Conf.* 1. Et confirmatur primo : nam D. Thomas indè probat esse relationũ esse idem, & vnum cum esse essentiæ, secus autem vtriusque rationes, seu quidditates; quia quidditas relationum se habet ad aliud, & relatiua est, esse autem relationis est absolutum; at formalitates absolutæ non multiplicantur realiter in relationibus, nec relationes addunt ad essentiam aliquid absolutum ab illa virtualiter distinctum : ergo existentia non multiplicatur realiter in relationibus, nec addunt existentiam virtualiter distinctam ab existentia essentiæ.

12 *Conf.* 2. Confirmatur secundo: nam D. Thomas ait, quod in diuinis non est nisi vnum, & idem esse ; at si præter absolutam existentiam essentiæ, essent tres existentiæ relatiuæ, negatiua hæc propositio esset falsa, sicut ista falsa est, & talis à D. Thoma iudicatur, ibi ; *in diuinis non est nisi vn.,& eadem ratio, seu entitas,* quia præter entitatem essentiæ, est entitas relationum virtualiter ab illa distincta : ergo iuxta D. Thomã non sunt admittendæ in diuinis existentiæ relatiuæ.

Confirmatur tertio : nam D. Th. *q.6.de potentia art.2.ad 11.* ait, quod in diuinis nullo modo est esse nisi essentiæ , sicut nec intelligere, nisi intellectus, & propter hoc sicut in Deo est tantum vnum intelligere, ita etiam vnum esse; at qui assereret præter intelligere absolutum essentiæ, esse in Deo triplex intellige re relatiuum, contextui D. Thomæ se opponeret: ergo illi manifeste cõtradicit affirmans præter esse absolutum essentiæ dari in Deo triplex esse relatiuum. 13 *Conf.* 3.

Deinde suadetur : in Deo non sũt tres essentiæ relatiuæ, sed vnica essẽtia absoluta, tum, quia id expressẽ docet Augustinus *lib.5.de Trinitate cap.*8. illis verbis : *Non dicimus in Deo tres essentias*:& D. Thomas *infra q.39.art.*5. *ad* 1. vbi explicans dictum illud Augustini, *Filius est essentia de essentia*, docet in rigore sermonis vsurpandum non esse; cũ inter Patrem, & Filium non detur essentiarum distinctio. Tum etiam , quia essentia diuina , & natura diuina , vsurpantur pro eodem ; in nullo autem sensu dantur in Deo tres naturæ etiam relatiuæ. Tum tertio ; quia aliàs concedendæ essent tres diuinitates relatiuæ in Deo; & consequenter tres Dij relatiuẽ; cum essentia idem prorsus sit, quod diuinitas: ergo nec dãtur tres relatiuæ existentiæ, sed vnica existẽtia absoluta. Patet consequentia; tũ, quia existentia conuertibiliter cum essentia se habet , cum illa proportionatur, & adæquatur; & consequẽter immultiplicata essentia, existentia multiplicari nequit. Tum etiam: 14 *Deinde prob. ratione.*

nam

nam eſſentia intimius comparatur ad entitatem, quam exiſtentia: ergo ſi ſtat multiplicatio realis entitatũ, non multiplicatis eſſentijs realiter in Deo, ſtare etiam poterit realis diſtinctio entitatum cum vnitate exiſtentiæ.

15 *Tertio prob. cõcluſio.*

Tertio probatur: in Deo nõ datur triplex ratio increati cum reali diſtinctione, ſed vnica, qua, & eſſentia, & relationes in ratione increati conſtituuntur, aliàs tres perſonæ eſſent tres increati *ſubſtantiuè*, cõtra illud Athanaſij: *Nõ tres increati, ſed vnus increatus*: ergo nec dãtur tres exiſtentiæ relatiuæ realiter diſtinctæ, ſed vna, qua exiſtant relationes, & eſſentia. Probo conſequentiam, primo à paritate: ſi namque vnica ratione increati relationes, & eſſentia conſtituuntur in ratione increati, cur etiam vna exiſtentia immultiplicata realiter non exiſtent relationes, & eſſentia? Secũdo à priori: ens namque diuinum cõſtituitur extra nihil, in quo exiſtentia formaliter conſiſtit, per eſſe increatum, ſicut ens creabile extra nihil ponitur, ſeu extra cauſas, per hoc quod eſt terminare creationẽ: ergo ſi tres relationes in vna reali ratione increati realiter immultiplicata cõueniunt, vna etiã exiſtentia immultiplicata realiter exiſtunt. Tum denique: quia nõ ſtat multiplicari realiter exiſtentiam diuinam, non multiplicata realiter ratione increati: ergo ſi hæc in diuinis relationibus non multiplicatur, nec exiſtentia multiplicari poterit. Probo antecedens: ratio increati conſiſtit in hoc quod eſt exiſtere à ſe; at datis tribus exiſtentijs in Deo, dantur neceſſario tres exiſtentes à ſe; cum cuiuis exiſtentiæ diuinæ repugnet poſitiuè habere eſſe ab alio tanquam à cauſa, in qua repugnantia poſitiua ratio increati conſiſtit: ergo ſi ratio increati non multiplicatur realiter in diuinis relationibus, nequit exiſtentia diuina realiter diſtingui, & multiplicari in illis.

16

Per quod excluditur euaſio, qua vim huius argumenti conatur Suarez effugere dicens relationes ratione ſui non eſſe *poſitiuè* increatas, ſed *negatiuè* tantum, *poſitiuè* autem ratione eſſentiæ: vnde cũ hæc immultiplicata realiter ſit, etiam immultiplicata manet in illis ratio increati. Hoc inquam effugium ex dictis præcluditur: ratio namque *poſitiuè* increati conſiſtit in exiſtentia à ſe *poſitiuè* repugnanti terminare cauſalitatem; at exiſtẽtiæ diuinæ, eo ipſo, quod talis ſit, ratione ſui repugnat ab alio cauſari: ergo ſi dantur tres exiſtentiæ realiter diſtinctæ in Deo, admitti etiam debent tres exiſtẽtiæ ratione ſui *poſitiuè* repugnantes cauſalitati ab alio; & conſequẽter *poſitiuè* increatæ ratione ſui.

Effugiũ P. Suarez excluditur.

17 *Si fortè dicatur*

Si forte dicatur, rationem increati non conſiſtere in habere eſſe à ſe per excluſionem ſolius cauſæ, ſed etiam virtualis principij; cumque relationes, & ſi ratione ſui habeant eſſe à ſe per excluſionem cauſæ, non tamen per excluſionem virtualis principij: omnes namque à diuina eſſentia vt à virtuali principio dimanant; hinc fit, quod ratio *poſitiuè* increati illis non competat ratione ſui, ſed ratione eſſentiæ; & conſequẽter, quod in illis non multiplicetur realiter.

In contrariũ arg.

In contrarium obſtat primo: voluntarie reſtringi rationem *poſitiuè* increati ad hoc quod ſit eſſe à ſe per excluſionem virtualis principij. Secundo: nam ratio increati *poſitiuè* conſiſtit in poſitiua repugnantia ad id, quo aliquid conſtituitur in ratione entis creati, at per habere virtuale principium, nihil conſtituitur in ratione creati, ſed ſolum per habere eſſe ab alio tanquam à cauſa: ergo ratio *poſitiuè* increati non conſiſtit in poſitiua repugnãtia cum virtuali principio, ſed cum terminatione realis cauſalitatis; & conſequenter eo ipſo quod diuinę relationes ratione ſui poſitiuè repugnent cauſalitati ab alio, etſi recognoſcant virtuale principium, erunt ratione ſui *poſitiuè* increatæ.

18 *Oppones contra rationem istam.*

Oppones, etsi diuinæ relationes non sint existentes à se, negari tamen non potest, quod sint entitates ratione sui; & consequenter, vel entitates à se, vel alio; cumque hoc secundum admitti non possit, necessario est asserendum esse entitates à se: ergo entitas à se multiplicatur realiter in illis; & tamen non multiplicatur ratio *positiuè* increati: ergo etiam si plures existentiæ concedantur in Deo, quarum quælibet sit existentia à se, poterit nihilominus negari, quod in illis multiplicetur ratio increati.

Conf. Et confirmabis: ratio entis creati non solum dicitur de ente existẽte per existentiam ab alio causatam, sed etiam de ente prædicamentali secundum sibi essentialia: ergo ratio increati non solum dicitur de existente à se, sed etiam de entitate à se tali; & tamen entitas relationum diuinarum multiplicatur realiter, nõ multiplicata ratione entitatis à se, seu ratione increati: ergo etiã multiplicari poterit realiter existẽtia diuina, nõ multiplicata realiter ratione essendi à se, nec ratione increati.

19 *Resp. ob iectioni*

Respondeo, relationes diuinas esse entitates ratione sui, non tamen habẽt ratione sui esse à se, vel ab alio, sed ratione essentiæ: nam cũ esse ens à se cõsistat in existẽtia à se, vel in proxima capacitate ad illam habendã, & hanc capacitatẽ non habeant relationes ratione sui, sed ratione essentiæ: consequens fit, quod ratio entis à se non competat illis ratione sui, sed ratione essentiæ, nec est necessarium, quod ex eodem capite illis cõueniat ratio à se, & ratio entitatis, quando entitas talis est, quod ratione sui non est capax proximẽ existẽdi, sed ratione alterius.

Ad cõf. Ad confirmationem dicatur, rationem entis creati dici de ente prædicamentali secundum sibi essentialia, si ratione sui capax sit existentiæ, secus autem si ratione sui capax existentiæ non sit, sed ratione alterius. Et idem dicendum est de ratione entis increati, vt constat *ex solutione data.*

Dices, materia prima hominis v.c. est entitas creata ratione sui; & tamen ratione sui capax existentiæ non est: ergo ratio entis creati dicitur de ente incapaci existentiæ ratione sui. Minor est certa in Thomistarum sententia non admittente in substantiali composito duplicẽ existentiam, partialem, nec materiã primam posse existere sine forma de potentia Dei absoluta. Maior autẽ probatur: materia prima est entitas creata realiter distincta ab anima rationali, nedum in ratione entitatis, sed etiam in ratione creatæ entitatis; at si non esset entitas ratione sui creata, sed solum ratione formæ, non distingueretur ab anima rationali in ratione creatæ, sicut in nostra sententia entitas relationis non distinguitur in ratione increatæ, adhuc per rationem, ab essentia diuina; quia ratione essentiæ, & non ratione sui, capax est existentiæ: ergo est entitas creata ratione sui.

20 *Replicabis.*

Respondeo negando maiorem, ad probationem cõcessa maiori, nego minorem, nec est simile de ratione increati conueniente diuinis relationibus ratione essentiæ: illis nãque taliter ratione essentiæ cõuenit, quod non potest ratione alterius ei conuenire existentia, & idcircò in ratione increati non distinguuntur vllo modo ab essentia: cæterum materiæ primæ hominis taliter conuenit existẽtia ratione animæ rationalis, quod potest ei ratione alterius formæ competere: & idcircó realiter distinguitur ab illa in ratione creatæ, quamuis ratione sui entitas creata non sit, sed ratione formæ in communi, cuius capax est prædicta materia.

21 *Resp.*

(?)

§. III.

Eadem concluſio alijs argumentis probatur.

22 *Quarto probat. cõcluſio*

QVarto principaliter ſuadetur concluſio : non dantur in Deo tres æternitates reales relatiuæ, aliàs cõcedi poſſent tres æterni *ſubſtãtiuè*, cõtra illud Athanaſij; *nõ tres æterni, ſed vnus æternus* ; ergo nec tres relatiuæ exiſtentiæ, ſed vna abſoluta, qua tres perſonæ exiſtant. Probo conſequentiam primo : nam ſi vna æternitate abſoluta tres perſonæ conſtituuntur in ratione æternarũ, cur etiã vna abſoluta exiſtentia non poterunt exiſtẽtes conſtitui ? Secundo : quia non ſtat multiplicati exiſtentiam, non multiplicata æternitate realiter; cum æternitas, vel ab exiſtentia non diſtinguatur, vel ſit modus illius : ergo ſi æternitas nõ multiplicatur realiter in perſonis, nec exiſtẽtia poteſt multiplicari.

23 *Reſp. 1.*

Reſpondebis primo negando antecedens, nec Athanaſius excludit tres æternos *ſubſtantiuè relatiuè*, ſed tres æternos *ſubſtantiuè abſolutè* ; licet autem concedantur tres æterni addito ly *relatiuè*, abſolutè tamen concedendi non ſunt: eo quod æternum abſolutè dictũ ſtat pro æterno æternitate abſoluta exiſtẽtiæ.

Sed contra 1.

Sed contra primo : conceſsis tribus exiſtentijs relatiuis realiter diſtinctis, debent abſolutè cõcedi tres exiſtentiæ: ergo & concedi debẽt abſolutè tres æternitates. Conſequẽtia tenet: nam iuxta hanc ſolutionem eo modo multiplicatur æternitas, quo exiſtentia : ergo ſi conceduntur abſolutè tres exiſtentiæ, abſolutè etiã debent cõcedi tres æternitates. Antecedens autem probatur : etenim iuxta Authores contrarios eo modo multiplicatur exiſtẽtia, quo res, aut entitas multiplicatur ; at res, aut entitas, taliter multiplicatur in perſonis realiter, quod non ſolum cũ addito, ſed etiam abſolutè dicũtur tres res, aut tres entitates : ergo nedum cum addito, ſed etiam abſolutè debent dici tres exiſtentiæ.

Contra ſecũdo.

Contra ſecundo: nam ſequitur ex hac ſolutione, poſſe ſalua fide, & abſque iniuria contextus Athanaſij, cõcedi tres Deos *relatiuè*, aut tres omnipotentes *relatiuè* ; conſequens eſt abſurdum, imõ, & hæreticum: ergo antecedens falſum. Probo ſequelam : nam Athanaſius eiſdem verbis, quibus negat tres Deos, aut tres omnipotentes, negat etiã tres æternos: ergo ſi abſque iniuria, & falſitate verborum illius, admitti poſſunt tres æterni *relatiuè*, illius verba interpretando de æternitate tali *abſolutè*, poterunt etiam ſalua fide concedi tres Dij, & tres omnipotentes *relatiuè*.

24 *Contra tertio.*

Tertio, & explicatur magis hoc ipſum: nã ſequitur ex hac ſolutione nõ eſſe immediatè de fide non eſſe tres Deos, aut tres omnipotentes *relatiuè*; conſequens eſt abſurdum, & à nemine admiſſum, quem viderim: ergo ſolutio tradita eſt nulla. Probo ſequelam : illa propoſitio eſt de fide immediatè, quæ abſque diſcurſu, & mediatione alicuius naturalis principij, in Scripturis, aut Conciliis, vel traditionibus habetur ; ſed admiſsis tribus æternitatibus relatiuis, quod non ſint tres Dij, aut tres omnipotentes *relatiuè*, non habetur immediate, ex reuelatione diuina ; cum præter illam neceſſarium ſit ad principia naturalia confugere, quibus probetur diuinitatem, & omnipotẽtiam talis eſſe naturæ, vt eis repugnet per relationes multiplicari, quæ

re-

repugnantia in æternitate non reperiatur: ergo non erit immediatè de fide non dari tres Deos, aut tres omnipotentes *relatiue*.

25 *Respondebis 2.* Respondebis secundo concesso antecedenti, negando consequentiã; ad primam probationem, esse discrimen, quod æternitas est attributum absolutum, secus autem existentia, & ideo existentia multiplicatur, secus autem æternitas. Ad secundam, cõuincere, quod duratio multiplicatur realiter, non autem, quod æternitas; hæc namque non est quæuis duratio, sed duratio omnium perfectissima, quam nulla relatio habet ratione sui, sed solum ratione naturæ, & ideo tametsi multiplicetur realiter duratio, non multiplicatur æternitas?

26 *Sed contra 1.* Sed contra primo: nam hæc solutio petit manifestè principium; rationem enim quærimus cur vna æternitate absoluta possunt relationes diuinæ æternæ constitui, & non possint sufficienter constitui existentes existentia absoluta essentiæ.

Secũdo. Secundo: duratio relatiua admissa est duratio carens principio, & fine: ergo est distincta à tempore, ab æu, & ab æternitate participata; at distinctum ab his omnibus in linea durationis æternitatem constituit: ergo quæuis relationis duratio æternitas est.

Tertio. Tertio; qualitas durationis sequitur rationem immutabilitatis; at immutabilitas relationũ, & essentiæ eadem est, & eiusdem omnino rationis, vt fatetur Suarez, cuius solutionem reijcimus *loco cit 3.p. relato §. dici potest primo*: ergo relationum duratio eiusdem rationis, & perfectionis est cum duratione essentiæ; & consequenter æternitas est.

Quarto Quarto; nam multiplicata existentia, necessario multiplicari debet in relationibus ratio actus puri; at hac multiplicata, immutabilitas etiam debet multiplicari; & consequenter æternitas, quæ supra immutabilitatẽ fundatur: ergo datis pluribus existentijs relatiuis, concedi etiam debent tres relatiuæ æternitates.

27 *Dices.* Dices, rationem actus puri dicere infinitatem simpliciter in genere entis, ea autem, quæ hanc infinitatem dicunt, multiplicari non possunt in Deo; quia infinitas simpliciter à sola essentia prouenit, quæ in relationibus non multiplicatur, & ideo nec ratio actus puri plurificatur in illis. *Sed contra* de ratione actus puri solum est ea infinitas, qua omnis potentialitas excluditur; at concessis pluribus existentijs relatiuis, quæuis illarum est ratione sui actualitas vltima omnem potentialitatem excludens: ergo quæuis ex illis gaudet ratione sui infinitate sufficiente ad rationem actus puri; & consequenter ratione sui actus purus erit. Ex quo vlterius sequitur, esse plures actus puros in Deo: nam vt contrarij admittunt, ea, quæ indifferenter conueniunt personis ratione essentiæ, & ratione conceptus relatiui, esto absolute non multiplicentur in Deo, plurificantur tamen cum addito, scilicet *relatiuè*.

28 *Deniq; respõdebis.* Denique respondebis, negando etiam dari plures durationes relatiuas, & disparitatem inter existentiã, & durationem constitues; nam existentia est ab entitate indistincta; & consequenter existentia relationis relatiua esse debet, ac proinde multiplicata in Deo; duratio autem ab existentia rei durantis distinguitur, & ad speciale prædicamentum pertinet, scilicet ad prædicamentum *quando*: vnde non oportet quod duratio relationis relatiua sit; cum quæ in Deo solum multiplicentur prædicata relatiua; hinc fit, quod datis pluribus existentis relatiuis, non colligitur admittendas esse plures durationes.

29 *Sed contra 1.* Sed contra primo: nam in sententia communi aduersariorum, duratio ab existentia rei durantis indistincta est: ergo vel tenentur deserere sententiam in sua schola communẽ, vel fateri, quod multiplicatis reali-

ter existentijs multiplicantur realiter durationes. Secundo: nam duratio est continuatio rei in esse: ergo si continuatio relationis in esse, non relatiua, sed absoluta esset, esse relationis non absolutum, sed relatiuū erit.

Secūdo.

Tertio.

Tertio: nam duratio rei conuenit ratione existentiæ, esto distinguatur ab illa: ergo vel existentia non multiplicatur in diuinis relationibus, vel duratio in illis debet multiplicari. Patet consequentia: quia namque immutabilitas sequitur ad rationem actus puri, & ad immutabilitatem æternitas, eo ipso, quod ratio actus puri multiplicetur in relationibus, fatentur contrarij debere in illis immutabilitates, & æternitates distingui: ergo si duratio sequitur existentiam, multiplicatis realiter existentijs, durationes etiam debent multiplicari.

30 *Effugiū excludi tur.*

Nec respondere sufficit, durationem consequi non ad quamuis existentiam, sed ad existentiam absolutam. Nam in contrarium obstat primo, nullam posse rationem assignari, cur duratio solum existentiam absolutam sequatur? Secundo: in creatis non solum sequitur duratio ad existentiam absolutam, sed etiam ad relationem: ergo in diuinis absq; fundamento alligatur duratio ad existentiā, quæ absoluta sit. Tertio: quia non solum absoluta existentia diuina continuatur in esse, sed etiam existentia relatiua habet esse propriū continuatum: ergo duratio non sequitur solum ad existentiam absolutam, sed ad existentiam communem absolutæ, & relatiuæ.

31 *Deniq; suadetur conclusio.*

Denique principaliter suadetur conclusio. existentia cuiuslibet entitatis, etiam relatiuæ, est prædicatū non relatiuum, sed absolutū; at quæ absoluta sunt, non multiplicantur realiter in Deo, vt communis Theologia fatetur: ergo non dantur plures existentiæ in illo, sed vna absoluta. Maior est D. Thom. expressa *in 1. distinc. 33. quæst. 1. art. 1. ad 1. & 2. & in eodem loco ad Annibaldum, quæst. vnica art. 1. ad 2. & quodlibeto 12. art. 1.* quibus in locis affirmat, existentiam relationis diuinæ, & creatæ, non relatiuam, sed absolutam esse.

32 *Maior est D. Tho. & ostenditur 1.*

Et probatur primo: nam, vt fatetur Suarez, æternitas relationis diuinæ non relatiua, sed absoluta est, &, vt docet Arrubal, duratio relationis creatæ, & relationis diuinæ, non est relatiua, sed absoluta: ergo pariter existentia relationis, siue creatæ, siue diuinæ, non relatiua, sed absoluta erit. Patet consequentia. duratio namque est continuatio entitatis in esse: ergo si continuatio relationis in esse non relatiua, sed absoluta est, pariter de existentia relationis dicendum erit.

Secūdo.

Secundo: & si entitas relationis diuinæ relatiua sit, summa tamen eius actualitas, & ratio actus puri, non est relatiua, sed absoluta: ergo pariter, & si entitas relationis diuinæ relatiua sit, existentia tamen eius non relatiua, sed absoluta erit. Patet consequentia: tum à paritate, tum etiam, quia per id constituitur in ratione existentis, per quod in ratione actus puri, & summè actualis.

Tertio.

Tertio probatur: existentia relationis ei cōuenit respectiuè ad subiectum, quia in existentia est, & ad entitatem eius comparatur vt actus; at in respicientia ad subiectum non reperitur prædicamentalis relatio, nec in actuanda entitate relationis talis respectus exprimitur; cum non fiat comparatio cum termino, sed cum relationis entitate: ergo existentia cuiuslibet relationis non est absoluta, sed necessario debet esse relatiua.

33 *Dices.*

Dices, quod sicut subsistentia relationis, esto non exprimat ordinem ad terminum, illum tamen involuit implicitè, & hoc sufficit vt relatiua sit, ita similiter existentia relationis relatiua est; quia licet non exprimat, involuit tamen ordinem ad terminum. *Sed cōtra:* nam quidquid sit an dentur in rela-

Sed cōtra.

tio-

tionibus plures ſubſiſtentiæ relatiuæ, aut non, de quo *infra*, ratio tamen cogens vt ſubſiſtentia relatiua aſſeratur involuens reſpicientiam ad terminum, in exiſtentia relationis non militat: ergo exiſtentia relationis tecdum non exprimit, verum etiam non implicat adæquate reſpectum ad terminum; & conſequenter abſoluta eſt. Probo antecedens: ratio, qua cõuincũtur communiter Theologi vt aſſerant dari ſubſiſtentias relatiuas in Deo, ea eſt; quia de ratione perſonalitatis, de cuius conceptu eſt vt ſit ſubſiſtentia, eſt, quod perſonam incommunicabiliter ſubſiſtentem conſtituat, quod niſi relatiua ſit, non poteſt præſtare; at hæc ratio reſpectu exiſtentiæ relationis non militat; cum de conceptu exiſtentiæ non ſit, quod incommunicabiliter exiſtens conſtituat: ergo ratio cogens ad hoc quod ſubſiſtentia relatiua admittatur, non militat reſpectu exiſtentiæ.

34 *Dices.* Dices, quod licet de conceptu exiſtentiæ non ſit incommunicabilitas, eſt tamen de conceptu exiſtentiæ relationis diuinæ; eo quod cum non diſtinguatur à diuina relatione, ſi relatio eſt incommunicabilis, etiam eius exiſtentia incommunicabilis eſſe debet.

Sed cõtra. Sed contrà: &ſi exiſtentia relationis non diſtinguatur realiter ab illa, differt tamen ab illa virtualiter, & per rationem, ſicut docet Suarez, & alij contrarij communiter de exiſtentia entitatis creatæ, quod, ſcilicet, differt ab illa virtualiter, & per rationem; at ex identitate reali, ſi admittatur virtualis diſtinctio, non infertur, quod ſi entitas relationis relatiua eſt, exiſtentia etiam debeat eſſe relatiua, vt conſtat in prædicatis omnibus abſolutis diuinis, quæ identificãtur realiter cum relationibus: ergo nulla eſt neceſsitas cogens ad hoc, quod exiſtentia relationis ſit relatiua.

35 *Reſpondebis.* Dices, quod licet in creatis ita contingat, quod exiſtentia ratione, & virtualiter differat ab eſſentia, in divinis tamen id non poteſt admitti, ob ſummam actualitatem cuiuſuis entitatis diuinæ.

Sed contra 1. Sed contra primo: ratio ſummæ actualitatis idem eſt, quod ratio actus puri; at ratio actus puri ratione, & virtualiter differt à relationibus; cum competat illis ratione eſſentiæ, vt fatetur Suarez *tertia parte loco allegato §. & iuxta hanc doctrinam*: ergo ex ſumma actualitate entitatis diuinæ, non infertur, quod exiſtentia ab illa virtualiter non diſtinguatur.

Secundo. Secundo: eſſentia diuina, & conſequenter illius exiſtentia, tranſcendit diuinas relationes, vt Nobiſcum docuit Suarez relatus *diſputatione ſeptuageſima ſeptima*: ergo ſicut eſſentia dat ſuum eſſe relationibus, ita exiſtentia, quæ in illis tranſcendentaliter incluſa inuenitur, illas exiſtentes conſtituit; & tamen ab illis virtualiter diſcriminatur: ergo non eſt contra rationem entitatis diuinæ exiſtere per exiſtentiam virtualiter ab illa diſtinctam; & conſequenter ex conceptu diuinæ entitatis perperam colligitur, quod ab exiſtentia ſit etiam virtualiter indiſtincta.

36 *Hucuſque dicta confirmantur.* Ex quo hucuſque dicta in hunc modum confirmo: non ſtat eandem entitatem duplici exiſtentia actuari; at entitas diuina relationum exiſtens redditur per exiſtentiam abſolutam eſſentiæ: ergo exiſtentia relatiua non gaudet virtualiter ab illa diſtincta. Probo maiorem primo: exiſtentia, vt abſtrahit à creata, & diuina, conſiſtit in hoc, quod eſt aliquid extra nihil conſtitui, at entitas ſemel extra nihil poſita, non poteſt iterum extra nihil conſtitui: ergo nihil poteſt duplici exiſtentia actuari.

Secundo: nam, vt docet Suarez *loco ex prima parte relato numero quarto*, eſſentia diuina non exiſtit per exiſtentias relatiuas, ſed

ſolum exiſtentia abſoluta; at ſi poſſet aliquid duplici exiſtentia actuari, nulla eſſet ratio cur diuina eſſentia non exiſteret per exiſtentias relatiuas, imo id neceſſarium eſſet concedere; cum relationes ſua entitate eſſentiam modificent; & conſequenter, ſi capacitas eſſet, relationum exiſtentiæ ſuum quaſi effectum formalem deberent eſſentiæ tribuere: ergo non ſtat quod aliqua entitas duplici exiſtentia conſtituatur exiſtens.

37 *Si opponas.* Si opponas contra iſtam rationem Aug. 7. de Trinitate cap. 6. vbi ait *Pater ad ſe dicitur perſona, & non ad Filium*: ergo ratio perſonæ abſoluta eſt in diuinis; & tamē multiplicatur: ergo eſtō exiſtentia ad ſe dicatur, multiplicatur.

Reſp. Reſpondeo, rationem perſonæ dici ad ſe ex parte modi ſignificandi, non tamen ex parte rei ſignificatæ: vnde in eſſe rei non abſoluta, ſed relatiua eſt, quamuis *perſona* nomen abſolutum ſit, & ideo multiplicatur perſona in diuinis; exiſtentia autem relationis eſt abſoluta ex parte rei ſignificatæ, ideo que multiplicari nō poteſt. Quo modo autē ſtare poſsit, quod *perſona* ſit nomen abſolutum, quamuis relationem ſignificet, ex dicendis *infra diſputa* 82. conſtabit.

(?)

§. Vltimus.

Contrariorum argumentis occuritur.

COntra iſtām concluſionē obijciunt contrarij Autores primo Auguſtinum 5. de Trinitate cap. 6. & lib. 7. cap. 4. vbi ait, *aliud eſt eſſe Deum, aliud eſſe Patrē*, quod de diſtinctione rationis exponit D. Thomas *in hac quæſtione art.* 2. quem modū loquendi imitantur Anſelmus *lib. de proceſſione Spiritus Sancti in principio*, & Magiſter *in* 1. *diſtinctione* 28. §. *præterea*; at illud eſſe reale eſt actuale: ergo exiſtentia Dei abſoluta, & exiſtentia relatiua virtualiter diſtinguuntur.

38 *Obijciunt* 1. *Auguſtinum.*

Reſpondeo ex doctrina D. Th. locis *ſupra* relatis præcipue *in* 2. *diſtinc.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 1. eſſe ſumi dupliciter, primo pro ratione explicata per diffinitionem, ſecundo pro eſſe exiſtentiæ: quando ergo Auguſtinus affirmat, quod aliud eſt eſſe Deum, aliud Patrem eſſe, loquitur de eſſe in priori acceptione, ſecus in poſteriori, ex hoc autē, quod ratio exiſtentiæ, & ratio Paternitatis, actuales ſint, non colligitur diſtincta actualitate gaudere, vt conſtat ex dictis, & amplius ex dicendis conſtabit, ſicut nec ſequitur ex hoc quod ſint ſummē actuales, & actus puri, quod detur in illis duplex ratio actus puri, aut ſummæ actualitatis, diſtincta virtualiter.

39 *Reſp. ex doctrina D. Thomæ.*

40 *Obijciunt secũdo.*

Obijciunt secundo : quælibet realis productio tendit in existentiã rei productæ, quæ aliàs sine tali productione non esset ; sed personalis productio in diuinis non tendit ad existentiam absolutam essentiæ; tum, quia existentia essentiæ non producitur : tum etiam , quia supponitur in persona producente: ergo necessario tendit , vt in terminum proximum, in existentiam personalem relatiuam ratione distinctã ab existentiá essentiæ.

41 *Resp.*

Respondeo distinguendo maiorem: tendit in existentiam vt producendam, vel vt communicandam entitati productæ,concedo maiorẽ: semper producendam , nego maiorem,& nego minorem,quam non cõuincunt duæ probationes, non prima ; quia licet productio ad existentiam debeat terminari, non tamen debet illam producere. Nec secunda; quia licet existentia essentiæ supponatur in Patre pro priori originis ad Filium,non tamen supponitur vt Filio communicata,& idcirco generatio tendit ad illam non producendam , sed Filio communicandam. Et quidem principalius tendit productio ad terminum formalem sui, quã ad existentiã rei, quæ terminus formalis non est ; & tamen diuina productio , quæ in sententia contrariorum terminus formalis productionis personalis est , non producitur , sed communicatur : ergo licet tendat, & terminetur ad existentiam , perperam colligitur esse debere productam. Et ratio à priori est : nam rem producere , est illam constituere existentem , quod cum fieri possit, vel producendo existentiam , vel existentiam alia actione productam, seu de se inproductam , communicando , ideo non est de conceptu productionis existentiam producere.

42 *Sedre plicabis 1.*

Sed oppones primo: productio sub conceptu productionis ad nihil potest terminari,nisi ad productum, sicut cognitio,& visio, ad nihil terminari valent, nisi ad visum,& cognitum: at productio personalis terminatur ad existentiam relatiuam: ergo illam producit.

43 *Resp.*

Respondeo distinguendo maiorem : ad productum vt *quod*, vel vt *quo*, formale, aut completiuum, concedo maiorem : nisi ad productum vt *quod*, nego maiorem , & concessa minori , nego consequentiam , vel distinguo consequens: illam producit vt *quod*, nego consequentiam : vt *quo* completiuè, concedo consequẽtiam. Itaque, sicut ex parte producentis vt *quod* , & est id, quod agit, scilicet persona , & principium *quo*, scilicet forma in creatis , & in diuinis essentia, & complementum, scilicet existentia ; ita ex parte termini producti datur id , quod producitur, terminus *quo* formalis , & complementum , primum debet esse productum, secundum in diuinis non producitur vt *quod* , sed vt *quo*; cum terminus formalis sit essentia , & similiter tertium, quod est existẽtia, non oportet quod productum sit vt *quod*, sed tantum vt *quo*, non vt *quo* formaliter , sed vt *quo* completiuè. Nec exempla in oppositum nocent, imo primum fauet: intellectio namque omnis habet pro obiecto *quo* ens, non tamen per omnem intellectionem vt *quod* intelligitur, sed per primam , quando namque intelligo hominẽ, nõ intelligitur ens vt *quod*, sed tantum vt *quo*, saltim explicitè, quod si implicite vt *quod* intelligitur, est quia continetur intra sphærã vt *quod* intelligibilis, existentia autem, sicuti, & natura diuina , non cõtinetur intra sphæram producibilis vt *quod*, & ideo necessarium non est, quod vt *quod* producatur.

44 *Replicabis 2.*

Oppones secundo : existentia est forma, qua aliquid cõstituitur extra nihil ; at eo ipso quod essentia sit improducta, Filiatio autem producta sit, differunt in hoc quod est esse extra nihil; cum vna extra nihil sit sine productione,& à se,& altera productione mediante , & ab alio vt principio : ergo eo ipso differunt in ratione existentiæ; non enim stat diuer-

ſitas in effectu, ſeu quaſi effectu formali, abſque differentia in forma, aut quaſi forma.

45 *Reſp.* Reſpondeo, ad rem extra nihil ponendam concurrere duplicè entitatẽ, ſcilicet illa, quæ eſt veluti ſubiectum exiſtentiæ, & exiſtentiam ipſam, entitas vt eſt exiſtentiæ ſubiectũ eſt extra nihil veluti inchoatiuè, ratione autem exiſtentiæ eſt extra nihil complete, quod in creatis contingit cum diſtinctione reali inter entitatem, & exiſtentiam, in diuinis autem cum diſtinctione virtuali, aut rationis; effectus ergo formalis exiſtentiæ non eſt rem conſtituere extra purum nihil; cum id habeat entitas ratione actualitatis entitatiuæ, ſed extra nihil completè: vnde in hoc, quod eſt res aliquas eſſe extra nihil, poteſt eſſe diuerſitas, quin in exiſtentia diuerſitas aliqua reperiatur.

46 *Sed vrgebis ad huc 1.* Sed oppones primo: Filiatio v. c. ratione ſui quatenus ab eſſentia diſtincta, eſt extra nihil completè; cum ratione ſui terminet productionem; & repugnet cauſalitati: ergo habet diuerſum eſſe extra nihil completè, ac habet eſſentia; & conſequenter diuerſam exiſtentiam. *Secũdo.* Secũdo: Filiatio ponitur extra nihil cõpletè per productionem, & ab alio vt principio, eſſentia autem ſine productione, & à ſe: ergo differunt in hoc quod eſt eſſe extra nihil conſummatè, & complete.

47 *Reſp. ad 1. inſtantiam.* Reſpondeo ad primam replicam negando antecedens, imo Fliatio ratione eſſentiæ terminat productionem, & ratione eſſentiæ repugnat cauſalitati ab alio; hoc enim ei conuenit ex ratione increatæ, quæ ratio, cum non multiplicetur realiter in relationibus, non conuenit illis niſi ratione eſſentiæ.

Ad 2. Ad ſecundam diſtinguo antecedens: per productionem entitatis relationis, concedo antecedens: per productionem exiſtentiæ, per quam extra nihil completè conſtituitur, nego antecedens, & conſequentiam, ſed ſolum colligitur differre in hoc quod eſt eſſe extra nihil inchoate, quod conuenit ratione entitatis, nõ autem in hoc quod eſt eſſe extra nihil completè, quod conuenit ratione exiſtentiæ, niſi ad ſummum quoadmodum, quatenus eſſentia hoc habet à ſe, Filiatio autẽ vt communicatum ab alio, ad quam diuerſitatem modalem non requiritur diuerſa exiſtentia, ſed ſufficit eadem primario eſſentiæ veluti vnita, & ſecundario relationi communicata.

48 *Tertiũ argumẽtum diluitur.* Tertio ſic obijciunt: exiſtentia relationis creatæ diſtincta eſt ab exiſtentia fundamenti, ſuppoſito quod relatio à fundamento realiter diſtinguatur: ergo exiſtentia etiam relationis diuinæ diſtincta eſt ab exiſtentia eſſentiæ. Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt: nam exiſtentia relationis ſiuè creatæ, ſiuè increatæ, non relatiua, ſed abſoluta eſt, cum autem in creatis nulla ſit repugnãtia in eo quod abſoluta multiplicentur, poteſt exiſtentia relationis, & ſi abſoluta ſit, ab exiſtentia fundamenti diſtingui, imo & eſt neceſſarium: nam exiſtentia fundamẽti, vtpotè limitata, non poteſt rem alterius generis, ſeu ſpeciei, cõſtituere exiſtentem; in diuinis autem ſola relatiua poſſunt multiplicari. & aliàs exiſtentia eſſentiæ ratione infinitatis poteſt ad relationem actuandam extendi, & ideo exiſtentia relationis ab exiſtentia eſſentiæ diſtingui non debet. Eſt etiam alia ratio diſcriminis: nam ex fundamento, & relatione creata, non fit vnum per ſe, bene tamen ex relatione, & diuina eſſentia, ſola autem illa, quæ adunantur in vno per ſe, poſſunt vnica exiſtentia gaudere.

49 *Replicabis.* Sed dices, exiſtentia relationis diuinæ debet eſſe relatiua: ergo primum diſcrimen non ſubſiſtit. Probo antecedens: exiſtentia debet proportionari, & in eodem genere conuenire, cum entitate, cuius eſt exiſtentia; quo circa entitas ſubſtantialis nequit exiſtentia accidentali extra cauſas conſtitui, nec entitas acci-

dentalis existentia substantiali: ergo entitas relatiua terminari, aut actuari nequit existentia absoluta; & consequenter existentia relationis diuinæ relatiua esse debet.

50 *Resp. 1.* Respondeo negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens: debet proportionari quoad rationem communem substātiæ, & accidentis, concedo antecedens; quoad alias peculiares rationes, nego antecedens, & consequentiam: ratio autem quare conuenientia illa in ratione substantiæ, aut accidentis desideretur, secus autem conuenientia in alijs generibus, est: nam essentia, & existentia, debent se mutuo respicere, & vnum per se constituere; cum autem substantia non possit respicere accidens; cum absoluta sit ab omni respectu extra se, & cum accidenti non possit vnum perse constituere; consequens fit, quod nec possit existere existentia accidētali, nec esse existentia alicuius accidentis, quæ ratio in alijs generibus vires non habet: nam vnum genus potest aliud inspicere, vt constat in potentia respiciente actum, & ex entitate, & modo illius, de quo talis entitas non prædicatur, potest vnum fieri per se, vt patet in habitu, & eius existentia, ex quibus componitur vnum per se; & tamen existentia habitus non est habitus, nec respicit obiectum, & id circo secunda conuenientia non petitur.

51 *Secūdo resp.* Vel secundo ad antecedentis probationem respondeo distinguendo antecedens: existentia, & primū susceptiuum illius, debent proportionari, & prædicta conuenientia gaudere, concedo antecedens: & secundum susceptiuum, nego antecedens, & consequentiam; non enim relatio diuina, sed diuina essentia, est primū susceptiuum, seu quasi susceptiuum existentiæ diuinæ, & ideo cum essentia absoluta, non cum entitate relatiua, proportionari debet. Si autem inferas ex hac solutione, existentiam relationis creatæ relatiuam esse, contra D. Thomam, & ea, quæ diximus in discursu disputationis. Neganda, est inatio, sed ſciū sequitur existentiam relationis creatæ ad genus relationis reduci, sicuti existētia substantiæ ad genus substantiæ, cum hoc tamen discrimine, quod substantia abstrahens à completa, & incompleta, de existētia substantiæ prædicatur, secus autem relatio abstrahens à completa, & incompleta; quia relatio tali abstractione gaudens non datur, sicut nec dantur relationes partiales relationem totalem componentes, & tamen dantur partes substantiales componētes totalem; discrimen ergo iuxta hanc solutionem inter existentiam relationis diuinæ, & creatæ, consistit in hoc, quod prima, nec reductiuè relatiua est, sed absoluta; quia primum susceptiuum est absolutum, secunda autem reductiuè est relatiua; quia primum eius susceptiuum est relatio.

52 *Deniq; obijciūt* Deniq; obijciunt, & est præcipuum contrariæ sententiæ fundamentum: existentia, vel est entitas actualis, vel actualitas entitatis illā actualem constituens; sed diuinæ relationes sunt tres entitates actuales realiter distinctæ inter se, & ratione ab entitate actuali essentiæ: ergo sūt tres existentiæ distinctæ inter se realiter, & ratione ab existentia essentiæ. Patet consequentia: non enim stat multiplicari realiter, aut ratione, constitutum, absque multiplicatione rationis, aut reali, formæ cōstituētis. Communis solutio est, quod relationes reales sunt tres entitates actuales, numero cadente supra entitatem, & *subiectiuè*, non autem cadente supra formale, scilicet actualitatem, ad quod sufficit distinctio subiectorum, vel entitatum absque distinctione formarum, sicuti tres personæ dicuntur tres sapiētes *adiectiuè* ab eadem sapientia, tres omnipotentes ab eadem omnipotētia; quia numerus non supra formas, sed supra subiecta cadit.

Communis solutio.

Instatur arg. Et potiori instantia argumentum eluditur; contrarij namque negare non possunt tres diuinas

relationes esse tres res summè actuales, & tamen concedere renuunt tres summas actualitates; alias cum summa actualitas, & ratio actus puri, sint idem formalissimè, cogerentur concedere tres actus puros; ex quo vlterius fieret, admittendas esse tres immutabilitates, tres æternitates, & tres rationes increati, quod contrarij nullatenus audent concedere.

54 *Instant contra istam solutionẽ cõtrarij*

Cæterũ cõtra hanc solutionẽ sic instãt: Paternitas v.c. prout ratione distincta ab essentia, non solũ est actualis, sed etiã actualitas ab actualitate essentiæ ratione distincta: ergo gaudet existentia relatiua ratione distincta ab existentia essentiæ, & realiter ab existentijs aliarum relationum. Consequentia videtur bona; quia existentia nihil est aliud, quam actualitas entitatis.

Antecedens probant 1.

Antecedens autem probant primo: Paternitas, prout ratione distincta ab essentia, non est potentialis: ergo prout sic distincta, etiam reduplicatiuè, est actualis; & consequẽter ratione sui actualitas est ratione ab actualitate essentiæ distincta.

Secundo

Secundo: prout sic distincta reduplicatiue constituit actu Patrem, & actu illum à Filio distinguit: ergo est actualitas quatenus sic distincta.

Tertio.

Tertio: prout sic distincta tribuit Patri distinctionem, non potentialẽ, sed actualẽ: ergo prout sic distincta est actualitas.

Quarto

Quarto: prout sic distincta est actualis respectus, non potentialis ad Filium: ergo est actualitas.

Deniq;

Denique: nam si per impossibile prius existeret Deus, & superueniret Paternitas, superueniret Deitati noua actualitas, etsi per impossibile tolleretur à diuinitate Paternitas, aliqua actualitas illi auferretur: ergo idem quod prius.

55 *Resp. Ad 1. & 2. antecedẽtis prob.*

Respondeo negando antecedens, ad primam probationem concesso antecedenti, nego consequentiam; quia vt non sit potentialis, prout ratione differt ab essentia, non requiritur, quod, prout sic distincta, actualitas explicitè sit, sed sufficit, quod implicet actualitatem, nedum essentialem, verum etiam existentialem essentiæ. Ad secundam concesso antecedenti, nego consequẽtiam; quia vt actu constituat, & distinguat Patrẽ à Filio, necessariũ nõ est, quod actualitas, qua in actu constituitur, sit ratio constituendi, aut distinguendi, sed solum est conditio, sicut etiã ad causandum non ratio formalis, sed conditio tantum, existentia est; ac proinde necessarium nõ est, quod quatenus ratione ab essentia distincta, expresse sit actualitas, sed sufficit, quod implicet illam.

56 *Ad 3. prob.*

Ad tertiam concesso antecedenti, nego consequentiam; quia licet distinctio sit actualis, non tamen est distinctio in ratione actualitatis, loquendo de actualitate existentiæ, bene tamen loquendo de actualitate entitatiua.

Ad 4.

Ad quartam concesso antecedenti, nego consequentiam: quia vt sit actualis respectus necessarium non est, quod illi ratione explicita actualitas existentiæ conueniat, sed sufficit, quod illi conueniat ratione essentiæ, quam implicite claudit.

Ad vltimam.

Ad vltimam distinguo antecedens: si superueniret, & tolleretur cum reali distinctione ab essentia, transeat antecedens: si sine reali distinctione adueniret, aut tolleretur, nego antecedens, & consequentiam. Vel potest subdistingui antecedens, & concedi de actualitate entitatiua, negari autem de actualitate existentiæ, ad modum, quo in physicis nostri Thomistæ discurrunt de partibus compositi substantialis, admittentes in illis plures actualitates entitatiuas, negantes autem plures existentias. De quo videantur Patres Salmanticenses *vbi supra* §. 14. & 15. vbi doctè hanc rem, sicut cætera, explicant.

57 *Dices.*

Sed dices, in creatis si actualitas essentiæ, aut entitatis, differt ab actualitate existentiæ, est, quia prima actualitas imperfecta est; at actualitas entitatiua diuinarum personarũ nullatenus est imperfecta: ergo non

est

est distinguibilis in illis actualitas entitatiua ab actualitate existendi, nec ad istam distinctionem fundamentũ est actualitas.


58 *Resp.* Respondeo, ex imperfectione creata prouenire, quod istæ actualitates realiter distinguantur, quod autem ratione differant nulla est imperfectio, nec ex imperfectione trahit originem, sed ex proprijs cõceptibus, necessitas autem huius distinctionis, saltim inter actualitatem entitatiuam relationum, & existentiã, duplex est prima; quia existentia est vltima actualitas, actualitas autem relationum entitatiua vltima non est; aliàs non posset cum essentia ad vnum per se constituendum concurrere, nec per existentiam essentiæ actuari. Secunda; quia sicut in creatis ratio existendi est id, quo effectus terminat creationem, vel capax redditur complete ad illam terminandam, ita in diuinis id solum est ratio existendi, quod est ratio increationis, ratio autem increationis nõ est entitas relationum, sed essentia diuina, aliàs darentur plures increati *subsantiuè*, vt *superius* arguebam, & ideô entitas relationum ratione sui actualitas existendi non est, quod recte ponderauit Magister S. Thoma *vbi supra*.



59 *Corollarium ex dictis. Prob. 1.* Ex dictis in discursu disputationis colligitur, falso, & inconsequenter, Granados *vbi supra num. 22. in solutione ad 3.* concessisse attributis existentias absolutas distinctas virtualiter ab existentia essentiæ. Quod probo primo: ex eo namque, quod existentia est actualitas essentiæ, & hæc non multiplicatur realiter in relationibus, infertur multiplicari realiter existentiam in illis; at essentia diuina nõ multiplicatur virtualiter in attributis, sicut nec diuina natura: ergo falso, & inconsequenter, Granados tribuit attributis existentias absolutas distinctas virtualiter ab existentia essentiæ.

Secũdo. Secundo: nam ex eo quod ratio increati, æternitas, & ratio actus puri, non multiplicentur realiter in diuinis relationibus, rectè inferebamus *supra* existentiam non multiplicari realiter in illis; at nullum ex his in attributis virtualiter pluificatur: ergo eadem efficacia colligitur non distingui virtualiter existentiam in illis, sed vna, & eadem essentiæ diuinæ existentia existere omnia attributa. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in 1. dist. 25. §. *Verum & hic alia consurgit quæstio.*

M. Sẽt.



TRACTATVS VNDECIMVS.

DE PERSONIS DIVINIS

IN COMMVNI.

DE QVO D. Thomas in 1. à distinctione 23. vsque ad 25. Ad Annibaldum in eisdem distinctionibus. Quæstione 9. de potentia per nouen articulos. Et in hac 1. p. àq. 29. vsque ad 32. Quæstionem 29. diuidit in quatuor articulos, explicans, & defendens in primo, diffinitionem personæ traditam à Boetio in libro de duabus naturis, scilicet, Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia, *quod accipiendum est de substantia completa, & incommunicabili; substantia enim incompleta, quamuis indiuidua, idest singularis, sit, non est persona, vt constat in humanitate Christi, & in partibus essentialibus, & integralibus, quæ singulares sunt, & tamen non sunt personæ; quia incompletæ sunt, & incommunicabiles: humanitas enim Christi communicatur Verbo, & partes communicantur toti, & ideò qnamuis sint indiuiduæ, hoc est singulares, personæ tamen non sunt. In secundo articulo docet, hoc nomen* Persona *significare in genere rationalium substantiarum, idemque hæc tria nomina* hypostasis, subsistentia, & essentia, *significant in toto genere substantiarum. Vbi est aduertendum, nomen essentiæ non accipi prout dicit quidditatem, quam significat diffinitio, sed prout essentia, &*

ſubſtantia idem eſt quod ſuppoſitum, quod in genere ſubſtantiæ ſubſiſtit, quod ſignificari poteſt nomine ſignificante intentionem, & ſic dicitur ſuppoſitum, & nominibus ſignificantibus rem, quæ ſunt tria, videlicet res naturæ, ſubſiſtentia, & hypoſtaſis, *ſecundum enim quod per ſe exiſtit, & non in alio, vocatur* ſubſiſtentia, *ſecũdum autem quod ſupponitur alicui naturæ communi dicitur* res naturæ, *ſecundum vero quod ſupponitur accidentibus, dicitur* hypoſtaſis, *vel ſubſiſtentia, & quia non omni res naturæ, nec omne ſuppoſitum, vel ſubſiſtens, eſt perſona, ſed ſolum ſuppoſitum in natura rationali ſubſiſtens, ideò non ſignificant idẽ abſolutè, ſed nomen* perſona *ſignificat idem in genere ſubſtantiarum rationalium, quod* res naturæ, ſuppoſitum, & ſubſiſtentia, *ſignificant in toto genere ſubſtantiarum; & addendum eſt* nõ rationalium; *non enim omne ſuppoſitum, & ſubſiſtens, eſt perſona, ſed ſolum ſuppoſitum rationalis naturæ, res naturæ rationalis, & ſubſiſtens in rationali natura, vt conſtat ex diffinitione Boetij* articulo præcedenti *explicata, qua dicitur quod perſona eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia, vel incommunicabilis ſubſiſtentia.*

In tertio articulo inquirit, vtrum nomen perſonæ ſit ponendum in diuinis? *Et reſpondet concluſione affirmatiua, quam probat in argumento*, ſed contra *ex Symbolo Athanaſij illis verbis*: Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. *Deinde in corpore articuli probat ratione*: Nam perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſsimum in tota natura, ſcilicet, ſubſiſtens in natura rationali; ſed omne, quod eſt perfectiſsimum, eſt Deo attribuendũ: ergo hoc nomẽ perſona dicitur de ipſo. *Nec obſtat, quod hoc nomẽ in Sacra Scriptura non inueniatur, inquit D. Thomas in ſolutione ad primum*: Nam licet nomen non inueniatur dictum de Deo, id tamen, quod nomen ſignificat, multipliciter in Sacra Scriptura de Deo

assertum inuenitur, scilicet, quod est maxime per se ens, & perfectissime intelligens, ad inueniendum autem noua nomina antiquam fidem de Deo significantia coegit necessitas disputandi cum hæreticis.

Nec obstat secundo, hypostasim dici à substando accidẽtibus, Deus autem accidentibus non substat; & consequenter non est hypostasis. Ex quo vlterius fit, quod persona dici non possit: nam persona idem est quod hypostasis rationalis naturæ. Nam licet hypostasis, *inquit D. Thomas in solutione ad 3.* non competat Deo, quantum ad id, â quo nomen fuit ad significandum impositum; cũ Deus nullis accidentibus subsistet, competit autem quantum ad id, ad quod significandum est impositum, scilicet rẽ subsistentem. *Quod idem aduertit D. Thomas de hoc nomine* persona *in solutione ad 2. & in solutione ad 4. Deum posse dici rationalis naturæ, non secundum quod ratio importat discursum, sed secundum quod ratio importat naturam intellectualem, & sic accipienda est* rationalis natura *prout ponitur in diffinitione personæ, ly autem* individua substantia *positum in diffinitione personæ non sumitur pro individuatione sumpta à materia; sic enim Deo competere non potest, sed sumitur prout importat incommunicabilitatem, qualiter conuenit Deo, substantia etiam Deo conuenit secundum quod significat existere per se.*

In quarto articulo inquirit D. Thomas, vtrum hoc nomen *persona* significet relationem? *Præmissa ratione dubitandi, & quorundam relatis opinionibus, respondet,* hoc nomen *persona diuina* significare relationem, non per modum relationis, sed per modum substantiæ, & subsistentis, *quod significet relationem probat primo in argumento* sed contra ex Boetio lib de Trinitate asserẽte, quod omne nomẽ ad personas pertinens relationẽ significat; sed nullũ nomẽ magis pertinet ad personas, quã hoc nomẽ *persona*: ergo hoc nomen *perso-*

na relationem significat. *Deinde id probat in corpore articuli*: persona enim in communi significat substantiã individuam rationalis naturæ, vt dictum est articulo primo; individuum autem est, quod est in se indistinctum, ab alijs autem distinctum, Persona igitur in quacumque natura significat id, quod est distinctum in natura illa; sed distinctio in diuinis non fit nisi per relationes originis, vt dictum est quæst. 27. art. 2. & 3. ergo persona diuina significat relationem; sed relatio in diuinis non est sicut accidens inhærens subiecto, sed est ipsa diuina essentia: vnde est subsistẽs sicuti ipsa diuina essentia subsistit: persona igitur diuina significat relationem vt subsistentem, & hoc est significare relationem per modum substantiæ, quæ est hypostasis subsistens in natura diuina, & secundum hoc verum est, quod hoc nomen *persona* significat relationem in recto, & essentiam in obliquo, non tamen relationem in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis.

Hinc docet solutione ad primum, hoc nomen persona *dici ad se, non ad alterum; & consequenter est nomen absolutum, quamuis relationem significat, non per modum relationis, sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis, & solutione ad quartum aduertit, quod licet in significatione personæ diuinæ contineatur relatio, non autem in significatione personæ Angelicæ, vel humanæ, non sequitur quod nomen persona equiuocè dicatur de illis: nam diuersa ratio minus communium non facit equiuocationem in magis communi, licet nec etiam dicatur vniuocè; cum nihil vniuoce dici possit de Deo, & de creaturis, vt ostensum est supra quæst. 13. art. 5.*

***

Quæstio Trigesima de Pluralitate Personarum in diuinis.

QVÆSTIONEM *hanc in quatuor partitur articulos: in primo docet* in diuinis plures esse personas, *quod vt de fide probat ex Athanasio dicente*: Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. *Et ratione* : nam vt dictum est quæstione præcedenti art. 4. hoc nomen *persona* in diuinis significat relationẽ vt subsistentem in natura diuina; at quæstione 28. art. 3. & 4. ostensum est esse plures relationes in Deo: ergo sunt plures res subsistentes in diuinis; & consequenter plures personæ.

In secundo docet, esse tantum tres personas, quod vt de fide probat ex illo Ioannis primæ cap. vltimo: Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbũ, & Spiritus Sanctus, quærentibus quid tres? Respondet Augustinus libro septimo de Trinitate cap. 4. tres personæ: ergo tantum sunt tres personæ. Quæ illatio legitima est: nam si plures quam tres essent, non diceret Ioannes tres sunt, sed illarum numerum explicaret. *Ratione etiam sic probat*: nã plures personæ sunt plures relationes subsistẽtes realiter distinctæ; at licet in Deo dentur quatuor relationes reales, scilicet Paternitas, Filiatio, spiratio, & processio, distinctio tamen realis solum inter tres reperitur, scilicet inter Paternitatem, & Filiationem: nam spiratio, cum non opponatur Filiationi, & Paternitati, ab illis realiter distincta non est: ergo tantum sunt in diuinis tres personæ. *Si obijcias, processio, seu relatio Spiritus Sancti non opponitur relatiuè Paternitati, & Filiationi, sed solum spirationi, seu relationi spiratoris; cum relatiuè opponi idem sit, quod referri, non autem refertur ad illas: ergo nec ab illis realiter distinguitur: distinctio etenim relatiua idem est,*

quod

quod relatiua oppositio. Respondeo, quod licet non referatur ad illas ratione sui formaliter, *refertur tamen ad illas ratione sui* inchoatiuè, & connexiuè, *quatenus istæ relationes connectuntur cum relatione spiratoris, cui relatiue opponuntur, & sufficere hoc ad realem distinctionem. Vel dicatur, quod licet non referatur ad illas vt* quo, *refertur tamẽ ad illas vt* quod; *quia Pater, & Filius vt* quod *ad Spiritũ Sanctum refferuntur, & opponuntur relatione reali spiratoris.*

In tertio docet, terminos numerales, vt *vnum, duo,* vel *tres*, significare in diuinis ea, de quibus dicuntur, solam negationem addendo. *Quod probat*: nam termini numerales in diuinis non sumuntur â numero, qui est species quantitatis, aliâs non nisi metaphoricè dicerentur de Deo, sed â numero transeunte; at licet numerus quantitatiuus importet positiuum accidens & vnitates, ex quibus componitur, dicant aliquid positiuum, numerus autem transcendens, vt est numerus Angelorum, solum dicit negationem indistinctionis ab alijs, & vnitas transcendens negationem distinctionis in se: ergo termini numerales in diuinis significât res, de quibus dicũtur, addita solum negatione. *Vbi rectè notat Caietanus* ad calcem commentarij, *multitudinem in diuinis plures negationes includere, scilicet eam, quam claudit vnitas, videlicet negationem diuisionis in se, & eam, quam addit multitudo, videlicet negationem indistinctionis vnius entitatis ab alia: nam multitudo dicit plures vnitates, & plures indiuisiones in se, & distinctionem etiam inter ipsas vnitates. In quarto docet*, nomen personæ esse commune tribus personis diuinis, non communitate reali, sed rationis, non generis, aut speciei, sed sicut individuum vagum, de quo postea.

Quæstio trigesima prima, de his, quæ ad vnitatem, vel Pluralitatem, pertinent in diuinis.

IN primo articulo huius quæstionis docet D.Thomas vtendum esse in diuinis nomine Trinitatis. *Quod probat primo ex Symbolo Athanasij, vbi dicitur*, quod vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda sit. *Deinde ratione*: in diuinis namque ponitur personarum pluralitas: ergo & Trinitas personarum. Probat consequentiam: nam quod indeterminate significat primũ, determinate secundum significat, ternarium videlicet numerum personarum. *Notat etiam solutione ad primum, quod Trinitas, attenta ethimologia vocabuli, significare videtur vnam essentiam trium personarum; at vero secundum proprietatem significat numerum personarum vnius essentiæ, propter quod non possumus dicere, quod Pater est Trinas.*

In secundo articulo inquirit, vtrum Filius sit alius â Patre? *& affirmatiue respondet. Quod probat primo* auctoritate Augustini lib. de fide ad Petrum cap. 1. post medium, *vbi ait*: Vna est enim essentia Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus, quã uis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. Secundo ratione; nam hoc nomen *alius* masculine sumptum non importat distinctionem essentiæ, sed tantum suppositi; at Filius est aliud suppositum â Patre: ergo est alius â Patre. *Probat minorem solutione ad 4.* ex discrimine inter nomen *alius* & nomen *aliud*, quod hoc est neutrius generis, illud autem masculini, & neutrum genus, quia informe est, significat essentiam, quæ communis est, & indifferens. masculinum vero est formatum, & ideò importat sup-

posi-

positum: ergo nomen *alius* solum dicit distinctionem suppositorum, *aliud* autẽ distinctionẽ in essentia, & ideô potest dici Filius alius â Patre, non vero potest dici aliud, nisi supperaddatur suppositum. *Quod discrimen confirmat* ex cõmuni modo loquendi: si enim quæratur quis est iste? Respondetur *Sortes*, quod est nomen suppositi. Si autem inquiratur quid iste sit? non respondetur *Sortes*, sed *animal rationale*: ergo quia neutrum genus essentiam significat; & consequenter si nomen alietatis sit, importat differentiam in essentia. Masculinum autem significat suppositum, & ideô quando est nomen alietatis solum significat differentiam suppositorum.

In solutione ad tertium docet, non esse vtendum nomine triplicitatis, aut triplicis, asserendo Deus triplex, sicut Deus Trinus; eo quod triplicitas dicit proportionẽ in æqualitatis respectu illius, respectu cuius dicitur triplicitas, quæ inæqualitas in diuinis nõ reperitur. *Quod expresse traditur ab Aug.* lib. 6. de Trinitate cap. 7. & 8. & lib. 15. cap. 3. quia scilicet tantus est Pater, quãta tota Trinitas *Quæ doctrina impugnatur à Suario, Vazquez, & alijs, tradentibus aliam rationem. Videantur Patres Salmanticenses disp. 10. dub. 4. vbi Augustinum, & D. Tho. optimè ab aduersariorum argumentis defendunt. Notat autem D. Thomas* in vtendo nominibus importantibus distinctionem, aut vnitatem, caute esse procedendum, ad vitandum duos extremos errores, vnum Arrij, qui cũ Trinitate personarum posuit Trinitatem substantiarum, & alterum Sabellij, qui cum vnitate essentiæ posuit vnitatem personæ: ad primum vitandum vtendum non est in diuinis nomine diuersitatis, aut differentiæ: vnde dicendum non est Filium esse diuersum â Patre, aut ab illo differre; quia hæc nomina important distinctionem in forma, seu essentia. Nomen etiam separationis, & diuisionis vitandum est; quia separatio est partis â toto,

seu comparte, diuisio autẽ totius in partes, quod cũ summa simplicitate non congruit, ne autem tollatur æqualitas inter diuinas personas, non est dicenda vna persona dispar ab alia, & ne tollatur illarũ similitudo, non est dicenda vna persona aliena, aut discrepans ab alia; quia quod alienum, aut discrepans est, non est omnino simile. Ad fugiendum vero errorem Sabellij docet, vitanda esse hæc nomina, *singulare, vnicum, & solitarium*: vnde Pater, & Filius, nec singularis Deus, nec vnicus, nec solitarius est dicendus; quia primum tollit communicabilitatem essentiæ tribus personis, secundum excludit numerum personarum, & tertium tollit illarum consortium.

In tertio inquirit, an dictio exclusiua *solus* addi possit termino essentiali in diuinis v. c. dicendo, *solus Deus, soli Deo, &c. Et sub distinctione respondet*: nam dictio potest accipi cathegorematicê, & sincathegorematicê, primo modo non potest addi alicui termino in diuinis; quia denotat solitudinem oppositam personarum societati, si vero accipiatur secundo modo, potest addi termino essentiali in diuinis; quia tunc non dicit solitudinem suppositorum, sed excludit alia diuersæ naturæ â consortio prædicati, vt quando dicimus *solus Sortes currit*, non denotatur, quod Sortes solitarius sit; cum possit habere multos alios secum existentes, sed solum alios excludimus â consortio prædicati, scilicet *cursus*, & sic inquit Diuus Thomas posse verê affirmari *solus Deus est æternus, omnipotens, &c.* quia non denotatur, quod Deus societate personarum non gaudeat, sed omnia alia præter Deum æterna non esse. *Sed dices, in hac propositione* solus Petrus currit, *non solum excluduntur à consortio prædicati alia diuersa naturæ, sed etiam alia suppositа eiusdem naturæ: ergo in hac etiam* solus Deus est æternus, *excludi videtur à consortio æternitatis, non so-*

lum alia diuersa in natura, sed etiam alia supposita, & sic insinuari vnum tantum Deitatis suppositum esse æternum. Respondeo negando consequentiam; quia cum particula solum *additur termino personali, excludit alias personas, & non solum alia diuersæ naturæ specificæ à consortio prædicati; cum autem additur termino naturæ, solum excludit prædicatum ab alijs alietate essentiali, vt cum dicitur* solus homo est animal rationale, *non excluduntur plura suppositæ à consortio prædicati eiusdem naturæ, sed solum alia diuersæ naturæ;* Deus *autem nomen est naturæ, non suppositi.*

Notat etiam D. Thomas solutione ad primum, quod si in Deo Trinitas personarum non esset, deberet dici solus cathegorematicè, ideſt solitarius, etiã si creati essent Angeli, & homines; solitudo namque non tollitur per societatem aliorum extraneæ naturæ: vnde vere dicitur aliquem hominẽ esse solũ in horto, quamuis in illo sint plantæ, & animalia, si nullus alius sit homo; homo autẽ, & Angelus, sunt extraneæ naturæ respectu Dei, & ideô illi societatem non facerent, nec excluderent eius solitudinem. *Sed dices, si vnus homo, & vnus Angelus, essent in Beatitudine, nullus illorum diceretur solitarius in illa; & tamen homo, & Angelus, sunt diuersæ naturæ: ergo solitudo excluditur per societatem alterius, etsi extraneæ naturæ. Respondeo, hominem, & Angelum, in ordine ad beatitudinem non differre specie, sed specificè conuenire; eo quod potentia obedientialis ad beatificam visionem non competit illis ratione vltimæ differentiæ, qua differunt, sed secundum gradum genericum intellectualis naturæ creatæ, qui gradus, licet genericus sit respectiue ad naturales operationes, respectiue tamen ad visionem beatificam comparatur non secundum vim naturalem, sed obedientialem, quæ vna specificè est, vt fusè explicauimus* tractatu de visione Dei art. 1.

Si obijcias secundo, sequi ex hac doctrina, Angelis

creatis in esse naturæ puræ non fore inter illos societatem, sed illorum quemlibet solitarium; consequens falsum videtur: ergo & illud ex quo sequitur. Patet sequela: nam iuxta D. Thomam, non dantur, nec possunt dari plures Angeli eiusdem speciei, quæ diuersitas specifica explicatur in illis respectu operationum naturalium: ergo vni alteri societatem non facerent, si vera esset doctrina Diui Thomæ, quod scilicet inter suppositæ extraneæ naturæ nequit esse societas. Respondeo, quod licet Angeli in esse naturæ specificè differant, conueniunt tamen specificè in ordine ad conuictum politicum in modo operandi, & hæc diuersitas est, quæ requiritur vt vnum suppositum alteri supposito societatem non faciat.

In quarto articulo inquirit, an dictio exclusiua *solus* adiungi possit termino personali, *quem titulum intelligendum esse in ordine ad prædicata communia, vt sunt* Deus, sapiens, &c. *constat ex verbis Diui Thomæ ante primum argumentum*: Videtur quod dictio exclusiua possit adiungi termino personali etiam si prædicatum sit commune, *ex quibus rectè animaduertit Caietanus titulum dubij in ordine ad hæc prædicata esse intelligendum: si namque in ordine ad personalia loquamur, citra dubium est posse adiungi sumpta sincathegorematicè, verbi causâ, dicendo* solus Pater generat, solus Filius generatur, *ad titulum sic intellectum respondet Diuus Thomas quatuor conclusionibus. Prima est*: si ly *solus* sumatur cathegorematice, non potest adiungi termino personali, verbi causa, dicendo *solus Pater est Deus, sapiens, &c. Quod probat*: Nam sic sūptum significat solitudinem, quæ stare non potest cum personarum societate. *Secunda conclusio*: Si ly *solus* accipiatur sincathegorematicè excludendo â consortio formæ subiecti, potest vere adiungi, est tamen impropria loquutio. Quod probat: nam facit hunc

sensum, quod ille, cũ quo nullus alius est Pater, est Deus; at hoc verum est, licet improprium sit, quia non est iuxta consuetum modum loquendi: ergo vere, etsi impropriê, possumus dicere, *solus Pater est Deus*, dictione sic accepta.

Tertia conclusio: Si excludat â consortio prædicati, & masculinè, nõ potest adiungi. *Probatur*: nã hæc propositio *solus Pater est Deus*, excludendo alium masculinê, excludit alias personas â consortio Deitatis; at in hoc sensu hæretica est propositio: ergo sic adiungi non potest. *Quarta conclusio*: Si excludat aliud neutraliter â consortio prædicati, vere potest adiungi. *Probatur*: nam aliæ personæ, etsi sint alius, & alius â Patre, verbi causa, non tamen sunt aliud neutraliter: ergo sic accepta dictio exclusiua non excludit alias personas â consortio Deitatis, sed solum creaturas; & consequentêr iuxta hunc sensum vera existit propositio, *solus Pater est Deus*; cum in idem valeat ac ista, *Pater est Deus, & nihil aliud à Patre est Deus*. *Notat autem Diuus Thomas* propositionem istam non esse extendendam, sed pie exponendam, si in aliqua authentica scriptura inueniatur; quia impropria est; eo quod dictio *solus* respicit propriê suppositum, & sic magis se habet ad excludendum alium alietate suppositi, quam ad excludendum aliud alietate naturæ essentiali.

Obiectio dilui tur.

Sed contra hoc obstare videtur doctrina Diui Thomæ in articulo præcedenti, vbi ait, quod dictio ista cathegorematicè ponit rem significatam erga subiectum, sincathegorematice autem importat ordinem prædicati ad subiectum; at acceptio, de qua modo loquitur, est sincathegorematica: ergo falso asserit, quod respiciat proprie subiectum, & id circo sit impropria. Respondetur, in vtraq; acceptione respicere proprie subiectum, cum hoc tamen discrimine, quod quando est cathegorematice, ponit

suum significatum erga subiectum absolutè, ideſt ſine ordine a prædicato exacto, licet permiſſo; ſincathegorematice tamen reſpicit ſubiectum cum ordine ad prædicatum, vel prædicatum cum ordine ad ſubiectum: vnde ſemper reſpicit propriè ſuppoſitum, & ideò cum proprietate excludit alietatem ſuppoſiti, non alietatem naturæ.

Quæſtionem 32. diuidit Diuus Thomas in quatuor articulos. In primo docet, Trinitatem diuinarum perſonarum non poſſe per rationem naturalem euidenter cognoſci, & eos, qui probare nituntur Trinitatem perſonarum ratione naturali, fidei dupliciter derogare. *Primum probat primo ex Hilario libro primo de Trinitate illis verbis*: Non putet homo ſua intelligentia generationis Sacramentum poſſe conſequi. *Et ex Ambroſio libro de fide ad Gratianum, vbi ait*: Impoſsibile eſt generationis ſcire ſecretum, mens deficit, vox ſilet; ſed per originem generationis, & proceſsionis, diſtinguitur Trinitas in perſonis diuinis: ergo Trinitas perſonarum per rationem cognoſci non poteſt. *Deinde in corpore articuli probat ratione*: Oſtenſum enim eſt ſupra quæſtione duodecima articulo 4. & articulo duodecimo, quod homo per rationem naturalem in cognitionem Dei peruenire non poteſt, niſi per creaturas; ſed ex creaturis non poteſt Deus vt Trinus, ſed ſolum vt vnus cognoſci; non enim per ſe dependent â Deo quatenus Trino, ſed ſolum quatenus vno: ergo homo per rationem naturalem non poteſt Deum vt Trinum cognoſcere. *Quam rationem infra explicabimus.*

Secundũ probat explicando ea, in quibus derogatur fidei, conando illius myſteria, qualis eſt Trinitas perſonarum, ratione naturali monſtrare, & ait derogari dignitati fidei, quæ conſiſtit in eo quod ſit de inuiſsibilibus, & non

apparentibus, *qui autem illa demonſtrare conatur, intendit ea viſibilia, & apparientia facere. Derogatur etiam vtilitati aliostrahendi ad fidem*: Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non ſunt cogentes, cedit in irriſionem infidelium; credunt enim quod huiuſmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus. *Ex quo infert*, quæ ſunt fidei, non eſſe tentandum ea probare, niſi per auctoritates, his, qui auctoritates ſuſcipiunt, apud alios vero ſufficit defendere nō eſſe impoſsibile, quod prædicat fides. *Quæ doctrina intelligenda eſt de his, quæ per ſe ad fidem pertinent.*

In ſecundo articulo docet, ponendas eſſe notiones in diuinis: Notio enim, prout â Theologis ſumitur, eſt propria ratio cognoſcendi diuinam perſonam, dantur autem in Deo propriæ aliquæ rationes cognoſcendi diuinas perſonas in abſtracto ſignificatæ; & conſequenter dantur notiones. *In articulo tertio docet*, eſſe quinque notiones, & non plures, ſcilicet in Patre innaſcibilitas, Paternitas, & communis ſpiratio, in Filio Filiatio, per quam innoteſcit in quantum eſt ab alio naſcendo, & communis ſpiratio per quam innoteſcit, in quantum eſt principium â quo alius, ſcilicet Spiritus Sanctus, procedit proceſsione Filio, & Patri communi, & proceſsio, per quam Spiritus Sanctus innoteſcit, in quantum â Patre, & Filio procedit. Ex quibus quatuor ſunt relationes, ſcilicet Paternitas, Filiatio, communis ſpiratio, & proceſsio; nam innaſcibilitas, *inquit Diuus Thomas*, non eſt relatio, niſi per reductionem, vt dicetur quæſt. 33. articulo 4. ad tertium, quatuor ſunt proprietates; nam communis ſpiratio conuenit duabus perſonis, & tres tantum ſunt perſonales, ideſt, conſtituentes perſonas, ſcilicet Paternitas, Filiatio, & proceſsio; nam communis ſpiratio, & innaſcibilitas, dicuntur notiones perſonarum, non autem perſonales, vt explica-

tur

tur infra quæstione quadragesima articulo primo ad primum.

In quarto articulo docet, aliquos absque periculo hæresis circa notiones contrariê esse opinatos, non intendentes sustinere aliquid contrarium fidei, sed siquis falsum opinaretur circa notiones considerans, quod ex hoc sequatur aliquid contrarium fidei, in hæresim laberetur. *Circa litteram huius articuli videatur Nazarius.*

DISPVTATIO OCTVAGESIMA.

An Persona addat supra naturam aliquid ab illa distinctum?

DIfficultas ista frequentius tractari solet *3. p. quæst. 4. art. 2.* illam tamen in præsenti agitamus, quia ex illius resolutione pendent plura, quæ in sequentibus sumus dicturi.

§. I.

Relatis sententijs, prima conclusio statuitur.

Nu. 1. *Sẽtẽtia Durãdi*

PRIMA sententia docet, personam in diuinis addere modum realem positiuum distinctum realiter modaliter à natura diuina, in creatis vero nihil realiter distinctum addere, sed solum ratione nostra, aut ex modo significandi diuersum. Ita Durandus *in 1. distinct. 34. quæst. 1. & 2. & in 3. dist. 1. quæst. 2. num. 7. & quæst. 4. num. 11.* Secunda docet, personã diuinam addere supra naturam aliquid positiuum ex natura rei distinctum ab illa, & insuper negationem communicabilitatis supra hoc positiuum fundatam, in creaturis autem nihil positiuum addere, sed solum duplicem negationem, scilicet dependentiæ actualis, & dependentiæ aptitudinalis, ex defectu primæ negationis humanitas à Diuino Verbo assumpta non subsistit per se, nec est persona creata; quia scilicet actu dependet à Verbo, vt suppposito sustentante, & ex defectu secundæ anima rationalis à corpore separata, nec subsistens dicitur, nec persona: quia licet actu nõ sit toti communicata, est apta ex natura sua communicari composito. Hanc vt probabiliorem docuit Scotus *in 1. distinct. 23. in 3. distinct. 1. quæst. 1. & quodlibeto 19. art. 3.* Scotum sequitur Theodorus Smising. *disp. 2. quæst. 5. nu. 126.* & frequentius cæteri Scotistæ eidem setentiæ adhærent. *Sẽtẽtia Scoti.*

Tertia, & vera sententia defendit, personam supra naturam addere aliquid positiuum, in Deo sola ratione, aut virtuali distinctione à natura 2 *Vera sẽtentia.*

distin-

distinctum, in creaturis autem realiter. Ita Caietanus *3.p. quæst. 4. art.2.* vbi Medina, Cabrera, Nazarius, & communiter Thomistæ. Bañez *1.p. quæst. 3. art. 3.* Biescas, Thomas Pius, Zanardus, & alij plures. Referuntur pro hac sententia ex discipulis Scoti Liquetus, & Rada. Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *in Metaphysica disp. 34.* Valentia, Vazquez, & alij Recentiores ex eadem familia, Tum *in præsenti*, tum, & præcipue *3.p. q. 4. art.2.* vbi frequentius distinctio suppositi creati à natura tractatur.

3 *Prima cõclusio*

Pro cuius sẽtẽtiæ explicatione sit prima cõclusio: *Persona diuina nõ addit supra naturam aliquid distinctũ ab illa realiter ex natura rei, aut distinctione reali modali, persona vero creata supra naturam addit aliquid realiter ab illa distinctum.* Prima pars conclusionis fusè à Nobis fuit probata *supra quæst. 28.* agendo de diuinis relationibus, quare modo breuiter hac ratione suadetur: nam ex oppositio fieret personam diuinam esse realiter compositam; consequens absurdum est: ergo persona diuina non addit supra naturam aliquid ab illa realiter ex natura rei distinctum, aut distinctione reali modali. Probatur sequela: compositio nihil est aliud, quam distinctorum vnio; sed si personalitas realiter à natura distinguatur in Deo, erit in persona diuina vnio realiter distinctorum, ex quibus constet persona: ergo persona diuina erit realiter composita ex illis. Quod amplius vrgetur, nam vnitas, vel est simplicitatis, vel compositionis; sed si persona diuina realiter à natura distinguitur, non est vna per simplicitatem: ergo erit vna per realem compositionem. Minor probatur: simplicitas non solum excludit potentialitatem, sed etiam excludit intrinsecam distinctionem; est enim plus, quam identitas; sed in sententia contraria non est omnimoda identitas realis inter personalitatem, & naturam diuinam: ergo non est omnimoda realis simplicitas; & consequenter erit realis, aliqua cõpositio in persona diuina. Plura; quibꝰ Scotus, & Durandus, huic argumento conantur occurrere, *loco allegato* retulimus, & reiecimus.

Prima pars cõclusionis probatur.

4 *Confir.*

5 *Secũda pars probatur ex D. Thom.*

Deinde secunda pars conclusionis suadetur primo ex D. Thom. *quodlibeto 2.q.2.art.4.* vbi vniuersaliter docet in solo Deo suppositũ non distingui à natura, & in omni natura creata suppositum à natura distingui, quod esse de distinctione reali intelligendum patet: nam virtualiter etiam in Deo suppositum à natura distinguitur, sed distinctio, quam in natura creata constituit inter suppositum, & naturam, maior est illa, quæ inuenitur in Deo, aliàs nullum esset quoad distinctionem discrimen: ergo sentit D. Thomas suppositum, & creatam personã realiter distingui à natura, & consequẽter addere aliquid ab illa realiter distinctum.

6 *Secũdo ratione*

Secundo probatur: separabilitas realis est signum realis distinctionis, si mutua sit, realis entitatiuæ, si non mutua, realis modalis; sed natura creata potest realiter separari à propria personalitate: ergo personalitas, & natura creata, distinguuntur distinctione reali, saltim modali. Illatio est legitima. Maior constat: idem namque à se ipso realiter separari non potest, sicut nec potest idem sine se ipso realiter existere: ergo illa, quæ possunt realiter separari, vel vnum sine altero realiter existere, necessario distinguuntur realiter, distinctione reali entitatiua, vel saltim distinctione reali modali. Minor autem probatur ex mysterio Incarnationis: in Christo namque inuenitur humana natura, personalitas autem creata non reperitur in ipso, aliàs essent duæ personæ, creata scilicet & diuina, quod est contra fidem; sed eadem ratio est de quauis natura creata respectu propriæ personalitatis, ac est de natura humana: ergo omnis natura creata est realiter separabilis à sua propria personalitate.

7 *Hoc argumẽtũ non cõuincit erroris sẽtẽtiã contrariam.*

Hoc argumentum adeó efficax viſum eſt pluribus Theologis, vt non dubitent contrariam ſententiam erroris contra fidem damnare, meo tamẽ iuditio excedũt: licet namque noſtra ſententia conformior ſit fidei principijs, quæ de Incarnatione Verbi loquuntur, non tamen adeó certe illis annexa eſt, vt oppoſita cenſeri debeat erronea. Poſſunt enim Authores contrarij argumẽto facto occurrere, diſtinguendo maiorem, illamque cõcedendo, ſi ſeparatio ſit realis entitatiua, negando autem, ſi ſolum ſit ſeparatio realis denominatiua, & ſub eadem diſtinctione minoris negabũt conſequentiam. Nec minoris probatio diſtinctioni traditæ obſtabit: dicunt namque in Chriſto Domino duplicem perſonam non eſſe; quia adhoc requirebatur, non ſolum diſtinctio, ſeu entitas realis, ſed etiam realis denominatio perſonæ creatæ; licet autem in Chriſto ſit tota entitas, quæ à Verbo ſeparata daret denominationẽ perſonæ humanæ creatæ, hæc denominatio non adeſt; eo quod impeditur à Verbo humanam terminante naturam.

Quæ doctrina mille exemplis poſſet confirmari, tria tamen ſufficiant. Primum in ſententia, extra cholam D. Th. communi, aſſeréte, relationem nulla reali diſtinctione à fundamento diſtingui; & tamen deſtructo termino relatio realis non manet, non quidem quia deficiat aliquid entitatis intrinſecæ, ſed quia deficit intrinſeca denominatio realis relati. Secundum ſit in ſententia Thomiſtarum communi docente, Patrem de nouo ad Filium ſecundum referri, & illo deſtructo intrinſecẽ deſinere ipſum reſpicere, quin adſit, vel ab ſit, aliqua entitas intrinſeca realis. Tertium ſit in vnione animæ ad corpus, quæ realis intrinſeca eſt; & tamen, in plurium Thomiſtarum ſententia, non diſtinguitur realiter intrinſecẽ ab anima, quamuis poſsit ſine tali vnione exiſtere; quia ſcilicet non deficit, cum anima ſeparatur à corpore, entitas aliqua intrinſeca, ſed ſolum intrinſeca realis denominatio vnitæ: ſi ergo poteſt denominatio realis intrinſeca relati, & denominatio realis intrinſeca vnitæ, deeſſe abſque defectu entitatis intrinſecæ realis, & ideo ex tali ſeparatione non colligitur realis entitatiua, aut modalis diſtinctio relationis à fundamento, nec vnionis ab extremis vnitis, cur etiam non licebit contrarijs Authoribus dicere poſſe deeſſe denominationẽ realem perſonæ, quamuis intrinſeca ſit, abſque defectu entitatis; & conſequenter ex eo quod humanitas exiſtat in Chriſto abſque perſonalitate creata, non colligi realem diſtinctionem intrinſecam inter naturam creatam, & propriam perſonalitatem. Quæ ſolutio his exemplis confirmata, tametſi vera non ſit, non tamen poteſt adeó euidenter conuinci, vt oppoſita merito poſsit, vt erronea damnari.

8 *Solutio cõfirmatur exẽplis.*

Si opponas, ſequi ex iſta ſolutione eſſe in Chriſto omnem entitatem perſonæ creatæ; conſequens eſt falſum: ergo & ſolutio. Sequela patet: nam iuxta hanc ſolutionem non deeſt in Chriſto denominatio perſonæ creatæ ex defectu entitatis intrinſecæ: ergo eſt in illo tota entitas perſonæ creatæ. Minor autem probatur: ſi namque eſt in Chriſto tota entitas perſonæ creatæ, eſt in illo realiter perſona creata; ſed eſt contra fidem concedere realiter perſonam creatã in Chriſto: ergo in illo admitti non poteſt tota perſonæ creatæ entitas.

9 *Si opponas.*

Reſpondebunt contrarij Authores concedendo ſequelam, & negando minorem, quam non conuincit probatio: nam realiter perſonam creatam exiſtere, importat non ſolum entitatis exiſtentiam, ſed etiam realis denominationis perſonæ; in Chriſto autem realis denominatio perſonæ creatæ non eſt, vt contrarij Authores fatẽtur; ac proinde quamuis admittant in illo entitatẽ totius entitatis perſonæ creatæ, non inde coguntur admittere realiter eſſe perſonam creatam in illo. Quæ doctrina eiſdem illuſtratur exemplis: nam

10 *Reſp.*

licet

licet in anima separata maneat tota entitas realis vnionis, nõ manet realiter vnio, & licet destructo termino maneat tota entitas relationis, non manet relatio realiter; quia vnio realis non solum entitatem importat, sed etiam realem denominationem, & similiter relatio.

11 *Contra solutionẽ arg.* 1. Sed contra istam solutionem argumentari possumus primo: vt enim ex dicendis *sequenti conclusione* constabit, non stat ex humanitate, & Verbo, vnam resultare personam, nisi humanitas incompleta intrinsecê supponatur, nec humanitatem esse incompletam intrinsecê, si nulla intrinseca entitate, adminus modali, careat; sed de fide est ex Verbo, & humanitate, vnam resultare personam: ergo humanitas in Christo realiter incompleta supponitur; & consequenter cum defectu alicuius entitatis, saltim modalis intrinsecæ.

Secũdo. Secundo: non enim potest adesse, & abesse, denominatio realis intrinseca, nisi adsit, vel absit, intrinseca aliqua entitas, vel saltim aliquod reale connotatum extrinsecum; sed in Christo non abest denominatio intrinseca realis personæ ex defectu intrinseci connotati: ergo abest ex defectu entitatis intrinsecæ, saltim modalis. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: non enim est assignabile connotatum reale extrinsecum, ex cuius defectu possit abesse denominatio personæ.

12 *Resp.* 1. Respondebis primo, tale extrinsecum connotatum esse negationem realis coniunctionis ad suppositum extraneum, quæ negatio in humanitate Christi nõ datur, supposito quod est Verbo cõiũcta, & ex defectu illius negationis entitas humanitatis non præbet ipsi denominationem personæ.

Secũdo. Secundo respondebis, connotatum extrinsecum requisitum ad denominationẽ personæ creatæ esse creatam existentiam; & quia hæc in humanitate Christi non datur, ideo quamuis nulla entitas intrinseca deficiat, deest denominatio personæ creatæ in Deo.

Prima solutio reijcitur. Sed neutra solutio satisfacit, non prima: vt enim ex dicendis constabit, negatio coniunctionis ad suppositum extraneum, & dependentiæ actualis, vel aptitudinalis ab illo, nõ constituit, sed supponit personam, & ad illam constitutam supponitur: ergo denominatio personæ prior est huiuscemodi negatione; & consequenter adesse, & abesse non potest ex præsentia, vel absentia illius, sed ex alio principio.

13 *Secũda reijcitur* 1. Deinde secunda solutio reijcitur primo: est enim sententia probabilis docens humanitatem Christi propriam existentiam habere, de quo *3. part. q uæst. 17.* sed est de fide non esse personalitatẽ creatam in Christo: ergo defectus personalitatis creatæ non est alligandus defectui existẽtiæ creatæ in humanitate Christi.

Secũdo Secundo: nam in sententia D. Thomæ, & Discipulorum eius, realiter distinguente existentiam ab essentia in creaturis, & negante existentiã creatam in humanitate Christi, personalitas non supponit existentiam, sed illam causat, & infert: ergo denominatio personæ existentiam creatam præcedit; & consequenter ex illius præsentia non dependet denominatio personæ, nec abest ex defectu illius.

14 *Resp.* Respondebis, posse id, quod prius est in sui denominatione, dependere ab aliquo posteriori, vt constat in actu libero Dei, cuius denominatio volentis præ nolente adesse, & ab esse potest ex solius creaturæ defectu; cum tamen creatura volita, non sit prior, sed posterior denominatione volentis, vt pote effectus illius; ac proinde, ex eo quod subsistentia, aut personalitas, vt denominans personam, prior sit existentia creata, non probari, quod talis denominatio adesse, & abesse non possit ex præsentia, vel absentia existentiæ.

Sed contra: nam denominatio libera voluntatis in Deo non sumitur à priori ab obiecto liberê volito, aut

nolito, ſed tantum à poſteriori, à priori autem prouenit ex ſumma perfectione, & independentia perfectionis voluntatis diuinæ, ex qua prouenit vt exiſtens omnino in variata, præbeat denominationem volentis; cum poſsit nolentis denominationẽ præſtare, quod quidem eſt vnum ex myſterijs noſtræ fidei nunquam ſatis explicatum, imo forte inexplicabile: ergo ad formas, & entitates creatas, extendendum non eſt.

15 *Ex dictis infertur.* Ex dictis obiter infero, ſubſiſtẽtiam addere ſupra naturam, ſaltim aliquod connotatum extrinſecum realiter ab illa diſtinctum, eſſe de fide mediatê, quod autem in recto importet aliquid realiter diſtinctum à natura, licet ſit conformius principijs fidei, non tamen eſſe adeò certum, vt oppoſitum cenſendum ſit error.

16 *Prima pars prob.* Primum patet: nam de fide eſt in Chriſto eſſe humanitatem, & non perſonam creatam; ſed hoc ſaluari non poſſe abſque diſtinctione reali perſonalitatis à natura, ſaltim penes connotatum extrinſecum, eſt veritas demonſtrabilis, vt ex dictis colligitur: ergo perſonalitatem creatã addere ad naturam humanam, ad minus de connotato, aliquid realiter diſtinctum negatiuum, aut poſsitiuum, eſt Theologica concluſio.

Secũda prob. Secundum vero probatur: nam quod perſonalitas non ſit ex formis entitatiuis, quarum denominatio adeſſe & abeſſe poteſt abſque mutatione penes entitatem intrinſecam, per ſolam mutationem extrinſeci connotati, licet ſit à Nobis probabiliter ſatis oſtenſum, non tamen eſt demõſtratum; at hoc neceſſarium erat vt diſtinctio realis perſonalitatis à natura ſecundum perfectionem intrinſecam eſſet mediate de fide, & oppoſitum erroneum: ergo hæc diſtinctio perſonalitatis à natura non eſt adeò certa, vt illam negare debeat cenſeri erroneum.

17 *Limitatio præceptis doctrinæ.* Primum autem, quod intulimus, limitandum eſt ad ſolam naturam humanam: nam de alijs naturis, & præcipue de naturis Angelicis, non eſt adeò certa illarum diſtinctio à perſona, vel ſuppoſito, vt oppoſitum ſit error in fide. Quod patet: nam diſtinctio perſonalitatis à natura ſolum infertur, vt Theologica cõcluſio, ex myſterio Incarnationis; at ex hoc myſterio ſolum infertur diſtinctio perſonalitatis ab humana natura: ergo diſtinctio perſonalitatis à natura Angelica, Theologica concluſio non eſt.

18 *Diſtinctio perſonalitatis à natura Angelica eſt myſterio Incarnationis conformior.* Licet autem diſtinctio perſonalitatis à naturis Angelicis Theologica concluſio non ſit, eſt tamen myſterio Incarnationis conformior: ex illo namque colligitur diſtinctio perſonalitatis ab humana natura; ſed nulla eſt ratio, cur in homine diſtinguantur natura, & perſona, & non diſtinguantur in Angelis: ergo per mediatas conſequentias efficaces, & ſi non euidentes, ſimilis diſtinctio in naturis Angelorum colligitur; & conſequentẽr hæc diſtinctio ſuppoſiti à natura inter Angelos eſt principijs fidei conformior.

Minor prob. 1. Minor oſtenditur primo: nam inter Angelos, & hominem, ſolum eſt differentia compoſitionis ex materia, & forma, quæ conuenit homini, & in Angelis non reperitur; ſed nulla eſt ratio cur compoſitio ex materia, & forma, ad diſtinctionem ſuppoſiti à natura exigatur, & hæc in illa fundetur: ergo non eſt ratio aſsignabilis huiuſcemodi diſtinctionis in homine, quæ non militet in Angelo.

19 *Secũdo.* Secundo: nam ratio diſtinguendi ſuppoſitum à natura in hominibus, vel eſt limitatio naturæ, ob quã indiget complemento realiter diſtincto vt exiſtat, vel capacitas receptiua vt *quod* exiſtentiæ, & accidentium, conueniens ſuppoſito, & repugnans naturæ; at vtraque hæc ratio militat in natura Angelica; eſt enim limitata, & finita, & incapax recipiẽdi accidentia, & exiſtẽtiam vt *quod*, ſi ſemel hæc incapacitas in natura humana inuenitur: ergo eadem ratione, qua in homine ſuppoſitum à natura diſtinguitur, reperitur forma

lis diſtinctio in Angelis inter ſuppoſitum,& naturam.

§. II.

Occurritur argumentis in contra.

20 *Arg.* 1. COntra iſtam concluſionem opponit Durandus primo: ſuppoſitum,& natura,in genere ſubſtantiæ differunt, vt abſtractum, & concretum; ſed concretum, & abſtractum in genere ſubſtantiæ non differunt, niſi ſolum ratione & ex modo ſignificandi;quia ſcilicet concretum ſignificatur vt habens naturam,abſtractum autem vt habitum: ergo ſuppoſitum, & natura,ſolum differunt ratione, & ex modo ſignificãdi,& cõſequẽter ſuppoſitũ non addit ſupra naturam aliquid realiter diſtinctum ab illa. Minor probatur: non plus differunt concretum, & abſtractum in prædicamento ſubſtantiæ, quam in prædicamento accidentis; ſed in prædicamento accidentis concretũ & abſtractũ penitus idẽ ſignificãt;album enim ſolam qualitatem ſignificat, quod etiam ſignificat albedo, vt dicitur *in prædicamentis*: ergo in prædicamento ſubſtantiæ concretum,& abſtractum,idem ſignificant; & conſequenter ſolum differunt ex modo ſignificandi.

21 *Reſp.* Reſpondeo prætermiſſa maiori,negando minorem,ad illius probationem permiſſa maiori, nego etiam minorem: licet enim album, & albedo, idem ſignificent, non tamen pro eodem ſupponunt: nam album ſupponit pro corpore habente albedinem, albedo autem non pro habente, ſed pro albedine ſupponit, quare hæc propoſitio eſt falſa, *albũ eſt albedo*, ita in concreto ſubſtantiali contingit: homo namque, eſto demus quod ſolum ſignificet humanitatem,non tamen ſupponit pro illa,ſed pro habẽte humanitatem,hoc autem realiter ab humanitate diſtinguitur,vt manet probatum, & hoc eſt quod ſuppoſitum addit ſupra naturam. Eſt tamen obiter aduertendum,aliter importari,quod ſupra naturam additur,per nomen *homo*,aut *hic homo*, atque per nomen *ſuppoſitum*, vel *perſona*: his namque nominibus ſubſiſtentia, & perſonalitas de formali ſignificantur, vt ex dicendis conſtabit, homo autem, vel hic homo,non de formali, ſed de materiali ſuppoſitalitatem importat, ob quam cauſam non conceſsi, ſed admiſsi argumenti facti maiorem.

22. *Inſtat Durãd.* Sed inſtat Durandus :ideó album differt realiter ab albedine ex parte connotati, licet non ex parte ſignificati,quia connotat habens albedinem, habens autem albedinem neceſſario realiter ab albedine differt, vtpote cum albedo ſit accidens,habens autem illam ſubſtantia; ſed habens humanitatem non differt neceſſario realiter ab humanitate: ergo homo,& humanitas non differunt realiter,nec ex parte ſignificati,nec ex parte connotati. Probat minorem: humanitate ſibi relicta, & omni alio circunſcripto, datur in humanitate ſubſiſtens, & habens humanitatem: ergo habens humanitatẽ nõdiffert realiter neceſſario ab humanitate. Antecedens probatur: data humanitate, & omni alio circunſcripto,humanitas non exiſtit in alio: ergo data humanitate,& omni alio circunſcripto, ſubſiſtit humanitas: ergo omni alio circunſcripto ab humanitate datus ſubſiſtens in humanitate; & conſequenter ſine aliquo realiter ſuperaddito ad humanitatem datur ſubſiſtens habens humanitatem.

23 *Reſp.* Reſpondeo negando minorẽ:

ad probationem nego antecedens: ad illius probationem diſtinguo antecedens: non exiſtit in alio actualiter, concedo antecedens. poſsibiliter, nego antecedens, & conſequentiam: nam ad rationem ſubſiſtentis, & ſuppoſiti, non ſufficit actu ab alio non dependere, & ſuſtentari, ſed vltra requiritur non poſſe ſuſtentari, & dependere; licet autem in humanitate ſic ſumpta non detur actualis dependentia, & ſuſtentatio à ſuppoſito extraneo, non tamen illi repugnat ab alieno ſuppoſito terminari, & ideo ſubſiſtens, & ſuppoſitum, in humanitate ſibi ſoli relicta, & omni alio circũſcripto, non datur. Præter quamquod in humanitate ſibi relicta, & ſi nihil poſitiuum ab illa diſtinctum detur, in caſu à Durando poſitum, datur tamen aliquid negatiuum ab illa diſtinctum realiter, nẽpe negatio actualis dependentiæ à ſuppoſito extraneo, quæ poteſt ſeparari ab illa per oppoſitam coniunctionem; ac proinde etſi Durando intentum argumenti daremus, non inferebat ſuppoſitum nihil realiter diſtinctum à natura importare, ſed nihil reale diſtinctum poſitiuum, cuius neceſsitatem *inſequenti concluſione* monſtrabimus.

24 *Arg.* 2. Secũdo arguit Durandus: homo namque eſt nomen ſuppoſiti; cũ naturam in concreto, & non in abſtracto, ſignificet; ſed homo, & humanitas, idem realiter important: ergo ſuppoſitum, & natura, realiter nõ diſtinguuntur. Probatur minor: idem importatur per nomeu hominis, & per eius diffinitionem; ſed per diffinitionẽ hominis nihil aliud, quam natura importatur; diffinitio namque rei quidditatem indicat; quidditas autem hominis, & illius natura, ſunt idem: ergo homo, & humanitas, idem realiter important.

25 *Reſpon.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad illius probationem conceſſa maiori, nego minorem; ſicut namque homo humanitatem ſignificat in concreto, & vt in habente, vt docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 4. *art.* 3. quocirca iſta propoſitio negatur, *Filius Dei aſſumpſit hominem* in proprietate ſermonis, ita diffinitio hominis non ſolum quidditatem, vel naturam hominis explicat, ſed etiam modum eſſendi in ſuppoſito *vagè*, & incommuni, homo namque diffinitur vt habens humanitatem, & etiam *logicè* diffinitur vt animal rationale, in qua diffinitione, cum detur non per terminos abſtractos, ſed per nomina concreta, non ſolum importatur natura, ſed connotatur ſuppoſitum in communi.

26 *Reſp.* 2. Vel poteſt ſecundo dici, quod ſicut homo humanitatem ſignificat, non tamen pro humanitate ſupponit, ſed pro habente humanitatem, ita illius diffinitio explicat hominis naturam, & quidditatem, non tamẽ pro illa, ſed pro habente quidditatem, ſupponit. Iuxta quam doctrinam diſtinguo minorem: nihil aliud importatur per diffinitionem hominis, quam quidditas, & natura, in ſignificando, aut explicando, concedo minorem: in ſupponendo, nego minorem, & diſtinguo conſequens: idem realiter important ex parte rei ſignificatæ, concedo conſequentiam: in ſupponendo, nego conſequentiam.

27 *Arg.* 3. Tertio argumentari poſſumus ex D. Thoma opuſculo 2. cap. 211. illis verbis: *Sic igitur in alijs hominibus vnio animæ, & corporis conſtituit hypoſtaſim, & ſuppoſitum; quia nihil aliud eſt præter hæc duo*: ergo ſentit D. Thomas ſuppoſitum humanum vnione animæ, & corporis, conſtitui, & nihil addere realiter ab humanitate diſtinctum. Quod amplius vrgetur ex eodem D. Thoma quodlibeto 2. quæſt. 2. art. 5. ad finem illis verbis: *Dicendum, quod natura dicitur conſtituere ſuppoſitum, etiam in compoſitis ex materia, & forma, non quia natura ſit vna res, & ſuppoſitum alia res; hoc enim eſt ſecundum opinionem dicentium, quod natura ſpeciei ſit*

Confir.

for-

forma tantum, quæ constituit suppositum, & totum, sed quia secundum modum significandi natura significatur vt pars, ratione supra dicta, suppositum vero vt totum, natura significatur vt constituens, suppositum vt constitutum: ergo sentit D. Thomas, naturam, & suppositum, etiam in compositis ex materia, & forma, non realiter, sed tantum ex modo significandi differre.

28 *Resp. argumẽto.* Respondeo ad argumentum, cum D. Thomas docet vnionẽ animæ, & corporis, constituere suppositum, & personam, non loqui de cõstitutione formali, sed radicali; quia scilicet vnio animæ, & corporis, cõstituit indiuiduam naturam, in qua radicatur subsistentia formaliter constituens suppositum; causalis autem illa, *quia nihil aliud est præter hæc duo*, non cadit supra suppositum, ita vt sensus sit, *quia suppositum in homine puro nihil aliud est præter hæc duo*, sed excludit aliud integrum, cui ad iungatur, & cum quo ad alterum constituendum ordinetur, qualiter contingit in Christo, in quo præter animã, & corpus, vnita, invenitur tertia substãtia, nẽ pẽ diuinitas, ex qua vt terminante, & humanitate vt terminata, constituitur Christi persona, & ratio Diui Thomæ est: nam suppositum est aliquid integrum, & completum, humanitas autem in Christo, eo ipso quod ordinetur ad constituendum, simul cum diuinitate vnita, humanã Christi personam, ratione sui integra, & completa nõ est; ac proinde, nec personam creatam constituit; in alijs autem hominibus tertia substantia completa, cui adiungatur humanitas, non est, & ideô vnio animæ, & corporis, in illis suppositum creatũ constituit, non formaliter, sed radicaliter, radicando scilicet modum, quo compleatur humanitas, & formaliter constituat suppositum.

29 *Ad conf.* Ad confirmationem dicatur, D. Thomam *in illo articulo in corpore*, & *solutione ad primum*, expresse affirmare distinctionem suppositi à natura creata: vnde verbis in contrarium adductis solum negat distinctionem entitatiuam rei à re inter suppositum, & naturam, quã adstruebant asserentes naturam adæquate in forma consistere, ex qua, & materia, suppositum docebant cõstitui, non autem negat distinctionẽ realem modalem, quam in *corpore* affirmauit.

Denique arguitur: suppositum, & natura, non differunt realiter in Angelis: ergo non in omni creatura suppositum, vel persona, addit supra naturam aliquid realiter distinctum ab illa. Antecedens probatur ex D. Thoma *supra quæst. 3. art. 3. in corpore*, illis verbis: *In his igitur, quæ nõ sunt composita ex materia, & forma, in quibus indiuiduatio nõ est per materiam indiuidualem, ideſt per hãc materiã, sed ipsæ formæ per se indiuiduantur, oportet quod ipsæ formæ sint supposita subsistentia; vnde in eis non differunt suppositum, & natura, & sic cum Deus non sit compositus ex materia, & forma, oportet quod Deus sit sua Deitas, sua vita, & quidquid aliud sic de Deo prædicatur.* Id ipsum docuit *quæst. 9. de potentia art. 1. in corpore. in 3. distinct. 5. quæst. 1. art. 1 in corpore*, & 4. *Cõtra Gentes cap. 55.* vbi probat cõuenientius fuisse Verbum humanam naturam, quam Angelicam, assumere; quia assumptio creaturæ à Deo est in persona, non in natura, vt ex prioribus patet: conuenientius ergo assumpta est hominis natura, quam Angelica, *quia in homine aliud est natura, aliud est persona; cum sit ex materia, & forma compositus, non autem in Angelo, qui immaterialis est.*

30 *Deniq; arg.*

Huic argumento variê occurritur ab Auctoribus nostræ sententiæ. Prima solutio est Capreoli *in 3. dist. 5.* vbi docet suppositum posse sumi dupliciter, primo *denominatiuè*, nempê pro re, quæ denominatur subsis-

31 *Solutio Capreoli.*

sistentiam importat, & quod Diuus Thomas, cum ait suppositum in separatis à materia non distingui realiter à natura, loquitur de supposito pro re, quæ denominatur subsistens, non autem prout de formali importat personalitatem; sic namque etiã in Angelis suppositum à natura distingui docet D. Thomas *quodlibeto 2. quæst. 2. art. 4.* & colligitur à perte ex ipsius doctrina *3. p. q. 4. art. 1. ad 3.* vbi docet potuisse Deum naturam Angelicã assumere ad vnitatem personæ, ad quod necessarium est vt personalitas propria non adsit, vt patet ex dictis.

32 *Impugnatur.* Hæc tamen solutio difficilis redditur: nam falsum est naturam in separatis à materia esse *denominatiuè* suppositum, vel quæ subsistit vt *quod*; sed vt hæc solutio esset vera, necessarium erat, quod natura Angelica esset subsistens vt *quod*: ergo tradita solutio menti D. Thomæ nõ congruit. *Maior ostenditur* 1. Maior ostenditur primo: natura humana nõ subsistit vt *quod*, sed vt *quo*, aliàs ipsa esset persona; & consequẽter duplex persona esset constituenda in Christo, sumpta *deminatiue* persona, licet ab eadem forma vtraque esset constituta; sed quoad hoc eadem ratio est de natura Angelica, & humana: ergo Angelica natura non est *denominatiuè* suppositum, nec est subsistens vt *quod*. *Secũdo.* Secundo: nam id subsistit vt *quod*, quod vt *quod* existit, & vt *quod* operatur; sed natura Angelica non existit, nec operatur vt *quod*, sed tantum vt *quo*: ergo natura Angelica non est *denominatiuè* suppositum, nec subsistens vt *quod*.

33 *Tertio.* Tertio: nam si Angelica natura est *denominatiuè* suppositum, sequitur hanc esse veram propositionem, *Gabriel est Gabrieleitas*, & in vniuersum de omni Angelico supposito vere in sensu identico sua natura in abstracto prædicaretur; cum ad propositionis veritatem sufficiat idẽtitas prædicati cum eo, pro quo subiectum supponit, & in natura Angelica est eadem cum eo, pro quo supponit persona, & suppositum Angeli; consequens est falsum: nam Diuus Thomas soli Deo concedit, quod de illo sua natura, abstracte sumpta, identicè prædicetur: ergo falsum etiam est quod natura in Angelis sit *denominatiuè* suppositum.

Deniq; prob. maior. Denique: si natura Angelica, vt potuit, assumpta fuisset à Verbo, nõ esset *denominatiuè* suppositum, nec subsisteret vt *quod*: ergo nec per propriã subsistẽtiã subsistit vt *quod*, sed vt *quo*. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem probatur: si natura Angelica assumpta à Verbo subsisteret vt *quod*, sequeretur, ipsi vt *quod*, & non Verbo, operationes esse attribuendas; hoc autem falsum est; aliàs operationes, tunc casus à tali natura elicitæ, non essent infiniti valoris: ergo in Verbo non subsisteret vt *quod*, sed vt *quo*.

34 *Solutio Caiet.* Secunda solutio est, suppositum dupliciter posse sumi, primo pro substantia indiuidua omnino incommunicabili, secundo pro indiuiduo naturæ, & cum D. Thomas docet in substantijs spiritualibus suppositum à natura realiter non distingui, non loqui de supposito in prima, sed in secunda acceptione. Ita Caietanus, Medina, Aluarez, & Nazarius, quos sequuntur alij Thomistæ.

Contra illam arguitur 1. Contra quam solutionem obstat primo, D. Thomam *in locis allegatis* asserere, formas spirituales cõpletas, quia indiuiduantur se ipsis, esse supposita subsistentia; sed suppositum subsistens est substantia indiuidua omnino incõmunicabilis: ergo nomine suppositi non accipit indiuiduum, sed substantiam vltimo termi natam, & omnino incommunicabilem.

35 *Secũdo.* Secundo: nam ex non distinctione suppositi à natura inter Angelos infert D. Thomas naturam humanã esse magis assumptibilem, quam Angelicam à Verbo; sed si personalitas à natura Angelica realiter distingueretur, quamuis indiuiduum non distingueretur ab illa, inepta esset

hæc illatio; assumptibilitati namque naturæ non repugnat indiuiduatio, sed subsistentia, aut personalitas: ergo solutio data menti D.Thomæ nó congruit.

36 *Tertio.* Tertio: nam ex eo quod in simplicibus nõ distinguatur suppositum à natura, & Deus est simplex, ex materia, & forma incompositus, infert D.Thomas *Deitatem, vitam, sapientiam*, & alias perfectiones diuinas in abstracto sumptas, veré prædicari de Deo, vel concreto Deitatis; at si nomine suppositi accepisset indiuiduum, hæc consequentia esset nulla: ergo nomine suppositi non accipit indiuiduum.

Minor prob. dupliciter Probatur minor dupliciter, primo: nam in Angelis indiuiduum non distinguitur à natura; & tamen quia persona realiter ab illa distinguitur, falso natura Gabrielis de Gabriele prædicatur: ergo si nomine suppositi accepisset indiuiduum, illatio D.Thomæ esset nulla. Secundo: nam *Deus* est nomen naturæ de connotato importans suppositum, & potens pro personis supponere, quo circa hæc propositio, *Deus genuit Deum*, vera censetur à Theologis; hæc tamen, *Deitas generat Deitatem*, vt falsa ab illis reijcitur: ergo si personæ diuinæ realiter à natura differrent, quamuis indiuiduum Deitatis non distingueretur ab illa, hæc propositio, *Deus est Deitas*, vera non esset. Patet consequentia: quia namque homo importat incommuni personam, & pro illa supponit, & hæc realiter à natura distinguitur, quamuis indiuiduatio non distinguatur realiter à natura humana, hæc propositio, *homo est humanitas*, falsa censetur ab Angelico Doctore: ergo si personæ diuinæ realiter à natura differrent, quamuis indiuiduum Deitatis realiter non distingueretur ab illa, hæc propositio, *Deus est Deitas*, vera non esset.

37 *Tandem contra illam arguitur.* Denique: nam D.Thomas discrimen statuit inter simplicia, & cõposita, quoad hoc quod est suppositũ distingui à natura; sed si nomine suppositi accepisset indiuiduum, hoc discrimen nõ subsisteret: ergo idem quod prius. Probo minorem: indiuiduatio in homine non distinguitur realiter à natura: ergo si nomine suppositi accipiatur indiuiduum, falso assereret D.Thomas in compositis ex materia, & forma, suppositum realiter distingui à natura, secus autem in simplicibus; & consequenter non posset subsistere discrimen à Diuo Thoma statutum inter simplicia, & composita.

38 *Tradita solutio explicatur, & defendit.* Hæc tamen, etsi vrgentia sint, non tamen veritatem solutionis traditæ infringunt, si rectè explicetur. Ad primam respondeo primo, formas separatas à materia se ipsis esse suppositа subsistentia, sumpta subsistentia pro irreceptibilitate in materia, vel incommunicabilitate alteri vt indiuiduo, non autem sumpta subsistentia pro perfeitate incommunicabilitatis alteri tanquam supposito; hæc namque nulli creatæ naturæ potest identificari, vt ex D.Tho. vidimus. Vel secundo respondetur, formas separatas à materia esse per se ipsas suppositа subsistentia vt *quo*, & radicaliter, non autem vt *quod*, & formaliter; quia natura non subsistit vt *quo*, nec radicat subsistentiã nisi vt indiuidua, est autem hæc differentia inter formas separatas, & illas, quæ receptibiles sunt in materia, quod formæ separatæ se ipsis indiuiduantur, formæ vero receptibiles, per materiam, vt quantitate signatam, & ideò formæ separatæ se ipsis subsistunt vt *quo*, & radicant subsistentiam, formæ vero receptibiles non se ipsis, sed per aliquid ab illis distinctum, radicant subsistentiam, & subsistunt vt *quo*.

Ad 1. replicam. Resp. dupliciter

39 *Ad 2.* Ad secundam nego minorem: cum enim identitas subsistentiæ cum natura obstet assumptibilitati, quo maior est, magis obstat, & quo minor est, minus obstat; quia ergo in Angelis, etsi sumpta formaliter distinguatur à natura, sumpta in radice non distinguitur ab illa, in natu-

ris autem ex materia, & forma, compoſitis, diſtinguitur perſonalitas ab illis, & formaliter, & pro radice: hinc fit, perſonalitatem intimiorem eſſe naturis Angelicis, quam naturæ humanæ, quæ eſt ex materia, & forma, compoſita; ac per conſequens naturam humanam eſſe aſſumptibilem præ Angelica. Et quidem cum D. Thomas vtramque aſſumptibilem eſſe in ſua comparatione ſupponat, in vtraque etiam ſupponit perſonalitatem à natura diſtingui: vnde maior congruitas, quam, vt aſſumi poſsit, humanæ naturæ concedit præ Angelica, non ſumitur ex identitate perſonalitatis cum illa, ſed ex minori diſtinctione, quæ in Angelis reperitur.

40 *Ad 3. replicam.* Ad tertiam conceſſa maiori, nego minorem. Ad primam probationem conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam, ratio autem diſcriminis eſt: nam Gabriel non poteſt accipi pro natura, ſed tantũ pro ſuppoſito, & perſona; Deus autem poteſt accipi pro natura diuina indiuidua præciſiuè à tribus perſonis, & ideo ex eo quod Deus, quia ſimplex eſt ex parte indiuiduationis, à Deitate realiter non diſtinguatur, rectè colligitur de Deo prædicari Deitatem, non autem id ipſum de natura Angelorum colligitur.

41 *Ratio diſcriminis datur.* Ratio autem aſsignati diſcriminis eſt: nam Deitas præcedenter ad perſonas ſupponitur ſummè perfecta, & completa ad exiſtendum; nõ enim ratione perſonalitatum exiſtit, ſed potius perſonis exiſtentiam cõmunicat, & ideô hoc nomen *Deus*, quod naturam vt completam ſignificat, poteſt pro natura ſupponere præciſiuè à perſonis, & de illo vt ſic ſupponente verè prædicari natura; in Angelis autem oppoſitum oppoſita de cauſa contingit: ſubſiſtentia namque in illis non ſupponit naturam completam, ſed complet ad exiſtendum, & ideô nomina concreta ſignificantia naturam, vt completè ſubſiſtentem, non poſſunt pro natura ſupponere, nec de illis in concreto poteſt prædicari natura.

Et ex his ad ſecundam minoris probationem conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, ad cuius probationem diſtinguo antecedẽs: quia tantum pro perſona ſupponit, concedo antecedens: quia ſupponit pro perſona, nego antecedens, & conſequentiam: quia Deus licet poſsit pro perſonis ſupponere, non tamen ſupponit tantum pro illis, ſed etiam pro natura indiuidua, perſonali, vel reali ſuppoſitione immediata, & ideô eo ipſo quod natura indiuidua ſit ſe ipſa, quamuis perſonalitates diuinæ eſſent realiter à natura diſtinctæ, poſſet Deitas prædicari de Deo, homo autem vt ſupponens perſonaliter ſolum poteſt pro perſona humana ſupponere, ob rationem datam proximè de Angelis; & quia hæc à natura diſtinguitur realiter, ideó de homine, vt perſonaliter ſupponente, non poteſt verè humanitas prædicari.

42 *Secũda probatio minoris dilui tur.*

Ad vltimam conceſſa maiori, nego minorem, ad illius probationem diſtinguo antecedens: pro formali indiuiduationis, concedo antecedens: pro radice, nego antecedens, & conſequentiam: nam in cõpoſitis ex materia, & forma, etſi indiuiduatio naturam contrahens, & indiuiduum conſtituens, ſumpta formaliter identificetur realiter cum natura, quia tamen fundamentum illius eſt materia, ſignata quantitate, & hæc à natura realiter diſtinguitur; fit, quod indiuiduatio radicaliter realiter diſtinguatur à natura; in ſimplicibus autem non ita: nam principium indiuiduationis non ſumitur ab aliquo realiter ab illis diſtincto, ſed ſe ipſis indiuiduantur, quia ſunt formæ per ſe ſubſiſtẽtes, & receptibiles in materia.

43 *Ad vltimam inſtantiã,*

Adhuc tamen manet contra dicta difficultas: nam D. Thomas *in 3. diſt. 5. q. 1. art. 3. in corp.* docet ex Auicena: *Quod in ſimplicibus ipſum ſimplex eſt ſua eſſentia, & quidditas, quidditas vero cõpoſi*

44 *Contra inſtatur ex D. Thom.*

ti non est ipsum cõpositum: humanitas enim non est homo, & rationem reddit; quia in significatione humanitatis continentur solum essentialia hominis, non autem ea, quæ pertinent ad determinationem materiæ, per quam natura indiuiduatur, quæ tantum continentur in significatione Sortis, & ideò humanitas non prædicatur. Et paucis interpositis ait: *In simplicibus autẽ non differt re natura, & persona; quia natura non recipitur in aliqua materia per quã indiuiduetur, sed est per se subsistens; tamen in quantum considerantur essentialia rei, sic dicimus ibi naturam, in quantum autem inuenitur ibi aliquod subsistens, sic dicimus ibi personam*: ergo apertè sentit D. Thomas in compositis ex materia, & forma, non prædicari naturam de persona, & supposito; quia cum tantum essentialia significet, persona autem addat indiuiduationem, quæ est extra essentialia illarum, est quasi pars, in simplicibus autem naturam prædicari de supposito subsistente, & persona; at si persona in simplicibus realiter differret à natura, non posset natura prædicari de persona: ergo in non compositis ex materia, & forma, personalitas non est aliquid realiter à natura distinctum.

45 *Resp.* Respondeo, personam, siue in simplicibus, siue in compositis, importare subsistentiam in recto, & naturam in obliquo, vt indiuiduam; natura namque non, nisi vt indiuidua, est proximè susceptiua existentiæ: discrimen ergo à Diuo Thoma ex Auicena statutum inter simplicia, & composita, sic intelligendum est, quod simplex est sua quidditas ex parte naturæ indiuiduæ; quia in illis indiuiduatio non sumitur ab extrinseco, sed est illis essentialis: vnde cum natura dicat prædicata essentialia, ipsum simplex quoad id, quod dicit in obliquo persona, scilicet naturam indiuiduam, est sua quidditas, & de illo sic sumpto sua quidditas prædicatur; in compositis autem, quia indiuiduatio nõ est illis essentialis, sed accidentalis prædicabiliter, licet essentialia determinet, vt docet D. Thomas *quod libeto 2. vbi supra*, & natura solum importat prædicata essentialia: fit, vt compositum ex materia, & forma, etiam ex parte naturæ indiuiduæ, quam de connotato importat persona, sua quidditas non sit, sed quidditas comparetur vt pars etiam respectu naturæ indiuiduæ, quæ est proximum susceptiuum existentiæ.

45 *Vrgebis* Sed dices, adhuc non saluari discrimen: docet enim D. Thomas de compositis non prædicari naturam, bene vero de simplicibus; sed loquendo ex parte naturæ indiuiduæ, quam de connotato importat persona, etiam de compositis prædicatur natura: ergo explicatio tradita non saluat discrimen ab Angelico Doctore statutum inter simplicia, & composita. Patet minor: hæc namque prædicatio est vera, *humanitas indiuidua est humanitas*, sicut hæc, *humanitas est animalitas*, vt communiter docetur à Logicis: ergo de compositis ex materia, & forma, ex parte naturæ indiuiduæ, quam de connotato importat persona, verè prædicatur natura.

47 *Resp.* Respondeo, naturam indiuiduam, quam de connotato importat persona, posse considerari formaliter, & etiam radicaliter: discrimen ergo consistit in hoc, quod in simplicibus, quia natura indiuiduatur se ipsa, de ipsis ex parte naturæ indiuiduæ, attento etiam indiuiduationis principio, aut radice, prædicatur natura; in compositis autem, licet de natura indiuidua, sumpta indiuiduatione formaliter, prædicetur natura, sumpta vero radicaliter non prædicatur; quia in illis indiuiduatur per materiam quantitate signatam, de qua natura non prædicatur.


48 *Instabis* Sed contra doctrinam traditam adhuc arguitur: nam intentum D. Thomæ *in articulo citato* erat probare, Deum non esse compositũ

ex essentia, & subsistentia, sicut *in præcedenti* excluserat compositionem ex materia, & forma; sed medium probatiuum fuit, quod non est compositus ex materia, & forma, siue ex hac materia, & hac forma, vel quia principium radicale indiuiduationis est à natura indistinctum: ergo sentit omne incompositum ex hac materia, & forma, & in quo principium radicale indiuiduationis est à natura indistinctum, esse incompositum realiter ex essentia, & subsistentia. Maior probatur: nam D. Thomas *alicubi* excluſit compositionem istam à Deo ex essentia, & subsistentia; sed non alibi nisi *in hoc articulo*: ergo *in illo articulo* excluſit, & probauit, istam simplicitatem, & negationem compositionis ex essentia, & subsistentia.

49 *Resp.* 1. Respondeo primo negando maiorem, ad probationem dicatur, Diuum Thomam egisse de identitate subsistentiæ cum essentia *in quæstione* 29. disputans identitatem personæ cum essentia diuina. *Dices.* Si dicas, diuersa est subsistentia absoluta à personalitate; sed *ibi* egit de personalitate: ergo non de subsistentia. *Resp.* Respondeo, semel conuicta identitate personalitatis, quæ relatiua est, cum essentia, à fortiori constare identitatem subsistentiæ absolutæ, ideò autem forsitam D. Thomas quæstionem distinctam non mouet, quia subsistentia non personalis non ita nota est, ac subsistentia constituens personam.

50 *Resp.* 2. Secundo respondeo concessa maiori, distinguendo minorem: medium probatiuum inferens adæquate identitatem subsistentiæ cum essentia diuina, nego minorem: inadæquatè inferens, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque duplex caput assignatur à D. Thoma, ex quo proaenit distinctio naturæ à subsistentia, vnum est compositio ex materia, & forma, & distinctio principij indiuiduationis à natura indiuiduata, aliud est capacitas recipiendi accidentia, & existentiam distinctam, componendique cum illis: vnde D. Thomas inferens in Deo identitatem subsistentiæ cum natura ex negatione compositionis ex materia, & forma, intulit ex vno capite, illaturus ex principio adæquato probando *insequentibus articulis* negationem compositionis in Deo ex essentia, & existentia, ex subiecto, & accidentibus, ideò autem *in illo articulo* solum inadæquatè probauit, quia solum à Deo excluserat vnam ex illis compositionibus, scilicet ex forma, & materia.

51 *Sed dices.* Sed dices: ergo non rectè processit, sed debebat prius omnes illas compositiones excludere, nempe ex essentia, & existentia, & subiecto, & accidentibus, & posteà compositionem ex natura, & subsistentia; siquidem hæc negatio in Deo ex illis adæquatè inferebatur. *Resp.* Respondeo negando consequentiam: nam licet attenta solum dependentia istius negationis sic procedere debuisset, quia tamen compositiones illæ isto modo operantur, quod prima est ex materia, & forma, secunda ex essentia, & subsistentia, tertia ex essentia, & existentia, & quarta ex subiecto, & accidentibus, vt eo ordine eas excluderet à Deo, quo increatis inueniuntur, ideò talem ordinem seruauit, & alterum prætermisit.



§. III.

Reijcitur secunda sententia.

52 *Sententia Scoti impugnatur.*

SEcunda conclusio: *Id, quod persona creata superaddit ad naturam, non est sola negatio, sed aliquid positiuum.* Ita omnes Theologi tam intra, quam extra Scholã D. Thomæ, præter Discipulos Scoti. Illam docet expressè D. Thomas *in 1. distinc. 25. quæst. 1. art. 2. ad 1. & articulo 3. in corpore*, vbi, relata sententia asserente personam importare aliquid commune personis secundum negationem, sic habet: *Sed hoc non videtur sufficiens; quia persona de ratione sua non dicit negationem tantum, sed etiam positionem quandam.* Constat etiam ex testimonijs adductis cõclusione præcedenti.

53 *Prob. 1.*

Deinde suadetur primo: etenim Persona Diuina addit supra naturam non solum negationem, sed etiam aliquid positiuum, vt fatetur Scotus: ergo persona creata non solum addit negationem supra naturam, sed etiam aliquid positiuum, supra quod talis negatio fundatur. Patet consequentia primo: nam persona creata est participatio personalitatis diuinæ, negatio autem nequit esse participatio positiuæ entitatis: ergo si Persona Diuina positiuum addit, per illudque constituitur, etiam persona creata. Secundo à paritate rationis: non enim sufficiens ratio discriminis inter diuinã, & creatam personam, quoad constitui per positiuum potest assignari.

54 *Triplex solutio.*

Respondebis primo, discrimen in hoc consistere: nam personæ increatæ multiplicantur realiter per sui constitutiua, quæ multiplicatio nequit à negatione præstari, hæc autem ratio in persona creata non militat, & ideò potest constitui sola negatione supperaddita naturæ. Vel secundo respondebis, negationem repugnantiæ petere super aliquid positiuum fundari, hæc autem est differentia inter personam diuinam, & personam creatam, quod illi essentialiter repugnat per diffinitum à se terminari, & ab illo dependere, secus autem personæ creatæ; potest enim, saltim de potentia absoluta, natura creata existere in extraneo supposito, & ideò negatio actualis dependentiæ, per quam constituitur, non petit super entitatem positiuam fundari. Vel denique respondebis aliud constituendo discrimen, nempe, quod natura diuina, ob sui illimitationem, petit tribus communicari personis, vel suppositis, & ideò, vt incommunicabilis sit, debet illi supperaddi entitas aliqua positiua, ratione cuius persona diuina incommunicabilis constituatur; natura vero creata nõ petit alteri communicari, atque adeò negatio communicationis, vel communicabilitatis, non indiget pro fundamento entitate positiua ad naturam superaddita.

55 *Prima solutio reijcitur.*

Nulla tamen ex his solutionibus argumento satisfacit. Non prima: nam etiam personæ creatæ personaliter realiter distinguuntur: ergo personalitas creata personas multiplicat. *Dices*, personas creatas esse realiter distinctas, quia habent distinctas naturas: vnde non multiplicantur ratione personalitatis ad naturam superadditæ, cuius oppositum in diuinis contingit: nam multiplican-

Dices.

tur perſonæ cum vnitate naturæ.

Contra. Sed contra : ſtat namque diſtinctio,& multiplicatio , perſonarum cum vnitate naturæ creatæ : ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Probo antecedens primo: nam ſi humanitas relinqueretur à Verbo,reſultaret perſona creata ab homine Chriſto perſonaliter diſtincta : & tamen eſt vna natura : ergo ſtat perſonam multiplicari,non multiplicata natura creata. Secundo : ſi, vt plures cenſent poſsibile, Verbum terminaret naturam creatam retenta propria perſonalitate, eſſent duæ perſonæ etiam per reſpectum ad naturam creatam aſſumptam , & natura eſſet vna: ergo verum eſt antecedés. Denique huic ſententiæ adiuncta alia , quam plures defendunt , quod nempe perſona creata poteſt alienam terminare naturam , ex natura terminata duplici perſonalitate duplex reſultaret perſona , ſicut perſonæ diuinæ ſunt plures cum vnitate naturæ;& tamen natura eſſet vna: ergo ſtat multiplicatio perſonæ cum vnitate naturæ creatæ.

56 *Secũda impugnatur.* Deinde ſecunda ſolutio reijcitur : etenim nec perſonæ diuinæ, nec perſonæ creatæ, ex parte naturæ repugnat eſſentialiter communicari ſuppoſito; natura namque Verbi eſt Patri,& Spiritui Sancto communis;ſed reduplicata ratione perſonæ , etiam perſonæ creatæ repugnat alteri communicari:ergo in nullo ſubſiſtit ſecunda ratio diſcriminis.

Dices. Dices , naturæ diuinæ quamuis competat aptitudo , vt communicetur Patri , eſſentialiter tamen illi repugnat communicatio ſuppoſito extraneo ; ſecus autem naturæ creatæ, & in hoc conſiſtit diſcrimen.

Contra. Sed contra: repugnantia communicationis ad ſuppoſitum extraneum non eſt,quæ conſtituit perſonam diuinam, alias cum hæc repugnantia competat naturæ diuinæ pro priori ad relationes, & independenter ab illis, pro priori ad relationes eſſet conſtituta perſona, quod eſt abſurdum : ergo ex iſta repugnantia non eſt penſandum diſcrimen inter perſonam creatam , & increatam.

57 *Reijcitur tertia ratio diſcriminis.* Tandem vltima ſolutio,aut diſcriminis ratio, reijcitur: nam etiam natura creata , inſpecta ſecundum ſe,& præciſa propria perſonalitate, eſt communicabilis alteri,ab illoque ſuſtentabilis,& terminabilis : ergo vt incommunicabilis , & interminabilis conſtituatur , indiget aliquo poſitiuo ſuperaddito,& diſtincto.

58 *Reſp.* Dices,naturã v. c. humanã inſpectã ſecundũ ſe eſſe terminabilem per alienum ſuppoſitum,non connaturaliter , ſed tantum obedientialiter ; natura vero diuina ratione ſui connaturaliter eſt terminabilis tribus ſubſiſtentijs diuinis , de ratione autem perſonæ eſt incommunicabilitas per negationem potentiæ cõ naturalis vt communicetur,non autem per negationem potentiæ obedientialis,& ideo natura humana ſibi relicta abſque aliquo ſuperaddito poſitiuo ſufficienter fundat negationem communicabilitatis petitam à ratione perſonæ, ſecus autem natura diuina,ſed indiget aliquo ſuper addito vt fundet negationem prædictam.

Contra. Sed contra: nam incommunicabilitas petita ad rationem perſonæ non ſolum dicit negationem communicabilitatis naturalis , ſed etiam obedientialis;ſed, vt admittitur *in ſolutione tradita* , vt inducatur negatio communicabilis naturalis, petitur aliquid poſitiuum additum naturæ communicabili naturaliter : ergo vt inducatur incommunicabilitas obedientialis,petitur poſitiuum aliquid ſuperadditum ad naturam communicabilem obedientialiter. Maior oſtenditur primo: nam eo modo requiritur ad rationẽ perſonæ negatio communicabilitatis,quo exigitur negatio actualis cõ

mu-

municationis; sed iuxta Scotum petitur ad rationem personæ negatio communicationis, non solum connaturalis, sed etiam obedientialis; cũ natura humana in Christo, ideò persona creata non sit, quia est actu cõmunicata Verbo, quæ tamen communicatio connaturalis non est, sed supernaturalis, & obedientialis: ergo etiam negatio communicabilitatis consequuta ad rationem personæ vtramque potentiam excludit. Secundo: nam personæ, vt tali, essentialiter repugnat alieno communicari supposito; sed essentialis repugnantia vtramque potentiam excludit: ergo incommunicabilitas constitutiua personæ dicit negationem communicabilitatis, non tantum connaturalis, verum etiam obedientialis.

59 *Resp.* Dices, incommunicabilitatem constitutiuam personæ dicere negationem communicabilitatis, etiam obedientialis, personæ, vt personæ: nam vt sic negationem vt constituentem importat; cumque implicet negationem communicationis conseruari cum natura communicata, implicat personam vt talem communicari subiecto extraneo, non autem dicere negationem communicabilitatis obedientialis naturæ, aliàs ex humanitate nunquam posset resultare persona creata; cum semper sit ratione propriæ entitatis obedientialiter terminabilis per subsistentiam diuinam, & ideo vt inducatur incommunicabilitas obedientialis, non petitur additio entitatis positiuæ, sed sufficit negationem communicationis supperaddi.

60 *Sed contra.* Sed contra: etiam negatio cõmunicabilitatis naturalis, petita ad rationem personæ, non se tenet ex parte naturæ, sed tantum ex parte personæ sub ratione personæ; & tamen, vt ex natura communicabili naturaliter persona constituatur, requiritur supperaddi ad naturam entitatem aliquam positiuam: ergo pariter, vt ex natura communicabili obedientialiter cõstituatur persona, quæ est obedientialiter incommunicabilis, requiritur supperaddi ad naturam entitatem aliquam positiuam. Minor constat ex dictis, & ab Aduersarijs conceditur. Consequentia tenet à paritate rationis. Minor autem constat in processione, verbi causa *Verbi*, cuius natura, accepta secundum se, naturaliter communicatur Patri, & Spiritui Sancto: ergo de ratione personæ non est, quod illius natura non sit alteri personæ naturaliter communicabilis, sed quod persona, vt persona, non possit naturaliter alteri communicari.

61 *Secũdo prob. cõclusio.* Secundo probatur conclusio ex mysterio Incarnationis: nam vt cõmuniter Patres, & Doctores fatentur, Verbum assumpsit humanitatẽ, non autem personam humanam, insuper supleuit personalitatem creatam, terminando humanitatem, ac denique ex Verbo, & humanitate, vnum per se resultauit; sed nihil istorum potest in legitimo sensu saluari, si personalitas creata solam negationem supperaddat ad naturam: ergo non addit ad illam solam negationem, sed aliquid positiuum. *Minor pro prima parte constat:* nam si sola supperaddatur negatio actualis cõmunicationis alteri tanquam supposito, sensus Patrum asserentium Verbum assumpsisse naturam, non autem personam humanam, esset humanitatem assumptam non mansisse non assumptam, nec actu incommunicatam, qui sensus omnino est ridiculus: ergo primum non potest ab oppositа sententia in legitimo sensu saluari.

Minor pro 1. parte cõstat.

62 *Pro 2. parte prob.* Deinde pro secunda parte probatur: nam negatio dependentiæ non potest per oppositam dependentiam supleri; sed Verbum terminando humanitatem, illam constituit à se ipso dependentem: ergo non supleuit negationem depẽdentiæ, quæ in sententia contraria supperadditur naturæ, vt resultet persona creata.

Tertia pars probatur. Denique pro tertia parte probatur: etenim ex duplici ente per se

cto, non poteſt vnum per ſe reſultare, qua ſola ratione ex duabus perſonis non poteſt vna perſona conſtitui, nec ex duabus integris naturis poteſt vna reſultare natura; ſed niſi perſonalitas creata addat aliquid poſitiuum ad naturam, quo humanitas Chriſti caruerit, erit humanitas Chriſti omnino, & perfectè completa; aliàs Verbum completum ſupponitur: ergo ſi perſona creata nó addat ſupra naturam entitatem aliquã poſitiuam, non poteſt ex humanitate, & Verbo, vnum ens per ſe reſultare.

63 *Minor prob. 1.* Minor probatur primo: nam illud, cui nulla entitas deeſt, eſt perfectum, & completũ; ſed humanitati Chriſti non deeſt aliqua entitas poſitiua, ſed tantummodo negatio actualis communicationis, ſi hæc perſonam creatam conſtituit: ergo in hac ſententia omnino completa ſupponitur humanitas Chriſti ad terminationem Verbi. *Secũdo.* Secundo: nam negatio non repugnantiæ, qualis eſt illa, quæ in oppoſita ſententia conſtituit perſonam creatam, non poteſt entitatem poſitiuam complere; ſed ſolum, in contraria ſententia, deeſt humanitati negatio non repugnantiæ: ergo nihil illi deeſt, ex quo incõpleta reddatur.

64 *Conf.* Quod amplius vrgeri poteſt: cum enim Verbum terminando humanitatẽ ſuppleuerit perſonalitatẽ creatam, & illius vices geſſerit, non poteſt ex Verbo, & humanitate, vnũ per ſe reſultare, ſi ex humanitate, & perſonalitate creata vnum per ſe nõ reſultat; ſed ſi perſonalitas creata in negatione conſiſtat, non poteſt ex illa, & humanitate, reſultare vnum per ſe: ergo nec poteſt ex Verbo, & humanitate. Probatur minor: plus diſtant poſitiuum, & negatio, quam accidens prædicamentale, & ſubſtantia; ſed ex his nequit vnum per ſe reſultare: ergo ex poſitiuo, & negatiuo, nequit vnum ens per ſe conſtitui.

65 *Tertio prob. cõcluſio.* Et ex his ſuadetur tertio: nam ex natura, & perſonalitate creata, reſultat vnum per ſe poſitiuum in prædicamento ſubſtantiæ; ſed ex negatione, & poſitiua entitate, non poteſt vnum per ſe reſultare: ergo perſonalitas creata non conſiſtit in negatione, ſed in aliqua entitate poſitiua. Minor probatur primo paritate facta: plus enim diſtat negatio ab ente poſitiuo, quam accidens prædicamentale à ſubſtantia; ſed ex accidenti, & ſubſtantia, non poteſt vnum per ſe reſultare: ergo nec poteſt ex negatione, & poſitiua entitate. Secundo: nam vnum per compoſitionem reſultare petit, vel ex potentia, & actu, vel ex terminabili, & termino; ſed negatio nequit reſpectu entitatis poſitiuæ ſortiri rationem actus, potentiæ, termini, vel terminabilis: ergo ex illis nequit vnum per ſe reſultare.

66 *Aliquorũ ratio excluditur.* Denique ſuaderi ſolet concluſio: omnis namque negatio petit ſuper entitatem poſitiuam fundari: ergo negatio dependentiæ actualis, vel aptitudinalis, neceſſario præſupponit entitatem poſitiuam ſuperadditam naturæ; & conſequenter perſona creata non addit ſupra naturam ſolam iſtam negationem. Hoc tamẽ argumentum non vrget: nam reſpõdet bene Scotus, duplex eſſe genus negationum, vnum conſiſtens in omnimoda repugnantia ad oppoſitam formam, vt negatio rationalitatis in bruto, aliud vero omnimodam repugnantiam non dicens, ſed ſolum actualem carentiam cum capacitate ad illam, vt eſt negatio lucis in aere, primum petit ſuper entitatem poſitiuam fundari, ſecus autem ſecundũ, vt in adductis exemplis apparet, & negatio dependentiæ, quam dicit perſona ſupra naturam, ad ſecundũ genus pertinet, & ideõ non petit ſupra entitatem fundari ſupperadditã naturæ.

67 *Inſtat Suarez* Sed inſtat contra iſtam ſolutionem Suarez, cuius ratio præcedens eſt: etenim perſonæ, vt perſonæ, eſſentialiter repugnat alieno communicari ſuppoſito: ergo negatio communicabilitatis conſequuta ad ratio

nem

nem personæ, est per omnimodam repugnantiam. Cui obiectioni facile ex doctrina Scoti occurritur, personam vt talem includere essentialiter negationem actualis communicationis alteri suppositо, constituto autem ex entitate positiua, & negatione, essentialiter repugnat forma negata, reduplicata negatione; non tamen entitati positiuæ, quæ negationi subest, & vt esset negatio potes supra entitatem positiuam fundari, debet repugnantia cõpetere entitati positiuæ, vt in exẽplo aeris tenebrosi conspicitur, cui, vt est sub priuatione lucis, essentialiter repugnat lux in sensu composito; quia tamen entitati aeris non repugnat, non petit carentia lucis in aere supra entitatem positiuam fundari.

Resp.

68 *Opponit Suarez.*

Sed opponit Suarez: nam sequitur ex hac solutione hanc propositionem debere absolutè concedi, *persona potest communicari alteri suppositо*; consequens est falsum; nullus enim Theologorum hoc docet: ergo negatio communicabilitatis est per repugnantiam conuenientem entitati positiuæ ratione sui, & non solum conflato ex illa, & negatione reduplicata. Probat sequelã: quia namque aeri tenebroso solum repugnat illuminari in sensu composito priuationis lucis, hæc absolutè conceditur, *aer tenebrosus potest illuminari*: ergo si personæ solum repugnat ab altera terminari in sensu composito negationis, debet hæc propositio absolute concedi, *persona potest per alteram terminari*.

69 *Resp.*

Cui obiectioni facile potest occurri negando sequelam, disparitas autem est: nam aer tenebrosus est complexum connotatiuum non supponens pro cõflato ex aere, & priuatione, sed tantum pro subtracto priuationis; cumque huic subtracto nõ repugnet illuminari: fit, vt absolutè concedatur aerem tenebrosum posse illuminari; hoc autem nomen *persona* connotatiuum non est, sed absolutum, non solum negationem significans, sed pro illa, vel pro conflato; ex entitate, & negatione, supponens; cumque huic conflato repugnet ratione alicuius partis per alteram personam terminari: fit consequens, vt hæc propositio, *persona potest alieno communicari suppositо, vel per illud terminari*, absolute concedenda non sit.

70 *Idem argumẽtũ instaurant recentiores.*

Melius recentiores quidam argumentum factum instaurãt in hunc modum arguendo: nam, quidquid sit de alijs negationum generibus, negatio dependentiæ talis conditionis est, vt petat necessario supra entitatem positiuam fundari; sed negatio, quam importat persona creata, est negatio dependentiæ: ergo petit fundari supra entitatem superadditam naturæ. Illatio cum minori tenet. Maior autem probatur: affirmatio nouæ dependentiæ petit destructionem entitatis positiuæ: ergo negatio dependentiæ necessario præsupponit entitatem positiuam, & super illam fundatur. Consequentia probatione non eget. Antecedens autem probatur: nam vnum dependere ab altero, est illo indigere; sed non stat, quod independens ab altero, si omnino immutatum maneat, & nihil entitatis intrinsicæ ammitat, egeat altero, quo antea non indigebat: ergo nulla entitate positiua destructa, non stat de nouo affirmatio dependentiæ.

71 *Instatur argumẽti* 1.

Quod argumentum omnino efficax reputarem, nisi contra illud duplex obesset instantia. Prima in quantitate Eucharistica, quæ actu à substantia non dependet, quia illi actu non inhæret; & tamen potest dependere ab illa, quin perdat entitatem aliquam positiuam, solum illi superaddito modo inhærentiæ actualis: ergo stat affirmatio nouæ dependentiæ absque ammissione positiuæ entitatis; & consequenter etiá stare poterit negatio dependentiæ non fundata supra entitatem positiuam.

72 *Secũdo.*

Secunda instantia sumitur ex corpore Christi, quod, vt terminus

tran-

tranſſubſtantiationis, dependet ab actione conuerſiua, à qua antecedenter non dependebat, & tamen nihil entitatis deperdit, quam in ſe antea haberet, & per hoc quod conuerſionem non terminet, dependentia ab actione conuerſiua negatur; & tamen entitatem poſitiuam non acquirere per conuerſionem, docet communis ſententia: ergo ſtare poteſt affirmatio dependentiæ abſque deſtructione poſitiuæ entitatis, & negatio dependentiæ abſque fundamento entitatis poſitiuæ; & conſequenter ex eo quod humanitas dependeat à Verbo, à quo antea non dependebat, non probatur, quod caruerit entitate debita poſitiua, nec ex eo quod humanitas v.c. Petri, à Verbo non dependeat, probari poteſt entitas poſitiua fundans iſtam negationem.

73 *Opponũt reſẽtiores*

Sed opponunt Recentiores: quod Deus à nullo dependeat, in perfectione poſitiua fundatur, quod ſubſtantia non dependeat à ſubiecto inhæſionis, ſequitur etiam perfectionem illi intrinſecam, & pariter quod anima rationalis non dependeat à materia, ex illius perfectione intrinſeca oritur: ergo in vniuerſum eſt verum, negationem dependentiæ ſupra entitatem poſitiuam fundari.

74 *Ex doctrina ſcoti occurritur.*

Hæc tamen obiectio ex doctrina Scoti facili negotio diluitur, quã præfati Recentiores cõtra Suarez veram exiſtimauerunt: negationes namque in antecedenti aſſumptæ pertinent ad primum genus, nempé repugnantiæ omnimodæ: nam Deo omnis dependentia eſſentialiter repugnat, ſicut etiam ſubſtantiæ repugnat eſſentialiter dependere à ſubiecto inhæſionis, & animæ rationali dependere à materia, ac proinde quid mirum, quod prædictæ negationes ſupra entitatem poſitiuam fundentur, ex hoc tamen non colligitur idem eſſe de omni negatione dependentiæ dicendum, niſi probetur omnem negationem dependentiæ in repugnantia conſiſtere, quod Recentiores non probant, ſed nec poſſe probari ex adductis inſtantijs colligitur.

§. IV.

Duo Scoti argumenta diluuntur.

PRrimo arguit Scotus ex diffinitione perſonæ: eſt enim iuxta Boetium *ſubſtantia indiuidua rationalis naturæ*, ideſt ſubſtantia incommunicabilis, vt fatetur communis interpretatio; ſed incommunicabilitas in negatione conſiſtit: ergo perſona ſupra naturam ſolam addit negationem. Reſpondeo primo, incommunicabile poſitum in diffinitione perſonæ ſumi pro fũdamento, non autem pro formali incommunicabilitatis; licet autem formalis incommunicabilitas in negatione conſiſtat, radicalis autem, fundamentalisque, poſitiuam entitatem importat.

75 *Primũ Scoti argumẽtũ diluitur* 1.

Secundo dicatur, poſitiuum negationem fundans negatione diffiniri, non quidditatiua, ſed deſcriptiua diffinitione, quæ datur per proprietatem, ex quo non inſertur in negatione conſiſtere, ſed per illam explicari, *deſcriptiuè* que diffiniri. Et quidem irrationale per negationem rationalitatis, immateriale per negationem materiæ diffiniuntur, & tamen neutrum in negatione, ſed vtrumque in poſitiuo conſiſtit. Inſtoque argumentum in perſonis diuinis, quibus conuenit diffinitio Boetij, & tamen non licet colligere ſolam negationem addere ſupra diui-

76 *Secũdo.*

nam

nam naturam; cum fateatur Scotus addere entitatem ab illa ex natura rei distinctam.

77 *Si opponas.* Si opponas, nullum esse fundamentum, ex quo à Nobis colligatur diffinitionem traditam à Boetio non quidditatiuam, sed descriptiuã esse, vel incommunicabile sumi non formaliter, sed fundamentaliter; sed eo ipso quod incommunicabile sumatur formaliter, & diffinitio quidditatiua sit, persona constituitur sola negatione superaddita ad naturam: ergo absque fundamento adstruitur à Nobis entitas positiua ad naturam superaddita ad personæ constitutionem.

Resp. Respondeo negando maiorem, fundamentum à Nobis assignatum est triplex, primum à paritate personarum diuinarum, secundum ex mysterio Incarnationis, tertium ex communi doctrina asserente personam esse vnum per se constitutum in prædicamento substantiæ, quod saluari non potest, si per negationem constituatur, vt ostendimus.

78 *Secũdo arguit Scotus.* Secundo arguit ex Damasceno 10. de Fide cap. 6. vbi de Verbo loquens sic ait: *Totum assumpsit, totum toti vnitum est, vt toti salutẽ afferret.* Et ex Leone sermone 8. de Natiuitate, vbi ait: *Fuisse vnionem factam, seruatis omnibus proprietatibus, vt quidquid sit hominis, non sit à diuinitate diuersum*; sed si personalitas creata adderet supra naturam entitatem aliquam positiuam, Verbum non assumpsisset totum, quod hominis est, nec omnes proprietates illius: nam hæc entitas positiua aliquid hominis esset, & humanitatis proprietas, quæ tamen assumpta non fuisset: ergo persona creata non addit supra naturam entitatem positiuam.

79 *Conf. 1.* Confirmatur, & vrgetur primo: nulla namque est possibilis entitas positiua inassumptibilis à persona Diuina; sed si personalitas est positiua entitas superaddita naturæ, est à persona Diuina inassumptibilis: ergo entitas positiua superaddita naturæ non est. Minor cum consequentia tenet. Maior autẽ ostenditur primo: nam assumptibilitas à persona diuina conuenit entitati creatæ ratione potentiæ obediẽtialis, qua omnipotentiæ subijcitur; sed hæc obedientialis potentia cõmunis est omni entitati creatæ: ergo nulla est dabilis inassumptibilis à persona diuina. Secundo probatur: nam iuxta Damascenum, quod est inassumptibile, est incurabile; sed omnis persona est curabilis: ergo nihil positiuum personæ inassumptibile est.

80 *Conf. 2.* Confirmatur secundo: si personalitas creata adderet supra naturam entitatẽ positiuam, qua humanitas Christi careret, sequeretur, humanitatem esse imperfectã in Christo; consequens absurdum est, alias Christus non esset perfectus homo: ergo personalitas creata non addit supra naturam entitatem aliquam positiuam. Probatur sequela: quod caret debita perfectione est imperfectum; sed careret humanitas Christi perfectione sibi debita: ergo esset imperfecta.

81 *Conf. 3.* Confirmatur, & vrgetur tertio: si personalitas esset entitas positiua addita supra naturam, terminaret appetitum, & inclinationẽ naturæ; sed hoc concedendum non est: ergo nec quod persona superaddat entitatem aliquam positiuam naturæ. Probatur minor: si personalitas terminaret inclinationem, & appetitum naturæ, sequeretur, quod humanitas in Christo appeteret propriam personalitatem; consequens admitti non debet: ergo nec quod personalitas terminet appetitum, & inclinationem naturæ. Minor exinde constat: nam si humanitas terminatã à Verbo appeteret propriam personalitatem, pateretur violentiam, vtpotẽ existens in Verbo contra propriam inclinationẽ, quod admittendum non est. Sequela vero probatur: nam appetitus innatus desiderij nihil est aliud, quam potentia receptiua perfectionis connaturalis cũ carentia talis perfectionis; sed in hu-

manitate Christi est potentia receptiua personalitatis, & aliàs carentia illius: ergo si abesset natura perfectio terminans appetitum naturalem illius, terminaret appetitum innatū humanitatis Christi.

82 *Explicatur Damascenus.*

Respondeo ad argumentum explicando Damascenum de totalitate, & integritate naturæ, non autem de totalitate, & integritate suppositali, aut personali: nam hic est de fide Verbum non assumpsisse totum, quod hominis est; cum personam nō assumpserit, vt autem totam naturā assumpserit, sufficit, quod nulla perfectio naturæ, in linea naturæ existens, non fuerit non assumpta; & quia entitas positiua, quam addit persona supra naturam, etsi naturā perficiat, non tamen ad lineam naturæ pertinet, sed personæ; fit consequens, illa non assumpta, verba Damasceni iuuari.

83 *Explicantur verba Leonis.*

Et ex his ad verba Sancti Leonis dicatur, loqui de proprietatibus naturalibus naturæ, non vero de proprietatibus personalibus, entitas autem, quam personalitas addit, etsi sit naturæ proprietas, non naturalis, sed personalis est, & ideo assumpta non fuit. Et quidem Scotus solnere argumentum tenetur: nam negatio, quam personalitas superaddit ad naturam, etsi entitas positiua nō sit, est tamen aliquid hominis; cum per illam constituatur persona; & tamen assumpta non fuit: ergo Verbū non assumpsit totum, quod hominis est personaliter, sed totum, quod est hominis ex parte humanæ naturæ, & hoc est quod Sancti Doctores docent, nempè, assumpsisse integram, & perfectam naturam cum omni proprietate pertinente ad lineam naturæ, non vero ab hac linea extrahente, & constituente personam.

84 *Ad 1. cō firm.*

Ad primam confirmationem nego maiorem, ad primam probationē cōcessa maiori, distinguo minorem: est communis potentia obedientialis omni entitati creatæ in ordine ad omnem effectum, nego minorem: in ordine ad aliquid, concedo minorē, & nego consequentiam: nam licet in omni entitate creata inueniatur obedientia ad Creatorē, & eius omnipotentiam, non tamen in omnibus reperitur cum eadem extensione in ordine ad eosdem effectus: nō enim reperitur in natura bruti capacitas vt personetur à Verbo, sed tantum vt suppositetur; quia primum implicat ex parte facti, nec in humana natura reperitur obedientialis potentia vt vniatur diuinitati in natura, sed tantum in persona, quia etiam illud implicat ex parte facti: idem in præsenti dicimus, esse quidē in personalitate creata potentiam obediētialem, qua subijcitur omni potētiæ diuinæ in ordine ad aliquos effectus, non tamen vt assumatur à Verbo; quia cum personalitas sit vltimus terminus naturæ illam complens, non potest vlteriori termino terminari, nec vniri alij personæ. Ad secūdam probationem explico Damascenum: quod est inassumptibile ex parte naturæ, concedo maiorem: quod est in assumptibile ex parte personalitatis, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam.

85 *Ad 2.*

Ad secundam confirmationem nego sequelam, ad illius probationē distinguo maiorem: quod careat debita perfectione in esse formali, & eminentiali, concedo maiorem: tantum in esse formali, subrogato continente eminentialiter, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet desit humanitati Christi sua ipsi⁹ personalitas, quia tamē loco illius subrogata est personalitas Verbi, quæ est infinitè perfectior, & continens eminenter quidquid perfectionis est in personalitate creata: fit consequens, quod imperfecta non sit, sed summè perfecta existat. Ita D. Tho. *supra q. 4. art. 2. ad 2.*

Ad 3.

Et ex his ad tertiam confirmationem cōcessa maiori, aut sequela, nego minorem, ad illius probationem nego sequelam, ad probationem distinguo maiorem: cum carentia talis perfectionis in esse formali, & emi-

nen-

nentiali, concedo maiorem: tantum in esse formali, nego maiorem, & sub eadem distinctione secundæ partis minoris, nego consequētiam. Sed de his plura *3.p.q.4.art.* 2. vbi fusè à Theologis disputatur, an in humanitate Christi sit inclinatio, appetitus vê desiderij, non elicitus, sed innatus in propriam personalitatem? Et in oppositas sententias partiuntur, alijs affirmantibus, alijs negantibus, quibus pro nunc assentimur.

§. V.

Alijs argumentis occurritur.

87 *Tertio arguit Scotus.*

TErtio sic arguit: nā potest creata natura extra causas existere sine hac entitate positiua superaddita; sed tunc casus esset suppositum, vel persona: ergo, sola negatione superaddita ad naturam, cōstituitur suppositum, vel persona. Maior patet: non enim potest aliqua implicatio assignari. Minor autem probatur: natura existens sine modo positiuo superaddito est existens per se; cum non sustentaretur ab alio; sed subsistere est per se existere: ergo esset in illo casu subsistens; & consequenter suppositum, vel persona.

88 *Aliquorum solutio.*

Huic argumento nonnulli ex nostris respondent negando maiorē, & rationem reddunt: nam subsistentia reddit naturā creatam capacem existentiæ, nequit autem actus, vel forma, accipi in subiecto incapaci: vnde sicut hac ratione nequit existētia coniungi materiæ primæ absque præuia forma substantiali, quia forma reddit materiam capacem existentiæ, ita non potest existentia cum natura coniungi absque media subsistentia.

89 *Ista solutio reijcitur.*

Sed non placet hæc solutio: licet namque subsistentia requiratur vt natura existat connaturaliter, quod autem dependentia ista essentialis sit, & indispensabilis de potentia absoluta, atque adeo implicet coniunctio existentiæ cum natura absque interuentu subsistentiæ, non potest aliqua ratione suaderi. Præterea: nam sicut substantia dependet à subsistentia, vt existat, ita accidens dependet ab inhærentia; sed dependentia accidentis ab inhærentia non est essentialis, sed tantum connaturalis: vnde quantitas in Sacramento Eucharistiæ existit separata à subiecto: ergo dependentia naturæ substantialis à subsistentia, vt existat, non essentialis, sed connaturalis est. Nec instantia in oppositum vrget: nā materia prima ideo nequit de potētia absoluta cum existentia coniungi absque præuia forma substantiali, quia est pura potentia: existentia autem est vltimus, & perfectissimus actus, inter quæ immediata proportio nō datur, & ideo essentialiter requiritur mediatio formæ substantialis proportionantis materiam cū existentia, quæ ratio in natura substantiali nullatenus militat in ordine ad existentiam; cum non sit pura potentia in ordine entitatiuo.

90 *Traditur vera solutio.*

Vnde ad argumentum factum respondeo concessa maiori, negando minorem, ad probationem distinguo maiorem: est existens per se *negatiuè*, & cum capacitate terminationis ab alieno supposito, concedo maiorem: per se *positiuè*, & cum repugnantia huius terminationis, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam subsistere personaliter petit non solum non existentiam in alio, sed etiam repugnantiam ad hoc quod terminetur ab extraneo supposito; licet autem natura tunc casus non existeret in alio de facto, & ideo *negati-*

gatiuè ſubſiſteret; illi tamen non repugnaret exiſtere in alieno ſuppoſito; cum non ſupponeretur in linea ſubſtantiali completa; atque adeò nõ ſubſiſteret *poſitiuè*, ſicut quantitas in Euchariſtiæ Sacramento non ſubſiſtit *poſitiuè*, ſed tantum *negatiuè*; quia licet non inhæreat de facto, illi tamen non repugnat inhærentia.

91 *Obijcies*

Sed dices, per ſe exiſtere *negatiuè* ſufficit ad rationem ſuppoſiti, vel perſonæ; ſed tunc caſus natura exiſteret per ſe *negatiuè*: ergo haberet rationem perſonæ. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem oſtenditur primo: nam perſona eſt ſubſiſtens in natura rationali; ſed nulla eſt ratio cur non ſufficiat ſubſiſtere *negatiuè*, ſed requiratur per ſe exiſtere *poſitiuè*, & repugnanter: ergo ſufficit per ſe exiſtere *negatiuè*.

Maior prob. 1.

Secundo.

Secundo: nam ex additione ſubſiſtẽtiæ poſitiuæ realiter à natura diſtinctæ, redditur natura non exiſtens in ſe, ſed in alio, nempè in ſuppoſito realiter ab illa diſtincto; ſed ad rationem perſonæ petitur per ſe, & in ſe exiſtere: ergo debet neceſſario accipi proexiſtere per ſe *negatiuè*.

92 *Tertio.*

Tertio: nam ſi humanitas Chriſti dimitteretur à Verbo, ex ipſo abſque noua actualitate poſitiua reſultaret perſona creata; ſed ſecluſa noua actualitate non reſultaret entitas ab humanitate diſtincta illam reddens exiſtentem per ſe *poſitiuè*: ergo ad rationem perſonæ ſufficit exiſtere per ſe *negatiuè*. Maior eſt communis Theologorum ſententia. Minor autem probatur: actio namque humanitatem producens, & cõſeruans, non ſufficit ad illam entitatem producendam; cum talis actio ſine prædicta entitate ad humanitatem terminetur ſubſiſtentem ſubſiſtẽtia Verbi: ergo humanitate à Verbo relicta, & ſecluſa noua entitate, non reſultaret entitas ab humanitate diſtincta.

93 *Reſp.*

Reſpondeo negando maiorem, ad primam probationem conceſſa maiori, nego minorem, ratio autem eſt: nam ſecluſo modo poſitiuo ad naturam ſuperaddito non eſt natura ſubſtantialiter completa, quod ad rationẽ perſonæ requiritur, modo autem poſitiuo ſuperaddito datur ſubſiſtens per ſe *poſitiuè*, & repugnãter. Ad ſecundam probationem dicatur, id, quod per ſe exiſtit vt *quod*, nõ eſſe naturam: hæc namque, neque vt *quod* fit, neque vt *quod* operatur, nec vt *quod* exiſtit, ſed tãtum vt *quo*, ſuppoſitum vero reſultãs ex natura, & modo cõpiente naturam, eſt, quod exiſtit per ſe vt *quod*, & vt *quod* operatur, & terminat actionem effectiuã vt *quod*, dicitur autem hoc compoſitum exiſtens per ſe; quia nec exiſtit in alio, nec ab alio poteſt terminari, & compleri, ſed per ſe ipſum eſt cõpletum, & vltimo terminatum.

Ad 1. & 2. maioris prob.

Ad tertiam conceſſa maiori, nego minorem, ad illius probationem dicatur, actionem, qua producitur, & conſeruatur humanitas, ſufficere, ſi non impediatur, ad entitatem illã producendam, & quia impeditur à Verbo terminante humanitatem, nõ producit entitatem prædictã in humanitate Chriſti. Vnde deſtructa vnione humanitatis ad Verbum, abſque ſuperaddita actualitate reſultaret ſubſiſtentia creata, ſicut ablato impedimento faciente ne graue ad centrum deſcendat, adeſt motus, quo deſcendat, non in vi actionis diſtinctæ ab illa, qua graue generatur, & conſeruatur, ſed in vi eiuſdem actionis impedimento ſublato.

94 *Diluitur tertia probatio.*

Sed dices: ideò in graui ita cõtingit, quia motus, quo in centrum deſcendit, *dimanatiuè* ad grauitatẽ conſequitur; ſed ſubſiſtentia creata, ſi adſtruatur realiter poſitiuè à natura diſtincta, non poteſt conſequi *dimanatiuè* ad naturam: ergo nec poteſt in vi actionis producẽtis, nec cõſeruãtis naturam omni alia actione ſecluſa extra cauſas cõſtitui. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur: principium dimanationis efficienter ad terminum dimanantẽ concurrit; ſed natura crea-

95 *Obijcies.*

ta non potest efficienter in subsistentiam influere: ergo hæc ab illa nequit *actiuè* dimanare.

Minor prob. 1. Minor ostenditur primo: si nãque efficienter in propriam subsistẽtiam influeret, sequeretur, se ipsam efficienter subsistentem reddere; cõsequens est falsum, alias diceretur verè naturam efficere, & causare se ipsam: ergo efficienter in propriam subsistentiam non influit.

Secũdo. Secundo: nam principium efficiens, necessario existens supponitur ad actionem; cum vnumquodque agat in quantum est in actu non solũ essentiæ, sed etiam existentiæ, in cõmuni philosophorum sententia; sed natura pro priori ad subsistentiam non supponitur existens, vt ex dicẽdis constabit: ergo non potest efficienter in propriam subsistentiam influere.

96 Resp. 1. Respondeo primo distinguendo maiorem: ly *ideo* dicente causam sufficientem, concedo maiorem: causam omnino necessariam, nego maiorem, & prætermissa minori, nego consequentiam: nam licet motus, quo graue in centrum descendit, attribuatur generanti mediante actione generatiua, & dante grauitatem, ad quod sufficit pro causa, quod motus ille media grauitate causetur *dimanatiuè*, hæc tamen causa necessaria non est, sed potest ex alio principio euenire vt subsistẽtia causetur ex vi actionis producẽtis naturam, & conseruantis illam; quia nempe actio producens naturam est de se sufficiens ad producendum complementum naturæ, nisi aliunde impediatur; cum autem disoluta vnione humanitatis ad Verbum, nullum adsit impedimentum respectu subsistentiæ creatæ: fit consequens, quod actio, qua conseruatur humanitas de se ad illam producendam sufficiens, illam de facto producat, quamuis subsistentia non sequatur ad naturã *actiuè dimanatiuè*.

97 Resp. 2. Vel secundo respondetur concessa maiori, negando minorem: ad probationem nego etiam minorem: ad cuius primam probationem nego sequelam: nã efficere dicit principaliter, & per propriam actionem, aliquid efficienter causare, principium autem dimanationis non agit principaliter, & per propriã actionẽ, sed quasi instrumẽtaliter, & per dimanationẽ, quę actio cũ proprietate nõ est, sed naturalis resultantia in vi actionis producẽtis principiũ dimanationis, quo circa non conceditur graue se in centrum mouere, alias idem esset mouens, & motum secundum idẽ, quod melior philosophia negat, quamuis motus, quo in centrum mouetur, à grauitate dimanet.

Ad 1. minor. probationẽ

98 Ad 2. Ad secundam probationem distinguo maiorem: principium efficiens per propriam, & veram actionem, concedo maiorem: per resultantiam, & dimanationẽ, nego maiorem, & concessa minori, nego cõsequentiam: nam licet ad quamcumque efficientiam exigatur, quod principium existat in re vt efficiat, quod autem præintelligatur existẽs pro priori ad efficientiam, solum requiritur, cum propria efficientia est, & per veram, & propriam actionem, non autem ad efficientiam dimanatiuam; hæc namque, quia deficit à rigore efficientiæ, deficit etiam ab exigentia existentiæ requisitæ pro omni priori. An autem subsistentia *actiuè dimanatiuè* consequatur ad naturam, an verò solum *positiuè* comparetur ad illam, quæstionis inter philosophos est, quam alibi discutiemus.

99 Quarto arg. Quarto arguitur: si personalitas esset entitas positiua realiter à natura distincta, reciperetur in illa; sed non potest hoc concedi: ergo negandum est esse entitatem à natura realiter distinctã. Maior probatur: nã cũ sit entitas incõpleta, & modalis, à natura vt subiecto informationis depẽdet; & cõsequẽter in illa recipitur. Minor autẽ ostenditur primo: si nãq; reciperetur intrinsece in natura, quã terminat, etiam informaret

Minor prob. 1.

in-

intrinsece; sed non potest intrinsece informare naturam, aliàs persona diuina non posset illius vices supplere, terminando, & personando naturam; cum informare non possit: ergo nõ potest recipi in natura intrinseca. *Secũdo.* Secundo: nam subsistentia complet, & sustentat naturã, eique præbet, vt subsistat in se independenter ab alio: ergo non potest dependere à natura, vt subiecto recipiente, & sustentante.

100 *Tertio prob. minor.* Tertio: nã si in natura reciperetur intrinsecê, educeretur ex potentia naturæ; sed non potest ex eius potentia educi: ergo nec in illa recipi. Minor constat: nam ex opposito fieret, vt subsistentia Angeli non per creationem, sed per eductionem fieret; consequens est falsum, aliàs Angeli non fuissent creati, sed per eductionem facti; cum ly *Angelus* pro persona supponat vt subsistente in angelica natura, & illorum subsistentiæ non fuissent creatæ, sed per eductionem factæ: ergo falsum etiã est quod omnis subsistentia creata educatur de potentia naturæ. Maior autem probatur: nam forma intrinseca recepta, & à subiecto dependens, educitur de potentia illius; sed subsistentia à natura dependet: ergo si intrinsece in natura recipitur, educitur de potentia illius.

101 *Resp. ad 1. minor. probationẽ* Respondeo concessa maiori, negando minorem, ad primam probationem nego etiam minorem, nec sequitur quod persona nequeat vices subsistẽtiæ supplere: nam quod naturam informet, non habet ex conceptu subsistentiæ terminantis naturam creatam, sed ex conceptu subsistentiæ creatæ. Ex quo solum sequitur, quod nequeat terminare naturam creatam, eo modo, quo illam terminat subsistentia limitata, & finita, nõ autem quod absolute illam terminare non possit.

102 *Ad 2. prob.* Ad secundam probationem dicatur, subsistentiam sustentare naturam, non vt subiectum informationis, sed per modum termini complẽtis naturam, illique præstantis independentiam ab alio, non vt à subiecto informationis; hanc enim independentiam habet natura à se ipsa, sed vt à supposito, cui nõ opponitur dependentia subsistentiæ à natura vt subiecto informationis: est namque diuersa vna independentia ab alia; atque adeò ex eo quod subsistentia in natura recipiatur, non sequitur quod illi non præstet independentiã ab altero, vt supposito terminante.

103 *Ad 3.* Ad tertiam nego maiorem, ad illius probationem distinguo maiorem: si fiat per diuersam actionem ab illa, qua fit subiectum, concedo maiorem: si fiat ex vi eiusdem actionis causantis, & producentis subiectum, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam subsistentia, & natura, fiunt per eandem actionem: vnde cum actio productiua naturæ nõ eductio, sed creatio sit, subsistentia non educitur, sed creatur simul cum natura, nec ab illa dependet tanquã à subiecto *ex quo*, sicut *in physica* de formis cælorum docetur, nempe non fuisse eductas de potentia materiæ cælorum, sed creatas; quia fuerunt factæ ex vi actionis creantis materiam, à qua non dependent tãquã à subiecto *ex quo*, sed vt à subiecto *in quo*: manet ergo, subsistentiam, vel personalitatem creatam, esse entitatem positiuam realiter à natura distinctam, quod ex principijs Theologiæ efficaciter satis infertur, in quo autem ista entitas consistat, an scilicet in ipsa existentia, an in modo existentiam supponente, an vero in modo immediate afficiente naturam, illamque ad existendum complente, quæstio est meré philosophica, tusa indigens discussione, & ideò ab ea abstinemus.

(?)

§. VI.

Vltimum argumentum diluitur, & explicatur in qua entitate ſubſiſtentia creata conſiſtat.

104 *Deniq; arg.*

DEnique arguitur: ſi perſonalitas creata, realiter à natura differret, vel eſſet accidens prædicamentale, vel ſubſtantia, neutrum dici poteſt: ergo perſonalitas creata realiter à natura non differt. Minor pro prima parte ex dicendis conſtabit. Pro ſecunda probatur: nã ſubſtantia incompleta adæquate in materiam, & formam diuiditur; ſed nec eſt materia, nec forma; ergo ſubſtantia incompleta non eſt.

105 *Si dicatur.*

Si dicatur, præter materiam, & formam, dari in ſubſtantiali compoſito alias entitates incompletas, & modales nempe vnio materiæ, & formæ, & exiſtentia compoſiti, ſicut in linea accidentis datur inhærentia ad ſubiectum, quæ eſt aliquid accidentale incompletum, & in linea datur punctum, quod quid incompletum eſt.

In contrariũ arg.

In contrarium obſtat primo: nã iſtius entitatis modalis neceſsitas non eſt vnde poſsit probari. Secundo: nam illius effectus formalis inexplicabilis eſt. Tertio: quia explicari non poteſt, in quo entitas iſta cõſiſtat.

106 *Primus*

Hoc argumentum petit vt explicemus, quæ ſit entitas iſta modalis, quam addit perſona ſupra naturam, in quo variant Metaphyſici, & in plures diuiduntur ſententias. Prima eſt quorundam, quos ſine nomine refert Durandus *vbi ſupra*, aſſerentium, entitatem iſtam eſſe de prædicamento accidentis, iuxta quos perſona ſupra naturam addit accidentium collectionem. Hæc tamen ſententia à Durando merito reijcitur: perſona namque eſt de prædicamento ſubſtantiæ: ergo illius conſtitutiuum accidens prædicamentale eſſe nequit.

mod. ſ. d cenſ. r ij citur primo.

Secũdo.

Secundo: nam ex perſonalitate, & natura, fit aliquid vnum per ſe; ſed ex accidenti, & ſubſtantia, vnum per ſe effici nequit: ergo perſonalitas accidens prædicamentale non eſt. Tertio: nam ſubſtantia pro priori ad accidentia ſupponitur in propria linea completa; ſed ſubſtantia completa eſt ſuppoſitum, & ſubſtantia rationalis completa eſt perſona: ergo perſona omne accidens prædicamentale præcedit; & conſequenter non poteſt per accidens prædicamentale conſtitui.

Tertiõ.

Deniq;

Denique: nam in humanitate Chriſti ſunt omnes proprietates, & omnia accidentia, quæ pertinent ad perfectionem naturæ; & tamen in Chriſto non eſt perſona creata: ergo perſonalitas creata non poteſt in accidenti prædicamentali conſiſtere.

107 *Sec. d' mod. s dicendi*

Secundus modus dicendi eſt quorundam Recentiorum aſſerentium, perſonalitatem creatam conſiſtere in actione, qua natura ſubſtãtialis producitur: vnde ſubſiſtentia Angelica cõſiſtit in ipſa Angeli creatione & ſubſiſtentia hominis in ipſa productione humanitatis. Quod probant: nam ſubſiſtentia eſt complementum ſubſtantiæ reddens illã independentem à ſuppoſito; ſed vtrunque præſtat Angelo creatio: ergo formaliter creatione ſubſiſtit. Probatur minor: accidens completur eductione à ſubiecto, & per illã inhæret formaliter: ergo ſubſtantia creata creatione completur, & independens redditur à ſubiecto. Cõ-

sequentia patet à paritate rationis: ideo namque accidens eductione sui completur, & inhæret subiecto, quia connaturaliter petit educi, & eductio est essentialiter fixa subiecto; sed Angelus v. c. connaturaliter petit creari, & ipsius creatio independens est à supposito: ergo creatione completur, & independens redditur à supposito. Antecedens autem probatur: accidens petit connaturaliter fieri per actionem eductiuam, quæ actio essentialiter dependet non solum à termino, sed etiam à subiecto inhæsionis, illique est affixa essentialiter: ergo actione eductiua completur, & per illam inhæret.

108 *Reijcitur 1.*

Sed non placet modus iste dicendi, & reijcitur primo: nam subsistentia diuina non consistit in actione: ergo pariter nec subsistentia creata in actione constituenda est. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem ostenditur primo: datur namque in Deo subsistentia absoluta communis tribus personis; & tamen actio communis productiua ad intra non datur: ergo subsistentia diuina non cõsistit in actione productiua, nec in passione producta.

Secundo: nã subsistentia personalis Verbi nõ in generatione passiua, sed in termino generationis consistit; personæ namque non constituũtur originibus, sed relationibus, vt cum frequentiori Theologorum sententia *inferius* videbimus: ergo subsistentia diuina non consistit in actione, nec passione.

109 *Secũdo reijcitur.*

Secundo reijcitur: subsistentia Angeli non consistit in creatione sumpta *actiuè*, nec in creatione sumpta *passiuè*: ergo nullatenus in creatione consistit. Antecedens pro prima parte constat: nam creatio sumpta *actiuè* est actio immanens in Deo formaliter, & solum virtualiter transiens, vt suppono cum veriori sententia, & communi Thomistarum *in hac prima parte supra quæstione* 25. & *infra quæstione* 45. ergo per illam non subsistit formaliter Angelus. Deinde pro secunda probatur: nam creatio sumpta *passiuè* non distinguitur à substantia Angeli, & ideò D. Thomas *infra quæst.* 45. *art.* 3. ait, creationem, cum mutatio non sit, nihil aliud importare supra substantiam creatam, nisi solam relationem; sed substantia realiter à natura distinguitur, vt ostendimus: ergo subsistentia Angeli non consistit in eius creatione.

110 *Tertio reijcitur. Antecedens ostẽditur 1.*

Tertio reijcitur: actio, qua homo producitur, non est subsistentia hominis: ergo nulla actio productiua subsistentiæ est illius subsistentia. Antecedens, in quo est difficultas, ostenditur primo: actio, qua homo producitur, transit homine permanente: vnus namque homo non dependet ab alio in conseruari, sed tantum in fieri; & tamen subsistentia hominis manet: ergo subsistentia hominis non consistit in actione.

Secũdo.

Secundo: nam in homine solũ datur vna subsistentia, sicut vnica existentia existunt partes hominis, & totus homo, in vera Thomistarũ sententia; & tamen multiplici actione fit, alia, qua creatur anima, alia, qua creatur, & conseruatur materia, & alia ad totum hominem terminata vniente animam materiæ: ergo subsistentia hominis non consistit in eius productione.

Tertio.

Tertio: nam actio productiua hominis, tam *actiuè*, quam *passiuè* sumpta, est de prædicamento accidentis, vt actio de prædicamento actionis, vt passio de prædicamento passionis; sed subsistentia accidens prædicamentale non est, vt vidimus contra primum modum dicendi, & docetur communiter à Philosophis, & Theologis: ergo verum est antecedens.

111 *Quarto iacẽ antecedẽs prob.*

Quarto probatur: actio, qua calor educitur de potentia subiecti, non est inhærentia caloris: ergo actio, qua homo producitur, non est subsistentia hominis. Consequentia aduersarijs est nota; cum suam sẽtentiam confirment paritate sumpta ab inhærentia accidentis. Antece-

dens

dens autem probatur: calidum productum ab vno igne, & ab alio conseruatum, est idem numero calidum, & idem calidum specie, quod producitur ab igne, & conseruatur à Sole: ergo est eadem numero, & specie inhærentia. Patet consequentia: nã calidum essentialiter importat formam caloris, & modum inhærentiæ ad subiectum; & consequenter non potest idem numero, & specie perseuerare, non manente eadẽ inhærẽtia numero, & specie: variato namque aliquo prædicato essentiali numericè, vel specificè, non potest non variari numericè, aut specificè, quod illud prædicatum importat. Tunc vltra, sed actio, qua calidum ab vno igne producitur, est distincta numero ab actione qua conseruatur ab alio, & specie distincta ab actione, qua conseruatur à Sole: ergo inhærentia caloris non consistit in actione, qua educitur de potentia subiecti.

112. *Præterea probatur.* Quinto probatur: nam quod actio præstat *effectiuè*, non potest præstare *formaliter*; sed actio productiua hominis præstat *effectiuè* subsistere: ergo non constituit illum *formaliter* subsistentem. Maior cũ consequentia tenet. Minor autem probatur: nam sicut actio non constituit suum principium *formaliter*, sed ab illo efficitur, ita non cõstituit *formaliter* hominem, sed *efficiẽter*; sed terminus *qui* actionis producentis hominem est subsistens; creari namque, & produci, sunt quid proprium subsistentium, vt docet Diuus Thomas *infra q.* 45. *art.* 4. ergo actio productiua hominis præbet illi efficienter subsistere.

113. *Denique prob.* Denique probatur: si namque ob aliquam rationem actio productiua hominis esset illius subsistentia *formaliter*, maximè quia ipsa est à supposito independens; & consequẽter suam independentiã homini producto communicat, in quo subsistentia consistit; sed hæc ratio est nulla: ergo actio productiua hominis non est illius subsistẽtia *formaliter*. Probo minorem: creatio animæ rationalis est independens se ipsa à subiecto informationis, & eductionis; & tamen non constituit illam *formaliter* per se ipsam à subiecto independentem: ergo quod actio sit se ipsa independens à supposito, non probat termino ratione sui *formaliter* independentiam à supposito præstare. Probatur minor: independentia a subiecto informationis essentialis est animæ rationali, cui essentialiter repugnat dependere à subiecto: ergo non conuenit illi ratione alicuius accidentis, qualis est creatio animæ.

114. *Denique reijcitur.* Denique reijcitur: nam anima Christi Domini veram, & propriam terminauit creationem, & de facto terminat creationem conseruatiuã; & tamen nec habet, nec habuit subsistentiam propriam creatam: ergo subsistentia creata non consistit in actione productiua, vel creatiua substantiæ.

115. *Dices.* Dices, non in quacumque creatione consistere subsistentiam, sed tãtum in creatione independẽte à supposito extraneo, creatio autem animæ Christi huius conditionis nõ est, sed à supposito Christi dependet; quia non est sola animæ Christi productio, sed etiam vnitiua illius ad Verbum, & ideo subsistentia non est.

Sed contra primo. Sed contra primo: nam creatio animæ Christi est actio eiusdem rationis cum creatione animæ nostræ, vtpotè cum vtriusque terminus eiusdem rationis sit; sed creatio animæ nostræ non est vnitio illius ad suppositum extrancum: ergo nec creatio animæ Christi.

Secũdo. Secundo: nam actio productiua humanitatis est distincta ab actione assumptiua eiusdem humanitatis ad Verbum, vt frequenter docetur à Theologis 3. *p. q.* 2. Nosque probauimus *iki disp.* 12. ergo pariter actio creatiua animæ Christi distincta est ab actione vniente animam ad Verbũ; & consequenter prima actio vnitiua non est, nec dependens à subiecto. Ex dictis ad argumentum recẽtiorum constat solutio.

116 *Tertius modus dicendi reijcitur* 1.

Tertius modus dicendi subsistentiam ab existentia substantiæ distinctam non esse defendit, iuxta quē formalis effectus subsistentiæ consistit in reddendo existentem substantiam. Ita quidam Recentiores Thomistæ allegantes Capreolum. Sed contra illum facit primo, esse sententiam probabilem, humanitatē Christi propriam retinere existentiam, quod autem propria subsistentia caruerit, est veritas fidei: ergo subsistentiam in existentia substantiæ consistere asserendum non est, ne veritatem fidei dependentem à sententia probabili constituamus. Secundo: nam dari in Deo tres subsistentias relatiuas est omnium Thomistarum sententia, qui tamen existentias relatiuas vniformiter negant, vno, vel altero excepto: ergo iuxta Thomistarum principia, subsistentia ab existentia distinguitur.

Secūdo.

117 *Tertio.*

Tertio: quia nulla forma potest intrinsece constituere subiectum receptiuum sui; sed subiectum receptiuum *quod* existentiæ est suppositū subsistens: ergo existentia non constituit formaliter suppositum in ratione subsistentis; & consequenter à subsistentia distinguitur. Maior cū consequentia tenet. Minor autem probatur primo ex D. Thoma 3. *p. quæst.* 17. *art.* 2. *in corpore* illis verbis: *Esse pertinet, & ad naturam, & ad hypostasim, ad hypostasim quidem sicut ad id, quod habet esse, &c.* sed subiectum *quod* existentiæ est id, quod habet esse: ergo hypostasis, vel suppositum, est subiectum receptiuum *quod* existentiæ. Secundo: nam subiectum *quod* existentiæ est subiectum *quod* denominationis operationum; sed subiectum *quod* denominationis operationum est hypostasis, vel suppositum: ergo idem est subiectum *quod* receptiuum existentiæ.

118 *Quartus modus dicendi reijcitur* 1.

Quartus modus dicendi subsistentiam constituit in modo distincto à natura, & existentia, hac suppo nente, illamque modificante. Ita Suarez, Vazquez, & frequenter Recentiores extra Scholam D. Thom. Contra quos facit primo: nam subiectum existentiæ non supponit existentiam, sed supponitur ad illam; sed subsistentia creata constituit subiectum receptiuum *quod* existentiæ, vt ex D. Thoma vidimus: ergo non est modus supponens, sed præcedens existentiam. Secundo: nam subsistentia creata, si consisteret in perfectione modificante existentiam, primario cum existentia componeret; sed non componit primario cum natura existente, vt existente, sed cum natura, sub conceptu naturæ: ergo non est modus naturæ vt existentis, sed naturæ, vt essentiæ. Minor probatur ex diffinitione personæ, nempe *rationalis naturæ individua substātia*, in qua diffinitione non explicatur compositio subsistentiæ cum natura, vt existente, sed cum natura, vt natura: ergo primaria compositio subsistentiæ creatæ non est cum essentia sub conceptu existentiæ, sed cum essentia sub conceptu naturæ.

119 *Deniq; reijcitur.*

Denique: nam id, quod pertinet ad substantiam in linea entis sūpti *nominalitèr*, præcedit existentiā, quæ pertinet ad substantiam, constituendo ens *participialitèr* sumptum; sed subsistentia pertinet ad substantiam, vt ens *nominaliter* sumptum: ergo est prior existentia, non modus illam supponens. Minor probatur primo: nam substantia est incompleta in linea entis sumpti *nominalitèr*: ergo indiget complemento in hac linea; sed nullum est complementum substantiæ sub hoc conceptu, nisi subsistentia: ergo pertinet ad substantiam in linea entis *nominaliter*. Secundo: nam eo completur substantia *nominalitèr* sumpta, quo completur prædicamentum substantiæ; sed completur subsistentia: ergo hæc pertinet ad substantiam *nominalitèr* sumptam. Minor probatur: nam in prædicamento substantiæ directè solum costituuntur concreta, nempē *homo, equus, &c.* non *humanitas*,

nitas, vel *equinitas*; sed concretain linea substantiæ componuntur ex subsistentia: ergo hæc complet prædicamentum substantiæ.

His ergo modis dicendi reiectis, asserendum est, subsistentiam creatam esse modum complentem naturam, constituentem concretum substantiale receptiuum *quod* existentiæ, & incommunicabile alteri tanquam supposito. Ita Caietanus 3. p. *quæst.* 4. *art.* 2. quem frequentius sequuntur Thomistæ, & colligitur ex dictis: consistit enim subsistentia in aliquo substantiali, vt ostendimus contra primum modum dicendi, realiter à natura distincto, vt *primâ conclusione* monstrauimus; sed non in ipsa existentia, nec in modo illam supponente, vt proximè dicebamus: ergo consistit in modo complente substantiam in linea entis, constituêteque subiectum receptiuum *quod* existentiæ, & incommunicabile alteri tanquam supposito. Et ex his ad vltimum argumentum respondeo solutione *ibi* data. Ad primam impugnationem nego antecedens: necessitas namque huius modi constat ex dictis, nempe vt substantia *nominaliter* sumpta compleatur, fiatque subiectum receptiuum *quod* existentiæ. Ad secundam nego antecedens: constat namque ex dictis effectus subsistentiæ formalis, & in quo entitas subsistentiæ consistat. Per quod tertiæ impugnationi occurritur.

120 *Traditur vera solutio.*

Sed oppones aduersus nostram resolutionem primo: sic comparatur subsistentia ad substantiam, sicut inhærentia ad accidens; sed inhærentia est modus accidentis illius existêtiam supponens, illamque modificans: ergo subsistentia est modus supponens existentiam subsistentiæ.

121 *Obijcies* 1.

Respondeo negando minorem: accidens namque dependet in existendo ab inhærentia subiecti, & consequenter inhærentia prior est existentia accidentis, prioritate naturæ, quæ prioritas in causalitate consistit: imo ex hoc exemplo, quo vtitur Suarez, argumentum in contrarium desumitur: vt enim fatetur Suarez, sic comparatur subsistentia cum substantia, sicut cum accidenti comparatur inhærentia; sed inhærentia est prior existentia accidentis: ergo subsistentia prior est existentia substantiæ. Probatur minor: accidens in existendo dependet à subiecto: ergo existentia accidentis dependet ab ipsius inhærentia; sed id, à quo aliquid dependet, est prius illo, prioritate *à quo*, & *naturæ*: ergo inhærentia est prior existentia accidêtis.

Resp.

Sed instabis primo: inhærentia accidentis ad subiectum, idem est quod inexistentia in subiecto; sed inexistentia essentialiter existentiã includit: ergo inhærentia essentialiter includit existentiam; & consequenter non præcedit existentiam accidentis. Secundo: nam etiam inhærentia accidentis dependet ab illius existentia: ergo existêtia prior est inhærentia, prioritate *naturæ*. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens autem probatur: nam vnum dependere ab alio, est non posse existere sine illo; sed inhærentia accidêtis non potest existere sine illius existentia: ergo dependet ab illa.

122 *Replica bis* 1.

Secũdo.

Respondeo ad primam replicam negando maiorem: licet enim inhærentia accidentis explicetur per inexistentiam in subiecto, non tamẽ consistit in illa, quod etiam fatentur contrarij; cum asserant modum inhærentiæ distingui realiter ab existentia accidentis, sicut subsistentia realiter ab existentia substantiæ distinguitur, quod in nostra sententia facili negotio explicatur: Nos enim distinguimus realiter inqualibet essentia creata actualitatem essentiæ, & actualitatem existentiæ: dicimus ergo, inhærentiam conuenire accidenti pro priori actualitatis essentiæ; & consequenter non consistit formaliter in inexistentia in subiecto, licet ab effectu, & *à posteriori*, explicetur per illam.

123 *Resp. ad 1. replicam.*

124 *Ad 2.*

Ad ſecundam nego antecedens: nam licet inhærentia in exiſtendo dependeat ab accidentis exiſtentia, tanquam à cauſa formali; exiſtit namque per ipſam exiſtentiam accidentis, in ſui tamen actualitate non dependet ab exiſtentia accidentis, ſed potius illam præcedit. Ad probationem nego maiorem vniuerſaliter intellectam de dependentia ſtricta, quæ eſt dependentia *à priori*, & à connexione diſtincta: omnia namque neceſſario connexa taliter inter ſe comparantur, vt vnum ſine alio nequeat exiſtere; & tamen non omnia neceſſario connexa habent inter ſe dependentiam: vnde omnipotentia diuina nequit exiſtere ſine poſsibilitate creaturarum, vt vera ſententia tenet; & tamen eſt omnino independens à creaturis: natura etiam creata nequit exiſtere ſine ſuis proprietatibus; & tamen non depēdet ab illis: ac denique, vnum relatiuum nequit ſine alio exiſtere; inter quæ tamen dependentia nō eſt, aliàs relatiua ſimul natura, & cognitione non eſſent: ergo ex hoc quod nequeat dari modus inhærentiæ accidentis ſine illius exiſtentia, non ſequitur quod huiuſmodi actualitas ab exiſtentia dependeat, dependentia ſtricta *à priori*, ſed tantum dependentia *à poſteriori*, quæ latè poteſt dependentia dici, & in connexione conſiſtit.

125 *Vrgebis*

Sed vrgebis: non poteſt ex alio principio colligi dependentia exiſtentiæ accidentis ab illius inhærentia, niſi ex eo quod accidens non poteſt exiſtere ſine inhærētia ad ſubiectum, connaturaliter ſaltim; ſed inhærentia non poteſt in rerum natura dari ſine exiſtentia accidentis: ergo dependet ab illa, dependentia ſtricta *à priori*.

Reſp.

Reſpondeo negando maiorem, ſed infertur ex eo quod omnes fatētur accidens à ſubiecto cauſari, & ab illo dependere, ſaltim in genere cauſæ materialis, cauſatur autem ab illo mediante vnione, & inhærentia ad ſubiectum: ergo exiſtentia accidentis ab vnione, & inhærentia dependet, dependentia ſtricta *à priori*, ſicut etiam à ſubiecto hoc genere dependentiæ dependere eſt in confeſſo apud omnes.

126 *Secūdo principaliter obijcies*

Obijcies ſecundo: ex natura, & ſubſiſtentia reſultat realis compoſitio, phyſica, vel metaphyſica; ſed extrema compoſitionis realis debēt eſſe realiter exiſtentia: ergo natura pro priori ad ſubſiſtentiam exiſtit; & conſequenter exiſtentia ſubſiſtentiam præcedit, & hæc eſt modus illius.

Reſp.

Reſpondeo conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam: nam licet extrema compoſitionis realis debeant exiſtere in inſtanti, in quo componunt, non tamen debent exiſtere pro omni priori naturæ, vt patet in eſſentia creata, quæ, vt actualis actualitate eſſentiæ, componit cum exiſtentia; & tamen non exiſtit pro priori ad exiſtentiam, quam cauſat: patet etiam in materia & forma, quæ pro priori ad exiſtentiam componunt; & tamen pro priori ad exiſtentiam non exiſtunt: non ergo requiritur exiſtentia pro omni priori naturæ ad compoſitionem realem, ſed tantum exiſtentia extremorum in inſtanti reali temporis.

127 *Tertio obijcies*

Tertio obijcies: ſi ſubſiſtentia prius conueniret naturæ, quam exiſtentia, ſequeretur, poſſe de potentia abſoluta naturam ſubſiſtere, & non exiſtere; conſequens abſurdum videtur: ergo ſubſiſtentia non eſt prior exiſtentia. Patet ſequela: nam id, quod realiter ab alio diſtinguitur, & eſt prius illo prioritate *naturæ*, eſt etiam ab illo independens; & conſequenter potens ſine illo conſtitui in rerum natura: ergo ſi ſubſiſtentia realiter ab exiſtentia diſtinguitur, illamque præcedit prioritate *naturæ*, poteſt conuenire eſſentiæ ſeparatæ ab exiſtentia.

Recētio rū ſolutio reijcitur.

Huic obiectioni nonnulli recentiorum reſpondent concedendo ſequelam, & negando minorem: cum enim effectus ſubſiſtentiæ diſtingua-

tur

tur realiter ab effectu existentiæ, & sit prior prioritate *naturæ*, non reputant incōueniens cōcedere, posse vnum sine alio reperiri. Sed nō placet hæc solutio: existere namque in nullo alio consistit, quam in hoc, quod aliquid extra causas cōstituatur; sed implicat naturam subsistere, & non constitui extra causas: ergo implicat subsistere, & non existere.

128 *Vera solutio.* Vnde, hac solutione omissa, ad obiectionem respondeo negando sequelam, ad probationem dicatur, vt vnum possit sine alio reperiri, non sufficere indepēdentiam, sed insuper requiri negationem essentialis connexionis, licet autem subsistentia sit ab existentia independens, est tamē cum illa essentialiter connexa: petit namque essentialiter naturam sub actualitate essentiæ, actualitas autem essentiæ cum actualitate existētiæ essentialiter connectitur, aliàs posset in rerum natura dari essentia creata sub actualitate essentiæ sine aliqua actualitate existentiæ, quod prorsus apparet impossibile, & chimericum, ac proinde subsistentia essentialiter cum existentia connectitur.

129 *Replicabis.* Sed dices, saltim sequi ex prioritate subsistentiæ ad existentiam, quod possit natura creata subsistens existere per increatam existentiam separatam ab existentia propria creata; consequens est falsum, aliàs posset persona creata assumi à persona diuina, cuius contrarium docent discipuli D. Thomæ 3. *parte quæstione* 4. *articulo* 2. ergo nullatenus subsistentia est prior existentia. Probatur sequela: nam iuxta D. Thomam 3. *parte quæstione* 17. *articulo* 2. humanitas existit in Verbo non per propriam existentiam, sed per existentiam diuinam: ergo actualitas essentiæ naturæ creatæ non connotat essentialiter propriā existentiam, sed *disiunctiuè*, propriam, vel alienam, creatam, vel increatam; at subsistentia creata cū existētia connectitur ratione actualitatis essentiæ naturæ, quam præsupponit: ergo non connotat essentialiter existentiam creatam, sed creatam, vel increatam; & consequēter poterit de potentia absoluta per creatam subsistentiam vniri essentiæ diuinæ, & existere per existētiam illius.

130 *Resp.* Respondeo concedendo sequelam, & negando minorem, nec sequitur posse personam creatam vniri personæ diuinæ: nam ad hoc requirebatur, quod creata natura sub propria personalitate non solum existeret per existentiam diuinam, sed etiam terminaretur diuina personalitate, quod in casu admisso non contingeret propter incapacitatem subiecti: nam cum personalitas sit vltimus terminus in linea subsistendi, & personandi, vnita naturæ creatæ reddit illam incapacem vnionis ad personalitatem extraneam, non tamen ad extraneam existentiam, in cuius linea vltimus terminus non est: vnde sicut natura existens per propriam sibi existentiā non posset per alterius existentiam existere, posset tamen personari aliena personalitate, ita natura propria personalitate subsistens posset aliena existentia existere, non tamen posset aliena personalitate terminari.

131 *Vrgebis* 1. Sed oppones primo: non stat vnio naturæ creatæ ad diuinam existentiam absque vnione ad subsistentiam diuinam: ergo si in casu admisso vniretur ad existentiam, vniretur etiam ad subsistentiam diuinam; & consequenter personalitas creata vlterius terminaretur in illa linea, in qua vltimus terminus est. Probatur antecedens: subsistentia præstat naturæ capacitatem ad existendum: ergo non stat vnio existentiæ diuinæ cum natura creata absque præuia vnione subsistentiæ diuinæ cum illa.

132 *Secūdo.* Secundo: natura in illo casu non existeret per se, nec in alio: ergo nullo modo existeret per diuinā existentiā. Consequentia patet: nam

eſt adæquata diuiſio. Antecedens autem probatur: in primis namque non exilleret per ſe; cum exiſteret per alienam exiſtentiam; nec in alio, quod probatur: exiſtere namque in alio, vel eſt tanquam in ſubiecto, vel tanquam in ſuppoſito; nullo ex his modis exiſteret tunc caſus in alio: ergo non exiſteret in alio.

133 *Tertio.* Tertio: ex natura creata, & exiſtentia diuina, non reſultaret vnũ per ſe, nec vnum per accidens: ergo ex illis nullatenus reſultare poteſt vnum; & conſequenter nequeunt vniri. Antecedens pro prima parte patet: etenim natura creata propria perſonalitate completur, diuina autem exiſtentia in ſe completa ſupponitur; ſed ex duobus entibus completis non poteſt vnum per ſe reſultare: ergo ex natura creata, & exiſtentia diuina, non reſultaret vnum per ſe. Deinde pro ſecunda parte probatur: vt enim docet D. Thomas *3. p. quæſt. 2. art. 6. in corpore, & ſolutione ad 2.* ideó humanitas non fuit vnita Verbo Dei accidentaliter, quia fuit terminata ad diuinum eſſe Verbi; ſed tunc caſus natura creata terminaretur ad idem eſſe cum Deo: ergo non vniretur, nec adueniret accidentaliter; & conſequenter non reſultaret ex illis vnum per accidens.

134 *Reſp. ad 1. inſtantiam.* Reſpondeo ad primam replicã negãdo antecedens: ad illius probationem dicatur, ſubſiſtentiam præbere capacitatem ad recipiendam connaturaliter exiſtentiam, non autem capacitatem eſſentialiter prærequiſitam: poteſt namque de potentia abſoluta natura exiſtere, & non ſubſiſtere, ſicut accidens poteſt exiſtere, & non inhærere, ac per conſequens poteſt exiſtentia diuina cõmunicari naturæ creatæ abſque præuia cõmunicatione ſubſiſtentiæ diuinæ.

135 *Ad 2.* Ad ſecundam dicatur, naturam creatam tunc caſus extituram per ſe; eo quod in hoc quod eſt per ſe exiſtere, perfectas à ſubſiſtentia præſtatur, exiſtere ab exiſtentia: in illo autem caſu, etſi exiſtentia eſſet non propria, ſed aliena, ſubſiſtentia foret propria, ac proinde ab illa denominaretur ſuppoſitum per ſe exiſtens.

136 *Ad 3.* Ad vltimam obiectionem dicatur, ex perſona creata, & exiſtentia diuina, caſu quo per illam exiſteret, fore vt reſultaret vnum per ſe, non in linea entis *nominalitèr* ſumpti, ſed pertinens ad vtramque lineam, nempè entis *nominalitèr*, & *participialitèr*, ſicut reſultat vnum per ſe ex perſona, & exiſtentia creata, ad quod ſufficit vt ſupponeretur in cõpleta in linea entis *participialitèr* ſumpti, quamuis eſſet completa in linea entis *nominalitèr*.

137 *Quarto obijcies* Quarto obijcies: perſonalitas in Deo non præcedit exiſtentiam, ſed exiſtentiam ſupponit: ergo perſonalitas creata eſt exiſtentia poſterior. Antecedens patet: nam eſſentia Dei pro priori ad relationes eſt perfectiſsime exiſtens: ergo exiſtentia diuina præcedit perſonalitatem, quæ in relatione conſiſtit. Conſequentia vero probatur: nam perfectiones creatæ ſeruant eundem ordinem realiter, quem diuinæ ſeruant virtualiter: ergo ſi perſonalitas diuina virtualiter exiſtentiam ſupponit, perſonalitas creata illam præſupponit realiter.

138 *Reſp.* Reſpondeo conceſſo antecedẽti, negando conſequentiam, ratio autem diſcriminis eſt: nam in Deo natura ante relationes ſupponitur omnino perfecta, ac proinde exiſtens, & ſubſiſtens perfectiſsimè; perſonalitas autem in relatione conſiſtit; quia ſola relatio multiplicat Trinitatem, & ideó à perſonalitate non accipit capacitatem ad exiſtendum, ſed potius perſonalitates diuinæ ratione naturæ exiſtunt, in creatis autem natura ante perſonalitatem non ſupponitur vndequaque completa, & perfecta, nec eſt contra eius rationem quod per modum realiter ab illa diſtinctum compleatur ad exiſtendum, & ideô à perſonalitate non ſolum accipit incommunicabilitatem, ſed etiam capacitatem ad connaturali-

ter existendum. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 1. *distinct.* 23. §. 2. ibi: *Aliud est Deum esse, aliud personam esse.* Et *distinct.* 24. §. 1. illis verbis: *Prædictis autem adijcien dum est.* Et *in* 3. *distinct.* 2. §. 1. ad illa verba: *Totum totus assumpsit, &c.*

M. Sēt.

DISPVTATIO OCTVAGESIMA.

PRIMA.

Quid significet hoc nomen *Persona Diuina*, & an ratio Personæ propriè in Deo reperiatur?

§. I.

Reijciuntur tres sententiæ circa primam partem disputationis.

Nu. 1. *Apperitur difficultas*

HOC nomen *persona*, vt commune est ad creatam, & increatam, non significare determinatè relatiuum, vel absolutum, extra controuersiam est, & manifesta ratione probatur: nam significat aliquid cõmune personæ creatæ, & increatæ; sed persona increata relatione constituitur, creata autem per aliquid absolutum: ergo persona vt sic non significat determinatè relatiuũ, vel absolutum. Quod ergo inquirimus est, quid significet de formali hoc nomen *persona diuina*? qua in re plures referuntur sententiæ.

2 *Prima sẽtẽtia Henr. Durãd.*

Prima docet, significare formaliter secundam intentionem rationis. Pro qua referuntur Henricus *quodlibeto* 5. *quæst.* 6. & Durand⁹ *in primo distinct.* 23. *quæstione* 1. sed Durandus, præter morem, obscurè, & lubricè loquitur, cuiuscumque tamen sit, displicet communiter Theologis cum D. Thoma *in præ-*

sen-

ſenti quæſt. 29. art. 2. & 4. in 1. diſtinc. 23. quæſt. 1. art. 3. & q. 9. de potentia art. 4. vbi docet, *perſonam* eſſe nomen, non ſecundæ, ſed primæ intentionis, & ſignificare formaliter ſubſiſtentiam, vel relationem. Et reijcitur: nam perſonæ diuinæ non conſtituuntur per ſecúdam intentionem rationis, ſed per aliquid reale poſitiuum; at iuxta cómunem Theologorum ſententiam, iuxta quam ſignificatio nominum eſt accipienda, hoc nomẽ *perſona diuina* ſignificat de formali id, per quod formaliter conſtituuntur perſonæ: ergo formale illius ſignificatum ſecunda intentio non eſt.

3 *Si opponas 1.* Si opponas primo: perſona, iuxta Boetium, *eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*; ſed *indiuiduũ* eſt nomen ſecundæ intentionis: ergo perſona ſecundam intentionem ſignificat. Patet conſequentia: nam id, quod eſt reale, nequit nominibus ſecundæ intentionis diffiniri.

Reſp. Reſpondeo, *inaiuiduum* poſſe ſumi dupliciter, primo pro fundamento remoto ſecundæ intentionis, ſecundo prout formaliter ſecundam intentionem ſignificat, & priori modo ſumi prout ingreditur perſonæ diffinitionem, qualiter non ſecundam intentionem importat, ſed modum indiuidualiter, & incommunicabiliter ſubſiſtendi, quod autem *indiuiduum* quod eſt nomen ſecundæ intentionis, in diffinitione perſonæ ingrediatur, oritur ex penuria nominum primæ intentionis, vt docuit D. Thom. *quæſt. 9. de potentia articulo 2. ad 5.* & in præſenti q. 29. art. 1. ad 3. illis verbis: *Et ſimiliter nomina intentionum poſſunt accipi ad diffiniendum res ſecundum quod accipiuntur pro aliquibus nominibus rerum, quæ non ſunt poſita, & ſic hoc nomen* indiuiduum *ponitur in diffinitione perſonæ ad deſignandum modum ſubſiſtendi, qui competit ſubſtantijs particularibus.*

4 *Si opponas 2.* Si opponas ſecundo: perſona idem eſt quod ſuppoſitum rationalis naturæ; ſed *ſuppoſitum* nomen eſt intentionis, vt docet D. Thomas *in præſenti quæſt. 29. art. 2. in corpore*: ergo etiam *perſona* nomen intentionis eſt; & conſequenter non rem, ſed intentionem de formali ſignificat.

Reſp. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: idem eſt in ſupponendo, concedo maiorem: in ſignificando, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: ex eo enim quod pro eodem ſupponãt, non ſequitur quod idem ſignificent.

5 *Dices.* Sed dices, iuxta D. Thomam *articulo citato in corpore*, quod hæc tria nomina, *ſubſtantia, res naturæ, & hypoſtaſis*, ſignificãt in toto genere ſubſtantiarum, hoc nomen *perſona* ſignificat in genere rationalium; ſed hypoſtaſis idem eſt quod ſuppoſitum: ergo perſona, & ſuppoſitum rationalis naturæ idem ſunt, non ſolum in ſupponendo, ſed etiam in ſignificando.

Reſp. Reſpondeo negando minorem de identitate in ſignificádo: vt enim docet D. Thomas loco citato, *quod in genere ſubſtantiæ ſubſiſtit, ſignificari poteſt nomine ſignificante intẽtionem, & ſic dicitur* ſuppoſitum, *ſignificatur etiam tribus nominibus ſignificãtibus rem, ſcilicet* ſubſiſtentia, *quatenus per ſe exiſtit*, res naturæ, *quatenus ei communi ſupponitur naturæ, &* hypoſtaſis, vel ſubſiſtentia, *prout accidentibus ſubſtat*: ergo iuxta D. Thomam *ſuppoſitum*, & *hypoſtaſis*, quamuis pro eodem ſupponant, non tamen idem ſignificant. Si petas, vnde inferimus *ſuppoſitum* ſignificare intẽtionem, *hypoſtaſis* autem, & *perſona*, non intentionem, ſed rem. Reſpondeo, à Nobis inferri ex authoritate D. Thomæ: nominis enim ſignificatio ex ſapientium acceptione colligitur, nemo autem D. Thoma ſapientior, & ideo aſſerimus, quod ſicut *indiuiduum* ſignificat de principali ſecundam intentionem rationis communem indiuidius accidentis, & ſubſtantiæ, ita *ſuppoſitum* ſig-

nificat secundam intentionem individuæ substantiæ.

6 *Sententia Scoti impugnatur.*

Secunda sententia docet, tam *personam* vt sic, quam *personã diuinam*, significare formaliter, non positiuam entitatem, sed aliquid negatiuum. Ita Scotus *in* 1. *distinc.* 23. *quæst. vnica*, quem refert, & sequitur Theodorus Smising *disp.* 2. *num.* 126. eandem sententiã veriorem alijs reputauit Molina *in præsenti quæst.* 29. *disp.* 2. oppositum tamen communiter à Theologis etiam extra scholam D. Thomæ defenditur, asserentibus formale significatum huius nominis *persona diuina* esse aliquid positiuum. Ita D. Thomas locis *vbi supra* relatis, & *in* 1. *distinc.* 25. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 1. & *art.* 3. *in corpore*, quod eadem ratione probatur: nam *persona diuina* significat de formali id, per quod constituitur formaliter in ratione personæ; sed non constituitur per negationem formaliter persona diuina in ratione personæ, sed per aliquid positiuum: ergo non negatio, sed aliquid positiuum est formale significatum huius nominis *persona diuina*. Probatur minor: per id constituitur persona diuina formaliter, quod primo in illa intelligitur; sed prius intelligitur in persona diuina positiuum fundans negationem, quam negatio supra tale positiuum fundata: ergo non per negationem, sed per positiuum formaliter constituitur.

7 *Cõfirm.*

Quod amplius confirmari potest: quia namque negatio rationalitatis, & negatio materiæ in aliquo positiuo fundantur, *immateriale*, & *irrationale*, positiuum de formali significant, etsi negatione *circumloquutiuè*, vel *à posteriori* explicatum; sed negatio communicabilitatis personæ diuinæ in aliquo positiuo fundatur: ergo *persona diuina* positiuum de formali significat. Probatur minor: nam iuxta Scotum, licet negatio non repugnantiæ non petat supra positiuum fundari, negatio repugnantiæ supra positiuum semper fundatur; sed negatio communicabilitatis alteri tanquam supposito in persona diuina est negatio repugnãtiæ; etenim personæ Patris essentialiter repugnat alteri vt supposito vniri, vel illi communicari, & idem est de alijs personis: ergo petit supra positiuum fundari.

8 *Si opponas 1.*

Si opponas primo: persona, iuxta Ricardum de Sancto Victore, *est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia, vel subsistentia*; sed *incommunicabile* negationẽ de formali significat: ergo *persona* vt sic; & consequenter etiam *persona diuina* formaliter negationem importat.

Resp.

Respondeo, *incommunicabile* sumi dupliciter, scilicet *positiuè*, & *negatiuè*, primo modo positiuum, & non negationem significat, & sic sumitur prout ponitur in diffinitione personæ, vel si *incommunicabile* sumitur *negatiuè*, à posteriori persona, non à priori, per *incommunicabile* diffinitur, sic autem per negationem positiuum diffiniri nõ repugnat.

9 *Si opponas 2.*

Si opponas secundo: nihil positiuum est in persona diuina, quod præintellectum negationi incommunicabile sit; sed persona dinina significat de formali aliquid ratione sui incommunicabile: ergo non positiuum, sed negatiuum de formali significat. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: si aliquid positiuum daretur, quod præintellectum negationi esset ratione sui incommunicabile, maximê *relatio*; sed hæc præintellecta negationi non est ratione sui incommunicabilis: ergo nihil datur positiuum, quod præintellectum negationi ratione sui incommunicabile sit. Minor probatur: relatio v. c. *Paternitas*, vel est incommunicabilis ex ratione relationis vt sic, vel ex conceptu talis relationis? non primum, aliàs relatio *spiratoris* incommunicabilis esset, nec secundũ: nam Paternitas ex conceptu Paternitatis solum importat ordinem ori-

ginis

ginis eius à quo alius, in quo nulla incommunicabilitas importatur: ergo in perſonis diuinis nihil datur poſitiuum, quod præintellectum negationi ratione ſui incommunicabile ſit.

10 *Reſp.* Sic arguit Smiſing *vbi ſupra num.* 128. cuius argumento reſpondeo negãdo maiorem, ad illius probationem conceſſa maiori, nego minorem, ad cuius probationem, nego antecedens pro ſecunda parte: nam eo ipſo quod ſit relatio originis vnius ab alio per intellectum, habet taliter conuenire vni perſonæ, quod nulli alteri poſsit competere, relatio autem *ſpiratoris*, quia fundatur in origine Spiritus Sancti, qui eſt terminus mutui amoris, petit eſſe duabus perſonis communis. Et quidem cum negatio communicabilitatis in Paternitate ſit negatio repugnantiæ eſſentialis, non poteſt prædictus Auctor negare, ſi conformiter ad principia Scoti loquatur, habere fundamentum poſitiuum, ac proinde, cui rationi ſui eſſentialiter repugnet pluribus communicari.

11 *Opponeſ 3.* Si opponas tertio: ab vltimis diſtinctiuis non poteſt abſtrahi aliquid reale poſitiuum, bene tamen aliquid negatiuum: tum, quia ſunt omnino ſimplicia, ac proinde nequeunt ex conceptu communi, & particulari componi: tum etiam, quia ſe totis differunt, cum quo non ſtat conuenientia in aliquo prædicato eſſentiali; ſed perſona, vt ſic, eſt communis omni perſonæ ſecundum rationem perſonalitatis, quæ eſt vltimum diſtinctiuum: ergo non ſignificat aliquid reale poſitiuum, ſed aliquid negatiuum; & conſequenter perſona diuina non poſitiuam entitatem, ſed negationem ſignificat.

12 *Reſp.* Reſpondeo diſtinguendo maiorem: liquid cõmune *vni uocum*, concedo maiorem: *analogum*, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nec obſtant contra diſtinctionem duæ maioris probationes, non prima: nã ſimplicitas non opponitur conſtitutioni ex duplici conceptu, quorum vnus alterum implicitè includit, & ê conuerſo, qualiter comparantur conceptus communis analogus, & conceptus differentialis, bene tamẽ compoſitioni ex duobus conceptibus adinuicem ſe excludentibus. Nec ſecunda: nam differentias ſe totis differri, ſolum excludit aliquam conuenientiam explicare, & implicare aliquid fundans conuenientiam *ſimpliciter*, non autem quod implicite includant fundamentum conuenientiæ *ſecundum quid*, qualis eſt conuenientia *analogica*.

13 *Inſtatur argumentum.* Et inſtatur argumentum in ente *analogicè* communi id cẽ modis prædicamentorum & accidenti, quod eſt commune analogum modis conſtituentibus nouem prædicamẽta accidentium; & tamẽ modi prædicamentorum ſunt ſimplices, & ſe totis differentes. Quod ſi hæc à contrarijs negentur, non eſt noſtrum illa in præſenti probare, ſed ſupponere cum Philoſopho, & communi Theologorum ſententia, & doctrina D. Thomæ in 1. diſtinc. 25. quæſt. 1. art. 2. ad 5. illis verbis: *Dicendum, quod ratio perſonæ importat diſtinctionem in communi: vnde abſtrahitur à quolibet modo diſtinctionis, & ideo poteſt eſſe vna ratio analogicè in his, quæ diuerſimode diſtinguuntur.*

14 *Replica his.* Sed dices, ſaltim in abſoluto, & relatiuo non poteſt dari aliquid reale poſitiuum cõmune, etiam *analogicè*; ſed ſi *perſona* ſignificaret aliquid reale poſitiuum, illud deberet eſſe commune, ſaltim *analogicè*, relatiuo, & abſoluto: ergo *perſona* nõ ſignificat reale aliquid poſitiuum. Minor eſt certa: nam perſona, vt ſic, eſt communis perſonæ creatæ, & increatæ, quarum prima conſtituitur per aliquid poſitiuum abſolutũ, ſecunda vero per aliquid relatiuum; & conſequenter ſignificat aliquid commune, ſaltim *analogum*, relatiuo, & abſoluto. Maior autem probatur: conceptus abſtractus à relatiuo, & abſoluto, neceſſario eſt ab-

ſolu-

ſolutus: ergo relatiuo, & abſoluto, nihil poteſt dari commune. Antecedens probatur: illud eſt abſolutũ, quod abſoluitur à termino, & ad illum non refertur; ſed conceptus ille abſtractus eſt abſolutus à termino: ergo eſt conceptus abſolutus.

15 *Reſp.* Quo argumento vſus eſt Durãdus pro ſua ſententia, & Vazquez *diſp. 13. cap. 3. num. 11.* fuit eodem argumento conuictus, vt aſſereret nomen *perſona*, nec vniuocum, nec analogum eſſe, ſed prorſus æquiuocum reſpectu perſonæ creatæ, & increatæ. Sed facile reſpondetur negando maiorem: vt enim *proximè* dicebamus ex Philoſopho, & communi Metaphyſicorum ſententia, accidens non eſt æquiuocum, ſed analogum ad nouem prædicamenta accidentium, quorum vnum eſſe genus relationis docet communis ſententia, àqua non licet ita leui fundamento recedere, maxime cum D. Thomas loco proximè relato, & quæſt. 9. de potentia art. 4. ad 6. expreſſe fateatur nomen *perſona* nõ eſſe æquiuocum, ſed analogum, ad perſonam creatam, & increatam, his verbis: *Dicendum, quod hoc nomen* perſona *aliud ſignificat in Deo, & in homine pertinet ad diuerſitatem ſuppoſitionis magis quam ad diuerſam ſignificationem, diuerſa autem ſuppoſitio non facit æquiuocationem, ſed diuerſa ſignificatio.* Ad maioris probationem nego antecedens, ad illius probationem diſtinguo maiorem: quod *poſitiuè*, & *repugnantèr*, à termino abſoluitur, concedo maiorem: quod abſoluitur *præciſſiuè*, & non *repugnanter*, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam cõceptus abſtractus à relatiuo, & abſoluto, ſolum *præciſiuè* à termino abſoluitur, ideſt, non explicat ordinem ad terminum, non autem *repugnantèr*, & *poſitiuè*: poteſt enim per talem reſpectum contrahi, & hoc vltimum neceſſarium erat, vt eſſet formalitas abſoluta.

16 Tertia ſententia docet, hoc nomen *perſona diuina* ſignificare directè eſſentiam ſumptam pro natura diuina. Ita quidam ſine nomine relati à Magiſtro *in 1. diſtinct. 25.* & à D. Thoma *diſtinct. 23. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 9. de potentia art. 4. & in præſenti quæſt. 29. art. etiam* 4. cui ſententiæ ex parte adhæſit Magiſter docens, *perſonam diuinã* abſolutè ſignificare eſſentiam, cum autem additur terminus numeralis, vt dicendo *tres perſonæ*, aut particularis dicendo, *alia eſt perſona Patris, alia Filij, &c.* ſignificare hypoſtaſim ſubſiſtentem. Quæ ſententia, & abſolute, & cum limitatione Magiſtri, communi Theologorũ iam diſplicet, & reijcitur primo: nam perſona, vt ſic, eſt *rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*: ergo perſona diuina eſt indiuidua, ideſt incommunicabilis ſubſtantia, vel ſubſiſtentia naturæ diuinæ; ſed in hac diffinitione natura diuina non in recto, ſed in obliquo importatur: ergo non in recto, ſed in obliquo ſignificatur eſſẽtia, ſumpta pro natura diuina, hoc nomine *perſona diuina*. Secundo: non enim ſtat multiplicari perſonam non multiplicato ſignificato formali, & directo; ſed perſona diuina multiplicatur, non multiplicata natura: ergo non eſt ſignificatum directum huius nominis *perſona diuina*. Minor eſt de fide. Maior autem conſtat ex regula communi Theologorum aſſerente, terminum numeralẽ cadentem ſupra terminum ſubſtantiuum, numerare illius ſignificatum formale, & directum; ſed perſona diuina eſt terminus ſubſtantiuus: ergo vt dicatur *pluralitèr*, oportet multiplicari illius ſignificatum formale, & directum. Sic arguit Diuus Thomas *quæſt. 9. de potentia art. 9.*

Tertia ſẽtẽtia

Reijcitur 1.

Secũdo.

Si dicas, hoc argumento conuinci, perſonam diuinam, cum dicitur in plurali, non ſignificare naturam, non autem quod non ſignificet illam, cum abſolutè profertur. In contrarium obſtat primo: nomen enim non variat ſignificatum ex ad-

17 *Euaſio reijcitur* 1.

iuncto

iuncto termino *numerali*, & *partitiuo*, vt per se patet, docuitque D. Tho. solutionē illā impugnans *in* 1. *dist.* 23. *q.* 1. *a.* 3. ergo si persona diuina significat essentiam directē, idem retinet significatum, addito termino numerali, & partiente. Secundo; quia nomina, quæ in Deo substantiam absolutē significant, non partiuntur ad additionem terminorum numeralium, vt docuit D. Thomas *ibidem*, & constat in hoc nomine *Deus*, quod quia significat absolutē substantiam, non dicuntur plures Dij, nec Pater alius Deus à Filio, vel ē contra, potest catholicē dici: ergo si persona diuina significat in recto naturam, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, non dicentur tres personæ, nec Pater poterit dici alia Persona à Filio, vel ē conuerso.

18 *Si opponas 1.* Si opponas primo: nam iuxta Augustinum *lib.* 7. *de Trinitate cap.* 4. *in principio*, in sermone nostro latino non aliter essentia, quam substantia, solet intelligi; sed iuxta eundem Augustinum *in eodem libro cap.* 6. persona substantiam significat; cum enim dicimus personam Patris, non aliud dicimus, quam substantiam Patris, vt expressē *ibi* docet Augustinus: ergo persona directē essentiam significat. *Resp.* Respondeo, personam importare substantiam, id est, subsistentiam, quæ licet ex parte rei significatæ relatiua sit, & ex modo significandi absoluta, & hoc solum *loco citato* intendit se Augustinum. Ita Diuus Thomas *quæst.* 9. *de potentia art.* 4. *ad* 2. & 3. & *in præsenti quæstione* 29. *art.* 4. *ad* 1.

19 *Si opponas 2.* Si opponas secundo, persona diuina directē subsistentiam significat; sed subsistentia in Deo idem est quod essentia: ergo directē significat essentiam. Minor probatur ex Augustino *lib.* 7. *de Trinitate cap.* 4. *ad finem*, illis verbis: *Si autem aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deum esse, aliud Patrem, aut Dominum esse: relatiuè ergo subsistit, sicut relatiuè dignit, & dominatur, ita iam substantia non erit substantia, quia relatiuum erit; sicut enim ab eo, quod est esse, appellatur essentia, ita ab eo, quod est subsistere, subsistentiam dicimus, absurdum est autem vt subsistentia relatiuè dicatur; omnis enim res ad se ipsam subsistit, quanto magis Deus*: ergo iuxta Augustinum subsistentia relatiua non est, sed omnino absoluta, & idem quod essentia diuina.

Resp. Respondeo concessa maiori, distinguendo minorem: subsistentia absoluta, omitto minorem: subsistentia relatiua, subdistinguo minorem: idem est quod essentia, identitate reali formali, concedo minorem: idem est quod essentia, identitate virtuali, nego minorem, & consequentiam.

20 *Explicatur Aug.* Ad auctoritatem Augustini, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, dicatur, Augustinum non potuisse negare subsistentiam relatiuam in Deo; cum tres subsistentias relatiuas fateatur communis Thomistarum sententia; solum ergo intēdebat eam distinctionem excludere inter essentiam, & subsistentiam, inter esse Deum, & subsistentem, vel personam esse. Cui reperitur inter esse Patrem, & esse Deum, inter hac autem est distinctio penes absolutū, & relatiuum, tam ex parte rei significatæ, quā ex parte modi significādi: Pater enim & relatiuum, & relatiue significat, Deus autem absolutum absolutē, non ut subsistens, vel persona diuina: nam licet relationem significent, non tamen relatiuē, sed absolute: vnde non est aliud Deū esse, & subsistentē esse, sicut Deū esse, & Patrē esse: nā inter hac est differentia penes absolutum, & relatiuū tam ex parte rei significatæ, quam ex parte modi significandi, inter Deū autem esse, vel subsistentem, aut personam esse, licet sit differentia penes absolutum, & relatiuum ex parte rei significatæ, non tamen est differētia penes absolutum, & relatiuum ex parte modi significandi: vtrumque

que

que namque nomen absolutê significat: hanc ergo distinctionem penes absolutum, & relatiuum ex modo significandi intendebat Augustinus excludere inter Deum esse, & personã esse, non vero distinctionem ex parte rei significatæ, hoc enim Augustini intento sufficiebat, nempe vt nomen *persona* absolutum esset, & vt non diceretur ad aliud subsistere, nec Pater persona Filij, aut ê contra, vt ex dicendis constabit.

21 *Sed instabis primo:* iuxta Augustinum *cap. relato*, non aliud est Deo esse Deum, aliud personam esse, sed omnino idem; sed quæ ex parte obiecti virtualitêr distinguuntur, quamuis ex modo significandi non differant, non sunt omnino idem: ergo sentit Augustinus, essentiam, & personam in Deo non distingui virtualiter ex parte rei significatæ. *Secundo* nam iuxta eundem Augustinũ lib. 7. de Trinitate cap. 6. *Quemadmodum hoc est Patri esse, quod Deum esse, quod magnum, quod bonum esse; ita hoc est illi esse, quod personam esse*; sed inter esse, & Deũ, & magnum esse, talis inuenitur identitas, quod non distinguantur penes absolutum, & relatiuum, nec ex parte modi significandi, nec ex parte rei significatæ: ergo inter Deum, & personam esse, non est distinctio penes relatiuum, & absolutum ex parte rei significatæ.

22 *Tertiò.* Tertio: nam Deo nõ esse aliud esse, & personam esse, probat Augustinus loco *proximè allegato*; nam si esse *ad se* dicitur, persona vero *relatiuè*, dicemus Patrem personam esse Filij, & Spiritus Sancti, quod absurdum reputat Augustinus; at si persona esset ex parte obiecti relatiua, prædictum inconueniens subsisteret: ergo excludit distinctionem penes absolutum, & relatiuum, etiam *obiectiuè*. Probatur minor: non minus est proprium relationi in Deo *pluraliter* dici, quam dici *relatiuè*, & *comparatiuè* ad aliud; sed in nostra sententia quod *persona* relatiua sit *obiectiuè*, quamuis non ex parte modi, sufficit vt *pluraliter* dicatur in Deo, non minus quam alia nomina *relatiuè* significantia relationem: ergo pariter id ipsum sufficiet vt dicatur *relatiuè*, & *comparatiuè*, videlicet asserendo, *Pater est persona Filij*, & è contra.

23 *Ad 1. replicam.* Ad primam instantiam respondeo, quod sicut cum Augustinus docet, non esse aliud Deum esse, & personam esse, intelligitur non esse aliud penes absolutum, & relatiuum, ex parte modi significandi, ita cum addit, *sed omnino idem*, intelligendũ est cum eodem addito implicito, nẽ pê *omnino idem ex parte modi significandi*, omnimodæ autem identitati ex modo significandi non opponitur distinctio ex parte rei significata.

24 *Ad 2.* Ad secundam dicatur, quod particula *quemadmodum* non semper importat omnimodam similitudinem, sed aliquam, & quando que importare potest similitudinem tantum proportionalem, vt particula *sicut*: Ioannis enim 6. ait Christus: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, ita & qui manducat me, & ipse viuet propter me*, inter quæ tamen omnimodam similitudinem constituere est hæreticum: Filius enim *consubstantialitêr* viuit ex Patre, manducans autem Christum, solum ex ipso viuit *accidentalitêr*: vt ergo Augustini verba saluentur, sufficit similitudo in modo significandi, quamuis non teneat ex parte rei significatæ, quod scilicet, sicut magnum, & bonum, non differunt *relatiuè* ab esse Dei ex modo significandi: ita inter Deum esse, & personam esse non sit differentia penes relatiuum, & absolutum ex parte modi significandi.

25 *Ad 3.* Ad tertiam nego minorem, ad illius probationem nego maiorem: nam dici *relatiuè* est proprium relationi *relatiuè* significatæ: vnde quamuis *persona*, & *subsistens*, relationem significent; quia tamen nõ

relatiuè, sed *absolutè* relationem important, non dicuntur *relatiuè*, nec Pater persona Filij, aut ê contra: dici autem *pluraliter* est proprium relationi, siuê *relatiuè*, siuê *absolutè* significetur, & ideo quamuis *persona*, & *subsistens*, *absolutè* relationem significent, *pluraliter* dicuntur in Deo, & ratio est: nam ad pluralitatem sufficit conuenire vni, & non alteri, ad quod sufficit implicare respectum oppositum, vt autem vnus dicatur alterius, vt *Pater Filij*, aut ê contra, requiritur explicare respectum, quod non competit nomini importanti relationem modo absoluto.

§. II.

Eligitur vera sententia.

26 *Quarta sẽtẽtia.*

SVpposito ergo, cum iam communi sententia, personam diuinam non significare *directè*, & *formaliter*, negationem intentionum, nec essentiam, vel naturam diuinam, restat vt examinemus quodnam sit significatum formale, & directum, an scilicet sit relatio? circa quod quarta sententia in ordine est Aureoli apud Capreolum *in* 1. *distinct.* 25. *quæst.* 1. *art.* 2. asserentis, nomine *personæ diuinæ*, nec essentiam, nec relationem in recto significari, sed constitutum ex illis. *Quinta* sẽtẽtia docet, relationem esse significatum directum, nullatenus tamen formale, sed omnino materiale huius nominis *persona diuina*. Hanc tenent ex nostris Capreolus *in* 1. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. *conclusione* 3. Siluester, & Torres, relati à Nazario *in præsenti, quæst.* 29. *art.* 4. *controuersia vnica*, Quos sequitur Vazquez *disputatione* 27. *capitulo* 12.

27 *Sexta.*

Sexta sententia per oppositũ docet, relationem esse significatum formale directum. Hanc tenent Coninch *quæst.* 9. *art.* 4. quem sequũtur Bañez & Zumel *ibidem*, & Illustrissimus Araujo *ad b.* 2. *conclusione secunda*. *Vltima.* Vltima sententia docet, relationem in vnico sensu, aut ratione, significari *formaliter*, in alio autem *materialiter*. Hanc tenent Suarez *lib.* 7. *de Trinitate cap. vltimo*, vbi docet, comparatiue ad essentiam, vel naturam diuinam, relationem esse significatum formale, facta autem comparatione inter diuersos relationis conceptus, nempe rationis communis subsistentis, & ordinis, & respectus ad terminum, *materialiter* significari hunc ordinem, & *formaliter* rationem illam communem. Nazarius *quæst.* 29. *art.* 4. *controuersia vnica*, vbi ait, relationem, vt relatio, significari *materialiter*, contrapositiuê ad significari *expressè*; quia significatur *implicitè*, & *formaliter*, implicite, contrapositiuê ad significari tantum identicê: ac denique Patres Salmanticenses *tract.* 6. *disp.* 9. *dub.* 3. vbi docent, relationem *sub* munere referentis esse significatum materiale huius nominis *persona diuina*, quia hoc nomine vt sic non exprimitur; *sub* munere autem subsistentis, aut formæ hypostaticæ, esse illius significatum formale.

28 *Prima cõclusio*

Sit prima conclusio: *Relatio in concreto est significatum directũ huius nominis* persona diuina, *in abstracto autem supponit illum in obliquo importatur.* Ita D. Thom. *in* 1. *distinct.* 23. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæst.* 9. *de potentia art.* 4. & in præsenti quæst. 29. art. 4. ibi. *Et secundum hoc verum est, quod hoc nomen* persona *significat relationem in recto, & essentiam in obliquo,*

non tamen relationem in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis: similiter etiam significat essentiam in recto, & relationē in obliquo, in quantū essentia idē est quod hypostasis, hypostasis autē significatur in diuinis vt relatione distincta. Quibus verbis vtramque partem nostræ conclusionis exponit.

29 *Prob. 1. pars cōclusionis*

Et prima pars conclusionis probatur: significatum in recto est significatū directū; sed relatio in cō creto significatur in recto, nomine personæ diuinæ: ergo est illius directum significatum. Probatur minor: significatum in recto personæ vt sic, est subsistens, & incommunicabile in natura rationali: ergo significatum in recto huius nominis *persona diuina*, est subsistens distinctū, & incommunicabile in natura diuina; absoluta namque in Deo, quamuis subsistentia sint, non tamen sunt incommunicabilia, nec in personis distincta: ergo relatio in concreto significatur in recto hoc nomine *persona diuina*. Quod amplius explicatur: subsistentia namque in concreto est significatum directum huius nominis *persona diuina*; sed subsistentia, aut personalitas diuina in concreto, est relatio in concreto: ergo significatum directum dicti nominis est relatio in concreto.

30 *Prob. 2. pars.*

Et ex his secunda pars conclusionis probatur: nam subsistens relatione distinctū in natura diuina solum in obliquo, & indirectē relationem, vt hoc nomine *relatio* significatur, importat; sed nomine personæ diuinæ eodem modo importatur relatio, quo in illa oratione, quæ est diffinitio personæ: ergo nomine personæ diuinæ solum in obliquo, & indirectē importatur relatio significata in abstracto. Deinde nam constituens, vt constituens, solum in obliquo, & indirectē importatur per nomen constitutum significans; sed relatio in abstracto, vt significatur hoc nomine *relatio, Paternitas*, vel *Filiatio*, significatur vt constituens, & forma: ergo solum in obliquo, & indirectē, importatur per nomen significans constitutū, quale est *ly persona diuina*.

§. III.

Occurritur argumentis Aureoli.

COntra istam conclusionem arguit Aureolus primo: nullum constituens aliquid significatur per constitutum in recto; sed proprietas relatiua, vt subsistens, constituit personam diuinam: ergo proprietas relatiua, vt subsistens, non significatur in recto, aut directē, nomine *personæ diuinæ*, sed per modum partis in obliquo. Huic argumento Capreolus, *vbi supra ad primum argumentum contra secundam conclusionem*, respondet concessa maiori, negando minorem; cum enim dicitur *proprietas, vt subsistens*, idē est ac dicere *proprietas relatiua in concreto*, proprietas autem in concreto non significatur vt constituēs, sed vt constitutum, in abstracto vero significatur vt constituens; quia significari vt constituens, est significari vt formam, & vt quo aliquid est tale, qualiter significatur comproprietas nominibus non concretis, sed abstractis, videlicet, *Paternitas, personalitas subsistentia*, & his similibus; nominibus autem concretis, non vt constituens, sed vt constitutum, significatur proprietas, v. c. Pater non significat Paterni-

31 *Arguit Aureol. 1.*

Solutio Capreoli.

tatem, vt formam, & vt quo Pater eſt Pater, nec vt referens, ſed vt *quod*, & quod refertur, & quod relatione conſtituitur, & hoc nomine *perſona diuina* non ſignificatur perſonalitas vt forma conſtituens perſonã, ſed vt perſona conſtituta perſonalitate.

32 *Obijcies* 1. Sed contra iſtam ſolutionem obijciet aliquis primo: proprietas perſonalis, vt actu conſtituens perſonam, eſt ſignificabilis aliquo nomine; ſed vt actu conſtituens non ſignificatur his nominibus, *relatio*, *perſonalitas*, & *ſubſiſtentia*: ergo nomine *perſona diuina* ſignificatur quatenus actu conſtituit. *Secũdo.* Secundo: proprietas relatiua duplici gaudet conceptu, nempe reſpectus ad terminum, & ſubſtantialiter ſubſiſtentis; ſed non conſtituit perſonã proprietas, vt reſpiciens terminum: ergo conſtituit perſonam proprietas vt ſubſiſtens.

Tertio. Tertio: *perſonalitas*, & *perſona*, idem, licet diuerſo modo, ſignificãt; ſed *perſonalitas* ſignificat proprietatem, vt conſtituentem: ergo *perſona* eandem vt conſtituentem importat. Probatur maior ex communi doctrina Logicorum ex Phyloſopho aſſerentium, *album*, & *albedinem*, idem ſignificare, licet cum diuerſo modo, & *album* ſolam qualitatem ſignificare: ergo pariter *perſona*, & *perſonalitas*, idem, quamuis diuerſo modo, ſignificant.

33 *Ad 1. replicam.* Reſpondeo ad primam replicam conceſsis maiori, & minori, diſtinguendo conſequens: ſignificatur *directè*, & *in recto*, nego conſequentiam: *indirectè*, & *in obliquo*, concedo conſequentiam, nec eſt aliquod nomen, quo ſignificetur directe proprietas, vt actu conſtituens, præter iſtam orationem, nominibus vero concretis, quia *directè* ſignificatur conſtitutum per proprietatem, *indirectè* ſignificatur proprietas: vt actu conſtituens.

34 *Ad 2.* Ad ſecundam conceſa maiori, & minori, diſtinguo conſequens: eſt ſubſiſtens vt *quo*, concedo conſequentiam: eſt ſubſiſtens vt *quod*, nego conſequentiam: nam in relatiua proprietate, & eſt conceptus reſpicientis terminum, & *hypoſtaticè* ſubſiſtentis, ſed tam primus, quam ſecundus, ſumi poteſt vt *quo*, & vt *quod*, vt *quo* referens, ſignificatur nomine *relationis*, *Paternitatis*, & *Filiationis*, vt *quod* reſpiciens, ſignificatur nominibus concretis relatiuis, *Pater*, & *Filius*, &c. & ſimiliter vt ſubſiſtens *hypoſtaticè* vt *quo*, ſignificatur nominibus abſtractis, dicendo *forma hypoſtatica*, *perſonalitas*, *ſubſiſtentia*, vt autem ſubſiſtens vt *quod*, ſignificatur nominibus concretis, dicendo *perſona*, *hypoſtaſis*, *ſubſiſtens*.

35 *Ad 3.* Ad tertiam prætermiſſa maiori, & conceſſa minori, nego conſequentiam: nam perſonalitas, vt conſtituens, duo dicit, nempe rem ſignificatam, & modum ſignificandi, ſcilicet, per modum formæ: vnde ex eo, quod idem ſignificetur nomine *perſonæ*, & nomine *perſonalitatis*, & hoc ſecundo nomine ſignificetur, vt conſtituens directe, non ſequitur perſonalitatem, vt hoc nomine ſignificatam, ſignificari nomine *perſonæ* directê, ſed tantum *indirectè*, ly *indirectè* cadente ſupra rem ſignificatam, vt ſtat ſub tali modo ſignificandi, ſcilicet, ad modum formæ.

36 *Secũdo arguit Aureol.* Secundo arguit Aureolus: iuxta D. Thomam, locis *vbi ſupra* allegatis, *perſona diuina* ſignificat *directè* ſubſiſtens diuinum diſtinctum, quodcũque ſit, quo diſtinguitur; ſed proprietas relatiua non eſt *directè* ſubſiſtens diuinum diſtinctum; non enim proprietas eſt, quod diſtinguitur, ſed quo fit diſtinctio: ergo relatio non importatur nomine *perſonæ* in recto.

37 *Reſp.* Reſpondeo conceſſa maiori, di diſtinguendo minorem: proprietas relatiua *in abſtractio*, qualiter ſignificatur vt forma, concedo mino-

rem:

rem: *in concreto*, qualiter significatur vt constitutum ex forma, nego minorem, & consequentiam, vel distinguo consequens distinctione minoris: nam *Paternitas* v.c. vt significata hoc nomine *Pater*, non importatur *directè* tanquam forma referens, sed tanquam relatum, & *personalitas* ab hoc nomine *persona* non importatur directè, vt constituens, & distinguens, sed vt *quod* constitutum, & distinctum: vnde D. Thomas *quæst. 9. de potentia art. 4.* post multa his verbis concludit: *Et propter hoc potest dici, quod significat relationem per modum substantiæ, non quæ est essentia, sed quæ est hypostasis, sicut relationem significat, non vt relationē, sed vt relatū, idest vt significatur hoc nomine* Pater, *non vt significatur hoc nomine* Paternitas: *sic enim relatio significata includitur* obliquè *in significatione diuinæ personæ, quæ nihil est aliud, quam distinctum relatione subsistens in diuina essentia*: sentit ergo D. Thomas, relationem *in concreto* importari *directè* vt relatum, & distinctum, *indirectè* vero vt formam, & referentem, & distinguentem.

38 *Instat Aureol.* Sed contra hanc solutionem arguit Aureolus: *persona diuina* significat directè constitutum ex essentia, & relatione; sed significans constitutum *directè*, solum *indirectè* significat partes, vel extrema constituentia: ergo relationem solum *indirectè* significat. Minorem supponit, vt notam. Maiorem autem probat: nam *persona* est quasi totum constitutum ex essentia, & relatione: ergo hoc constitutum significatur nomine *personæ* directè.

39 *Resp.* Respondeo distinguendo maiorem: constitutum ex essentia, & relatione, vtraque ingrediente *in recto* personæ constitutionem, nego maiorem: essentia ingrediente *in obliquo*, & relatione, vt subsistente, *directè* ingrediente constitutionem personæ, concedo maiorem, & distinguo minorem: si vtrumque extremum ingrediatur ad constituendum *directè*, concedo maiorem: si vnum *directè* constituat, & alterum *indirectè*, nego minorem, & consequentiam: nam *persona*, vt constat ex illius diffinitione, *est rationalis naturæ individua substantia*, quod alijs terminis explicatur, *est subsistens incommunicabile rationalis naturæ*, in qua diffinitione, & consequenter in personæ constitutione prædicta diffinitione explicata, subsistentia *in recto* ingreditur *concretiuè* significata, natura autem, vel essentia, in *obliquo*, quando autem constituentia sic se habent, quod vnum *in recto*, & aliud *in obliquo* constituit, id, quod *in recto* constituit, *directè* significatur, & ideò proprietas personalis, quæ sola *in recto* constituit personam, nomine *personæ* significatur *directè*.

40 *Replicabis 1.* Sed opponesaduersus istam solutionem primo: persona significat *directè* constitutum; sed relatio, non ingrediente essentia, constitutū non est, sed constituens: ergo relatio, non ingrediente essentia, non est significatum directum; & consequenter significatum directum amplectitur essentiam, & relationem. Ex quo vlterius sequitur, essentiam, nec relationem significari *directè*, sed conflatum ex vtraque.

41 *Secūdo.* Secundo: significatum directum huius nominis *persona diuina* distinguitur *virtualitèr*, & *ratione ratiocinata*, à relatione constituente; sed nisi ingrediatur directum significatum essentia, hæc distinctio non saluatur, sed tantum distinctio *rationis ratiocinantis*, & ex modo significandi: ergo ingreditur essētia directum significatum; & consequenter conflatum ex essentia, & relatione, non autem relatio ipsa, significatur *directè*.

42 *Tertio.* Tertio: de persona diuina prædicatur, prædicatione non purè identica, sed formali, natura diuina in concreto; cum hæc propositio formalis, & vera sit, *Persona diuina est Deus*; sed si non ingredere-

tur natura diuina *in recto* conſtitutionem perſonæ, non poſſet ſic prædicari: ergo ingreditur natura diuina *in recto* conſtitutionem perſonæ. Probatur minor: de eo, quod ſolum in *obliquo* importat naturam aliquam, non poteſt *in ſenſu formali* talis natura prædicari, nomine illam *in recto* importante; ſed Deus *in recto* importat naturam: ergo mediante hoc nomine non poſſet *in ſenſu formali* prædicari natura diuina de perſona, ſi ad illius conſtitutionem ſolum *in obliquo* ſe haberet.

43 *Ad 1. replicam.* Reſpondeo ad primam replicã conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: non ingrediente eſſentia *in recto*, nego minorem: non ingrediente eſſentia *in obliquo*, concedo minorem, & diſtinguo conſequens: nõ eſt ſignificatum relatio, non ingrediente eſſentia *in obliquo*, concedo conſequentiam: non ingrediente *in recto*, nego conſequentiam: ex quo non infertur ſignificari conflatum ex natura, & relatione, *directè*, ſed ſignificari *directe* relationem *in concreto*, quod concretum talis conditionis eſt, vt importet *directè* relationem, & *indirectè* naturam.

44 *Ad 2.* Et ex his ad ſecundam conceſſa maiori, diſtinguo minorem: niſi ingrediatur eſſentia ſignificatum directum, *directe*, nego minorem: *directe*, vel *indirectè*, concedo minorẽ, & diſtinguo cõſequẽs eadẽ diſtinctione; ſicut enim perſona diuina diſtinguitur *virtualiter* à diuina relatione, quamuis nõ conſtituatur ex ſola relatione, & eſſentia, vtraque ingrediente *in recto*, ſed relatione *in recto*, & eſſentia *in obliquo*, ita ſignificatum directum huius nominis *perſona diuina* diſtinguitur *virtualitèr* à relatione perſonali, per hoc quod eſſentia non *directè*, ſed *indirectè* ingrediatur. Sed de his plura *infra*.

45 *Ad 3.* Ad tertiam conceſſa maiori, nego minorem, ad illius probationem diſtinguo maiorem: nomine importante naturam *in recto* in ſignificando, & ſupponendo, concedo maiorem; nomine importante naturam *in recto* ſolum in ſignificando, non autem in ſupponendo, nego minorem, & conſequentiam: nam hoc nomen *Deus*, licet diuinitatem *in recto* ſignificet, ſupponit tamen pro habente diuinitatem, in qua ſuppoſitione non *in recto*, ſed *in obliquo* natura diuina importatur; & cum perſona diuina ſit habens naturã diuinã *formalitèr*: fit, quod de illa prædicetur natura diuina *in concreto* prædicatione formali; nam licet nomen *Deus*, & nomen *perſona diuina*, differant in ſignificato directo, in ſuppoſitione *directè* conueniunt; nam *Deus* directe ſupponit pro eo, pro quo ſupponit directê *perſona*.

§. IV.

Secunda concluſio veræ ſententiæ ſtatuitur.

46 *Secũda cõcluſio* SIt ſecunda concluſio: *Significatum formale huius nominis* perſona diuina *eſt relatio* formalitêr, *formalitate rei, non tamẽ formalitate obiecti ſignificati.* Hac concluſione poſſunt vtriuſque partis Auctores ad concordiam reduci, negantes relationem ſignificari *formalitèr*, explicando de formalitate obiecti ſignificati, affirmantes vero, explicando de formalitate rei.

Prima pars prob. 1.

Et prima pars, præterquamquod ex argumentis *contra secundã* subijciendis constabit, ostenditur primo ex D. Thoma *in præsenti quæst.* 29. *art.* 4. vbi docet: *Hoc nomen* persona diuina *significare relationem in recto, non tamen relationẽ in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis.* Vbi D. Thomam loqui de significato formali constat primo ex communi illius explicatione. Secũdo: quia alias diminute processisset non explicando significatum formale huius nominis *persona diuina*; sed relatio, vt *hypostaticè* subsistens, est *formalitèr* relatio, formalitate rei, vt ex dicendis constabit: ergo significatum formale huius nominis *persona diuina* est *formaliter* relatio in hoc sensu.

47 *Secũdo.* Secundo probatur: nam significatum formale huius nominis *persona diuina* est in esse rei *formalitèr* aliquid; sed non est *formaliter* aliquid absolutum, nec abstrahens à relatiuo, & absoluto: ergo est *formaliter* aliquid relatiuum. Minor pro prima parte modo supponitur probanda latè *infra*, id que Nobiscum concertantes supponunt. Pro secũda vero parte probatur: si namque abstraheret in esse rei à relatiuo, & absoluto, posset per vtrumque contrahi; sed repugnat contrahi per absolutum, alias posset persona diuina per formalitatem absolutam constitui: ergo in esse rei non abstrahit ab absoluto, & relatiuo.

48 *Tertio.* Tertio: nam relatio diuina cõstituit personam sub conceptu formæ *hypostaticè* subsistentis; sed nõ sub conceptu subsistentis subsistentia absoluta; hæc enim est omnibus personis communis; & consequenter nõ potest in communicabilitatem præstare, nec sub conceptu subsistentis communi subsistentiæ absolutæ, & relatiuæ, alias etsi incommunicabilitatem permitteret, illam tamen non exigeret: ergo sub conceptu subsistentis subsistentia distincta à subsistentia absoluta; sed distinguens subsistentiam à subsistentia absoluta est formalitas relatiua: ergo relatio, vt constituit personam, est *formaliter* relatiua; at significatum formale huius nominis *persona diuina* est constitutiuum personæ diuinæ, licet non vt constituens, sed vt constitutum, *directè* significatur per illud: ergo significatum formale huius nominis est in esse rei *formalitèr* relatiuum.

49 *Secũda pars conclusionis prob.* 1 Deinde secunda pars conclusionis suadetur primo ex D. Thoma *quæst.* 9. *de potentia art.* 4. *in corpore*, vbi præmissa distinctione significati formalis, & materialis, quorũ primum est ad quod significandum est principaliter impositum nomen, secundum vero id, in quo talis ratio salvatur, ita concludit: *Secundum hoc ergo dicendum est, quod hoc nomen* persona *communiter sumpta nihil aliud significat, quam substantiam individuam rationalis naturæ; & quia sub substantia individua rationalis naturæ continetur substantia individua, idest incõmunicabilis, & ab alijs distincta, tam Dei, quam hominis, quam etiam Angeli, oportet quod persona diuina significet subsistens distinctum in natura diuina, sicut persona humana significat subsistens distinctum in natura humana, & hæc est formalis significatio, tam personæ diuinæ, quam personæ humanæ.* Et paucis interpositis subdit: *Persona vero diuina formali significatione significat distinctum subsistens in natura diuina; & quia hoc non potest esse nisi relatio, vel relatiuum, ideò materiali significatione significat relationem, vel relatiuum.* Quod etiam repetit *solutione ad* 3. *ad* 8. 9. & 13. *argumentum.* Ex quibus verbis tale argumentum pro secunda parte conclusionis conficitur: si formale significatum huius nominis persona diuina esset relatiuum *formaliter*, formalitate obiecti significati, non *materialiter*, sed *formaliter* relationem, aut relatiuum significaret, vt per se est manifestum; sed

iuxta D. Thomam *materialiter* relationem ſignificat: ergo illius ſignificatum, *formaliter* relatiuum non eſt, formalitate obiecti ſignificati.

50 *Conf.* 1. Quod amplius explico, & confirmo primo: ſi formale ſignificatũ huius nominis *perſona* eſſet relatiuum *formalitèr*, formalitate obiecti ſignificati, illius ſignificatio eſſet *formaliter* relatiua, & non *formaliter* abſoluta; cum ſigno in ſignificando conueniat *formaliter*, quod obiecto ſignificato in eſſe ſignificati *formaliter* conuenit; ſed, vt docet D. Thomas *loco allegato ad 3.* formalis ſignificatio perſonæ *ad ſe* dicitur, & *ad aliud* non refertur, & conſequenter eſt abſoluta *formalitèr*: ergo illius ſignificatum formale non eſt relatiuum *formalitèr*, formalitate obiecti ſignificati. *Conf.* 2. Explico, & confirmo ſecundo: ſi formale ſignificatum huius nominis *perſona diuina* eſſet relatiuum *formalitèr* in ratione obiecti ſignificati, perſona ſecundum nomen *relatiuè* diceretur, & nomen *perſona diuina* eſſet nomen relatiuum; cum nomen abſolutum, aut relatiuum, dicatur ratione obiecti formalis; ſed, vt docet D. Thomas *loco allegato ad 13. argumentum, perſona diuina* ſecundum nomen non refertur ad aliud, & cõſequenter non eſt nomen *formalitèr* relatiuum, ſed *formaliter* abſolutum: ergo illius ſignificatum non eſt relatiuum, ſed abſolutum *formaliter* in ratione obiecti ſignificati.

51 *Triplex ſolutio.* Huic argumento triplex adhibetur ſolutio. Prima eſt Caietani *in præſenti art.* 4. aſſerentis, D. Thomam ſententiam, quam *loco allegato* tenuit, *in art. 1. huius quæſtionis* mutaſſe. Secunda, relationem diuinam in duplicem conceptum inadæquatum, vtrumque relatiuum, & vtrumque differentialem, partiri, nẽpe, reſpectus ad terminum, & ſubſtantialiter ſubſiſtentis, & aſſerit, relatiuum ſub conceptu inadæquato reſpectus ad terminum *materialiter* ſignificari nomine *perſonæ diuinæ*, ſub conceptu ſubſiſtentis *ſubſtantialiter* ſignificari *formaliter*; & quia conceptus iſte eſt *formalitèr* relatiuus: fit, quod ſignificatum formale huius nominis relatiuum formaliter ſit, hocque intendiſſe D. Thomam *loco in contrarium adducto, & in præſenti art.* 4. expli cuiſſe, cum docuit ſignificare in recto relationem, non per modum relationis, ſed vt ſignificatur per modum hypoſtaſis. Ita in ſubſtantia Nazarius, & Patres Salmanticenſes. Sic etiam alij Recentiores Thomiſtæ. Tertio alij argumento facto occurrunt aſſerentes, relationem in Deo iuxta D. Thomam ſignificari *materialiter*; quia licet ex parte obiecti *formaliter* ingrediatur; attamen ex parte modi ſignificandi non *relatiuè*, ſed *abſolutè* ſignificatur.

52 *Prima ſolutio reijcitur.* Sed nulla ex his ſolutionibus argumento facto ſatisfacit. Non prima: nam tunc ſolum licet aſſerere, Diuum Thomam ſententiam mutaſſe, quando ipſe illam reuocat expreſsẽ, vel ad ſummum, cum eius dicta manifeſte contradicunt; ſed nihil horum accidit in præſenti: ergo abſque fundamẽto aſſeritur, Diuum Thomam ſententiam mutaſſe. Minor pro prima parte eſt certa: nã D. Thomas ſententiæ, quam *loco allegato* tenuit de materiali ſignificatione relationis vt relatio, nullam facit *in præſenti* mentionem. Pro ſecunda parte probatur: nam quod D. Thomas docet *in præſenti* eſt, hoc nomen *perſona diuina* ſignificare *directè* relationem per modum hypoſtaſis; ſed hæc doctrina non pugnat cum eo quod relatio *materialitèr* ſignificetur, ideſt, non *formalitèr*, formalitate obiecti ſignificati: ergo doctrina D. Thomæ in *præſenti art.* 4. nõ pugnat cũ eo, quod docuit loco in contrariũ adducto. Probo minorẽ: nã relationẽ per modum hypoſtaſis ſignificati nomine *perſonæ diuinæ* nõ petit, quod ſignificatũ formale huius nominis, ſit *obiectiuè*

formaliter relatiuum, sed sufficit in esse rei esse relatiuum *formaliter*; sed D.Thomas *in præsenti* tantum docet relationem per modum hypostasis significari nomine *personæ diuinæ*: ergo nihil asserit contrariũ doctrinæ traditæ loco *ex disputatis* citato.

53 *Secũda solutio reijcitur.*

Deinde secunda solutio reijcitur: nam admissa illius doctrina de duplici differenti conceptu in relatione reperto, quam *infra* explicabimus, & quod sub ratione formæ hypostaticæ subsistentis sit formale significatum huius nominis *persona diuina*, tantum sequitur, illius formale significatum esse relatiuum *formaliter* in esse entis, non vero quod sit in ratione obiecti *formaliter* relatiuum; sed hoc solum Angelicus Doctor negauit: ergo solutione tradita argumentum nostrum non soluitur. Probo maiorem: si D.Thomas sentiret, subsistens distinctum in natura diuina, quod asserit nomine *personæ diuinæ* significari formaliter, esse in ratione obiecti formaliter relatiuũ, non negaret, significationem formalem dicti nominis esse relatiuam formaliter, nec asseueret, tale nomen dici *ad se*, & esse absolutum: cum id, quod conuenit formali significato in ratione significati, formaliter conueniat significationi nominis, & in fi vt significanti formaliter; sed D.Tho. negauit significationem huius nominis *persona diuina* esse relatiuam *formaliter*, & asseruit dici *ad se*, esseque absolutum nomen: ergo sentit quod licet subsistens in natura diuina distinctum, quod significatur nomine *personæ* formaliter, sit in ratione rei formaliter relatiuum, non tamen esse in ratione obiecti relatiuũ, sed absolutum formaliter.

54 *Vltima solutio reijcitur.*

Tandem vltima solutio reijcitur: nam D.Tho. distinguit duplex significatũ, nẽpe *formale*, ad quod significandum nomen est formaliter impositum, quod respectu huius nominis *persona diuina*, asserit esse distinctum subsistens in natura diuina, & *materiale*, videlicet, in quo prædicta ratio saluatur, quod respectu dicti nominis ait, relationem esse, quia in diuinis sola relatio est distinguens, & distincta; at, *iuxta tertiam solutionem*, non distinguitur duplex significatum, sed tantum duplex modus significandi: ergo menti Angelici Præceptoris non congruit. Si forte dicatur, modum illum significandi in rem significatam refundi, & consequenter efficere significata diuersa. *Dices.*

In contrarium argumentor: nam si modus significãdi absolutè refunditur in obiectum, illudque in ratione obiecti distinguit, constituet obiectum in ratione obiecti absolutum; sed obiectum in ratione obiecti absolutum non potest in ratione obiecti esse formaliter relatiuum: ergo significatum formale huius nominis *persona diuina* non est relatiuum formaliter in ratione obiecti significati, quod est nostræ conclusionis intentum. *Sed contra.*

55 *Secũdo suadetur ratione.*

Et ex his suadetur secundo ratione secunda pars conclusionis: hoc nomen *persona diuina* non est nomen relatiuum, sed absolutum formaliter, vt ex D.Thoma vidimus, & fatentur omnes Theologi: ergo illius significatio in ratione significationis non est relatiua, sed absoluta formaliter. Patet consequentia: nomen namque per significationem formaliter constituitur, & consequenter nomen relatiuum formaliter petit pro forma significationem in ratione significationis formaliter relatiuam, & nomen formaliter absolutum petit significationem formaliter absolutam. Tunc vltra; sed significatio nominis desumitur ab obiecto inspecto in ratione obiecti formaliter: ergo obiectum significatũ hoc nomine *persona diuina* non est relatiuum, sed absolutum in ratione obiecti formaliter.

Et augetur difficultas: si formale significatum huius nominis *persona diuina* esset relatiuũ in ratione obiecti formaliter, *relatiuè* diceretur hoc nomen; & consequentèr sicut Pater est, & dicitur Filij Pater, *Conf.*

& é contra, ita etiam diceretur persona Filij, & é contra; sed Pater persona Filij non dicitur, nec Filius persona Patris, & oppositum est, vt vidimus, absurdum, & vt tale reputat Augustinus *lib.7. de Trinitate cap.6.* ergo formale significatum huius nominis *persona diuina* non est relatiuum formaliter in ratione obiecti significati.

56 *Tertio prob.* Tertio probatur: illud, quo ablato maneret significatum formale formaliter invariatum, non conuenit illi in ratione obiecti formaliter; sed remota relatione maneret significatum formale huius nominis *persona diuina* formaliter inuariatum: ergo relatiui ratio non conuenit illius significato formaliter, formalitate obiecti significati. Consequentia probatione non indiget. Maior est certa: nam variato prædicato formaliter constituente, necessarium est, constitutum formalem variationem suscipere: ergo illud, quo oblato manet significatum formale formaliter invariatum, non est de ratione illius, aut de eius constitutione in ratione obiecti significati formaliter. Minor autem probatur: nam dato, per impossibile, quod solum daretur vna persona diuina, non per relationem, sed per absolutum constitueretur persona diuina in ratione personæ; & tamen significatú formale huiꝰ nominis maneret invariatú formaliter in ratione obiecti significati: ergo relatione remota maneret invariatú formaliter significatú huius nominis in ratione obiecti significati. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: nam dato illo casu, maneret invariata significatio huius nominis, & persona diuina constituta per aliquid absolutum significaretur per illud eodem modo, atque nunc significatur; sed non stat variari significatum formale formaliter in ratione obiecti significati, invariata formaliter nominis significatione: ergo relatione remota, maneret formaliter invariatum significatum formale huius nominis *persona diuina* in ratione obiecti significati.

57 *Confir.* Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum: ideò Deus non est Trinus formaliter in ratione principij effectiui creaturarum, quia creaturæ non petunt per se, vt producantur, & in esse conseruentur, Deum vt Trinum, sed vt vnum; at hoc nomen *persona diuina* ex vi suæ specificationis non petit formaliter subsistentiam relatiuam in persona significata, sed tantum distinctum subsistens in diuina natura; à quacumque forma, siue absoluta, siue relatiua, proueniat: ergo istius obiectum non est per se formaliter relatiuum, per seitate obiecti hoc nomine significati.

58 *Vltimo prob. 2. pars cõclusionis.* Denique suadetur secũda pars conclusionis, & vis præcedentis argumenti explicatur: nullum nomen potest intelligi de aliquo verè prædicari, cui non intelligatur competere formale nominis significatum, secundumquod tale formaliter; sed potest intelligi hoc nomen *persona diuina* verè prædicari de Deo, quin in ipso intelligatur relatio: ergo significatum formale huius nominis non est relatiuum formaliter in ratione obiecti significati.

Maior prob. 1. Maior constat primo: quia nãque significatum hominis est animal rationale, non stat intelligi de aliquo verè prædicari hominem, cui non intelligatur conuenire esse animal rationale: ergo maior argumenti est vniuersaliter vera; causalis nãque vniuersalem includit. *Secũdo.* Secundo: nam nomen prædicatur loco sui significati, vnde idem est nomen prædicari de aliquo, & prædicari illius significatum formale, in quantum tale formaliter, nisi tantum in propositione materiali, in qua termini *materialiter* supponunt: ergo non stat nomen intelligi vere prædicatum de aliquo, cui non intelligatur conuenire illius significatum formale, in quãtum tale formaliter.

Minor Iuadetur. 1. Minor autem ostenditur primo: nam Iudæi, & Pagani, confitẽ-

tur,

tur, Deum esse personam; & tamen non confitentur relationes in Deo: ergo stat intelligi nomen personæ verè prædicari de Deo, quin in ipso concipiatur relatio. Secundo: nam Theologi disputantes an personæ constituantur per aliquid relatiuum, an per aliquid absolutum, omnes intelligunt, Deum esse personam; & tamen non omnes pro constitutiuo relationem concipiunt: ergo stat intelligi de Deo verè prædicari nomen *personæ diuinæ* ab aliquo non concipiente relationem in ipso.

Secundo.

59 *Resp. 1.* Dices, Iudæos, & Paganos, erroneè cogitasse de Deo, constituentes etiam personas diuinas per aliquid absolutum falsam habent opinionem de ipso, & ideò non mirum, quod personam constituentes, non fateantur relationes, vel illas non concipiant, vt constituentes personas.

Contra 1. Sed contra primo: nam solutionem istam, vt falsam reijcit D. Tho. q. 9. de potentia art. 4. 9. argumẽto his verbis: *Sed contra, error opinionis non variat nominis significationem, nec etiam veritas*: si ergo apud errantes de Deo hoc nomen *persona* non significat relationem, nec etiá significabit apud rectè sentientes de Deo.

Secundo. Secundo, restaurando sic argumentum ex doctrina D. Thomæ: nullum nomen potest intelligi verè prædicari de aliquo, intellectione vera, cui non intelligatur vera intellectione competere formale nominis significatum: ergo nec potest verè intelligi intellectione falsa de aliquo prædicari, cui etiam falsa intellectione non intelligatur conuenire significatum nominis formale. Patet consequentia: tum, quia veritas, vel falsitas propositionis non variat significatum nominis formale, tum etiam, quia falsitas enunciantis nomen aliquod de alio, consistit in eo, quod falso enuntiat illius significatum, & consequenter non stat verè intelligi nomen prædicari, licet falsa intellectione, cui non intelligatur conuenire significatum formale.

60 *Resp. 2.* Respondebis secundo ex Nazario *vbi supra ad argumenta contra 5. conclusionem*, personam, cum sit rationalis naturæ individua substantia, vel subsistentia, dupliciter contrahi posse, primo, quasi per differẽtias extraneas sumptas ex parte naturæ, qua ratione Christus dicitur persona humana, quamuis subsistentia propria hominis non subsistat; quia nimirum subsistit in humana natura, licet subsistentia diuina. Secundo, per intraneas differentias ex parte personalitatis desumptas, & sic persona diuiditur in personã absolutam, & relatiuam; Iudæi ergo, & Pagani, & illi, qui tuentur personam diuinam constitui per aliquid absolutum, concipunt personam diuinam in Deo secundum contractionem extraneam sumptam ex parte naturæ, non vero secundum contractionem intrinsecam ex parte personalitatis desumptam: vnde concipiunt subsistens in diuina natura, relationem nonconcipiendo, ex quo non colligitur hoc nomen *persona diuina* non significare formaliter relationem.

61 *Reijcitur 1.* Sed contra primo: nam D. Thomas, loco *vbi proximè*, proposuit hoc argumentum ad probandũ personam diuinã significare aliquid relatiuũ, dataque, & excluſa prima solutione, respondet: *Ad octauum dicendum, quod obiectio illa procedit de formali nominis significatione, & non de materiali; & similiter dicendum ad nonum*: ergo apertè sentit D. Thomas, argumentum factum conuincere, quod hoc nomen *persona* nõ significat formaliter relationem; & consequenter illius significatum non esse relatiuum formaliter, saltim in ratione obiecti significati.

Secundo. Secundo: nam admissa doctrina huius solutionis, adhuc argumẽtum in suo robore manet. Quod probo: vt enim fatetur Nazarius, persona Di-

uina

uina ab errantibus intelligitur verè prædicari de Deo, quin intelligatur illi cõuenire, vt contracta per intranea ad modum subsistentiæ relatiuæ; sed, vt argumentum cõtendit, & Angelicus Doctor admittit, non stat intelligi nomen verè prædicari de aliquo, de quo non intelligatur verè prædicari illius significatum formale: ergo persona diuina non significat formaliter contractionem illam intraneam personalitatis per relationem; & consequenter illius significatum formaliter relatiuum non est.

62 *Conf.* Et augetur difficultas: quia namque ly *persona relatiua* habet pro significato formali contractionẽ ad esse relatiuum, Iudæi, & Pagani, remouentes relationes à Deo, etiam negant personam relatiuam in ipso; sed negando relationes, concedunt personã diuinam: ergo ideo, quia ly *persona diuina* non habet pro formali significato personam, vt relatiuã: maneat ergo, significatũ formale huius nominis *persona diuina* non esse formaliter relatiuum, formalitate obiecti significati.

§. V.

Diluũtur contraria argumenta.

63 *Contra 1. p. conclusionis arg. 1.* CONtra primam partem conclusionis arguitur primo ex D. Thoma *quæst. 9. de potentia, art. 4.* vbi docet, quod quia subsistens distinctum in natura diuina, quod persona diuina formali significatione significat, non potest esse nisi relatio, vel relatiuum, ide o persona diuina significat materiali significatione relationem, vel relatiuũ: ergo iuxta D. Tho. significatum huius nominis *persona diuina* non est *formaliter* relatiuum.

Resp. Respondeo admissa, vt iacet, D. Thomæ doctrina, distinguendo consequens: non est relatiuum *formaliter* in ratione obiecti significati, concedo consequentiam: *formaliter* in ratione entis, nego consequentiam; vt enim relatio, non formali, sed materiali significatione, significetur nomine *personæ diuinæ*, sufficit quod illius significatum, etsi in ratione entis sit relatiuum *formaliter*, in ratione significati non sit relatiuum *formaliter*; eo quod formalitas significationis penes significatum, vt tale, pensatur.

64 *Replicabis.* Sed instabis ex D. Thoma *loco allegato*, vbi docet, quod sicut hoc nomen *homo* significat *formaliter* compositum ex corpore, & anima, & *materialiter* significet habens *cor*, *cerebrum*, &c. sine quibus non reperitur corpus animatum, ita hoc nomẽ *persona diuina* significat, significatione formali, distinctum subsistens in natura diuina, materiali autem significat relatiuum, sine quo distinctio realis in Deo non reperitur; sed *cor*, *cerebrum*, & aliæ partes integrantes, & ethereogeneæ, sine quibus corpus animatum anima rationali non reperitur, non significãtur *formaliter* hoc nomine *homo*, nec formalitate rei, nec formalitate obiecti significati, sed omnino *materialiter*: ergo iuxta D. Thomam relatio, vel relatiuum, nec in esse rei, nec in esse obiecti, conueniũt *formaliter* obiecto significato nomine *personæ diuinæ*.

65 *Resp.* Respondeo, exemplum D. Thomæ non petere, quod in omnibus teneat, aliàs sicut partes ethereogeneæ distinguuntur realiter à toto composito ex corpore, & anima, etiam relatio, & relatiuum, realiter distingueretur à subsistẽte distincto in natura diuina, quod nullus Theologo-

rum,

rũ potest admittere: tenet ergo quoad hoc, quod sicut *cor*, *caput*, & *cerebrum*, & aliæ partes non significantur *formaliter*, formalitate obiecti significati, hoc nomine *homo*; quia ad hoc significandum non est primo impositum, ita nec relatiuum est *formaliter* significatum hoc nomine *persona Diuina*, sed distinctũ subsistens in diuina natura, non autẽ tenet in comparatione entitatiua, sicut in omniũ sententia quoad identatem realem, in nostra, nec quoad conuenientiam formalem.

66 *Contra 2.p.arg.* Deinde contra secundam partem conclusionis arguitur ex D. Thoma in præsenti q.29.art. 4. illis verbis: *Persona igitur Diuina significat relationem vt subsistentem, & hoc est significare relationem per modum substantiæ, quæ est hypostasis subsistens in natura diuina*; sed loquitur D. Thomas de significato formali huius nominis, non solum formalitate rei, sed etiã formalitate obiecti significati; aliàs diminutê procederet non explicans significatum formale huius nominis *persona diuina*, vtraque formalitate: ergo sentit, significatum formale huius nominis *persona diuina* esse relatiuũ *formaliter*, non solum in esse rei, sed etiam in ratione obiecti significati.

Resp. Respondeo admissis verbis Diui Thomæ, vt iacent, & concessa minori, negando consequentiam; vt enim *in eodem art.* explicat D. Thomas, significari hoc nomine *persona diuina* relationẽ per modum substãtiæ, est significari relationem, non inquãtum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis; & cõsequẽter ex eo, quod relatio per modum substantiæ sit formale significatum huius nominis *persona diuina*, non sequitur, illius significatum formale esse relatiuum *formaliter*, formalitate obiecti significati: nam ad hoc requirebatur, quod relatio, vt relatio, non autem vt subsistens *hypostaticè*, significaretur hoc nomine.

67 *Instabis* Sed instabis: relatio per modum hypostasis, & relatio per modum relationis, iuxta D. Thomam non differunt *obiectiuè*, sed tantum ex modo significandi: ergo obiectum formale *personæ* significantis relationem per modum hypostasis, & *relationis* significãtis illam per modum relationis, idem est, non solum in esse rei, sed etiam in esse obiecti *formaliter*; & consequenter significatũ formale huius nominis *persona Diuina* est *formaliter* relatiuum sub vtraque ratione. Secunda consequẽtia ex prima euidenter colligitur. Prima ex antecedenti. Antecedens autem probatur ex D. Thoma in 1. distinct. 23. q. 1. ar. 3. in fine illis verbis: *Inuenimus enim in diuinis quatuor modos significandi. aliquid enim significat absolutum per modũ absoluti, vt* Deus, *aliquid relationem per modum relationis, vt* Pater, *aliquid, absolutum per modũ relationis, vt* potentia generandi, *aliquid, relatiuum per modum absoluti* vt persona: ergo sentit D. Thomas, *personam, & relationẽ*, in Deo ex parte obiecti significati omnimodè conuenire, & solum differre penes modum significandi.

Resp. Respondeo distinguendo antecedens: non differunt *obiectiuè* in ratione obiecti significati, nego antecedens: *obiectiuè* quoad entitatem, & formalitatem significatam, cõcedo antecedens, & nego consequentiam. Nec traditæ distinctioni obstant verba D. Thomæ docentis, *hypostasim*, aut *personã*, significare relationem ad modum absoluti: solum enim intendit, rem significatam esse relationem *formaliter* in esse rei, non autem quod sit relatio in ratione obiecti significati.

68 *Tertio arg.* Tertio arguitur: significatũ formale *personæ diuinæ* est distinctum subsistens in natura diuina, vt vidimus ex D. Thoma *q.9. de potentia art.4.* sed subsistens distinctum in natura diuina essentialiter est relatiuũ, non solum *identicè*, sed etiam *formaliter*; cum sola relatio possit distinguere, & distingui realiter in Deo,

in quo absoluta omnia indistincta realiter sunt,& omnibus personis cómunia: ergo significatũ formale huius nominis *persona diuina* est *formaliter* relatiuum.

Resp. Respondeo,hoc argumentum primam partẽ nostræ conclusionis suadere,in qua asseruimus,significatum formale huius nominis esse relatiuũ *formaliter*,formalitate entis,secundæ autem eiusdem conclusionis parti non officere, in qua diximus,non esse relatiuum *formaliter*,formalitate obiecti: vnde D. Thomas *vbi proximè*,hoc argumento probauit, personam diuinam *materialiter* relationem significare,quod,vt primũ argumentum soluentes dicebamus, intelligendum est de materiali non opposito formalitati entis,& rei,sed formalitati obiecti. Vnde in forma cõcessa maiori, distinguo minorem: distinctum subsistens in natura diuina est relatiuum *formaliter* in ratione entis,cõcedo minorem : in ratione obiecti significati, nego minorẽ, & sub eadem distinctione consequentis,concedo,& nego cõsequentiam.

69 *Replica bis* 1. Sed oppones aduersus istam solutionem primo: ratio obiecti significabilis consequitur entitatem : ergo quod obiecto cõuenit formaliter in ratione entis,conuenit etiam formaliter in ratione obiecti significati,& consequenter si formale significatum huius nominis *persona diuina* est relatiuũ *formaliter* in ratione entis, etiam erit *formaliter* relatiuum in ratione obiecti significati.

Secũdo. Secundo: ideò in ratione entis est *formaliter* relatiuum, quia respectum ad terminum exigit, & *implicitè* claudit;sed etiam in ratione obiecti significabilis exigit respectum ad terminum,illumque *implicitè* claudit : ergo in ratione obiecti est *formaliter* relatiuum.

Tertio. Tertio: id,sine quo explicato aliquid diffiniri nõ potest,conuenit illi *formaliter*, etiam in ratione obiecti;sed significatũ huius nominis *persona diuina* diffiniri non potest, relatione non explicata: ergo relatio, vt relatio , pertinet *formaliter* ad significatum *personæ*,etiam in ratione obiecti significati. Probatur minor: non potest significatum formale huius nominis diffiniri non explicato distinctiuo illius à persona creata; sed distinctiuum personæ diuinæ à persona creata est relatio: ergo, relatione non explicata , diffiniri nõ potest persona diuina.

70 *Quarto* Quarto:significatum formale huius nominis *persona diuina*, vel est in ratione obiecti *formaliter* relatiuum,vel est in ratione obiecti *formaliter* absolutum? Non secundum: ergo primum. Maior cum consequẽtia tenet. Minor autẽ ostenditur primo: id,quod est *formaliter* absolutum, nequit relationem importare, etiam *implicitè*; sed formale significatum huius nominis *persona diuina implicitè* relationem importat: ergo *explicitè formaliter* absolutum non est. *Minor prob.* 1.

Secũdo. Secundo,& explicatur magis hoc ipsum: absolutum, vt à relatiuo distinctum, constituitur per esse *ad se*, non solum *negatiuè*, & *præcisiuè*, sed etiam *positiuè*, & *repugnanter*, aliàs ratio entis communis relatiuo, & absoluto,esset absoluta *formaliter*; cum dicatur *ad se præcisiuè*, & *negatiuè*,hoc est nõ exprimat respectum ad aliud;sed significatũ formale huius nominis *persona diuina*, etsi dicatur *ad se negatiuè*, hoc est non exprimat respectum ad terminum,non tamẽ dicitur *ad se repugnanter*,& *positiuè*,imò includit respectum ad terminum:ergo in ratione obiecti significati non est absolutum *formaliter*.

71 *Ad* 1.*replicam resp.* Respondeo ad primam instantiã, distinguẽdo antecedens : cõsequitur entitatẽ *absolutè*,nego antecedens: vt comparatam cum voce,& nomine significante, & vt existentem in intellectu imponentis,& concipientis per terminum , concedo antecedens,& nego consequentiam,vel distinguo consequens per eandem distinctionem.

Ad 2. Ad secũdam, distinguo minorem: exigit, & includit respectum in ratione obiecti *materialiter*, concedo minorem: *formaliter*, nego minorẽ, & consequentiam: nam id exigit, & includit in ratione obiecti *formaliter*, quod à nomine exigitur ex vi suæ significationis formalis, vt vidimus secundam partem nostræ conclusionis probantes, & ideò obiectũ illius in ratione obiecti *formaliter*, dictam exigentiam, & inclusionem non habet, aliàs illis sublatis istius nominis significatio existere nõ posset, illisque non enunciatis à nullo posset dictum nomen enunciari de Deo, cuius contrarium & ex D. Th. & ratione monstrauimus: vnde sicut exigentia Trinitatis personarũ materialiter comparatur cum Deo in ratione principij creaturarum; quia hæc ab illarum dependentia non petitur: ita exigentia respectus ad terminum materialis est comparata ad significatum formale huius nominis *persona diuina*: quia talis exigentia nõ petitur per se à tali nomine ex vi suæ significationis.

72 Ad 3. Ad tertiam concessa maiori, nego minorem, ad illius probationem distinguo maiorem: non explicato distinctiuo illius à persona creata, distinctione quasi extranea desumpta ex parte naturæ, concedo minorem: distinctione quasi intranea sũpta ex parte personalitatis, & modorum ipsam contrahentium, nego minorem, & consequentiam. Itaque, vt ex Nazario notabamus *supra*, cum persona sit rationalis naturæ indiuidua substantia, idest subsistẽs incommunicabile, & distinctum in natura rationali, & consequenter importet personalitatem *directè*, & naturam *indirectè*, dupliciter diuidi potest, nempè, per differentias sumptas ex parte naturæ, qualiter diuiditur in personam diuinam, Angelicam, & humanam, quam diuisionem vocamus per differẽtias, quasi extraneas, non quia absolutè extraneæ sint, sed comparatiuè ad illas, per quas personalitas *directe* diuiditur: eo quod quamuis natura, & personalitas, *formaliter* ingrediantur personæ cõstitutionem, formalius tamen personalitas *directè* importata ingreditur, quam natura *indirectè*, & in obliquo importata. Secundo diuidi, & distingui potest per differentias desumptas ex parte ipsius personalitatis, qualiter diuiditur persona vt sic, in personam absolutam, & relatiuã, & hãc diuisionem, distinctionemque appellamus per intraneas differentias; quia formalius ad personam cõparantur ratione iam explicata: dicimus ergo, quod vt diffiniatur significatũ formale huius nominis *persona diuina* secundum formalia ipsius, sufficit, quod explicetur differentia personæ diuinæ à creata, quæ sumitur ex parte naturæ, quod fit, asserendo, *persona diuina est distinctũ subsistens in natura diuina*, & sic à D. Thoma fuit diffinitum, nõ autem requiritur explicari differentiam intraneam sumptã ex parte personalitatis, diuidentemque personam, in relatiuam, & absolutam.

Si opponas D. Thomam quæst. 9. de potentia art. 4. ad finem corporis illis verbis: *Relatio, vt significatur hoc nomine* Paternitas, *includitur* obliquè *in significatione diuinæ personæ, quæ nihil aliud est quam distinctum relatione subsistens in natura diuina*. Ex quibus duo habentur. Primum, quod in personæ diffinitione explicatur relatio. Secundum, quod persona diuina relationem in abstracto *indirectè*, & in *obliquo* importat; at iuxta solutionem traditam, persona diuina, sine relatione explicata, diffinitur, & consequenter illam *indirectè* non dicit: ergo tradita solutio menti D. Thomæ non congruit. 73 *Instabis*

Respondeo, D. Thomam duplex significatum huius nominis distinxisse, nempe *formale*, & *materiale*, primum docuit esse distinctum subsistens in natura diuina, & quia hoc re ipsa non potest esse nisi relatio, vel relatiuum, intulit, relatiuum esse materiale significatum. Quod 74. *Resp.*

rur-

rursus diuisit in directum, & indirectum, & docuit *directe* importari relationem in concreto, qualiter significatur hoc nomine *Pater*, indirectum vero relationem in abstracto, qualiter significatur hoc nomine *Paternitas*, & huius assignauit rationem; quia, scilicet, persona nihil est aliud, quam *distinctum relatione subsistens in natura diuina*, quæ verba intelligenda sunt de persona diffinita quoad materiale significatum, & non solum quoad formale, vt ex discursu facto ab Angelico Doctore euidenter colligitur. Iuxta quã doctrinã explicatis verbis D. Thomæ, distinguo minorem: persona diuina quoad significatum formale, concedo minorem: quoad materiale, nego minorem, & consequentiã: nam D. Thomas, cum personam diuinam, per relationem *explicite* importatam, diffinit, loquitur de persona diuina quoad formale, & materiale significatum, non autem quoad solum formale *formaliter* sumptum.

75 *Ad vlt. Ad 1. prob. minoris.* Ad vltimam concessa maiori, nego minorem, ad primam probationem distinguo maiorem: inclusione formali, concedo maiorem: inclusione materiali, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; significatum namque formale huius nominis *persona diuina*, formalitate obiecti significati, non includit *formaliter*, sed *materialiter* solum, relationem, vel relatiuum, etsi in ratione entis *formaliter* includat illud, ex quo non sequitur in ratione significati *formaliter* absolutum non esse, sed tantum quod in ratione entis *formaliter* absolutum non sit. Et ex his ad secundam probationem minoris concessa maiori, distinguo minorem: in ratione entis, concedo minorem: in ratione obiecti significati per hoc nomen *persona diuina*, nego minorem, & consequentiam; vt enim in ratione obiecti significati sit absolutum *formaliter*, sufficit taliter significari *absolutè*, vt repugnet illi hoc nomine significati *relatiuè*, & hoc sic contingit: nam licet significato formali huius nominis *persona diuina* in esse rei non repugnet relatio, imo potius illam *intrinsece* includat, in ratione tamen significati *formaliter* illi repugnat esse relatiuum, hoc est *relatiuè* hoc nomine significari, ac proinde in ratione significati *formaliter* est absolutum: nam sicut in esse rei est *formaliter* absolutum, cui in esse rei repugnat esse relatiuum *formaliter*, ita in ratione significati est *formaliter* absolutum, quod taliter nomine aliquo significatur *ad se*, quod repugnet tali nomine *respectiuè* significari, vt cõstat in obiecto significato hoc nomine *ens*, quod in essendo relatiuum, & absolutum est, vtpotè vtrumque *implicitè* includens, & tamen in ratione obiecti significati *formaliter* est absolutum; quia hoc nomine taliter significatur *ad se*, quod illi repugnet eodem nomine significari *ad aliud*.

§. VI.

Secunda pars Disputationis resoluitur.

CIrca secundum, quod in hac disputatione in examen vocauimus, an scilicet ratio personæ propriè reperiatur in Deo, constanter est affirmandum, & vt certũ secundum fidem tenendum. Quod probo primo ex symbolo Athanasij illis verbis: *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti*, quæ esse cum proprietate

76 *De fide est rationẽ personæ reperiri in Deo propriè. Prob. 1. ex Cõc.*

acci-

accipienda constat; quia ex eo nullum sequitur inconueniens, & quia sic fuerunt accepta cõmuni Ecclesiæ consensu; sed vbi alia, & alia persona cum proprietate inueniuntur, reperitur persona cum proprietate: ergo ratio personæ proprie reperitur in Deo. Quod etiam diffinitur expresse *in Cõcilio Toletano vndecimo in confessione fidei*, & in Lateranensi *capite firmiter de summa Trinitate*, vbi dicitur, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem personæ, & vna essentia.* Accedit cõmunis vsus Ecclesiæ, & vniuersalis Patrum, & Scholasticorum consensus admittentium cum proprietate rationem personæ in Deo. Videãtur Hieronimus *epistola 39. ad Damasum*, Cyprianus *sermone de Christi natiuitate*, Ambrosius *libro de institutione Virginum cap. decimo* sepè. Hilarius de *Trinitate cap. 1. vsque ad 12.* & Augustinus *de Trinitate* præcipue *lib. 7. cap. 6.*

Secũdo ex PP.

Deinde probatur: persona namque est *rationalis*, id est intellectualis, *naturæ indiuidua substantia*, id est, incommunicabilis subsistentia, vel alijs terminis, *est subsistens incommunicabile in natura intellectuali*; sed in Deo est intellectualis natura, est etiam subsistentia incommunicabilis: ergo in illo inuenitur ratio personæ.

77 *Tertio ratione*

Denique probatur ratione Angelici Præceptoris: quidquid enim perfectionis, & dignitatis est, reperitur in Deo; sed persona significat, quod est perfectissimum in tota natura: ergo propriè reperitur in Deo. Probatur minor: persona namque ex parte naturæ importat, quod sit intellectualis, quæ est ex genere suo omnium naturarum dignissima, modus etiam existendi, quem dicit, dignissimus est, scilicet, quod sit *per se* existens: ergo persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura.

Quarto

78 *Error Laurẽtij Vallæ.*

Oppositum errorem tenuisse Laurentium Vallam grammaticum *lib. 6. elegantiarum cap. 34.* referunt recentiores, docentem, personam non significare substantiam, sed accidens, vel corporis qualitatem, per quam vnus homo differt ab alio, cumque in Deo qualitas non reperiatur, nec reperitur propriè persona: personam tamen esse rationalis naturæ indiuiduam substantiam, qualiter explicatum relinquimus, & consequenter, non qualitatem, sed substantiam significare, propriêque in Deo reperiri, & oppositum fidei aduersari, docent vniuersi Theologi, nec in contrarium alicuius ponderis argumentum inuenitur.

79 *Contra resolutionem nostram arg. 1.*

Primo argui potest: quod enim in Scriptura Sacra non continetur, aut ex traditione habetur, de fide non est; sed in Deo esse personam non continetur in Scriptura, nec ex traditione habetur: ergo non est de fide rationem personæ Deo competere. Maior constat: nam Concilia, aut Pontifices, nihil deffiniunt, quod in verbo scripto, aut non scripto, saltim implicitè contineatur. Minor autè pro prima parte constat: nullibi enim in Scriptura Deo attribuitur ratio personæ. Pro secunda probatur, traditio enim *est ab Apostolis vsque ad nos alicuius veritatis cõtinuata consensio*, non autem videtur huiusmodi, quod in Deo sit persona; vt enim docet Augustinus *lib. 7. de Trinitate cap. 6.* nomen *personæ* est inuentum ad respondendum hæreticis interrogantibus quid sunt tres, videlicet tres personas: ergo in Deo esse personam, non est veritas habita per traditionem.

Resp.

Respondeo distinguendo maiorem: quod nõ continetur in Scriptura, vel quoad nomen, vel quoad rem significatam, cõcedo maiorem: quod non continetur quoad nomẽ, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego cõsequentiam: nam licet hoc nomen *persona* in Scriptura non reperiatur, reperitur tamen in illa res hoc nomine significata multipliciter expressa, quod scilicet Deus est maximè per se ens, & perfectissime intelligens; cumque

in per ſe ente, hoc eſt *ſubſtătialiter* ſubſiſtente in natura rationali, conſiſtat res ſignificata per hoc nomen *perſona*: fit conſequens, quod potuerit in Deo eſſe perſonam à Concilijs diffiniri, vt eſſet veritas fidei, prout hoc nomine ſignificata. Ita D. Thomas in præſenti *q.29.art.3.ad 1.*

80 *Oppones.* Sed dices, ratio per ſe perfectiſsimè entis intelligentis conuenit Deo pro priori ad relationes; ſed ratio perſonæ conuenit ipſi ratione relationum: ergo ratio illa non eſt res ſignificata hoc nomine; & conſequẽter ex eo quod in Scripturis habeatur, Deum eſſe per ſe maximè ens, & perfectiſsimè intelligentem, nõ ideô cõtinetur in illa ratio ſignificata per nomen *perſona*. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur: nam Deus pro priori ad relationes ſubſiſtit, ſubſiſtentia abſoluta, in veriori ſententia, & ſubſiſtit in natura perfectiſsimè intelligente; cum nec ratio naturæ, nec intellectio, Deo competãt ratione relationum: ergo ratio per ſe maximè entis, & perfectiſsimè intelligentis, Deo cõuenit pro priori ad relationes.

81 *Reſp.* Reſpondeo diſtinguendo maiorem: omni modo perfeitatis, nego maiorem: aliquo modo perfeitatis, concedo maiorem, & cõceſſa minori, nego conſequentiam: nam *per ſe* ſumitur primo, pro perfeitate oppoſita inhærentiæ: ſecundo, pro perfeitate oppoſita dependentiæ ab altero tamquam à ſuſtentante: tertio, pro perfeitate excludente communicabilitatem alteri, tamquam ſuppoſito vltimo adæquatè naturã complente; primo, & ſecundo modo conuenit Deo pro priori ad relationes, tertio autem modo ratione relationum; quia præcedẽter ad illas natura diuina intelligitur terminabilis, & nõ completa complemento omnis lineæ, ſed tantum lineæ abſolutæ, quæ in Deo communicabilis eſt; & conſequenter requit conſtituere perſonam: cum ergo Deus ſit per ſe maximè ens, eſt ens maximè completum; & conſequenter perſona, quæ ſupra naturam addit illius vltimum complementum.

82 *Secũdo arg.* Secundo arguitur: perſona eſt *rationalis naturæ individua ſubſtantia*; ſed Deus non eſt propriæ ſubſtantia: ergo nec perſona propriæ. Minor oſtenditur primo ex Auguſtino lib.7. de Trinitate cap. 5. illis verbis: *Deus autem ſi ſubſiſtit, vt ſubſtantia propriè dici poſſit, ineſt in eo aliquid, tanquam in ſubiecto, & non vt ſimplex, cui hoc ſit eſſe, quod illi eſt, & quidquid aliud de illo ad illum dicitur, ſicut magnus, omnipotẽs, bonus; nefas eſt autem dicere vt ſubſiſtat, & ſubſit Deus bonitati ſuæ, atque illa bonitas non ſubſtantia ſit, vel potius eſſentia, nec ipſe Deus ſit bonitas ſua, ſed in illo ſit, tanquam in ſubiecto: vnde manifeſtum eſt, Deũ abuſiuè ſubſtantiam vocari, quod nomine vſitatiori intelligatur eſſẽtia, quod verè, ac propriè dicitur, ita vt fortaſſe ſolum Deum dici oporteat eſſentiam.* Ex quibus verbis tale argumentum conficitur: quod *abuſiuè* dicitur, non propriè dicitur, ſed improprié; at iuxta Auguſtinum, Deus *abuſiuè* ſolum poteſt dici ſubſtantia: ergo propriè ſubſtãtia non eſt.

Minor prob.1.

Secũdo. Secundo probatur ratione Auguſtini: nam ſubſtantia dicitur à ſubſtando accidentibus; ſed Deus accidentibus ſubeſſe non poteſt, nec dici quod ſubſtet bonitati, vel omnipotentiæ ſuæ, aliſvè perfectionibus, quæ dicuntur de ipſo: ergo non eſt propriè ſubſtantia.

83 *Reſp. Ad 1. prob. min.* Reſpondeo negando minorem. Ad primam probationem dicatur, ſubſtantiam conſiderari dupliciter, primo, quoad id, à quo eſt hoc nomen impoſitum, videlicet ſubeſſe accidentibus, vel quoad rem ſignificatam, videlicet exiſtere per ſe; primo modo ſolum *abuſiuè* poteſt Deus dici ſubſtantia; quia *abuſiuè* ſolum poteſt dici ſubſtare perfectionibus ſuis: ſecundo autem modo cũ proprietate dicitur ſubſtantia, quia propriè exiſtit per ſe, imõ per ſe

maxi-

maximè existit, & hoc solũ intendisse Augustinum. Per quod ad secundam minoris probationem constat solutio sumpta ex D. Thoma *quæst. 9. de potentia art. 3. ad 1. & in præsenti q. 29. art. 3. ad 2. & 4.*

Ad 2.

84 *Tertio arg.*

Tertio arguitur: persona est individua substantia; sed Deus individua substantia non est: ergo non est propriè persona. Minor ostenditur primo: nam individuatio sumitur à materia; in Deo autem materia non est ergo nec individuum. Secundo: nam individuum dicitur *correlativè* ad speciem; in Deo autem species non est: ergo Deus individuum esse non potest. Tertio: nam si Deus esset individua substanria, sequeretur, in Deo esse tres substantias: consequẽs est falsum, aliàs essent tres essentiæ; cum substantia essentiam significet: ergo Deꝰ individua substãtia nõ est.

Minor prob. 1.

Secũdo.

Tertio.

85 *Resp. Ad 1. prob. min.*

Respondeo negando minorem. Ad primam probationem dicatur, individuationem in rebus materialibus sumi à materia, secus autem in substantijs immaterialibus, quæ hoc ipso quod sunt irreceptibiles in materia, individuæ sunt. quia eo ipso quod sunt irreceptibiles in materia, de pluribus prædicari non possunt. Ita D. Thomas *quæst. 9. de potentia art. 3. ad 5.* Ad secundam dicatur, veram esse majorem loquendo de individuo *logicè*, & *secundò intentionaliter*, secus autem *metaphysicè*, prout est idem, quod incõmunicabile, qualiter sumitur in diffinitione personæ. Ad tertiam, concedo sequelam, & nego minorem: nãlicet substantia sumpta pro essentia multipliciter non dicatur, sumpta pro supposito multipliciter dicitur, & sic sumitur in diffinitione personæ; quia tamen substantia absolutè pro essentia vsurpatur, non est absolutè dicendum esse in Deo tres substantias, bene tamen cum hoc addito, scilicet tres substantias individuas. Ita D. Thomas *quæst. 9. de potentia art. 3. ad 9.*

Ad 2.

Ad 3.

86 *Vltimo arg.*

Denique arguitur: persona non significat id, quod est perfectissimum in tota natura: ergo ex falso principio ratio D. Thomæ procedit; & consequenter est nulla. Antecedens probatur primo: quia natura est personalitate perfectior: ergo persona non significat id, quod perfectissimum est. Secundo: quia persona significat personalitatem; sed hæc perfectionem non dicit: ergo non significat perfectissimum in tota natura. Probatur minor: si personalitas, vt sic, diceret perfectionem, non posset intraneè contrahi personalitate relatiua diuina; sed contrahitur per illam: ergo perfectionem non dicit. Minor constat: nam personalitas diuina multiplicata multiplicat personalitatem, vt sic: ergo contrahit illam formaliter. Sequela vero probatur: nam perfectio nequit contrahi formaliter per differentiam, quę formaliter perfectio non sit; sed personalitas relatiua, pro eo quod addit ad naturam, ratione cuiꝰ munus personalitatis exercet, perfectionem non dicit in veriori Thomistarum sententia, de quo *supra quæst. 28.* ergo si personalitas vt sic dicit perfectionem formaliter, non potest contrahi intraneè per relatiuam personalitatem diuinam.

Antec. prob. 1.

Secũdo.

87 *Resp. Suarez*

Huic argumento Suarez *lib. 1. de Trinitate cap. 1. num. 9.* & deinceps, sequutus Syluestrum *in conflato quæst. 29. art. 4.* respondet, Angelicum Doctorem non loqui de perfectione personæ supra naturam, sed de dignitate personæ vltra communem rationem suppositi, quæ dignitas non ex parte subsistentiæ, sed ex parte naturæ desumitur; quia scilicet persona rationalem naturam importat, quæ dignior est quauis alia natura creata, quam importat suppositum, quod persona non est, vnde ratio D. Thomæ sic venit formãda: in Deo est suppositum, quod, inquit Suarez, D. Thomas probatum reliquit *supra quæst. 3. art. 3.* & ratione naturali potest ostendi; sed est suppositũ naturæ intellectualis, quæ omnem aliam naturam excedit: ergo persona.

88 *Reijcitur 1.*

Hæc tamen solutio displicet Nazario, & alijs discipulis D. Thomæ, non quia non rectè concludat, sed quia ad illius mentem non est. Quod probat Nazarius ex textu præsentis articuli, vbi dicitur, *personam significare id, quod est perfectissimum in tota natura*, qua loquēdi forma, inquit Nazarius, satis apertè indicatur comparatio naturæ secundum se ad eandem quatenus subsistēs est.

Secūdo.

Secundo: nam si D. Thom. supponeret esse in Deo suppositum, cum suppositū in tali natura, scilicet diuina, sit idem formaliter, quod persona, supponeret id, quod quærit, scilicet esse personam in Deo.

Tertio.

Deinde alij sic probant assumptum: nā D. Thomas probat in Deo esse personam, non quia est naturæ intellectualis, sed quia illius essentia est perfectissimum ens continēs in se omnem perfectionem.

89 *Quarto*

Denique impugnari potest: nam ratio, qua D. Thomas vtitur *in præsenti*, eadem est cum illa, qua veritatem istam probauit *q. 9. de potentia art. 3.* sed *ibi* perfectionem personæ monstrauit nō solum ex parte naturæ, sed etiam ex modo existendi, & subsistendi: ergo *in præsenti* ex vtroque capite personæ perfectionē ostendit. Minor probatur ex D. Th. loco allegato in corpore illis verbis: *Dicendum, quod persona, vt dictum est, significat quandam naturam, cum quodam modo existendi, natura autem, quam persona in sua significatione includit, est omnium naturarum dignissima, scilicet, natura intellectualis secūdum genus suum; similiter modus existendi, quem persona significat, est dignissimus, vt scilicet aliquid sit per se existēs: cum ergo omne, quod est dignissimum in creaturis, Deo sit attribuendum, conuenienter nomē personæ Deo attribui potest.* Hæc D. Thomas, ex quibus apertè constat, perfectionem personæ ex vtroque principio sumpsisse, & cōparasse non solum personam cum suppositis non rationalibus, sed etiam cum ipsa natura propter modum existendi per se, quem dicit persona, & addit supra naturam.

Vnde argumento facto aliter est occurrendum cum Caietano *in præsenti art. 4.* quem frequentius sequuntur Thomistæ, negando antecedens.

90 *Vera argumēti solutio.*

Ad 1. antec. prob.

Ad primam probationem prætermisso antecedenti, nego consequentiam: nam licet comparatione facta naturę cum modo personalitatis, illa istam excedat in perfectione, de quo inter Metaphysicos est disceptatio, includens autem vtrūque, qualiter includit persona, quodlibet separatim excedit, sicut compositū ex materia, & forma, superat formā, quamuis hæc sit materia perfectior, & compositum ex essentia, & existentia, excedit in perfectione essentiam, estō essentia perfectior sit existentia, ita natura sub modo per se existendi perfectior est natura secūdum se, quæ vt sic modum istum non explicat.

91 *Ad 2.*

Ad secundam probationem dicatur, in persona triplicem perfectionem reperiri, scilicet independentiæ à subiecto inhæsionis, independentiæ à subiecto sustentationis, & incommunicabilitatis alteri, tāquam suppositō: prima, & secunda, perfectionem dicunt, tertia præscindit à perfectione, & imperfectione, prima conuenit cuiuis substātiæ ex cōceptu substantiæ, secunda conuenit diuinæ naturæ ratione subsistentiæ absolutæ, naturæ autem creatæ ratione personalitatis præstantis secūdā, & tertiam perfectionem, tertia conuenit Deo non ratione subsistentiæ absolutæ, sed ratione subsistentiæ relatiuæ, quæ licet perfectionem non explicet, duplicem tamē implicat perfectionem, nempè naturæ, quā in suo conceptu claudit, & subsistentiæ absolutæ, quam includit, & supponit. Nec D. Thomas asseruit, personam vt sic significare *formaliter, & directè*, perfectionem, sed significare id, quod perfectissimum est in tali natura, quod verum est, quamuis perfec-

tio-

tionem de formali non explicet. Et ex his in forma ad secundam probationem respondeo concessa maiori, distinguendo minorem: non dicit *explicitè*, & *formaliter* perfectionem, concedo minorem: *implicitè*, & *præsupositiuè*, nego minorem, & consequentiam: nam quamuis persona ex parte formalis significati perfectionem non explicet, illam tamen implicat, & præsupponit: nam si creata est, præstat perfectatem oppositam dependentiæ, si increata, perfectatem istam supponit præstitam à subsistentia absoluta, & inclusam, quamuis non explicatam, in subsistētia relatiua, quæ personam diuinam constituit.

82. *Replicabis.* Sed dices, iuxta hanc solutionem quidquid perfectionis est in Deo, cōuenit ipsi non ratione personalitatis, sed ratione naturæ, & ratione subsistentiæ absolutæ, quæ ad personalitatem supponitur; at D. Thomas probat personam in Deo ex ratione perfectionis: ergo non probat completam rationē personæ, sed solum rationem subsistentiæ in natura diuina subsistentia absoluta, quæ prior est relatiua constituente Deum in ratione personæ.

Resp. Respondeo concessa maiori, & minori, negando consequentiam: nam licet perfectio non conueniat Deo ratione personalitatis, est tamen cū personalitatibus relatiuis connexa, nec potest ratio subsistentis per se in natura rationali, perfectate opposita dependentiæ à sustentante, inueniri sine personalitate præstāte perfectatem incommunicabilitatis: vnde probato in Deo reperiri quidquid perfectionis est in persona, probatur in ipso reperiri personā; quia perfectas illa independentia, vel à personalitate præstatur, qualiter in creaturis contingit, vel habet personalitatem annexam, qualiter cōtingit in Deo. Et hac de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in 1. dist. 23. §. 1, ad illa verba: *Est tamen vnicū nomen, scilicet* persona, *quod secundum substantiam dicitur de singulis personis, &c.* Et dist. 25. §. 1. & §. 2. ad illa verba: *Persona enim ad se dicitur, &c.* (*i*)

M. Sēt.

DISPVTATIO OCTVAGESIMA.

SECVNDA.

An dẽtur tres Personæ realiter distinctæ in Deo cum vnitate in essentia?

§. I.

Ratione dubitandi proposita, statuitur Catholica veritas.

Nu. 1. *Ratio dubitãdi proponitur.*

VISO iam nomen *Personæ Diuinæ* relationẽ importare, & in Deo reperiri, restat vt examinemus, an *pluraliter* dicatur, seruata essentiæ vnitate, quod est primum nostræ Fidei mysterium. Ratio dubitandi, eaque satis efficax, & difficilis est; quæ namque sunt eadem vnitertio, sunt eadem inter se; sed eo ipso quod essentia Dei sit vna, personæ identificantur in illa: ergo idẽ sunt inter se; & consequenter nõ stat realis personarum distinctio cũ identitate essentiæ.

2 *Primus error circa Trinit. myst.*

Quo argumento oppressi Pagani, & hæretici, in extremos inciderũt errores. Alij namque personarum distinctionem negarunt, vnam tantum personam admittentes in Deo. Ita omnes Gẽtiles, qui rationis naturalis ductum sequentes, & fidei lumine destituti, vnum Deum cognouerunt, vel Trinitatem negantes, vel de illa nihil cogitantes. Eundem errorem sequuti sunt Iudæi, & Mahometani, Paulus Lamojetanus, & plures alij, tam antiqui, quam moderni hæretici, inter quos D. Thomas 4. *Contra-Gẽtes cap.* 5. Sabellium, & sequaces recensẽt, qui Patrespassiani sunt appellati; eo quod inter Patrem, & Filium non distinguentes, Patrem mortuum, passumque fatebantur.

Secũd' error.

Alij per extremum distinctionem personarum fatentes, negarunt vnitatem essentiæ. Ita præter Gentiles plures Deos adorantes, docue-

runt

runt Arrius, & Eunomius dicentes ſolum Patrem eſſe Deum, Filiumque, & Spiritum Sanctum quaſdam excellentes creaturas, quorum erroris prima ſemina iecisſe Platonicos docet D. Thomas 4. *Contra Gentes cap. 6.* qui ponebant ſummum Deum, Patrem, & Creatorem omnium rerum, à quo primitus effluxiſſe quandam mentem ſuperiorē omnibus rebus, quam Paternum intellectum nominabant.

3 *Diuerſimodè explicatur à ſuis fautoribus*

Eundem errorem, teſte D. Thoma *lib. 4. Contra Gentes cap. 4.* equuti ſunt Cherintus, Ebiō, & Photinus, qui ab Arrio in hoc diſcedebāt, quod ille generationem Filij ante mundum fuiſſe docebat, & Filium eſſe commixtum ex quadam excellentiſsima creatura diuina, & humana, Photinus autem Filium Dei purum hominem eſſe docebat, natumque non ante mundum, ſed à Beatiſſima Virgine. Arrio adhæſſere diſcipuli Arriani Filium a Patre diſtinctum eſſe aſſerentes, creaturamque in tempore, vel ab æterno productam. Ita Varimandus, Petrus Abaelardus, Luterus, Melanthon, Valentinus, & alij, quibus adiungendi ſunt ſemi Arriani, qui licet Filiū Patri ſimilem docerent, aſſerebant tamen eſſe Patre minorem. Inter hæc vitioſa extrema Gentilium, & Hæreticorum, media fides Catholica incedit, docens primo realē perſonarum diſtinctionem. Secundo, omnimodam eſſentiæ vnitatē. Tertio, tres tantum perſonas. Quam veritatem quatuor aſſertionibus explico.

4 *Prima conc.*

Prima ſit: *Datur in Deo realis perſonarum diſtinctio.* Hæc veritas diffinita eſt in Concilio Nizeno ſecundo, & in alijs congregatis poſt ipſum. Et in Symbolo Athanaſij illis verbis: *Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti.* Et relictis Gentilibus, contra quos non poteſt argumento efficaci monſtrari, contra Iudæos admittentes vetus teſtamentum probari poſſet ex illo Geneſeos primo: *In principio creauit Deus Cœlum, & terram,* & poſtea: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Ex quibus verbis colligunt Myſterium Trinitatis Auguſtinus *libro de Geneſi ad litteram cap. 1.* Origenes, & Rupertus explicantes, *in principio*, ideſt *in Filio*, & in *Spiritu Domini* tertiam denotari perſonam, quod etiam ſenſiſſe Hilarium in expoſitione cuiuſdā Pſalmi refert Hieronymus *lib. Hebraicarum quæſtionum in principio* docentem, in Hebræo haberi *in Filio creauit Deus Cœlum, & terram.*

Prob. teſtim. Scripturæ.

5 *Opponit Vazquez.*

Nec obſtat, quod opponit Vazquez *ſup. diſp. 108. cap. 2. num. 7.* Hieronymum, & Doctores frequenter legere *in principio*, ideſt, *initio temporis*, cui locutioni aſſentitur D. Thomas *ſuper Geneſim cap. 1.* iuxta quē non poteſt diſtinctio perſonarum probari, & nomine *Spiritus Domini* aer communiter intelligitur.

Reſp.

Non inquam obſtat; cum enim idem teſtimonium Scripturæ duos ſenſus, etiam litterales, habere poſſit, vt docet D. Thomas *ſupra q. 1.* nullum eſt incōueniens, quod in vno ly *in principio* ſumatur *temporaliter*, & in alio *cauſaliter*, ita vt idem ſit, quod *in Filio*, & ſimiliter *Spiritus Domini*, & aerem, & tertiā perſonam denotet. Nec in oppoſitum eſt D. Thomas: non enim reiecit Auguſtini lectionem, ſed aliam vt magis cōſonam litterę admittit, vt cōſtat ex verbis D. Thomæ, ibi: *Licet autem ita poſſit verè intelligi, ſicut etiā dicit Hieronymus in libro illo, tamen mens litteræ magis videtur eſſe, quod accipiatur principium nō cauſaliter, ſed initialiter, hoc eſt pro initio temporis, iuxta illud Pſalmi 101. initio tu Domine terram fundaſti, quo ſenſu etiam Apoſtolus ad Hebræos primo aſſumit hoc verbū.* Hæc D. Th. ex quibus verbis apertē cōſtat, non reijcere lectionem Auguſtini, & Hilarij, vt falſam, ſed tantum aliam præponere vt magis conſonam litteræ.

6 *Alia teſtimonia expenduntur.*

Deinde probari ſolet ex alijs teſtimonijs Scripturæ, in quibus introducitur Deus loquens in perſona pluriu. Geneſis primo; *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Ex quo loco Origenes, Baſilius, Chriſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, & alij, colligunt miſterium Trinitatis. Et cap. 11. *Venite deſcendamus, & confundamus linguas eorum*, quæ verba, licet ad Angelos facta plures interpretentur, ex illis tamen myſterium Trinitatis colligunt Gloſſa interlinealis, Iſidorus, Procopius, & alij. Ad idem faciunt illa Scripturæ teſtimonia, in quibus pluries Dei nomen repetitum inuenitur, Iſaiæ 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus ſabaoht*, vbi Trinitas perſonarum in nomine *Sanctus* repetita deſignatur, & vnitas eſſentiæ illis verbis numeri ſingularis, *Dominus Deus ſabaoht.* Exodi etiam tertio illis verbis: *Hæc dices filijs Iſrael, Dominus Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſac, & Deus Iacob, miſsit me ad vos*; vbi vnitas exprimitur dicendo *Dominus Deus Patrum veſtrorum*, Trinitas vero ex nomine *Deus* tribus vicibus repetito colligitur: vnde Gloſſa interlinealis ſic habet: *Hic atteſtãtur tres approbati, & examinati teſtes, quorum teſtimonium verum eſt nomine trium teſtium, tres Trinitatis perſonas intelligens deſignatas repetito nomine Deus.* Quæ, & alia plura veteris paginæ teſtimonia, tametſi non plenè proteruas Iudæorum mentes conuincant, intellectui tamen bene diſpoſito Trinitatem perſonarum, illarum que diſtinctionem, ſuadent.

7 *Ex nouo teſtamẽto prob. cõcluſio.*

Id ipſum clarius ex nouo teſtamento contra hæreticos colligitur, & ommiſsis pluribus, duo tantum ſufficiant. Matthæi vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; vbi vnitas exprimitur dicendo *in nomine*, non *in nominibus*; Trinitas autem dicendo, *Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, quod egregiè notauit D. Thomas ſuper iſtum locum ibi: *Item dicit in nomine, non in nominibus, & confundũtur hæreſes, quæ non ponunt diſtinctionem in hoc quod dicit in nomine, Patris, & Filij, & confunditur Arrius per hoc quod in ſingulari dicit in nomine.* Secundũ habetur 1. Ioannis 5. iiis verbis: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt*; quibus verbis manifeſtè exprimitur perſonarum diſtinctio: vbi enim eſt Pater, etiam eſt Filius, inter Filium autem, & Patrem, cum vnus ab alio procedat, neceſſario interuenit realis diſtinctio.

8 *Tertio prob.*

Tertio ſuadetur: idem namque à ſe ipſo nequit realiter procedere; ſed inter perſonas diuinas datur realis vnius ab alia proceſsio: ergo etiã realis diſtinctio. Maior eſt adeò lumine naturali conſpicua, vt de illa nullus vnquam dubitauerit: vnde Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 1. ſic ait: *Qui autem putat eius eſſe potentiæ Deum, vt ſe ipſum ipſe genuerit, eo plus errat, quod non ſolum Deus ita non eſt, ſed nec Spiritualis, nec corporalis creatura; nulla enim omnino res eſt, quæ ſe ipſam gignat, vt ſit.* Minor autem conſtat ex Ioannis cap. 8. vbi Chriſtus de ſe ipſo ait: *Ego enim ex Deo proceſsi, & in mundum veni*, vbi duplicem proceſsionem diſtinguit, aliam æternam ſecundum diuinitatem dicendo, *ex Deo præceſsi*, iuxta illud Pſalmi 109. *Ante luciferum genui te*, & illud Eccleſiaſtici 24. *Primogenita ante omnem creaturam*, aliam temporalem ſecundum humanitatem dicendo, *veni*, iuxta illud ad Galatas 4. *Miſsit Deus Filium ſuum natum ex muliere factum ſub lege.* Et Ionnis 15. Dominus de Spiritu Sancto dicit: *Cum autem venerit Paraclitus, quẽ ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*: datur ergo inter diuinas perſonas vnius ab alia proceſsio; & conſequenter realis

inter illas distinctio.

9 *Quarto prob. duplici cõgruẽtia D. Tho. 1. est.*

Denique suadetur congruentia duplici sumpta ex D. Thoma *quæst. 9. de potentia art. 9.* Prima est: oportet enim in Deo veram, propriam, sũmamque amicitiam saluari; sed sine reali personarum distinctione non potest saluari in Deo vera, propria, & summa ratio amicitiæ: ergo datur in Deo realis personarum distinctio. Maior constat: omne namque, quod perfectionem sine imperfectione dicit, reperitur in Deo, amicitia autem nullam in suo conceptu dicit imperfectionem, & consequenter est in Deo constituẽda. Minor autem probatur: Dei namque ad creaturas summa amicitia esse nequit, cum illas summè non possit diligere; non enim summè diligibiles sunt: nec ad se ipsum propriam potest habere amicitiam absque reali diligentis, & dilecti distinctione: amicitia namque est ad alterum; cum redamationem, & æqualitatem importet, teste Philosopho *in 8. Ethicorum cap. 3. & 8.* redamatio autem, & æqualitas, realẽ extremorum distinctionem exposcat: vnde Gregorius *homilia 17. in Euangelia in principio* docuit, Charitatem minus quam inter duos haberi non posse: ergo stare nequit in Deo vera, & propria, & summa ratio amicitiæ absque reali personarum distinctione.

10 *Secũda.*

Secunda congruentia est: ad bonum namque spectat, quod sit communicatiuum sui: ergo ad summum bonum pertinet summè se cõmunicare; sed sine reali personarum distinctione non saluatur summa Dei communicatio: ergo admittenda est in Deo realis personarum distinctio. Minor probatur: creaturis namque Deus non communicat se summè: nã summa communicatio est communicatio summi boni, & summo modo, creaturis autem etsi summa bonitas communicetur, non tamen summo modo communicatur, vbi autem ipsi summè communicare suã bonitatem non potest, nisi reali distinctio personarum admittatur: nam inter communicans, & illum, cui fit communicatio, realis distinctio requiritur; nullus enim dicitur sibi aliquid communicare: ergo sine reali personarum distinctione summa diuinæ bonitatis communicatio subsistere nequit.

§. II.

Vnitas essentiæ inter Patrem, & Filium probatur.

11 *Secũda cõclusio*

SIt secunda conclusio: *Secunda Trinitatis Persona est eiusdem essentiæ, & naturæ cum Patre.* Ita contra Arrium, & sequaces, omnes Catholici tenent. Ex Patribus Dionysius *cap. 1. de diuinis nominibus.* Ignatius *in epistola ad Philippenses.* Iustinus *in libro de recta Fidei expositione.* Iræneus *lib. 3. contra hæreses cap. 6.* Clemens Alexãdrinus *lib. 1. pedagogi.* Tertullianus *lib. 4. aduersus Marcionem cap. 25.* Hilarius *in egro de Trinitate tractatu.* Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, & alij, quos lato calamo referunt commentatores D. Thomæ *in præsenti*, & *supra q. 27. art. 2.* ipseque D. Thomas pluribus suæ doctrinæ locis, & præcipuè 4. *Contra Gentes cap. 2. & sequentibus*, vbi ita eleganter, & copiosè diuinitatem Filij propugnat, vt necesse aliud nõ sit quam illius verba transcribere. Diffinita est hæc veritas in pluribus Concilijs contra Arrium congregatis, & in Symbolo Athanasij illis verbis: *Sed Patris, & Filij, & Spiri-*

tus Sãcti, vna est Diuinitas, æqualis gloria, coæterna Maiestas, &c. Probari poterat pluribus argumentis, & Scripturæ testimonijs, quæ vberrime congessit D. Thomas loco *vbi supra* allegato, ex quo sequentia breuiter deducuntur.

12 *Prob. ex Scriptura.*

Primo ergo probatur conclusio ex Ioannis 10. cap. vbi Christus de se ipso ait: *Ego, & Pater vnum sumus*, quibus verbis distinctio personalis exprimitur asserendo, *ego*, & *Pater*, vnitas autem essentiæ cum additur, *vnum sumus*. Quod intelligendum esse non de sola vnitate affectus, sed de vnitate substantiali essentiæ, probant Basilius *lib. 1. cõtra Eunomium circa finem*, Chrisostomus *in hunc locum*, & alij Patres communiter. Constatque ex verbis immediatè antecedentibus: *Et non rapiet ea quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego, & Pater vnum sumus*. Ex quibus duplex argumentum cõficitur ad probandum, Christum loqui de vnitate consubstãtiali essentiæ. Primo: nam si solum accepisset a Patre vnionem secundum affectum, quod Pater illi dedit maius omnibus non esset; nihil enim omnia superat, nisi perfecta diuinitas; at Christus ait, *quod dedit mihi Pater maius omnibus est*: ergo cum se vnum cum Patre fatetur, loquitur de essentiæ vnitate. Secundo: nam vnitatem istam sumpsit pro medio ad probandum neminé posse de illius manu proprias oues rapere, in hunc modum: *Nemo potest illas rapere de manu Patris mei; sed ego, & Pater vnum sumus, & quod mihi dedit maius est omnibus: ergo nemo potest illas rapere de manu mea*; sed hoc argumentum omni robore careret, nisi loqueretur de vnitate cum Patre in essentia; cum ex sola hac vnitate æqualitas virtutis arguatur: ergo cum docet se esse vnum cum Patre, loquitur de vnitate consubstantiali essentiæ.

13 *Opponens.*

Nec obstat illud Ioannis 17. Christi ad Patrem pro Discipulis orantis: *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus*. Ex quo deduci videtur, vnitatem Christi cum Patre non esse per identitatem essentiæ: exoptabat namque Discipulis vnitatem, quam habent Pater, & Filius, non autem volebat illis vnitatem secundum essentiam: ergo inter Patrem, & Filium hæc vnitas non inuenitur. Non inquam obstat: cum enim inter Christum, & Deum Patrem, duplex vnitas reperiatur, scilicet amoris, quæ affectiua vocatur, & vnitas secundum essentiam, primam, non secũdam inter Discipulos exoptabat; quia tamen prima non excludit secundam, ex illa non sequitur secũdæ vnitatis negatio.

Resp.

14 *Secũdo prob.*

Secũdo probatur: nam inter Patrem, & Filium natnralem, est ad minus conuenientia specifica in natura; sed Verbum est Filius naturalis Patris: ergo est eiusdem naturæ cũ Patre; cumque natura diuina non possit numero multiplicari, vt constat ex fide, & naturali ratione, multisque argumentis demonstrauit D. Thomas *lib. 1. Contra Gentes cap. 24.* fit consequens, vt inter secundã, & primam Trinitatis personam, inueniatur omnimoda identitas essentiæ, & naturæ. Minor, in qua sola difficultas ab hæreticis constituitur, constat clarè ex pluribus testimonijs Scripturæ, in quibus Christus asseritur Filius Dei. Ita habetur *Matthæi 11. Ioannis 3. & cap. 5. ad Roman. primæ ad Hebræos 1. & passim alibi*. In nouo Testamento eadem exprimitur veritas. Nec in veteri fuit prætermissa, vt constat *ex Prouerbiorũ 8. Isaiæ vltimo, Psalmo 88.* Et Psalmo 2. illis verbis: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quæ verba Dauidi fuisse in figura Christi dicta probat D. Thomas *lib. 4. Contra Gentes cap. 2.* eo quod, quæ in illo Psalmo sequuntur, non possunt Dauidi adaptari, cũ illius Regnum non fuerit vsque ad terminos dilatatum.

15 *Resp. hæretici.*

Huic argumento respondere possunt hæretici, Christum Dei Filium dici, vel ratione creationis, vel ratione excellentis iustificationis per gratiam, ex quibus filiationis modis non sequitur identitas in natura cum Deo. Hæc tamen euasio friuola est, & contra illam obstat primo, quod si hac sola ratione Christus esset Filius Dei, tametsi posset primogenitus dici, non tamen posset vnigenitus appellari; sed vt constat *Ioan.* 1. Christus dicitur, & est vnigetus, ibi: *Vidimus gloriam eius, gloriam, quasi vnigeniti à Patre*: ergo non est Filius largè ratione creationis, nec adoptionis ratione Iustificationis, sed naturalis, & ver⁹.

Contra 1.

Secũdo. Secundo: nam Filius verus idè est quod naturalis; sed Christus dicitur, & est verus Filius, vt constat 1. Ioannis vltimo: *Vt simus in vero Filio eius*: ergo est Filius naturalis.

Tertio. Tertio: nam hoc genere filiationis etiam Moyses fuit ditatus: & tamen Paulus *ad Hebræos 3.* illũ seruum appellat per comparationem ad Christum Christum autem Filiũ, illis verbis: *Moyses quidem fidelis erat in tota eius domo, tanquam famulus, Christus autem tanquã Filius in domo sua*: ergo Christus nõ est Filius, nec ratione creationis, nec ratione iustificationis, sed ratione æternæ generationis Filius verus, & naturalis.

16 *Quarto* Quarto: nam hoc filiationis genus etiam reperitur in Angelis; sed Christus alia ratione dicitur Filius, ac Angeli, vt constat ex Paulo ad Hebræos 1. illis verbis: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Quod ad Christum asserit esse dictum: ergo Christus est Filius verus, & naturalis per veram, & propriam generationem.

Quinto Denique: nam *Matthæi 6.* laudatur maximè Petrus, eo quod alijs de Christo censentibus esse Eliam, alijs Ieremiam, &c. ipse Christum Filium Dei confessus est dicens: *Tu es Christus Dei Filij viui*; at si de filiatione adoptiua illius verba intelligerentur, non esset cur laudari à Christo deberet; cum etiam alij censentes Eliam esse, aut vnum ex Prophetis, Filium Dei adoptiuum confiterentur: ergo confessus est in Christo Petrus filiationẽ naturalẽ.

17 *Deniq; prob. cõclusio, & solutio impugnatur.* Denique id ipsum probatur: diuinitati namque omnis diuisio, aut multiplicatio repugnat; sed Pater, & Filius sunt verus, & perfectus Deus: ergo sunt omnino eiusdem indiuiduæ naturæ. Consequentia est legitima. Maiorem multis demonstrat D. Th. 1. *Contra-Gentes cap.* 42. & licet illam plures Gentiles negauerint admittentes plures Deos, illam tamen hæretici non inficiantur, & breuiter potest ostendi primo: nam repugnant plura prima principia, Deus autem prima causa est, primũ principium, & vltimus finis omnium; & consequenter repugnat Deitati multiplicatio. Deinde: nam repugnant duo summè perfecta; vel enim vnum alterum contineret, vel non? Si primum, id, quod contineretur, summè perfectum non esset: nam repugnat summè perfecto in alio à se contineri. Si secundum, non continẽs non esset summè perfectum, de cuius cõceptu est omnem in se continere perfectionem; sed Deitas est ens summè, & maximè perfectum: ergo repugnat Deitati diuisio, aut multiplicatio. Minor autem constat primo ex Ioannis 1. capite illis verbis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat Verbum, &c.* Secundo constat ex Ioannis vltimo, ibi: *Vt simus in vero Filio eius, hic est verus Deus*, & alibi passim eadem vnitas continetur. Tertio: nam qui operatur omnia opera Dei, Deum in virtute adæquat, & cum virtus consequatur naturam, Deum etiam in natura adæquabit; sed Verbum operatur omnia opera Dei, vt constat ex Ioannis 1. cap. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: ergo adæquat Dei virtutem; & consequẽter est Deus.

Maior prob. 1.

Secũdo.

Minor prob. 1.

Secũdo.

Tertio.

Quod

18 *Si respõdeat Arrius, rejicitur à Diuo Tho. & prob. vltimo conclusio.*

Quod si Arrius respondeat, opera Dei Filium facere, non vt principale agens, sed vt eius instrumẽtum. Euasionem istam infringit Angelic' Doctor ex Ioannis 1. cap. ibi: *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit*: ergo Filius non solum in rebus effectis, sed etiã in modo efficiendi Patri est similis, & æqualis; at Pater propria virtute vt agens principale operatur: ergo & Filius. Ex quo sic vlterius positã conclusionem confirmat. In quibus namque eadem est virtus operatiua, eadem natura inuenitur; cum virtus consequatur naturam; sed in Patre, & Filio eadem virtus reperitur: ergo & eadem natura. Probatur minor: nam idem non potest à duobus similiter effici, nisi in vna virtute cõueniant, aut vnitate aggregationis, vt patet in duobus partialiter trahentibus nauim, ex quorum virtutibus vna conflatur, aut vnitate identitatis, aut simplicitatis; sed qua cũque efficit Pater, eadem similiter operatur, & Filius: ergo in Patre, & Filio vna virtus reperitur, sed non vna virtute compositionis, aliàs in Patre perfecta virtus effectiua non esset; & consequẽter nec perfecta diuinitas: ergo est in vtroque vna, & eadem numero virtus operatiua; & consequenter vna numero natura diuina, ad quam virtus effectiua consequitur: maneat ergo cõtra Arriũ, & illius sequaces firmum, Filium esse eiusdem essentiæ, & naturæ cum Patre.

(?)



§. III.

Argumentis Hæreticorum occurritur.

NEc hæreticorum argumenta alicuius põderis sunt. Arguũt primo: in Scriptura namque etiam iusti, Dij, & Filij Dei appellantur, necnon, & geniti à Deo. Romanorum 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus Filij Dei.* Ioannis 3. *Vt filij Dei nominemur, & simus.* Iacobi 1. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis.* Exodi 3. ad Moysem: *Ego constitui te Deum Pharaonis.* Psalm. 8. *Ego dixi Dij estis, & Filij excelsi omnes*; & tamen ex hoc non colligitur, iustos homines esse eiusdem numero essentiæ, & naturæ cum Deo: ergo pariter, ex eo quod Trinitatis secunda persona, Filius Dei, à Deo genitus, & Deus in Scripturis dicatur, non rectè colligitur esse eiusdem numero naturæ, & essentiæ cum Patre.

19 *Opponũt Hæretici 1.*

Respondeo negando consequentiam: nam filiatio triplex est. Prima in creatione fundata. Secunda in Iustificatione per gratiam, qua efficimur diuinæ naturæ consortes secundum conuenientiam analogam, & quandam Deitatis imitationem, & hæc est filiatio adoptiua. Tertia est naturalis in generatione propria fundata, per quam communicatur natura generantis secundum conuenientiam specificam, vel numericam. Prima cõmunis est omni crea-

20 *Resp.*

turæ

creaturæ intellectuali. Secunda omnibus in gratia existentibus. Tertia soli Filio conuenit; quod autem Filius sit eiusdem naturæ numero cum Patre, non ex Filiatione, vt sic, sed ex naturali intulimus, & quod Filius naturalis dicatur monstrauimus; tum, ex eo quod Filius verus in Scripturis asseritur, verus autem Filius adoptiuo contraponitur. Tum etiam, quia Filius dicitur Filiatione, quæ nec iustis hominibus, nec etiam Angelis conuenit, hæc autem nō adoptiua, sed naturalis est. Denique; quia dicitur verus Deus, iusti tamen etsi appellentur Dij, nunquam tamē veri Dij in Scripturis nuncupantur; imo in Psalmo 81. postquam Dij, & Filij excelsi appellantur, subditur: *Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus ex Principibus cadetis*; quod cum vera diuinitate non compatitur.

21 *Opponunt 2.* Mouentur secundo: nam in Scriptura habetur, solum Patrem esse Deum, Regem regum, & Dominum dominantium. Ioannis 17. Christus ad Patrem aiebat: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum*; sed Filius Pater non est: ergo Filius non est Deus. *Resp.* Respondeo negando maiorem, quā non probat testimonium adductum: nam dictio exclusiua *solum* non cadit supra Patris personam, sed supra diuinitatem, ita vt sensus sit, *vt cognoscant te esse Deum diuinitate, quæ sola est diuinitas vera*. Ex quo non sequitur Filius à diuinitate excluſus, sed potius incluſus: nam vbi Pater est Deus, verus Filius eius Deus etiam esse debet. Præterquamquod, quamuis dictio *solus* Patri adiungatur, non sequitur Filium excludi: nam ab his, quæ communia sunt Patri, & Filio, & vtrique necessario conueniunt, per hoc quod soli Patri conuenire dicantur, non intelligitur Filius excluſus, nec ē conuerso: nam Dominus Matthæi 11. dixit: *Nemo nouit Filium nisi Pater, nec Patrem quis nouit nisi Filius?* Et tamen per hoc nec Pater, nec Filius, à sui ipsius est excluſus cognitione. Ita Diuus Thomas 4. *Contra Gentes cap.* 8.

22 *Opponunt 3.* Probant, & mouentur tertio: nam diuinitas indigentiam non patitur; sed Filius indiget Patre: ergo Filius non est Deus, eiusdem naturæ cum Patre. *Minor probatur 1.* Minor ostenditur primo: nam recipere est indigentis; sed Filius à Patre recipit, vt constat Matthæi 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: ergo Filius indigens est. *Secundo.* Secundo: nam doceri est indigentis; Filius autem docetur à Patre, vt constat Ioannis 15. illis verbis: *Omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*: ergo in Filio est indigentia.

Tertio. Tertio: nam adiuuari etiam est indigentis; sed Filius à Patre adiuuatur; dicitur enim Ioannis 5. *Non potest Filius à se facere quid quam, nisi quod viderit Patrem facientem*: ergo Filius est naturæ indigentis. *Quarto.* Denique: nam in illo, in quo inueniuntur defectus potentiæ, & scientiæ, reperitur indigentia; sed vterque iste defectus reperitur in Filio: ergo indigentia inuenitur in illo. Minor quoad primum defectum constat ex Matthæi 20. capite, vbi Christus de se ipso sic ait: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis*, quod idem est ac si diceret, *in mea potestate non est*; & consequenter defectum potestatis fatetur. Quoad secundum colligitur ex Matthæi 24. cap. vbi Christus ad Discipulos ait: *De die autem illa nemo scit, nec Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater*: ergo in Filio defectus scientiæ inuenitur.

23 *Resp. Ad 1. pron. minoris* Respondeo negando minorē, ad cuius primam probationem distinguo maiorem: cum recipiens donationi supponitur, & naturam ipsam donantis non recipit, concedo maiorem: cum recipiens donatione producitur, & ipsam recipit naturam donantis, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego

con-

consequentiam: nam Filius recipit à Patre, non vt receptioni præexistens, quod est subiectum receptum, & recipit vt suam repleat indigentiam, sed vt receptionis terminus per illam receptionem productus, quæ receptio est passiua generatio, sicut datio in Patre est ipsa generatio actiua; cumque per hanc generationem, quæ perfectissima est, communicetur eadem Patris natura, quæ indigentiæ incapax est: fit consequens, quod ex Filij receptione à Patre non arguatur indigentia, sed potius illius negatio. Quod autem Filius eãdem Patris naturam recipiat, constat ex dictis, & insuper ex verbis in argumento relatis, quibus Christus fatetur omnia sibi tradita à Patre, & quod sibi à Patre est donatum maius omnibus esse, si autem illi Patris natura non donaretur, nõ darentur illi omnia, nec donatum esset omnibus maius; cũ diuina natura ei defuisset, & hac sola eminentiam habeat ad omnia. Ita Diuus Thomas *loco nuper allegato*, & *quæst.* 10. *de potentia ad 13. argumentum.*

24 *Instabis* Si opponas: creatura quælibet est indigentis naturæ; & tamen non præexistit receptioni, qua recipit esse à Deo: ergo quod recipiens non præexistat receptioni, non excludit à recipiente indigentiam. *Resp.* Respondet D. Thomas *vbi nuper solutione ad 14.* creaturam ideó esse indigentis naturæ; quia esse, quod accipit, non potest permanere nisi à Deo conseruetur, & ideo etiam postquã esse accipit, indiget diuina operatione vt conseruetur in esse, Filius autem accipit à Patre idem numero esse, & eandem numero naturã, quæ existit in Patre; & ab illo in conseruari non dependet, & ideô natura indigentis non est.

Repl. 1. Duo tamen contra solutionem istam obstare videntur. Primum: nam in illa, quod Filius non sit indigentis naturæ, totum reducitur ad hoc, quod recipit eandem Patris naturam, quæ indigentiæ incapax est, non autem ad hoc quod receptioni non præexistat; & consequenter præexistentia, vel non præexistentia, ad indigentiam, vel illius negationem non conducit. Secundo: nam creatura quælibet non solum est naturæ indigentis actione diuina, vt conseruetur, sed etiam naturæ indigentis operatione diuina, vt fiat, & primo existat, quod non videtur posse ab aliquo negari; at D. Thomas indigentiam naturæ creatæ totam reducit ad actionem Dei conseruatiuã: ergo argumentum non soluit.

Secũdo. Respondeo ad primum, quod Filius non sit indigentis naturæ indigentia conseruationis reduci à D. Thoma ad hoc quod accipit eandẽ Patris naturam, quæ indigentiæ incapax est. Quod autem non sit indigentis naturæ ratione acceptionis à Patre non ad hoc solum reduci, sed etiam ad hoc quod receptioni non præexistit, quod necessarium erat, vt ratione acceptionis esset indigentis naturæ.

25 *Resp. ad 1. replicam.*

Ad 2. Ad secundam distinguo maiorem: indigentia *strictè* sumpta, nego maiorem: *largè* sumpta pro dependentia, concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam stricte sumpta indigentia dicit carentiam formæ in subiecto indigente; vt enim docuit D. Thomas *loco allegato*, post quam quis accipit aliquid, non dicitur illo indigere; habet enim, quo indigebat; & consequenter præsupponit subiectum: cum ergo creatura, antequam terminet actionem diuinam, non præsupponatur existens, sed primo existit per illam: fit, vt nõ indigeat actione Dei, quatenus primo productiua, indigent a *strictè* sumpta, si tamen indigentia *latè* sumatur pro qualibet dependentia, sic potest dici creatura indigens actione Dei productiua, id est dependens ab illa.

26 *Vrgebis* Si dicas: creatura in statu possibilitatis non terminat actionem productiuam Dei: ergo est in illa carentia talis actionis; & consequen-

ter

ter indigentia illius. Respondeo distinguendo consequens: carentia negatiua, concedo consequentiam: priuatiua, nego consequentiam, ex quo non sequitur indigentia: nam hæc dicit carentiam sumptam *priuatiuè* in subiecto indigente, quæ in creatura in statu possibilitatis non inuenitur; cum licet sit capax terminandi actionem, illam tamen terminare non petat, quod ad priuationem, vt à simplici negatione distinctam, exigitur.

27 *Ad 2. prob. minoris.* Ad secundam minoris probationem distinguo maiorem: doceri, doctrina supponente ignorantiam, aut necessitatem in subiecto, concedo maiorem: doceri, actione communicante subiecto naturam, & scientiam, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam Filium doceri à Patre est ab ipso procedere, & mediante processione accipere ab illo naturam cum summa sapientia, quæ actio nullam ignorantiam in Filio supponit; cum enim Filius sit Patris sapientia, ignorans esse nõ potest; nequit enim sapientia ipsa esse ignorans.

Ad 3. Ad tertiam concessa maiori, nego minorem: adiuuari namque infirmitatem, & imbecillitatem supponit, in Filio autem, cum sit virtus Patris, infirmitas esse nequit: nam virtus infirmari non potest, & consequenter Filius non potest iuuari à Patre, nec ex eo quod Filius non possit à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, sequitur à Patre adiuuari, sed tantum quod in vtroque sit virtus eadem, Filius tamen à Patre illam acceperit, sicut etiam accepit à Patre naturam, & consequenter, quod licet omnia per se ipsum operetur, quæ Pater, Pater tamen operatur omnia per se, & à se, Filius autem per se, non à se, sed à Patre, aliàs si per se, & à se operaretur, Filius non esset.

28 *Replic.* Si dicas: qui habet operandi virtutem, & operationem ab alio, subordinatur illi; sed subordinatum alteri adiuuatur ab illo: ergo si Filius habet operandi virtutem, & operationem, non à se, sed ab alio, scilicet à Patre, subordinatur in operando Patri, & ab illo adiuuatur. *Resp.* Respondeo distinguendo antecedens: si habeat illa ab alio, alietate virtutis, & operationis, concedo antecedens: alietate personali cum omnimoda vnitate virtutis, & operationis, nego antecedens, & consequentiam: nam Filius, & Pater, habent eãdem omnino virtutem, eandemque operationem, solumque distinguuntur relationibus personalibus, in quibus nec virtus, nec operatio consistit, & ideò inter Filium, & Patrem, tametsi reperiatur ordo, non tamen subordinatio: nam hæc esset virtutis ad virtutẽ; & consequenter esse non potest inter illa, in quibus residet omnino eadem virtus.

29 *Ad vltimã probationẽ minoris* Ad vltimam probationem concessa maiori, nego minorem pro vtraque parte: quod enim in Filio nullus reperiri possit potestatis defectus, constat ex ipsius confessione, Matthæi vltimo, vbi dicit: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, cui autem omnis potestas est data, nullus conuenit potestatis defectus. Nec obstant verba in contrarium adducta; vt enim D. Thom. notauit, non dixit Christus, suæ potestatis non esse distribuere sedes cælestes absolute, cum Ioannis 10. dicat: *Ego vitam æternam do eis*: Et Matthæi 25. dicitur: *Quod Filius hominis statuet oues à dextris & hædos à sinistris*: Et Ioannis 15. dicat: *Quod Pater omne iudicium dedit Filio*: tantum ergo asseruit, non esse potestatis suæ dare sedes cælestes, illis, pro quibus rogabatur, scilicet Iacobo, & Ioanni, & hoc non absolute, sed ratione coniunctionis carnalis, qua illorum Mater fuit ad petendum inducta: vnde non dixit, *non est meum dare alicui*, sed *non est meum dare vobis*. Vel aliter dici potest, negasse suæ potestatis esse ratione naturæ humanæ, secundum quam Iacobus, & Ioannes cognati erant ad Christum, non

In Christo nullus fuit defectus potestatis, aut scientiæ.

au-

autem quod suæ potestatis non esset ratione naturæ diuinæ. Quod etiam in Christo nequeat defectus aliquis scientiæ reperiri constat ex Paulo *ad Colosenses* 2. affirmante, esse in illo absconditos omnes sapientiæ, & scientiæ Thesauros: vnde illud *Matthæi* 24. ex quo Arriani potissime suum confirmabant errorem, varie explicatur à Patribus. Prima explicatio est, illa verba, *nec Filius hominis, nisi Pater*, in Matthæo non haberi, sed fuisse illius Euangelio addita. Hæc tamen explicatio displicet omnibus Patribus. Tum, quia Augustinus, & alij Patres communiter prædicta verba, non negant, sed explicant. Tum etiam; quia esto admittamus non haberi in originali Matthæi, in Marco tamē prædicta verba inueniri, nullus Patrum, nec Theologorum negat.

30 *Prima explicatio illi⁹ loci de die autē illa reijcitur.*

Secūda. Secunda explicatio est, intelligi de Filio hominis non naturali, sed adoptiuo. Quam explicationem refert, & non reijcit D. Thomas *3. p. quæst.* 10. *art.* 2. *ad* 1. displicet tamen communiter, illamque pluribus impugnat Abulensis *quæst.* 209. *in* 24. *caput Matth.* Et quidem Filius adoptiuus excluditur per illam particulam *nemo, nec Angeli in cælo*; omnis enim Filius adoptiuus, vel est Angelus, vel homo: ergo superfluē adderetur, *Nec Filius hominis, nisi Pater*, si nomine *Filij hominis* intelligeretur Filius adoptiuus.

31 *Tertia.* Tertia explicatio est, Christum ignorasse diem iudicij non in se, sed in membris. Ita Origines, cuius explicationem refert D. Thomas *in* 24. *cap. Matthæi*, nec illam reijcit, fortē tanti Doctoris veneratione ductus. Illam alij impugnant: nam notitia diei iudicij non in se, sed in membris, iam supponebatur exclusa; cum membra Christi sint, vel Angeli, vel homines, quos dictum diem nescire iam supponebatur asserum, dicendo: *nemo, nec Angeli in cælo*, id est, nullus homo, nec Angelus: ergo superfluē adderetur illud, *neque Filius hominis.*

32 *Quarta* Quarta explicatio est, Christum nescire illum diem, non qua Deus, sed qua homo, non ly *qua* dicente speciem, sed causam, id est, non negando quod humanitas Christi sciuerit prædictum diem, sed quod illum sciuerit quia homo, hoc est notitia habita humanitatis viribus, sed ex diuina relatione. Ita Gregorius Nisenus, Damascenus, Athanasius, & Plures Ecclesiæ Patres, ignorantiam Christo attribuentes, quod ita intelligendum est, non quia humanitas Christi aliquid proprie ignorauerit, sed quia plura, quæ cognouit, non cognouit scientia humana, sed reuelatione diuina. Quam explicationem optime defendit Maluenda *lib. 2. de Anti-Christo cap.* 23. Nec obstat quod alij opponunt, quod iuxta hanc explicationem insufficienter Christus Apostolorum interrogationi de die iudicij occurrebat, asserendo se nescire scientia humana, si aliunde illius diei notitiam habeat. Non inquam obstat: nam vt illorum curiositatem sedaret, sufficiens erat responsio, ac si diceret; diem illum, nec Angeli, nec Filius hominis, qua homo ex viribus proprijs, possunt illius diei notitiam habere, non ergo maiora quæratis, nec illius diei prætendatis notitiam.

33 *Quinta explicatio.* Quinta explicatio, eaque frequentior, & plausibilior est, prædicta verba intelligi de Christo non vt Deo, sed vt homine, non quia illum diem ignorauerit, sed quia alijs non communicabat illius diei notitiam, vel quia sub secreto sciebat, nesciebat ad alijs dicendum, sicut interrogati de illo, quod secrete scimus, optime respondemus nescire; quia non scimus ad reuelandum. Ita ex Augustino, & Hyeronimo D. Thomas *in prædictum caput Matthæi*, & *3. p. quæst.* 10. *art.* 2. *ad* 1. Cui explicationi frequenter acquiescunt Theologi, solus Maldonatus illam resistit, dicens non inniti magnæ pro-

Quā reijcit Maldonatus.

ba-

babilitari: nam si Christus idcó dicitur nescire, quia illum diem nobis nó reuelauit, vel quia ad illum reuelandum non sciebat, eadem ratione de Patre dici oporteret, illum diem ignorasse; cum nec Pater illum reuelauerit nobis. Vnde relatis, & refutatis omnium interpretationibus, suã prædictus Auctor subiunxit, & omnibus illis præposuit dicens, solum Patrem dici scire diem iudicij; quia solus Pater ex officio sciebat; quia solius Patris est constituere quando soluendus sit mundus, & quando sit futurus dies iudicij; & consequenter solus Pater scit ex officio illum diem.

34 *Maldonatus reijcitur,*

Quæ interpretatio displicuit Maluendæ *vbi supra*, illamque satis modeste impugnauit hac consideratione: nam ad Christum ex officio pertinet iudicium mũdi, iuxta illud: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*; sed ad officium iudicis pertinet diem scire, quo iudicaturus est: ergo Christus ex officio habuit illius diei notitiã. Sed quidquid sit de Maldonati explicatione, à communi recedendum nó est, maxime ex tam leui fundamento, cui D. Thomas 3. *p. quæst.* 10. *art.* 1. *ad* 1. occurrit negando sequelam: nam licet Pater diem iudicij nobis non reuelauerit, illum tamen reuelauit Christo vt homini; vnde licet sub secreto illum sciuerit respectiue ad nos, non tamen respectiue ad Christum tanquam ad hominem.

35 *Contra communem interpretationẽ obstant duo.*

Duo tamen contra istam interpretationem videntur obstare. Primum est: nam etiam Christus vt Deus sibi vt homini reuelauit: ergo si ideó de Patre non negatur illius diei notitia, quia illam Christo vt homini commnnicauit, nec etiam Christo est neganda, nec dicendum illum diẽ ignorasse. Secundum est: nam ex illa sequitur, Angelum non ignorasse diem iudicij absolutê, sed solum ad reuelandum alijs; consequens est falsum: ergo & interpretatio tradita. Patet sequela: nam Christus eisdem verbis negat illius diei notitiam Filio hominis, & Angelis: ergo si de Filio hominis prædicta verba explicantur de scientia alijs communicanda, & non alijs traddenda, eadem ratione explicabuntur de Angelis.

Hæc tamen parum vrgent. Ad primum respondeo distinguendo cõsequens: Christo vt Deo, concedo consequentiam: Christo vt homini, nego consequentiam: cum enim Christus dixit se nescire diem iudicij, de se ipso non vt Deo, sed vt homine loquebatur, sic autem nulli reuelauit, & sic subsecreto respectiuê ad omnes prædictum diem cognoscebat. Si dicas: ly *solus Pater* etiã alias personas Trinitatis excludere, si in rigore sumatur; sed Christus soli Patri tribuit prædictam notitiam: ergo illam sibi, etiam vt Deo, & Spiritui Sancto negauit.

36 *Diluitur 1. obiectio.*

Dices.

Resp.

Respondeo, in ordine ad prædicata, quæ absoluta sunt, & toti Trinitari communia, ly *solus* termino personali adiunctum non excludere personas, vt *supra* ex Diuo Thoma dicebamus, & docent frequenter Theologi, cognitio autem prædicatum est absolutum, & ideô quamuis soli Patri attribuatur, non excluduntur Filius, nec Spiritus Sanctus. Mitto explicationem Abulensis, eo loco *Patrem* non personaliter sumi, sed prout est toti Trinitati nomen commune, vt cum dicimus *Pater noster, qui es in Cœlis*. Mitto inquam, quia singularis est, & in Scripturæ intelligentia debet singularitas vitari.

37 *Solutio Patris Suarez*

Ad secundum, Suarez 3. *p. q.* 10. *art.* 1. *in commentario articuli ad finem*, respondet ex hoc loco tantum in rigore colligi, Angelos nescire diem iudicij ad reuelandum alijs, an vero nesciant omnino, ex hoc loco non inferri, sicut nec eius oppositũ: vnde, inquit Suarez, Abulensis *in* 24. *cap. Matthæi quæst.* 209. affirmat, eos scire diem iudicij, Sotus vero *in* 4. *distinct.* 43. *quæst.* 2. *art.* 2. prædictam notitiam negat, vterque tamen diuinat, quanquam

sen-

sententia Soti maiori coniectura nitatur.

38 *Alia solutio præfertur.*

Melius tamen respondetur negando sequelam: vt enim de Christo verba illa cum limitatione accipiamus, cogunt alia testimonia Scripturæ, quibus omnium rerum cognitio Christo vt homini attribuitur: deinde magna dignitas Christi, ob quam nullum ex futuris oportuit ipsum latere: ac denique officium iudicis vniuersalis, quod à Deo Patre accepit; cumque nihil horum respectu Angelorum militet, non est cur in illis prædicta verba cum limitatione, sed absolute accipiantur; ac per consequens asserendum videtur ex prædicto loco rigoroſe accepto inferri, Angelos diem iudicij non solum ad reuelandum, sed etiam absolute nescire.

39 *Ab inde ueniēti prob.*

Deinde: nam ex opposito fieret, ex prædicto testimonio non colligi, homines diem iudicij absolute nescire, sed tantum ad reuelandum alijs; consequens falsum videtur: ergo & illud, ex quo sequitur. Patet sequela: nam eisdem verbis negatur de hominibus, ac de Angelis: ergo si de Angelis sufficienter explicatur de notitia alijs tradenda, etiam de hominibus sufficienter ita explicabitur. Quod autem addit Suarez, Abulensem affirmare, Angelos circa diē iudicij notitiam habere, falsum est: nam *quæst* 209. quam refert Suarez, de Angelis mentionem non facit, quæstione autem, vbi de Angelis testimonium illud versat, expresse negat Abulensis his verbis: *Sic de Angelis dicendum est, quod post diem iudicij omnia scient, sed nunc aliqua ignorant, quæ postea scient, & inter illa est vnum ipsa dies iudicij.*

40 *Denique obijciūt*

Denique, vt alia minoris momenti ommittamus, in sui erroris fulcimentum obijciunt Hæretici: Pater namque est maior Filio, Ioannis 14. *Pater maior me est.* Filius est Patri subiectus. 1. Corinthiorum 15. *Cum omnia subiecta fuerint, tum ipse Filius subiectus est illi,* scilicet, Patri. Præceptum à Patre suscepit, Ioannis 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater.* Patri etiam obediuit, ad Philipenses 1. *Factus obediens vsque ad mortem:* ab ipso clarificatus fuit. Ioannis 12. *Pater clarifica Filium tuum.* In tempore potestatem accepit, Matthæi vltimo: *Data est Mihi omnis potestas in cælo, & in terra:* fuit etiā in tempore genitus, Psalmo 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te;* sed hæc omnia cum vera Filij diuinitate, cū æqualitate ad Patrem, & identitate secundum essentiam cum illo, repugnant, vt per se est manifestum: ergo Filius non est eiusdem essentiæ cum Patre.

41 *Resp.*

Respōdeo, in Christo esse duas naturas, humanā scilicet, & diuinā, secundum istā, æqualitatem, coæternitatem, & consubstantialitatem habet cum Patre; secundum naturam humanam minor est Patre, subiectus illi, obediens, & præcepta suscipiens, & ab ipso clarificatus, potestatem etiam iudiciariam ipsi vt homini cōuenientem in tempore accepit, diuinam autem ipsi conuenientem vt Deo, non in tempore, sed ab æterno. Quod si in tempore dicitur data, est quia in tempore manifestata fuit, & sic dicitur in tempore genitus; quia in tempore fuit illius generatio æterna hominibus declarata. Vnde Proverbiorum 8. de sapientia increata dicitur: *Primogenita ante omnē creaturam.* Et quidem si argumentum Arrij aliquid probaret, etiam conuinceret, Filium non esse omnū supremam creaturam, cuius contrarium ipse docebat, cum ad Hebræos 2. dicatur: *Minoratus ab Angelis*: sicut ergo ex hoc non sequitur inferioritas respectu Angelorum, nisi tantum ratione humanæ naturæ, ita ex eo quod Pater maior esse dicatur Filio, non infertur non esse æqualem cum Deo, nisi tantum secundū humanitatem.

§. IV.

§. IV.

Diuinitas Spiritus Sancti monstratur.

42 *Hereticorũ diuisio.*

TErtia conclusio: *Spiritus Sanctus est eiusdem essentiæ cum Patre, & Filio* Conclusionem istam negarunt omnes hæretici, qui à Filio consubstantialitatem cum Patre excluserunt. Et insuper Macedonius, qui teste D. Thoma *cap.* 16. licet recte senserit de Patre, & Filio quoad identitatem essentiæ, hanc identitatem Spiritui Sancto negauit. Macedonium sequuti sunt plures, qui dicti sunt Semiarriani, eo quod in parte Arrio consentirent; inter illos tamen, vt refert D. Thomas, aliqua dissensio erat, quibusdam asserentibus, Spiritum Sanctum non esse subsistentẽ personam, sed ipsam Patris, & Filij diuinitatem. Alijs autem, esse perfectionem quandam accidentalem mentis nobis infusam à Deo. Priores ex nouis hæreticis sequutus est Zeruetus docens, Spiritum Sanctum non esse rem subsistentem, sed impulsum quendam diuinũ. Posteriores autem sequutus est Blãdrata docens, Verbum, & Spiritum Sanctum non esse personas, sed virtutes diuinas. Quibus plures alij adhæserunt, quos referunt commentatores Diui Thomæ *in præsenti.*

43 *Contra hæreticos statuitur Catholica veritas.*

Contra hos omnes nostra cõclusio statuitur, disinita in Concilio Niseno secundo, & in alijs congregationibus post ipsum, constat que ex Symbolo Athanasij illis verbis: *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti, sed Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna Maiestas;* quibus, & distinctio personalis Spiritus Sancti ab alijs personis, & identitas essentiæ cum illis statuuntur. Vt autem illam ostendamus, aduerto ex dictis *supra*, Deitatem diuidi, aut partiri non posse: vnde semel monstrato Spiritum Sanctum esse Deum, & personam subsistentem diuinam, euidenti illatione colligitur consubstantialem esse, & eiusdẽ essentiæ cum alijs diuinis personis.

44 *Prob. ex Veteri Testamento.*

Quod autem Deus sit, probatur ex veteri Testamento: nam solus Deus est omnium rerum creator, iuxta illud Geneseos cap. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terrã;* sed Spiritum Sanctum esse omnium rerum creatorem, & conditorem, ex veteri testamento colligitur: ergo Spiritus Sancti diuinitas habetur ex veteri testamento. Minor constat ex Psalmo 32. ibi: *Verbo domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quem locum de Filio, & Spiritu Sancto, veteres intellexisse affirmat Genebrardus, & Paulus Burgensis 1. *parte Scrutinij disp.* 9. *cap.* 5. eandem intelligentiam attribuit Rabi Salomoni. Ex Psalmo etiam 103. illis verbis: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Iudith cap. 16. *Misisti spiritum tuum, & creata sunt.* Et Iob cap. 26. *Spiritus eius creauit Cœlos.* Ex quibus, & alijs pluribus veteris Paginæ testimonijs, clarẽ conspicitur, rerum omnium creationem Spiritui Sãcto attribui. Quo argumento ad diuinitatem Spiritus Sancti ostendendam vsi sunt Athanasius, Cyrilus, Basilius, & alij Patres, quos lato calamo refert noster Ioannes de Portugal Episcopus Vicẽsis *tom.* 1. *de gratia increata cap.*

2. vbi alia plurima congerit testimonia pro eadam veritate statuenda.

45 *Secũdo prob.*

Secundo probatur: nam cui competunt propriæ operationes Dei, natura Deum esse conuincitur; sed Spiritui Sancto conueniũt operationes diuinæ: ergo Spiritus Sanctus est Deus. Maior cũ consequentia tenet. Minor autem ostenditur primo: nã creatio est opus solius Dei; sed hæc Spiritui Sãcto attribuitur: ergo operationes propriæ Dei Spiritui Sancto conueniunt. Secundo: resuscitare à mortuis est operatio propria Dei: vnde Ioãnis 5. dicitur: *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat*; sed virtus viuificatiua Spiritui Sancto cõuenit, vt cõstat ex Paulo ad Rom. 8. *Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificauit mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis*: ergo idem quod pri⁹. Tertio: loqui per os Prophetarum est proprium solius Dei: vnde Numerorum 12. dicitur ex ore Dei: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium*, ideſt per spiritũ meum, *loquar ad illum*; sed hoc Spiritui Sãcto attribuitur; dicitur enim in Actibus Apostolorum capite primo: *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Dauid*: ergo opera propria Dei Spiritui Sancto conueniunt.

46 *Deniq;*

Denique, omissis alijs, in hũc modum probatur: solius Dei est propria secreta cognoscere: vnde Isaiæ 24. ex persona Dei dicitur: *Secretũ meum mihi*. Reuelatio etiam mysteriorũ est opus solius Dei: vnde Danielis capite secundo dicitur: *Est Deus in ipso reuelans mysteria*. Itẽ, esse vbique soli Deo potest conuenire, vnde Ierem. 23. in persona Dei dicitur: *Cœlũ, & terram ego impleo*; sed hæc omnia Spiritui Sancto conueniunt, vt de primo constat 1. ad Corinthios 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei, quæ sũt Dei nemo nouit, nisi Spiritus Dei*, de secundo 1. ad Corinthios 14. *Spiritus loquitur mysteria*, de tertio Sapientiæ 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*: ergo quæ sunt propria Dei Spiritui Sancto conueniunt; & consequenter est Deus.

47 *Triplex hæreticorum euasio.*

Huic argumento tripliciter potest ab hæreticis occurri. Primo, asserendo hæc omnia, quæ Dei sunt propria, attribui Spiritui Sancto non per authoritatem, sed per ministerium, licet autem primo modo soli Deo competere possint, secundo autem modo possunt conuenire creaturæ. Secundo respõderi potest, ex his tantum colligi, Spiritum Sanctum esse Deum, non autem esse personam ab alijs distinctam, sed diuinitatem Patris, & Filij, vt quidam Semiarrini dixerunt. Tertio, vt dixerunt alij, nomine Spiritus Sancti nõ intelligi Personam Diuinam, sed formam accidentalem nostris mentibus infussam.

48 *Prima euasione ejcitur.*

Omnes autem euasiones istæ friuolæ sunt, & absque vllo fundamẽto confictæ, & contra primam facit illud Pauli 1. ad Corinth. 12. vbi diuersis donis Dei numeratis subdit: *Hæc omnia operatur vnus, atque idẽ spiritus diuidens singulis, prout vult*; sed per ministerium operans, & non *authoritatiuè*, non tam operatur vt vult, quam alterius arbitrio subiectus: ergo operationes istæ non per ministerium, sed per authoritatem Spiritui Sancto attribuũtur. Sic prædictam euasionem repulit Diuus Thomas 4. *Contra-Gentes cap.* 17.

49 *Si opponas.*

Sed potest in contrarium opponi: nam Christ⁹, quatenus homo, non *authoritatiuè*, sed *ministerialitèr* instituit Sacramenta, alias vt homo haberet non solum potestatẽ excellentiæ, sed etiam authoritatis, cuius cõtrarium docet D. Th. 3. *p. q. 63. art.* 3. & tamen pro suæ voluntatis arbitrio Sacramenta instituebat; cum liberẽ, & nõ coactẽ, nec necessario Sacramenta instituerit: ergo ex hoc, quod Spiritus Sanctus pro suæ volũ-

tatis

tatis arbitrio operari dicatur ea, quæ sunt propria Dei, non sequitur, ad illa per authoritatem, & non per ministerium concurrere.

50 *Resp.* Respondetur, ly *prout vult* denotare libertatem nulli alteri subiectam, & in hoc sensu illa verba a D. Thoma cum Patribus Ecclesiæ accipiuntur. Et ex illis sic acceptis rectè à D. Thoma colligitur, Spiritum Sanctum non *ministerialiter*, sed *auctoritatiuè* operari: Christus autem vt homo, etsi liberè Sacramenta instituerit, illius libertas erat voluntati Dei subiecta, & subordinata, ideoque loquendo de Christo vt homine, non tam est dicendum, instituisse Sacramenta prout voluit, quàm Dei arbitrio, & voluntatis subiectum.

51 *Secũda reijcitur* 1. Secundã reijcit D. Tho. *loco allegato cap.* 18. Primo: quia essentia, vel diuinitas Patris, & Filij, à nullo illorum distinguitur realiter, Spiritus autem Sanctus, cum ab vtroque procedat, realiter ab vtroque distinguitur: ergo non est Deitas Patris, & Filij. *Secũdo.* Secundo: nam Ioãnis 6. dicitur, quod Spiritus Sanctus accipit à Filio, his verbis: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*; de Deitate autem non potest verificari quod aliquid accipiat à Filio: ergo Deitas Filij non est. *Tertio.* Tertio: nã cũ Pater, & Filius sint personæ subsistentes in natura diuina, Spiritus Sanctus illis non communicaret, nisi etiam esset persona subsistens ab illis *personaliter* distincta; sed Spiritus Sanctus eisdem communicatur, vt patet Matthæi vltimo vbi dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et Ioannis vltimo: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt.* ergo Spiritus Sãctus non est Deitas, aut virtus absoluta Patris, & Filij, sed persona subsistẽs ab illis *personaliter* distincta.

52 *Vlt. euasio excluditur* 1. Tandem vltimam euasionem refelit Angelicus Doctor primo: formæ namque accidentales non dicuntur propriè operari, sed habens eas dicitur proprie operari pro suo voluntatis arbitrio; homo enim sapiens vtitur sapientia cum vult; sed, vt constat ex proximè dictis, Spiritus Sanctus dicitur operari prout vult: ergo forma creata accidentalis non est.

53 *Secũdo.* Deinde: nam Spiritus Sanctus est causa omnium perfectionum, quæ humanæ menti infunduntur: ergo non est perfectio accidentalis creata infusa mentibus hominum. Consequentia patet: nam effectus realiter à causa distinguitur. Antecedens autem constat ex Paulo ad Romanos 5. vbi dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et primæ ad Corinthios 12. ait Paulus: *Alij per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ*, & sic de alijs: ergo ex Paulo omnis perfectio spiritualis infusa mentibus hominum ab Spiritu Sancto est.

54 *Deniq;* Denique ex dictis reijcitur: si nãque Spiritus Sanctus esset perfectio creata, non esset vnum cum Patre, & Filio, sed vt dicitur Ioannis vltimo: *Tres sunt, qui testimoniũ dant in Cœlo, & hi tres vnum sunt*: ergo Spiritus Sanctus non est creata perfectio.

55 *Primũ effugiũ reijcitur.* Respõdent hæretici primo, illud: *Et hi tres vnum sunt*, à solo Hieronymo legi. Sed contra: quia vt rectè notauit Vazquez *tom. 2. in 1. p. disp.* 109. *cap.* 3. *num.* 12. præter Hieronymum ita legunt Higinius Papa *epist.* 1. Cyprianus *lib. de vnitate Ecclesiæ*: Athanasius *lib.* 1. *de vna deitate Trinitatis*, Fulgentius *lib. ad obiectiones Arrianorum*: ergo hereticorum solutio falso nititur fundamento. *Secũdũ effugiũ.* Secundo respondent, prædicta lectione admissa, adhuc nõ colligi identitatem essentiæ Spiritus Sancti cum alijs personis diuinis, sed tantum idem esse testimonio, id est, idem testificari: nam in eodem loco additur: *Tres sunt qui testi-*

monią dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt; & tamen spiritus, aqua, & sanguis, non sunt idem in essentia, sed testimonio tantum.

56 *Secūdū excludi tur.*

Sed contra: nam ly *vnum sunt*, si rigorosè accipiatur, vt debet, dicit vnitatem essentiæ, cum *neutraliter* sumatur, sicut ly *aliud* dicit essentiæ alietatem; quo circa non admittitur inter diuinas personas cōparatas inter se; sed non est cur in præsenti non sumatur rigorosè, & ad impropriam acceptionem detorqueatur; cum ex rigorosa acceptione nullum absurdum sequatur: ergo sic est accipiendum; & consequēter fatendum, Spiritum Sanctum esse eiusdē omnino essentiæ cum alijs personis diuinis. Nec obstat, quod in contrarium adducitur: nam cum inter creaturas non stet cum reali distinctione duorum identitas essētiæ inter illa, fit, vt cum de illis vnitas enunciatur, vel sumatur pro similitudine, vel pro identitate in aliquo, in quo illis identitas non repugnet, & ideò cogimur inter spiritum, aquam, & sanguinem, ly *vnū sunt* explicare de vnitate in testimonio, non de vnitate in essentia. Præterquamquod, vt rectè notauit Vazquez, loco istius *vnum sunt* cū dicitur de spiritu, aqua, & sanguine, ponitur ly *in vnum sunt*, vt denotetur vnitas non in essentia, sed vnitas testimonij; prout tamen de Patre, Verbo, & Spiritu Sancto enunciatur, in Græco, & Hebræo, & in nostra vulgata legitur ly *vnum sunt*. Ex quo infertur, de alia, & alia vnitate intelligi cum dicitur de personis diuinis, ac cum enunciatur de spiritu, aqua, & sanguine.

§. V.

Argumentis Hæreticorum occurritur.

57 *Obijciūt hæretici* 1.

PRimo obijciunt: nam Spiritus Sanctus est effectus, & creatura Dei: ergo nō est Deus per essētiam, nec eiusdem essentiæ cum Patre. Antecedens probatur primo ex Amos 4. cap. vbi dicitur iuxta litteram Septuaginta: *Ecce formās mentes, & creans spiritum.* Et Zachariæ 12. dicit Dominus: *Extendens Cœlum, & fundans terrā, & creās spiritum hominis in eo*: ergo Spiritus Sanctus creatur; & consequenter est creatura Dei. Secūndo: nam omne, quod mouetur, est creatura; sed Spiritus Sanctus mouetur: nam Genesis 1. dicitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, & Ioelis 1. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*: ergo Spiritus Sanctus est creatura. Tertio: id, quod subiacet dominio Dei, illius creatura est; sed Spiritus Sanctus subiacet dominio Patris; dicitur enim Lucæ 11. *Pater vester de Cœlo dabit spiritū bonum petentibus se.* Et Actuum Apostolorum 5. *Quod Deus Spiritum Sanctum dedit obedientibus sibi.* Et ad Romanos 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; nemo autem dare potest cuius dominium nō habet: ergo Spiritus Sanctus non est Deus, sed creatura Dei. Denique: nam Ioannis 1. dicitur: *Omnia per ipsum facta sūt, & sine ipso factū est nihil*; sed Spirirus Sanctus est aliquid: ergo factus est per Verbum; & consequenter est creatura Dei.

Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem dicatur, nomen *spiritus*, quia à respiratione animalium sumptum est, in qua aer cum quodam motu infertur, & emittitur, omnem impulsum, vel motum, aeremque significare, & sic ventus dicitur spiritus, iuxta illud Psalmi 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciũt Verbum eius*; & quia aer inuisibilis est, translatum est vlterius nomẽ *spiritus* ad omnes virtutes, & substantias inuisibiles, & motiuas: vnde anima sensibilis, anima rationalis, & Deus, spiritus appellantur, & quia tertia persona Trinitatis per modũ amoris procedit, amor autem motionem, & impulsum significat, appropriatum est nomen *spiritus* ad illam significandam: vnde primum testimonium intelligitur de vento, secundum autem ex Propheta Zacharia de anima hominis intelligitur. Ita D. Th. 4. *Contra Gentes cap.* 23. *ad* 1. *argumentum*.

58 *Resp. Ad* 1. *prob. antec.*

Ad secundam probationem distinguo maiorẽ: quod mouetur *propriè*, concedo maiorem: quod tantũ *metaphoricè* mouetur, nego maiorem, & sub eadem distinctione, seu explicatione minoris, nego consequentiam: nam illa, quæ ad motum pertinent, non *propriè*, sed *metaphoricè* attribuuntur spiritui Sancto. Ex quo non licet colligere, Deum non esse. nam etiam Deo, vt tribus personis communi, quandoque in Scriptura accomodantur, vt constat Geneseos 3. *Cum audissent vocem Domini ambulantis in paradyso*. Et cap. 18. *Descẽdam, & videbo, vtrũ clamorem, qui venit ad me, opere cõpleuerint*, quin ex hoc liceat colligere, non Deum, sed creaturã esse. Ita D. Th. *loco citato ad* 5.

59 *Ad* 2. *prob.*

Ad tertiam cõcessa maiori, nego minorẽ. Ad cuius probationem dicatur, Spiritum Sanctum nobis donari, dicere duo, scilicet à Patre, & Filio procedere, & in nobis per gratiam & charitatem habitare quoad primum Dei dominio non subiacet, quoad secundum, scilicet temporalẽ effectũ, diuino dominio subijcitur. Et quidem eodem argumẽto, si quid probaret, conuincerent, Filium non Deum, sed creaturam esse, cum etiã à Patre donetur, iuxta illud: *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*.

60 *Ad* 3.

Ad vltimam probationem explico maiorem: omnia sunt facta per Verbum, quæ facta sunt, cõcedo maiorem: quæ rationem effectus nõ sortiuntur, nego maiorem, & sub eadem minoris explicatione, nego consequentiam: nam Spiritus Sanctus nõ est aliquid, quod factum sit, sed aliquid omnino efficiens, & ideò non est factum per Verbum, sine quo factum est nihil, quod factum est. Ita Gregorius Naziãzenus *oratione* 5. Chrisostomus *hom.* 4. *in Ioan.* & alij Patres. Et quidem eodem argumento probaretur, Patrem non Deum, sed creaturam esse; cum Pater et ã sit aliquid, & omnia sint facta per Verbum.

61 *Ad vlt. prob.*

Secundo arguitur: diuidi, tristari, & orare, Deo conuenire non possũt, vt per se est manifestũ; sed hæc omnia Spiritui Sancto conueniunt: ergo Spiritus Sanctus nõ est Deus. Minor pro prima parte constat ex illo Numerorũ 11. Dei ad Moysem: *Auferam de Spiritu tuo, tradãque eis*. Pro secunda ex Paulo ad Ephes. 4. ibi: *Nolite contristare Spiritum Sãctum Dei*. Pro tertia ex eodẽ Paulo ad Rom. 8. illis verbis: *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: ergo Spiritui Sãcto conueniũt, diuidi, tristari, & orare.

62 *Secũdo obijciũt*

Respondeo cõcessa maiori, negãdo minorem, illud antẽ Dei ad Moysem, non de Spiritu Sãcto in se ipso, sed in suis effectibus intelligitur, qui in nobis augeri possunt, & minui. Notat autem D. Tho. nõ requiri ad hoc quod accrescat vni, quod alteri substrahatur; quia res spiritualis potest simul absque detrimento cuiuslibet à pluribꝰ possideri: vnde quod dicitur, *auferam de spiritu tuo*, nõ sic accipiendum est, quod aliquid de

63 *Resp.*

spiritualibus donis fuerit Moysi substractum, sed est referendum ad officium, vel actum; quia quod Spiritus Sanctus solus per Moysem efficiebat, postea per plures impleuit.

64 *Quomodo tristari, & orare dicatur.*

Tristari autem dicitur Spiritus, non *propriè*, sed *metaphoricè* per similitudinem effectus, quia sicut contristati desserunt contristantes, sic Spiritus Sanctus desserit Deũ offendẽtes, sicut Deus dicitur irasci: quia punit, quod irati faciunt. Dicitur de Spiritu Sancto, quod postulet, non *formaliter*, sed *effectiuè*; quia postulantes nos facit. Qui modus loquendi consuetus est in Scriptura, iuxta illud Genes. 22. *Nunc cognoui quod timeas Dominum*, ideſt, *nunc cognoscere te feci.* Ita Augustinus *libro vnico contra sermonem Arrianorũ cap.* 25. vbi etiam illud, *Nolite cõtristari Spiritum Sanctum* Dei, in eodem sensu explicat, hoc est, vt inquit Augustinus: *Nolite nos contristare, qui secundum Spiritum Dei cõtristamur ex vobis, Charitate quidem contristabantur, quam diffundebat Spiritus Sanctus in cordibus eorũ, & per hoc eos de malis fratrum tristes ipse fauebat.*

65 *Deniq; arg.*

Denique arguitur: si Spiritus esset Deus, naturam à Patre per processionem acciperet; at non potest habere naturam per processionẽ acceptam: ergo Deus esse nequit. Minor ostenditur primo: si haberet naturam acceptam per processionem, esset similis producẽti in natura; sed hoc affirmari non potest, aliàs esset genitus, & illius processio generatio, quæ esset *origo viuentis à viuẽte coniuncto in similitudinem naturæ*: ergo non habet naturã per processionem acceptam. Secundo: nam si acciperet à Patre naturam, & non per generationem, sequeretur, naturam diuinam duobus modis cõmunicari, scilicet per generationem, & per processionem, quæ generatio nõ est; sed nulla natura potest duobus modis cõmunicari, vt patet discurrẽdo per alias: ergo nõ habet naturam acceptam per processionem.

Respondeo concessa maiori, negãdo minorem. Ad primam probationem concessa maiori negando minorem, nec sequitur esse genitum, & Filium: nam ad hoc non sufficit accipere à producente naturam, sed requiritur quod illam per natiuitatẽ, & generationem recipiat, licet autem Spiritus Sanctus recipiat à Patre, & Filio naturam, illam per generationem non accipit, & ideó Filius non est. Ratio autem, cur illius processio generatio non sit, variè à Theologis assignatur, communis, & verior est; quia licet naturam per processionem accipiat, non tamen *formaliter* ex vi processionis suæ, de quo *supra q.* 27. *art.* 4.

66 *Resp. Ad 1. prob. minoris.*

Ad secundam concessa maiori, negando minorem: nam licet duobus modis naturalibus cõmunicari nulli naturæ cõueniat creatæ, hoc est sit in natura diuina peculiare, quod quia illius operatio est idem cum esse ipsius, cum duplex sit operatio, nempè intellectus, & voluntatis, duplex terminus vterque substantialis, & diuinus procedat, & in vtroque natura diuina per processionem communicata inueniatur, quamuis vnius processio generatio sit, nempè Verbi, secus autem alterius processio, scilicet Spiritus Sancti, qui per modum amoris procedens, non procedit per modum similitudinis, nec ex vi suæ processionis *formaliter* similis producenti in natura; & consequenter Filius non est, nec illius processio generatio.

67 *Secũda prob. dilluitur.*

*

†††††††

§. VI.

Tres tantum Personas esse, authoritate, & ratione probatur.

68 *Quarta cõclusio*

QVarta conclusio: *In Deo sunt tres personæ, & non plures, nec pauciores.* Hæc conclusio est de fide, definita in multis Concilijs, & in Symbolo Athanasij illis verbis: *Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filij, unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.* Constatque ex illo Ioann. 5. *Tres sunt qui testimonium dãt in cælo, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus &c.* Quæ propositio quamuis exclusionem non exprimat, pro exclusiua tamen accipitur communi Ecclesiæ Patrum, & Theologorum consensu, ac proinde non solum est de fide quod sint tres personæ in diuinis, sed etiam quod non sint plures.

Probatur authoritate.

69 *Ratio D. Tho. formatur.*

Rationem huius veritatis non posse ab hæreticis reduci docet D. Thomas *quæst. 9. de potẽtia art. 9.* eo quod cum fateantur Filium, & Spiritum Sanctum esse creaturas, Deique vis productiua creaturarum inexhauribilis sit, nulloque illarum numero possit finiri, non potest ab ipsis certus numerus creaturarum, seu personarum assignari. Ratio autem D. Thomæ *loco nuper allegato*, & 4. *Contra-Gentes cap. 26.* potest ad hanc formam reduci: in Deo namque tantum est vna persona improducta, & duæ personæ productæ: ergo sunt tres, & non plures personæ. Antecedens pro prima parte constat: nam distinctio in diuinis solum est secundam relationes originis, vt ex *infra* dicentis cõstabit: sed inter personas improductas non potest relatio originis intercedere; cum vna ab altera non procederet, aliàs improductæ nõ essent: ergo in Deo esse non potest nisi vna persona improducta. Quo circa Hilarius *in libro de Synodis* docuit, quod qui confitetur in diuinis duos innascibiles, confitetur duos Deos. Pro secunda parte probatur: nam processio in diuinis non est secundũ actionem tranieuntem in exteriorẽ materiam, sed secundum immanentem, aliàs persona procedens non esset Deus, sed creatura; sed actiones immanentes tantum sunt duæ, scilicet *intelligere*, & *velle*: ergo processiones diuinæ tantum sunt duæ, vna per intellectum, altera per voluntatem; & consequenter personæ terminantes processionem tantum sunt duæ, nempe *Verbum* procedens per intellectum, & *Amor* procedens per voluntatem.

70 *Resp.*

Dices, hoc argumento solum probari, quod in Deo tantum sit processio per voluntatem, & processio per intellectum, & consequenter quod in Deo personæ procedentes sint Verbum, & Amor, non autem quod in diuino intellectu non sint plures processiones, & plures illarũ termini, & idem in voluntate, ac proinde non conuincitur non esse in Deo plures personas quam tres.

71 *Sed contra 1.*

Sed contra primo: nam si in intellectu diuino essent plures processiones, quam vna, essent processiones actu infinitæ; cum semel pluribus, quam vna, concessis, nequeat terminus illarum aliqua ratione cõstitui; sed non sunt concedendæ processiones infinitæ: ergo nec plures quam vna.

Secũdo.

Secundo: nam vel essent plures processiones *specificè* distinctæ, vel tantum *numericè*; neutrum potest

dici: ergo nec plures, quam vna processio concedi. Minor pro prima parte cõstat: nam diuina intellectio, quæ est processionis principium, vel *formaliter* ipia processio connotata relatione, est vna *specificè* : ergo processio & terminus processionis, quæ cum illa adæquantur, non possunt *specificè* distingui. Pro secunda parte ostenditur primo : nam distinctio solum numerica sumitur à materia, vel subiecto ; sed processiones diuinæ, & illarum termini , carent materia, & subiecto, cum sint per se subsistentes: ergo nequeunt solo numero dstingui.

Secũdo. Secundo : nam distinctio tantum numerica prouenit ex limitatione: vnde natura diuina, quia est infinita, non potest numero multiplicari; sed processiones diuinæ, & illarum termini, non sunt aliquid limitatum, & finitum : ergo non possunt solo numero multiplicari, & distingui.

72 *Tertio.* Contrã tertio : nam Deus vnicâ intellectione se, & omnia intelligit, & vnico actu amoris amat se, & omnia ratione sui: ergo vnico verbo intelligit omnia & se ipsum, & vnico amoris termino amat se, & omnia in se ipso. Patet consequentia, primo: nam quod omnia vno actu intelligat, prouenit ex illimitatione intellectionis; sed verbum media intellectione procedens, etiam est in ratione verbi infinitum : ergo omnia intelligit vno verbo. Secundo: nam verbum intellectione productum adæquatur cum intellectione, aliàs esset imperfectum : ergo tantum est vnum verbum : nam si plura essent, nullũ intellectionẽ adæquaret *seorsim*, sed omnia *collectiuè* sumpta. Et eodem modo principalis consequentia in termino voluntatis probatur.

73 *Dices.* Dices, quod licet diuina intellectio sit vna secundum rem, est tamen *virtualiter* multiplex , & ratione ratiocinata distincta, vt plures Theologi docent *supra q. 14. art. 1.* diuinam intellectionem in plura attributa partientes, nempe intellectum, scientiam, sapientiam, prouidentiã, & artem, vt autem verbum intellectione productum realiter multiplicetur, sufficit virtualis distinctio in intellectione: nam intellectio, & volitio solum *virtualiter* differunt, & tamen verbum intellectione productum , & impulsus productus per volitionem distinguuntur *realiter* inter se.

Sed contra primo : nam verbum diuinum non procedit media diuina intellectione sub vna virtualitate præcisiuè ab alia , sed prout ambit omnes illas virtualitates , intellectus , sapientiæ, scientiæ, artis , & prouidentiæ: ergo non potest *realiter* multiplicari per hoc quod procedat ex intellectione sub conceptu sapientiæ, vel scientiæ, & sic de alijs formalitatibus *virtualiter* distinctis. 74 *Contra primo.*

Secũdo. Secundo: nam quod amor productus realiter distinguatur à Verbo, non prouenit ex distinctione intellectionis, & volitionis, sed ex ordine vnius processionis ad aliã; quia nempè, amor procedens per voluntatem procedit à Verbo per intellectum producto ; sed quamvis virtutes intellectiuæ *virtualiter* distinguantur in Deo , terminus productus per vnam non petit supponere terminum per aliam productũ, nec ab illo procedere: ergo virtutum intellectualium virtualis distinctio nõ infert plura Verba *realiter* distincta in Deo.

75 *Resp.* Dices, ordinem realem processionis per volũtatem ad processionem per intellectũ, & quod terminus volitione productus a termino intellectionis procedat, colligi ex virtuali ordine inter volitionem, & intellectionem essentialem; quia scilicet, nihil volitum quin præcognitum , inter intellectum autem, & scientiam in Deo, virtualis ordo inuenitur: nã prius Deus intelligit suam essentiã, & in illa sua attributa; & consequẽter oportet realem ordinem constituere inter terminum productum media intellectione essẽtiæ vt est intellectus , & terminum productum

media cognitione attributorum, vt sortitur rationem sapientiæ, & scientiæ, & quod vnus *realiter* ab alio procedat.

76 *Sed contra.* Sed contra: nam ordo realis termini voluntatis ad terminum intellectus non solum colligitur ex ordine virtuali intellectionis, & volitionis, sed insuper, quia in reali ordine nulla involuitur imperfectio; at in ordine vnius Verbi ad aliud Verbũ, & vnius ab alio processione, magna imperfectio reperitur: ergo estò admittamus ordinem virtualem inter scientiam, & lumen principiorum in Deo, quem plures Theologi negant non audentes admittere discursum etiam virtualem in Deo, non est cõcedendus realis ordo, & distinctio inter Verba.

Minor prob. 1. Probatur minor primo: nam ex vno Verbo producto ad alteri⁹ productionẽ procedere, est *formaliter* discurrere; sed in formali discursu maxima imperfectio invenitur, quo circa nullus Theologorum admittit formalem discursum in Deo: ergo in reali ordine vnius Verbi ad aliud, & vnius ab alio processione, imperfectio à Deo releganda importatur.

77 *Secũdo.* Secundo probatur: nam tunc solum reperitur ordo inter Verba, & processionem vnius ab alio, quando vnum repræsentat aliquid, quod aliud non repræsentat; sed imperfectio maxima est ponere Verbum in Deo, quod non repræsentet omnia repræsentabilia; cum esset verbum non comprehensiuum Dei, verbum autem non comprehensiuum est in ratione verbi imperfectũ, sicut cognitio non comprehensiua est imperfecta in ratione cognitionis: ergo in ordine reali vnius verbi ad aliud maxima imperfectio inuenitur.

§. VII.

Argumentis in cõtrarium occurritur.

78 *Arg.* 1. ARguitur primo ad probandũ esse in Deo plures, quam tres Personas: in Filio namque est potentia generatiua; & consequẽter potest generare; sed in Deo omne posibile existit: ergo generat de facto Filium à se ipso distinctum; & cõsequenter sunt in Deo plures personæ, quam tres. Maior, in qua sola est posita difficultas, ostenditur primo ex Parente Augustino lib. 3. contra Maximinũ cap. 12. illis verbis: *Absit autem vt quomodo putas, ideò sit potẽtior Pater Filio; quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem, neque enim non potuit, sed non oportuit.* Quibus, vt clarè constat, docet Augustinus, Filium generare potuisse, non tamen quod generaret oportuisse; sed posse generare est effectus, vel quasi effectus formalis potentiæ generatiuæ: ergo iuxta Augustinum hæc potentia in Filio inuenitur. *Maior ostenditur* 1.

Secũdo. Secundo: nam si in Patre, & non in Filio esset potentia generatiua, Pater esset Filio potentior; sed hoc affirmari non potest, aliàs Filius non esset æqualis Patri in potentia, & cõsequenter nec in essentia, ad quam potentia consequitur: est ergo in Filio potentia generatiua.

79 *Tertio.* Tertio: nam si in Filio nõ esset potentia generatiua, esset in illo aliquis defectus potentiæ; consequens absurdum est, aliàs non esset omnipo-

tens;

tens; cui namque aliquid potentiæ deeſt, omnipotens eſſe non poteſt: ergo in Filio eſt conſtituenda potentia generatiua. Sequela probatur: potentia generatiua aliqua potentia eſt; ſed hæc Filio deeſt: ergo eſt in illo aliquis defectus potentiæ, vel alicuius potentiæ defectus.

Quarto Quarto probatur: nam ſequeretur defectus aliquis dignitatis in Filio; conſequens abſurdum eſt: ergo & illud, ex quo ſequitur. Probatur ſequela: potentia generatiua eſt aliqua dignitas; ſed potentia generatiua non eſt in Filio: ergo aliqua dignitas, quæ eſt in Patre, non eſt in Filio.

Quinto. Quinto: nam quidquid perfectionis eſt in Deo, eſt in Filio conſtituẽdum; ſed poſſe Filium generare eſt perfectio in Deo: ergo eſt concedẽdum Filio; & conſequenter eſt in ipſo potẽtia generatiua. Denique probatur: nam vnumquodque in tantũ perfectum eſt in quantum poteſt ſibi ſimile generare, vt docet Ariſtoteles *lib. 4. metheororum*; ſed Filius eſt ſummê perfectus: ergo poteſt generare ſibi ſimile.

Deniq; probatur maior.

80 *Reſp. negãdo maiorẽ, explicatur que Auguſt.* Reſpondeo negando maiorem. Ad primam probationem dicatur, Auguſtinum ſolum negare Filio defectum priuatiuum potentiæ ad generandum creatorem, non autẽ excludere defectum potentiæ generãdi negatiuum; qui nullam ponit imperfectionem in ipſo, nec defectum potentiæ abſolutè, vt ex dicendis conſtabit: ideô autem Auguſtinus dixit non genuiſſe, *non quia nõ potuit, ſed quia non oportuit*, nõ quia ſenſerit eſſe Filio poſsibilem alterius Filij generationem, ſed quia defectus purè negatiuus potentiæ generatiuæ aptius explicatur dicẽdo, *quia non oportuit*, quam dicendo, *quia non potuit*, quæ verba ſonare videntur defectum priuatiuum potentiæ, & ex impotentia eueniſſe.

81 *Ad 2. & 3. prob.* Ad ſecundam nego ſequelã; quia vt docet D. Thomas *q. 9. de potentia art. 9. ad 3.* eadem potentia eſt in Patre, & in Filio, in illo vt generet, in Filio autem vt generetur, ac proinde ex eo quod Pater poſsit generare, & non Filius, non ſequitur eſſe Patrem potentiorem Filio; quia ad hoc requirebatur, quod aliqua potentia conueniret Patri, quæ non conueniret Filio. Et ex his ad tertiã probationem nego ſequelam, ad illius probationem diſtinguo maiorẽ: eſt aliqua potentia diſtincta à potẽtia terminandi generationem, nego maiorem: eadem cum potentia terminatiua generationis, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: deeſt potentia ſecundum exercitium generandi, concedo minorem: ſecundum munus terminandi generationem, nego minorem, & conſequentiam: ſolum enim ſequitur, deeſſe Filio potentiam generatiuam ſub vno munere, & exercitio, nempé generadi *actiuè*, nõ autem ſub omni exercitio; quia vt proximé dicebamus, eadem eſt in Patre potentia vt generet, & in Filio vt generetur.

82 *Ad 4.* Ex eiſdem etiam ad quartam probationem nego ſequelam, ad illius probationem diſtinguo maiorẽ: eſt aliqua dignitas diſtincta à potentia terminatiua generationis, nego maiorem: indiſtincta ab ipſa, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: hæc potentia deeſt Filio vt generatiua, concedo minorẽm: vt terminatiua generationis, nego minorem, & conſequentiam: cum namque dignitas abſoluta ſit in Deo, generari autem, & generare non diſtinguantur ſecundum abſoluta, ſed tantum penes relationes diſtinctas, eadem dignitas eſt in Patre poſſe generare, & in Filio poſſe generari, aut terminare generationem.

83 *Ad 5.* Ad quintam maioris probationẽ cõceſſa maiori, diſtinguo minorem: poſſe generare Filium eſt perfectionis diſtinctæ ab hoc, quod eſt poſſe terminare generationem, vel generari, nego minorẽ: perfectionis eiuſdem, concedo minorem, & nego cõſequentiam: vt enim omnis diuina perfectio competat Filio, ſufficit, quod poſsit generari, & quod poſsit

ge-

generationem terminare ; eo quod posse generare, & posse generari, nō differunt perfectione, sed relatione: eadem namque absoluta perfectio, connotata paternitate, dat posse generare, & connotata filiatione dat posse generari ; ac proinde vt quidquid est perfectionis reperiatur in Filio, sufficit quod licet generare *actiuè* non valeat, possit generari *passiuè*.

84. *Vltima prob. diluitur; & Aristoteles explicatur.*

Ad vltimam probationem dicatur, doctrinam Aristotelis verum tenere in rebus materialibus corruptibilibus : secus autem in rebus immaterialibus, & incorruptibilibus, Deus autem immaterialis, & incorruptibilis est, & ideo illius natura potest perfectissimè Filio competere absque potentia productiua sibi similis. Ratio autem explicationis traditæ est: quia natura corruptibilis, cum non possit conseruari in vno solo individuo, appetit ad conseruationē media successiua individuorum generatione, & ideo individuum carens potentia productiua sibi similis, in quo illius natura conseruetur, deficit à fine, quem intendit natura, ac per consequens est imperfectum: Natura autem incorruptibilis, quia in vno individuo perpetuo conseruatur, non appetit productionem alterius, & ideo illius individuum absque facultate generatiua imperfectum non est, vt constat in Angelis, quorum quilibet est in sua specie perfectus absque dicta facultate, & similiter in cælis. Quod autem in Deo detur potentia generatiua, non est ex indigentia, sed ex fœcunditate Verbum à Patre producitur, & à Patre, & Filio impulsus, quæ tamē, vt ex D. Thoma diximus, non est perfectio distincta à potentia terminatiua generationis, quæ reperitur in Filio, & ideo tam perfectus est Filius per hoc quod generari possit, ac Pater potens generare.

85. *Obijcies 1.*

Sed oppones primo: potentia generatiua, vt generatiua, aliqua potentia est; sed Filio non conuenit intellectus vt potentia generatiua est: ergo aliqua potentia deest Filio; & consequenter non est æqualis Patri in potentia.

Secundo.

Secundo: potentia generatiua est distincta à potentia terminatiua generationis: ergo per hoc quod Filio competat potentia generationis terminatiua, non saluatur quod illi aliqua potentia non desit, nisi etiam sit in illo potentia actiua generatiua. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens autē ostenditur primo: nam actio, & passio ad diuersa reducuntur principia; agit enim aliquid ratione formæ in quantum est in actu, patitur autem in quantum est in potentia ratione materiæ; sed generare, & generari in diuinis significantur per modū actionis, & passionis: ergo referuntur ad diuersa principia, & consequenter potentia generatiua distincta est à potentia terminatiua generationis. Secundo: nam potentiæ distinguuntur per actus; sed generare est actus distinctus à generari: ergo potentia generatiua est distincta à potentia terminatiua generationis.

86. *Resp. ad 1. instantiam.*

Respondeo ad primam instantiā distinguendo maiorem : potentia generatiua, vt talis, est aliqua potētia, connotata peculiari relatione, scilicet *Paternitatis*, concedo maiorem : sine tali connotatione vt cōplemento, aut conditione, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam, vel distinguo cōsequēs: deest aliqua potentia quoad absolutum, quod vt rationem formalem importat, nego consequentia: quoad relationem, quam vt conditionem, vel vt complementum connotat, concedo consequentiam. Ratio autem negandi absolutē consequentiā est: quia potentia generatiua dicit absolutum in recto, & de connotato Paternitatem, ac proinde vt deest Filio, sufficit, quod deficiat Paternitas de connotato importata, quamuis illi conueniat quoad rectum, aliqua tamen potentia, prout his terminis significatur, non connotat relationem, sed solum absolutum im-

por-

portat, & ideo ex negatione potentiæ generatiuæ inferre negationem potentiæ, est mutare ad aliquid in quid, & ex defectu relationis inferre defectum absoluti, sicut ista consequentia ob similem defectum non valet: *Paternitas est aliqua dignitas; Paternitas non conuenit Filio: ergo aliqua dignitas non reperitur in Filio*; quia nempè *dignitas* est quid absolutum, *Paternitas* autem relatio, sed claritatis gratia potest consequens prædicti argument distinctione data distingui.

87 *Ad 2. resp.*

Ad secundam nego antecedens: cum namque potentia generatiua, & potentia terminatiua generationis, solũ differant penes relationes, quas connotant, Paternitatem, scilicet, & Filiationem, potentia autem sit aliquid absolutum, & absolutum per relatiuum multiplicari, & distingui non possit; fit consequens, quod potentia generatiua nequeat in ratione potentiæ à passiua generabilitate distingui. Ad primam antecedentis probationem dicatur, veram esse maiorem in actione transeunte, falsam autem in immanente, vt constat in volitione, cuius principium actiuum est voluntas, & tamen eadẽ potest terminare volitionem, & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam: nam generatio in diuinis non est actio transiens, sed immanens, & similiter generari per modum passionis immanentis significatur, & ideò non oportet ad diuersa principia referri, sed eadem realiter potentia in Patre est principiũ generationis, & in Filio connotata filiatione est generationis terminus. Ita D. Thomas *quæst. 9. de potentia art. 9. ad 4.*

Prima antecedentis probatio dilui tur.

88 *Resp. Ad 2. prob. 1.*

Ad secundam antecedentis probationem concessa maiori, nego minorem: nam sicut potentia generatiua est diuina essentia connotata Paternitate, & generabilitas eadem diuina essentia, connotata Filiatione, ita actualis generatio est diuina intellectio, connotata Paternitate, & generari est passiuum intelligi, connotata Filiatione, intelligi autem, & intelligere non sunt actus *realitèr* distincti in Deo; & consequenter generare, & generari *realitèr* non distinguuntur quoad id, quod in recto important, sed solum quoad relationes, quas dicunt de connotato, qualiter etiam potentia generatiua à potentia terminatiua generationis distinguitur. Quæ doctrina est D. Thomæ quæst. 2. de potentia art. 5. in corpore, quod ita concludit: *Similiter ergo est dicendum de actione, & potentia: nam generatio significat actionem cum aliquo respectu, & potentia generandi significat potentiam cum respectu: vnde ipsa generatio est Dei actio, sed prout Patris tantum, & similiter potentia generandi est Dei omnipotentia, sed prout est Patris tantum.* Ita D. Thomas loquendo de actiua generatione, & potentia generatiua, id ipsum consequenter dicturus de generatione passiua, & potentia terminatiua illius.

89 *Resp. 2. ad 2. probationẽ*

Secundo respondeti potest distinguendo maiorem: potentiæ distinguuntur per actus distinctos *formaliter*, concedo maiorem: *materialitèr* tantum distinctos, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam cum generare, & generari, si sint actus *realitèr* distincti, pro eo, quod important in recto, in relatione consistant, potentia autem non consistat in relatione, sed in perfectione absoluta, in Deo autem relationes distinctæ non distinguant, nec multiplicẽt perfectiones absolutas, sed in omni absoluto communicent; consequens fit, quod generare, & generari, licet inter se *realitèr* distinguantur, illarum tamen distinctio *materialitèr* se habeat comparatione potentiæ generatiuæ, & terminatiuæ generationis, sicut visio albi, & visio nigri, *materialitèr* distinguuntur respectu potentiæ visiuæ. Solutio colligitur ex doctrina Diui Thomæ

quæst. 9. de potentia art. 9. ad tertium.

90 *Secũdo arg.*

Secundò arguitur : Verbum diuinum, intelligendo se, Verbum producit; sed Verbum à Verbo productum realiter ab illo distinguitur: ergo datur duplex Verbum diuinũ; & consequenter plures personæ, quã tres. Maior, in qua sola est ponita difficultas, ostenditur primo ex Anselmo *in Monologio*, vbi docet, quod sicut Pater dicit se, ita Filius, & Spiritus Sanctus, sed dicere est producere Verbum: ergo Filius intelligendo se producit Verbũ. Secũdo: nam iuxta D. Thomam in hac parte quæst. 27. art. 1. in corpore. *Quicumque intelligit ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens*; sed Verbum est perfectissime intelligens: ergo ex eius intellectione aliquid intrà ipsum procedit, quod est conceptio rei intellectæ, & Verbum representans obiectum. Tertio ex eodem D. Thoma quæst. 9. de potentia art. 9. in corpore, illis verbis: *Ipsum enim intelligere non perficitur, nisi aliquid in mẽte concipiatur intelligentis, quod dicitur Verbum, non enim dicimur intelligere, sed cogitare ad intelligendum, antequam conceptio aliqua in mente nostra stabiliatur*; sed intellectio Verbi diuini est perfecta, & completa: ergo ex illa procedit Verbum; & consequenter Verbum diuinum producit Verbum intelligendo. Et idem argumentum fit de Spiritu Sancto.

91 *Resp. Ad 1. prob. explicãdo Anselmum.*

Respondeo negando maiorem: si namque Verbum diuinum intelligendo produceret Verbum, Verbũ à Verbo productum etiam produceret Verbum; & consequenter darentur in Deo Verba numero infinita. Ad primam probationem dicatur, quod sicut Verbum in diuinis dupliciter sumitur, primo *propriè*, & *adæquatè*, qua ratione consistit in repræsentatione producta ab intelligente, & solum *personaliter* dicitur, secundo, *communiter*, & *inadæquatè*, qualiter solum importat actualissimam repræsentationẽ, & sic *essentialiter* dicitur, ita dicere posse sumi dupliciter, *propriè* scilicet, & *communiter*: priori modo non conuenit omnibus personis diuinis, sed soli Patri, in quo sensu loquutus est Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 1. vbi docuit: *Quod non singulus quisque in diuinis, sed solus Pater est dicens.* Secundo autem modo, dicitur *essentialiter*, est que Tribus personis commune, & in hoc sensu loquitur Anselmus. Ex quo non sequitur, Verbum sua intellectione producere Verbũ. Ita D. Thomas *quæst. 9. de potentia art. 9. ad 8.* Quod autem in Deo detur dictio *essentialiter* dicta, est expressa doctrina D. Thomæ in 1 distinct. 27. quæst. 2. art. 2. ad 3. quod ita procedebat: *Verbum est terminus huius actus, qui est dicere, nihil enim dicitur nisi Verbum; sed quælibet persona potest dicere se, & potest dicere essentiam suam: ergo essentia est Verbum, & quælibet persona est Verbum, & ita Verbum essentialiter dicitur.* Cui argumento respondet D. Thomas 3. *concedãtur*: sentit ergo, dictionem loquutionem, & Verbum, non solum *personaliter*, sed etiam *essentialiter* dici in diuinis.

92 *Ad 2.*

Ad secundam probationem dicatur, propositionem illam D. Thomæ: *Quicumque intelligit, eo ipso quod intelligit, formatVerbũ*, intelligendam esse per distributionem communem tam indiuiduorum, nõ autem suppositorum intelligentiũ; sic autem concessa, & negata maiori, & concessa minori, rego consequentiam; quia tantum sequitur, quod indiuiduum Deitatis in aliquo supposito, scilicet Patre, Verbum producat, non autem quod Verbum, & Spiritus Sanctus, qui non *indiuidualiter*, sed *suppositaliter* distinguuntur à Patre, Verbum formentin-

intelligendo. Et ratio est: quia vni intellectionis solum datur vnum Verbum; Filius autem, & Spiritus Sanctus eadem intellectione, qua Pater, intelligunt; cumque huiusmodi intellectio, vt modificata Paternitate, Verbum producat; fit consequens, quod Verbum productum media sua intellectione non producat Verbū, sed sit sapiens vt Verbum productū, nec similiter Spiritus Sanctus intelligendo concipiat, sed sit sapiens vt impulsus à Patre, & Verbo concepto, & producto procedens.

93 *Ad 3.* Ad tertiam maioris probationem dicatur, doctrinam illam Diui Thomæ procedere in intellectione creata, quæ Verbum non ex fœcunditate, sed ex necessitate producit, vt in illo contempletur obiectum, & ideò vsque ad Verbum conceptum completa non intelligitur, sed in statu imperfecto, & viali ad intelligendum, non autem in diuina intellectione, quæ non ex necessitate, sed ex sola fœcunditate Verbum producit, & pro priori ad Verbum perfecta supponitur. Qua doctrina sic intellecta, & concessa minori, nego consequentiam. Quòmodo autem ex illa doctrina D. Thomæ colligatur existentia Verbi in Deo, alterius est loci, breuiter pro nunc respondetur, rationem D. Thomæ non esse demonstratiuam, sed congruentiam, vt autem congruenter probet, sicut non est necessarium quod Deus Verbum ex necessitate formet, quamuis formatio Verbi in creaturis ex necessitate proueniat, ita necessarium non est quod Verbum diuinum Dei intellectionem perficiat, & compleat, quamuis hoc in creata intellectione contingat.

94 *Tertio arg.* Tertio arguitur: præter Verbum, & impulsum, dantur in Deo aliæ personæ procedentes à Patre: ergo dantur plures personæ, quam tres. *Antecedens ostenditur primo:* nam Filius, & Spiritus Sanctus distinguuntur per hoc quod ille procedit à Patre per modum intellectus, vt Verbum, impulsus autem per modum voluntatis, vt amor; sed præter intellectum, & voluntatem sunt alia attributa in Deo, vt *bonitas, scientia, potentia*: ergo iuxta modum illorum erunt aliæ personæ procedentes à Patre.

Antecedēs probatur.

95 *Secūdo.* Secundo probatur: nam plus distat processio naturæ à processione intellectus, quam processio voluntatis, cum in rebus creatis videamus processionem intellectus semper comitari processionem voluntatis, processionem autem naturæ non semper comitatur processio intellectus; plura namque naturaliter generant, in quibus intellectus non est; sed Verbum per modum intellectus procedens distinguitur realiter à persona procedente per modum voluntatis, vt amor: ergo Filius per modum naturæ procedens realiter distinguitur à Verbo procedente per modum intellectus; & consequenter dantur in Deo personæ procedentes à Patre, præter impulsum, & Verbum.

96 *Resp. Ad 1. antecedētis prob.* Respondeo negando antecedens: ad primam probationem concessis maiori, & minori, nego consequentiam: ratio autem discriminis traditur à D. Thoma *quæst. 9. de potentia art. 9. ad 19. argumentum*: nam alia attributa non habent operationem intrinsecam immanentem, secundum quam processus diuinæ personæ attendatur, bene tamen voluntas, & intellectus, & ideò non dātur personæ distinctæ ex aliorum attributorum distinctione.

97 *Ad 2.* Ad secundam distinguo maiorem: plus distant, distantia separabilitatis: concedo maiorem: distantia conuenientiæ in modo producendi, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam licet processio naturæ in creatis separabilis sit à processione intellectus, secus autem processio intellectus à processione voluntatis, vt in argumento probatur, ex hoc tantum sequitur maior distantia quoad connexionem, non autem quoad conuenientiam in modo procedendi: nam intellectus, & natura conueniunt in

hoc, quod sicut natura, vt operetur, non supponit necessario præuiam operationem, ita vt operetur intellectus non præ requirit operationem præuiam; voluntas autem operationem præcedentem requirit, à cuius termino terminus voluntatis procedat: vnde in Deo terminus procedēs per intellectum non petit præuium terminum à natura procedentem, à quo procedat, & distinguatur, sed in eodem saluatur processio per modum naturæ, & per modum intellectus; & consequenter Filius, & Verbum in Deo realiter non distinguuntur: operatio autem voluntatis præuiam operationem intellectus requirit, & terminus vt amor procedens præuium terminum intellectus, à quo habeat originem, & consequenter à quo distinguatur, ideoque in eadem persona coincidere nequeunt ratio Verbi, & ratio impulsus. Ita D. Thomas *loco vbi nuper ad* 20. *argumentum*.

98 *Instabis*

Sed dices: ideò terminus voluntatis terminum, & operationem intellectus supponit, quia voluntas supponit intellectum; sed intellectus supponit naturam: ergo terminus, & operatio intellectus supponunt terminum, & operationem naturæ.

Resp.

Respondeo prætermissa maiori, distinguēdo minorem: intellectus supponit naturam, vt *proximè* operatiuam, nego minorem: vt operatiuam tantum *remotè*, eique præstans primam facultatem *proximè* operatiuam, concedo minorem, & nego consequentiam: nam voluntas supponit intellectū vt *proximè* operatiuum, nec illi præstat facultatem proximam operandi: vnde potest præsupponere illius operationem, & ab illa dependere in operando: intellectus autem non supponit naturam cum proxima via ad operandum, sed vt prima facultas *proximè* operatiua, quæ in natura intellectuali inuenitur: vnde quamuis illis subordinetur, vt principium proximum radicali, non tamen operatio intellectus operationem naturæ supponit, sed ab intellectu egreditur vt subordinato naturæ tanquam principio radicali, & mediato.

§. VIII.

Duæ solutiones rationis dubitandi impugnantur.

RAtioni dubitandi initio disputationis propositæ varie occurritur à Theologis. Suarez *lib.* 4. *de Trinitate cap.* 3. & Vazquez *disp.* 123. *cap.* 2. post relatas, & reiectas explicationes illius principij, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, traditas à D. Thoma, & alias, respondent, principium illud non esse verum in Deo, in quo ob essentiæ infinitatem datur identitas essentiæ cum relationibus distinctis realiter inter se, seruata essentiæ vnitate: vnde præfatum principium solum tenet inter entitates creatas, quas tantum Aristoteles cognouit.

99 *Solutio Patris Suarez.*

Sed non placet hæc solutio, primo: quia, vt ex dicendis in nostra resolutione constabit, principium illud iuxta explicationes, quas dabimus, est vniuersaliter verum, quarum veritatem facili negotio tuebimur: ergo prædicti Auctores absque fundamento vrgenti recedunt à communi sententia asserente, dictum principiū in aliquo sensu tenere in omni materia, & non solum inter entitates creatas. Secundo: nam principium illud est fundamentum artis syllogisticæ; sed hæc ars tenet in Deo: ergo

100 *Reijcitur* 1.

Secūdo.

prin-

principium illud in aliquo ſui ſenſu verum eſt nó ſolum inter creaturas, ſed etiam in ipſo Deo. Minorem concedit Vazquez, ſed negat maiorem: ars enim ſyllogiſtica non nititur huic principio, ſed alteri, nempe, *dici de omni*, & *dici de nullo*, quod eſt ita vniuerſale vt locum habeat in Deo.

101 *Doctrina Patris Vazquez reijcitur.*

Sed contra: nam veritas huius principij, *dici de omni*, & *dici de nullo*, vel eſt eadem cum veritate huius, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, vel illam neceſſario ſupponit: ergo ſi hoc principium eſt fundamentum artis ſyllogiſticæ, etiam ſupra alterius principij veritatem fundatur. Probo antecedens: nam principium *dici de omni* conſiſtit in hoc, quod prædicatum enuntiatum de ſubiecto diſtributo etiam affirmetur de omni eo, de quo tale ſubiectum prædicatur, v.c. quia hæc eſt vera, *omnis homo eſt animal*, & Petrus eſt homo, infertur: *ergo Petrus, eſt animal*; at hæc illatio in nullo alio fundatur, quam in hoc, quod animal identificetur cum omni homine, & Petrus identificatur cum aliquo homine: ergo principium *dici de omni* vel idem eſt cum noſtro principio, vel illius veritatem ſupponit.

102 *Conf. 1.*

Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum: nam principium *dici de omni* idem eſt cum hoc principio, *quando quidpiam de quopiam prædicatur, quicquid prædicatur de prædicato, dicitur etiam de ſubiecto*; ſed hoc verum habet in vi alterius, ſcilicet quod quæ idem ſunt vni tertio, ſunt eadem inter ſe: ergo principium *dici de omni* huic etiam principio nititur.

103 *Conf. 2.*

Explicatur, & vrgetur ſecundo: nam principium *dici de omni* eatenus verum eſt, quatenus ex enunciatione vnius extremitatis de medio, & medij de altera extremitate, infertur prædicatio vnius extremitatis de alia, vt expreſſe docet Vazquez *vbi ſupra n.6.* nec ab aliquo poteſt negari; ſed idem eſt vnum enú enunciari de alio, atque aliquomodo identificari cum illo: ergo principium *dici de omni* eatenus teret veritatem, quatenus verum eſt, quod quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadé inter ſe.

104 *Aliorũ ſolutio explicatur.*

Secunda ſolutio eſt quorũdam Recentiorum, quos ſine nomine refer Albiz *Tract. 3. de Trinitate ſect.* 10. per extremum aſſerentium, principium illud, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, nec etiam in creaturis eſſe vniuerſaliter verum: nam modi oppoſiti ſe habendi, v.c. *ſtare*, & *ſedere*, non diſtinguuntur *realiter* à re, quam modificant, & tamen inter ſe *realiter* diſtinguuntur. Ex quo inferunt, mirabile, quod in myſterio Trinitatis inuenitur, non conſiſtere in eo quod perſonæ *realiter* inter ſe diſtinguantur, & ſint *realiter* indiſtinctæ ab eſſentia, ſed in hoc quod diuina eſſentia petat eſſe idem cum Tribus perſonis, quarum prima ſit improducta, ſecunda à prima procedat, & tertia a prima, & ſecunda.

105 *Eſt contra communem ſententiã, & reijcitur 1.*

Hæc tamen ſolutio, & doctrina, diſplicet communiter Theologis, & reijcitur primo: nam omnes Eccleſiæ Patres, ſingulare, & mirabile cenſent in Deo, quod cum vnitate eſſentiæ ſtet realis perſonarum diſtinctio: ergo aſſerere, reperiri hoc in creaturis, eſt communi Patrum doctrinæ aduerſari, quod in re tam graui, & Theologica, ad minus eſt temerarium. Antecedens conſtat ex Gregorio Niſeno lib. de differentia eſſentiæ, & hypoſtas, illis verbis: *Idem, & coniunctum, & ſeparatum, atque diſcretum dicimus, & quodam quaſi per enigma excogitamus nouum, & à communi ſenſu, & opinione abhorrens, tum diſcrimen coniunctum, tum diſcretam coniunctionem.* Id ipſum docent Baſilius *Epiſtola 47. ad Niſenũ*. Anaſtaſius Sinaica *lib. 5. de rectæ fidei dogmatibus*. Dionyſius *cap. 13. de diuinis nominibus*.

Cre-

Gregorius *lib.30. Moralium cap. 5.* Anselmus *lib. de Incarnatione Verbi cap.6.* Bernardus *lib. 5. de consideratione cap. 7. in fine.* Augustinus *lib.1. de Trinitate cap.3.* & Tractatu 39. in Ioannem, ibi: *Est aliquid infabile, quod verbis explicari non possit, vt & numerus sit, & numerus non sit*, ideſt numerus in perſonis abſque numero in eſſentia. Ac tandem D. Thomas *in 1. distinctione 33. quæst. 1. art.1. ad 2.* docet, omnia ſimilia, quæ ad explicandam vnitatem eſſentiæ cum diſtinctione perſonarum afferuntur, plus habere de diſſimilitudine, quam de ſimilitudine, & ideò magis abducere à veritate, quam in eius verum intellectum inducere: cum ergo tot ex Patribus Eccleſiæ fateantur, diſtinctionem iſtam realem cum reali eſſentiæ vnitate ſingularem eſſe in Deo, & myſterium infallibile, & nullus Patrum poſsit in contrarium adduci, aſſerendum eſt, prædictam Recentiorum doctrinam Patrum communi aduerſari. Secundo reijcitur: nam data inter creaturas reali diſtinctione extremorum cum reali identitate in aliquo vno tertio, nulla erit difficultas in eo quod inter prædicta extrema realis productio vnius ab alio intercedat: ergo illa doctrina admiſſa nihil mirabile in myſterio Trinitatis relinquitur.

Secũdo reijcitur.

106 *Dices.* Dices, difficultatem nouam in vnius ab altero productione, identitate, & reali diſtinctione ſuppoſitis, in eo poſitam eſſe, quod aliquid producatur abſq; productione alicuius, cum quo eſt realiter idem, & ideò adhuc diſtinctione reali duorum, & illorum identitate cum aliquo tertio admiſsis, remanet vnius productio ab alio ſingularis, & mirabilis in myſterio Trinitatis.

107 *Sed contra.* Sed contra: nam quod idem, & vnum ſit *realitèr* diſtinctum ab alio, & *realitèr* ab illo indiſtinctũ, non minorem difficultatem habet, quamquod ſit productum *realitèr*, & *realitèr* improductum; ſed data reali diſtinctione extremorum inter ſe cum identitate in tertio, neceſſario ex conſequenti conceditur, vnam, & eandem entitatem eſſe *realitèr* diſtinctam, & *realitèr* indiſtinctam, vt eſt per ſe manifeſtum: ergo illa doctrina admiſſa, omnis difficultas vincitur, quæ in reali productione, & improductione, vnius indiuiſiuæ entitatis reperitur.

108 *Denique reijcitur.* Denique reijcitur: nam vnica ratio ſtatuendi realem diſtinctionẽ perſonarum in diuinis cum ſumma eſſentiæ vnitate, eſt, vnam perſonam *realitèr* ab alia procedere, quod abſque diſtinctione reali nequit ſubſiſtere; ſed, vt illi Recentiores latentur, in creaturis hoc reperiri non poteſt, quod ſcilicet inter duo *realitèr* identificata cum vno, intercedat realis vnius ab alio proceſsio: ergo abſque vlla neceſsitate realis extremorum diſtinctio cum identitate intertio inter entitates creatas cõfingitur.

109 *Obijcies* Sed dices: actio, & paſsio, *realitèr* identificantur cum motu, & *realitèr* inter ſe diſtinguuntur: ergo realis diſtinctio extremorum ad inuicem cum reali identitate in aliquo tertio, in creaturis inuenitur. Antecedens, in quo ſolo eſt difficultas, probatur ex Diuo Thoma *ſupra quæſt. vigeſima octaua articulo tertio ad primum*, vbi ex Philoſopho docet: *Quia licet actio ſit eadem motui, ſimiliter & paſsio, non tamen ſequitur, quod actio, & paſsio ſint idem; quia in actione importatur reſpectus, vt à quo eſt motus in mobili, in paſsione vero, vt qui eſt ab alio*; verba ſunt Diui Thomæ; ſed intelligenda ſunt de identitate reali actionis, & paſsionis cum motu, & reali diſtinctione illarum inter ſe: ergo iuxta Diuum Thomam actio, & paſsio identificantur *realitèr* cum motu, & *realitèr* inter ſe diſtinguuntur. Probatur minor: nam D. Thomas identitatem actionis, & paſsionis cum motu, & diſtinctionem illarum inter ſe, adducit ad explicandum qualiter ex identitate

relationum cum eſſentia non inferatur diſtinctio relationum inter ſe; ſed identitas relationum cum eſſentia eſt realis, & ſimiliter earum diſtinctio ad inuicem realis eſt: ergo loquitur de identitate reali actionis, & paſsionis cum motu, & reali illarum diſtinctione inter ſe, aliàs innaniter propſus adduceretur exemplum.

110 *Reſp.* Reſpondeo negando antecedens, ad probationem nego minorẽ, ad illius probationem conceſsis maiori, & minori, nego conſequentiam: vt enim ex D. Thoma iam vidimus, exempla ex creaturis ſumpta potius abſimilia ſunt, quam ſimilia, & magis abducunt, quam inducunt in huius myſterij intellectionem; ſi autem actio, & paſsio, *realitèr* eſſent idem motui, & diſtincta *realitèr* inter ſe, exemplum omnino ſimile ex creaturis ſumeretur ad explicandũ profundiſsimum myſterium Trinitatis. Præterquamquod, omnes, qui paſsionem *realitèr* diſtinguunt ab actione, realem diſtinctionem alterius illarum à motu conſequenter fatentur, & qui diſtinctionẽ *ex natura rei* inter paſsionem, & actionem cõſtituunt, eandem etiam diſtinctionem inter illarum aliquam, & motũ, fatentur: ac denique in ſententia, quam veriorem iudico, aſſerente, actionem, & paſsionem, diſtinctione virtuali, & rationis ratiocinatæ diſtingui, etiam à motu ratione ratiocinata, & virtualiter diſtinguuntur: in creaturis namque verum eſt vniuerſaliter, non poſſe aliqua duo maiori identitate cum tertio identificari, quam inter ſe connectantur.

111 *Contra ſolutionẽ arg.* Cum ergo hæc vera ſint, non modica difficultas conſiſtit in explicanda Angelici Doctoris ſententia: licet namque in exemplis nõ requiratur omnimoda ſimilitudo, vt tamen bona ſint, in aliquo debent ſeruare ſimilitudinem; at in actione, & paſsione cum motu, & inter ſe comparatis, nulla ſimilitudo inuenitur (ſi vera ſunt, quæ docuimus) cum myſterio Trinitatis: ergo omnino præter rem vſus fuit D. Thom. exemplo actionis, & paſsionis cum motu. Patet minor: actio, & paſsio; nulla identitate identificantur cum motu, quam non habeant inter ſe; at vt exemplum aliquam haberet ſimilitudinem, neceſſum erat, quod identificarentur cum motu aliquo genere identitatis, quod inter ſe non haberẽt, vt per ſe manifeſtum apparet: ergo ſi doctrina tradita eſt vera, omnino præter rem vſus fuit dicto exẽplo D. Thomas.

112 *Reſp.* Hæc tamen difficultas facile ſuperabitur: ſi intentum D. Thomæ attendamus, intendebat D. Thomas principium illud, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ſolum fundare illationem ſine inſtantia, cum extrema ſunt idem re, & ratione cum tertio: ſi namque identificarentur *realitèr*, & *ratione* diſtinguuntur à tertio, poſſunt importare rationes inter ſe oppoſitas, & non oppoſitas medio, ac proinde ex affirmatione identitas extremorum cum medio, non colligi identitatem extremorum inter ſe, & ad hoc adducit exemplum actionis, & paſsionis, non quia ſentiat D. Thomas identificari cum motu *realitèr*, aut *formalitèr*, & diſtingui *realitèr*, vel *formalitèr* inter ſe, ſed quia abſolutè conceduntur iſtæ præmiſſæ, *actio eſt motus*, *paſsio eſt motus*, & tamen hæc concluſio abſolutè negatur, *actio eſt paſsio*, & hoc ideô, quia paſsio explicat reſpectum patientis vt *in hoc*, actio explicat reſpectum ad agens vt *à quo*, motus autem diſtinctionem iſtam nõ explicat: vnde licet differentia actionis, & paſsionis à motu, tanta ſit, quanta inter actionem, & paſsionem verſatur; quia tamen actio, & paſsio in ſua ſignificatione differentiam iſtã explicant, motus autem illam in ſua ſignificatione non dicit, ſed abſtrahit à reſpectu actionis, & paſsionis, hæc abſolutè negatur, *actio eſt paſsio*, iſta autem abſolute conceditur, *actio eſt motus*, *paſsio eſt motus*, & ſic conſequentia non tenet prop-

ter

ter distinctionem rationis, actionis, & passionis à motu, & in hoc tenet exemplum.

§. IX.

Ratio dubitandi diluitur.

113 *Prima explicatio communis axiomatis.*

HIs igitur modis dicendi relictis ad rationem dubitandi *initio disputationis* propositam respondeo primo, axioma illud Philosophi esse vniuersaliter verũ, quando extrema identificãtur re, & ratione, quando autem *realitèr* identificantur cum tertio, *ratione* tamen distinguuntur ab illo, non esse vniuersaliter verum; & quia personæ diuinæ, etsi *realiter* sint idem essentiæ, *rationè* tamen distinguuntur ab illa: fit consequens, vt ex identitate illarum cum essentia diuina non colligatur identificari *realitèr* inter se. Hæc solutio, & axiomatis explicatio, est D. Thomæ *quæst.* 8. *de potentia art.* 2. *ad* 1. & 10. *argumentum.* 1. *ad Annibaldum dist.* 33. *quæst. vnica art.* 1. & *supra quæst.* 28. *art.* 3. *ad* 1. vbi Caietanus, Zumel, Bañez, Nazarius, Albelda, Patres Salmanticenses, Illustrissimas Araujo, & alij Recentiores Thomistæ. Eidem acquiescunt Granados *Tract.* 3. *de Trinitate sect.* 3. *num.* 16. & Aluiz *Tract.* 4. *disp.* 3. *sect.* 10. Tenet etiã Capreol. *in* 1. *distinctione* 2. *quæstione* 2. *artic.* 1.

114 *Contra illãarg.* 1.

Illã tamen omnino insufficientem censent Aureolus *in* 1. *distinct.* 2. *parte* 3. Molina *in hac* 1. *parte quæstione* 28. *articulo tertio disputatione secunda.* Valentia *disputatione* 2. *quæst.* 2. *puncto* 4. Suarez *lib.* 4. *de Trinitate cap.* 3. Vazquez *disp.* 123. *cap.* 1. & frequentius Societatis Recentiores obijcientes primo ex Aureolo: quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, iuxta qualitatẽ identitatis cum tertio: ergo quæ idẽtificantur *realitèr*, & *ratione* cum tertio, *realiter*, & *ratione* identificantur ad inuicem, quæ autem sunt idem *realitèr* cum tertio, & *ratione* ab illo differunt, *realiter* inter se identificantur, & *ratione* distinguuntur.

115 *Resp.*

Sed hoc argumentum non vrget; est enim antecedens negandum vt vniuersaliter verum, nisi addita explicatione D. Thomæ, vel alijs, quas statim subijciemus, ratio autẽ quare ex identitate, re, & ratione cum tertio, inferatur omnimoda entitas extremorum inter se, secus autem ex identitate reali, interueniente distinctione rationis, realis identitas extremorum colligatur, est; quia eo ipso quod extrema *ratione*, aut *virtualiter*, distinguantur à medio, possunt ex eo capite, quo differunt, importare rationes inter se oppositas, quæ cum tertio non opponantur, & consequenter ratione huius oppositionis distingui *realitèr* inter se, quamuis ab aliquo tertio, cũ quo oppositionem non habent, *realiter* non distinguantur, & ita euenit in Deo; quia namque Paternitas, & Filiatio, *ratione*, & *virtualiter* ab essentia distinguuntur, explicant rationes oppositas inter se, secus autem cũ essentia, & ideô inter se *realitèr* distinguuntur, non vero ab essentia; cum autem extrema identificantur *realitèr*, & *ratione* cum tertio, non est caput vnde possint explicare oppositionem ad inuicem; & consequenter, nec vnde possint aliquomodo distingui inter se.

116 *Secundo arg. & cõtra solutionẽ replicatur.*

Sed contra istam solutionem obstat secundum argumentum: nam D. Thomas 2. Contra Gentes cap. 9. ratione prima, vt probet, quod potentia Dei, & illius actio, sunt idem, sic arguit: *Quæ namque vni, & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem; diuina autem potentia est eius substantia, vt ostensum est cap. præcedenti, eius etiã actio est eius substantia, vt in primo libro ostensum est: igitur in Deo non est aliud potentia, & aliud actio.* Ita ad verbum D. Thomas; at potentia, & actio, non identificantur re, & ratione cum substantia, vel essentia diuina, sed tantum *realiter*, cum distinctione rationis ab illa: ergo ex mente D. Thomæ tenet prædictum principium, non solum quando extrema identificantur cum tertio re, & ratione, sed etiam cum solum *realiter* identificantur cum illo.

117 *Respondet Ferrara.*

Hanc difficultatem, & apparentem antinomiam in doctrina D. Thomæ mouit Ferrariensis *loco nuper allegato*, & respondit, distinctionem *rationis ratiocinantis* extremorum à tertio non obstare, quominus ex identitate reali cum illo realis eorum inter se identitas colligatur, bene tamen distinctionem *rationis ratiocinatæ*, quæ ortum habet ex rebus secundum se, non ex sola imperfectione nostri intellectus, potentia autem, & operatio, *sola ratione ratiocinante* distinguuntur ab essentia diuina: nam si hæc vt est in se concipiatur, claudit omnem perfectionem, & consequenter potentiã, & operationem, quæ perfectionem important: Paternitas vero, & Filiatio, *ratione ratiocinata* distinguuntur ab essentia; quia quamuis diuina essentia, vt est in se, concipiatur, illa in suo intellectu non claudit; cum enim perfectionem non importent, non sunt de conceptu summè perfecti, etiam vt in se concepti, & ideo ex identitate potentiæ, & operationis cum diuina essentia, recte intulit D. Thomas, identificari inter se, quamuis ex identitate relationum cum essentia realis illarum identitas inter se non inferatur.

118 *Reijcitur 1.*

Hæc tamen solutio non placet, primo: quia falsum est, potentiam, & operationem, solum *ratione ratiocinante* ab essentia distingui; vt enim pluribus ostendimus *supra tomo primo disp. 4.* intellectio *ratione ratiocinata* distinguitur à natura Dei; & consequenter cæteræ operationes, *virtualiter*, & *ratione ratiocinata* distinguũtur ab illa. Secundo: nam diuina attributa *virtualiter* distinguuntur inter se, & ab essentia diuina, infrequentiori Theologorum sententia; & tamen ex identitate attributorum cum essentia diuina sequitur identitas attributorum inter se, vt docet Diuus Thomas *quæst. 28. art. 3. ad 2.* nã hæc consequentia est bona: *Misericordia, & iustitia, identificantur cum natura diuina: ergo inter se identificantur*: ergo principium illud non solum tenet quando extrema distinguuntur à medio *ratione ratiocinante*, sed etiam *ratione ratiocinata*.

Secũdo.

119 *Deniq; reijcitur.*

Denique: nam relationes sunt de intellectu essentiæ conceptæ secũdum se: ergo si hæc de causa potẽtia, & operatio, solum *ratione ratiocinante* distinguuntur ab essentia diuina, etiam relationes hoc genere distinctionis respectu essentiæ gaudebunt. Probatur antecedens primo: nam de intellectu essentiæ, conceptæ prout est in se, est quidquid illi vt est in se identificatur; at relationes essentiæ vt in se identificantur: ergo sunt de intellectu illius conceptæ secundum se.

Prob. antecedens 1.

120 *Secũdo.*

Secundo: nam de intellectu essentiæ conceptæ secundum se, est, quod ingreditur diffinitionem datã de essentia vt est in se; sed diffinitionem datam de diuina essentia vt est in se ingrediuntur relationes: ergo sunt de intellectu illius conceptæ prout est in se. Probatur minor: si non ingrederentur diffinitionem datam de essentia prout est in se, differ-

rent

rent essentia,& relationes,diffinitionibus datis de ipsis secundum se; sed hoc affirmari non potest in sententia Diui Thomæ, alias relationes, & essentia distinguerentur *ex natura rei* : nam quæ differunt diffinitione data de ipsis secundum quod sunt in se, *ex natura rei* differunt,relationes autem, & essentia tali distinctione non gaudent : ergo sunt de diffinitione essentia prout est in se.

121 *Tertio probatur antecedēs*

Denique antecedens probatur : nam si relationes non essent de intellectu essentiæ, conceptæ prout est in se, posset videri essentia relationibus non visis ; consequens est falsum, & contra communem Thomistarum sententiā,frequentioremque apud Theologos, de quo iusè egimus *Tomo 1. in primam partem, Tractatu de visione Dei cap. 19.* ergo relationes sunt de intellectu essentiæ conceptæ secundum se.

122 *Vera solutio.*

Quare, omissa hac solutione, ad argumentum respondeo : distinctionem *rationis ratiocinatæ* extremorum à medio non inferre *positivè* distinctionem realem extremorum inter se,sed tantum *permissivè*, hoc est,permittit vt in aliqua materia *realiter* inter se distinguantur, non obstante reali identitate cum tertio, & consequenter non tollit quominus teneat in materia peculiari, licet cum instantia in alia, tūc autem exercetur permissio, quando extrema distinguuntur *ratione* per formalitates importantes oppositionem,& quia Paternitas, & Filiatio in diuinis distinguuntur *virtualiter*, *ratione ratiocinata*, per formalitates oppositas *relatiuè*: fit cō sequens,vt ex reali identitate, quam habent cum essentia diuina, non inferatur *realitèr* inter se identificari potentia autem, & operatio, tametsi distinguantur *ratione ratiocinata* ab essentia, non tamen important formalitates oppositas, & ideō ex illarum identitate cum essentia diuina recte intulit D.Thomas identificari inter se.

Quæ doctrina est expressa D. Thomæ supra quæst. 28. art. 3. ad 2. quod ita procedebat : *Sicut Paternitas, & Filiatio, secundum nominis rationem distinguuntur ab essentia diuina, ita est bonitas, & potentia ; sed propter huiusmodi distinctionem rationis non est aliqua realis distinctio bonitatis, & potentiæ diuinæ : ergo neque Paternitatis, & Filiationis.* Cui argumento ita respondet : *Ad secundum dicendum, quod potentia, & bonitas, non important in suis rationibus aliquam oppositionem, vnde non est similis ratio* : sentit ergo D.Thomas, quod quando extrema *ratione* distincta à medio nō important rationes oppositas, tunc identitas illorum cum tertio arguit identificari inter se, secus autem quando important rationes inter se oppositas.

123 *Explicatio est D.Tho.*

Sed contra istam solutionem obstat tertium argumentum, quo vtuntur Molina,& Vazquez: sequitur namque ex illa, syllogismum expositorium nullius esse vtilitatis; cō sequens est falsum : ergo & tradita solutio. Probatur sequela: vis syllogismi expositorij fundatur in hoc principio, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*; sed si hoc principium solum habeat vim, quando extrema,re,& ratione identificantur cum tertio, nulla est vtilitas syllogismi expositorij : ergo ex data solutione sequitur esse nullius vtilitatis. Probatur minor: quando extrema,re,& ratione identificantur cum tertio, sunt synonoma inter se ; sed nulla est necessitas probandi,synonoma sibi esse idem: ita enim notum est,*vnicam*, & *indumentum*, vniuersaliter idem sibi esse, vt probatione non egeat, imo stultum sit talem probationem inducere: ergo si principium illud solum est vniuersaliter verum,quando extrema,re, & ratione identificantur cum tertio,sequitur,syllogismum expositorium nullius esse vtilitatis.

124 *Tertio arg. & contra solutionem instatur.*

125 *Resp. Mag. S. Thoma.*

Ad hoc argumentum Magist. Sancto Thoma *a.sp.12.art.3.num.* 32. respondent, quando dicit Diuus Thomas, quod quæcumque vni, & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem in illis, quæ sunt idem *re, & ratione*, ly *re & ratione* non esse construēdum cum ly *sunt*, sed cum ly *tertio*, in quo sunt idem, ita vt sensus sit, *quæ sunt eadem vni re, & ratione, & virtualiter vni, sunt eadem inter se*, secus autem quando licet sit vnum *re*, est *ratione*, & *virtualiter* multiplex. Ex quo principio sic explicato non sequitur, solum tenere in synonomis, nec quod syllogismus expositorius nullius sit vtilitatis.

126 *Impugnatur 1. ex D. Thom.*

Hæc tamen solutio, sub venia tanti Magistri, ad mentem D. Thomæ non est, nec vitat inconueniens illatum, sed eadem, si quæ est, premitur difficultate. Primum patet primo ex D. Thoma quæst. 28. art. 3. ad 1. illis verbis: *Dicendum, quod secundum Philosophum in 3. Physicorum, argumentum illud tenet, quod quæcumque vni, & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadē in his, quæ sunt idem re, & ratione, sicut* tunica, & indumentum, *non autem in his, quæ differunt ratione*; sed hæc verba, *in his quæ differunt ratione*, construi nequeunt cum ly *vni tertio*, sed necessario debent construi cum extremis ratione differentibus à medio: ergo explicatio tradita ad mentem D. Thomæ non est.

127 *Secūdo ex eodē D. Tho.*

Secundo ex eodem D. Thoma quæst. 10. de potentia art. 2. ad 7. ibi: *Dicendum, quod sicut Philosophus dicit 3. Physicæ, non oportet quod omnia eadem prædicentur quomodolibet de eisdem, sed solum de eisdem secundum rationē, essentia autem diuina, & Paternitas, etsi sint idem re, non sunt idem ratione, & ideò non oportet, quod quidquid prædicatur de aliquo vno, prædicetur de alio*: ergo iuxta D. Thomam, ideò non prædicatur de Paternitate quidquid prædicatur de essentia, quia licet Paternitas sit idem re cum essentia, ratione differt ab illa; & consequenter, cum docet, principium illud Philosophy solum tenere in his, quæ sunt idem vni tertio, re & ratione, ly *re, & ratione* construi debet cum ly *sunt*, & non tantum cū ly *vni*.

128 *Deinde reijcitur.*

Deinde secundum probatur: nō enim stat, duo identificari cum vno, re & ratione vno, nisi re, & ratione identificentur inter se: ergo si principium Philosophi solum tenet vni uersaliter quando id, cum quo extrema identificantur, est vnum re, & ratione, solum erit vniuersaliter verum inter terminos synonomos. Probo antecedens: eo ipso quod aliquid identificetur cum multis *realitèr*, aut per rationem, est *virtualitèr*, & per rationem multiplex; cum vnumquodque sit id, cum quo identificatur: ergo non stat, duo identificari cū vno, re & ratione, & virtualiter vno, & non esse eadem re, & ratione inter se.

129 *Traditur vera solutio.*

Vnde, prætermissa hac solutione, ad argumētum respondeo negando sequelam, ad illius probationem concessa maiori, nego minorem: vt enim vtilitas syllogismi expositorij saluetur, sufficit, quod quāuis solum inter terminos synonomos habeat vim vniuersalem, & sine instantia illatiuam, inter extrema tamen ratione distincta à medio, quæ synonoma non sunt, habeat vim inferendi in aliqua materia particulari: vt autem ex D. Thoma iam vidimus, principium illud Philosophi verum tenet in extremis identificatis *realitèr* cum medio, quamuis differant ab illo ratione, si non important formalitates oppositas; ac proinde syllogismus expositorius absque vi illatiua vniuersali, cum vi tamen inferendi in materia particulari, vtilis est ad probandū identitatem extremorum inter se ex identitate illorum cum tertio, interueniente distinctione rationis ab illo.

130 *Replica bis.*

Sed dices, sequi ex ista solutione, syllogismum expositorium non esse consequẽtiam formalem, nisi ex terminis synonomis constet; consequés falsum apparet, aliàs nullus syllogismus expositorius probatiuus esset formalis consequentia: ergo solutio tradita est nulla. Probatur sequela: consequẽtia formalis est illa, quæ tenet in omni materia; sed syllogismus expositorius non tenet in omni materia, nisi ex terminis synonomis constet: ergo, cum extrema ratione distinguuntur à medio, syllogismus expositorius consequentia formalis non est.

131 *Resp.*

Respondeo negãdo sequelam ad probationem distinguo maiorem: in omni materia, in qua similis forma saluatur, concedo maiorem: in qua nõ saluatur similitudo in forma, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nã materia, in qua syllogismus expositorius non tenet, non saluat formalem similitudinem: vt enim similitudo formæ saluetur, requiritur quod seruentur omnes proprietates logicales, & si aliquis defectus logicalis contingit, non seruatur formalis similitudo requisita vt instetur aliqua consequentia, & desinat esse formalis. Quod autem ita contingat, patet: nam syllogismus expositorius, in quo ex præmissis non colligitur conclusio, iste est: *Hæc essentia diuina est Pater, hæc essentia diuina est Filius: ergo Filius est Pater*, in isto autem syllogismo duo committuntur defectus, primus, quod medium nõ singularizatur perfectè; quia hæc essentia est communis *realiter* tribus suppositis, secundus, quod tenetur *æquiuocè* in supponendo: nam in maiori accipitur pro persona Patris, in minori pro persona Filij, quæ personæ *realiter* distinguuntur; cum ergo non saluentur in prædicto syllogismo omnes logicales proprietates: fit consequens, quod non sit similis formæ cum isto: *Petrus currit; Petrus est homo: ergo homo currit*, ac proinde, quod licet in illo nõ inferatur conclusio, iste non desinat esse consequentia formalis.

§. Vltimus.

Duplex alia rationis dubitandi solutio.

132 *Secũda communis axiomatis explicatio.*

Secunda solutio est, principium illud Philosophi verum esse vniuersaliter de idẽtitate extremorum quoad rationem identificationis in medio, nõ autem quoad id, quod ratio identificationis non est, & hoc modo intellectum concludit in personis diuinis: Pater namque, & Filius, qui sunt idem essentiæ diuinæ, etiam sunt idem inter se in essentia, aut *essentialiter*; quia essentia ratio est identitatis Paternitatis, & Filiationis cum ipsa, non vero *personaliter*, aut *relatiuè*, sed sic *realiter* distinguuntur, quia personale, & relatiuum, ratio identificationis nõ est. Cum qua solutione coincidit id, quod alij docent, nempè, quæ sunt eadem vni tertio, sũt eadem inter se, vel immediate, vel mediãte illo tertio, & sic etiam in diuinis est verum. quia namque Paternitas identificatur essentiæ, etiam identificatur Filiationi media essentia: est namque idem essentiæ, qua est idem cum Filiatione. ita D. Thomas *in 1. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 2.* Capreol. & Caiet. *vbi supra.* Ferrara 2. *Contra Gẽtes cap. 9.* alijque Recentiores.

133 *Oppones 1.* Si opponas, D. Thomam 2. *Contra Gentes cap. 9.* ex identitate potentiæ, & actionis cum essentia diuina, intulisse identitatem potentiæ, & actionis inter se, non solum mediãte essentia, sed immediatè, & ratione sui: ergo sentit, quæ sunt eadem vni tertio, esse eadem inter se, non solum mediante illo tertio, verum etiã immediatè.

Resp. Respondeo, ex dictis *in solutione secundi argumenti contra primam solutionem*, concesso antecedenti, distinguendo consequens: vniuersaliter, & in omni materia, nego consequentiam: in aliqua peculiari materia, concedo consequentiam: materia autem peculiaris, in qua ex identitate in tertio infertur idẽtitas vtraque, est, cum extrema non distinguũtur à tertio per formalitates oppositas *relatiuè*, qualiter inter diuinas relationes contingit.

134 *Oppones 2.* Si opponas secundo: Paternitas identificatur essentiæ non solum secundum absolutum essentiæ, sed etiã secundum rationem Paternitatis, & idem de Filiatione: ergo si, quæ idẽtificantur vnitertio, identificantur inter se quoad id, in quo cum tertio identificãtur, Paternitas, & Filiatio essent idem, non solum in absoluto, sed etiam in relatiuo; & consequenter *realiter* non distinguuntur:

Repſ. Respondeo, aliud esse identitatis extrema, aliud vero rationem identitatis, extrema identitatis sunt relationes, & essentia, ratio autẽ idẽtitatis non est esse relatiuum relationum, sed absolutum essentiæ; cũ autem asserimus, quæ identificantur medio, idẽtificari inter se quoad id, in quo cum medio identificantur, ly *quoad id* non reduplicat identitatis extrema, sed rationem identitatis. Ex quo non colligitur, Paternitatem, & Filiationem secundũ formalitates relatiuas identificari inter se, sed tantum secundum absolutum essentiæ, & hæc est subtilis Caietani intelligentia, quam non perceperunt, vel percipere noluerunt, vtentes hoc argumento.

Sed dices: ratio identitatis essentiæ cum relationibus non se tenet adæquatè ex parte essentiæ, sed etiã ex parte relationum secundum proprias formalitates: ergo si, quæ sũt idem medio, sunt sibi inuicem idem quoad rationem identificationis cũ medio, relationes diuinæ erunt idem inter se, non solum in absoluto, sed etiam in relatiuo. 135 *Inſtabis*

Probatur antecedens primo: nam relationes diuinæ sunt infinitæ perfectionis: ergo petunt sibi identificare omnem perfectionem diuinam; & consequenter non solum sunt extrema, sed etiam ratio idẽtitatis sui cum diuina essentia. *Antec. prob. 1.* Secũdo: nam relationes creatæ non identificãtur, nec possunt, cum essentia diuina, bene vero relationes increatæ; sed ratio huius discriminis sumitur ex differentia, quæ inter creatas, & increatas relationes versatur: ergo ratio idẽtitatis relationum cum essentia, nedum ex parte essentiæ, sed etiam ex parte relationum desumitur. *Secũdo.* Denique: nam diuinæ relationes, quatenus ab essentia distinctæ, petunt ei identificari; sed ratio huius exigentiæ non potest esse essentia, sicut nec ratio distinctionis, qua relatio ab illa distinguitur: ergo essentia nõ est adæquata ratio identitatis relationum cum illa. *Deniq;*

136 *Resp.* Respondeo distinguendo antecedens: ratio identitatis essentiæ cum relationibus *diuisiuè*, concedo antecedens: cum illis *copulatiuè*, nego antecedens, & consequentiam: quia doctrina D. Thomæ à Caietano explicata intelligitur de ratione identificationis, non cum qualibet relatione seorsim, sed identitatis essentiæ cum omnibus simul sumptis, licet autem attenta identitate essentiæ cum Paternitate, v. c. illius ratio adæquatè non sumatur ex parte solius essentiæ, sed etiam ex parte Paternitatis, quod autem essentia identificetur cum tribus relationibus distinctis inter se realiter, adæquate ex parte essentiæ pensatur: nã attentis proprij relationum rationi-

bus

bus præcisiuê ab essentia absoluta, nulla est inter illas identitas, sed potius sola distinctio, nec amplius antecedentis probationes conuincunt.

137 *Denique; arg.* Denique obijcies: si ex identitate extremorum solum inferretur identitas illorum in medio, esset idem probare per idem, & petitio manifesta principij; sed hoc non est asserendum, aliàs in illo principio non haberet fundamentum argumentum probatiuum: ergo solutio tradita est nulla. Probatur maior: identitas extremorum in medio affirmatur in præmissis: ergo si pro conclusione infertur sola ista identitas, est idem per idem probare, & petere manifeste principium.

138 *Resp.* Respondeo negando maiorem, ad probationem nego antecedens: aliud enim est identitas extremorũ cum medio, aliud vero identitas extremorum in medio. primum namque importat medium vt extremum identitatis aliorum extremorum cũ illo, secundum autem medium importat, non vt extremum, sed vt medium identitatis, extrema vero sunt illa, quorum identitas cum medio in præmissis affirmatur v. c. in hoc syllogismo: *Hæc essentia est Paternitas; hæc essentia est Filiatio: ergo Filiatio, & Paternitas, sunt idem in essentia, inter se, vel eiusdem essentiæ*, in præmissis importatur essentia vt extremum identitatis Filiationis, & Paternitatis, in conclusione autem non sic, sed extrema sunt *Paternitas*, & *Filiatio*, essentia autem medium *in quo*, & ratione cuius inter se idẽtificantur. Vel aliter syllogismus formetur iuxta secundum modum explicandi secundam solutionem, nempê: *Hæc essentia est Paternitas; hæc essentia est Filiatio: ergo Filiatio est essentia, quæ idem est Paternitati*, in præmissis importatur essentia vt adæquatum extremum identitatis, in conclusione autem non vt adæquatum extremum, sed in adæquatum importatur simul cum Paternitate.

Tertia solutio, & illius principij explicatio est, quæ identificantur vni tertio adæquate, saltim ex parte vnius extremi, vniuersaliter esse idẽ inter se; si autem identitas ad quata non sit, saltim vnius extremi cum medio, non inferri vniuersaliter illarum inter se identitatem: dixi saltim ex parte vnius extremi; non enim requiritur identitas adæquata vtriusque extremi cum medio, vt constat in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal; Petrus est homo: ergo Petrus est animal*, in quo licet maior extremitas adæquate identificetur homini, minor autem, scilicet *Petrus*, non est idem omni homini, & tamen recte colligitur affirmatio maioris de minori extremitate, nempê quod Petrus sit homo: In hoc autem syllogismo: *Paternitas est essentia; Filiatio est essentia: ergo Paternitas est Filiatio*, nulla extremitas identificatur essentiæ adæquate, & ideo non colligitur identificari realiter inter se. Solutionem istam tradunt Durandus *in* 1. *dist. inc.* 33. *quæst.* 1. Capreolus, Nazarius, Patres Salmanticenses, Granadus, & Albiz *vbi supra* citati, pro qua etiã refertur Vazquez, sed falso: nam illam expresse reijcit *vbi supra nu.* 3. Illam tamen, etsi alijs terminis explicatam, defendunt Bañez *q.* 28. *art.* 3. & Molina *ibidem disp.* 2. asserentes, principium illud esse vniuersaliter verum, intellectum de identitate cum tertio singulari incommunicabili, essentia autem diuina, tametsi singularis sit, est tamen realiter commmunicabilis, & ideo ex identitate relationum cum essentia non sequitur identificari inter se.

139 *Traditur tertia explicatio*

140 *Contra explicationem arguit Vazq. Resp.* Sed contra illam arguit Vazquez: nam sequitur, principium illud solum habere verum in diffinitione, & diffinito, & in his quæ synonoma sunt; consequens est falsum: ergo explicatio tradita est nulla. Respõdeo negando sequelam, quam prædictus Author nõ probat, nec potest: fiat namque vsum identificari adæquatê

cum alio, idest cum omni, cum quo illud aliud identificatur, & nō se habere vt diffinitionem, & diffinitum: animal enim identificatur homini adæquatè, & tamen non est diffinitio hominis, quodlibet attributum diuinum adæquatè identificatur essētiæ, & tamen non comparatur cum illa, vt diffinitio cum diffinito; nec nomina attributorum, & essētiæ, sūt synonoma: ergo ex eo quod solum teneat prædictum principium, quādo intercedit identitas adæquata cum tertio, non sequitur, solum esse verum in synonomis, & in diffinitione, & diffinito.

141 *Secūdo alij obijciunt.*

Secundo alij Recentiores obijciūt: nam Philosophi probabāt, eo ipso quod eidem indiuisibili termino duo identificarentur, necessario debere identificari inter se: ergo nō admittebant posse duo *inadæquatè* identificari cum tertio; & consequēter explicatio tradita Philosophorum menti aduersatur.

Resp.

Respondeo concedendo totum, quod nullum est inconueniens: etenim Gentiles Philosophi fidei lumine deserti, & solo rationis naturalis lumine ducti, non potuerunt mysterium Trinitatis assequi, in quo solo hæc inadæquata identitas distinctorum *realitèr* cum vno singulari inuenitur: vnde explicatio tradita nō est Gentilis Philosophi, sed Philosophi Christiani, qui fidei lumine instructus, & de mysterio Trinitatis edoctus, Gentilium errores corrigit. Nec ex eo quod mysterium Trinitatis sit contra principium illud, vt à Philosophis intellectū, sequitur, esse lumini naturalis rationis contrarium: licet namque omne, quod illi assequuti sunt, sit rationi naturali conforme, non tamen omne, quod non fuerunt assequuti, rationi naturali aduersatur: Gentiles namque Philosophi nihil supernaturale cognouerunt; & tamen supernaturalia contra naturam non sunt, sed potius conformia naturæ, hoc est, consona, & conuenientia,

142 *Tertio obijciūt*

Tertio obijciunt: nam principiū illud taliter est explicandū, vt forma syllogistica non destruatur; at iuxta explicationem istam destruitur: ergo recta explicatio non est. Probatur minor: nam iuxta hanc explicationem in hoc modo argumentandi, *quæ sunt eadem vni tertio adæquatè, sunt eadem inter se; sed Petrus, & animal idētificantur cū tertio adæquatè: ergo identificantur inter se*, in præmissis affirmatur, quod pro conclusione infertur; ac proinde idem per idem probatur, quod est vitiū petitionis principij; sed hoc vitio syllogistica forma destituitur: ergo illud principiū non est ita explicandum. Probatur minor: duo identificari vni tertio adæquatè consistit in eo, quod idētificentur cum omni, cum quo identificatur illud tertium, & quod hoc non identificetur cum extremis *realitèr* distinctis ad inuicem: ergo idem est, atque extrema identificari inter se; ac proinde cum vi illius principij inferatur identitas extremorum ad invicem, conclusio in præmissis habetur, & idem per idem probatur, & petitur manifeste principium.

143 *Conf.*

Quod amplius vrgeri potest: nam identificari *adæquatè* vni tertio, est hoc vnum non identificari extremis distinctis *realitèr*: ergo inferre duorum identitatem realem inter se, quia quæ identificantur vni tertio *adæquatè*, *realitèr* inter se non distinguuntur, est idem atque inferre, quod nō distinguūtur *realitèr*, quia non distinguūtur *realitèr*, vel quod *realitèr* identificātur, quia *realitèr* identificantur, quod est idem per idem probare, & manifesta petitio principij.

144 *Resp.*

Respondeo concessa maiori, negando minorem, ad illius probationem, nego maiorem, ad cuius probationem concessio antecedenti, nego consequentiam: nam licet non possit stare veritas huius propositionis, *idem non potest identificari realiter extremis distinctis*, cum distinctione reali extremorū inter

se,

se, hæc tamen veritas à prima veritate distinguitur, & per illam rectè probatur hoc syllogismo; *non potest vnum, & idem identificari* realiter *extremis* realiter *distinctis; sed Petrus identificatur* realiter *homini, & animali: ergo animal, & homo* realiter *identificantur inter se.*

145 *Instatur arg.*

Et quidem, si hoc argumentum aliquid probaret, conuinceret, principium *dici de omni* nugatorium esse, & destruere formam syllogisticam, quod patet: nam hoc principium sic explicatur, quod scilicet quidquid prædicatur de subiecto distributo, prædicatur de omni contento sub illo, contra quod formari potest idē argumentum, quod Recentiores cōtra nostram explicationē obijciunt: nam quod prædicatum affirmatum de subiecto distributo debeat affirmari de omni contento sub illo, idē est ac prædicatum non posse identificari subiecto adæquatè, & nō idētificari cum omni eo, cum quo identificatur subiectum: ergo est idem cum principio Philosophi, vt tertio modo explicatum de idēticate adæquata extremorum cum medio; ac proinde si principium illud, vt tertio modo explicatum, nugatorium est, & destruit artem syllogisticam, etiam nugatorium erit principium *dici de omni*, & artem syllogisticam destruet.

146 *Ad cōf.*

Ad confirmationem concesso antecedenti, nego consequentiam: vt enim proximè dicebamus, licet non possit stare, quod vnum idētificetur extremis distinctis *realitèr*, & quod extrema identificata cum ipso, *realiter* inter se distinguātur, est tamen distincta veritas, & per illam rectè probatur in hūc modum arguendo: *Idem non potest identificari extremis distinctis* realitèr: *sed Petrus est idem huic substantiæ, & huic viuēti: ergo hæc substantia, & hoc viuens*, realitèr *non distinguūtur*; ac proinde, inferre, duo aliqua *realitèr* non distingui, quia aliquod identificatur cum illis, & vnum non potest identificari extremis distinctis *realitèr*, nō est idem ac probare, quod non distinguuntur *realitèr*, quia *realiter* non distinguuntur.

147 *Corollariū præcedētis doctrinæ.*

Ex dictis in discursu disputationis colligitur, syllogismum istum expositorium, *hæc essentia diuina est Pater; Filius est hæc essentia diuina: ergo Filius est Pater*, duplici laborare defectu, primus est; medium, nempè *hæc essentia diuina*, non singularizari perfectè; eo quod quamuis essentia diuina singularis, & indiuidua sit; est tamen communis *realitèr* tribus diuinis suppositis, ac proinde in supponendo æquiualet termino communi: vnde sicut hæc consequentia non tenet; *Petrus est homo; Paulus est homo: ergo Petrus est Paulus*, quia medium est cōmune per rationem, ita consequentia à Nobis facta non tenet, quia *realitèr* est commune.

148 *Secūd⁹ defectus explicatur.*

Secundus est (si fortè à primo distinguitur) quod medium tenetur *æquiuocè* in supponendo: nam in maiori supponit pro Patre, & in minori pro Filio, qui *realitèr* distinguūtur: vnde sicut ista consequentia non tenet: *Petrus est homo; Paulus est homo: ergo Paulus est Petrus*; quia homo in maiori accipitur pro vno indiuiduo, & in minori pro alio, ita consequentia à Nobis facta non tenet; quia in maiori accipitur pro vno supposito, & pro alio accipitur in minori: vt ergo in terminis diuinis arguatur, debet singularis distribui hoc modo: *Omnis res, quæ est essentia diuina, est Pater: Filius est res, quæ est essentia diuina: ergo Filius est Pater*, & sic nullus intercedit defectus, sed sicut conclusio est falsa, ita maior syllogismi facti est falsa. Vel aliter: *Hæc essentia diuina secundum omnem sui formalitatem est Pater*; *Filius est essentia diuina: ergo Filius est Pater*, cuius syllogismi maior est falsa: nam licet essentia diuina secūdum aliquam formalitatem sit Pater, non est Pater secundum omnem; cum aliqua illius formalitas sit Fila-

tio, secundum quam non est Pater. Et hac de illa disputatione applicanda litteræ Magistri *in primo* *distinctione secunda §. secundo, & quarto.* Et *distinctione 33. §. 1.*

M.Sēt.

DISPVTATIO OCTVAGESIMA.

TERTIA.

An Trinitas Personarum sit ratione naturali cognoscibilis?

§. I.

Referuntur sententiæ, & prima reijcitur.

Nu. 1. *Aperitur difficultas.*

EX DICTIS *Disputatione præcedenti* cōstat, hoc mysterium à viatoribus fide diuina cognosci; an autem possit ab illis huius mysterij euidens assensus formari media diuina reuelatione illis euidēter nota, aut mediante cognitione clara quidditatiua, aut cōprehēsiua supernaturalium effectuū, quod in præsenti à pluribus controuertitur, propriam sedem habet 2.2. *q.5.art.1.* Et *3.p.q.11.* & ideō *ibi* disputationem remittimus. Solū ergo inquirimº, an trinitas personarū possit naturali ratione cognosci?

Qua in re plures sunt Theologorum sententiæ. Prima docet, non solum non posse cognosci per rationē naturalem, sed etiā esse rationi naturali contrariam trinitatem personarū, seruata essentiæ vnitate. Pro qua refertur Holcot *in 1. distinct. 3.* immerito tamen pro hac sententia referri docet Nazarius *q.32. art.1. cōtrou. vnica.*

2 *Prima sententia.*

Secunda per extremum affirmat, posse intellectum creatum in puris naturalibus conditū euidentes probationes huius mysterij inuenire. Pro quā refertur Raymundus Lulius, quem tamen excusat Vazquez. Ricardus de Sancto Victore *lib. 1. de Trinitate cap.4. lib.3.cap.5.* Et *lib.9.cap.1.* Henricus *quodliteto* 8.

3 *Secūda.*

q.14. Et Gerson *Alphabeto litt. H.* In illam inclinare videtur Maior *in* 1. *dist.* 2. *q.* 10. *art.* 3. de intellectu separato in nuda constituto natura, ab ea tamen recedit ob Patrum, & maximè Dionysij, authoritatem.

4 *Tertia.* Tertia docet, non supposita mysterij reuelatione non posse euidenti ratione probari, illa tamen suppositа, posse rationes naturales conuincentes intellectum inueniri, in quo sensu explicandos probat Vazquez *disput.* 133. *cap.* 1. quatuor primos Authores *pro se unda sententia* relatos.

5 *Communis sententia.* Quarta communis, & vera Theologorum sententia docet, hoc mysterium contrarium rationi naturali non esse, nec illi conforme, taliter quod possit euidenti ratione probari, nec ante reuelationem, nec reuelatione suppositа. Ita omnes Scholastici, præter nuper allegatos, cum Magistro *in primo distinctione* 2. vbi Bonauētura *p.* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. Durandus *ibidem q.* 4. & *quæst.* 1. *in prologum sententiarum num.* 40. & *quæst.* 2. *num.* 16. D. Thomas *distinc.* 3. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæst.* 10. *de veritate art.* 13. & *infra quæst.* 32. *art.* 1. vbi Caietanus, Bañez, Zumel, Illustrissimus Episcopus Araujo, M. Sancto Thoma, Serra, & alij discipuli D. Thomæ. Tenent etiam discipuli Scoti cum ipso *in* 1. *distinc.* 3. *quæst. vltima ad* 1. & *quæst.* 1. *Prologi ratione* 3. Ex Patribus Societatis Molina *in præsenti quæst.* 32. *art.* 1. Vazquez *disp.* 133. *cap.* 2. & *tertio.* Suarez *lib.* 1. *de Trinitate cap.* 11. & 12. alijque recētiores. Pro cuius explicatione sit

6 *Prima conc. Ratio communis expēditur* Prima conclusio: *Mysterium Trinitatis non est rationi naturali cōtrarium.* Hæc conclusio est adeò certa, vt oppositum nullatenus possit defendi. Et ratio communis est: verum vero non potest esse contrarium; sed mysterium Trinitatis est verum: ergo non potest esse rationi naturali, quæ etiam est vera, contrarium. Quod amplius explicari potest: nam id, quod non est obiecto rationis naturalis contrarium, non opponitur naturali rationi; sed mysterium Trinitatis non est contrariū obiecto rationis naturalis: ergo nec ipsi naturali rationi. Minor probatur: obiectum rationis naturalis est verum; sed verum non potest contrariari cum vero: nam duo contraria simul vera esse non possunt: ergo mysterium Trinitatis, cuius veritas Catholicè negari non potest, nequit esse obiecto rationis naturalis contrarium.

7 *Aliter idē arg. prop.* Vel aliter potest idem argumentū explicari, & vrgeri: illud est rationi naturali contrarium, quod contrariatur termino naturalis inclinationis naturæ, vt est rationalis sed mysterium Trinitatis non contrariatur termino naturalis inclinationis naturæ rationalis: ergo non est rationi naturali contrarium. Maior constat paritate peccati, quod ideo contrariatur naturæ rationali, vt actiuæ *moraliter*; quia contrariatur termino inclinationis naturalis naturæ, vt appetitiuæ, nempè virtuti, in quam natura rationalis inclinat, vt volitiua: ergo pariter idem dicetur naturæ rationali, vt intellectiuæ, contrarium, quod contrariatur termino inclinationis naturalis naturæ, quatenus intellectiuæ. Minor autem eadem paritate, aut exemplo, probatur: nam sicut natura rationalis, quamuis quoad elicientiam sit indifferens ad actum bonum, & malum, per inclinationem tamen solum propendit in bonum, ita vt intellectiua, tametsi quoad elicientiam sit indifferens ad assensum verum, & falsum, per inclinationem tamen solum in assensum verū tendit, qui solus perfectiuus est intellectus; sed mysteriū Trinitatis non est, nec esse potest assensui vero contariū, vt manet probatum: ergo contrarium nō est termino inclinationis naturalis naturæ vt intellectiuæ; & consequenter non est rationi naturali contrarium.

§. II.

Diluuntur contraria argumenta.

8 *Arguitur* 1. SEd oppones aduerſus iſtam concluſionem primo : ratio naturalis dictat, quod quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe ; ſed huic principio opponitur myſteriũ Trinitatis: ergo contrariatur rationi naturali. Reſpondeo primo, naturalem rationem dictare, quod quæ ſunt eadem vni tertio, re, & ratione, ſint eadem inter ſe, quod autẽ quæ ſunt eadem vni tertio *realitèr*, non tamen *ratione*, ſint eadem inter ſe, nó dictari per rationem naturalem, nec etiam eius oppoſitum, vt *ſequẽti concluſione* conſtabit; perſonæ autem Sanctiſsimæ Trinitatis non idẽtificantur cum diuina eſſentia *realiter*, & *ratione*, & ideô myſteriũ Trinitatis non opponitur illi principio, prout à ratione naturali dictatur.

Prima ſolutio.

9 *Secũda ſolutio.* Secundo reſpondeo, rationẽ naturalem dictare, quæ ſunt eadẽ vni tertio *adæquatè*, eſſe eadem inter ſe, quod autem quæ identificantur vni tertio *abſolutè*, ſint eadem inter ſe, non dictari à ratione naturali, nec oppoſitũ illius, atque adeó hoc myſterium non opponitur præfato principio, vt lumine rationis naturalis cognoſcitur.

Tertia ſolutio. Vel tertio dicatur, rationem naturalem dictare, quæ ſunt eadẽ vni tertio eſſe idem inter ſe quoad rationem identitatis cum tertio, non autem dictari ab illa, quod in vniuerſum ſint idem abſolutè inter ſe, atque diſtinctione reali, ſed circa hoc ratio naturalis ſuſpéditur: perſonæ autem Trinitatis inter ſe ſunt idem in eſſentia diuina, quæ eſt medium, & ratio identitatis: vnde quãuis *realitèr* inter ſe diſtinguantur, non ſequitur, myſterium hoc rationi naturali aduerſari.

10 *Replicabis.* Sed dices: ratio naturalis dictat, & euidenter cognoſcit, quod quæ ſunt eadem vni tertio in creaturis, quamvis diſtinguantur *ratione*, sũt eadem inter ſe abſque illis limitationibus: ergo etiam dictat vt euidenter verum, quod quæ identificantur vni tertio *abſolutè*, quamuis diſtinguantur *ratione*, identificãtur *realitèr* etiam in Deo. Patet conſequẽtia: quod namque id, quod *realitèr* ab alio procedit, *realitèr* diſtinguatur ab illo, non ſolum in creaturis, ſed etiam in Deo, à ratione naturali dictatur; at hoc nó alia de cauſa, niſi quia ratio naturalis dictat, idem à ſe ipſo non poſſe in creaturis procedere : ergo ſi dictat quod *realiter eadem* vni tertio in creaturis, quamuis *ratione* diſtincta, ſunt ſibi inuicem eadem abſque illis limitationibus, id ipſum dictabit in Deo.

11 *Conf.* 1. Explicabis, & confirmabis primo : ratio naturalis dictat, diſtinctionem ſolam rationis, aut virtualẽ, non ſufficere ad eſſe terminum, & principium realis proceſsionis: ergo etiam dictat, non ſufficere diſtinctionem rationis, vt quæ *realitèr* identificantur in tertio, non ſint eadem *realitèr* inter ſe. Vel aliter cõfirmabis: non minus dictat ratio naturalis, non poſſe idem *realitèr* à ſe ipſo diſtingui, quàm non poſſe idem realiter à ſe ipſo procedere; ſed hoc ſecundum dictat vt verum vniuerſaliter, etiam in Deo : ergo & primũ; ſed huic principio opponitur myſterium Trinitatis : ergo contrariatur rationi naturali. Minor probatur: nam eſſentia diuina *realitèr* ſumpta, *realitèr*, à ſe ipſa ſumpta *realitèr*, diſtinguitur; cum ſecundum aliquid ſibi *realitèr* identificatum diſtinguatur *realitèr* ab alio ſibi idẽ-

Secũdo.

tifi-

tificato, nempè *à Filiatione Paternitas* : ergo mysterium distinctionis realis personarum in vnitate essentiæ repugnat præfato principio.

12 *Resp.* Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam : non enim ex eo quod aliquid in creaturis repugnet, potest euidèter inferri quod repugnet etiam in Deo ; cum sit ita superioris, & eminentis naturæ. Ad probationem nego causalem: non enim ideò ratione naturali dictatur, terminum processionis realis *realitèr* à principio distingui vniuersaliter, etiã in Deo, quia in creaturis ita contingat, aliàs ratione naturali euidenter constaret, terminũ procedentem ab alio, nedum *personaliter*, sed etiam in natura, & essẽtia, ab illo distingui *realitèr*, etiam in Deo ; cum inter creaturas sola personalis distinctio non sufficiat, sed necessario intercedat distinctio realis in natura : ideó ergo per rationẽ *naturaliter* cognoscitur; quia ex terminis ipsis constat, non posse realẽ processionẽ absque reali distinctione intercedere; non enim importatur minus in procedente *realitèr realis distinctio* à principio, à quo procedit, quam in relato *realitèr* à termino relationis; cum non minus repugnet idem à se ipso procedere, quam idem referri ad se ipsũ, quod autẽ relatũ à termino distinguatur, ex ipsis terminis constat: nam referri est opponi *relatiuè*, opponi autẽ *relatiuè*, est *realitèr relatiuè* distingui, & ipsa oppositio est distinctio. Et ex his ad primam confirmationem constat solutio.

13 *Secũda cõfirm. diluitur.* Ad secundam dicatur, idem *realitèr*, à se ipso *realitèr* distingui, solum verificari in hoc sensu, quod vnũ identificat sibi realitatem *realitèr* ab alio sibi identificata distinctam: In hoc autem sensu etiam verificatur, idem à se ipso procedere: nam essentia diuina identificat sibi Filium *realitèr* procedentem à Patre identificato eidem essentiæ: vnde quamuis hæc propositio, *essentia Filij ab essentia Patris procedit*, falsa, & hæretica sit; quia significatur per illam realis distinctio essentiæ diuinæ in personis, hæc tamen propositio, *essentia Filij secundum aliquid sibi identificatum procedit*, vera, & catholica est, nec potest ab vllo negari : nam Filius identificatus essentiæ procedit à Patre etiã essentiæ identificato.

14 *Instabis* Sed adhuc instabis: ratio naturalis dictat realem distinctionem inter principium, & terminum processionis vt veram vniuersaliter: ergo etiã dictat vt vniuersaliter verum, identitatem cum pluribꝰ distinctis realiter inter se, non posse vni, eidemque competere. Patet consequentia : nã secluso fide dicente mysterium Trinitatis, non minus hoc, quam illud, ratio naturalis interret : ergo æquè est vtrumque rationi naturali conforme. Probatur antecedens: secluso fide solum posset ratio naturalis ex creaturis assensum formare ; sed assensu ex creaturis formato æquè vtrique veritati assentiret; cum inter creaturas æquè repugnet vtrumque; ergo secluso fide, æqualiter ratio naturalis in vtrumque inclinaret.

15 *Resp.* Respondeo concesso anteceedenti negando consequentiam. Ad probationem nego antecedens, ad huius probationẽ, nego maiorem: vt enim *supra* asserebamus, realis distinctio inter principium, & terminum realis processionis, vt vniuersaliter necessaria, nõ colligitur à Nobis, quia in creaturis ita contingat, aliàs colligeretur vt vniuersaliter necessaria realis distinctio in natura, sed quia ex ipsis terminis constat: non autem constat ex terminis, non posse idem duobus *realitèr* distinctis identificari, & aliàs ex eo quod ita in creaturis contingat, non licet id argumentari in Deo, & ideò primum ratio naturalis dictat, secundum autẽ non ita, nec illud secluso fide necessario dictaret ; quia in tota natura non inuenitur principium id inferens necessario, quod si intellectus illi propositioni assentiret, non verũ, sed omino falsum assensum eliceret.

Ex quo tantum ſequitur, myſterium Trinitatis opponi aſſenſui naturali falſo.

16 *Secũdo arg.* Secundo principaliter obijcies: quod contrariatur aſſenſui naturali probabili eſt contrarium naturali rationi, ſed myſterium Trinitatis opponitur aſſenſui naturali probabili: ergo contrariatur rationi naturali. Illatio tenet. Maior patet: tũ, quia ratio naturalis abſtrahit à probabili, & euidenti, vel certa: ergo quod opponitur aſſenſui naturali probabili, opponitur rationi naturali. Tũ etiam: quia natura rationalis nõ ſolum inclinat in aſſenſum euidẽtem, & certum, ſed etiam in aſſenſũ probabilem; cum nõ ſolum aſſenſu euidenti, & certo, ſed etiam probabili perficiatur: ergo quod opponitur aſſenſui naturali probabili, contrariatur termino naturalis inclinationis naturæ vt intellectiuæ; & conſequentẽr ipſi intellectiuæ naturæ, & rationali natnræ aduerſatur.

17 *Minor prob.* Minor autem ſuadetur: nam ſi intellectus creatus viribus proprijs relictus, manuductusque ex creaturis, aſſenſum erga myſterium Trinitatis formaret, non affirmatiuum, ſed negatiuum aſſenſum eliceret; at iſte aſſenſus, licet falſus, eſſet probabilis, imô & apparenter euidens. ergo myſterium Trinitatis opponitur aſſenſui naturali probabili. Maior cõſtat: nam aſſenſus ſic formatus procederet ex his, quæ in rebus creatis contingerẽt, quas intellectus ſuis viribus cognoſceret, ex his autem non poteſt aſſenſus affirmatiu⁹ erga myſterium Trinitatis deduci, imô nec ſuſpicio illius: ergo eſt negatiuus aſſenſus. Minor autem probatur: nã aſſenſus probabilis eſt, qui innititur probabilibus motiuis; ſed iſte aſſenſus niteretur motiuo probabili, imô euidenti apparenter, ſola ratione naturali conſulta: ergo eſt aſſenſus probabilis.

(?)

§. III.

Singularis ſententia reijcitur, & vera ſolutio traditur.

18 *Doctrina P. Albiz.* HOc argumento conuictus Albiz *q. 31. diſp. 5. ſect. 1.* diſtinguit rationem naturalem in obiectiuam, & formalem, iſtam diuidit in radicalem, & actualem, & hanc ſubdiuidit in rationem naturalem rectam, hoc eſt, veram, aut euidentem, & in rationem naturalem non rectam, hoc eſt, falſam, probabilem tamen, & apparenter euidentẽ, & aſſerit primo, non eſſe contra rationem naturalem *radicalitèr* sũptam; quia illã non deſtruit. Secundo, eſſe ſupra rationem naturalem ſumptam *obiectiuè*, non autem eſſe contrariam obiecto naturalis rationis. Tertio, non eſſe contra rationẽ naturalem actualem rectam, hoc eſt, euidentem, aut veram, eſſe tamen contra rationem naturalem actualem falſam, probabilem tamen, & apparenter euidentem, quam natura rationalis ſibi relicta de hoc myſterio formaret. Addit tamen, abſolutè eſſe dicendum, non eſſe contra rationem naturalem ſumptam *formalitèr*, quia ratio naturalis dicta abſolutè ſemper ſtat pro ratione recta.

19 *Primũ iſti⁹ Authoris dictũ reijcitur.* In cuius Authoris doctrina diſplicet primo cauſalis illa, qua ducitur, vt myſterium Trinitatis non ſit contra rationem naturalem *radicalitèr*, aut in actu primo ſumptã;

quia

quia,nempè,non destruit illam. Tú, quia peccatum in communi Theologorum sententia est contra naturam rationalem; & tamen illam non destruit: ergo quod mysterium Trinitatis non destruat rationem naturalem *radicalitèr* sumptam,non probat quod illi non contrarietur. Tum etiam: nam si mysterium Trinitatis opponeretur termino naturalis inclinationis rationis naturalis *radicalitèr* sumptæ, illi vt sic esset contrariũ;& tamen ex hoc non destrueret radicem naturalis rationis , vt constat in peccato,quod est contrarium bonitati, ad quam natura rationalis inclinat,& tamen illam non destruit:ergo quod mysterium Trinitatis non destruat rationem naturalem *radicalitèr* sumptam , non probat quod illi non contrarietur.

20 *Tertia istius Authoris assertio pro 2.p. reijcitur.*

Secundo displicet valde istius Authoris doctrina , in eo quod asserit, mysterium Trinitatis contrariũ esse rationi naturali actuali probabili: nam ex illa sequitur, probabile esse, quod Trinitas personarum in vna essentia non sit; consequens absurdum est:ergo & tradita doctrina. Sequela patet: nam mysterium Trinitatis,in istius Authoris sententia, est contrarium rationi actuali probabili ; sed ratio actualis , cui hoc mysterium contrariatur,est assensus actualis, quo intellectus sibi relictus assentiret huic propositioni, *Trinitas personarum in vna essentia nõ est*: ergo assensus negans mysterium Trinitatis probabilis est ; & consequenter probabile est , Trinitatem personarum vnius essentiæ non dari.

21 *Minor ostenditur 1.*

Minor autem ostenditur primo: nam propositio *contradictoriè* opposita propositioni necessariô veræ non potest esse probabilis ; sed propositio affirmans mysterium Trinitatis est necessario vera: ergo illius contradictoria nequit esse probabilis;& consequenter nec assensus negatiuus huius mysterij probabilis esse potest.

Secũdo.

Secundo : nam si est probabile , mysterium Trinitatis non esse, etiam est probabile, Deum mendacem,& falsum esse;consequens est absurdum : ergo tradita doctrina est falsa. Probatur sequela: si est probabile , mysterium Trinitatis non esse, etiam est probabile, falsam esse propositionem affirmantem illud ; sed Deus testificatur mysteriũ Trinitatis:ergo est probabile, Deum testificari falsum.

22 *Tertio prob. falsitas cõsequẽtis*

Tertio falsitas consequentis probatur: nam assensus probabilis non solum est ineuidens,sed etiam incertus, & consequenter non solum euidentia, sed etiã certitudo illi opponitur, sed propositio euidenter vera non potest terminare dissensum probabilem ratione euidentiæ : ergo quæ est certô vera, quãuis obscura, & ineuidens, nõ potest ratione certitudinis dissensum probabilẽ terminare. Tunc vltra; sed propositio affirmans mysteriũ Trinitatis est certa, quamuis obscura, & ineuidens: ergo dissensus illius probabilis esse nequit.

23 *Dices.*

Dices , hoc argumento probari, dissensum mysterij Trinitatis nõ esse absolutê probabilem, nõ autẽ quod non sit probabilis sola ratione naturali consulta , & hoc secundum, non primum,ab hoc Authore doceri.

Sed contra 1.

Sed contra primo : nam quod à ratione est probabile , absolutê probabile est ; cum habeat probabilitatem intrinsecam , quæ penes rationum momenta pensatur ; sed absurdum est asserere , esse absolutê probabile mysterium Trinitatis non esse : ergo absurdum est concedere , esse probabile,ratione naturali consulta.

Secũdo.

Secũdo: nã satis absurdũ apparet dicere,quod sit probabile,stãdo rationi naturali,mysterium Trinitatis nõ esse; sed vt dissẽsus mysterij Trinitatis sit probabilis ratione naturali consulta,debet esse probabile, attẽta naturali ratione,quod mysterium Trinitatis non sit : ergo affirmare,

dissensum mysterij Trinitatis probabilem esse, ratione naturali consulta, absurditate non caret.

24 *Quarto prob. fal sitas cõsequentis.*

Quarto: nam vt consulta ratione naturali probabile sit, mysterium Trinitatis non esse, requiritur, quod obiecta cognita per rationem naturalem potius in non esse, quam in esse Trinitatis inclinent; sed obiecta naturalia non magis in non esse, quàm in esse Trinitatis personarum inclinant: ergo etiam sola ratione naturali consulta non est probabile, mysterium Trinitatis non esse; & consequenter nec dissensus illius. Minor constans videntur: tum, quia non est vnde hæc maior inclinatio proueniat. Tum etiam: quia obiecta supernaturalia quoad esse, & non esse, sunt supra omnem exigentiam, & inclinationem naturæ. Maior autem probatur: nam ideò ex creaturis cognitis naturali ratione non fit probabile mysterium Trinitatis quoad esse; quia non inclinant in illud: ergo si non magis in illius esse, quam in illius non esse propendunt, non potest ex illis cognitis probabiliter non esse huius mysterij deduci.

25 *Resp.*

Dices, hoc argumento conuinci, negationem Trinitatis personarum non esse probabilem ex obiectis naturalibus inspectis secundum se, non autem quod probabilis non sit ex illis cum intellectu nostro comparatis, qui, cum sibi relictus, & fidei lumine destitutus, non possit nisi ex his, quæ naturaliter cognoscit, discurrere, & in illis implicare cognoscat distinctionem realem extremorum cum identitate in medio, si assensum erga mysterium Trinitatis eliciat, non affirmatiuum, sed negatiuum formabit, negando distinctionem personarum cum vnitate in essentia, quod nedum probabile, verum etiam euidens iudicabit, solum inspectis his, quæ potest naturaliter cognoscere.

26 *Sed cõtra.*

Sed contra: nam ex hoc tantum colligitur, dissensum mysterij Trinitatis fore apparenter probabilem, si formetur ex obiectis naturaliter cognitis, non autem esse re ipsa probabilem; sed doctrina Authoris, quem impugnamus, non procedit de apparenti, sed de vera probabilitate: ergo solutio tradita non saluat huius Authoris doctrinam. Probatur minor: aliter enim loquitur prædictus Author de euidentia, ac de probabilitate; cum doceat, si ex solis naturalibus intellectus iudicaret de mysterio Trinitatis, formaturum assensum probabilem falsum, euidentem tamen apparenter; sed si probabilitas solum esset apparens, nulla esset differentia inter euidentiam, & probabilitatem; cum vtraque solum esset apparens, & neutra reuera esset: ergo sentit, euidentiam prædicti dissensus esse solum apparentem, probabilitatem autem non apparentem, sed veram.

27 *Secũdo argumẽto resp.* 1.

Vnde solutione ista vt omnino falsa relicta, & reiecta, ad secundam obiectionem respõdeo primo distinguendo maiorem: quod contrariatur assensui probabili vero, concedo maiorem: assensui probabili falso, nego maiorem, & distinguo minorem: contrariatur assensui naturali probabili vero, nego minorem: falso, transeat minor, & nego consequentiam. Itaque quamuis falsum censeamus, mysterium Trinitatis opponi assensui naturali probabili, dato tamen quod opponeretur illi, dum falsus esset, inde non colligeretur, mysterium Trinitatis esse rationi naturali contrarium: tum, quia ratio naturalis absolutè sumpta non abstrahit à ratione falsa, & vera, sed determinatè pro ratione vera supponit: Tum etiam: quia id dicitur ratione naturali cognosci, quod natura dictante cognoscitur, natura autem rationalis assensum falsum non dictat.

28 *Deniq; doctrina solutionis prob.*

Tum denique: quia id dicitur rationi naturali contrarium,

quod

quod opponitur termino naturalis inclinationis illius, natura autem rationalis, etsi possit assensū falsum elicere, non tamen inclinat in illum, sed tantum in assensum verum, sicut quamuis in ordine appetitiuo sit *elicitiuè* indifferens ad actum virtutis, & vitij, *inclinatiuè* tamen hac indifferentia non gaudet, sed solum in virtutis actum inclinat: vnde sicut virtus contra naturam rationalem non est, quamuis sit vitio contraria, quia non inclinat in vitium, hoc autem contra naturam rationalem est, quia contrariatur virtuti terminanti inclinationem naturæ rationalis; ita mysterium Trinitatis, quamuis demus contrariari assensui naturali probabili falso, non sequitur, esse rationi naturali contrarium; quia ratio naturalis non inclinat in assensum falsum probabilem, sed tantum in assensum certum, euidentem, aut probabilem verum. Iuxta quā doctrinam ad primā probationem maioris, quatenus distinctioni traditæ potest obstare, distinguo antecedēs: abstrahit à ratione probabili vera, à certa, & ab euidenti, concedo antecedens: à ratione probabili falsa, nego antecedens, & consequentiam. Ad secundam distinguo antecedens: inclinat natura rationalis in assensū probabilem verum, cōcedo antecedens: in assensum probabilem falsum, nego antecedens, & consequentiam, nego etiam quod natura rationalis perficiatur assensu probabili falso, sed tantum assensu vero, certo, euidenti, aut probabili.

29 *Obijcies* Sed dices. natura rationalis inclinat in habitum opinatiuum: ergo etiam in assensum probabilem. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur: natura rationalis inclinat in omnem virtutem intellectualem; sed habitus opinionis non est vitium, sed virtus in linea intellectualis, solus autem habitus erroneus est in prædicta linea vitiosus: ergo inclinat rationalis natura in habitū opinatiuum.

30 *Resp.* Respondeo distinguendo antecedens: inclinat in habitum opinatiuum, vt potentem elicere assensum probabilem verum, concedo antecedens: vt potentem elicere assensum probabilem falsum, nego antecedēs, & consequentiā, cui distinctioni non obstat antecedentis probatio: nam habitus opinatiuus est virtus, prout inclinat in assensum probabilem verum, prout autem in assensum probabilem falsum inclinans, nō virtus, sed vitium est, nec perficit, sed potius imperficit intellectum; cum illum à termino suæ naturalis inclinationis remoueat, quod est verum non apparenter, sed verè tale, sicut terminus inclinationis naturæ rationalis vt volitiuæ est bonum non apparens, nec abstrahens ab apparente, & vero, sed determinatè bonum verum.

31 *Instabis* Instabis: est dabilis actus falsus ab habitu virtutis procedens; sed in omnem actum ab habitu virtutis elicitum inclinat rationalis natura: ergo ratio naturalis in assensum falsum inclinat. Minor cū consequentia tenet. Maior autem probatur: iudicium namque regulans adorationem hostiæ verè non consecratæ ex malitia Sacerdotis, & illam adorandam voluntati proponens, est *speculatiuè* falsum; quandoquidem iudicat hostiam illam verè consecratam, quæ reuera consecrata non est; sed iudicium illud à virtute prudentiæ infusæ procedit: ergo est dabilis falsus assensus ab habitu virtutis procedens.

32 *Resp.* Respondeo, actum falsum, vt falsum, non posse nec à virtute morali, nec à virtute intellectuali procedere, actus autem sumptus in argumento, licet sit *speculatiuè* falsus, est tamen *practicè* verus, quia iuxta regulas prudentiæ procedit, & ideò potest elici, non quidem à virtute intellectuali principaliter speculatiua; quo circa iudicium illud non elicitur à fide, quæ principaliter in verum speculatiuum incli-

nat, sed ab habitu prudentiæ, quæ licet in intellectu resideat, est tamen virtus moralis, & verum practicum principaliter attendens. Ex quo tãtum sequitur, posse naturam rationalem inclinare in actum falsum *speculatiuè*, & *practicè* verum, non qua ratione falsus est, sed quatenus practicam veritatem, & moralem bonitatem sortitur. Nec ex hoc infertur, posse rationem naturalem inclinare in dissensũ mysterij Trinitatis: quia in tali dissensu, nec speculatiua, nec practica veritas, nec moralis bonitas potest reperiri, quod tamen necessarium erat, vt in illum naturalis ratio inclinaret.

33 *Resp. 2. principali argum.*

Secundo ad principalem obiectionem respondeo permissa maiori, negando minorem. Ad probationem distinguo minorem: esset probabilis vera probabilitate, nego minorem: probabilitate apparenti, concedo minorem, & nego consequentiam, vel distinguo consequens: est cõtrarium assensui apparenter probabili, concedo consequentiam: assensui verè probabili vera probabilitate, nego consequentiam. Contra quã distinctionem non vrget minoris probatio: nam motiua, quibus inniteretur dissensus mysterij Trinitatis, nõ inclinant de se magis in illum, quam in assensum contrarium, ac proinde non sunt probabilia probabilitate vera, sed ad summum probabilitate apparenti ex defectu, & ignorantia intellectus suis viribus relicti ad iudicandum de altissimo Trinitatis mysterio.

†††††††††††††††††††††††††
†††††††††††††††††††††††††
†††††††††††††††††††††††††
†††††††††††††††††††††††
†††††††††††††††††††††
†††††††††††††††††††
†††††††††††††††††
†††††††††††††††
†††††††††††††
†††††††††††
†††††††††
†††††††
†††††
†††
†

§. IV.

Mysterium Trinitatis esse supra rationem naturalem euidentem probatur.

34 *Secũda cõclusio*

SEcunda conclusio: *Nullus intellect⁹ creatus potest naturali ratione euidenter demonstrare existẽtiam huius mysterij, siuè ante reuelationem, siuè reuelatione diuina suppositа.* Ita omnes Theologi, præter allegatos *supra*, in eo gradu certitudinis, vt oppositа sentẽtia à pluribus censeatur hæretica, & ab omnibus saltim omnino indefensabilis iudicetur. Fauet Ecclesiæ Patrũ vniuersalis consensus. Augustinus *lib. 1. de Trinit. cap. 2. in principio.* Ambrosius *lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5.* Athanasius *in epist. ad Serapionem circa mediũ.* Iustinus *in expost. fidei.* Hilarius *1. de Trinit.* Et D. Tho. *q. 10. de verit. art. 13. q. 9. de potentia art. 5. in corp. In 1. dist. 3. q. 1. art. 4.* Et *in præsenti q. 32. art. 1.* & alij, quos Recentiores allegant *in præsenti.*

Cẽsura contrariæ sententiæ.

35 *Prob. testimonijs Scripturæ.*

Quæ cõclusio solet pluribus Scripturæ testimonijs ostendi, duo tamen sufficiant. Primum habetur Matthæi 11. illis verbis: *Nemo nouit Filiũ nisi Pater, & cui voluerit Filius reuelare.* Ex quibus apertè cõstat, notitiam Filij, & cõsequenter Trinitatis personarũ, sola reuelatione posse obtineri, ac proinde non posse viribus naturæ euidenter demonstrari. Secundum habetur Matthæi 16. capitulo, vbi Petrus Christum Dei filium naturalem confessus à Christo laudatur his verbis: *Beatus es Simon Bar-iona: quia caro,*

& sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est; sed nomine carnis, & sanguinis. non intelligitur sola cognitio intellectus ministerio sensuum habita, sed quæ haberi potest ab intellectu creato ex suis viribus naturalibus: ergo ex illis non potest euidens cognitio mysterij Trinitatis haberi. Patet minor; nam Christus cognitionem carnis, & sanguinis, contraposuit reuelationi Patris; sed cognitio ministerio sensum habita non contraponitur illi adæquatè; cum restet alia à sensibus independens, qualis est cognitio Angelica, & animæ separatæ: ergo nomine carnis, & sanguinis, nó intelligitur sola cognitio ministerio sensuum habita, sed etiam illa, quæ vi natiua intellectus omnis creati potest haberi.

35 *Secúdo ratione D. Th.*

Secundo probatur ratione D. Thomæ *in præsenti quæst. 32. art. 1.* nam demonstratio, vel est *à priori*, vel *à posteriori*: sed neutro ex his modis potest ab intellectu creato mysterium Trinitatis euidenter demonstrari: ergo non potest viribus naturalibus intellectus *demonstratiuè*, aut *euidentèr*, cognosci. Illatio est in forma. Maior importat adæquatã diuisionẽ demonstrationis. Minorem pro prima parte probant aliqui: nam demonstratio *à priori* procedit à causa ad effectum; Trinitas autem causam non habet, & cõsequenter *à priori* demonstrari non potest.

37 *Nõ vrget probatio minoris.*

Hæc tamen ratio non vrget: quia demonstratio *à priori* non petit ex causis, quæ formaliter sint causæ, procedere, sed vel ex causis, vel per rationem *à priori*, vt constat in Metaphysica, quæ *à priori* demonstrat de ente suas proprietates, quarũ tamen causa nõ datur, sed tantũ ratio *à priori*; cum entitas à suis proprietatibus *realiter* nõ distinguatur, & consequenter nequit esse illarũ causa *formalitèr*, sed ad summum *virtualitèr*: constat etiã in Theologia, quæ *à priori* demonstrat attributa de Deo, & tamen diuinitas non est *formalitèr* attributorum causa, sed tantum ratio *à priori*; sed Trinitas personarum, etsi in Deo causam non habeat, habet tamen rationẽ *à priori*; cũ relationes, quibus constituuntur personæ, præsupponant naturam diuinam, & in illa *virtualitèr* radicentur: ergo ex defectu causæ non rectè probatur, esse indemonstrabilem, demõstratione *à priori*, Trinitatem personarum.

38 *Aliter minor pro 1. p. prob.*

Vnde aliter suadetur: nã demonstratio *à priori*, intellectui creato viribus naturæ possibilis, procedit per causam, vel rationem *à priori*, *comprehensiuè*, aut *quidditatiuè* cognitã, vel saltim cognitam *quoad an est*, prout radicem proprietatis demõstrandæ; sed diuinitas, quæ sola potest esse ratio *à priori* Trinitatis personarum, non est cognoscibilis ab intellectu creato, suis viribus relicto, *comprehensiuè*, aut *quidditatiuè*, nec etiam *quoad an est*, prout radicat Trinitatem personarum: ergo intellectus ex proprijs nequit Trinitaté personarum *à priori* demonstrare.

39 *Pro 2. p. suadetur.*

Deinde pro secunda parte probatur: nam demonstratio *à posteriori* procedit ex cognitione effectus ad causæ cognitionem; sed ex cognitione effectuum nõ potest euidenter Trinitas personarum cognosci: ergo nõ potest existentia Trinitatis ab intellectu creato demonstrari *à posteriori*. Probatur minor: effectus cognitus, siuè *quidditatiuè*, siuè *comprehensiuè*, nõ ducit in cognitionẽ causæ, nisi sub ea ratione, sub qua per se à tali causa procedit; sed effectus cogniti ab intellectu creato non procedũt per se à Deo, quatenus trino, sed solum quatenus vno: ergo ex illis, etiã *comprehensiuè* cognitis, nõ potest cognitio Trinitatis haberi. Maior est certa: nã cognitio causæ in effectu fundatur in dependentia effectus à causa; & consequentèr ex effectu cognito non potest causa cognosci, nisi sub ea ratione, qua terminat dependentiam illius.

40 *Minor ostenditur 1.*

Minor autem ostenditur primo: nã creaturæ procedunt per se à Deo

ratione omnipotentię, per modũ virtutis proximæ,& ratione naturæ,vt principij radicalis;ſed omnipotẽtia, & natura,Deo conueniũt pro priori ad relationes,quibus conſtituuntur perſonæ: ergo per ſe non dependẽt à Deo,quatenus trino,quod per relationes præſtatur,ſed à Deo,quatenus vno. *Secũdo.* Secundo: nam illud, quo per impoſsibile ablato adhuc effectus maneret, non petitur ab effectu per ſe; ſed dato per impoſsibile, quod Deus non eſſet trinus, adhuc manerent creaturæ: ergo creaturæ per ſe non procedunt à Deo, vt trino,ſed ſolum,vt vno.

41 *Ratio hæc probat, etiã reuelatione ſuppoſita.* Quæ ratio non ſolum probat de intellectu creato ante huius myſterij reuelationem,ſed etiam illa ſuppoſita:nam intellectus creatus,etiam reuelatione huius myſterij ſuppoſita, non poteſt proprijs viribus diuinitatem cognoſcere *cõprehenſiuè*, aut *quidditatiuè*, vt exploratũ eſt apud omnes: ergo etiam reuelatione ſuppoſita non poteſt proprijs viribus trinitatem perſonarum *à priori* demonſtrare. Quod autem nec etiam *à poſteriori* eadẽ ratione probatur: nam reuelatio non dat creaturis à Deo cauſatis efficienter dependentiam per ſe à Deo, quatenus trino; ſed quia ante relationem à Deo vt trino non dependent, non poteſt ex illis cognitis trinitas perſonarum euidenter cognoſci:ergo ex illis,adhuc reuelatione ſuppoſita, nõ poteſt euidens cognitio trinitatis perſonarum haberi; & conſequenter etiam reuelatione ſuppoſita nõ poteſt trinitas perſonarum *à poſteriori* demonſtrari.

42 *Conf.* Quod amplius explicari poteſt:nã reuelatione ſuppoſita, vel intellectus procedit ad probandũ trinitatis exiſtentiam ex principijs reuelatis, & ſupernaturali lumine cognitis, vel ex ſolis principijs cognitis per vires naturæ? Si primum,non demonſtrat naturali,ſed Theologica demõſtratione. Si ſecundum,non poteſt exiſtentiam trinitatis euidenter demõſtrare: ergo etiã ſuppoſita diuina reuelatione non poteſt Trinitatis exiſtentia ab intellectu creato ſuis viribus relicto *demonſtratiuè* cognoſci. Minor pro prima parte eſt nota: nam demonſtratio Theologica eſt, quæ ex duobus, vel ex vno tantum principio reuelato,procedit,& conſequenter naturalis demõſtratio petit procedere ex vtroque principio cognito per vires naturæ: ergo ſi reuelatione ſuppoſita procedit intellectus creatus ad inferendam exiſtẽtiam trinitatis ex aliquo principio reuelato,& ſupernaturaliter cognito, non demonſtrat illam naturali, ſed Theologica demonſtratione. Deinde pro ſecũda parte probatur: nam principia, quæ poſſunt ab intellectu creato proprijs viribꝰ cognoſci,æquẽ poſt reuelationẽ,ac ante reuelationem,manent in connexa cũ Deo,quatenus trino;ſed defectu cõnexionis cum Deo,quatenus trino, non poſſunt ante reuelationem cognitionem euidentem trinitatis perſonarum inferre: ergo adhuc reualatione ſuppoſita non poteſt ex illis cognitis euidens cognitio Trinitatis deduci.

43 *Nec ſub ratione poſsibilis poteſt myſterium Trinitatis euidenter cognoſci* Ex quibus obiter colligo,nec etiã ſub ratione poſsibilis poſſe myſteriũ Trinitatis euidẽter cognoſci per rationem naturalem. Quod patet:nam ſi poſſet euidẽter demõſtrari vt poſsibile, poſſet euidenter demonſtrari vt exiſtens;at hoc repugnare oſtẽdimus: ergo etiam repugnat per rationem naturalem vt poſsibile demonſtrari. Maior patet: nam euidẽs eſt,& naturali lumine notum, Deo actu conuenire omne poſsibile ipſi; cum eſſe nequeat in potẽtia ad aliquam perfectionem, vel intrinſecam entitatem,aliàs ſummè actualis, & actus purus non eſſet: ergo ſi poſſet per rationem naturalem demonſtrari,& euidenter cognoſci myſterium Trinitatis vt poſsibile, poſſet etiam demonſtrari vt de facto in Deo exiſtens.

(?)

§. V.

Argumentis in cõtrarium occurritur.

44 *Arguitur 1.*

COntra istam conclusionẽ Raymundus Lulius plura argumẽta congesit, quæ euidentia, & demonstratiua censuit, illis tamen omissis, quia nullius momenti sunt, potest contra illam argui primo: nã communicatio naturæ diuinæ ad intrinseca potest ratione naturali euidenter cognosci; sed illa cognita, mysteriũ Trinitatis cognoscitur: ergo huius mysterij existentia potest per vires naturæ euidenter demõstrari. Maior, in qua sola est posita difficultas, ostenditur primo: cum enim natura boni sit esse diffusiuum sui, est naturæ lumine notum, omne bonum posse se communicare, & diffundere iuxta ipsius conditionẽ: ergo naturali ratione cognoscitur, bonum finitum posse communicari *finitè*, & bonum infinitum, qualis est natura diuina, posse cõmunicari *infinitè*; sed solam communicationem ad intra esse posse infinitam *simplicitèr*, etiam est naturali lumine notum: ergo potest per lumen naturæ euidenter demonstrari, & cognosci communicatio naturæ diuinæ ad intra. Secundo: nã de quacumque potentia est demonstrabilis actus, saltim sub ratione possibilis; sed communicatio ad intra est actus potentiæ diuinæ, vt sui communicatiuæ: ergo potest demonstrari de illa, saltim sub ratione possibilis, quo dato, etiam posse demonstrari, vt existentem, constat ex dictis.

Maior prob. 1.

Secũdo.

45 *Resp. Ad 1. prob. maioris*

Respondeo negando maiorem, ad primam probationem concesso antecedenti, distinguo consequens: posse bonum infinitum communicari *infinitè* ex parte modi, concedo consequentiam: ex parte rei communicatæ, nego consequentiam, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet communicatio diuinæ bonitatis ad extra non sit infinita ex parte rei communicatæ, est tamen infinita ex parte modi, quo Deus se ad extra communicat, & sola hæc infinitas communicationis potest in Deo demonstrari possibilis, nõ vero cõmunicatio infinita ex parte rei cõmunicatę.

46 *Ad 2.*

Ad secundam distinguo maiorem: à cognoscente potentiam, concedo maiorem: à non cognoscente illam, nego maiorem, & distinguo minorẽ: est actus naturæ diuinæ vt communicabilis ad intra, communicabilitate cognita per vires naturæ, nego minorẽ: incognoscibili per tales vires, concedo minorem, & distinguo cõsequens: potest demõstrari per vires naturæ, nego cõsequentiam: mediãte lumine gratiæ, transeat cõsequẽs: nam solus ille intellectus potest demõstrare possibilitatẽ actus, qui potest potentiam cognoscere: cũ ergo intellectus creatus non possit per vires proprias cognoscere potentiã se cõmunicandi ad intra, quæ conuenit naturæ diuinæ: fit consequens, quod nec possit demonstrare possibilitatẽ huius communicationis.

47 *Obijcies*

Sed dices: non minus est cõformis bono infinito cõmunicatio infinita ex parte rei cõmunicatæ, quã bono finito cõmunicatio ex parte rei finita; sed quia hæc est bono finito cõformis, potest de illo demõstrari per rationẽ naturalẽ: ergo de bono infinito poterit ratione naturali demostrari possibilis cõmunicatio infinita, nõ solũ ex parte modi, sed etiã ex parte rei cõmunicatæ; & consequenter erit naturali lumine cognoscibilis potẽtia se communicandi ad intra, & actualis communicatio.

48 *Resp.*

Respõdeo distinguẽdo maiorẽ: in rẽ, cõcedo maiorem quoad nos, nego maiorem, & concessa minori nego consequentiam: nam vim se communicandi bono creato conuenientẽ, per proprias vires cognoscimus; est enim proportionata viribꝰ nostri

intellectus, virtutem autem Dei ſe communicandi ad intra non poſſumus proprijs viribus cognoſcere; quia non ſuppetunt nobis huiꝰ cognitionis principia, ſola ratione naturali conſulta, & ideò quamuis in re, ita ſit naturæ communicatio ad intra conformis, ſicut bono creato eſt conformis ſua propria communicatio, hæc poteſt à nobis per naturæ vires cognoſci, ſecus autem illa.

49 *Inſtabis* Sed inſtabis adhuc: lumine naturæ conſtat, perfectionem eſſe ſibi ſimile generare; ſed etiam lumine naturæ cognoſcitur, Deo eſſe omnẽ perfectionem tribuendam: ergo eodem lumine conſtat, eſſe generationem in Deo; & conſequenter ſuppetunt ſufficientia principia, ſola ratione naturali conſulta, ad inferendam in Deo communicationem realem ad intra.

50 *Reſp.* Reſpondeo diſtinguendo maiorẽ: eſſe perfectionem ſine vlla imperfectione, nego maiorem: eſſe abſolutè perfectionem, concedo maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam Deo ſolum debet attribui perfectio deputabilis ab omni imperfectione, quod autem generatio ſibi ſimilis in natura poſsit ab omni imperfectione nudari, non poteſt viribus naturæ cognoſci; ad hoc enim neceſſarium eſſet, quod lumine naturæ conſtaret poſsibilis generatio ſine naturæ diſtinctione in genito, & generante; cũ eo ipſo, quod generatione partiatur, diuidaturque natura, maxima imperfectio intercedat: generationẽ autem poſsibilem ſine multiplicatione in genito, & generante, nulla ratio naturalis, aut naturale principium, ſuadet, & ideò nequit ratione naturali conſtare poſsibilitas generationis in Deo.

51 *Secũdo arg.* Secundo arguitur: quod enim eſt conforme lumini naturali, poteſt ex vi illius euidenter cognoſci; ſed myſterium Trinitatis eſt conforme rationi naturali: ergo poteſt demonſtrari, aut euidenter cognoſci, ex vi illius. Conſequutio cum maiori tenet: quod enim eſt conforme naturæ rationali, eſt conforme naturali rationi; ſed myſterium Trinitatis eſt conforme natnræ rationali: ergo & naturali rationi. Minor oſtenditur primo: virtutes namque ſupernaturales, etſi ſint ſupra naturam, ſunt naturæ rationali conformes: ergo idem dicendum eſt demyſterio Trinitatis. Secundo: nam obiectum actus, naturæ rationali conformis, eſt conforme eidem naturæ; ſed myſterium Trinitatis eſt obiectum actus fidei, & beatificæ viſionis, qui actus ſunt valdè conſoni, & conformes, naturæ rationali: ergo myſterium ipſum conſonat, & congruit rationali naturæ.

52 *Reſp.* Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem, ad probationẽ, diſtinguo maiorem: quod eſt conforme naturæ rationali, vt actiuæ *naturalitèr*, eſt conforme rationi naturali, concedo maiorem: quod eſt conforme naturæ rationali, vt eleuabili, & actiuæ *obedientialitèr*, eſt cõforme rationi naturali, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nec amplius cõuincunt duæ probationes minoris: virtutes namque ſupernaturales, actus fidei, & viſio beatifica, non ſunt conformes naturæ rationali, vt actiuæ *naturalitèr*, ſed *eleuabilitèr*, & *obedientialitèr*, ac proinde ex iſta conformitate ſolum poteſt colligi conformitas cum natuta rationali vt actiua *obedientirlitèr*, ex quo genere conſonantiæ non ſequitur, poſſe per rationem naturalẽ euidenter cognoſci, ſed quod poſsit à natura rationali cognoſci euidenter per actus ſupernaturales, ad quos eſt in potentia obedientiali. Et quidem argumentum in eiſdem exẽplis inſtatur: nã dona illa ſupernaturalia, quamuis ſint naturæ rationali conformia, nequeunt euidenter per rationem naturalem cognoſci.

53 *Replicabis.* Sed dices: Deus, vt vnus, non eſt minus ſupernatutalis, quam Deus, vt trinus, ſed nõ obſtante hac ſupernaturalitate, Deus vt vnus, eſt con-

for-

formis naturæ rationali, vt actiuæ *naturaliter*: ergo non obstante supernaturalitate Dei, vt trini, erit prout sic naturæ rationali conformis, nedum vt actiuæ *obedientialitèr*, sed etiam vt est *naturalitèr* actiua; & consequenter erit rationi naturali conformis.

54 *Resp.* Respondeo, Deum, vt trinum, nõ ideô non esse conformẽ naturæ, vt actiuæ *naturalitèr*, & rationi naturali, quia est supetnaturalis *entitatiuè*, sed quia etiam in ratione cognoscibilis euidenti cognitione supernaturalis est; eo quod non habet cõnexionem *formalitèr* cum aliquo effectu creato cognoscibili *naturalitèr*; licet autem Deus, vt vnus, sit supernaturalis *entitatiuè*, non minus, quam Deus, vt trinus, in ratione tamen cognoscibilis *quoad an est à posteriori* supernaturalis nõ est, quia vt sic habet connexionem *formaliter* cum effectibus naturalibus, quos naturalis ratio euidẽter potest cognoscere, & consequenter Deus, vt vnus, qua ratione est talium effectuum causa, in ratione cognoscibilis non in se, & cognitione immediata, & quidditatiua, aut intuitiua, sed cognitione mediata *quoad an est à posteriori*, nempê in effectibus creatis, supernaturalis non est.

55 *Instabis* Si opponas: cognoscibilitas sequitur entitatem: ergo si Deus, vt vnus, est *entitatiuè* non minus supernaturalis, quam vt trinus, etiam in ratione cognoscibilis æquê supernaturalis erit. *Resp.* Respondeo, verum esse antecedens de cognoscibilitate immediata: hæc enim commensuratur cum entitate, ad quam sequitur, falsum autem de mediata, & in alio: hæc enim non sequitur absolutê entitatem, sed vt connexam cum illo, in quo, vel ex quo cognoscitur; & quia in hac connexione est discrimẽ inter Deum, vt vnum, & vt trinum: nam sub prima consideratione est *formalitèr* cum effectibus cõnexus, secus autem sub secunda; fit consequẽs, quod licet æquiparẽtur Deus vt trinus, & vnus, in cognoscibilitate immediata quoad rationem supernaturalis, in mediata discriminẽtur, & Deus sit, vt vnus, *naturalitèr* cognoscibilis hoc genere cognitionis ab intellectu creato suis viribus relicto, secus autem Deus, vt trinus, ab intellectu creato suis viribus nudè consideratis.

Sed instabis: effectus creati non solum cum Deo, vt vno, sed etiam cum Deo, vt trino, habent *formalitèr* connexionem: ergo si Deus, vt vnus, est cognoscibilis *naturalitèr* ratione huius cõnexionis cognitione *à posteriori*, & in alio, eodem modo erit *naturalitèr* Deus, vt trinus, cognoscibilis. Antecedens probatur: effectus causati à Deo dependent ab illo vt in se, & cum illo vt in se connectuntur: nam hæc connexio in dependẽtia cõsistit; sed Deus, vt in se, est *formalitèr* trinus, trinitate personali: ergo connectuntur *formalitèr* cum Deo, quatenus trino in personis. 56 *Replicabis.*

Respondeo negando antecedẽs, ad probationem cõcessa maiori, distinguo minorem: Deus, vt est in se, est *formalitèr* trinus, formalitate rei, concedo minorem: formalitate principij, nego minorem, & consequentiam: nam ex vi effectus, vt dependẽtis à causa, solum est cognoscibilis causa secundum prædicata illi conuenientia *formalitèr*, formalitate causæ, & principij, nõ vero quæ illi *formaliter* insunt, formalitate rei, trinitas autem personarum etsi Deo, vt in se, *formalitèr* cõueniat, formalitate rei, non conuenit illi per se *formaliter*, formalitate causæ, & principij creaturarum: quia ab effectibus vt sint, & causentur, non petitur per se in Deo; cum illa per impossibile ablata, per locum ab intrinseco non desinerent esse, & causari, & solum id est formale in causa, formalitate principij, quod per se exigitur ab effectibus, & ideô ex effectibus cognitis, aut in illis, non potest trinitas personarum cognosci, nec cum Deo vt trino, *formalitèr* connectuntur. 57 *Resp.*

Sed

58 *Vrgebis contra istã solutionem.*

Sed vrgebis aduersus istam solutionem: imago ab eo, cuius est imago, dependet per se, vt à principio; cum de ratione imaginis sit similitudo, non quælibet, sed similitudo expressa, & deducta, vt cum D. Tho. *infra quæst. 93. art. 1. & sequentibus*, docent communiter Theologi; sed vt D. Thomas docet *art. 5. quæstionis nuper relatæ*, homo est imago Dei, non solum quoad naturam diuinam, sed etiam quantum ad Trinitatem personarum, in quo etiã omnes Theologi consentiunt, constatque ex illo Geneſis primo: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: ergo per se dependent, non solum à Deo quatenus vno, sed etiã quatenus trino; & consequenter Trinitas personarũ conuenit *formaliter* Deo, formalitate causæ, & principij.

59 *Resp.*

Respondeo distinguendo maiorẽ: imago dependet per se ab eo, cuius est imago per se, concedo maiorem: ab eo, cuius est imago non per se, sed quasi per accidens, attenta eius exigentia, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequẽtiam: vt enim docet D. Tho. *art. 5. citato*, homo est imago Dei, vt trini, quia imitatur diuinam naturam, & hæc in tribus suppositis inuenitur, quod autem natura Dei in tribus inueniatur suppositis, licet illi per se competat propter suam infinitatẽ, ab homine tamen, vt Deum imitante, & ab ipso procedente, non exposcitur per se: vnde quod hæc imitatio; & consequenter ratio imaginis in homine, non fistat in Deo, vt vno, sed transeat ad Deum, vt trinum, licet non sit absolutè dicendum, quod sit peraccidens, propter perfeitatem entitatiuam ipsius diuinitatis, est tamen peraccidens cum addito, nempẽ attenta existentia hominis, vt dependentis à Deo, & ideò homo per se est imago Dei, prout est vnus in essentia, Dei tamen, quatenus trini, nõ per se, sed peraccidens cum addito, scilicet, attenta propria exigẽtia; ac perconsequens ex vi cognitionis hominis nequit euidens cognitio Trinitatis haberi.

60 *Tertio arg.*

Tertio arguitur: ideô Deus vt vnº cognoscibilis est *naturaliter* cognitione euidenti *quoad an est*, quia illa, quæ naturaliter cognoscuntur à nobis, cum illo vt sic connectũtur; sed plura cognoscibilia ab intellectu creato connectuntur, cum Deo, quatenus trino: ergo prout sic per vires intellectus creati potest euidenter *à posteriori* cognosci.

61 *Minor prob. 1.*

Minor, in qua solum est posita difficultas, probatur primo: potentia obedientialis creata connectitur cum gratia, & visione beatifica; & consequenter etiam cum Deo vt trino, saltim vt obiecto, mediatè cõnectitur; sed huiusmodi potẽtia cognoscitur ab intellectu Angelico, cognitione naturali: tum, quia cognitio naturalis Angeli intuitiua est respectu propriæ substãtiæ; & consequenter formalitatẽ sibi idẽtificatã, qualis est potentia obedientialis, attingit: tum etiã, quia se ipsum comprehendit; & consequenter nihil sui propriam cognitionem latet, potẽtia autem obedientialis ad ipsum Angelũ pertinet: ergo aliquid cognoscibile *naturaliter* ab intellectu creato connectitur cum Deo, quatenus trino.

Secũdo.

Secundo probatur: nam visio beatifica est cũ Deo, vt trino, *essentialiter* connexa; sed visio beatifica potest per vires naturæ demõstrari possibilis, vt docuerunt Scotus *in 4. distinct. 49. q. 8.* Et Vazquez *1. 2. disp. 20. cap. 2.* Et *in hac 1. p. disp. 15. cap. 15.* quibus adhæsit Doctor Mõtesinos *2. 2. disp. 7, q. 1.* saltim Dei reuelatione suppositã: ergo obiectum *naturaliter* cognoscibile ab intellectu creato connexionem habet cum Deo, quatenus trino.

62 *Tertio prob.*

Tertio probatur: nam habitudo, siuè conuenientiæ, siuè disconueniẽtiæ, cum termino habitudinis habet connexionem intrinsecam; sed creaturæ dissimiles sunt Trinitati; & cõsequenter ad Deum, vt trinum, referuntur relatione dissimilitudinis:

ergo

ergo habent connexionem intrinsecam cum Deo, quatenus trino.

Denique, prob. Denique probatur: effectus namque non solum cum causa efficienti, sed etiam cum exemplari connectũtur; cum etiam ab exemplari causa dependeant; sed quamuis effectus creati non sint per se à personis Diuinis *efficientèr*, aliqui tamẽ *exemplaritèr* causantur ab illis, vt *Paternitas* à Patre, *Filiatio creata* à Filio, & *impulsus creatus* ab Spiritu Sancto, & *personalitas creata* est participatio personalitatis diuinæ *exemplaritèr*: ergo in effectibus creatis *naturalitèr* ab intellectu nostro cognoscibilibus datur cum Trinitate personarum connexio.

63 *Resp. Ad 1. min. prob.* Respondeo concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem concessa maiori, nego minorem: Angeli enim naturali cognitione nõ cognoscunt potentiã obedientialem, qua creatura rationalis est capax donorum supernaturaliũ. Nec obstat, quod cognitio sui in Angelo sit intuitiua: nam de ratione intuitionis non est terminari ad omnes formalitates obiecto identificatas, nisi omnes cõtineãtur intra spheram cognitionis, potentia autẽ obedientialis, quamuis sit *entitatiuè* naturalis, est tamen supernaturalis *terminatiuè*: vnde non continetur intra spheram cognitionis naturalis, atque adeô quamuis sit idetificata cum obiecto terminante intuitionem naturalem, non petit, nec potest tali intuitione cognosci. Nec etiam obstat secunda probatio minoris: nam cognitio comprehensiua naturalis non petit obiectum adæquatè comprehendere, sed tãtum *adæquatè naturaliter*, idest, terminari ad omnia, quæ in obiecto sunt *naturalitèr* cognoscibilia, qualis non est potentia obedientialis, vt *proximè* dicebamus, & ideo quamuis cognitio sui in Angelo sit sui comprehensio, non sequitur, tali cognitione attingi potentiam obedientialem, qua est in potentia receptiua donorum supernaturalium.

64 *Ad 2.* Ad secundam nego minorem: vt enim cum frequẽtiori sententia docebimus *tractatu de beatitudine*, possibilitas visionis beatificæ non potest ab intellectu creato per proprias vires *demonstratiuè* cognosci, nec ante reuelationem, nec reuelatione supposita. Quod si contraria sententia probabilis admittatur, cõcessis maiori, & minori, distinguendum est consequens, & concedendum de cognitione *quoad an est* sub ratione possibilis, negandum autem de cognitione *quidditatiua* entitatis cum Trinitate connexæ, in entitate autem cõnexa cum Deo, vt trino, non petit Trinitas ipsa cognosci, nisi entitas connexa saltim *quidditatiuè* cognoscatur, si autem solum cognoscatur *quoad an est* sub ratione possibilis, non est necessariũ, quod obiectum talis entitatis cognoscatur secundum omnia terminantia connexionem: Vnde in illa sententia est dicendum, posse intellectum demonstrare possibilitatẽ visionis intuitiuæ Dei abstrahendo an Deus sit tantum vnus, vel vnus in essentia, & trinus in personis, ex cuius visionis possibilitate cognita no colligitur possibilitas mysterij Trinitatis. Quod si concedatur, posse intellectum creatum proprijs viribus demonstrare possibilitatem visionis intuitiuæ Dei, vt trini, nequit consequenter negari, quod intellectus creatus possit euidẽter cognoscere mysterium Trinitatis sub ratione possibilis, nisi alia sententia admittatur, quam Vazquez *alibi* docuit, asserens quod licet in effectu cognito causa euidenter *quoad an est* cognoscatur, in actu respiciente obiectum non posse euidenter cognosci obiectum; eo quod ordo actus ad obiectum omnino extrinsecè cõparatur ad illud.

65 *Ad 3.* Ad tertiam dicatur, habitudinem non connecti *formalitèr* nisi cũ formali termino, vel extremo, formale autem extremum habitudinis distinctionis creaturæ à Deo trino, nõ est Deus trinus, sed est ens increa-

tum:

tum: Trinitas namque ex hac ratione communi distinguitur à creaturis, atque adeò solum cũ Trinitate, vt est ens increatum, connectitur *formaliter* hæc habitudo. Ex quo vlterius sequitur, solum rationem entis increati cognosci in creatura, vt *naturalitèr* cognita; quia in habitudine, etiam vt comprehensa, nõ cognoscitur materiale illius extremum, vel terminus materialis, sed tantum formale extremum, vel terminus formalis. Quod si detur in creaturis habitudo aliqua distinctionis *formalitèr* Trinitatem respiciens, hæc habitudo non erit cognoscibilis *naturalitèr*; quia licet naturalis sit *entitatiuè*, est supernaturalis *terminatiuè*, vt de potentia obedientiali asseruimus.

66 *Ad 4.* Ad vltimam concessã maiori de idæa, vel exemplari per se, nego minorem: vt enim docet D. Thomas *supra quæst.* 15. *art.* 1. idæa, vel exemplar in Deo, est ipsa diuina essentia, quæ est potentia operandi cognita, vt diuersimode à creaturis imitabilis, proprietates autem personales in Deo non sunt principium agendi, & consequenter, nec *exemplaritèr* ad alicuius creaturæ efficientiam concurrunt ratione illius, quod addunt supra absolutas perfectiones diuinas, ratione cuius distinguunt, & constituunt personas.

67 *Instabis primo.* Sed oppones primo: non minus imitatur relatio creata relationem diuinam, nec minus cũ illa conuenit, quam sapientia creata sapientiã diuinam; sed ob istam imitationem sapientia creata *exemplaritèr* causatur à sapientia diuina: ergo relatio creata etiam causatur *exemplaritèr* à diuina relatione.

Secũdo. Secundo: nam diuina bonitas nõ est Deo principium effectiuum agẽdi; & tamen est exemplar bonitatis creatæ: ergo quamuis proprietates personales non sint Deo principium agendi, esse poterunt exemplar perfectionum creatarum.

Tertio. Denique: nam personalitas creata est participatio personalitatis diuinæ; tum, quia ita asseruimus *supra*: tum etiam, quia sub conceptu incommunicabilis non est participatio perfectionis absolutæ: nã omnis perfectio absoluta communicabilis est; sed non est participatio personalitatis diuinæ in genere causæ efficientis: ergo est participatio illius, saltim in genere causæ exemplaris.

68 *Resp. ad 1. replicam.* Ad primam ex his obiectionibus respondeo negando maiorem: imitatio nãque perfectionis creatæ ad increatam non est secundum conuenientiam formalem, sed eminentialem: vnde diuina essentia, prout cõtinẽs *eminentèr* hominem, est idæa hominis, & sic de alijs creaturis, relatio autem diuina, cũ ratione illius, quod addit ad essentiam, perfectionem non dicat, non continet *eminẽtèr* relationem creatam, ac proinde licet hæc cum illa non minus conueniat *logicè* in ratione relationis, quã sapientia creata cum increata in ratione sapientiæ, non tamen inde infertur, relationem creatam ita imitari diuinã, & *exemplaritèr* ab illa causari, sicut sapientia creata imitatur increatam, & exemplatur ab illa.

69 *Ad 2. resp. dupliciter* Ad secundam dicatur, veram esse maiorem de principio radicali, & proximo effectiuo *exequutiuè*, falsam autem de principio effectiuo exemplari: exemplar namque, aut idæam, ad artificiatum *efficientèr* concurrere, & non solum per modũ extrinsecæ formæ, docent communiter discipuli D. Thomæ *supra q.* 15. *art.* 1. Vnde cum bonitas diuina sit idæa, & exemplar bonitatis creatæ, effectiuum, & non solum formalem exercet cõcursum: qualiter autẽ idæa effectiuẽ concurrat, non est nostrum explicare in præsenti, sed solum supponere.

Secundo respondetur consequenter addicta *supra disp.* 43. §. *vndecimo*, negãdo minorẽ: vt enim *ibi* docuimus, sola diuina essentia, vt distincta ab attributis, est idæa creaturarum.

Ad

70 *Ad 3.*

Ad tertiam distinguo maiorem; secundum id, quod implicitè includitur in personalitate diuina, nempè, secundum rationem subsistentiæ absolutæ, concedo maiorem: secundum expressum personalitatis diuinæ superadditum ad lineam absolutam, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris, ratio autem, quare personalitas creata non sit participatio personalitatis diuinæ ratione illius, quod addit ad perfectiones absolutas, constat ex dictis: quia, nempè, ratione expliciti superaddi-ti perfectionem non dicit, & consequenter nequit *eminentèr* continere personalitatem creatam, quod necessarium erat, vt hæc illam participaret, Nec obstat, subsistentiam absolutam non esse incommunicabilè, sed potius communem: nam licet non sit *formalitèr* incommunicabilis, est incommunicabilis *eminentèr*, sicut Deus non discursiuus *formalitèr*, est *eminenter* discursiuus, & sicut hoc sufficit vt discursus hominis participetur ab intellectiuo Dei, & exempletur ab illo, ita sufficit vt personalitas creata sit participatio subsistentiæ diuinæ, & ab illa *exemplariter* causetur.

71 *Replic. 1.*

Si opponas primo: incommunicabilitas, per quã personalitas creata constituitur, non est perfectio *formalitèr*, aliàs personalitas Verbi, vt personalitas est à subsistentia absoluta distincta, non potuisset terminare naturam humanã, illamque incommunicabilem reddere: ergo potest in personalitate diuina, quamnis perfectionem non dicat, *eminenter* contineri. *Secũdo.* Secundo: personalitas Verbi, vt distincta à subsistentia absoluta, suplet vices, personalitatis creatæ terminando humanitatem; sed nisi illam *eminentèr* contineret, non posset illius vices suplere: ergo personalitas diuina ratione illius, quod addit ad subsistentiam absolutam, continet *eminentèr* personalitatem creatam; & consequenter hæc illius est participatio, & ab illa *idæaliter, exemplariterque* causatur.

72 *Tertio.*

Tertio: non enim potest negari, esse sententiam probabilem, personalitatẽ diuinam ratione illius, quod addit supra perfectiones absolutas, perfectionem importare; sed ista sententia admissa, personalitas diuina potest continere *eminentèr* personalitatem creatam; & consequenter potest illam *exemplariter* causare: ergo saltim est probabile, quod personalitas creata *exemplariter* causetur à personalitate diuina, vt distincta à perfectionibus absolutis, & idem de relatione creata respectu relationis diuinæ; & consequenter poterunt in persona creata, & in creata relatione cognitis *comprehensiue*, cognosci persona diuina, & diuinæ relationes.

73 *Resp. ad 1. replicam.*

Respondeo ad primam replicam; incommunicabilitatem conuenientem personæ creatæ, etsi non exprimat perfectionem *formalitèr*, præstari tamen ab entitate modali absoluta, quæ perfectio est, & ideò non posse *eminentèr* contineri nisi in aliquo perfectionem dicente; Verbi autem personalitas ratione illius, quod explicat, & addit subsistentiæ absolutæ, reddit humanitatem Christi incommunicabilem, incommunicabilitate relatiua increata, quæ perfectio non est secundum expressum conceptum.

74 *Ad 2.*

Ad secundam dicatur, duo à personalitate creata præstari propriæ naturæ, primum est independentia ab alio, tanquam à sustentante, quod perfectio est: secundum, incõmunicabilitas alteri, vt supposito terminãti, quod perfectionẽ nõexplicat: primũ suplet personalitas Verbi ratione subsistentiæ absolutæ, quã *implicitè* includit, vt modificatæ subsistentia relatiua Verbi: secundũ suplet personalitas Verbi ratione conceptus expliciti superadditi ad perfectiones absolutas diuinas, ad quod non est necessarium, quod contineat *eminenter* continentia effectiua incommunicabilitatem, quam

su-

ſupplet, ſed ſufficit illam continere *eminenter formaliter*.

75 *Ad 3.* Ad tertiam permiſſa maiori, nego minorem: nam licet addat in illa ſententia perfectionem ad naturam, eſt tamen perfectio relatiua, quæ cum nullius ſit actiuitatis, ita expers eſt omnis continentiæ eminentialis: eſt enim inconueniens, quod Deus pro priori ad relationes non contineat omnem perfectionẽ creabilem *eminentèr*; ſi autem relationes diuinæ *eminentèr* continerent aliquas perfectiones creabiles, Deus pro priori ad illas tales perfectiones *eminentèr* non contineret.

76 *Obijcies.* Sed dices: Deus pro priori ad relationes ſupponitur ſummè perfectus *formalitèr*; & tamen hoc non obſtãte in ſententia, quam admiſimus, relationes ſuperaddunt perfectionem relatiuam formalem: ergo quãuis ſupponatur ſummè perfectus *eminenter* pro priori ad relationes, poterunt ſuperaddere ad naturam diuinam perfectionem eminentialem, vel eminentialem continentiam alicuius perfectionis creabilis.

77 *Reſp.* Reſpondeo diſtinguendo maiorem: ſupponitur ſummè perfectus *formaliter* perfectione omnis lineæ, nego maiorem: perfectione lineæ abſolutæ, concedo maiorem, & conceſſa minori nego conſequentiam: nam in ſententia, quæ docet, relationes ſuperaddere ad eſſentiam perfectionem relatiuam, Deus pro priori ad relationes, licet ſupponatur ſummè perfectus *identicè* in omni linea, non tamen ſupponitur ſumme perfectus *formaliter* per rationem, niſi ſolum in linea abſoluta, in relatiua autem intelligitur ſummè perfectus *radicalitèr*, quia perfectio abſoluta pro illo priori intellecta, *radicalitèr* continet perfectiones relatiuas; in ratione autem perfecti perfectione eminentiali ſupponitur ſummè perfectus *formalitèr*, ideſt continens *formaliter* continentia eminentiali omnem perfectionem creabilem, & ideò à relationibus ad eſſentiam ſuperadditis non poteſt continentiam eminentialem alicuius perfectionis accipere.

78 *Inſtabis* Sed adhuc inſtabis: Deus non minus expoſcit ſummam perfectionem formalem, quam ſummam eminentialem; ſed nullum eſt inconueniens, quod pro priori ad relationes non ſupponatur *formaliter* ſummè perfectus, perfectione lineæ relatiuæ; quia huius lineæ perfectionem *radicaliter* continet: ergo pariter nullum inconueniens erit, quod pro eodem ſigno, & priori, non ſupponatur ſummè perfectus *eminentialitèr* perfectione omnis lineæ, hoc eſt, *formalitèr* continens, continentia eminentiali perfectionem in omni linea cauſabilem, ſed tantum *formalitèr* continens continentia eminẽtiali perfectiones ſpectantes ad lineam abſolutam creatam.

79 *Vrgebis* Et vrgebis: nam eminentialis continentia alicuius perfectionis creabilis ſupponit eandem perfectionem, vt habitam in eſſe formali, & ſuper illam fundatur, quando eſt perfectio ab omni imperfectione denudabilis; ſed perfectio relatiua eſt depurabilis ab omni imperfectione, aliàs Deo non conueniret, cui omnis imperfectio repugnat, & aliàs pro illo priori non intelligitur Deus perfectus *formalitèr* perfectione relatiua: ergo non poteſt intelligi vt *eminentèr* præcontinens lineam relatiuam creabilem.

80 *Reſp. ad replicã.* Reſpondeo diſtinguendo maiorem: non minus expoſcit ſummam perfectionem formalem abſolutam, quam ſummam eminentialem, concedo maiorem: ſummam perfectionem formalem abſolutam, & relatiuam, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: nã Deus petit in omni ſuppoſito eſſe ſummè perfectus *eminentèr*, hoc eſt, *eminentèr* continere omnem perfectionem creabilem, non autem petit in omni ſuppoſito omnem perfectionẽ relatiuam formalem, in ſententia, quam admiſimus; cum Pater non ſit

per-

perfectus *formalitèr* perfectione Filiationis, nec Filius perfectione Paternitatis, & sic de Spiritu Sancto: ergo non est eadem ratio de perfectione eminentiali, hoc est, de continentia eminentiali omnis perfectionis creabilis, ac de continentia formali omnis perfectionis relatiuæ.

81 *Nouum argum. pro nostra doctrina.*

Et ex hoc colligo aliud argumẽtũ ad probandum, relationem non continere *eminentèr* aliquam entitatẽ creabilem: nam ex oppositio fieret, Patri v.c. non conuenire continentiam eminentialem omnis perfectionis effectibilis à Deo, & idem inconueniens in Filio, quod nequit sine absurditate concedi. Sequela patet: nam continentia eminentialis competens Filiationi non reperiretur in Patre, & competens Paternitati nõ inueniretur in Filio: vnde Pater non contineret *eminentèr* Filiationem creatam, nec Filius creatam Paternitatem; cum nec Filio conueniat Paternitas, nec Patri conueniat Filiatio: ergo nec Pater, nec Filius, nec Spiritus Sanctus, continerent *eminentèr diuisiuè* omnem perfectionem creatam.

82 *Ad cõf.*

Ad confirmationem distinguo maiorem: quando est perfectio ab omni imperfectione denudabilis, & perfectio *simplicitèr simplex* respectiue ad omne suppositum increatum, concedo maiorem: quando nõ est perfectio *simplicitèr simplex* respectiuè ad omne suppositum, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nã relationes diuinæ non sunt perfectiones *simplicitèr* respectiuè ad omne suppositum increatum, aliàs Paternitas deberet Filio competere, & Filiatio conueniret Patri *formaliter*, & consequenter illarum conuenientia formalis non præexigitur ad continentiam eminentialem relationis creabilis, aliàs vt *proximè* arguebam, Patri, cui non venit Filiatio *formalitèr*, non conueniret continentia eminentialis Filiationis creatæ, nec Filio, cui non conuenit Paternitas in esse formali, conueniret continentia eminentialis Paternitatis creatæ, quod absque absurdo maximo dici non potest.

§. Vltimus.

Argumento contra secundam partem conclusionis occurritur, & ex dictis nonnulla inferuntur.

83 *Deniq; arg.*

DEnique arguitur: licet intellectus creatus non possit ex proprijs viribus ante reuelationem demonstrare existentiam Trinitatis, potest tamen reuelatione supposita: ergo nostra sententia, saltim quoad hanc partem, est falsa. Probatur antecedens primo: nam inferius ex coniunctione ad superius, perficitur, etiam in ordine ad proprium obiectum: ergo intellectus, etiam vt naturalitèr intellectiuus, ex diuina reuelatione, & illustratione perficitur; & consequenter quamuis ante reuelationem non possit ex proprijs viribus demonstrare Trinitatis existẽtiam ex obiecto *naturalitèr* cognito, poterit illa supposita.

Antec. prob. 1.

84 *Secũdo.*

Secundo: nam intellectus creatus ante omnem reuelationem non potest, etiam fide humana, credere existentiam Trinitatis; & tamen illa supposita potest, vt constat in Hæreticis, qui alijs mysterijs fidei discredentes, assentiuntur huic mysterio,

non

non fide diuina, ſed humana, & naturali: ergo pariter, licet nequeat intellectus creatus ante omnem reuelationem demonſtrare *naturalitèr* exiſtentiam Trinitatis, poterit illam demóſtrare *naturalitèr*, ſuppoſita diuina relatione.

85 *Tertio.* Tertio probatur: nam ante reuelationem non poteſt dari ratio naturalis probabilis exiſtentiæ Trinitatis; & tamen reuelatione ſuppoſita datur; rationes namque factæ, ſaltim *probabilitèr*, myſterium Trinitatis ſuadét, & aliæ, quibus D. Thomas, & alij vſi ſunt, ſaltim probabiles ſunt: ergo pariter, quamuis ante reuelationem non poſsit dari ratio naturalis demonſtrans exiſtentiam Trinitatis, poterit dari reuelatione ſuppoſita.

86 *Reſ. Ad 1. antecedentis prob.* Reſpondeo negando antecedens, ad primam probationem admiſſo antecedenti, nego conſequentiam: nam vtcumque intellectus ex diuina illuſtratione perficiatur in ordine ad illa, quæ *naturalitèr* poteſt cognoſcere, non poteſt in illis, aut ex illis percipere, quæ in eis nequeũt cognoſci; cumque, vt oſtendimus, obiecta naturalia defectu connexionis cum Deo, quatenus trino, non poſsint ex ſe ad illius, vt trini, cognitionem mouere: fit conſequens, quod etiam ſuppoſita diuina reuelatione non poſsit ex proprijs viribus demonſtrationem myſterij Trinitatis elicere, vnde ſolum perficietur *negatiuè* per hoc, quod principium illud commune v.c. *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadẽ inter ſe*, quod tantũ ex his, quæ *naturalitèr* cognoſcere poſſumus, verum vniuerſaliter abſque aliqua limitatione iudicaremus, reuelatione myſterij Trinitatis ſuppoſita iudicemus vniuerſalitèr verum inter obiecta creata, circa obiectum vero increatum naturale iudicium ſuſpendimus, & per hoc quod etiam reuelatione ſuppoſita, fide humana naturali iudicemus non tenere inter diuinas perſonas, niſi cum limitationibus *diſputatione præcedenti* explicatis.

87 *Ad 2. prob.* Ad ſecundam conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam, ratio autem diſcriminis eſt: nam fides humana nititur extrinſeco teſtimonio, ac proinde cum, reuelatione ſuppoſita, adſit teſtimonium extrinſecum, quod ante illam eſſe non poterat; fit conſequens, quod poſsit myſterium Trinitatis credi fide humana, reuelatione ſuppoſita, & non ante illam, demonſtratio autem naturalis nititur principijs intrinſicè cum obiecto cognoſcendo connexis, reuelatio autem non præbet obiectis naturalibus connexionem intrinſecam cum myſterio Trinitatis, & idcircò non minus manèt in potentia reuelatione ſuppoſita ad inducendam cognitionem euidentem Trinitatis, quam antecedentèr ad illam.

88 *Ad 3.* Ad tertiam conceſsis maiori, & minori, nego conſequentiam, ratio autem diſcriminis eſt: nam quod ante reuelationem non poſsit intellectus creatus aſſentiri myſterio Trinitatis, aſſenſu naturali probabili, naſcitur, tum: quia aſſenſus ſupponit apprehenſionem terminorum: tum etiam, ob difficultatem maximam, quam patitur intellectus in eo, quod poſsint aliqua identificari cum tertio, & *realitèr* diſtingui inter ſe; & quia reuelatione ſuppoſita ponitur apprehenſio terminorum, & tollitur illa difficultas credendo fide diuina poſſe, & de facto contingere, quod cum diſtinctione extremorum inter ſe ſtet identificatio cum tertio: fit, vt reuelatione ſuppoſita, ſit poſsibilis aſſenſus naturalis probabilis, qui ante illam impoſsibilis erat, non per hoc quod motiua creata vires à reuelatione participent, ſed per hoc quod difficultas, quæ in contrarium obſtabat ne ex illis probabilis aſſenſus generaretur, vincatur, & per hoc etiam quod termini *vnius*, & *trini* apprehendantur. Quod autem ante reuelationem nequat dari ratio euidens exiſtentiæ Trinitatis naſcitur ex defectu connexionis intrinſecæ in obiectis cognoſcibilibus per vires naturæ cum Deo quatenus trino,

quæ

quæ connexio neceſſaria erat vt ex illis cuidẽs Trinitatis notitia procederet; & quia hæc in connexio, aut cõnexionis negatio, reuelatiõne ſuppoſita perſeuerat: fit cõſequẽs, quod nec ante reuelationem, nec reuelatione ſuppoſita, poſsit dari ratio naturalis euidens exiſtẽtiæ Trinitatis, aut poſsibilitatis illius.

89 *Primũ corollariũ ex dictis.*

Ex dictis in diſcurſu diſputationis colligo primo, vel Phyloſophos Gentiles Myſterium Trinitatis non cognouiſſe, vel ſi aliqui Trinitatem perſonarum cognouerunt, notitiam iſtam non propria induſtria, & ſine præuia reuelatione acquiſiſſe, ſed vel ex illorum relatione, quibus reuelatum fuerat, vel ex libris Hebræorũ. Primum docuit D. Thomas *in præſenti q. 32. art. 1. ad 1.* Secundũ vero docuit *in 1. diſt. 3. q. 1. art. 4.* Et *2. 2. q. 2. art. 7.* Nec contra primũ obſtant plura teſtimonia, quæ cõgerit Vazquez, vt probet, aliquos Gẽtiles Philoſophos cognouiſſe Trinitatem perſonarum: nam omnia ſufficientiſsimẽ à D. Th. explicantur de cognitione quorundam attrioutorũ eſſentialium, quæ appropriãtur perſonis, ſicut *potentia* Patri, *ſapiẽtia* Filio, & *bonitas* Spiritui Sancto, nõ autem de cognitione trium perſonarum *realitèr* inter ſe diſtinctarũ cũ vnitate eſſentiæ. Contra ſecundum obſtare videtur illud Pauli 1. ad Corinthios 2. *Loquimur Dei ſapientiam, quam nemo Principum huius ſæculi cognouit, ideſt Phyloſophorum* ſecundum Gloſſam. Sed poteſt reſponderi, Paulum loqui in ſenſu formali, ſic autem verum eſt, Principes huius ſæculi, vt tales, nec Philoſophos, in quantum Philoſophos, habuiſſe huius myſterij notitiã, cum quo tamen ſtat, quod hoc myſteriũ cognouerint ex diuina reuelatione, mediata, vel immediata.

90 *Secũdũ corollarium.*

Secundo colligitur, contra negãtes myſterium Trinitatis nõ eſſe argumentandum rationibus, ſed authoritatibus Scripturæ contra illos, qui Scripturam admittunt, apud alios vero ſufficit defendere hoc myſterium non eſſe improbabile. Sic notauit D. Thomas *in præſenti q. 32. art. 1. in corp. ad finem.* Tum, quia intendens hoc myſteriũ rationis cõuincere deprimit dignitatem illius, quod ob ſuam celſitudinem eleuatur ſupra omnem naturalem rationẽ, & dignitati fidei præiudicat, quæ vt Paul⁹ prædicat ad Hebræos *11. Eſt de non apparentibus*. Tum etiam, quia occaſionem irriſionis infidelibus præbet, dum credunt his rationibus inniti, vt propter illas credamus, quas cum facilè quicumque infidelis, mediocritèr in principijs Philoſophiæ verſatus, ſoluere poſsit, abſque dubio noſtram credulitatẽ contemnet: vnde ſufficit defendere, non eſſe improbabile myſterium Trinitatis, quod credimus, quod fit non probando illius poſsibilitatem, vel non eſſe impoſsibile, ſed ſoluẽdo argumenta, quæ contendunt illius impoſsibilitatem oſtendere; cum enim nullam illorum ſit euidens, omnia poſſunt euidenter diſſolui.

91 *Tertiũ.*

Tertio colligitur, myſteriũ Trinitatis nõ poſſe ratione naturali demonſtrari nõ impoſsibile, poteſt tamen defendi quod impoſsibile non ſit. Primum patet: nam cum paritas negationũ affirmet, idem eſt non impoſsibile, quod poſsibile; ſed myſterium Trinitatis non poteſt ratione naturali demonſtrari poſsibile: ergo necnon impoſsibile. Secundũ probatur: nam defendere, myſterium Trinitatis non eſſe impoſsibile, nihil eſt aliud, quàm rationes probãtes illius impoſsibilitatem diſſoluere; ſed hoc poteſt intellect⁹ viribus naturæ præſtare, reuelatione ſuppoſita, vt termini apprehendantur: ergo poteſt defendi hoc myſterium non impoſsibile. Probatur minor: omne argumentum, quod euidens non eſt, poteſt ſolui; ſed nullum eſt argumẽtum contra poſsibilitatem myſterij Trinitatis, quod euidens ſit; cum omne euidens ſit verum, impoſsibilitas autem myſterij Trinitatis ſit falſa, & poſsibilitas vera: ergo omnia argumenta contendẽtia probare impoſ-

sibilitatem huius mysterij possunt ab intellectu, nostro labore, & industria adhibitis, iolui; & consequenter potest hoc mysterium defendi non impossibile.

92 *Quarto infertur ex dictis.*

Quarto colligitur, suppositâ existentia Trinitatis posse illius conuenientiam demonstrari, demõstratione Theologica. Quod patet: nã demõstratio Theologica est illa, cuius conclusio deducitur, vel ex vtraque præmissa de fide, vel ex vna de fide, & alia naturali lumine nota, vel *naturaliter* demonstrabili; sed conueniẽtia Trinitatis personarum potest isto modo inferri: ergo potest demõstrari demonstratione Theologica. Minor probatur: nam conuenientia Trinitatis potest hoc discursu deduci: *Cuivis potentiæ est conueniens suus actus; sed in Deo est potentia communicandi se ad intra duabus personis productis, altera imperducta manente: ergo hæc communicatio est naturæ diuinæ conueniens*; & consequenter Trinitatis existẽtia; at in hoc discursu maior demonstrabilis est, & minor per fidem cognita: ergo suppositâ fide mysterij Trinitatis, potest illius conuenientia demonstrari, demonstratione Theologica.

93 *Quinto colligitur.*

Quinto consequenter colligo, admissa plurium Logicorum sententia asserentium, scientiam subalternatã in absentia subalternantis esse scientiam genitam ex principijs creditis, fide habita ad Magistrum, posse quẽpiam assentiri conuenientiæ Trinitatis, assensu naturali demõstratiuo, suppositâ diuina reuelatione. Quod probo: nam reuelatione suppositâ potest quis huic propositioni, *natura diuina est ad intra communicabilis tribus personis*, fide humana moraliter certa assentiri, sicut alijs fidei mysterijs hæreticus assentitur, nõ fide diuina, sed humana, & naturali; sed ex hac propositione, subsumẽdo, cuicumque potentiæ proprium actũ esse conuenientem, quæ demõstrabilis est, aut lumine naturali nota, irrefragabili illatione colligitur, actualem communicationẽ naturæ ad tres diuinas Personas esse ipsi conueniẽtem: ergo admissa illa sententia posset quis conuenientiæ Trinitatis assentiri, assensu demonstratiuo naturali.

94 *Non sequitur cognosci euidenter.*

Ex quo tamen non infertur, posse mysterium, diuina reuelatione suppositâ, ratione naturali euidenti demonstrari: nam assensus ille genitus ex altera fide naturali credita, & altera demonstrabili, non est euidens, sed obscurus, nec certus, certitudine metaphysica, sed ad summum certitudine morali. Quod patet: nam ad euidentiam, & certitudinem metaphysicã assensus ex duobus præmissis deducti, requiritur vtriusq; præmissæ euidentia, & certitudo: vnde cõmuni axiomate asseritur, quod conclusio partem debiliorem sequitur; sed vna ex præmissis generantibus illum assensum, nempẽ fide humana credita, nec est euidẽs, nec certa, certitudine metaphysica: ergo assensus ex illa procedens non potest euidens esse, nec certus, certitudine metaphysica, sed ad summum certitudine morali, si fides data præmissæ hanc attingat certitudinem.

95 *Deniq; infertur.*

Denique infertur ex dictis, nec etiam in effectibus supernaturalibus comparatis cum Deo, tanquam cum causa efficienti, posse euidenter Deum vt trinũ cognosci. Ita Theologi communiter, & probatur manifestẽ ratione, qua *secundam conclusionem* ostendimus: ideò namque in effectibus naturalibus non potest Deus, vt trinus, euidenter cognosci, quia à Deo, quatenus trino, nõ causantur *efficienter* per se, perfeitate effectus, sed etiam supernaturales effectus nõ causantur *efficienter* à Deo, quatenus trino, per se, perfeitate causæ, & effectus: ergo in illis, quantumcumque cõprehensis, nõ potest Deus, vt trinus, euidenter innotescere, si considerentur vt effectus Dei in genere causæ efficientis.

96 *Argumẽtum difficile.*

Contra hanc tamen doctrinã, tametsi communem, & veram, obstat argumentum difficilẽ: etenim visio

beati-

beatifica per se est à Deo, vt trino, tanquam à causa efficiente: ergo in illa inspecta, vt effectu Dei in genere causæ efficientis, potest Deus, vt trinus, euidẽti cognitione cognosci. Probatur antecedens: vt enim frequentius docent discipuli D. Th. *supra q.12.art.2.& 5.& infra q.55. In libris de anima,& alibi*, species impressa *efficienter* ad obiecti cognitionem concurrit; sed vt docent communiter Theologi *supra q.12. art.2.* & Nos docuimus *ibi disp.11.* Diuina essentia vnitur mentibus beatorum vt species in ordine ad visionem beatificam: ergo diuina essentia, vt gerit munus speciei, *efficienter* influit in beatificam visionem; sed hoc munus speciei geritur ab essentia diuina, vt actu cõmunicata tribus personis diuinis: ergo vt actu illis communicata exercet effectiuum influxum in visionẽ beatificam, & consequenter hæc per se *efficienter* causatur à Deo, quatenus trino. Probatur minor: munus speciei geritur ab essentia diuina eo modo, quo gerit rationem obiecti; sed vt obiectum visionis per se est actu communicata tribus personis diuinis: ergo est species in ordine ad visionem beatificam per se vt actu illis communicata, & consequẽter vt actu communicata tribus personis diuinis est principium efficiẽs visionẽ.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem concessa maiori, & prima consequentia, nego minorem subsumptam, ad cuius probationem distinguo maiorem: gerit munus speciei, & gerit munus obiecti terminatiui, nego maiorem: motiui, cõcedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet diuina essentia terminet per se visionem, vt actu communicata tribus diuinis personis, non tamẽ mouet per se, vt actu communicata, sed ratione perfectionis absolutæ à relationib⁹ distinctæ, aliàs etiam Paternum intellectũ moueret ad Filij generationem, vt communicata Filio; & consequenter Filius à se ipso, vt à principio, procederet, ac proinde non gerit munus speciei per se, vt actu communicata tribus diuinis personis, sed ratione sui, vt à linea relatiua distinguitur. Sed de his plura *supra q.12.& 3.p.q.11.* Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in 1.dist.3.§.6. ad illa verba: *Non enim per creaturarum cõtemplationem sufficiens notitia Trinitatis potest haberi, &c.*

97 Resp.

(?)

DISPVTATIO OCTVAGESIMA.

QVARTA.

An dentur in Deo vna subsistentia absoluta, & communis, & tres relatiuæ?

§. I.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio.

Nu. 1. *Non datur in Deo personalitas communis.*

IN Hac Disputatione tria sunt explorata apud omnes Catholicos. Primũ est, non dari in Deo personalitatem cõmunem, sicuti nec cõmunis, & absoluta persona, contra aliquos, quos suppresso nomine refert, & impugnat Durandus *in* 1. *dist.* 26. *q.* 1. *n.* 5. Quod patet, tum primo: quia aliàs quatuor essẽt personę in diuinis, contra fidem adstruẽtem, tres tantum esse Diuinas Personas. Secundo: nam persona *est rationalis naturæ individua*, ideſt, omnino incõmunicabilis, *substantia*; at quidquid est in Deo absolutum, cõmunicabile est tribus personis: ergo nihil absolutum, & commune, in illo obtinet rationem personæ; cumque suppositum in rationali natura idem prorsus sit, ac persona, eadem certitudine est notũ, non dari in Deo suppositalitatem, aut suppositum absolutum, & commune.

2 *Nec hypostasis communis.*

Secũdo exploratum est apud omnes, non dari in Deo rationem communem hypostasis. Patet: nam apud Latinos *hypostasis* idem est, ac *suppositum*, aut *persona*, etsi apud Græcos alia sit huius nominis vsurpatio, scilicet pro *essẽtia*, aut *vsia*; at, vt vidimus, absque vlla controuersia certum est apud omnes, non dari in Deo rationem personæ, aut suppositi, absolutam, & communem: ergo nec ratio hypostasis absoluta, & cõmunis, est admittenda.

Tertio certũ, & indubitatũ est apud omnes, dari in Deo tres personalitates relatiuas. Quod patet primo: nã ex fide habemꝰ, esse in Deo tres personas; at nomẽ numerale cadẽs supra nomen substantiuũ, quale est ly *persona*, numerat suppositа, & formas: ergo cũ forma, per ly *persona* importata, sit *personalitas*, citra dubium admittẽdæ sunt tres personalitates relatiuæ. Secundo: nã quia in Deo vna tãtũ est Diuinitatis forma, vnus tantum est Deus, nefasque est tres admittere Deos: ergo cum fides doceat, tres esse personas diuinas, tres personalitates ex consequẽti docet.

3 *De fide est dari tres personalitates.*

Tertio: nam in Deo dantur tres relationes *incommunicabiliter* subsistentes: ergo tres rationes incõmunicabilitatis; at ratio incommunicabilitatis personalitas est: dantur ergo in Deo tres personalitates. Quod igitur in dubium vertimus est, an sicut dantur tres personalitates, ita etiam tres subsistentiæ relatiuæ concedendæ sint, & an præter istas detur aliquid absolutum, & cõmune, quod etsi non sit personalitas, obtineat tamen rationem, & conceptum subsistentiæ absolutæ?

4 *Prima sententia.*

Prima sentẽtia negat absolutã, & concedit tres relatiuas. Hanc tenet Vazquez *disp.* 125. *cap.* 4. pro illa referens Alexandrum, Bonauẽturã, Ricardum, Marsilium, Henricum, & Genebrardum. Illis ex Recentioribus adhærent Arrubal *disp.* 108. & 109. Turrian⁹ *disp.* 10. *dub.* 3. Alarcõ *disp.* 4. *cap.* 3. & 4. Meratius *disp.* 54. *sect.* 1.

5 *Secũda.* Scotus. Durãd⁹ Albert. Argent. Marsili⁹ Capreo. Ferrara

Secunda docet, præter subsistentiam absolutam, non dari tres relatiuas. Pro hac refertur Scotus *in* 1. *dist.* 1. *q.* 2. *Et in* 3. *dist.* 1. *q.* 2. Durãdus *in* 1. *dist.* 13. *q.* 2. *n.* 23. & *dist.* 33. *q.* 1. *n.* 37. Et *in* 3. *dist.* 1. *q.* 2. *num.* 7. Albertus, Argentina, Marsilius, & alij. Ex nostris Thomistis Capreolus *in* 1. *distinct.* 26. *q.* 1. *art.* 1. *conc.* 3. *ad argumenta contra tertiam conclusionem*, & *in* 3. *dist.* 1. *ad argumẽta contra quartam conclusionẽ*. Et Ferrara 4. *Contra-Gentes cap.* 26.

6 *Tertia.* Caiet. Bañez. Ledes. Albarez Cabrer. Zumel. Nazar. Molina. Suarez. Fonseca Ragusa. Albelda Serra. S. Tho. Belarm.

Tertia docet, dari in Deo vnam subsistentiam absolutam, & tres relatiuas. Ita Caietanus *supra q.* 3. *art.* 3. *q.* 29. *ar.* 4. *infra q.* 39. *art.* 4. Et 3. *p. q.* 2. *circa solutionem ad* 3. & *q.* 3. *art.* 2. Bañez, Ledesma, Albarez, Cabrera, Zumel, Nazarius, Molina, Suarez, Fonseca, Ragusa, & alij, quos lato calamo referunt, & sequuntur Salmanticenses *disp.* 9. *dub.* 4. & 5. Tenet etiam Albelda *disp.* 7. *sect.* 2. & 3. Marcus de la Serra *q.* 30. *dubio vnico*, & Reuerendissimus S. Thoma *disp.* 14. *art.* 2. alijque Recentiores. Tenet etiam Belarminus *lib.* 2. *de Christo cap.* 15. vbi docet, subsistẽ diam, quatenus cõstituit suppositum, esse tantum vnã; quatenus vero distinguit esse multiplicem. Pro explicatione tamen veritatis sit

7 *Prima cõclusio*

Prima conclusio: *In Deo datur subsistentia absoluta communis tribus personis.* Conclusionem istam probant aliqui primo: subsistentia relatiua Filij solum reddit subsistentem *sapientiam*, & subsistentia relatiua Spiritus Sancti solum reddit subsistentem *amorem*: ergo vt natura Filij, & Spiritus Sancti subsistat, constituenda est in Deo subsistentia absoluta. Probant antecedens: id namque solum redditur subsistẽs per subsistentiam Verbi relatiuam, quod ei communicatur ex vi processionis, & similiter per subsistentiam relatiuam Spiritus Sancti; at Verbo ex vi processionis solum communicatur *sapiẽtia*, & Spiritui Sãcto *amor*: ergo per subsistentiam relatiuã Verbi sola *sapientia* subsistit, & per subsistentiam relatiuam Spiritus Sancti solus *amor*.

Aliquorum ratio proponitur

8 *Prædicta ratio reijcitur* 1.

Hæc tamen ratio non placet, primo: quia falsum est, Verbo ex vi processionis, non naturã, sed sapientiam, quæ attributum est, communicari; & consequenter verum esse non potest, naturam per subsistentiã Verbi relatiuam non subsistere ex vi huius principij.

Secũdo.

Secundo: nã esto ita sit, quod Filio ex vi processionis communicaretur sola *sapientia*, sicut Spiritui Sãcto solus *amor*, seu ratio inclinationis, non rectè colligitur per subsistẽtias relatiuas ex vi harum processionum productas, solum ista prædicta substinere posse: nam estõ personalitates Verbi, & Spiritus Sancti, per huiusmodi processiones producentur, personatur natura diuina, & incommunicabilis redditur per illas: ergo hoc non obstante poterit per subsistentias relatiuas subsistere, nisi ex alio capite obstet.

9 *Aliorũ ratio reijcitur* 1.

Secundo alij probant: in perfectate existendi opposita inhærentiæ alteri, vt subiecto, ratio subsistẽtiæ sal-

uatur; at naturæ diuinæ, ratione cõceptus abſoluti præueniẽtis relationes, huiuſmodi perſeitas exiſtentiæ ſaluatur: ergo & ratio ſubſiſtentis. Sed nec placet iſte diſcurſus: eo quod infertur ex illo, primo, humanitatẽ Chriſti Domini in Verbo propriam ſubſiſtentiam habere; conſequẽs derogat fidei: ergo prædictus diſcurſus eſt nullus. Probo ſequelam: humanitas ratione ſui, & non ſolum ratione ſubſiſtentiæ Verbi, repugnet inhærẽtiæ alteri, vt ſubiecto: ergo ſi perſeitas, huiuſmodi inhærentiam excludens, ſubſiſtentiã cõſtituit, erit ſubſiſtẽs ratione ſui, & non ſolum per ſubſiſtentiam Verbi.

10 *Secũdo.* Secundo ſequitur ex illa, ſubſiſtẽtiam eſſentialem eſſe ſubſtantiæ; cõſequens eſt falſum: ergo & illud, ex quo ſequitur. Patet ſequela: nã perſeitas oppoſita dependentiæ à ſubiecto inhæſionis eſt prædicatum eſſentiale ſubſtantiæ, quo ab accidẽti diſcriminatur.

Tertio. Tertio ex illo ſequitur, quálibet, etſi partialẽ ſubſtantiã, non ſolũ exiſtere, ſed etiam ſubſiſtere; cum ſubſtantiæ etiam partiali, ratione ſuæ eſſẽtiæ repugnet alteri vt ſubiecto inhærere; conſequens eſt falſum, aliàs partes ſubſtantiales partialibus ſubſiſtentijs gauderẽt, quod magis falſum eſt, quàm eis partiales exiſtẽtias concedere: ergo idem quod prius.

11 *Tertia ratio, & illius impugnatio.* Tertio alij probant: perſeitas exiſtendi repugnans communicationi ſuppoſito extraneo ſufficienter ſubſiſtentiam conſtituit; at eſſentiæ ratione ſui, vt relationes præuenit, repugnat cõmunicari ſuppoſito extraneo: ergo ratione ſui in ſtatu abſoluto ſubſiſtit; & conſequenter datur ſubſiſtentia abſoluta. Sed nec iſta ratio conuincit. Illam reijciunt Recẽtiores quidam: quia humanitati ratione ſui, vt præuenit omnem modũ *realitèr* à ſe ipſa diſtinctum, repugnat cõmunicari *naturalitèr* extraneo ſuppoſito, & tamen prout ſic nõ ſubſiſtit; cũ ſit ſiſtẽtia modus ſit *realitèr* ab illa diſtinctus: ergo in perſeitate explicata per hãc repugnãtiã non ſaluatur conceptus ſubſiſtentiæ.

Sed impugnatio iſta facti diſcurſus contra illũ prævalere non poteſt: Authores nãque præfata ratione vtentes, non in repugnantia naturali ad communicationem extraneo ſuppoſito, ſed in repugnantia ad illã de potentia abſoluta, ſubſiſtentiæ cõceptum conſtituunt, licet autem humanitati ratione ſui repugnet *naturalitèr* extraneo ſuppoſito vniri, non autem hoc repugnat illi de potentia abſoluta, vt patet in humanitate Chriſti Domini, quæ vnita fuit Verbo cum omnibus prædicatis illi conueniẽtibus, vt perſonalitatem creatã præuenit, & ideò non ſequitur, quod illa prout ſic ratione ſui ſubſiſtat.

12 *Reijcitur impugnatio.*

13 *Obijciunt.* Sed dicunt: ſubſiſtentia naturalis non poteſt conſiſtere in modo tollẽte indifferentiam obedientialem ad vnionem cũ extraneo ſuppoſito: ergo nudare poteſt repugnantiam de potentia abſoluta; & conſequenter in tali repugnantia non poteſt conſiſtere. Probant antecedens: nam determinatiuum naturale indifferentiã naturalem ſolum poteſt auferre: at ſubſiſtentia eſt determinatiuum naturale: ergo nequit conſiſtere in modo tollente obedientialem indifferẽtiam ad vnionem cum extraneo ſuppoſito.

14 *Reſp.* Reſpondeo, quod licet ſubſiſtẽtia non ſit per ſe primo ordinata ad tollendam indifferentiam obediẽtialẽ, ſed ſolum ad terminãdam propriam naturam; quia tamen ſubſiſtẽtia omnis naturalis terminat, & finit propriã naturam, ex conſequenti tollit obedientialem indifferentiã ad vnionem cum ſuppoſito extraneo. Quod autẽ entitati naturali non repugnet hoc modo tollere potentiam obediẽtialem, cõſtat in peccato, ante quod ſupponitur anima capax *obediẽtialitèr* gratia, & tamen incapax ad illam recipiendam *in ſenſu compoſito* per peccatum conſtituitur.

15 *Aliter tertia ratio impugnatur.* Relicto igitur hoc argumento, vt inefficaci ad oppugnandam rationem factam, reijcienda ex eo venit, quod diuina eſſentia, vt in abſtracto

con-

cõcepta repugnat communicari extraneo suppositio de potentia absoluta: & tamen prout sic non subsistit: ergo in hac repugnantia, vel in perfectate explicata per illam, non saluatur subsistentiæ conceptus. Probo maiorem: diuinæ essentiæ, etiam vt in abstracto concipitur, repugnat in compositionem alterius venire; cum prout sic omnem potentialitatem excludat; at in vnione cum extraneo supposito compositio importatur: ergo diuinæ essentiæ, etiã prout conceptæ in abstracto, repugnat cõmunicari supposito extraneo.

§. II.

Aliter probatur nostra sententia.

16 *Prob.1. cõclusio ex Agatone Papa.*

REiectis igitur his argumentis, suadenda est in primis nostra conclusio ex Agatone Papa in epistola, quæ habetur in 6. Synodo actione 4. parum à principio, vbi dicitur: *Confitemur trium subsistentiarum, seu personarum, vnam subsistentiam*: ergo ex mente Agatonis datur subsistentia vna absoluta, & communis. Nec respondere sufficit, lectionem istam esse mendosam: vnde in alia nouiori habetur, non *subsistentiam*, sed *substantiam*. Nam in contrarium obstat primo, antiquiori lectioni magis esse credendum. Secundo, posse vtrãque lectionem in concordiam reduci, si vna subsistentia absoluta admittatur: ergo nõ est cur dicamus, antiquam lectionẽ secundam emendasse.

Tacita obiectio diluitur

17 *Opponnes.*

Sed dices: si antiquæ lectioni fides sit præstanda, & non corrigenda, sequitur, diffinitam esse vnam subsistentiam absolutam; at hoc non dicem', nec Authores oppositos erroris damnabimus: ergo prædicta non, vt à Nobis intelliguntur sunt accipienda. Respondeo, non diffiniri expresè nostram sentẽtiã in verbis relatis: eo quod nomine *subsistentiæ* substantiam intelligunt plures, & graues Authores; quia tamẽ hæc interpretatio rigorem verborum non saluat, ideò relinquenda est, & nostrę sententiæ adhærendum. *Resp.*

Secundo suadetur ex Augustino 7. de Trinit. cap. 5. illis verbis: *Omnis res, scilicet substantialis, ad se ipsam subsistit, quanto magis Deus*: ergo iuxta Augustinum admitti debet subsistentia absoluta. 18 *Secũdo prob.*

Nec respondere sufficit cum Vazquio, & alijs Recentioribus, idẽ esse *subsistit* apud Augustinũ, ac *existit*, ex quo solum sequitur existẽtia absoluta, non vero absoluta subsistẽtia. 19 *Dices.*

Nam in cõtrarium obstat primo, quod si Augustinus subsistentiam *ad se* in abstracto in diuina natura expressisset, non nisi violenter glosari posset, loqui de existentia in abstracto: ergo cum loquitur de concreto subsistentiæ, violenta est interpretatio de concreto existentiæ. *Euasio excluditur primo.*

Secundo: nam hi Authores cõtra illos, qui negant subsistentias relatiuas, & Sanctorum dicta, quibus plures subsistentię constituuntur in Deo, interpretantur, quod nomine subsistentiæ personalitatem intelligãt, arguunt, quod Sanctorum dicta absq; causa ad improprium sensum violẽ. tẽr extorqueant; at non minus *impropriè* accipitur subsistentia pro existentia, quàm pro personalitate: ergo sic interpretando Augustinum eandem damnationem incurrunt. Id ipsum docuisse Hieronymum, Cyrilum Alexandrinum, & alios Ecclesiæ Patres, referunt Recẽtiores, & præcipuè Salmanticenses *vbi suprà* relati. *Secũdo.*

Tertio suadetur apertis D. Th. testimonijs, qui passim subsistẽtiam absolutam diuina natura constituit; 20 *Tertio prob. ex D. Tho.*

sic habet q. 9. de potentia art. 5. ad 13. argumentum, illis verbis: *In diuinis autē proprietates personales hoc solum habēt, quod supposita naturæ diuinæ ab inuicem distinguūt, non autem sunt principium subsistendi naturæ diuinæ; ipsa enim diuina essentia est secundum se subsistens, è contra proprietates personales habent quod subsistant ab essentia: eo enim Paternitas habet quod sit res subsistens; quia essentia diuina, cui est eadem secundum rem, est res subsistens.* Et in 1. dist. 21. q. 2. art. 1. illis verbis: *Iste terminus* Deus *prædicat naturam diuinam de tribus personis, quæ etiā in se est habens esse subsistens, nulla personarum distinctione intellecta.* Id ipsum docet D. Thomas *in 3. distinct. 6. q. 2. art. 2. ad 3. p. q. 3. art. 3. ad 1.* at id, quod conuenit diuinæ essentiæ, nulla personarum distinctione intellecta, absolutum est, & commune: ergo ex mente D. Th. datur in Deo subsistentia absoluta, & communis.

21 *Quarto prob. ratione.*

Quarto probatur: diuina natura pro priori ad relationes est subsistēs: ergo per subsistentiam absolutam. Consequentia est euidens: nam omne prædicatum, quod essentiæ conuenit pro priori ad relationes, absolutum est. Antecedens autem ostenditur primo: diuina essētia pro priori ad relationes est existens, non solum vt *quo*, sed etiam vt *quod*; cum sit existens perfectissimo modo; at quod vt *quod* existit, est habens naturam, & consequēter in natura subsistens: ergo pro priori ad relationes natura diuina subsistit. *Antecedēs probatur 1.*

Secūdo. Secundo: subsistere vt *quod* est prius quàm operari: tum, quia operationes sunt subsistentium: tū etiā, quia subsistentia prius à natura dimanat, vel naturæ conuenit, quàm operatio; at diuina essētia pro priori ad relationes est intelligens, & volens, vt *quod*: ergo pro priori ad illas est subsistens.

22 *Tertio.* Tertio: subsistere est per se existere independenter ab alio, tāquam à sustentante, vt existentia *exercitè* cōpetat; at naturæ diuinę pro priori ad relationes cōuenit existētia *exercitè*, & per se, perfeitate excludente dependentiam ab alio, vt sustentante: ergo pro illo priori est subsistens. Probo minorem: diuinæ essētiæ pro illo priori conuenit existentia, vt exercita *essentialitèr*: ergo vt illi exercitium existendi conueniat, non dependet à relationibus, quæ illi competunt pro alio posteriori: ergo illi conuenit exercitiū existendi cum perfeitate excludente dependentiam ab alio, tanquam à sustentante.

23 *Duplex solutio refertur.*

Ad hoc argumentum respondent contrarij Authores negando antecedens, ad probationem autem duplex est modus dicendi: primo quidam respondent concedendo, diuinā essentiā existere, vt *quod*, & vt *quod* operari opetationibus essentialibus, & per se existere independentēr ab alio, vt sustentante, negant tamen, quod subsistat; quia in nullo istorum conceptus subsistentiæ saluatur, sed in perfeitate excludenre communicabilitatem suppositō; & quia hæc perfeitas diuinæ essentiæ non cōuenit: consequens est, quod non subsistat pro illo priori. Secundo alij respondent negando, quod existat vt *quod*, & quōd vt *quod* operetur, sed solum vt *quo*, & quod ei competat perfeitas in existendo per exclusionē dependentiæ ab alio, tanquam à sustentante: quia dependet à relationibus, nec in hoc aliqua imperfectio relucet; quia relationes ab illa indistinctæ sunt *realitèr*, esset autem imperfectio si per aliquid *realitèr* ab illa distinctum existeret.

24 *Prima reijcitur 1.*

Sed neutra solutio satisfacit, & contrà primam facit primo, quod sententiæ nostræ totum intentum concedit, & quæstionem facit de nomine: Authores etenim nostræ sentētiæ nihil aliud intelligunt nomine *subsistendi absolutè*, quam existere vt *quod*, & per se, perfeitate excludente dependētiam ab alio, tāquam à sustentante: ergo dum hoc conce-

dunt,

dunt, dant noſtræ ſententiæ totum intentum, & litigium reducunt ad quæſtionem de nomine, an ſcilicet appellanda ſit *ſubſiſtentia*, vel non?

Secũdo. Secundo: nam in quæſtione de nomine ſtandum eſt magis vſui Auguſtini, & Thomæ, quam Recentiorum Authorum, etſi non infimæ notæ; at perfectati explicatæ Auguſtinus, & Thomas dant nomen *ſubſiſtentiæ*: ergo datur in diuina eſſentia aliquid abſolutum, quod re, & nomine eſt *ſubſiſtentia*.

25 *Tertio.* Tertio: nam ſubſiſtentia creata ſecundum ſibi propria duo præſtat naturæ, quam terminat, primũ, quod exiſtat per ſe, perfectate excludente dependentiam à ſuſtentante, & per ſe, perfectate excludente vlteriorem communicabilitatem; at relationes diuinæ, quia dant perfectatem ſecũdam, ſubſiſtentiæ ſunt, & tales nominantur: ergo ſi formalitas abſoluta tribuit diuinæ eſſentiæ primam perfectatem, talis formalitas, re, & nomine erit *ſubſiſtentia*.

Deniq; Denique: nam Deo, eo quod per ſe exiſtit, perfectate excludente dependentiam à ſuſtentante, abſolutè conuenit quod per ſe exiſtat: ergo abſolutè verum eſt quod ſubſiſtat. Tenet conſequentia: nam *ſubſiſtentia* in perfectate exiſtendi conſiſtit.

26 *Euaſio ex ludi tur* 1. Si dicas, perfectatem independentiæ habere exiſtentiam ſubſtãtiæ ratione ſui, & ideò ſubſiſtentiam non eſſe: nam hæc debet cõſiſtere in modo ab exiſtentia diſtincto. In cõtrarium obſtat primo: nam ſubſtantia creata ſicut ratione ſui non habet perfectatem incommunicabilitatis, ita nec perfectatem independentiæ à ſuſtentante; cum vtrumque illi præſtet ſubſiſtentia perſonalis: natura namque creata in ſuppoſito ſuſtẽtatur, & ratione ſubſiſtentiæ, non ratione ſuæ entitatis: ergo vel diuina exiſtentia non habet perfectatem indepẽdẽtiæ ratione ſui, ſed ratione alicuius ab illa diſtincti *ratione*, vel ratione ſui, non ſolum *exiſtentia*, ſed etiam *ſubſiſtentia* eſt.

Secũdo. Secundo: quia nulla eſt aſsignabilis ratio, cur perfectas incõmunicabilitatis à modo diſtincto ab exiſtẽtia petat prouenire, & hoc nõ poſtulet perfectas indepẽdentiæ à ſuſtẽtãte: ergo ſi prima modũ ab exiſtentia diſtinctum deſiderat, etiam ſecunda modum diſtinctum *realitèr* in creaturis, & in Deo diſtinctum *virtualitèr*, aut *eminentèr*, ab exiſtentia deſiderabit.

27 *Secũda ſolutio reijcitur* 1. Deinde ſecunda reijcitur primo: quia diuina eſſentia pro priori ad relationes non ſolum eſt ratio exiſtendi, & operandi, ſed etiam eſt exiſtens, & operans operationes eſſentiales *intelligendi* v. c. & *volendi*: ergo non ſolum exiſtit, & operatur vt *quo*, ſed etiam vt *quod*.

Secũdo. Secundo: exiſtentia, & operationes eſſentiales ſunt priores, & omnino independentes à tribus perſonis: ergo *vt quo*, & vt *quod* conueniunt eſſẽtiæ in ſtatu abſoluto, & pro priori ad relationes.

Tertio. Tertio: ſi diuina eſſentia nõ exiſteret pro priori ad relationes, ſed ratione illarum, non intelligeretur pro illo priori perfecta, etiam ſi relationes, ratione quarum exiſteret, eſſent ab illa *realitèr* indiſtinctæ: ergo pariter ſi non exiſtat perfectiſſimo modo, quod eſt exiſtere per ſe, perfectate excludente dependentiã à ſuſtentante pro illo priori, nõ ſalnabitur in illa debita perfectio, eſtò relationes, ratione quarum cõuenit perfectas in exiſtendo, ab illa *realitèr* non diſtinguantur.

28 *Prætẽrea reijcitur.* Quarto: exiſtentia namque, vt exercita, conuenit *eſſentialitèr* eſſentiæ in ſtatu abſoluto: ergo illi conuenit independenter ab omni poſteriori, quales ſunt relationes; & conſequenter cõuenit illi per ſe, perfectate excludente dependentiam à ſuſtentãte, vt illi exiſtentia *exercitè* competat.

Quinto. Quinto: imperfecta eſſet diuina intellectio abſoluta ſi Verbo indigeret, & ex indigentia, & non ex ſola fecunditate Verbum produceret, etiam ſi Verbum ab intellectione *realitèr* non diſtinguatur: ergo pariter

riter imperfecta esset diuina existentia absoluta, si indigeret personalitatibus relatiuis, vt per se conueniret essentiæ diuinæ. Denique: nam si existentia absoluta, vt per se, & *vt quod*, essentiæ conueniret, relatiuis subsistentijs egeret, indigeret tribus, & consequenter tribus non intellectis, non intelligeretur vt per se conueniens essentiæ; at hoc est falsum, aliàs essentia prout in Patre nõ existeret per se: ergo idem quod prius.

Deniq;

§. III.

Occurritur argumentis.

30 *Contra cõclusionẽ arg. 1.*

COntra istam conclusionẽ obijciunt contrarij Authores primo: *subsistentia* Latinè idem significat quod Græcè hoc nomen *hypostasis*; at nomen *hypostasis*, & si antiquitus pro *vsia*, hoc est pro *essẽtia*, acciperetur, iam tamen post litem de huius nominis significatione compositam, solum pro *supposito* accipitur, & *hypostasis rationalis naturæ* solum capitur pro *persona*, quo circa nullus Theologorum audebit concedere vnam hypostasim absolutam, & tres relatiuas: ergo concedenda non est subsistentia absoluta. Minor cum consequentia tenet.

31 *Maior prob. 1.*

Maiorem probant primo ex Maxentio in sua confessione fidei, quæ habetur 5. tomo Bibliothecæ sacræ: *Fatemur idem omnino esse personã, & subsistentiam in rationali natura: persona* autem idem est, quod *hypostasis* in natura rationali. Et ex Martino 5. *in Concilio Lateranensi consultatione 5. canone 1.* diffiniẽte, Deum esse vnitatem in Trinitate, explicat autem vnum Deum in tribus subsistentijs, ac si Græcè diceretur *hypostasibus*. Quo circa Imperator Iustinianus *Latinè* scribens ad Pontificem Ioannem 11. sic ait: *Quoniam non est idem natura, & subsistentia; omnes enim Sancti Patres consonantèr nos docent, aliud esse naturam, siuè substantiam, & formam, aliud subsistentiam, siuè personam, & naturam quidem, vel substantiam, & formam, hoc, quod est commune, significare, subsistentiã autem, siuè personam, hoc, quod est speciale.*

Secundo probatur ex D. Thoma in præsenti, quæst. 29. art. 2. ad finem corporis, vbi docet: *Quod hoc nomen* persona *significat in genere substantiarum rationalium, quod hæc tria nomina*, res naturæ, subsistentia, & hypostasis, *in toto genere substantiæ significant*. Et solutione ad 2. sic ait: *Ad secundum dicendũ, quod sicut nos dicimus in diuinis* pluralitér *tres personas, & tres subsistentias, ita Græci dicunt tres hypostases*: ergo ex mente D. Thomæ *persona*, & *subsistentia*, in natura rationali, sunt idem, & idẽ est *subsistẽtia* Latinè, quod *hypostasis* Græcè.

32 *Secũdo.*

Tertio: quia aliud nomen latinum excogitari non potest, quod melius subrogetur nomini Græco *hypostasis*, quam *subsistentia*. Denique: nam postquam antiqua illa controuersia de significatione huius nominis *hypostasis* composita fuit, nusquam apud Latinos Patres inuenitur nomen *subsistentia* acceptum pro aliquo essentiali communi: ergo quia *subsistentia* Latinè idem significat, quod *hypostasis* Græcè.

Tertio.

Deniq; prob.

Respondeo distingundo maiorem: *subsistentia* in omni sua significatione idem est, quod *hypostasis* Græcè, nego maiorem: in aliqua sui significatione, illaque frequentiori, concedo maiorem, & concessa mi-

33 *Resp.*

nori,

nori, nego consequentiam, vel distinguatur consequens: in significatione Patribus frequentiori, qua correspondet nomini Græco *hypostasis*, concedo consequentiam: in omni significatione, nego consequẽtiam. Itaque sicut hoc nomen *substantia* dupliciter sumitur, primo pro supposito, secundo pro essencia, & in prima significatione conceduntur tres substantiæ in Deo, & negatur vna substantia, in secunda autem conceditur vna, & negantur tres substãtiæ, de quo D. Thomas *quæst. 29. art. 2. ad 2.* & *quæst. 30. art. 1. ad 2.* ita hoc nomen *subsistentia* dupliciter capitur, primo pro perfeitate excludente dependentiam à sustẽtãte in existendo, secundo pro perfeitate excludente communicabilitatem supposito: primo modo est vna, & non multiplicatur, vt *conclusione sequenti* constabit: secundo modo non datur vna subsistentia cõmunis, sed tantum tres relatiuæ, & in hac secunda acceptione correspondet Græco nomini *hypostasis*, nec amplius duæ probationes maioris conuincunt.

34 *Ad 3. prob.* Ad tertiam nego antecedens: nã iuxta D. Thomam quæst. 29. art. 2. ad 2. *Nomen substãtiæ est, quod secundum proprietatem significationis respondet hypostasi.* Quod magis explicans quæst. 30. art. 1. ad 1. aiterit: *Ad significandum substantiam indiuiduam, id est, incommunicabilem, habent Græci hoc nomen* hypostasis.

Ad vltimam. Ad vltimam nego antecedens: nã Augustinus, Hieronymus, & D. Th. post litem compositam vsi sunt nomine *subsistentia* pro perfectione essentiali absoluta, dicere autem Hieronymum & Augustinum, non satis intellexisse significationem, vt inquit Vazquez, audacia est, Nosque melius cum his Patribus ignorare, quam cum Vazquio sapere, arbitramur.

35 *Sed oppones 1.* Sed oppones primo: nam *hypostasis* vnicam solam habet acceptionẽ, illamque relatiuam in Deo: ergo & nomen *subsistentia* solum *relatiuè* accipitur.

Secũdo. Secundo D. Thomã quæst. 29. art. 2. ad 2. illis verbis: *Sed quia nomen substantiæ, quod secundum proprietatem significationis respõdet hypostasi, æquiuocatur apud nos; cum quandoque significet essẽtiam, quandoque hypostasim, ne posset esse erroris occasio, maluerunt pro hypostasi transferre subsistentiam, quam substantiam*; at si subsistentia duplici à Nobis assignata acceptione gauderet, absoluta scilicet, & relatiua, æqua esset erroris occasio, & æqua æquiuocatio in nomine *subsistentiæ*, ac in nomine *substantiæ*, vt per se manifestum est: ergo non gaudet tali duplici acceptione.

36 *Resp. ad 1.* Respondeo ad primam obiectionem concesso antecedenti, negãdo consequentiam: quia nomẽ *hypostasis* apud Græcos significat substantiam indiuiduam; cumque hæc solũ *relatiuè* dicatur in Deo: consequẽs fit, quod non habeat absolutam acceptionem: *subsistentia* autem iuxta D. Thomam *quæst. 29. art. 2. in corpore*, dicitur secundum quod per se existit, & non in alio: illa enim subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt; & quia in se, & per se existere, potest excludere dependentiam à sustentante in existendo, & sic dicitur *absolutè* in Deo, & potest excludere communicationem supposito, & sic dicitur *relatiuè*; consequens fit, quod gaudeat duplici acceptione in Deo.

37 *Ad 2.* Ad secundam nego minorem, & ratio discriminis est: nam cum nomina, quibus vtimur ad significanda diuina, ex creaturis sumantur, & in creaturis *substantia* non sit relatiua, sed absoluta, *subsistẽtia* autem absque incommunicabilitate non reperiatur; consequens fit, quod frequentior acceptio huius nominis *substantia* in diuinis sit pro essentia absoluta, non pro supposito relatiuo: è contra autem, frequentior vsurpatio huius nominis *subsistẽtia*

ſit pro termino incommunicabili, quam pro perfeitate abſoluta, quæ communicabilis eſt; ac proinde quod in aſſerendo tres ſubſtantias in Deo ſit erroris occaſio, ſecus autem in aſſerendo tres ſubſiſtentias.

38 *Inſtabis* Inſtabis: ergo ſicut non dicimus tres ſubſtantias in Deo, vt vitetur erroris occaſio, ita non dicemus vnam ſubſiſtentiam, vt eadem erroris occaſio vitetur.

Reſp. Reſpondeo concedendo conſequentiam: vnde ſicut non dicimus tres ſubſtantias *abſolutè*, dicimus tamen abſque occaſione erroris tres ſubſtantias relatiuas, ita abſolutè aſſerendum non eſt, eſſe in Deo vnam ſubſiſtentiam, ſed addendum eſt *abſolutam*, vel aliquid aliud denotans, Nos de abſoluta loqui ſubſiſtentia; & certè ſufficit Authoribus noſtræ ſententiæ, quod ſicut conceduntur in Deo tres ſubſiſtentiæ, addendo *relatiuæ*, ita concedatur in Deo vna ſubſiſtentia abſoluta.

39 *Obijciunt 2. Antec. prob. 1.* Obijciunt ſecundo: fruſtra ponitur ſubſiſtentia abſoluta: ergo non eſt in Deo conſtituenda, in quo nihil ponitur fruſtra. Antecedens probatur primo: vt diuina natura ſubſiſtat, ſatis ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, quibus Dei naturam ſubſiſtere, ex eo patet, quod ſpectant ad eius complementum, vtp otè ſine quibus incompleta foret natura: ergo abſoluta ſuperfluit.

Secũdo. Secundo: ſi in Deo eſſet vna tantum perſona, præter Deitatem, & vnicam perſonalitatem, per quam Deitas ſubſiſteret, ſubſiſtentia nuda, & à perſonalitate diſtincta, ſuperflua eſſet; at nulla eſt ratio cur tres perſonalitates, quas religio Chriſtiana fatetur in Deo, non præſtet omne id, quod tùc præſtaret perſonalitas abſoluta: ergo ſuperflua eſt ſubſiſtentia abſoluta ab illis diſtincta.

Tertio. Tertio: in creatis præter perſonalitatem ſuperfluit ſubſiſtentia diſtincta: ergo in Deo ſuperflua etiam erit ſubſiſtentia abſoluta à relatiuis perſonalitatibus diſtincta.

40 Reſpondeo negando antecedens. Ad primam probationem nego antecedens: nam relationes non dant naturæ diuinæ ſubſiſtere, ſubſiſtentia accepta pro exiſtentia per ſe indepẽdenter à ſuſtentante, ſicuti neque illi præſtant independentiam à ſubiecto inhæſionis, ſed ſolum tribuunt illi incommunicabilitatem, & ideo ſubſiſtentia abſoluta neceſſaria eſt ad primum præſtandum.

Reſ. Ad 1. prob. antec.

41 *Ad 2.* Ad ſecundam conceſſa maiori, nego minorem, ratio diſcriminis eſt: nam tunc caſus, perſonalitas, vel non eſſet diſtincta a natura diuina, ſi exiſtentia ab illa *virtualitèr* diſtincta non eſt, vel ad minus eſſet perfectio abſoluta diſtincta à natura, iuxta modum, quo ab illa exiſtentia diſtinguitur: nullum autem eſt inconueniens, quod exiſtentia non competat *exercitè* eſſentiæ diuinæ, niſi depẽdenter ab aliqua perfectione abſoluta, & illi eſſentiali; modo vero perſonalitates ſunt relatiuæ *virtualitèr* ab eſſentia diſtinctæ, illamque poſteriores, & eſt inconueniẽs, quod modus perfectiſsimus exiſtendi, qualis eſt *ſubſiſtere*, Deo competat dependentèr à relationibus, ſicut etiã in illo caſu *intellectio*, & *volitio*, nõ competerent Deo pro priori ad perſonalitatem abſolutam, abſque eo quod in hoc aliquod inconueniens tunc eſſet; modo tamẽ inconueniens foret, quod iſtæ operationes pro priori ad relationes Deo non conuenirent.

42 *Ad 3. prob.* Ad tertiam cõceſſo antecedenti, nego conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt: quia in natura creata poteſt ab eadem forma præſtari quod perfectionis eſt, nempè *ſubſiſtere*, & quod eſt incõmunicabilitatis, in Deo autem incommunicabilitas non poteſt niſi à relatione præſtari, ſubſiſtentia autem accepta pro exiſtentia per ſe, cum perfectio maxima ſit, non poteſt à relatione prouenire, quæ perfectio ratione ſui non eſt, in noſtra ſententia, vel etiam ſi perfectio relatiua ſit, eſſentiam in linea abſoluta perfectè, & exiſtentẽ per ſe debet ſupponere, iuxta dic-

ta inter probandam nostram conclusionem.

43 *Tertio obijciũt*

Tertio obijciunt: diuina essentia pro priori ad relationes terminantes illam non subsistit: ergo non datur subsistentia absoluta. Antecedẽs multipliciter probant, primo: subsistere non est per se existere indepẽdentér à subiecto inhæsionis, aliàs natura humana in Christo propria subsistentia gauderet; cum ratione sui subiecto inhæsionis repugnet, & quæcumque pars substantialis subsisteret eadem de causa, sed est per se existere, id est non in alio, vel cum repugnantia ad essendum in alio; at natura diuina pro priori ad relationes ista perfeitate non gaudet; cum non repugnet in personis existere, imo potius id petat: ergo pro illo priori non subsistit.

Antec. prob. 1.

44 *Secũdo prob. antec.*

Secundo: subsistere est esse per se, id est, non in alio tanquam in termino; at natura diuina cum omni prædicato absoluto est in alio, scilicet in personis *virtualitèr* ab illa distinctis, tanquam in terminis substãtialibus: ergo ratione nullius prædicati absoluti subsistit.

Tertio.

Tertio: subsistentia est quasi in se sistentia; sed natura diuina non sistit in aliquo prædicato absoluto, sed cũ omnibus absolutis transit vlterius, & communicabilis est personis: ergo ratione nullius prædicati absoluti subsistit.

45 *Resp. Ad 1. prob. antec.*

Respondeo negando antecedens, ad primam probationem distinguo maiorem: per se, id est, non in alio, tanquam in sustentante, concedo maiorem: vt præcisè terminante, nego maiorem in omni subsistentiæ acceptione, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: quia licet natura diuina petat esse in personis ratione fęcunditatis, non tamen petit esse in illis ob indigentiam vt in illis, seu ab illis sustentetur, & *exercitè* existens constituatur, sed hoc habet ratione sui, & personæ ratione essentiæ, vt *conclusione sequenti* constabit.

46

Ad secundam eodẽ modo distinguo maiorem: tanquam in termino per se terminante, & distinguente, nego maiorem: sustentante, concedo maiorem, & sub eadẽ distinctione minoris, nego cõsequentiam. Ad tertiam distinguo maiorem: quasi in se sistentia, quoad independentiã, concedo maiorem: quoad communicationem sine dependẽtia in existendo, nego maiorem in omni subsistentiæ acceptione, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet natura diuina communicabilis sit tribus personis, quoad existere tamen non dependet ab illis, & ideo quoad independentiam sistit in se.

Ad 2. & 3. prob.

47 *Deniq; obijciũt*

Denique obijciunt, & instatur cõtra hanc solutionem: natura diuina est in personis, & quasi sustentatur ab illis: ergo vt communis est non subsistit. Consequentia tenet ex dictis.

Antec. prob. 1.

Antecedens autem ostenditur primo: quod ab illis sustentetur nulla est imperfectio in natura diuina: nam cum relationes ei competant à se, non tollitur per hoc quod ab illis sustentetur, quod existat, & subsistat per se: ergo est in illis quasi ab illis sustentata.

48 *Secũdo prob. antec.*

Secundo probatur: naturam sustentari à suppositò est in illo, & ab illo compleri; at Dei natura cõpletur per subsistentias relatiuas: tũ, nam cum illas ab intrinseco petat, debent aliquo modo ad naturam spectare; cumque nõ spectent vt proprietates, spectare debent vt complementa illius. Tum etiam: quia natura sine illis absque dubio aliquo sui complemento careret: ergo sustentatur ab illis.

49 *Tertio prob. antec.*

Tertio: subsistentia absoluta, si datur, est attributum diuinæ naturæ: ergo pro priori ad emanationem virtualem illius non intelligitur natura subsistens, sed subsistens, seu sustentata redditur per aliquid *virtualitèr* ab illa distinctũ: ergo nulla erit imperfectio in natura diuina, quod pro priori ad relationes *virtualitèr* ab illa distinctas non intel-

ligatur

ligatur subsistens, & quod in illis sit, & quasi sustentetur ab illis.

50 *Deniq; prob.* Denique: nam stat benè, quod natura diuina pro priori ad relationes perfectissimè existat, & tamen quod non subsistat, nisi in illis, & quasi sustentata in personis: ergo in personis est vt ab illis sustentata. Cõsequentia tenet. Antecedens autem probatur: natura diuina in abstracto perfectissimè existit; & tamen vt in abstracto non subsistit, sed indiget alio, tanquam sustentante, *entitatiuè*, & *realitèr* ab illa indistincto: ergo stat benè, Dei naturam pro priori ad relationes perfectissimè existere, & tamen quod pro illo priori non subsistat.

51 *Resp. Ad 1. prob. antec.* Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem nego etiã antecedens: nam sicut non obstante, quod relationes ei competant à se, esset imperfectio in natura diuina, quod non existeret nisi per relationes, ita imperfectio esset, quod per se non existeret, nisi per illas. Et ratio vtriusque est: quia naturæ in statu absoluto debet conuenire vltima actualitas, quæ existentia est perfectissimo modo, non autem sic conueniret, si existentia non conpereret ipsi cum perfeitate in statu absoluto.

52 *Ad 2.* Ad secundam distinguo maiorẽ: complemento exacto ex indigentia, vt *exercitè* existat, concedo maiorem: complemento orto non ex necessitate, sed ex fęcunditate naturæ, & existentiæ, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam relationes, & si compleant naturam, complemento orto ex fęcunditate summa, qua petit per se existere in tribus personis, non tamen complemento orto ex indigentia, vt *exercitè* existat; quia cum hoc non staret summa perfectio absolutæ existentiæ, sicut nec summa perfectio intellectionis diuinæ subsistere posset, si Verbum esset complementum illius ex indigentia, bene tamen si sit complemẽtum ex fęcunditate.

53 *Dices. Resp.* Si dicas: diuina essentia non potest existere sine personalitatibus: ergo sunt complementa ex indigentia naturæ ad existendum. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam, & insto, tum in possibilitate creaturarum, sine qua omnipotentia subsistere nequit. Tum in diuina intellectione, quæ sine Verbo non potest existere; & tamen nec posibilitas requiritur ex indigentia, sed ex fęcunditate omnipotentiæ, nec Verbi productio ex indigẽtia, sed ex fęcunditate intellectionis.

54 *Ad 3. prob.* Ad tertiam probationem nego antecedens: nam sicut existentia nõ est attributum diuinæ naturæ, sed ad naturam spectat in aliquorum sententia, ita subsistentia, quæ complementum est naturæ, vt existat, nõ est attributum, sed ipsissima natura diuina, etsi cum diuersa expresione, siuè diuersitate modi significandi, siuè obiectiua tantum inadæquata intra lineam naturæ. Vel secundo, & melius, consequenter ad dicta *Tomo* 1. *disp.* 4. §. 10. concesso antecedenti, & prima cõsequentia, nego secundam: nam sicut inconueniens non est, quod natura diuina non per se ipsam per modum naturæ, sed per attributum constituatur intelligẽs, scilicet per *intellectionem*, quæ in mea sententia attributum est naturæ, & tamen esset in cõueniens, quod per relationes redderetur *intelligens*, & sicut in sententia *veriori* per attributum redditur existens, & tamen in conueniens esset, quod per relationes existens constitueretur, ita poterit, absque vlla imperfectione, subsistens per attributum constitui, & ante illud non intelligi subsistens, & tamen, quod per relationes subsistens reddatur, erit inconueniens. Et ratio huius est: quia dum primum natura intelligitur existens, debet intelligi perfectissimè existẽs, non autem sic intelligeretur, si ante relationes intelligeretur existens, & pro illo priori non intelligeretur existens per se, quod est idem ac sub-

Ad vltimã probationẽ

sistere. Ad vltimam nego antecedens, ad cuius probationem dicatur, naturam diuinam in abstracto non existere vt *quod*, sed solum vt *quo*, sicut non operatur vt *quod*, sed tantum vt *quo*, solum autem id subsistit, quod vt *quod* existit, & vt *quod* operatur.

55 *Si opponas.*

Si dicas: Deus, vt communis tribus personis, non operatur vt *quod*, & consequenter nec vt *quod* existit: ergo si solum id subsistit, quod existit vt *quod*, Deus, vt relationes præuenit, non subsistit. Probo antecedens: in primis namque non operatur vt *quod* per actiones notionales, nec per actiones essentiales; non enim creat hic Deus vt tribus personis communis, sed vt est in tribus personis: ergo nullatenus operatur vt *quod*.

Resp.

Respondeo negando antecedẽs, ad cuius probationem concedo primam partem antecedentis: eo quod operatio notionalis, cum sit productiua ad intra, petit pro cõcreto subsistens *realitèr* distinctum à termino producto; & consequenter subsistens subsistentia incommunicabili, qualis non est subsistentia communis, nego autem secundam partem antecedentis: nam licet in re Deus in tribus personis subsistens operetur ad extra, per se autem solum se habet ad tales operationes hic Deus, vt subsistens subsistentia absoluta, & communi, quo circa ex creaturis

Trinitas personarum
est incognoscibilis.

§. IV.

In vna acceptione subsistentiæ non multiplicari, probatur.

56 *Secũda conclusio.*

SEcunda conclusio: *Subsistentia in hac acceptione, scilicet pro existentia per se independentèr à sustentante, non multiplicatur in diuinis personis, sed vna subsistentia absoluta tres personæ subsistunt.* Hanc concedo Authoribus *sectiæ sententiæ*, nec meo iudicio dissentire ab illa possunt nostri Thomistæ pro *tertia sententia* adducti.

Prob. 1. ex D. Tho.

Illam ostendo primo ex D. Thoma q. 9. de potentia art. 5. ad 13. ibi: *In diuinis autem proprietates personales hoc solum habent, quod supposita diuinæ naturæ ab inuicẽ distinguunt, non autem sunt principium subsistendi diuinæ essentiæ: ipsa enim diuina essentia est secundũ se subsistens, sed è conuerso, proprietates personales habent quod subsistant ab essentia.* Id ipsum docuerat quæst. 8. artic. 3. 7. 8. & 9. illis verbis: *Dicendum, quod relatio, vt dictum est, distinguit in quãtum est relatio, constituit autem hypostasim in quantum est diuina essentia, & vtrunque facit in quantum est diuina essentia, & relatio*: ergo ex mente Diui Thomæ, relationes ratione sui non sunt subsistentes, in aliqua subsistentiæ acceptione, sed ratione essentiæ; & consequenter, subsistentia, in tali acceptione, non multiplicatur in diuinis perso-

nis;

nis ; at huiuſmodi ſubſiſtentiæ acceptio non eſt alia quàm in concluſione ſtatuta, nempe pro per ſe exiſtentia, perfeitate excludente dependentiam ab aliô tanquam à ſuſtentante : ergo ſubſiſtentia ſic accepta non multiplicatur in diuinis perſonis.

57 *Reſp.* Dices, relationes ſubſiſtere in quantum ſunt diuina eſſentia, ly *in quantum* denotãte radicem, & hoc intendere D. Thomam, non autem ly *in quantum* denotante rationem vnicam formalem ſubſiſtendi ; hoc enim habẽt ratione ſui quatenus ab eſſentia diſtinctæ. Quod autem ſic intelligendus ſit D. Thomas, exinde manifeſtum videtur, quod aſſerit, relationes, in quantum ſunt diuina eſſentia, hypoſtaſim conſtituere, quod eſſe verum non poteſt, ly *in quantũ* denotante rationem formalem, ſed ſolum radicem, aliàs diuinæ perſonæ, ſeu hypoſtaſes, per aliquid abſolutum conſtituerentur: ergo eodem modo interpretandus eſt, quando aſſerit, ſubſiſtere in quantum ſunt eſſentia diuina.

58 *Cõtrar.* Sed contra primo: nam D. Tho. *ſolutione illa ad* 13. *argumentum*, conſtituit diſcrimen inter omnem naturam creatam, & diuinam, per hoc quod diuina à ſe, & per ſe ſubſiſtit, & proprietates ratione illius; in creatis autem non ita contingit, ſed proprietates dant naturæ, & ſubſiſtere, & ab alijs diſtingui; at ly *in quantum* denotante eſſentiam pro radice ſubſiſtendi in proprietatibus, non ſubſiſtit hoc diſcrimen : nam etiam in natura Angelica proprietates indiuiduantes habẽt *radicalitèr* à natura ſubſiſtere : ergo denotat, non radicem, ſed rationem formalem.

59 *Secũdo.* Secundo: nam *ibidem* negat, proprietates perſonales dare diuinę naturæ quod ſubſiſtat; at ſi ratione ſui ſubſiſtere haberent in ſenſu concluſionis, darent diuinæ eſſentiæ, quod per illas ſubſiſteret, ſicut dant eſſentiæ realitatem, imo & perfectionem, in ſententia, quæ relationibus relatiuas perfectiones cõcedit: ergo ratione ſui ſubſiſtentiam, in ſenſu concluſionis, non habet.

Tertio. Terrio: nam D. Thomas aſſerit, ratione ſui diſtinguere ſuppoſita, illa tamen ſubſiſtentia conſtituere in quantum ſunt diuina eſſentia; at ſi ly *inquantum* ſolum denotat radicẽ, non eſt diſcrimen inter hoc quod eſt conſtituere, & diſtinguere: nam etiã ab eſſentia *radicalitèr* habent quod diſtinguant ſuppoſita, ſicut & totum ſuum eſſe ab eſſentia *radicalitèr* habent: ergo non radicem, ſed rationem formalem denotat particula *in quantum*.

60 *Reſp.* Dices, relationes habere ab eſſentia, quod diſtinguant *ſuppoſitalitèr*, non vero habere ab illa, quod diſtinguant *abſolutè*, ſed ratione communis conceptus relatiui, & in hoc D. Thomam ſtatuiſſe diſcrimen.

Contra. Sed contra : nam ſicut habent ratione ſui diſtinguere abſolutê aliqua diſtinctione, ita habent ex communi conceptu cõſtituere in aliquo eſſe: ergo ſi diſtinguere *ſuppoſitalitèr* habent eodem modo ab eſſentia, quo conſtituere in eſſe ſubſiſtentis, nullum extat diſcrimen inter diſtinguere, & conſtituere, quoad hoc quod eſt relationes illud ab eſſentia habere. Nec iuuat coniectatio pro interpretatione adducta : nam non loquitur D. Thomas de conſtitutione hypoſtaſis in ratione hypoſtaſis, ſeu perſonæ, ſed de conſtitutione illius in ratione ſubſiſtentis, ſubſiſtentia, de qua loquimur, licet autem primum ſolum *radicalitèr* habeant ab eſſentia, ſecundum autem habent ab illa *formalitèr*. Quod autem ſic interpretandus ſit D. Thomas, conſtat *ex quæſt.* 8. *articulo* 3. *ad* 7.

61 *Secũdo prob. cõcluſio.* Secundo probatur concluſio : attributa, vt *virtualitèr* ab eſſentia diſtincta, non gaudent ſubſiſtentijs *virtualitèr* diſtinctis à ſubſiſtentia abſoluta eſſentiæ: ergo relationes, vt *realitèr* inter ſe diſtinctæ, non ſubſiſtunt per ſubſiſtentias *realitèr* diſ-

tinctas,

tinctas, iuxta dictam subsistentiæ acceptionem. Antecedens cõstat à paritate existentiæ, quæ non multiplicatur *virtualitèr* in attributis: ergo nec subsistentia, accepta pro perfeitate existendi, *virtualitèr* multiplicatur; cum subsistentia sic dicta, in vera Thomistarum sententia, consistat in vltimo complemento naturæ ad vnionem cum existentia.

62 *Consequentia prob. 1.*

Consequentia vero probatur primo ex D. Thoma q. 9. de potentia art. 5. solutione ad 16. argumentum, illis verbis: *Dicendum, quod attributa essentialia nullam ad inuicem habent oppositionem, & ideò licet subsistant sicut relationes, non tamẽ cõstituũt pluralitatẽ suppositorũ*: ergo iuxta D. Th. attributa, & relationes parificãtur quoad hoc, quod est subsistere, id est per se existere; & consequenter si in attributis nõ plurificantur *virtualitèr* subsistentiæ, sed vna subsistẽtia essentiæ subsistũt, nec in relationibus multiplicantur *realitèr*, subsistẽtia accepta pro per se existentia.

63 *Secũdo.*

Secundo probatur: attributa nãque non minus habent rationẽ subsãtiæ, quam relationes: ergo si quãuis ab essentia *virtualitèr* distinguantur, perfeitas dependentiam à sustentante excludens non multiplicatur in illis *virtualitèr*, pariter relationes, estô substantia sint, & ab essentia *virtualitèr* distinguantur, perfeitas, dictam dependentiam excludens, non erit in illis *virtualitèr* ab essentiæ perfeitate distincta; & cõsequenter nõ multiplicabitur *realiter*.

64 *Tertio prob. cõclusio.*

Tertio probatur: vnica existẽtia essentiæ sufficit vt existãt relationes diuinæ, vt fatentur nostri Thomistæ, & ex alienis plures, fusèque ostendimus *q.* 28. *disp.* 80. ergo vna existentię essentiæ perfeitas sufficiet vt per se existant; & consequenter non multiplicabitur *realitèr* in illis subsistẽtia accepta pro per se existẽtia, perfeitate excludente dependentiam ab alio, tanquam à sustentante. Probo consequentiam primo: nã ideò existentia vnica sufficit, quia conceptus existentiæ absolutus est; at etiã subsistentia, in prælata acceptione, est absoluta, vt expresè docet D. Thomas in 1. distinct. 26. q. 2. art. 1. ad 4. illis verbis: *Quæ dicuntur per respectum ad esse, prædicantur singulariter, vt subsistentia, & essentia, quamuis nomen subsistentiæ apud vsum Sanctorum sumatur pro hypostasi, vt prius dictum est*: ergo non multiplicatur *realiter* in diuinis relationibus.

Prob. cõsequentia 1.

Secundo: nam ideò existentia essentiæ sufficit, vt relationes existant, quia infinita est in ratione existẽtiæ; at etiam subsistentia essentiæ infinita est in ratione excludentis dependentiam à sustentante: ergo sufficiet, vt per illam relationes subsistãt, seu per se existant, perfeitate excludẽte præfatam dependentiam.

65 *Secũdo.*

Tertio: nam quia existentia essentiæ constituit existentes personas, vnum esse à sę prædictæ existentiæ constituit personas existentes à se, quo circa ratio *increati* non multiplicatur in illis: ergo eãdem ratione vnica existẽtiæ diuinæ perfeitas, dependentiam à sustentante excludẽs, erit sufficiens, vt relationes existant per se; ac proinde non multiplicatur *realitèr* in illis.

Tertio.

Denique: nam eo ipso, quod existentia essentiæ se sola constituat existentes personas, non potest illis ratione sui immediatè competere, sed ratione essentiæ diuinæ: ergo eo ipso relationes ratione sui non existẽt per se, sed ratione essentiæ tantum; & consequenter talis perfeitas in illis multiplicari nequit. Patet consequentia: nam perfeitas hæc consistit in eo, quod aliquid existat ratione sui, & nõ alterius: ergo si relationes non ratione sui, sed ratione essẽtiæ existunt, non cõuenit illis ratione sui perfeitas existẽdi; & consequẽter nec subsistentia.

66 *Denique; prob. cõclusio.*

Et confirmatur: nam subsistentia, de qua loquimur *in hac conclusione*, est vltimum complementum entitatis ad existendũ; at eo ipso quod

67 *Cõfirm.*

exiſtentia relationibus, non ratione ſui, ſed ratione eſſentiæ conueniat, non ſunt ratione ſui vltimò, & cõpletè, exiſtendi capaces, ſed ſolum ratione eſſentiæ, ſicut partes compoſiti non ratione ſui, ſed ratione compoſiti exiſtunt, quo circa non ſubſiſtunt: ergo eo ipſo non conuenit illis ſubſiſtentia ratione ſui, ſed præcisè ratione eſſentiæ.

§. V.

Contraria argumenta ſoluuntur.

68 *Arg. 1.* COntra iſtam concluſionem arguitur primo ex D. Thoma infra q. 40. art. 3. in corpore illis verbis: *Non enim proprietates perſonales intelliguntur aduenire hypoſtaſibus diuinis, ſicut forma ſubiecto præexiſtenti, ſed afferunt ſecum ſua ſuppoſita, in quantum ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtentes, ſicut Paternitas eſt ipſe Pater*; at ſi proprietates perſonales non afferrẽt ſecum propriam ſubſiſtentiam, intelligerentur aduenire ſicut formæ ſubiecto, & ſecum non afferrent ſua ſuppoſita; ſiquidem ratione ſui non ſubſiſterent, ſed ſolum ratione naturæ, cui aduenirent: ergo ratione ſui gaudent ſubſiſtentia diſtincta à ſubſiſtentia eſſentiæ.

69 *Reſp. & explicatur D. Tho.* Reſpondeo, mentem D. Thomæ *ibi* eſſe ſaluare, quod remotis proprietatibus, non remaneat in Deo intellectus hypoſtaſis, & rationem reddit: *Nam proprietates non aduenient hypoſtaſibus ſicut ſubiecto præexiſtenti, ſed aduenient conſtituendo ipſas hypoſtaſes; & conſequẽter illis remotis intellectus hypoſtaſis manere non poteſt*: vnde nõ negat D. Thomas, quod eſſentiæ aduenient ſicut præexiſtenti ſubiecto, ſed quod aduenient iſto modo hypoſtaſibus, ad quod ſaluandum ſufficit, quod ſecum afferant propria s ſubſiſtentias, quoad perfeitatem incõmunicabilitatis, quam non ſupponunt, non autem requiritur, afferre proprias ſubſiſtentias, quoad perfeitatẽ independentiæ ab alio, tanquam à ſuſtentante.

70 *Arg. 2.* Secundo arguitur: ratio habendi naturam diuinam eſt ſubſiſtentia, quoad perfeitatem independẽtiæ ab alio, tanquam à ſubiecto; ſed dantur in perſonis plures rationes habendi Deitatem: ergo & plures perfeitates independentiæ, & plures ſubſiſtentiæ. Minor probatur: non enim poteſt plurificari nomen adiectiuum abſque pluralitate rationum habendi formam; at diuinæ perſonæ ſunt plures habentes Deitatem: ergo dãtur in illis plures rationes habendi Deitatem.

Confirm. Confirmatur: perſonalitas Patris v. c. eſt ex vi ſuæ lineæ ratio, qua Pater in natura diuina ſubſiſtit: ergo ratione ſui, & intra propriam lineam ſubſiſtentia eſt; & conſequenter rationem ſubſiſtendi multiplicat.

71 *Reſp.* Reſpondeo diſtinguo maiorem: ratio habendi, quoad independentiam à ſuſtentante in exiſtendo, concedo maiorem: ratio habendi, quoad incommunicabilitatem, nego maiorem, & diſtinguo minorem: ſunt plures rationes habendi, quoad independentiam, nego minorem: quoad incommunicabilitatem, cõcedo minorem, & nego conſequentiam, loquendo de ſubſiſtentia pro perfeitate independentiæ. Itaque perſonalitas Patris, v. c. eſt ratio ſubſiſtendi *independenter*, & ratio ſubſiſtendi *incommunicabiliter*: primum habet non ex vi lineæ relatiuæ, ſed ratione eſſentiæ incluſæ, ſecundum ratione propriæ lineæ, & ideò multiplicatur ſubſiſtentia in ſe-

cun-

cunda acceptione, vt *sequenti conclusione* videbimus.

72 *Ad cõf.* Ad cõfirmationem distinguo antecedens: est ratio, qua Pater in diuina natura subsistit, quoad perfeitatem incommunicabilitatis, concedo antecedens: quoad perfeitatem independentiæ à sustentante, nego antecedens, & distinguo consequẽs: est subsistentia quoad independentiam, nego consequentiã: quoad incõmunicabilitatẽ, concedo consequentiã.

73 *Replica bis* 1. Sed oppones primo: sequi ex hac solutione, personalitatem Patris intra propriam lineam nõ obtinere rationem personalitatis cõpletam; cõsequens est falsũ: ergo & solutio tradita. Probatur sequela: de ratione personalitatis perfecta, & completa, est, quod sit ratio subsistendi, nedum *incommunicabilitèr*, sed etiam *independentèr*. Tum, quia de ratione personæ vtraque perfeitas est: & cõsequẽter vtraq; à personalitate perfecta debet prouenire. Tum etiam: quia personalitas creata habet ratione sui vtramque perfeitatẽ præstare: ergo si Paternitas ratione sui vtramque perfeitatem non præstat, non obtinet intra propriam lineam perfectã perfeitatis rationẽ. Ex quo vlterius sequitur, aliquid ad perfeitatem spectans à diuina prouenire natura, ac proinde esse *sẽmipersonam*, vt loquitur Caietanus.

74 *Secũdo.* Secundo: Paternitas ad essentiã addit rationem substantiæ: ergo addit perfeitatem indepẽdentiæ à subiecto inhæsionis: ergo etiam addit perfeitatem independentiæ à sustentante. Patet antecedens: nam personalitates sunt plures substãtiæ relatiuæ: ergo addunt perfeitatem independentiæ à subiecto inhæsionis, in qua consistit cõceptus substãtiæ.

Tertio. Tertio: Paternitas v. c. ratione sui omnem dependentiam excludit: ergo ratione sui gaudet perfeitate independentiæ à sustentante.

Quarto Quarto: eo ipso quod Paternitas ratione proprij conceptus gaudeat perfeitate incommunicabilitatis suppositi, illi ratione sui repugnat sustentari ab alio: ergo eo ipso gaudet ratione sui perfeitate independentiæ à sustentante; & consequenter subsistentia est, in acceptione nostræ conclusionis.

75 *Resp. ad 1. replicam.* Respondeo ad primam obiectionem negando sequelam, ad probationem, nego antecedens. Quod non conuincunt duæ probationes, non prima: nam licet vtraque perfeitas sit de cõceptu personæ; cum ad personam constituendam ingrediãtur natura, & personalitates, potest vna à natura, & altera à personalitate præstari. Vnde ex hoc non colligitur, vtramque perfeitatem esse de ratione personalitatis in abstracto. Nec secunda: nam quod personalitas creata vtramque perfeitatem ratione sui præstet, prouenit ex imperfectione naturæ creatæ, quæ ante personalitatem subsistens non est, imõ nec existens: vnde non colligitur, vtramque perfeitatem esse de ratione personalitatis ex communi conceptu, sicut non valet ista consequẽtia: *Personalitas creata naturam primo subsistentem constituit: ergo est de ratione personalitatis, vt sic, primo subsistentem naturam constituere*; cum plures ex illis, contra quos nostra conclusio procedit, fateantur absolutam subsistentiam essentiæ; & consequenter fateri etiam tenẽtur personalitatem diuinam nõ esse primam rationem subsistendi naturæ.

Instatur arg.

76 *Ad 2. resp.* 1. Ad secundam respondeo primo distinguendo antecedens: addit rationem substantiæ, si accipiatur pro supposito, concedo antecedens, & in hoc sensu à Patribus plures conceduntur substantiæ: rationem substãtiæ acceptam pro essentia per se, nego antecedens, in quo sensu à Patribus plures substantiæ etiam relatiuæ negantur, & nego consequentiã, sed solum infertur, addere perfeitatem incommunicabilitatis, non autẽ independentiæ.

77 *Secũdo resp. & arg. instatur.* Vel secundo, omisso antecedenti, & prima consequentia, nego secundam, instoque argumentum: tum, in

partibus compoſiti ſubſtantialis, in quibus inueniuntur plures perfeitates inhærentiæ oppoſitæ, & tamen nõ dãtur in illis plures perfeitates independentiæ à ſuſtentante, ſeu à ratione formali exiſtendi, aliàs per ſe, & ratione ſui ſubſiſterent, quod plures ex contrarijs negant, etiam ex illis, qui plures partiales exiſtentias concedunt. Tum etiam, in eſſentia ſubſtantiæ, de cuius conceptu eſt perfeitas, inhærentiæ oppoſita; & tamẽ non eſt de illius eſſentiali conceptu perfeitas independentiæ ſubſiſtentiam conſtituens. Tum denique, in diuinis attributis, quibus plures rationes ſubſtantiæ concedendæ ſunt neceſſario, ſuppoſito quod relationes ſint plures ſubſtantiæ *realitèr*; & conſequenter multiplicari debent in illis *virtualitèr* perfeitates inhæſioni oppoſitæ; & tamen perfeitas indepẽdentiæ à ſuſtentante, in qua ſubſiſtẽtia conſiſtit, in illis *virtualitèr* non multiplicatur.

78 *Ad 3. reſp.* Ad tertiam diſtinguo antecedẽs: omnem dependentiã realem ab omni *realitèr* à ſe ipſo diſtincto, concedo antecedens: omnem dependẽtiam virtualem ab aliquo *virtualitèr* ab illa diſtincto, nego antecedens, & conſequentiam: quia licet Paternitas in exiſtendo nequeat ab aliquo *realitèr* diſtincto à ſe depẽdere, dependet tamen *virtualitèr* ab eſſentia ratione cuius *exercitè* exiſtit, & hanc ſecundam dependentiam debebat excludere, vt ratione ſui ſubſiſteret.

79 *Ad vlt.* Ad vltimam diſtinguo antecedẽs: eo ipſo repugnat illi ſuſtentari ab alio, vt ſuppoſito, cõcedo antecedẽs: ab alio ſubſiſtente, etſi non ſit ſuppoſitum, nego antecedens, & conſequẽtiam: quia licet ratione ſui repugnet communicari ſuppoſito, & ab illo ſuſtentari, non tamen repugnat illi ſuſtentari ab alio ſubſiſtente; ſuſtentatur namque ab eſſentia, ratione cuius vltimo capax exiſtendi cõſtituitur: vnde ſicut attributa vt relationes prẽueniunt, nõ ſubſiſtũt ratione ſui, vt *virtualitèr* diſtinguuntur ab eſſentia; quia licet non ſuſtẽtatur pro illo priori à ſuppoſito, ſuſtentantur tamen ab eſſentia vt ſubſiſtente, quia ratione illius eis exiſtẽtia cõmunicatur, ita ſimiliter, licet relationes non ſuſtententur ab alio ſuppoſito; quia ſuſtentantur ab eſſentia ſubſiſtente, ratione cuius capaces exiſtentiæ vltimo conſtituuntur: fit, vt ratione ſui, quatenus ab eſſentia *virtualitèr* diſtinguuntur, nõ ſubſiſtãt, hoc eſt, nõ exiſtãt per ſe, perfeitate excludẽte depẽdẽtiã à ſuſtentãte, etſi ratione ſui gaudeant perfeitate excludente omnem communicabilitatem ſuppoſito.

Sed vrgebis primo: ſequi ex hac ſolutione, quod Perſonalitas creata ratione ſui ſubſiſtentiæ non ſit, in ſẽſu concluſionis; conſequens eſt falſũ: ergo & ſolutio tradita. Probatur ſequela: exiſtit ratione naturæ: ergo ab eſſentia, & compoſito, ſuſtẽtatur; & conſequenter, ſi hac ratione perſonalitates diuinæ ratione ſui ſubſiſtentes non ſunt, nec perſonalitas creata id habebit, quatenus à natura diſtinguitur. 80 *Vrgebis primo.*

Secundo ſequitur, habere Deum, vt relationes præuenit, non ſolũ exiſtere vt *quod*, & ſubſiſtere, ſed etiam eſſe ſuppoſitum, & perſonam; conſequens derogat fidei: ergo idẽ quod prius. Probatur ſequela: communicari alteri, vt formæ, & rationi ſibi adiacenti, non autem ratione ſui per ſe ſubſiſtenti; non obſtat rationi perſonæ, & ſuppoſiti, vt conſtat in perſonis Patris, & Filij, quæ cõmunicantur rationi ſpirationis, quin ex hoc amittant rationem ſuppoſiti, & perſonæ; eo quod non cõmunicãtur illi, vt per ſe ſubſiſtẽdi ratione ſui, ſed vt formæ adiacenti; at ſi perſonalitates non ſubſiſtũt ratione ſui, Deus communicatur illis, tãtum vt formis adiacentibus per ſe, & ratione ſui non ſubſiſtentibus: ergo erit perſona, & ſuppoſitum. 81 *Vrgebis ſecundo.*

Reſpondeo ad primam inſtãtiam negando ſequelam: ad eius probationem dicatur, perſonalitatẽ creatã non exiſtere ratione naturæ prius 82 *Reſp. ad primam inſtãtiã*

exiſten-

existentis vt *quod*, & ratione sui subsistentis, sed existentis solum vt *quo*, & subsistentis ratione personalitatis, ex quo non sequitur, non esse subsistentiã ratione sui, benè vero in nostro casu; quia personalitates diuinæ existunt ratione naturæ existentis prius vt *quod*, & ratione sui subsistentis.

83 *Ad 2.* Ad secundam nego etiam sequelam, ad probationem distinguo maiorẽ: si illud, cui communicatur, nec per se subsistat, perfeitate independentiæ, nec perfeitate incommunicabilitatis aliam incommunicabilitatem non supponente, concedo maiorem: si licet prima perfeitate non gaudeat, gaudeat tamẽ secunda, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiã; quia licet personalitates diuinæ prima perfeitate non gaudeant, gaudẽt tamen secunda, ad differentiam relationis spiratoris, quæ in Patre, & Filio, perfeitatem incommunicabilitatis supponit, & ipsa primam incommunicabilitatem non tribuit.

84 *Secundo arg.* Secundo arguitur: id solum potest ratione sui principium *quod* actionis constituere, quod ratione sui subsistentia est; at personalitas Patris v. c. ratione sui, quatenus ab essentia distinguitur, constituit principium *quod* actionis generatiuæ; cũ principium *quod* illius non sit *hic Deus*, vt tribus personis communis, aliàs omnes personæ generarent: ergo ratione sui subsistentia est, & Patrem subsistentem constituit; & consequenter dantur tres subsistẽtiæ relatiuæ.

85 *Resp.* Respondeo, principium *quod* generationis diuinæ petere duo: primũ est, quod existat vt *quod*, perfeitate independentiæ à sustentante: secundum, quod à termino genito *realitèr* distinguatur, & consequenter, quod subsistat per se, perfeitate incommunicabilitatis: primum Pater habet à subsistẽtia absoluta; quia tamen ab illa secundum non habet: cõsequens fit, quod *hic Deus*, vt communis, non sit principium *quod* diuinæ generationis, sed tãtum Pater, vt subsistens subsistentia incommunicabili, à qua incommunicabilitatem sortitur. Cæterum ex hoc solum sequitur, Paternitatem ratione sui esse subsistẽtiam acceptam pro perfeitate incommunicabilitatis, non autem quod sit subsistentia in sensu cõclusionis, videlicet, accepta pro perfeitate independentiæ.

§. Vltimus.

In alia subsistentia acceptione non dari subsistentiam communem, probatur.

86 *Tertia cõclusio* TErtia conclusio: *Subsistẽtia accepta pro perfeitate incommunicabilitatis, non datur subsistẽtia communis, sed tantum tres relatiuæ.* Ita Authores *tertiæ sententiæ*, cui, meo iudicio, nõ disentiunt, nec disentiri possunt Authores *secundæ*, imô expresè illã concedit Capreolus in 1. dist. 26. q. 1. ad 1. argumentum ex his, quæ secundo loco inducuntur ex Aureolo contra tertiam conclusionem his verbis: *Etsi dicatur vlterius, cum subsistentia dicatur à subsistere, & sit eius conceptus formalis, quomodo pluralificatur subsistentia non pluralificato subsistere, dico quod argumentum concluderet, si subsistentia solum diceretur à subsistere, sed non sic est: nam subsistentia dicit vltra hoc, indiuisionem, & incommunicabilitatem, &*

ideò in diuinis nõ plurificatur ſubſiſtentia ex parte ipſius ſubſiſtere, ſed ex parte indiuiſionis, quæ plurificatur ſecundũ pluralitatẽ ſuppoſitorum: ergo ex mente Capreoli ſubſiſtentia accepta pro perfeitate incommunicabilitatis plurificatur, & non eſt communis.

87 *Prima pars cõcluſionis probatur.* Prima pars concluſionis adeô eſt manifeſta, vt à nullo poſsit negari: omnia enim prædicata abſoluta cõmunia sũt tribus perſonis: ergo nullum ex illis poteſt perfeitate incommunicabilitatis gaudere. Si fortê dicatur, gaudere perfeitate incommunicabilitatis extraneo ſuppoſito. In contrarium obſtat, hãc perfeitatem ſubſiſtentiæ rationem non obtinere; cum cõueniat diuinæ eſſentiæ in abſtracto, cui eſſentialiter repugnat in compoſitionem venire, & tamen in abſtracto ſubſiſtens non eſt, nec vt ſic intelligitur.

Si dicas

Contra.

88 *Secũda pars prob.* Secundam concluſionis partem oſtendo in hunc modum: nam iuxta Concilia, & Patres, dantur plures ſubſiſtentiæ in diuinis; at non dãtur plures, accepta ſubſiſtentia pro perfeitate independentiæ à ſuſtentante, vt *præcedenti concluſione* vidimus: ergo plurificantur, accepta ſubſiſtẽtia pro perfeitate incommunicabilitatis. Conſequutio tenet. Minor cõſtat ex dictis *præcedenti concluſione*. Maior autem probatur ex 6. Synodo generali, actione 11. illis verbis: *Sanctiſsima Trinitas numerabilis facta eſt perſonalibus ſubſiſtentijs*. Id ipſum habetur *in Concilio Nicæno 2. in exemplari litterarum* Theodori Patriarchæ Hieroſolimitani, & *in Concilio Lateranenſi particulari 2.* approbato à Martino Papa 1. *conſultatione 5. Canone 1.* Ex Patribus etiam docet Cyrilus Alexandrinus *Dialogo de Trinitate lib. 3. circa finem.* Naziãçenus *oratione 25. ad Arrianos.* Chriſoſtomus *ad Hebræos 1. homilia 2.* Athanaſius *tom. 5.* in quæſtionibus quæſt. 7. his verbis: *Tres perſonas confiteor, tres ſubſiſtentias, tria propria.* Damaſcenus lib. 1. fidei cap. 9. in fine vbi ait: *Filius propriam habet ſubſiſtentiam, præter eam, quæ Patris eſt.* Denique, omiſsis alijs, id ipſum diſertis verbis tradidit D. Thomas *q. 9. de potentia art. 2. ad 8.* Et ſupra q. 29. art. 2. ad 2. his verbis: *Dicendum, quod ſicut nos dicimus in Diuinis tres perſonas, & tres ſubſiſtentias, ita Græci dicunt tres hypoſtaſes.*

89 *Reſp. 1.* Reſpondebis primo, apud Concilia, & Patres, quando *pluralitèr* ſubſiſtentiæ dicuntur, accipi ſubſiſtentiam pro perſonalitate. Sed contra: nã vel acceptio ſubſiſtentiæ pro perſonalitate propria eſt, vel impropria loquutio? Si primum, habemus intentum, ſcilicet ſubſiſtentiã in aliqua ſui propria acceptione plurificari in diuinis. Si ſecundum, abſque vrgenti neceſsitate, Conciliorum, & Sanctorum Patrum verba ad impropriũ ſenſum extorquentur, quod eſt inconueniens: ergo Concilia, & Patres non ſunt intelligendi de ſubſiſtentia pro perſonalitate accepta, niſi perſonalitas propriê ſit ſubſiſtentia ratione ſui.

Contra

90 *Reſp. 2.* Reſpondebis ſecundo, accipi in præallegatis verbis ſubſiſtentiam *in concreto*: vnde quando Concilia, & Patres, affirmant, plures eſſe ſubſiſtentias, idem eſt, ac ſi dicerent, plures res ſubſiſtentes, ad quod neceſſarium non eſt, quod ſubſiſtentiæ ſint plures, ſed ſufficit plures eſſe res eadem ſubſiſtentia ſubſiſtentes.

Contra Sed contra: nam ad plurificationem concreti ſubſtantiui neceſſarium eſt, plurificari formam: quo circa non poſſunt in Catholico ſenſu tres perſonæ dici tres Dij; eo quod nomen *Deus* ſubſtantiuum eſt, & vna tantum forma ſignificata, ſcilicet *Deitas*: ergo ſi Patres, & Concilia concedunt plures ſubſiſtentias *in concreto*, multiplicãt ſubſtãtiam, quæ eſt forma huius concreti.

91 *Dices.* Dices, hoc concretum *ſubſiſtens*, non ſubſtantiuum, ſed adiectiuũ eſſe, vel vtramque acceptionem admittere, ſicut *omnipotens, ſapiens*, &

alia, quando autem Concilia, & Patres concedunt plures substantias *in concreto*, loquuntur de concreto accepto *adiectiuè*, non *substantiuè*.

Sed contra. Sed contra: accipere formã pro concreto sumpto *adiectiuè*, est impropria acceptio, & loquutio; quo circa nullus Theologorum audebit asserere tres omnipotentias in Deo in loquutione propria, etiam si Catholicê cõcedatur, tres personas esse tres omnipotentes *adiectiuè*: ergo solutio ista verba Conciliorũ ad improprium sensum extorquet absque vrgenti necessitate, quod est inconueniens.

92 *Aliorũ impugnationes excluduntur.* Mitto aliorum impugnationes, quibus solutio tradita solet praeludi. Primo ex eo, quod quando sexta Synodus docet, Trinitatem numerabilem esse tribus personalibus subsistentijs, fieret iste sensus, *trib⁹ personalibus personis*, qui incongruentissimus est. Secundo: nam quia secundum fidem conceduntur in Deo tres personæ, non possunt tres personalitates *in abstracto* negari: ergo pariter, concessis tribus subsistẽtibus, negari non possunt tres subsistentiæ *in abstracto*. Nam ad primã responderi potest, non fieri illũ sensum, sed istum, scilicet, *numerabilem esse tribus personalibus suppositis*, qui sensus incongruus non est. Ad secundam negando consequẽtiam; eo quod ly *persona* non potest accipi nisi solum *substantiuè*, & ideô nec multiplicari in aliquo sensu absque formæ multiplicatione; at vero ly *subsistens* adiectiuê accipi potest, & idcircô multiplicari, absque eo quod forma multiplicetur.

93 *Deniq; resp.* Denique respondebis, multiplicari subsistentiam absque eo quod multiplicetur ratio formalis subsistendi per hoc solum, quod ratio formalis subsistendi, quæ absoluta est, diuersis modis incommunicabilitatis terminetur, sicut conceduntur in Deo plures potentiæ notionales, *generatiua*, scilicet, & *spiratiua*, absque eo quod multiplicetur realiter formalis ratio producendi, quæ in vtraq; est absoluta, sed per hoc quod ratio illa absoluta diuersis rationibus terminetur. Quem dicendi modum primum se inuenisse gloriatur doctissimus noster Ioannes Vincentius.

94 *Sed contra primo.* Sed contra primo: nam sequitur ex hac solutione, multiplicari subsistentiam solum *secundum quid*, nõ autẽ *simplicitèr*; consequens est falsum; dantur enim plures personalitates *simplicitèr*, & subsistentiæ plurificantur eo modo, quo personalitates: ergo prædicta solutio est nulla. Probatur sequela: nam iuxta hãc solutionem, solum multiplicatur in relationibus *ad*, quo se respiciunt, non vero *in*, quo ad subiectum comparantur; at expressus cõceptus respiciendi terminum est extra lineam subsistentiæ, & consequẽter eius multiplicatio non sufficit multiplicare subsistentias *simplicitèr*, sed tãtum *secundum quid*: ergo ex hac solutione sequitur, multiplicari subsistẽtiam *secundum quid*, non autẽ *simplicitèr*. Quo argumento cõuictus doctissimus ille Magister resolutionem traditam, vt minus probabilẽ, deserens, tertiæ sententiæ vt probabiliori consentit.

95 *Secũdo.* Secundo: personalitates multiplicantur in Deo, non solum pro connotato, & secundum aliquem modũ, sed etiam secundum personalitatis substantiam; at personalitas *in recto* est subsistentia; cũ iuxta D. Thomam *supra q. 29. art. 2.* nihil aliud sit personalitas, quam subsistentia in rationali natura: ergo subsistentia, etiam vt ratio subsistendi, multiplicari debet.

Tertio reijcitur. Tertio reijcitur: personalitas, prout est ratio existendi per se, perfeitate incommunicabilitatis, est ratio subsistendi; at prout sic multiplicatur: ergo multiplicatur prout est ratio subsistendi. Minor cum consequentia tenet. Maiorem autem probo: nam iuxta D. Thomam *supra q. 29. art. 2. in corpore*, personalitas dicitur subsistentia, secundum quod est ratio existendi per se, & non in

alio; at in alio esse dupliciter capitur, scilicet per dependentiam à sustentante, & per communicationem sine dependentia, vt constat in anima rationali, quæ dicitur esse in materia, etsi non depẽdeat ab illa, quia ei communicatur: ergo esse per se dupliciter etiam capitur, primo, pro perfeitate communicationem excludente, secundo, pro perfeitate excludente dependentiam; & cõsequẽter, quod est ratio per se existendi, perfeitate incommunicabilitatis, erit ratio per se subsistendi. Secundo cõclusio ista potest ostendi argumentis contra secundam factis, quæ illam ad minus conuincunt.

96 *Prima obiectio*

Sed obijcies primo: quia existẽtia est vltimus terminus, non potest alia existẽtia actuari, nec præter absolutã relatiua conceditur; at subsistentia etiam est terminus vltimus in linea subsistendi: ergo per aliam actuari non potest, nec præter absolutam relatiua concedi.

Diluitur 1.

Respondeo dupliciter, primo distinguendo minorem: subsistẽtia personalis, concedo minorem: subsistẽtia nõ personalis, nego minorem, & consequentiam, vel distinguo consequens eodem modo.

Secũdo.

Secundo distinguo minorem: est vltimus terminus in linea independentiæ, vel incõmunicabilitatis, cõcedo minorem: in vtraque linea, nego minorẽ, & distinguo consequẽs: per aliam eiusdem rationis, cõcedo consequentiam: diuersæ rationis, nego consequentiam. Itaque subsistentia, quæ est ratio perfeitatis indepẽdentiæ, actuari nequit per aliã, quæ ratio independentiæ sit, bene tamen per aliam, quæ ratio incommunicabilitatis sit: ê contra vero, subsistẽtia, quæ ratio incommunicabilitatis est, non potest per aliam, quæ ratio incõmunicabilitatis sit, actuari, bene tamẽ per aliam, quæ sit ratio perfeitatis independentiæ. Ex quo obiter colliges discrimen inter existẽtiam, & subsistentiam: illa nãque solum vno modo dicitur, hæc vero dupliciter capitur, quare ista multiplicari potest, secus vero existentia.

97 *Secũdæ obiectioni occurritur.*

Obijcies secundo: nã iuxta D. Th. *supra* relatũ, relationes non sunt rationes subsistendi essentiæ diuinę, sed per se, & ratione sui subsistit; at concesis pluribus subsistẽtijs relatiuis, non possunt non esse rationes subsistendi essentiæ: ergo nõ sunt admittendæ. Respondeo, D. Thomam negasse, proprietates personales esse rationes subsistendi essentiæ in priori subsistentiæ acceptione, non autem in posteriori, de qua *in hac conclusione* fumus loquuti.

98 *Corollarium ex dictis.*

Ex dictis in discursu huius disputationis colligitur maior confirmatio doctrinæ à Nobis traditæ *supra q.* 28. *disp.* 79. cur, scilicet, relationes perfectionem ad essentiã non addant, etsi gaudeant proprijs subsistentijs, nempê: quia ratio subsistentiæ, quam addunt, non consistit in perfeitate independentiæ, quæ perfectio est, & ordinem ad existentiam exprimit, sed in perfeitate incommunicabilitatis, quæ ordinem ad existentiam nõ exprimit, nec perfectionem dicit; in hoc enim, quod est alteri incommunicabile esse, nulla relucet perfectio. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 1. *dist.* 13. & *dist.* 26. vbi à Capreolo tractatur.

✠

✠

DISPVTATIO OCTVAGESIMA.

QVINTA.

Quænam alia prædicata *pluralitèr* in Diuinis dicantur?

§. I.

Regula generalis statuitur pro his, quæ pluralitêr, *&* singularitèr *dicuntur in Deo.*

Nu. 1. *Subsistẽtia dicitur* pluraliter, *&* singularitêr.

EX DICTIS *in Disputatione præcedenti* cóstat, subsistẽtiam dici *singularitèr*, & etiã *pluralitèr*, primũ in acceptione absoluta, secundum in relatiua. Ex dictis etiam *q.28. disp.30.* constat, nec æternitatem, nec durationẽ, nec rationem increati, nec essentiam, dici *pluralitèr*, sed solum *singularitèr*. Et ex his, quæ diximus *in eadẽ quæstione disp.79.* constat, perfectionem nõ plurificari, nec bonitatem. Quod expresse docet D. Thom. *q.30. art. 2. ad 4.* vbi ait, non esse aliam bonitatem Patris, aliam Filij, & aliã Spiritus Sancti, sed vnam, & eadẽ. Quod etiã expresse docet D. Thomas *supra q.29. art.2. ad 2.* & *q.30. art. 1. ad 2.* Notat autem *ibi* D. Thomas, non esse in consuetudine apud Latinos, dicere tres substantias, ne intelligantur tres essentiæ, propter nominis æquiuocationem. Quã doctrinam ex Parente Augustino desumpsit lib. 5. de Trinitate cap. 9. in principio illis verbis: *Sed quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligeretur, cum dicimus essentiam, quod intelligimus cum dicimus substantiam, non audemus dicere vnam essentiã, tres substantias, sed vnam essentiam, vel substantiam, tres autem personas.*

Quædã alia solum singulariter.

Restat igitur circa alia prædicata examinare, an *pluralitèr*, an *singularitèr* in diuinis dicantur. Ad quod dignoscendum generalis regu-

2 *Traditur regula generalis.*

la sit, nostraque, & communis conclusio. *Quæ personis competunt ratione solius essentiæ*, singulariter *tantum dicuntur, quæ solum ratione proprietatum personalium, dicuntur solum* pluralitèr, *quæ autè, & ratione essentiæ, & ratione proprietatum personis conueniunt,* & pluralitèr, & singularitér, *dicuntur.*

3 *Prob. ex Aug.*

Conclusionem istam nullus Theologorum potest negare, illam ferè expresse tradidit Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 8. in principio illis verbis: *Qua propter illud præcipuè teneamus quidquid ad se dicitur, præstantissima illa, & diuina sublimitas substantialiter dici, quod autem ad aliquid, non substãtialiter, sed relatiuè, tantam que vim esse in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, vt quidquid de singulis ad se ipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur.* Cum autem idem sit *relatiuè* dici, & ratione relationis competere, & *absolutè* dici, & ratione essentiæ conuenire, manifeste ex Augustino infertur, ea *pluralitèr* dici, quæ ratione relationis conueniunt, & *singularitèr*, quæ ratione essentiæ.

4 *Prob. ratione*

Hoc ipsum hac vnica ratione suadetur: relatio namque in diuinis multiplicatur; essentia autem vna manet in tribus personis: ergo, quæ conueniunt ratione solius essentiæ, retinẽt vnitatem, quæ ratione solius relationis, vnitate non gaudent, sed *pluralitèr* dicuntur, quæ autem, & ratione essentiæ, & ratione relationis, dicuntur *singularitèr*, quatenus competunt ratione essentiæ, & *pluralitèr*, quatenus ratione relationũ conueniunt.

5 *Generalis regula applicatur.*

Hinc oritur primo, vt dicantur tres personæ in diuinis, & nullatenus vna persona: eo quod ratio personæ non conuenit ratione essentiæ, nec pro illa accipi potest, sed tantũ pro relatione subsistente. De quo D. Thomas *infra quæst. 39. art. 3. ad* 4. Secundo, quod subsistentia dicitur vna, & concedũtur plures, primum quatenus competit ratione essentiæ, secundum vero quatenus cõpetit ratione relationis. Tertio, quod existentia vna concedatur in Deo, & nullatenus concedantur tres: quia vt ostendimus *quæst. 28. disp. 80.* existentia *absolutè* dicitur, & relationibus ratione essentiæ conuenit, non ratione sui. Quarto, quod diuinæ personæ dicantur vna res, & plures, vna res, quæ est essentia, plures res, quæ sunt personæ; eo quod realitas, quæ in esse non confecto, sed rato consistit, & pro essentia accipitur, & pro relationibus.

6 *Esse in Deo tres res & vnã rẽ, probatur ex PP.*

Quod docuit expresse Aug. lib. 1. de Doctrina Christiana c. 5. illis verbis: *Res, quibus fruendum est, sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*; & ibidem: *Trinitas quædam summa res est.* Docuit etiam Anselmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 3. vbi ait: *Omnes Christianos sentire, quod personæ diuinæ secundum propria sunt tres res, ita tamen vt secundum essentiam communem sint vna, & eadem prorsus res absque separatione, vel diuisione.* Quod etiam tradit D. Thomas infra q. 39. art. 3. ad 3. illis verbis: *Dicendum, quod hoc nomen* res *est de trãscendentibus: vnde secundum quod pertinet ad relationem,* pluralitèr *prædicatur in diuinis, secundũ vero quod pertinet ad subsistãtiam,* singularitèr *prædicatur.* Nec in cõtrarium facit diffinitio Lateranensis, quæ refertur in cap. *damnamus de summa Trinitate*, vbi decernitur: *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, esse vnam quandam summam rem, quæ est essentia*: nam per hoc non negatur esse tres personas, & relatiuas res.

7 *Vnitas prædicatur* singularitèr, & pluraliter.

Quinto ex eadem regula infertur, dari in diuinis tres vnitates, & vnam vnitatem, primum ratione relationum, secundum ratione essentiæ. Quod communiter docetur à Theologis, Anselmus *lib. de Incarnatione Verbi cap. 3.* Damascenus *lib. 1. de fide cap. 11. & lib. 3. cap.*

5. & D. Thomas *quæst. 9. de potentia art. 4. ad 14. & art. 5. ad 4.* & in præsenti quæst. 30. art. 3. ad 1. illis verbis: *Dicendum, quod vnum, cum sit de transcendentibus, est cõmunius quàm substantia, & relatio, & similitudo: vnde stare potest in diuinis, & pro substantia, & pro relatione.* Et breuiter suadetur primo, ex eo quod in diuinis datur vnitas essentiæ, & pluralitas personarum; at pluralitas sine distinctione vnitatum saluari non potest: ergo dantur plures vnitates relatiuæ, & personales, & vna absoluta, & essentialis. Secundo: nam vnitas in realitate indiuisa consistit; at realitas, & indiuisio, conuenit cuiuis ex personis diuinis, non solum ratione essentiæ, sed etiam ratione relationis: ergo vnitas ratione vtriusque conuenit, & consequenter dicitur *pluralitèr* ratione relationum, & *singularitèr* ratione essentiæ.

8 *Nõ dãtur plures infinitates.*

Sexto colligitur, non dari in diuinis plures infinitates, sed vnam tãtum. Quod patet: nam infinitas sequitur, non realitatem, sed perfectionem; est enim proprietas quantitatis virtutis, quæ idẽ est quod perfectio; at perfectio solum conuenit ratione essentiæ, & non multiplicatur in diuinis personis, vt vidimus *quæst. 28. disp. 79.* ergo infinitas etiam solum ratione essentiæ conuenit diuinis personis, & *singularitèr* solum de illis prædicatur. Hæc, quæ ex dicta regula intulimus, indubitata sunt apud Theologos, primum scilicet, quartum, & quintum, cætera autem consonãter ad dicta *quæst. 28.* inferuntur. Restant autem quatuor difficultates breuiter enodandæ. Prima est, an ens *substãtiuè* acceptum, *pluralitèr* in diuinis dicatur. Secunda, an verum, seu veritas, *pluralitèr* de tribus personis prædicetur. Tertia, an prædicatum aliquod multiplicetur in relationibus. Quarta, an tres personæ diuinæ possint dici tria indiuidua.

(✠)

§. II.

Resoluitur prima difficultas.

9 *Prima sententia, & illius fũdamẽta*

CIrca primam difficultatem affirmatiuè respondent Suarez, Vazquez, Molina, Torres, & Ruizius, relati à Salmanticensibus, *trac. 6. disp. 10. dub. 1. num. 12.* Affirmat etiam Reuerendissimus Santo Thoma *disp. 13. art. 3 num. 37.* ducti primo, ex eo quod ens trãscendit relationes non minus quàm res; at quia res transcendit relationes, & essentiam, non solum *singularitèr*, sed etiam *pluralitèr* dicitur, vt *proximè* ex D. Thoma ostendimus: ergo ens, *substantiuè* acceptũ, *pluralitèr* in diuinis dicitur. Secũdo: quia ens, etsi ab existentia fuerit ad significandum impositum, non tamẽ illam de formali significat, sed entitatem; at estõ admittatur vna solum existentia in diuinis, dantur tamen plures relatiuæ entitates: ergo & plura entia *substantiuè*.

10 *Secũda sentẽtia prob. 1. ex D. Tho.*

Alij per oppositum negant, quos referunt, & sequuntur Patres Carmelitæ *vbi proxime*, ducti primo authoritate D. Thomæ in 1. distinc. 25. quæst. 1. art. 4. illis verbis: *Nomen entis sumitur ab esse rei, & ideo cum vnum, & idem sit esse triũ personarum, si ens sumatur* substãtiuè, *non potest* pluralitèr *prædicari de tribus personis; quia forma, à qua imponitur, non pluralizatur in eis; si autẽ sumatur* participialitèr, & adiectiuè, *sic* pluralitèr *prædicari potest; quia huiusmodi recipiunt numerũ à suppositis, & non*

à forma significata, vt dictum est. Quod etiam repetit *solutione ad* 1. & ad Annibaldum *ibidem.*

11 *Secũdo ratione.* Secundo ratione D. Thomæ: quia nomen substantiuum accipit numerum à forma; at forma significata per hoc nomen *ens* est existentia: tum, quia id docet D. Thomas *loco allegato.* Tum etiam, quia cum significato huius nominis *ens* omnes illius passiones conuertuntur, solum autem cum ente existente conuertuntur omnes entis passiones, & existentia non multiplicatur in personis: ergo ens, acceptum *substantiuè*, non dicitur de diuinis personis *pluralitèr.*

Tertio. Tertio: nam estô admittatur, non significare de formali existentiam, eius tamen formale significatum nõ est entitas vtcumque, sed entitas prout est principium existendi; at entitas, quæ est existendi principiũ, non multiplicatur in diuinis personis: ergo nec significatum formale entis, *substantiuè* accepti, multiplicatur.

12 *Prima cõclusio* Pro lite exponenda sit prima cõclusio: *ens* nominaliter *potest sumi, vt concretum existentiæ, vt concretum solius essemtiæ, quæ est existendi principium, & vt concretum entitatis, prout opponitur contra nihil.* Primam acceptionem probãt efficacitêr secundæ sententiæ Authores.

13 *Secũda acceptio prob.* 1. Secundam probo primo: nam ens diuisum in decem prædicamenta nõ est concretum exiſtentiæ, sed essentiæ: ergo ens potest sumi, prout est concretum non existentiæ, sed essentiæ. Patet antecedens: nam diuisio illa essentialis, & analoga est; at si ens esset concretum existentiæ, diuisio essentialis non esset; cum existẽtia, nec sit, nec possit creaturæ esse essentialis: ergo ens, quod sic diuiditur, non significat de formali existẽtiam, sed essentiam.

Secũdo. Secundo: quia verbum *est* potest sumi pro essentia, aliàs non posset vnire extrema in propositione essentiali: ergo à fortiori nomẽ *ens* potest sumi vt concretum essentiæ; cum ad existentiam denotandam proximius verbum, quam nomen accedat.

Tertio. Tertio: quia nomen *ens* est distinctum à ly *existens*, sumptum *nominalitèr*; at hæc distinctio stare nõ posset, nisi aliquando possit sumi vt concretum solius essentiæ: ergo idem quod prius.

14 *Tertia acceptio prob.* 1. Tertiam acceptionem probo primo: etenim omni abstracto potest dari concretum; at entitas, vt nihilo opposita, abstractum est, cui nullum aliud concretum dari potest, quàm ens: ergo potest accipi vt cõcretum entitatis oppositæ nihilo.

Secũdo. Secundo: nam verè conceduntur in Deo plura entia relatiua; at si ens solum posset accipi pro concreto essentiæ, non possent concedi; cum communiter negentur plures essentiæ, etiam relatiuæ: ergo idem quod prius.

Tertio. Tertio: nam materia, & forma, sunt duo entia *realitèr* distincta *partialitèr*; at si ens solum posset sumi vt concretum existentiæ, vel solius essentiæ, quatenus est existendi principium, nõ possent dici duo entia partialia; cũ in vera Thomistarum sententia, nec existentijs partialibus gaudeant, nec diuersis essentijs, prout essentia est principium essendi: ergo potest sumi vt concretum entitatis contrapositæ nihilo.

15 *Secũda cõclusio* Secunda conclusio: *Ens sumptũ* nominalitêr, *si absolutè sumatur, est concretum non existentiæ, nec entitatis, vt oppositæ nihilo, sed essentiæ quatenus est existendi principium.* Primam partem probo primo: nam aliàs hæc propositio esset falsa, *homo est* essentialiter *ens*, sumpto ente *nominalitèr*; consequens est falsum in omnium sententia: ergo & illud, ex quo sequitur. Patet sequela: nam existentia non est de essentia hominis: ergo si absolutè sumptum ens est concretum existentiæ, prædicatio illa vera non erit.

Prima pars cõclusionis prob. 1. *Secũdo.* Secundo: nam ly *existens* nominaliter, & ly *ens* absolutè prolatum,

diuer-

diuersum habēt significatum formale; at si ly *ens* absolutè concretum existentiæ esset, gauderent eodē significato formali: ergo ly *ens*, si absolute dicatur, non accipitur pro concreto existentiæ.

16 *Secūda pars prob.*

Secundam partem probo: nam ly *ens* nominaliter acceptum fuit impositum ad significandum ab esse, seu existentia: ergo absolutè sumptum non est concretum entitatis, vt oppositæ nihilo, sed prout est principium existendi. Probo consequētiam: quia namque ly *viuens* nominaliter sumptum fuit impositum ad significandum à vita actuali, etsi actualem vitā de formali nō dicat, significat tamen de formali essentiam, non absolutè, sed prout est actualis vitæ principium: ergo si ly *ens nominalitèr*, fuit ad significandum impositum ab esse, &si existentia nō sit formale illius significatum, erit tamen entitas, non præcisè vt opposita nihilo, sed vt est principium essendi.

17 *Tertia conclusio.*

Tertia assertio sit: *Ens, quatenus concretum existentiæ, & concretum essentiæ, non prædicatur* pluralitèr *de diuinis personis, benè tamen quatenus est concretum entitatis*, vt nihilo oppositæ, ex quo infertur, absolutè non dici *pluraliter*, sed *singulariter*.

Prima, & secunda pars conclusionis prob.

Primam, & secundam partem rectè probāt secundæ sententiæ Authores ex differentia, quam tradit D. Thomas *infra quæst. 39. art. 3.* inter adiectiuum, & substantiuum, quod, scilicet, nomen numerale cadens supra substantiuum numerat formas, supra adiectiuum autem non formas, sed suppositа: quo circa *ibi* concedit D. Thomas, tres personas esse tres habentes Deitatem, secus autem tres Deos: eo quod ly *habēs Deitatem* est adiectiuum, *Deus* autem nomen substantiuum; at formale significatum entis in illis acceptionibus, nempe existentia, & essentia non dicitur de personis *pluralitèr*: ergo nec ens, vt concretum talis significati sumptum *substantiuè*.

Tertiam partem concedo Authoribus primæ sententiæ, & probatur ex principio opposito: entitas namque, vt præcisè opposita nihilo, pluralificatur in personis diuinis: tū, quia sic sumpta est non minus transcendens, quàm realitas; hæc autem, quia transcendens, *pluralitèr* dicitur. Tū etiam: quia personæ *entitatiuè realitèr* distinguuntur, sicut autem distinctio realis non est sine distinctione realitatum, ita nec entitatiua sine distinctione entitatum: ergo ens sumptū *nominalitèr*, prout est concretum entitatis, vt oppositæ nihilo, *pluralitèr* dicitur.

18 *Prob. tertia pars cōclusionis*

Id autem, quod infertur ex dictis *in secunda assertione* manifestè colligitur; ens namque absolutè sumptū non est concretum entitatis, vt nihilo oppositæ, sed essentiæ, prout est existendi principium; at pront sic nō dicitur *pluralitèr*: ergo absolutè acceptum non dicitur *pluralitèr*, sed *singularitèr*: vnde tres personæ non sunt dicendæ *absolutè* tria entia, sed cum addito, nempe *tria entia relatiua*, & *personalia*, &c. Et ex his argumenta vtriusque sententiæ manent soluta.

19 *Ens absolute dictum nō prædicatur pluraliter.*

Si opponas Concilium Lateranense sub Innocentio 3. cap. 2. vbi dicitur, *Patrem totam suam entitatem dedisse* Filio. Quod etiā docuerunt Cyrilus *lib. 1. in Ioannem cap. 4.* Hilarius *lib. de Trinitate*, & Isidorus *lib. 1. de summo bono cap. 15.* at si entitas *pluralitèr* de personis dicatur, veritas huius propositionis stare non potest; cum ei non dederit entitatem Paternitatis; sicut quia realitas *pluralitèr* dicitur, verum esse non potest, dedisse Filio totam suam realitatem: ergo entitas *singularitèr* dicitur; & consequenter ens, quatenus est entitatis concretum *substantiuè* acceptum, *pluralitèr* dici non potest.

20 *Si opponas.*

Respondeo, quod sicut ens sumptum *absolutè* essentiam significat, ita entitas *absolutè* sumpta pro essentia accipitur, quatenus est existēdi principium, & sic *absolutè* non

21 *Resp.*

pluriſicatur,& eſt verum dicere,totam ſuam entitatem Filio Patrem dediſſe: quia idem eſt,quod dicere, ei dediſſe totam ſuã eſſentiam; Nos autem non aſſerimus, entitatem *abſolutè* acceptam *pluralitèr* dici,ſed entitatem, quatenus oppoſitam nihilo.

§. III.

Secunda difficultas reſoluitur.

22 *Referũtur ſententiæ, & prob. ſecunda.* 1.

CIrca ſecundam difficultatem eſt duplex ſententia. Prima affirmatiua, quam, alijs relictis, tenet Granadus *trac.* 5. *diſp.* 1. *ſect.* 2. *num.* 9. Secunda,& verior,eſt negatiua,quam tenet Bel arminius *lib.* 2. *de Chriſto cap.* 16. Salmanticenſes *vbi ſupra* §. 4. pro illa referentes Ricardum,Nazarium,Ledeſmã, & alios Tenet etiam Reuerendiſsimus Sancto Thoma *vbi ſupra num.* 31. Probatur primo ex Auguſtino lib. 8. de Trinitate cap. 1. vbi docet, *quod ſicut Pater non habet plus magnitudinis, nec plus poſſe veritatis habere, & è contra, quod ſi haberet plus veritatis, plus etiã magnitudinis habere deberet*: ergo ſicut magnitudo iuxta Auguſtinum non multiplicatur in perſonis, nec plus magnitudinis vna habet, quàm alia,vel tres, quàm ſingulæ, ita de veritate eſt dicendum.

23 *Secũdo prob.*

Secundo ex D. Thoma *in* 1. *diſtinc.* 19. *quæſt.* 5. *art.* 3. *ad* 1. *ibidem ad Annibaldum quæſt. vnica art.* 2. *ad vltimum.* Et de veritate quæſt. 1. art. 5. ad 18. & 19. vbi ait; *quod licet Pater alio ſit Pater, alio Filius ſit Filius, quia tamen eſſe vtriuſque idem eſt ſupra quod fundatur veritas, ideo veritas vtriuſque eadem eſt.*

Nec reſpondere ſufficit, loqui D. Tho. de veritate abſoluta, nec negare plures relatiuas. Nam in contrarium obſtat, quod *loco ad Annibaldum*, diſcrimen conſtituit inter rẽ, & verũ, quoad hoc quod eſt *pluralitèr* de perſonis prædicari, quod diſcrimen iuxta iſtam interpretationem ſtare non poteſt; cum etiam res abſoluta non multiplicetur, benê tamen relatiua.

Euaſio reijcitur.

Denique probatur ratione: veritas namque ſupra immaterialitatem fundatur, ſicut cognoſcibilitas, vt docet D. Thomas *ſupra quæſt.* 14. *art.* 1. at immaterialitas diuinarum perſonarum tantum eſt vna: ergo & veritas. Probo minorem: immaterialitas diuina conſiſtit in excluſione omnis potentialitatis, in qua excluſione ratio actus puri conſiſtit; at ratio actus puri non multiplicatur in diuinis relationibus, vt contrarij fatẽtur, & vidimus *quæſt.* 28. ergo nec veritas multiplicari poteſt in illis.

24. *Deniq; prob.*

25 *Cõfirm.* 1.

Confirmatur primo: quia namque veritas in cognoſcendo ſequitur immaterialitatem, quæ in diuinis nõ multiplicatur, vna eſt in tribus perſonis veritas in cognoſcẽdo; ſed veritas tranſcendentalis, etiam ſequitur immaterialitatem: ergo cum hæc in tribus perſonis vna,& indiuiſa ſit, veritas trãſcendentalis nequit multiplicari in illis.

Cõfirm. 2.

Confirmatur ſecundo: veritas namque diuina idem eſt quod prima veritas; at veritas prima eſt ſolummodo vna, ſicut & primum principium,& vltimus finis: ergo veritas diuina vna eſt,& non plures.

26 *Arg.* 1.

Nec contrariorum argumenta alicuius ponderis ſunt. Primo arguunt ex D. Thoma, *quæſt.* 1. *de veritate art.* 7. vbi docet, quod licet veritas, *propriè* accepta, eſſentialis ſit, veritas tamen, accep-

ta *metaphoricè*, *personaliter* dicitur; at si veritas transcendentalis non multiplicaretur in diuinis personis *realitèr*, dici nõ posset veritas, *metaphoricè* accepta, *pluralitèr* de personis: ergo hæc veritas de tribus personis *pluralitèr* dicitur. Probatur minor: nam veritas, *metaphoricè* accepta, nihil aliud potest esse, quam veritas transcendentalis, quæ formali contrapposita, metaphorica appellatur: ergo si veritas transcendentalis non multiplicatur *personalitèr*, dici non poterit veritas metaphorica.

Resp. Ad hoc argumentum benè respondent Patres Salmanticenses *vbi supra num.* 27. D. Thomam Filium appellasse veritatem metaphoricã, id est, similitudinariam; quia scilicet, similitudinem habet cum veritate in essendo creata, quoad hoc quod sicut ista in conformitate cum diuino intellectu vt principio effectiuo consistit, ita Verbum increatum ex vi suæ processionis conformitatem habet cum principio suo, scilicet intellectu Patris; quia tamen hæc conformitas distincta immaterialitate non gaudet ab essentiæ immaterialitate, ideo in Filio veritas à veritate essentiæ distincta non est.

27 *Secunda obiectio diluitur*

Obijciunt secundo: hæc veritas, *Pater generat*, distincta est ab ista, *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedit*, tum: quia si per impossibile secunda tolleretur, adhuc prima subsisteret. Tum etiam: quia prædicatum, & subiectum vnĩ distincta sunt à prædicato, & subiecto alterius: ergo veritas *pluralitèr* dicitur. Respondeo distinguendo antecedens: est distincta veritas pro substracto veritatis, concedo antecedens: pro formali, nego antecedens, & consequentiam, sicut nec sequitur ex eo quod omnipotentia pro substracto multiplicetur, pro formali multiplicari. Nec amplius probationes factæ conuincunt, non prima: nam si loquamur de veritate pro formali, in terminis implicat, vnam veritatem manere, alia sublata: si autem loquamur pro substracto vtriusque veritatis, tunc solum conuincitur distincta veritas pro substracto, non pro formali. Nec secunda: nam diuersitas illa solum est realitatum, non immaterialitatum; & consequentèr solum arguit distinctã veritatem pro substracto, non pro formali.

28 *Replica bis 1.*

Sed oppones primo: veritas est affectio entitatis, & realitatis: ergo si est diuersitas entitatum, & realitatum est etiam diuersitas veritatum.

Secũdo. Secundo: si per impossibile Spiritus Sanctus non esset, hæc esset falsa: *Spiritus Sanctus à Patre procedit*; & tamen altera, scilicet, *Pater generat*, vera subsisteret: ergo veritate secundæ pro formali sublata, primæ veritas pro formali maneret.

Resp. ad 1. replicam. Respondeo ad primam obiectionem distinguendo antecedens: est affectio entitatis, vt immaterialis, concedo antecedens: ex præcisso conceptu entitatis, vt nihilo oppositæ, nego antecedens, & consequentiam.

Ad 2. Ad secundam concesso antecedenti, nego consequentiam: quia vt illa propositio in dicta hypotesi esset falsa, & altera vera, sufficit, quod in tali hypotesi substractum veritatis vnius auferatur, altero remanente, sicut vt omnipotentia non denominet Spiritum Sanctum, sub hypotesi quod non sit, & Patrem denominet, sufficit, Spiritum Sanctum, qui est substractum, non esse, etsi omnipotentia persisteret.

✠



§. IV.

Resoluitur tertia difficultas.

29 *Prima sentẽtia*

CIrca tertiam difficultatem est etiam duplex sententia. Prima affirmans, quam, alijs relatis, tenet Granados *vbi supra num.* 8. ductus primo quodam testimonio Ricardi de Sancto Victore lib. 4. de Trinitate cap. 8. asserentis: *Tres personas esse tres aliquos.* Secundo: nam est affectio, seu passio entitatis, & consequenter entitate multiplicata debet multiplicari. Tertio: nam *aliquid* est negatio identitatis, seu diuisio vnius ab alio; sed in Deo sunt tres negationes identitatis, Patris, scilicet, cum Filio, Filij cum Patre, & Spiritus Sancti cũ vtroque: ergo ly *aliquid* multiplicatur in relationibus.

30 *Secũda, & verior, probatur* 1.

Secunda, & verior negans est, quam tenent Patres Salmanticenses *vbi supra* §. 3. & probatur primo ex D. Thoma quæst. 2. de potentia art. 5. vbi negat istam consequentiam: *Paternitatem habet Pater, quam non habet Filius: ergo aliquid habet Pater, quod nõ habet Filius.* Et rationem reddit: *Nam ipsa relatio, secundum rationem sui generis, non habet quod sit aliquid, sed quid ad aliquid*; at si hoc prædicatum *aliquid* multiplicatur in Deo, aliquid haberet Pater, quod non habet Filius: ergo hoc prædicatum *aliquid* non multiplicatur in Deo.

Secũdo prob.

Secundo ratione: nam *aliquid* idem est quod *aliud quid*; at in diuinis non est *aliud*, & *aliud*; Filius nãque non est *aliud* à Patre, benê tamen *alius*, vt docet D. Thomas *in præsenti, quæst.* 31. *art.* 2. ergo non est *aliquid*, & *aliquid*, sed *vnũ aliquid.* Probo maiorem primo: quia id docet D. Thomas *quæst.* 1. *de veritate art.* 1. Secundo: nam *aliquis*, & *aliquid*, eo modo comparantur, quo *alius*, & *aliud*; at ly *alius* significat *alius quis*: ergo ly *aliquid* significat *aliud quid.*

31 *Dices.*

Si dicas, quod licet Filius non sit *aliud* à Patre, est tamẽ *aliud suppositum*, & consequenter poterit dici *aliquod suppositum*; cumque suppositum plurificetur, etiam prædicatũ *aliquid* multiplicatur. Sed contra: nam ly *aliquid* non rectê coniungitur cum *supposito*; eo quod sumitur *substãtiuè*: vnde etsi rectê dicamus, Patrem esse *aliquod suppositum*, nõ rectê dicimus *aliquid suppositũ*: ergo ly *aliquid* non significat *aliud quod*, alietate suppositi, sed *aliud quod*, alietate naturæ, quare in diuinis non dicitur.

Sed contra.

32 *Occurritur arg.*

Ad contrariorum motiua respõdeo. Ad primum, Ricardum sumere *aliquos* substantiuè, non *neutraliter*, concedimus autem tres aliquos esse, sed negamus esse tria aliquid. Ad secundũ distinguo antecedens: est affectio entitatis sumptæ pro essentia, concedo antecedens: vt præcisè oppositæ nihilo, nego antecedens, & consequentiam: nam entitas solum in secũdo sensu multiplicatur in Deo. Ad tertium distinguo maiorem: est negatio identitatis in natura, concedo maiorem: in persona solum, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam.

33 *Si dicas Resp.*

Si dicas: vnum est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio; at cõcedimus in Deo tres vnitates: ergo tres diuisiones; & consequentêr tria aliquid. Respondeo, vnitatem posse sumi dupliciter, primo vt est abstractum huius nominis concreti *vnũ*, sumpti *neutraliter substantiuè*, secundo vt est abstractum huius concreti *vnum*, sumpti *masculinè*; pri-

mõ

mo modo dicit vnitatem in se, & diuisionem essentiæ à quolibet alio: secundo modo solum petit diuisionem suppositalem: concedimus ergo tres vnitates in secũda acceptione, & negamus in prima, & eodem modo cõcedimus tres alietates, sũpta alietate vt est abstractum huius concreti *alius*, & *aliquis*, negamus autem, vt est abstractum huius concreti *aliquid*.

§. Vltimus.

Resoluitur vltima difficultas.

34 *Primũ fundamẽtum*

CIrca vltimam difficultatẽ, affirmatiuam sententiã tenet Sapiẽtissimus Noster Herrera *in manuscriptis ad articulũ 1. quæst. 30. dub. vnico in solut. ad 4.* ductus primo: quia indiuidua substãtia *formaliter* est indiuiduum; at in diuinis dantur tres indiuiduæ substãtiæ; cum dentur tres personæ, persona autem diffiniatur, quod *est rationalis naturæ indiuidua substantia*: ergo tres personæ diuinæ possunt dici tria indiuidua.

35 *Secũdũ*

Secundo: quia teste D. Th. *q. 4. de veritate art. 2. ad 3.* & *in 4. dist. 12. q. 1. art. 3. ad 3.* indiuiduũ est, quod *est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*; sed tres personæ diuinæ sunt tres res, quarum quælibet est indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio: ergo dãtur tria indiuidua.

36 *Tertiũ.*

Tertio: nam indiuiduum non cõstituitur in ratione indiuidui per naturam, sed per conditiones indiuiduantes, aliàs Christus dici nõ posset *absolutè* vnum indiuidnum; cum significaretur vnam tantum habere naturam, qua constitueretur in ratione indiuidui; sed in personis sunt tria principia indiuiduantia, scilicet tres relationes: ergo sunt tria indiuidua.

37 *Quartũ*

Denique: nam in diuinis sunt tres vnitates singulares, & tres singularitates: ergo tres vnitates indiuiduales; & consequenter tria indiuidua: vnitas namque numerica, & indiuidualis, indiuiduum constituit; & cõsequentèr multiplicata, indiuidua multiplicat.

38 *Eligitur secũda sẽtentia, & prob.*

Secunda sententia negat, dari in Deo tria indiuidua. Ita Noster Albelda *disp. 9 sect. 4.* Salmanticenses *disp. 9. dub. 2. nu. 30.* & frequentius cæteri Theologi, quæ hac ratione suadetur: nomen nãque *indiuiduum* est substantiuum: ergo vt *pluraliter* in diuinis dicatur, debet multiplicari forma significata per illud; at forma significata per hoc nomen *indiuiduum diuinæ naturæ* est natura, vt docet D. Thomas *q. 30. art. 4. in corpore*, vbi discrimen statuit inter ly *aliquis homo*, & ly *persona*, quod primum significat de formali naturam, persona vero de formali personalitatem, & de materiali naturam, natura autem diuina nõ multiplicatur in diuinis personis: ergo nec indiuiduum diuinæ naturæ *pluraliter* prædicatur de illis; & consequenter hæc propositio concedenda non est, *tres personæ sunt tria indiuidua diuinæ naturæ*.

39 *Nõ posse dici tria indiuidua personalia, prob.*

Ex qua ratione colligo, inconsequenter allegatos Authores concedere tria indiuidua personalia. Quod probo: quia nãque hoc nomen *Deus* de formali naturã significat, nec cõcedi potest, tres diuinas personas esse *absolutè* tres Deos, nec cum addito, scilicet, *personales*: ergo si indiuiduũ significat de formali naturã, vt prædicti Authores fatentur, nec concedi possunt *absolutè* tria indiuidua, nec tria indiuidua *personalia*.

40 *Ad 1. in oppositũ*

Ad primum argumentum in cõ-

tra respondeo negando maiorem: nam cum indiuiduum de formali dicat naturam, substantia autem indiuidua, prout ponitur in diffinitione personæ, nõ naturam de formali, sed personalitatem importet: hinc fit, quod non *formaliter*, sed *materialiter*, sit indiuiduum.

41 *Ad 2.* Ad secundum explico maiorem: diuisum, diuisione naturæ, concedo maiorem: diuisione solum personali, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam.

42 *Ad 3.* Ad tertium nego maiorem, quam non conuincit probatio: quia, vt notat Caietanus *infra q. 39. art. 3. ad 1. dubium*, colligitque ex D. Th. *q. 36. & 3. p. q. 3. art. 7.* pluralitas substantiui petit pluralitatem formarum, & subiectorum; cumque in Christo, etsi detur duplex natura, nó detur nisi vnum suppositum: consequens fit, quod *indiuiduum*, quod substantiuum est, non dicatur de illo *pluraliter*, sed *singulariter*: eo nãque ipso, quod aliquid ex requisitis ad pluralitatem deficiat, *singulariter* dicitur nomen substantiuum, vt patet in Deo, qui *singulariter* dicitur de tribus personis; quia licet sit personarum pluralitas, non est pluralitas in natura, erat autem necessaria, vt *pluraliter* diceretur: & si Verbum duas humanitates assumeret, diceretur vnus homo ex defectu pluralitatis suppositi requisitæ ad pluralitatem nominis substantiui: vnde ex eo quod Christus vnum indiuiduum dicatur, non infertur, denotari singularitatem naturæ.

43 *Ad vlt.* Ad vltimum distinguo antecedẽs: tres singulares vnitates personalitatum, concedo antecedens: naturarũ, nego antecedens, & sub eadẽ distinctione primi cõsequentis, nego cõsequentiam, quæ subinfertur: vnitas namque indiuidualis, quæ constituit indiuiduum, & multiplicata multiplicat, est vnitas ex parte naturæ, quæ in diuinis personis non multiplicatur.

✠

DISPVTATIO OCTVAGESIMA SEXTA.

An in Diuinis sint tantum quinque notiones?

§. I.

Notionum existentia probatur.

Nu. 1. *Notionũ existentia.*

NOTIONVM existentia in diuinis, quã tradit Angelicus Doctor *in 2. artic. q. 32.* æquè certa est, sicut dari in Diuinis proprietates constituentes, & distinguẽtes personas, quas esse in diuinis admittendas docent Theologi *infra quæst.* 40. in eo gradu certitudinis, vt oppositum sit erroneum, aut errori proximum; etenim ad rationem notionis sufficit, quod sit proprietas, qua vna persona possit cognosci secundum sibi propria, & prout ab alijs distincta, eo autẽ ipso quod in Deo adstruantur proprietates constituentes, & distinguentes personas, potest per has proprietates cognosci vna persona vt ab alijs distincta: ergo eadem certitudine, qua asseruntur à Theologis proprietates constituentes, & distinguentes personas, admitti debent notiones quoad rem significatam hoc nomine.

Quoad modum autem loquendi, & vtendi hoc nomine *notio*, esse in diuinis admittendas notiones adeò certum existimant docti Recentiores, vt oppositum, ad minus sine temeritate nota, defendi non possit; eo quod licet huius nominis vsurpatio nõ habeatur in Scripturis, & Cõcilijs, nec ex omnium Patrum communi consensu, reperitur tamen in Augustino 5. *de Trinitate*, in Basilio *lib. 2. aduersus Eunomium*, & *epistola 37. ad Gregorium fratrẽ*. in Cyrilo 1. *Thesauri cap. 6.* & absq; cõtradictione aliorum Ecclesiæ Patrum acceptatur ab omnibus Scholasticis cum Magistro *in 1. dist. 26.* & 28. Et à cunctis Theologis cum

2 *Negari notiones non possunt sine nota temeritatis.*

Angelico Præceptore *in præſenti*.

3 *Ratio-neprob.*

Rationeque D.Th.notionũ exiſtẽtia probatur: notiones namque ſunt nomina perſonalia ſignificata in abſtracto; at non ſolum eſſentialia, ſed etiã perſonalia opportet in abſtracto ſignificari, propter hæreticorum inſtantias: ergo oportet in diuinis recognoſcere notiones. Probatur minor: nam à confitentibus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, eſſe vnum Deum, & tres perſonas, debet interrogantibus reſponderi, quo ſint vnum, & quo tres; at ſicut ſolis eſſentialibus ſignificatis in abſtracto reſpondetur eſſe vnum, ita ſolum perſonalibus *abſtractè* ſignificatis reſpondetur eſſe tres: ergo oportet non ſolũ eſſentialia, ſed etiã perſonalia, in abſtracto ſignificari.

4 *Si dicatur.*

Si fortè dicatur, interroganti quo ſint tres, ſufficienter reſponderi nominibus concretis: nam Auguſtinus ſermone de fide, & ſymbolo ait: *Credimus Trinitatem perſonis diſtinctam, ſubſtantia vnitã*; & conſequentêr, ad hanc reſponſionem tradendam vſum nominum abſtractorum neceſſarium non eſſe.

Contra primo ex Caietano.

In contrarium opponit Caietanus, primo: nam licet interroganti, quo Trinitas conſtituatur, benê reſpondeatur, tribus perſonis, interroganti autem, quo Pater, Filius, & Spiritus Sãctus ſint tres perſonæ, incongruê reſpondetur, tribus perſonis: ergo vt congrua reſpõſione huic interrogationi reſpondeatur, vtendum eſt abſtractis nominibus, ſcilicet, *Paternitate, Filiatione, & Proceſſione.*

5 *Contra ſecũdo.*

Secundo: interroganti, quo aliquid conſtituatur, vel diſtinguatur, oportet reſponderi per aliquod ſignificatum vt *quo*; at concretum nomen vt *quo* non ſignificat, ſed vt *quod*: ergo vt congrua ſit reſponſio vtendum eſt nomine abſtracto ſignificante vt *quo*; & conſequenter interroganti, quo conſtituantur, & diſtinguantur perſonæ, nominibus abſtractis eſt reſpondendum; & conſequenter admitti debent in diuinis notiones.

6 *Diffinitio notionis explicatur.*

Secundo, vt ad illarum numerum deueniamus, præmittenda eſt diffinitio notionis, quam tradit D.Thomas *in hac quæſtione art.3.* ſcilicet: *Notio eſt ratio propria cognoſcendi diuinam perſonam: ratio* tenet locum generis, in quo notio conuenit cum abſolutis, quæ notiones nõ ſũt: *Sapientia* namque, *ſcientia*, &c. rationes ſunt conſtituentes Deum in aliquo eſſe abſoluto: *propria*, ideſt non communis, per quod omnia abſoluta, & quæ perſonis per reſpectũ ad creaturas conueniunt, vt eſſe *Dominum, Creatorem*, &c. & eminentialis creaturarum continentia, excluduntur à ratione notionis: nam licet poſſent abſolutè notiones vocari, quatenus Deum à creaturis manifeſtant diſtinctũ, vſus tamẽ Theologorum, ex quo hoc nomen originem trahit, illud limitauit ad ea, quç propria ſunt reſpectiuè ad perſonas diuinas, & illas manifeſtat diſtinctas. Dicitur etiam *propria*, ideſt ſingularis, non communis, communitate rationis, per quod ratio eſſendi à principio, ratio itidem perſonæ in communi, notiones nõ ſunt; eo quod primum commune eſt, communitate rationis, Filio & Spiritui Sancto, & ſecundum tribus diuinis Perſonis. Ly *cognoſcenai* ponitur ad denotandum diſtinctionem, quæ verſatur inter relationes, proprietates, & notiones: nam licet in eadem formalitate abſque virtuali diſtinctione cõueniant primum tamen iſti formalitati cõuenit per reſpectũ ad correlatiuum, ſecundum per reſpectum ad perſonam, tertium comparatiuè ad intellectum, cui eſt ratio manifeſtandi perſonã conſtitutam. Quæ doctrina eſt D.Th. *in 1. diſt.26.q.2.art.3.*

7 *Ordo inter prædicta explicatur.*

Ex quo *ibidẽ* infert D.Th. pri° intelligi in relatione rationem relationis, deinde rationem proprietatis & tãdem rationẽ rationis; eo quod nihil poteſt eſſe ratio innoteſcendi aliud, niſi ſit illi propriũ, nec illi eſſe propriũ poteſt, niſi ab alijs diſtinguatur,

quod

quod per relationem fit. Ly *diuinam personam* ponitur ad denotandum tria, primum, quod significat aliquid pertinens ad originem; quia ordine originis distinguuntur personæ. Secundum, quod sit vnius in quantum vnū, vel si significat aliquid commune pluribus, vt *actiua spiratio*, conueniat illis in quantum vnum. Tertium, quod id, quod significat, ad dignitatē spectet: quia *persona* nomen dignitatis est, vt docet D. Thomas *supra q.29. art.3.* Nec ex hoc sequitur, personalitatem ratione sui addere perfectionem ad essentiam: quia vt notio dignitatem significet, sufficit denotare perfectionem absolutam, quatenus in personalitate inclusam, & ab eadem de connotato importatam.

8 *Notio debet significari in abstracto.*

Ex quibus colligo primo cum Caietano *in præsenti*, quod notio, propriè loquendo, debet significari in abstracto: est namque ratio cognoscendi, & consequenter formale principium cognoscendi *obiectiuè*, formale autem principium cognoscendi, sicuti & formale principium essendi, congruētius in abstracto significatur, qui est modus passiuæ significationis formæ, quàm in concreto: ergo sicuti personalitas, quia est formale principium essendi *personalitèr*, propriè significatur solum in abstracto, ita notio.

9 *Explicatur Augustin.*

Nec obstat, Augustinum 5. *de Trinitate cap.6.* pro notionib⁹ Patris assignasse, *genitorem*, & *genitū non esse*, quæ concreta nomina sunt: *ibi* enim concretum pro abstracto vsurpauit, nec hoc est inconueniens, quando cum hæreticis litigium non est, cum quibus nec in terminis absonantibus est conueniendum.

10 *Aptius accipitur notio pro cōceptu obiectiuo, quā pro formali.*

Secundo colligo, notionem vsurpari posse, & pro formali conceptu, & pro obiectiuo, proprius tamen pro obiectiuo. Quod patet: nam sicut diffinitio est manifestatiua naturæ, ita notio est ratio cognoscendi personam; at ratio manifestantis rei naturam, etsi formalibus, & obiectiuis conceptibus adaptari possit, aptius tamen obiectiuis: ergo etiam esse rationem cognoscendi personam, etsi possit formali notitiæ, & obiectiuæ accommodari, proprius tamen conuenit obiectiuæ; & consequenter ratio notionis.

§. II.

Relatis sententijs vera eligitur, & probatur.

HIs suppositis, circa notionum numerum per defectum erraverunt quidam, quos, refert Scotus *in 1. distinct.27. quæst.1. §. ad argumēta huius quæstionis versu ad 3.* assignasse tres tantum notiones, & Ochan *in 1. distinct.27.* quatuor tantum assignans. Per excessum vero Alensis *1.p. quæst. 68. membro 4.* Bargius *in 1. distinct. 28.* Et Scotus *vbi supra*, quorum primus duodecim, secundus triginta duas, & Scotus sex recognoscunt notiones, non tamen desunt Scotistæ, qui communi adhærentes sentētiæ de numero notionum quinario, suum Doctorem interpretantur, asserentes illam non deseruisse. Hi sūt Rada *tom.1. controuersia 25. art.4.* Et Smising *tom.2. disp.2. q.4. num.96.*

11 *Variæ sententiæ.*

Communis tamē sententia Scholasticorum cum Magistro *in 1. dist. 27. & 28.* & Theologorum cum Angelico Præceptore *in præsenti*, defendit, quinque, & non plures esse diuinas notiones. Quam sententiam

12 *Communis, & vera defenditur.*

adeô vetam censent Bañez, & Zumel *in præsenti*, quos sequitur Ruiz. *disp.* 47. *à numero* 10. vt oppositas temerarias existiment in modo loquendi; eo quod à cõmuni Scholasticorum cõsensu recedant. Et probatur hac ratione: vt namque docuit D. Thomas in 1. distinct. 26. q. 2. artic. 3. colligiturque ex diffinitione explicata: *Vt aliquid dicatur notio personæ tria desiderãtur, primum, quod ad originem pertineat; quia relationibus originis distinguũtur personæ. Secundum, quod pertineat ad dignitatem; quia persona est hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinente. Tertium, quod dicat aliquid speciale; quia cõmune non est principium innotescendi.* Verba sunt D. Thomæ; at hæc tria conueniunt *Paternitati, Filiationi, spirationi actiuæ, & processioni*; quia hæc omnia denotãt subsistentias in natura rational, conueniunt etiam *innascibilitati*, vt dicit omnimodam negationem principij; quia hæc soli suppositio intellectualis naturæ competere potest, & nulli alteri ab istis *virtualitèr* distincto ex his, quæ in Deo reperiuntur, competere possunt, vt ex obiectionum solutione constabit: ergo diuinæ notiones quinque sunt, & nõ plures.

13 *Sed obijcies 1.*

Sed obijcies primo: potentia generatiua, & actualis generatio, obtinent rationem notionis in Patre; & tamen inter se, & à Paternitate, *virtualitèr* distinguuntur: ergo dantur plures notiones, quam quinque. Maior ex eo constans videtur, quod sunt rationes cognoscendi Patrem, secundum sibi propria, & alias ad dignitatem spectant, quod ad rationem notionis sufficere ex illius diffinitione colligitur. Minor autem probatur: etenim iuxta nostram sententiam supra *tom.* 1. *disputatione* 4. natura intellectiua, potentia proximè intellectiua, actualisque intellectio, *virtualitèr* distinguuntur; eo quod natura radix est intellectus, & iste principium proximum virtuale intellectionis; at Paternitas in Patre *radicalitèr* se habet ad potentiam generatiuam, & hæc vt principium proximum virtuale generationis: ergo distinguuntur *virtualitèr*.

14 *Resp. Alarcõ.*

Huic argumento Alarcon *tractatu* 5. *disputatione* 5. *cap.* 7. *numero* 7. respondet, quod licet inter relationes, potentias productiuas, & origines, interueniat virtualis præcisiua distinctio, non tamè sunt distinctæ notiones; eo quod inter se comparantur vt superius, & inferius: nam benè valet, *est Pater: ergo genuit: ergo potest generare*, non tamen ê contra: *Potest generare: ergo genuit, & est Pater*: vnde sicut producere in Patre non est distincta notio à generare: quia generare *formalitèr* includit producere, illudque supponit, vt prædicatum superius, ita Paternitas, potentia generatiua, actualisque generatio, non sunt distinctæ notiones.

15 *Reijcitur hæc solutio primo.*

Hæc tamen solutio ex Metaphysicæ ignorantia procedit, & reijcitur primo: non enim omnia, inter quæ datur consequentia non mutua, comparantur inter se vt superius, & inferius, cum essentiali inclusione; à cursu enim ad potentiam currendi bona consequentia est, non tamen, ê contra à potentia ad currendum, ad cursum; & tamen quis vmquam somniauit, potentiam currendi ad cursum vt superius inferiori inclusum in illo comparari? ergo ex eo quod inter Paternitatem, potentiam generandi, & generationem, consequentia non mutua interueniat, non rectè colligitur, inter se comparari vt superius, & inferius, & vnum in altero vt superius in inferiori includi.

16 *Secũdo.*

Secundo reijcitur: nam estô daremus, potentiam generatiuam respectu Paternitatis, & generationis, sic comparari ex defectu mutuæ illationis, attamè generatio cum Pa-

ternitate,ſic comparari non poteſt; eſt enim neceſſaria mutua conſequẽtia inter illa: ergo ſi inter generationem,& proceſsionem, datur virtualis præciſsiua diſtinctio,non rectè ex capite aſsignato colligitur, nõ eſſe notiones diſtinctas.

17 *Tertio.* Tertio: nam licet à potentia generatiua creata ad generationẽ actualem,& Paternitatem,conſequentia non valeat,à potentia tamen generatiua diuina *eſſentialitèr* cum generatione, & Paternitate connexa, bona conſequentia eſt ad generationem,& Paternitatem: ergo dato,& non conceſſo, ex conſequentia non mutua colligi cõparationem vt ſuperius,&inferius, & ſuperioris in inferiori incluſio,non infertur, potentiam generatiuam Patris, ad æternitatem,& generationem,vt inferi' ad ſuperius comparari.

18 *Euaſio excluditur.* Si fortè dicatur,ſufficere quod ex terminis conſequentia non valeat, vt iſta gaudeant comparatione, etſi in diuinis mutua conſequentia ſit. In contrarium obſtat, ſequi ex hac ſolutione,innaſcibilitatem cum Paternitate comparari vt inferius ad ſuperius,& conſequentér, diſtinctas notiones non eſſe;conſequens eſt cõtra iſtum Authorem: ergo prædicta euaſio eſt nulla. Patet ſequela: hæc enim conſequentia, *eſt Pater: ergo innaſcibilis*,nõ tenet ex terminis;cũ inſtetur in Patre creato, qui Pater eſt,& ab alio producitur;ê cõtra tamen valet,*eſt innaſcibilis: ergo Pater*; cum de ſolo Patre diuino innaſcibilitas,ſumpta pro omnimoda negatione principij,poſsit verificari: ergo ſi eſſe inter aliqua conſequentiam non mutuam ex terminis, ſufficit vt comparentur vt ſuperius, & inferius cum eſſentiali incluſione, hac comparatione gaudebunt *innaſcibilitas*,& *Paternitas*, in Patre diuino;& conſequenter diſtinctæ notiones non erunt.

19 *Traditur vera ſolutio.* Miſſa igitur hac ſolutione, ad argumentum reſpondeo, potentiam generatiuam, & actualem generationẽ, ſumi poſſe dupliciter,vel pro eo,quod dicunt in recto, & ſic diſtinguuntur in noſtra ſententia *virtualitèr*; eo quod potentia in recto dicit intellectum diuinum, & generatio diuinam intellectionem, inter quæ verſari virtuale diſcrimẽ, probabilius cenſui *ſupra tomo 1. diſp. 4.* ſic tamen notiones non ſunt: quia notio,cum ad ordinem originis ſpectet,in perfectione abſoluta conſiſtere nequit. Secundo ſumi poſſunt pro eo, quod in obliquo important,nẽpê *Paternitatem*,quæ à potentia,& generatione connotatur,& vt ſic inter illa diſtinctio virtualis adæquata non eſt, ſed eadem Paternitas abſque virtuali adæquato diſcrimine,& Patrem conſtituit in ratione perſonæ,& vt connotata potentem generare, actuque generantem,&ad Filium relatum; & cum ſolum pro eo, quod de connotato dicunt, poſsint obtinere rationem notionis: hinc fit, quod in ratione notionis, nec inter ſe diſtinguantur, nec cum Paternitate in numero ponant,ſicut Paternitas,vt forma hypoſtatica, non eſt notio diſtincta à ſe ipſa vt referẽte; eo quod vtrumque præſtat abſque virtuali adæquato diſcrimine.

20 *Sectio arg.* Obijcies ſecundo: ratio Verbi, &ratio Filij,*virtualitèr* diſtinguũtur in Filio Diuino,vt *ſupra q. 27. diſp. 74.* probabiliter fuimus defenſati; at ratio Verbi notionis rationem obtinet;cum ad originem ſpectet,& dignitatem notificet:ergo dãtur in Filio duæ notiones *virtualitèr* diſtinctæ; & conſequenter ſunt plures,quàm quinque.

21 *Reſp.* Reſpondeo,rationem Verbi pro eo, quod importat in recto, nempê *relatio*, non diſcriminari à ratione Filij *virtualitèr*, ſed ſolũ id admiſſimus loquendo de Verbo, & Filio, pro connotato abſoluto, conſequẽter ad illam ſententiam, quæ rationem repræſentationis de connotato importatam à Verbo diſtinguit *virtualitèr* à conceptu naturæ,quæ de connotato importatur à Filio, ratio autem notionis non competit Verbo,nec Filio,ratione connotati,

ſcilicet abſoluti, ſed ratione illius, quod ab vtroque importatur in recto, quod eſt relatio: vnde ex noſtra doctrina non ſequitur duplex notio *virtualitèr* diſtincta in Filio. Ex quo manifeſtè colligitur, cur ratio imaginis in Filio non ſit notio à ratione Filij diſtincta, & ſimiliter ratio amoris diuini impulſus, & ratio perſonæ in Spiritu Sancto, non ponunt in numero in ratione notionis; quia ſcilicet inter hæc omnia non eſt virtualis adæquata diſtinctio quoad relationem importatam in recto, quidquid ſit de perfectionibus abſolutis de connotato importatis, an *virtualitèr* diſtinguantur, vel non.

22 *Tertio arg.* Tertio obijcies: relatio ſpiratoris non diſtinguitur *virtualitèr* adæquatè à Paternitate: ergo ſi diſtinctio virtualis adæquata requiritur vt numerus notionum augeatur, non dantur quinque notiones. Probatur antecedens: ſi namque ob aliquam rationem *virtualitèr* adæquatè diſtinguerentur, maximè ob illam, quam tradit D. Thomas *in hac quæſt. art. 2. in corpore*, ſcilicet, quia ſpirationi actiuæ correſpondet pro termino relatio ſpirati, & Paternitati filiatio, quę diuerſæ ſunt, vnica autem relatio ad duos terminos terminari non poteſt; at hæc ratio eſt nulla: ergo non diſtinguuntur *virtualitèr*.

23 *Prob. min. 1.* Probatur minor, primo: nã cum diſtinctione reali relationum terminantium ſtat realis identitas ſpirationis actiuæ, & Paternitatis: ergo etiam ſtare poteſt virtualis, & quaſi ſpecifica indiſtinctio.

Secũdo. Secundo: vna relatio ſecundum ſpeciem poteſt ad plures relationes terminari, vt conſtat, tum in Patre plures Filios habente, ad quos vna relatione refertur, cum ramè ex parte Filiorum plures ſint relationes. Tum etiam in albo, quod vna relatione ſimilitudinis omnia reſpicit, quibus aſſimilatur, cum tamen in illorum quolibet diſtincta relatio terminans ſit. Tũ denique in Filio, quẽ vnica relatione Patrem, & Matrem reſpicere, tenet frequentior Thomiſtarum ſententia, cum tamen relatio Patris, & relatio Matris, ad quas terminatur, *ſpecificè* diſtinguantur: ergo ex eo quod in Filio, & Spiritu Sancto, ad quos Pater refertur, plures ſint relationes, non rectè colligit D. Thomas, relationem ſpiratoris, qua ad Spiritum Sanctum refertur Pater, & relationem Paternitatis, qua refertur ad Filium, *virtualitèr* eſſe diſtinctas.

Reſpondeo negando antecedẽs, 24 *Reſp. Ad 1. prob. minoris.* ad probationem nego minorem, ad primam probationem nego conſequentiam: ſpecificatio enim relationis à termino ſumitur, vnde multiplicatis *ſpecificè* terminis, neceſſe eſt relationes *ſpecificè* multiplicari, *realitèr* in creatis, quia diſtinctio realis, ob limitationem, ſpecificam diſtinctionem comitatur, aut *virtualitèr* in diuinis, in quibus ob infinitudinem diſtinctio realis non niſi ex relatiua oppoſitione prouenire poteſt, ac proinde relatio ſpirationis actiuæ, & Paternitas, *virtualitèr* diſtinguuntur ob diuerſitatem relationum eis ex parte terminis reſpõdentiũ non autẽ *realitèr*; quia inter ſe oppoſitione relatiua nõ gaudent.

Ad ſecundam diſtinguo antecedens: ad plures ſpecie adæquata diuerſas, nego antecedens: ſolo numero differentes, aut ſpecificè inadæquatè in ratione terminandi, concedo antecedens, & nego conſequentiam, quam non probant exempla: in primo namque, & ſecundo, relationes terminantes ſolo numero diſtinguuntur, & in tertio, etſi Paternitas, & Maternitas, diſtinguantur *ſpecificè*, non tamen eſt diſtinctio ſpecifica adæquata, ſed inadæquata ſolum in ratione terminandi relationem Filiationis, vt docet Caietanus *in præſenti art. 2. §. ad ſecundum dubium*. Bañez *dubitatione 1. concluſione 2.* Syluester, Torres, Zumel, & alij, quos referunt, & ſequuntur, Salmanticenſes *trac. 6. diſp. 11. dubio 2. num. 22.* rectêque probãt,

25 *Ad 2. prob. minoris.*

ex

ex eo quod sic comparantur relationes istæ ad terminandum filiationé, quo Patris,& Matris concursus ad ponendam Filij natiuitatem ; sicut ergo ad istam *inadæquatè*, & *partialitèr*, comparantur illorum concursus, ita illorum relationes *inadæquatè*, & *partialitèr*, terminant Filij relationem : in nostro autem casu spiratio passiua,& filiatio, terminantes relationes spirationis, & Paternitatis, non comparantur vt partiales termini, sed vt totales, & idcircô dispar est ratio.

26 *Instabis*

Instabis : mortuo Patre manet relatio filiationis ad Matrem, & è contra, Matre mortua relatio Filij ad Patrem perseuerat ; at si partialitèr filiationem terminarent, quolibet illorum destructo, filiatio perseuerare non posset : ergo non *partialitèr*, sed *totalitèr*, Pater, & Mater terminant filiationem.

Resp. PP. Salmãticẽses.

Huic obiectioni respondent Salmanticenses *supra num.* 25. percunte aliquo ex prædictis extremis nihil entitatis in relatione filiationis perire, quamuis ex defectu talis extremi connotati non denominet Filium relatum ad illud; quia ad hanc denominationem, scilicet, vt Filium relatum ad Patrem denominet, Patris existentia requiritur de connotato, non tamen ad realitatis eius existentiam; ad hanc enim sufficit cuiusvis termini partialis existentia, vt constat in Patre plures Filios vna relatione respiciente, quæ *entitatiuè* perseuerat, quolibet illorum *diuisiuè* destructo, etsi non perseuerat quoad denominationẽ relati ad Filium, qui non existit.

27 *Impugnatur præcedens solutio.*

Hanc tamen solutionem nunquã percipere potui: nam aliud est, plures terminos *materialitèr* relationem aliquam terminare, aliud autẽ, illam terminare *partialitèr* : quando primum contingit, potest entitas relationis perseuerare quolibet ex illis destructo,& hoc in exemplo Paternitatis ad plures Filios terminata inuenitur: quia namque illorum quilibet in particulari *materialitèr* terminat talem relationem, quolibet illorum deficiente, adhuc perseuerat relatio, quæ nullum in particulari ad sui existentiam desiderat, sed aliquem illorum *vagè* : quando autem duæ relationes *partialitèr* terminant, non potest relatio terminata quoad suam entitatem persistere, deficiente aliqua ex illis. Quod patet, tum ab exemplo causarum *partialitèr* concurrentium, quarum qualibet deficiente, effectus nequit perseuerare, & eo ipso quod sine illarum aliqua possit persistere, alia perseuerante, hæc non partialis, sed adæquata,& totalis causa, erit. Tum etiam à paritate natiuitatis Filij ex Patris, & Matris concursibus, quæ quia ab vtroque vt à partiali causa dependet, quolibet deficiente esse nequit Filij natiuitas. Tũ denique à priori : in hoc namque differt totalis terminus à partiali, quod ille ad existentiam relationis terminatæ est sufficiens, secus vero partialis: ergo si filiatio *entitatiuè* perseuerare potest pereunte Matre, & è contra, Paternitas, qua existente perseuerat filiatio, nõ *inadæquatè*, & *partialitèr* terminat, sed *totalitèr*, & *adæquatè*, & idẽ de Maternitate dicatur, & eadem ratione.

28 *Vera solutio.*

Missa igitur hac solutione, & in sua probabilitate relicta, ad obiectionem factam respondeo, mortuo Patre, manere quidem relationem filiationis ad Matrem, non tamen eandem, quæ Filium referebat ad illam, sed specie diuersam: Mater nãque, & Pater simul, *partialitèr* primam terminantes, *essentialitèr* differunt in ratione termini ab illorum quolibet seorsim terminante secundam, sicut cognitio ad plura obiecta diuersa *essentialitèr* simul terminata, differt *essentialitèr* à cognitione terminata ad aliquod illorũ seorsim.

29 *Sed oppones 1.*

Sed oppones primo: fundamentum secundæ relationis idem est cũ fundaméto primæ, scilicet *Filij natiuitas*: ergo secunda relatio à prima *essentialitèr* non differt.

Se-

Secũdo. Secundo, quod ſi mortuo Patre reſultat vna relatio terminata ad Matrem, & hac mortua, relatio ad Patrem terminata reſultat: ergo vtroque viuente reſultabit duplex relatio ad quodlibet illorum terminata ſeorſim.

Reſp. ad 1. Ad primam reſpondeo, ſpeciem relationis non à fundamento, ſed à termino ſumi, & ideõ licet fundamẽtum ſit idem, poteſt inter relationes ſpecifica eſſe diuerſitas. Vel dicatur, fundamentum eſſe duplex *virtualitèr*.

Ad 2. Ad ſecundam dicatur, rationem eſſe: quia cum poſsit vna relatio Patrem, & Matrem reſpicere, fruſtranea eſt duarum relationum reſultantia; fruſtra enim fiunt per plura, quæ per pauciora effici poſſunt.

§. Vltimus.

Quartum argumẽtum diluitur, & explicatur qualiter innaſcibilitas *ſit proprietas Patris.*

30 *Deniq; arg.* DEnique obijcies: innaſcibilitas in Patre, vel ſumitur pro fundamento, & materiali, vel ſumitur pro formali? Si primum, nõ eſt notio à Paternitate, & relatione ſpiratoris diſtincta. Si ſecundum, notio non eſt; cum negatio ſit, & cõſequentèr nec dignitas Patris, de ratione autẽ notionis eſt, quòd ad dignitatem pertineat: ergo non ſunt quinque notiones.

Ad hoc argumentum recentiores quidam ſequuti Vazquium *diſp.* 140. *cap.* 43. reſpondent, innaſcibilitatem, non in negatione, ſed in aliquo poſitiuo conſiſtere, cum autem vrgeantur, illud poſitiuum, nec abſolutum eſſe poſſe, nec relatiuum; quia ſi primum, non ſpectabit ad ordinẽ originis; & conſequenter notio non erit: nec ſecundum, aliàs erunt in Deo plures relationes reales, quam quatuor, inquiunt, eſſe relationem fontalis principij Deitatis, non realem, ſed rationis. Cæterum de hoc *quæſtione ſequenti*, vbi examinabimus Vazquij ſententiam, modo cõtra illam ſufficiat, quod ſi innaſcibilitas notionem conſtituit, nõ obſtante quod in relatione rationis conſiſtat, poterit etiam, etſi in negatione ponatur, notionem conſtituere. Secundo, quod ſi in ratione fontalis principij totius Deitatis relationem rationis conſtituimus pertinentem ad notionis rationem, etiam in vltimo termino proceſsionum diuinarum, ſcilicet in Spiritu Sãcto, recognoſci poterit relatio rationis ſpecialem notionem conſtituens.

31 *Solutio P. Vazquez reijcitur.*

Ad argumentum ergo, hac ſolutione relicta, reſpondeo eligendo ſecundam partem, ſcilicet, dicere aliquid negatiuum, nec ſequitur notionem non eſſe: quia ad rationem notionis neceſſarium non eſt, quod ſit dignitas, ſed ſufficit *circumloquutiuè*, & *à poſteriori*, dignitatem explicare, ſicut nec requiritur quod ſit perſonalitas, ſed quod perſonalitatem notificet, licet autem innaſcibilitas dignitas non ſit ratione ſui *formalitèr*, notificat tamen, & *circumloquutiuè* explicat dignitatem perſonalem, quatenus ſoli perſonæ intellectualis naturæ competere poteſt.

32 *Reſp. aliter arg.*

Verum contra hanc ſolutionem obſtat: ſi notio in negatione conſiſtere poſſet, ſequeretur, plures alias eſſe notiones; conſequens nõ admittimus: ergo vel innaſcibilitas in aliquo poſitiuo conſiſtit, vel notio non

33 *Contra ſolutionẽ arg.*

eſt.

est. Probatur sequela: datur namque in Filio negatio principij generatiui, in Spiritu Sancto negatio principij spiratiui, in Filio negatio procedendi per voluntatem, quæ inspirabilitas appellatur, & in Spiritu Sancto ingenerabilitas, id est negatio processionis per intellectum, tanquam terminus genitus: ergo si negatio notionem valet constituere, dabuntur ad minus nouem notiones.

34 *Resp.* Respondeo, negationem potentiæ generandi, & negationem potentiæ spirandi, ex proprio conceptu dignitatem nō dicere: quia ex modo cōcipiēdi, hoc, quod est vi productiua carere, potius indigentiam denotat, quam dignitatem, quod si aliquam dicunt, est ratione fundamenti, scilicet ratione terminationis adæquatæ, quæ in Filio inuenitur respectu potentiæ generatiuæ, & in Spiritu Sancto respectu spiratiuæ; cum enim potentias productiuas adæquent, non potest Filius vi generatiua gaudere, nec Spiritus Sanctus vi spiratiua: inspirabilitas etiam dignitatem ex modo significandi nō denotat, & idem de ingenerabilitate Spiritus Sancti est dicendum: tū, quia supposito quod aliquid producatur, non dicit ex modo nostro cōcipiendi dignitatem, quod careat hoc, vel illo modo productionis. Tū etiam: quia inspirabilitas sumpta ratione sui creaturis potest conuenire, & similitér ingenerabilitas; cū creaturæ non spirentur, & possint produci per actionem, quæ generatio non sit: quo circa dignitatem personæ in natura intellectuali subsistentis non denotat: innascibilitas autem, quæ in negatione omnis principij cō sistit, solum primo supposito intellectualis naturæ competere potest, & idcircō ex proprijs affert, & *circūloquutiuè* denotat dignitatē primæ subsistentiæ in natura intellectuali.

35 *Discriminis* Huius discriminis radicem reddit D. Thomas 1. *ad Annibaldum distinc.* 28. *qu. est.* 1. *art.* 1. *ad* 3. quia scilicet, quo affirmatio est specialior, eo vniuersalior euadit negatio, & è contra, quo vniuersalior fuerit affirmatio, eo illius negatio est contractior; vt constat in negatione animalis, quæ limitatior est, & paucioribus conuenit, quàm negatio hominis; quia animalis affirmatio affirmatione hominis vniuersalior est; quia ergo inspirabilitas est negatio processionis per voluntatē, & ingenerabilitas negatio processionis per intellectum, quæ speciales modi procedendi sunt, innascibilitas autem est negatio processionis vt sic, quæ est vniuersalior qualibet ex illis processionibus: consequens fit, quod primæ negationes extensiores sint, nec ad intellectualem naturam limitatæ; & consequenter dignitatem non denotant; ista autem negatio coarctatur ad intellectualē naturam vt illius dignitatem designet.

radix trahitur à D. Tho.

35 *Contra solutionē arg.* Hæc est frequens nostrorū Thomistarum solutio, sed contra illam in hunc modum obijcies: vel innascibilitas sumitur merè *negatiuè*, vel prout connotat pro fundamēto suppositum intellectualis naturæ? Si primum, dignitatem non denotat; cum non enti competere possit, in quo nulla est dignitas. Si secundum, nullum est inter illam, & inspirabilitatem, discrimen; cum etiam hæc, prout connotat suppositum intellectualis naturæ, dignitatem importet: ergo vel innascibilitas notio ab alijs distincta non est, vel inspirabilitas obtinet rationem notionis.

37 *Resp.* Respondeo, sumi secundo modo, ly *prout* dicente conditionem, vt innascibilitas denotet dignitatem, nō vero dicente rationem formalem illam denotandi, & in hoc ab inspirabilitate est discrimen: nam in hac ly *prout in supposito intellectuali* dicit non puram conditionem, sed rationem formalem denotandi dignitatem. Ratio autem huius discriminis exinde colligitur: nam eo ipso quod intelligamus negationem omnis principij in entitate positiua, et-

si nihil amplius exprimamus, per cõsequentiam legitimam inferimus, talem entitatem esse intellectualis naturæ, & diuinæ, quod signum manifestum est, entitatem connotatam non esse negationi rationem formalem denotandi dignitatem; cum in entitate positiua vt sic dignitas intellectualitatis non innotescat, non autem eo ipso quod negatio spirationis cum entitate positiua coniũgatur, dignitas intellectualis colligitur; cum possit entitas positiua non spirata intellectualis non esse, & consequenter huic negationi ratio formalis denotandi dignitatem fundamentum est. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in 1. distinc. 28. §. 1. ad illa verba: *Præterea considerari debet, &c.*

M. Sét.

38 *Relatio spiratoris non differt realiter a Paternitate, & filiatione.*

Hic dubitari poterat, an relatio spiratoris *realiter*, aut *formaliter* differat à Paternitate, & Filiatione? Sed res est facilis, & constat ex dictis *quæst.* 28. *de distinctione relationum ab essentia*: nam quantum ad hoc eadem est ratio in præsenti: vnde sicuti *ibi* diximus, solum *virtualitèr* ab essentia relationes distingui, ita in præsenti est dicendũ, & ratio est manifesta ex communi illo Theologorum axiomate sumpta, scilicet, *in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obviat relationis oppositio*; at inter Paternitatem, & Filiationẽ ex vna parte, & relationem spiratoris ex alia, relatiua oppositio non datur; cum Pater, & Filius spirator sint, non tamen ad spiratorem relati, sed ad spiratum: ergo inter Paternitatem, & Filiationem ex vna parte, & communem spirationẽ ex alia, realis entitatiua, aut formalis distinctio non datur.



TRACTATVS DVODECIMVS.

DE PERSONIS DIVINIS IN PARTICVLARI.

DE QVO D. Thomas in 1. Sententiarum â distinctione 27. vsq; ad 32 Ad Annibal lũ in eisdẽ distinctionibus; quæstione 2. de Potent a art. 4. & quæst. 10. art 4. & 5. lib 4. Contra Gẽtes â cap. 1. vsque ad 26. Et in hac 1. p. â quæstione 33. vsque ad 37. In quæstione 33. *agit de Persona Patris. Quæstionem diuidit quatuor articulos. In* 1. *docet*, conuenire Patri rationẽ principij. *Quod probat* : *nam* principium est, â quo aliquid procedit; at Pater est, â quo procedit Filius : ergo ei conuenit ratio principij. *Negat autem solutione ad primum*, posse dici causam Filij: nam licet Græci indifferenter vtantur nomine principij, & causæ, Latini autem Doctores nõ proeodẽ causam, & principium, vsurpãt, sed principium est communius quâm causa, quæ petit termini dependentiam, & alietatem in natura termini â principio; cumque Filius â Patre non dependeat, & sit eiusdem naturæ cum Patre: hinc fit, quod dicatur Pater principium Filij, secus autem causa in significatione Latina. *Et solutione ad* 2. *negat*, Filium dici principiatum â Patre in vsu Latinorum, etsi â Græcis concedatur, & *ratio est*: Quia licet Patri attribuamus, quod authoritatis

est,

est, nihil tamen ad subiectionem spectans Filio potest attribui, vt euitetur erroris occasio; at esse principium authoritatem denotat, esse autem principiatum subiectionem, & minorationem præsefert in modo loquendi: ergo etsi attribuamus Patri esse principium Filij, Filio tamen attribuendum non est nomen principiati, sed poterit dici, esse â Patre vt principio. *Solutione etiam ad 3. negat*, Patrem esse priorem Filio; eo quod licet nomẽ principij fuerit â prioritate ad significandum impositum, non tamen illam significat, sed originem: ergo licet Patri conueniat esse principium Filij, non est dicendus illo prior, *quod intellige de priorit ate naturæ, quæ causalitatis prioritas est.*

In secundo articulo docet, hoc nomen *Pater* esse nomen proprium personæ primæ, id est, non metaphoricê dictum de illa, nec accidentaliter, sed substantialitèr. *Quod probat*: illud namque est nomen proprium alicuius personæ, quod significat id, quo ab omnibus alijs distinguitur; at Paternitas, quæ distinguit primam personam ab omnibus personis diuinis, significatur hoc nomine *Pater*: ergo est proprium nomen, id est, non metaphoricum, & ad eius spectans substantiam. *Si dicas, hoc nomen* Pater *significat aliquid, in quo* analogicê *conueniunt prima persona, & Patres creati: ergo non significat id, quo prima persona ab omnibus alijs distinguitur. Respondet Caietanus, ly* Pater *sumi in præsenti, non prout est nomen analogum creaturis, & Deo, sed prout est caput, & membrum principale analogiæ, sic autem significat, non rationem analogam, sed constitutiuam, & distinctiuam primæ personæ ab omnibus alijs.*

Docet etiam solutione ad 4. Generationem quoad rem significatam principaliûs dici de Generatione diuina quâm de creata; eo quod de ratione generationis sunt duo, scilicet suppositorum distinctio, & vnitas for-

mæ communicatæ: ergo quô maior fuerit vnitas formæ, ſuppoſita diſtinctione ſuppoſitorum, eô perfectior erit generatio; at vnitas formæ in generatione diuina maior eſt, cum identitas ſit, quàm in generatione creata, in qua inter principium, & terminum, identitas naturæ nõ eſt: ergo perfectior erit generatio. *Si dicas: quia ad generationem requiritur vnitas formæ, creſcente vnitate formæ creſcit generationis perfectio; ſed etiam requiritur diſtinctio ſuppoſitorum: ergo quò maior fuerit diſtinctio, creſcet etiam ex hoc capite generationis perfectio, & cum in generatione creata intercedat maior diſtinctio, erit ex hoc capite perfectior in ratione generationis, quàm diuina. Reſpondeo negando conſequentiam: quia vnitas formæ, vt finis, & ratio formalis terminandi requiritur: vnde ex illa venari debet perfectio generationis, non ex diſtinctione, quæ ſolum vt conditio, ſiuè vt complementum requiritur.*

In tertio inquirit, an hoc nomen *Pater* dicatur in diuinis prius, ſecundum quod perſonaliter ſumitur? *Et ſuppoſito, quod ly* Pater *dicitur de Deo duplicitèr, ſcilicet eſſentialitèr, vt cum dicitur*, Pater miſericordiarum, Pater iuſtorum ſpecialiter per gratiam, *iuxta illud Romanorum* 8. Ipſe ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei; *eſſe enim miſericordiarum, creaturarum, & iuſtorum, Patrem, eſt toti Trinitati commune; cum fundetur in actione ad extra creatiua, aut iuſtificatiua, quæ communes ſunt. Secundo perſonalitèr, qua rationè ſoli primæ perſonæ conuenit eſſe Patrem, & ſolum reſpectu ſecundæ, ſcilicet* Verbi. *Hoc inquam ſuppoſito, affirmatiua concluſione reſpondet, quæ intelligenda eſt de prioritate durationis, ſecundum intellectum, & dignitatem. Primum probat in argamento* ſed contra: nam æternum prius eſt temporali; at perſonaliter ab æterno dicitur Pater Filij diuini, eſſentialiter autem temporalitèr dicitur Pater creaturarum; cum eſſe illarum Patrem creationẽ ſup-

ponat,

ponat, quæ secundum fidem incepit in tempore: ergo prius duratione dicitur in diuinis hoc nomen *Pater*, secundum quod personaliter sumitur, quàm secundum quod essentialiter.

Secundũ probat: prius dignitate, & intellectu, dicitur nomen de illo, in quo eius significatum saluatur perfectê, quàm de illo, in quo imperfectè saluatur; at perfecta ratio Paternitatis solum in Patre respectu Filij diuini saluatur, vtpotê inter quos est perfecta similitudo in ratione naturæ, non vero respectu creaturarum, quæ cũ Deo non habent perfectam similitudinem, sed imperfectam, & deficientem, aut per modum vestigij, vt in creaturis non rationalibus, aut per modum imperfectæ imaginis, vt in creaturis rationalibus secundum naturam, secundum gratiam, & secundum gloriam, secundum quas perfectiones solum analoga similitudine gaudẽt cum Deo: ergo prius dignitate dicitur in diuinis Pater secundum quod personalitêr, quam secundum quod essentialitêr. *Maiorem probat D. Thomas a priori*: Nam de eo, in quo imperfectê saluatur, dicitur per similitudinem, & analogiam ad id, in quo perfectê saluatur: ergo prius de hoc, quam de illo. Et ab exemplo huiꝰ nominis *Leo*, quod prius dicitur de animali, in quo perfecta ratio Leonis saluatur, quam de aliquo homine, de quo dicitur: quia in illo aliqua Leonis ratio saluatur, scilicet, *audacia*, aut *fortitudo*: quia de hoc solum per similitudinem analogicam dicitur.

In contrarium opponit D. Thomas: Nam commune secundum intellectum est prius proprio; sed hoc nomen *Pater*, secundum quod sumitur personalitêr, est proprium primæ personæ, secundum vero quod sumitur essentialitêr, est commune toti Trinitati: nã toti Trinitati dicimus, *Pater noster, qui es in cælis, &c.* Ergo per prius dicitur Pater essentialiter sumptum, quam personalitêr.

naliter. *Cui argumento respondet Diuus Thomas*, veram esse maiorem de communibus, quæ absolutè dicuntur, secus verò de illis, quæ important respectum ad creaturas; eo quod persona procedens in diuinis, procedit vt principium creaturarum; apponitque exemplum in Verbo concepto ab Artifice, quod per prius procedit ab illo, quam artificiatum: quia hoc illo mediante ab Artifice causatur; quia ergo Deus dicitur Pater creaturarum per respectum ad illas: fit consequens, quod per prius Filius procedat, & Deus dicatur Pater illius, quàm procedant creaturæ, & sit illarum Pater.

Contra quam solutionem obstat primo: Omnipotentiam, scientiam simplicis intelligentiæ, *& id genus alia, respectum ad creaturas involuere; & tamen prius de* Deo *secundum intellectum dicuntur, quam personalia: nam vt dicemus* infra quæstione trigesima quarta, *Verbum ex cognitione omnipotentiæ, & simplici creaturarum notitia, procedit: ergo falsa est doctrina Diui Thomæ, qua docet, communia importantia respectum ad creaturas esse intellectu posteriora propriis.*

Respondeo, communia importantia respectum ad creaturas esse in duplici differentia: alia enim dicunt respectum necessarium, alia verò liberum in actione libera terminata ad extra fundatum: illa, quæ sunt primi generis, priora sunt intellectu, quàm propria, vt conuincit argumentum factum, secus autem alia; & de his loqui Diuũ Thomã in solutione data *constat manifestè: nam id ad argumenti solutionem sufficit; cum argumentum procedat de hoc nomine* Pater, *quod respectum ad creaturas importet liberum, vtpotè in actione libera ad extra terminata fundatum, scilicet*, creatione, iustificatione, & glorificatione.

Sed dices: eodem modo se habet Trinitas personarum ad actionem creatiuam fundantem respectum liberum, quo comparatur ad vim productiuam fundantem respectum necessarium; ad vtramque enim comparatur per se in esse entis, & ad neutram per se, perfeitate principij, aliàs ex creaturis cognitis posset Trinitas personarum euidentèr cognosci: ergo si communia prioris generis sunt priora intellectu, quàm propria, etiam quæ liberum respectum important, sunt illis intellectu priora.

Respondeo, verum esse antecedens loquendo de perfeitate principij exacta ab effectibus; quoad hãc enim æquiparari, argumentum concludit, nõ autem de perfeitate entitatiua Dei; cum enim diuina fœcunditas gaudeat vi productiua creaturarum, & productiua ad intra, primaque ei competat per respectum ad actionem liberam, secunda vero per respectum ad actionem necessariam; consequens sit, quod attenta exigentia potentiæ prius actio productiua ad intra ei competat, quàm actio productiua ad extra; prius enim cum potentia coniungitur actio necessaria, quam libera.

Secundo obstat contra eandem doctrinam: nam id, quod est prius subsistendi cõsequentia *logicè, est prius secundum intellectum; sed communia importantia respectum liberum ad creaturam sunt priora* subsistendi consequentia *logicè, quam propria: ergo sunt priora illis secundum intellectum. Probatur minor: hæc consequentia non valet,* est Creator: ergo Pater: *Filius enim creat, & Pater non est; & tamen Creator liberum ordinem ad creaturas importat: ergo communia ordinem liberum ad creaturas dicentia sunt priora propriis,* subsistendi consequentia *logicè, etsi non physicè: nam eo ipso quod physicè existat creatura, debent physicè tres pirsonæ existere.*

Respondeo negando minorem, ad cuius probationem concesso antecedenti, nego consequentiam: quia ad prioritatem requiritur, quod valeat ab vno ad aliud, & non è contra, sicut valet bene, est homo: ergo animal, *& non è contra,* est animal: ergo homo; *in praesenti autẽ, licet verum sit quod non valeat,* est Creator: ergo Pater; *& pro hac parte ly* Creator *possit prioritate dicta gaudere, quia tamen è contra, etiam non valet,* est Pater: ergo Creator; *cum ab æterno sit Pater Diuinus, & ab æterno Creator non sit: sit consequens, quod inter communia, liberum respectum dicentia ad creaturas, & propria, prioritas* subsistendi consequentia *non detur.*

In quarto inquirit, vtrum esse ingenitum sit proprium Patri? *Et respondet affirmatiuè, cuius conclusionis probatio ex littera totius articuli potest deduci: docet enim in corpore articuli,* personam Patris innotescere duplicitêr, & per respectum principij, & per negationem principij. *Quod probat:* nam Pater est primum principium; at primum principium duo dicit, ordinem scilicet ad ea, quæ sunt â principio, & negationem principij: ergo Patri duo sunt propria, scilicet ordo ad illa, quæ ab ipso procedunt, & negatio processionis ab alio. *In solutione ad secundum docet, ly ingenitum* non solum negare esse ab alio per generationem, sed etiam per processionem, & quouis modo communicatum. *Ex quibus ratio probatiua conclusionis potest ad hanc formam reduci:* Esse ingenitum dicit negationem omnis principij, siue productiui, siue communicatiui; at huiusmodi negatio in diuinis, non competit nisi Patri, Filius namque procedit â Patre vt â principio, Spiritus Sanctus â Patre, & Filio vt â principio productiuo procedit, & diuina natura, & si non producatur, communicatur tamen Filio,

& Spiritui Sancto per processionem : ergo esse ingenitum est Patri proprium, nulli alteri in diuinis conueniens. *In solutione ad quartum docet Diuus Thomas*, quod si in diuinis essent duo innascibiles, essent duæ naturæ diuinæ. *Quod probat dupliciter, primo*: quia in vna natura non possunt esse duo prima principia; at innascibile, & primum principium, sunt idem : ergo in vna natura nequeunt esse duo innascibiles; & consequentèr, si duo essent in diuinis, necessario essent duæ naturæ admittendæ. *Secundo*: quia in vna natura non potest esse suppositalis distinctio, nisi per originem vnius suppositi ab alio; at si dantur duo innascibiles in Deo, vnus non procedet ab alio : ergo non possunt distingui in vna natura, sed diuersa natura debent gaudere.

Quæstione trigesima quarta agit de Persona Filij, illamque diuidit in tres articulos. In primo inquirit, vtrûm Verbum in Diuinis sit nomen personale? *Conclusio est*: Quod nomen Verbi in Diuinis, si propriê sumatur, est nomen personale, & nullo modo essentiale. *Quam probat in argumento* sed cõtra, *ex Augustino tomo tertio, libro septimo de Trinitate capite primo, vbi ait*: Quod sicut Filius refertur ad Patrem, ita Verbum ad id, cuius est Verbum. *Ex quo sic subsumit Diuus Thomas*; sed Filius est nomen personale, quia relatiuê dicitur: ergo & Verbum. *Deinde in corpore articuli illam probat hac ratione*: Verbum, secundum quod propriê dicitur in diuinis, significat aliquid ab alio procedens; sed hoc pertinet ad rationem nominum personalium; eo quod personæ diuinæ distinguuntur secundum originem, vt dictum est *quæstione 27. articulo tertio, quarto, & quinto*: ergo nomen *Verbi*, secũdum quod propriê in diuinis accipitur, non sumitur essentialiter, sed personaliter tantum.

Si opponas Augustinum lib. 9. de Trinitate cap. 10. *vbi ait*: Quod Verbum est notitia cum amore; sed notitia in Deo dicitur essentialitêr: ergo Verbum dicitur essentialitêr, non personalitèr. *Respondet D. Thomas solutione ad secundū, explicando Augustinum*, quod accipit notitiam non pro actu cognitionis, qua ratione dicitur essentialiter, sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo, *id est, pro termino per notitiam producto, qui potest dici notitia* terminatiuè: *quia nempè ex notitia, & cognitione Patris procedit, & hoc modo non essentialiter, sed personaliter dicitur. Et eodem modo explicandum censet Anselmum in monologio cap.* 31. *asserentem*: Quod dicere summo spiritui nihil aliud est, quàm cogitando intueri, in quantum scilicet, *ait Diuus Thomas*, intuitu cogitationis diuinæ concipitur Verbum Dei. *Notat autem Diuus Thomas ex Augustino lib.* 15. *de Trinitate cap.* 16. *nomen* cogitatio *nō dici propriè de Deo*: Cogitatio enim propriê in inquisitione veritatis consistit, quæ in Deo locum non habet; cum enim intellectus iam ad formam veritatis pertingit, non cogitat, sed perfectê veritatem cōtemplatur: vnde Anselmus, *ait Diuus Thomas*, improprie accipit cogitationem pro contemplatione.

In solutione ad 3. *Anselmum in monologio cap.* 58. *asserentem, non solum Patrem in diuinis dicere, sed etiam Filium, & Spiritum Sanctum, & similiter quemlibet illorum dici, explicat in sensu improprio accepisse* dicere *pro* intelligere, quæ tamen differunt, *inquit Diuus Thomas*: Nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur: dicere autem importat principaliter habitudinem ad Verbum conceptum: nihil enim aliud est dicere, quam proferre Verbū, sed mediante Verbo ad rem intellectam impor-

tat habitudinem, quæ mediante Verbo manifestatur intelligenti, & sic sola persona, quæ profert Verbum, est dicens in diuinis, cum tamen singula personarum sit intelligens, & intellecta, & per consequens Verbo dicta.

Sed oppones: *De ratione Verbi non est dicere, sed dici; at D. Thomas concedit, singulas personas esse dictas: ergo quamuis propriè non dicant, conuenit illis ratio Verbi. Et cõfirmabis: D. Thomas negat, singulas personas esse dicentes, & concedit, esse dictas; sed in sensu improprio sunt dicentes: ergo in sensu proprio sunt dicta, aliàs nullum esset discrimen; & consequentèr deberet, vel vtrumque concedere, vel vtrumque negare; sed soli Verbo cõuenit propriè dici: ergo omnes persona diuinæ sũt Verbum.*

Respondeo distinguẽdo maiorem: de ratione Verbi est dici, vt est Verbũ, hoc est, vt terminus primarius habitudinis dicentis, concedo maiorem: est dici Verbo, hoc est, terminando secundario habitudinem dicentis, vt obiectum illi medio Verbo manifestatum, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam ad rationẽ Verbi nõ sufficit dici Verbo, hoc est, medio Verbo manifestari dicẽti terminãdo eius habitudinẽ secundario: hoc enim conuenit omni obiecto, quod in Verbo repræsentatur, & hoc est, quod D. Thomas concedit singulis personis diuinis, & etiam creaturis; cum omnia hæc per Verbum repræsententur, & Pater in Verbo à se producto omnia illa cognoscat, sed requiritur dici, vt terminus primarius habitudinis dicentis ab illo productus, & hoc non conuenit alijs personis, sed soli Filio. Quod expressè docuit D. Thomas solutione ad secundum, ibi: Sic ergo vni soli personæ in diuinis cõuenit dici eo modo, quo dicitur Verbum, eo vero modo, quo dicitur res in Verbo intellecta, cuilibet personæ conuenit dici.

Et ex his ad confirmationem distinguo maiorem pro secunda parte: concedit esse dictas absolutè, nego maiorem: concedit esse dictas cum addito, nempè esse dictas Verbo, cõcedo *maiorem, & concessa minori distinguo consequens: ergo in sensu proprio sunt dicta, absolutè, nego consequentiam: in sensu proprio sunt dicta cum illo addito, nempè dicta Verbo, concedo consequentiam, & sub eadem distinctione minoris subsumptæ, nego consequentiam: nam dici Verbo, est in Verbo dicto dicenti manifestari, & in illo à dicente cognosci; & quia Pater in Verbo se ipsum, Filium, & Spiritum Sanctum cognoscit, & creaturas, & Verbum hæc omnia obiecta Patri dicenti manifestat, propriè hæc omnia dicuntur, non absolutè, sed cum addito, nempè addendo* dicuntur Verbo: *hoc enim nihil est aliud, quam propriè per Verbum dicenti manifestari, & propriè in Verbo à Patre dicente cognosci. Non autem concedit D. Thomas, quod propriè absolutè dicantur, & hoc necessarium erat vt omnes personæ essent Verbum*; dicere *autem solo vno modo dicitur propriè, scilicet producere Verbum cognoscendo, & quia quamuis aliæ personæ cognoscant, Verbum tamen non producunt, ideò nec absolutè, nec cum aliquo addito, potest de illis affirmari, quòd sint propriè dicentes, & in hoc consistit discrimen à Diuo Thoma statutum inter* dicere, & dici, *vt hoc secundum de singulis personis dicatur, primum vero in sensu proprio nullatenus affirmetur, sed solum in sensu improprio, sumendo* dicere *pro* intelligere.

In secundo articulo inquirit, vtrum Verbum sit proprium nomen Filij? *Respondet conclusione affirmatiua, quam probat in argumento* sed contra, *ex Augustino libro sexto de Trinitate capite secundo illis verbis*: Verbum solus Filius accipitur. *Et in corpore articuli hac ratione*: Verbum significat quandam emanationem intelligibilem; sed persona, quæ

procedit in diuinis secundum emanationem intellectus, dicitur Filius, & huiusmodi processio dicitur generatio, vt ostensum est supra q. 27. art. 2. ergo solus Filius propriè dicitur Verbum in diuinis. *Nec sequitur, esse plures proprietates, quàm enumerata sunt* supra q. 32. art. 2. *vbi D. Thomas docet, esse in Deo quinque notiones, & quatuor tãtum proprietates: vt enim docet D. Thomas in solutione ad* 2. In nomine Verbi eadem proprietas importatur, quæ in nomine Filij, nẽpè eadem Filij natiuitas, quæ est proprietas personalis eius, & diuersis nominibus significatur, ad exprimendum diuersimodè eius perfectionẽ: nam vt ostendatur connaturalis Patri, dicitur Filius, vt ostendatur coæternus, dicitur splendor, vt ostendatur omnino similis, dicitur imago, vt ostendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum.

Si opponas: quicumque intelligit, intelligendo cõcipit Verbum; sed Filius intelligit: ergo Filij est aliquod Verbum, & sic non est proprium Filij esse Verbũ. *Respondet D. Thomas solutione ad* 4. Dicendum, quod eo modo conuenit Filio esse intelligentem, quo conuenit ei esse Deum; cum intelligere essentialitêr dicatur in diuinis, vt dictum est supra q. 14. artic. 2. & 4. est autẽ Filius Deus genitus, non autem generans Deus: vnde est quidem intelligens, non vt producens Verbum, sed vt Verbum procedens. *Quæ doctrina sic intelligẽda est, vt sicut Filius, quamuis sit Deus, & Deitas sit natura ad generandum fœcunda, non generat, sed generatur, quia non conuenit illi diuinitas cum relatione ab ipsa vt fœcũda ad generandum connotata, sed cum relatione connotata ab ipsa vt potente vt* quo *generari, ita quamuis sit intelligens, non producit Verbum, sed est Verbum procedens, quia non conuenit illi intellectio cum relatione connotata ab ipsa vt fœcunda ad productionem Verbi, sed cum relatione connotata ab intellectione, prout constituit Verbum productum*

intel-

intelligens. Qualiter axioma illud intelligendum sit, diximus supra disp. 71. *nempè, non esse accipiendum vniuersaliter per distributionem suppositorum, sed in diuiduorum intelligentium: vnde verificatur in Deo: nã in diuiduo Deitatis conuenit Verbum producere non in omni suo supposito, sed tantum in vno, nempè in supposito Patris.*

In tertio articulo inquirit, vtrũ in nomine Verbi importetur respectus ad creaturam? Respondet conclusione affirmatiua, quam probat in argumento sed contra, *ex Augustino lib. 83. quæstionum q. 63. asserente*: Quod in nomine Verbi significatur non solum respectus ad Patrẽ, sed etiam ad illa, quæ per Verbum facta sunt, operatiua potentia *Deinde in corpore articuli probat conclusionem ratione*: Deus enim cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam; sed Verbum in mente conceptũ est repræsentatiuum omnis eius, quod actu intelligitur: vnde in nobis sunt diuersa verba, secundum diuersa, quæ intelligimus: ergo quia Deus vno actu, & se, & omnia intelligit, vnicum Verbum eius est expressiuũ, non solum Patris, sed etiam creaturarum; *cum hac tamen differẽtia, inquit D. Thomas*, quod sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiua tantum, creaturarum autem, & cognoscitiua, & factiua, ita Verbum Dei eius, quod in Deo Patre est, est expressiuum tãtum, creaturarum vero est expressiuum, & operatiuum, & propter hoc dicitur in Psalmo 32. *Ipse dixit, & facta sunt*: quia importatur in Verbo ratio factiua eorum, quæ Deus facit.

Si opponas primo: nomina importantia respectũ ad creaturam dici essentialiter in diuinis; sed Verbum non dicitur essentialiter, sed personaliter: ergo nõ importat respectum ad creaturas. *Respondet D. Thomas in solutione ad* 1. In nomine Verbi importari respectum ad creaturam, non ratione proprietatis personalis, sed ratione essentiæ, quã diuina persona importat in obliquo.

Sed

Sed dices: ratio repræsentatiui creaturarum est propria secundæ personæ; sed respectus ipsi competens ratione essentiæ non est proprius secundæ personæ, sed communis alijs: ergo respectus repræsentatiui non conuenit ipsi ratione essentiæ, sed ratione proprietatis personalis. Respondeo distinguendo maiorem: ratio repræsentatiui creaturarũ, vt habita ex vi processionis, concedo maiorem: vt absolutè conueniens, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: sicut enim natura, & si communis sit tribus personis diuinis absolutè, est propria Filio, vt habita ex vi processionis, quia sic soli Filio conuenit, ita ratio respectus repræsentatiui, & si ratione essentiæ conueniat Verbo, & consequenter alijs personis diuinis absolutè conueniat, vt habita ex vi processionis soli Verbo conuenit, & est illi propria. Quod si hinc inferas, rationem Verbi esse cõmunem tribus personis; cum ratio Verbi consistat in repræsentatione actualissima obiectiua, quæ, vt diximus, omnibus personis conuenit. Respondeo concedendo consequentiã de Verbo sumpto inadæquatê, & communitèr, *negando autem illam de Verbo* adæquatê, & propriê, *iuxta ea, quæ* disp. 88. *docebimus.*

Si opponas secundo: Quæ important respectum ad creaturas, dicuntur de Deo ex tempore, vt *Dominus*, & *Creator*; sed Verbum dicitur de Deo ab æterno: ergo nõ importat respectum ad creaturam. *Respondet D. Thomas solutione ad* 2. Illa nomina, quæ important relationem Dei ad creaturas, quæ consequitur actionem in exteriorem effectum transeuntem, vt *creare*, & *gubernare*, de Deo ex tempore dici, quæ vero significant relationem consequutam ad actionem, non transeuntem in exteriorem effectum, sed manentẽ in agente, vt *scire*, & *velle*, nõ dici de Deo in tẽpore, & huiusmodi relatio ad creaturã importatur in nomine Verbi, ideôque nõ ex tempore, sed ab æterno dicitur Verbum de Deo.

Si opponas primo: sequi ex hac doctrina, relationem, quam Verbum ad creaturas importat, conuenire Deo ab æterno; consequens est falsum: ergo & doctrina, ex qua sequitur. Falsitas consequentis constat ex doctrina à Nobis tradita supra tomo 2. tract. 5. disp. 44. vbi verius iudicauimus, non posse intellectum diuinum aliquod ens rationis efficere; sed respectus, quem Verbum ad creaturas importat, non realis, sed rationis est: ergo cum intellectus creatus, à quo solo potest efficienter causari, non existat ab æterno, nõ potest ab æterno talis respectus existere; non enim stare potest quod effectus sit æternus, nisi etiam æterna sit causa, à qua efficienter causatur. Sequela autem probatur: quia nanique relatiò, quam importat nomen Dominus, *nõ conuenit Deo ab æterno, Deus non dicitur ab æterno* Dominus, *sed ex tẽpore, & similiter nomen* Creator *ex tempore prædicatur de Deo; quia relatio, quam importat, non conuenit Deo ab æterno: ergo si Verbum dicitur de Deo ab æterno, relatio, quam ad creaturas importat, ab æterno conuenit Deo.*

Respondeo negando sequelam, vel claritatis gratia distinguendo consequens: fundamentaliter proximê, *concedo consequentiam: secundum esse talis relationis formale, nego sequelam, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam, nec amplius probatione facta conuincitur: relatio namque dominij, & creatoris, nec* formaliter *nec* fundamentalitêr proximè, *conueniunt Deo ab æterno, & ideo prædicta nomina non ab æterno, sed ex tempore prædicantur de Deo; licet autem relatio rationis, quam Verbum ad creaturas importat, non existat ab æterno* formalitêr, *fundamentum tamen proximum illius ab æterno in Deo existit: nã ab æterno Verbum diuinum repræsentat intellectui Patris actualissimè omnes creaturas, tam possibiles, quàm existẽtes, supra quam repræsentationem fundatur proximè relatio, quam ad creaturas importat, & ideo quamuis hæc relatio non existat ab æterno, Verbum ab æterno existit, & esse*

Ver-

Verbum prædicatur ab æterno de Deo, Verbum enim non constitutiuê, *sed* consequutiuè, *prædictam relationem importat, atque adeò ab æterno existit Verbum, & ab æterno verè prædicatur de Deo, quamuis non existat ab æterno relatio, sed tantum fundamentum illius; hoc enim est, quod de formali nomine Verbi importatur.*

Si opponas: Creator *est nomen non* constitutiuê, *sed* consequutiuê *importans relationem, & illius fundamentum conuenit Deo ab æterno; & tamen non ab æterno, sed ex tempore Deus dicitur creator: ergo licet Verbum non* constitutiuê, *sed* consequutiuè, *relationem ad creaturas importet, & fundamentum istius relationis in Deo sit ab æterno, si relatio æterna non est, non poterit* Verbũ *ab æterno dici de Deo. Maior quoad secundam partem est expressa* D. *Thomæ* supra quæst. 13. art. 7. solutione ad 1. *Pro secunda parte probatur: fundamentum relatonis Creatoris est actio creatiua; sed actio creatiua, cum non sit* formalitêr *transiens, sed immanens, ab æterno conuenit* Deo: *nihil enim* formalitêr *manens in Deo potest in tempore incipere, aliàs* realitêr *mutaretur, quod implicat: ergo fundamentũ relationis Creatoris existit in* Deo *ab æterno.*

Respondeo negando maiorem pro secunda parte, ad cuius probationem dicatur, creationem entitatiuê *sumptã conuenire* Deo *ab æterno, & hoc probatione facta conuinci: si enim* entitatiuê *in tempore inciperet, mutaretur* physicê Deus, *quod implicat, sumptam autem* denominatiuè, *id est, vt Deum denominat actu creantẽ, non existere ab æterno, sed in tempore incipere: in tempore namque* Deus *incepit creans denominari, & hoc secundo modo sumpta fundat relationem* Domini, *&* Creatoris: *vnde prout illã fundans, non ab æterno existit, sed in tempore incipit; quomodo autem hoc stet cum immutabilitate diuina, & cur hæc denominatio possit in tempore incipere, sine mutatione* Dei, *secus autem denominatio scientis, & volentis, diximus*

supra

supra disputatione 48. *& disputatione* 53.

Obijcies secundo: relatio, quam importat prædestinatio, fundatur super actum transeuntem in exteriorem materiam; & tamen non ex tempore, sed ab æterno Deus *dicitur prædestinans: ergo non omnia nomina importantia relationem fundatam super actionem transeuntẽ in exteriorem materiam dicuntur de* Deo *ex tempore. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: nam actio* Dei *non est* formaliter, *sed solum* virtualiter *transiens, & hoc ideò: quia licet non transeat ad extra* formaliter, *sed secũdum suum esse formale maneat in* Deo, *transit tamẽ ad extra* causaliter, *ratione effectuum, quos causat ad extra; sed licet prædestinatio non insit nobis* formaliter, *sed* formaliter *maneat in* Deo, *transit tamen ad extra* causaliter, *ratione effectuum, quos causat in prædestinatis: ergo est actio transiens* virtualiter, *qua sola ratione potest actioni diuinæ ratio actionis transeuntis competere.*

Respondeo negando maiorem, ad illius probationẽ distinguo maiorem pro secunda parte: quia transit ad extra, causaliter effectiue exequutiue, *concedo maiorem: quia transit* causaliter *præcisè, nego maiorem, & distinguo minorem: prædestinatio transit* causaliter effectiue exequutiue, *nego minorem:* causaliter directiue, *concedo minorem, & nego consequentiam: ad constituendam enim actionem* virtualiter *transeuntem non sufficit* directiuè *influere ad extra, nec etiam sufficit influere* motiuè, *sicut influit actus voluntatis diuinæ in effectus causatos à Deo: nam sic influere non est influere per modum actionis, sed per modum principij, sed requiritur influxus exequutiuus, vt causalitas potentiæ exequutiuæ Dei; & quia prædestinatio non* exequutiue, *sed* directiue *ad proprius effectus, quos* Deus *in prædestinatis causat, concurrit: fit consequens, quod non sit actio* virtualiter *transiens, sed actio, vel actus* formaliter, *&* virtualiter *immanens, & Deum ab æterno prædes-*

tinantem denominet, sicut decretum liberum volũtatis diuinę, etsi ad extra effectus causet, non est actio virtualiter *transiens, quia non* exequutiuê, *sed* motiuê *causat prędictos effectus, quo circa Deum ab aterno liberè volentẽ denominat, qualiter autem actio diuina sit transiens, & an in Deo distinguatur adæquatè ab actibus intellectus, & volũtatis diuinę, explicauimus* tom. 1. disp. 32.

Tertio obijcies: relatio, quam Verbum Diuinum ad creaturas importat, non fundatur supra actionem Dei immanentem: ergo falsum est, quod D. *Thomas docet solutione ad 2. illis verbis:* Quædam vero relatio est, quæ consequitur actionem, non transeuntem in exteriorem effectum, sed manentem in agẽte vt *scire*, & *velle*, & huiusmodi relatio ad creaturam importatur in nomine Verbi. *Probatur antecedens: relatio, quã diuinum Verbũ ad creaturas importat, est relatio repræsentantis; & consequentèr supra Verbi repręsentationem fundatur; sed hęc repręsentatio cum obiectiua sit, vt suppono ex cõmuni Thomistarum sententia distinguente Verbum ab intellectione, non est actio: nec Verbo conuenit ratione alicuius actionis, sed ratione diuinæ essentię, prout summè actualis in linea intelligibili passiua, quam* virtualiter *à linea actiua intelligẽdi distingui docuimus* tom. 1. disp. 4. *ergo relatio Verbi diuini ad creaturas non fundatur super actionem Dei immanentem.*

Respondeo primo prętermisso antecedenti negando cõsequentiam: cum enim D. *Th. ait;* & huiusmodi relatio ad creaturam importatur in nomine Verbi, *ly* huiusmodi relatio *non dicit identitatem, nec omnimodam similitudinem, sed aliqualem, nempè quoad immanentiam fundamẽti, quod ad intentum* D. *Thomę sufficiebat, quod erat Verbum ab ęterno dici de Deo, etsi relationẽ ad creaturas importet; si namque* scire, & velle, *ab ęterno dicuntur de Deo, quamuis relationem ad creaturas importet, quia talis rela-*

tio non super actionem transeuntem, sed super actionẽ immanentem fundatur: cum etiam exercitium repræsentandi, supra quod relatio Verbi fundatur, sit immanens, Verbum ab æterno dicetur de Deo, quamuis relationẽ ad creaturam importet, & repræsentati illam fundans non sit actio: quod enim scire, *&* velle *dicantur de Deo ab æterno, quamuis importent relationem ad creaturas, non conuenit illis, quia sunt actiones, sed quia sunt quid immanens in Deo* formaliter, *&* virtualiter; *ac proinde per hoc solũ quod relatio, quam Verbum importat, sit huiusmodi, quantũ ad immanentiam fundamenti, licet non sit huiusmodi quoad rationem fundantis actionis, saluatur quod ab æterno dicatur de Deo, quamuis relationem ad creaturas importet.*

Respondeo secundo negando antecedens, ad probationem cõcessa maiori, distinguo minorem: repræsentatio creaturarum possibilium, concedo minorem: repræsentatio creaturarum existentium, vel futurarum, nego minorẽ, & consequentiam: nam Verbum Diuinum repræsentat creaturas ratione essentiæ, vt ex D. Thoma vidimus; essentia autẽ diuina, licet creaturas possibiles repræsentet ratione sui, & independenter ab omni actione diuina, creaturas tamẽ existentes, vel futuras, nõ repræsentat ratione sui absolutè, sed vt determinata per decretum liberum voluntatis diuinæ, vt vidimus tomo secundo disp. 36. *&* disp. 39. *non quidem ita vt decretum sit ratio formalis repræsentandi, sed complemẽtũ vt essentia repræsentet creaturas existẽtes, aut futuras; ac proinde relatio, quã Verbũ ad creaturas existentes, & futuras importat, supra actionẽ immanẽtem fundatur, non vt supra rationem formalem fundandi, sed vt supra complementum rationis formalis dictam relationẽ fundantis, & de hac relatione, loquutus est D. Thomas* in solutione ad 2. *non autem de relatione Verbi ad creaturas possibiles: non enim de ista, sed de illa argumentum proce-*

debat. Quod patet: nam quod nomen aliquod importet relationem ad creaturas possibiles, non obstat vt ab æterno dicatur de Deo; ab æterno enim Deus dicitur Omnipotens, quamuis hoc nomẽ relationem importet ad creaturas possibiles; argumentum autem procedebat de relatione ad creaturas, quæ obstare posit enunciationi ęternę de Deo: non ergo procedebat de relatione ad creaturas possibiles, sed de relatione ad creaturas futuras, vel existentes.

Solutione ad 4. statuit D. *Thomas discrimẽ inter nomen ideæ, & nomen Verbi, quod nempè*: nomẽ ideæ principaliter est impositum ad significandum respectũ ad creaturã, & ideò pluraliter dicitur in diuinis, neque est personale, sed nomen Verbi principaliter impositũ est ad significandum respectum ad dicentem, & ex consequenti ad creaturas, & propter hoc in diuinis est vnicum tãtum Verbum, & personaliter dictum. *Quæ doctrina qualiter sit accipienda explicuimus* tom. 2. disp. 43. in tractatu de ideis, *vbi diximus, nomen ideæ non significare de formali respectum ad creaturas, sed fundamẽtum talis respectus, nempè connexionem cum illis per modũ repræsentatiui, quam connexionẽ nos vt respectũ concipimus.*

Quæstionem trigesimam quintam diuidit in quatuor articulos. Inquirit in primo, vtrum imago in diuinis dicatur personalitêr? *Et respondet cõclusione affirmatiua, quam probat in argumẽto* sed contra, *ex Patre Augustino lib. 7. de Trinitate cap. 1. vbi ait*: Quid est absurdius, quã imaginẽ ad se dici: ergo imago in diuinis relatiuê dicitur, & sic est nomen personale. *Deinde in corpore articuli probat*: ex eo quod de ratione imaginis est similitudo in specie, vel saltim in signo speciei, cum origine, & expressione: vnde Augustinus lib. 83. quæstionum q. 73. ait, vnum ouum nõ esse alterius imaginem: quia non est de illo expressum, ad hoc ergo quod verè aliquid sit imago, requiritur quod ex alio procedat, si-

mile

mile ei in specie, vel saltim in signo speciei, sed ea, quæ processionem, siue originem important, in diuinis sũt personalia: ergo hoc nomẽ *imago* est nomẽ personale.

Solutione ad 1. *Augustinum lib. de fide ad Petrũ cap.* 1. *asserentem*, Deitatem esse imaginẽ, ad quam factus est homo, *explicat in sensu improprio loquutum*: nã imago propriê dicitur, quod procedit ad similitudinẽ alterius, illud autẽ ad cuius similitudinem aliquid procedit propriè dicitur exemplar, impropriê vero imago. *Solutione ad* 2. *docet, imaginẽ dici speciẽ illius, cuius est imago*; sicuti id, quod assimilatur alicui, dicitur forma eiꝰ in quãtũ habet formã illi similem. *Solutione ad* 3. *docet*, quod imitatio in diuinis personis non significat posterioritatẽ, sed solã assimilationem, *quæ doctrina accipiẽda est de posterioritate tẽporis, & naturæ, vel causalitatis, non autẽ de posterioritate originis, cum enim iuxta dicta in corpore, non quæuis similitudo sufficiat ad rationem imaginis, sed requiratur similitudo cum origine, & expressione, nõ potest negari, quod de ratione imaginis sit posterioritas originis: absolutè tamẽ nõ est dicendũ, quod vna persona sit posterior alia; vt enim in Symbolo Athanasij docemur*: in diuinis nihil est prius, & posterius, nihil maius, & minus, sed totæ tres diuinæ personæ sunt sibi coæternæ, & coæquales. *Vbi Athanasius eam inter diuinas personas negat posterioritatem, quæ obstare potest illarum coæternitati, & æqualitati; hæc autem nõ est posterioritas originis, sed posterioritas temporis, & posterioritas causalitatis; & quia posterioritas absolutè prolata aliquam existis importat, ideò inter diuinas personas non est absolutè asserenda, cum addito autem, nempè asserendo posterioritatem originis, neganda non est, nec à D. Thoma negatur.*

In secundo articulo inquirit, vtrum nomen originis sit proprium Filij? Et respondet conclusione affirmatiua, quã probat in argumento sed contra, *ex Parẽte Augustino lib.*

6. & 7. de Trinit. cap. 1. *asserente*: Quod solus Filius imago est Patris. *Deinde in corpore art. docet*; quod Doctores Græcorum communiter dicũt, Spiritum Sanctum esse imaginẽ Patris, & Filij, sed Doctores Latini soli Filio attribuunt nomen imaginis; eo quod non inuenitur in Canonica Scriptura, nisi de Filio, de quo dicitur ad Colos. 1. qui est imago Dei inuisibilis primogenitꝰ creaturę.

Et relatis, & excluſis duabus rationibus, quibus ab alijs probatur, probat D. Thomas, nomen, & rationem imaginis, non Spiritui Sancto, ſed ſoli Filio attribuendum: quia ſicut Spiritus Sanctus, quamuis ſua proceſsione accipit naturam Patris, ſicut & Filius, non tamen dicitur natus, ita licet accipiat ſpeciem ſimilem Patri, non dicitur imago, quia Filius procedit vt Verbum, de cuius ratione eſt ſimilitudo ſpeciei ad id, â quo procedit, non autẽ de ratione amoris, quamuis hoc cõueniat amori, qui eſt Spiritus Sanctus in quantum eſt Amor Diuinus. *Quæ doctrina poteſt ad hãc formã reduci: nam de ratione imaginis eſt eſſe ſimilẽ ſuo principio* formaliter *ex vi proceſsionis; ſed hoc conuenit Filio, quia procedit vt Verbum, de cuius ratione eſt ſimilitudo, ſecus autem Spiritui Sancto, qui procedit vt amor, de cuius ratione ſimilitudo non eſt: ergo ratio imaginis conuenit Filio, non autem Spiritui Sancto. Videãtur, quæ diximus* ſupra diſp. 73. *tractantes, cur proceſsio Verbi generatio ſit, ſecus autẽ proceſsio Spiritus Sãcti, vbi argumenta, quæ contra rationem iſtam ſic explicatã militant, fusè diluimus. Solutione ad* 1. *Patres Græcos aſſerẽtes, Spiritum Sanctum eſſe imaginem Patris, & Filij explicat, nomine imaginis nihil aliud intelligere, quam perfectam ſimilitudinẽ, ex quo ſequitur, D. Tho. ſentire fuiſſe in ſenſu improprio loquutos. Solutione ad* 3. *docet, Filium eſſe perfectam imaginem Patris, hominem autem eſſe imaginem Dei imperfectã*; & ideô ad deſignandũ in homine imperfectionẽ imaginis, homo non ſolũ dicitur imago, ſed ad

imagi-

imaginē, per quod motus quidā tendentis in perfectionē designatur; sed de Filio Dei non potest dici, quod sit ad imaginem, quia est perfecta Patris imago.

Si inquiras, an æquè certū sit, solū Filium esse imaginē, sicut solū Filium esse genitum? Respondeo negatiuè: nam secundū est certum, certitudine fidei, vt ex Symbolo Athanasij constat, quod autē solus Filius sit imago certitudine fidei nō gaudet: tū, quia nullibi diffinitū: tum etiā ob Græcorum Patrum authoritatem asserentiū, Spiritum Sanctū esse imaginem Patris, & Filij, quos damnare durum est, maximè, cum oppositum expressè diffinitum non sit.

Quæstionem 36. diuidit in quatuor articulos. In primo docet, nomē Spiritus Sāctus *sumptū in vi duarū dictionū esse cōmune tribus personis; quæuis enim ex personis spiritus est, & sācta; & consequenter de tribus nomen hoc prædicatur; sūptum vt terminum cōplexum, & in vi duarū dictionum; sumptū autē vt terminum incōplexum, quod est sumi in vi vnius dictionis, esse proprium Spiritus Sancti ex vsu loquentiū, & ex accōmodatione Scripturæ*: sicut enim, *inquit D. Th.* processio, quæ est per modum amoris, non habet proprium nomen, vt dictum est *q. 27. art. 4. ad 3.* inde, & relationes, quæ secundū huiusmodi processionē accipiuntur, innominatæ sunt, vt etiam dictū est supra *q. 28. art. 4.* propter hoc, & nomē personæ hoc modo procedentis non habet proprium nomen, sed sicut sunt accommodata aliqua nomina ex vsu loquentium ad significandum prędictas relationes cū nominamus eas nomine processionis, & spirationis, quæ secundum proprietatem significationis magis videntur significare actus notionales, quā relationes, ita ad significandū personam, quæ procedit per modum amoris, accōmodatum est ex vsu Scripturæ hoc nomen *Spiritus Sāctus.*

Nec obstat, quod hoc nomē relatiuū nō sit, inquit D. Th. solutione ad 2. Nā licet hoc, quod dico *Spiritus Sanctus*,

relatiuê non dicatur, tamẽ pro relatiuo ponitur, in quãtum est accõmodatum ad significandum personã sola relatione ab alijs distinctam. *Et quidẽ, hoc nomen* prima persona *non est relatiuum, nec* relatiuê *dicitur, vt constat ex dictis* supra disp. 8 1. *& tamen est nomen proprium Patris, & idem de hoc nomine* secunda persona *est dicẽdum, quod nempè, est nomẽ proprium Filij, quamuis nomen relatiuum non sit: pariter ergo nomen* Spiritus Sanctus, *etsi nõ dicatur* relatiuê, *erit proprium tertiæ personæ.*

Notat etiam solut. ad 3. quod quia in nomine Filij intelligitur sola relatio eius, qui est â principio ad principiũ, in nomine autẽ Patris intelligitur relatio principij, & etiã potest intelligi in nomine *Spiritus*, prout importat quandã vim motiuã, & nulli creaturæ conuenit esse principiũ respectu alicuius diuinæ personæ, sed ê cõuerso, ideô potest dici Pater noster, & Spiritus noster, nõ tamen potest dici Filius noster. *Quod non est ita accipiẽdũ, vt dicatur Pater noster* personalitêr, *eo modo quo dicitur Pater Filij diuini, nec Spiritus noster eo modo, quo tertia persona dicitur Spiritus Patris, & Filij, sed dicitur Pater noster* Deus, *vt tribus personis communis, quia est principiũ nobis essendi, & dicitur Spiritus noster, quia nos mouet ad operandum, nõ autem dici potest Filius noster, quia à nobis nihil accipere potest.*

In secundo articulo docet, Spiritum Sanctum procedere à Filio. Quod probat in argumento sed contra, *ex Symbolo Athanasij illis verbis:* Spiritus Sanctus â Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedẽs. *Rationes, quibus veritatẽ istam demonstrat in corpore articuli, fusè explicabimus* infra.

In tertio docet, posse dici, quod Spiritus Sãctus procedat â Patre per Filiũ. *Quod probat in argumẽto* sed contra, *ex Hilario lib.* 12. *de Trinit. ad finẽ illis verbis:* Cõserua hãc oro fidei meæ religionẽ, vt sẽper obtineã Patrem, scili-

cet,

cet,te,& Filium tuum vna tecum adorem,& Spiritum Sanctum tuum,qui est per vnigenitum tuum promerear. *Deinde in corpore articuli probat*:Nã vnum operari per alium dupliciter dici potest, vel quia ab illo habet, quod operetur,vel quia illi dat virtutem ad operandũ; sed licet Filius non sit Patri causa,vt producat Spiritum Sanctũ,Pater tamen cõmunicat Filio virtutẽ,qua Spiritũ Sanctũ producit:ergo potest dici,quod Pater producit Spiritum Sanctum per Filium;& consequẽter, quod Spiritus Sanctus â Patre per Filium procedit.

Si opponas primo: quod ab aliquo procedit per alium, non procedit ab eo immediatè: ergo si Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium,non procedit à Patre immediatè. Respondet D.Thomas solutione ad 1. quod ab attenta virtute,qua Pater,& Filius spirant Spiritum Sanctũ,non cadit aliquod mediũ quia hæc virtus est vna, & eadẽ, si autem considerentur ipsæ personæ spirantes,sic cum Spiritus Sanctus cõmuniter procedat â Patre,&Filio,inuenitur Spiritus Sanctus immediatê â Patre procedere in quantum est ab eo, & mediatê in quãtum est â Filio. *Et in forma applicando doctrinam D.Th. negandũ est antecedẽs;licet enim quod ab aliquo per aliũ procedit, procedat ab illo mediate, non tamen per hoc tollitur, quod etiã immediatè procedat: stat enim mediatè, & immediatè ab vno,& eodem procedere*: sicut etiam Abel,*inquit D.Th.* processit immediatê ab Adam, in quãtũ Adã fuit Pater eius,&mediatê in quantũ Eua fuit Mater eius,quæ processit ab Adã;*& sicut effectus creati sunt à Deo mediatè in quantũ causantur à causa secunda causata à Deo,& immediatè,quatenus causantur ab ipso.*

Solutione ad 2. *docet D.Th.ex hoc,quod Spiritus Sãctus procedat à Patre per Filiũ,quia Filius à Patre accipit virtutẽ spiratiuã,non sequi quod magis à Patre,quã à Filio procedat,& hoc ideò*: quia vna, & eadẽ numero virtus spi-

ratiua est in Patre, & in Filio, & ideô æqualiter ab vtroque procedit. *Et quidem æqualitèr causantur creaturæ à tribus personis diuinis, etsi Patri conueniat omnipotentia à se, & aliæ personæ illam accipiant à Patre; quia vna numero omnipotentia est in illis, & æquales sunt in Deitate, etsi Patri à se conueniat, & alijs personis à Patre communicetur; quia in illis est vna numero Deitas.*

In solutione ad 4. docet, non posse dici Filium spirare per Patrem; eo quod ly per *importat mediationem suppositi, aut virtutis; & quia virtus Patris, & Filij est omnino vna, & eadem, non potest designari mediatio virtutis, alias nec designari potest mediatio suppositi; ad hoc enim requirebatur quod Pater à Filio procederet: fit, vt nequeat dici, Filium spirare per Patrem, dicitur tamen Patrem spirare per Filiũ mediatione personali; quia Filius procedit à Patre, & spirat Spiritum Sanctum.*

In articulo 4. docet, Patrem, & Filium esse vnũ principium Spiritus Sancti. Quod probat in argumento sed cõtra, *ex Augustino lib. 5. de Trinitate cap. 14. dicẽte:* Quod Pater, & Filius non sunt duo principia, sed vnum principiũ Spiritus Sãcti. *Deinde in corpoee articuli probat dupliciter, primo* : Nam Pater, & Filius in omnibus vnum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio; sed in hoc, quod est esse principiũ Spiritus Sãcti, non opponuntur relatiuê: ergo Pater, & Filius sunt vnũ principium Spiritus Sancti. *Secundo id probat assignando rationẽ proprietatis prędictę propositionis contra quosdam asserentes esse impropriam. Et quod sit propria loquutio, probat D. Thomas, ex eo quod* licet hoc nomen *principium* significet proprietatem, tamẽ significat eã per modũ substantiui, sicut hoc nomen *Pater*, & *Filius* etiã in rebus creatis: ergo numerũ accipit â forma significata, sicut & alia substãtiua; sed Pater, & Filius sũt vnus Deꝰ propter vnitatẽ formæ significatæ per hoc nomẽ *Deus*,

Supple,

supple, quia nomen Deus *substantiuum est, & substantiuè significat*: ergo sunt vnum principium Spiritus Sancti propter vnitatem proprietatis significatæ hoc nomine principium. *Quæ ratio potest ad hanc formam reduci: nomen substantiuum prædicatur singulariter quando forma per illud significata est vna, quamuis suppositа, vel subiecta sint plura, vt constat in hoc nomine* Deus: *sed hoc nomen principium substantiuum est, & forma per illud significata, nempè virtus spiratiua, est vna, cum in illa non opponãtur relatiuè Pater, & Filius: ergo quãuis sint plura suppositа singalariter prædicatur de illis; & cõsequenter nõ sunt plura, sed vnum principium Spiritus Sancti. Quam doctrinam inferius fusè explicabimus.*

Quæstionem 37. *diuidit in duos articulos: in primo, supponendo quod amor potest sumi essentialiter, scilicet pro actu amoris, & notionaliter, scilicet pro termino per amorẽ producto, docet sumptum notionaliter esse proprium nomen* Spiritus Sancti. *Ante cuius probationem supponit* D. Tho. *primo, quod sicut per intellectionem producitur Verbum, in quo intellectus contemplatur obiectum, ita per amorem producitur impulsus, medio quo amatum est per inclinationem in amante. Secundo supponit differentiam, quæ inter processionem per intellectum, & processionem per voluntatem versatur: quod nempè, quia prima nobis est notior, sunt propria nomina inuenta ad singula significanda,* vt notitia, & intellectio *significant quæ ad essentialia pertinent,* dictio, & Verbum *significant notionalia, nempè actionem notionalem, & terminum per illam productum. Quo circa in Deo intelligere solum essentialiter sumitur, dicere autem, & Verbum notionaliter dicuntur; ex parte autem voluntatis præter nomina essentialia, quæ sunt amor, & dilectio, non sunt propria nomina inuenta ad significandum ea, quæ spectant ad notionalia, & ideò propter vocabulorum inopiam, nomina essentialia*

applicantur ad significãdum actionem notionalem, quæ est productio Spiritus Sancti, & etiam illius terminũ. Ex quo nascitur, vt amor sumatur dupliciter, nempè essentialitèr, prout significat habitudinem amantis ad obiectum amatum, & notionaliter, prout significat amorem procedẽtem. Quibus positis probatur conclusio: Amor sumptus notionalitêr significat impulsum productum, seu terminum procedentem; sed sic non est communis tribus personis, sed solum conuenit Spiritui Sancto: ergo amor notionalitêr sumptus, est proprium nomen Spiritus Sãcti. *Notat autem Caietanus, non distinxisse D. Thomam duplicem amorem in* Deo, *sed duplicem acceptionem illius nominis* amor, *vnam ex vi significationis, qua ratione sumitur pro actu amoris, aliam per accommodationem propter vocabulorum inopiam, qua ratione accipitur personalitèr pro tertia Trinitatis Persona.*

In secundo articulo docet, Patrem, & Filium, se diligere Spiritui Sancto. Quod probat in argumento sed contra, *ex Augustino lib. 6. de Trinitate cap. 5. asserente*, quod Spiritus Sanctus est, quo genitus â generante diligitur, genitoremque suũ diligit. *Deinde in corpore articuli relatis varijs modis dicendi, explicat prædictę propositionis sensum, & illius veritatem probat ratione infra à Nobis explicanda.*

DISPVTATIO OCTVAGESIMA SEPTIMA.

Quid significet hoc nomen *ingenitum* prout est Patri proprium, & notio illius?

§. I.

Tria vt certa supponuntur.

Nu. 1. *Ingenitū inali qua accept.one propriū est solius Patris.*

IN hac disputatione tria vt omnino certa supponimus, & alterum in examē vocamus. Primum, quod supponimus, est, *ingenitum* in aliquo sensu esse propriū primæ personæ. Quæ suppositio diffinita est in Concilio Toletano 6. & 11. vbi dicitur, Patrem esse ingenitum, quia à nullo ducit originem. & Filium esse Deum natum; at vero Spiritum Sanctum, nec genitum, nec ingenitum credi, *ne si ingenitum aixerimus, duos Patres dicamus.* Illamque probat ratio ex D. Tho. *in præsenti art.* 4. nomen enim *ingenitum* potest tripliciter accipi: primo, vt idem est quod non factum, nec creatum, quæ acceptio est nimis lata, & impropria, & in illa est omnibus personis communis. Secundo, vt negat non personarum productionem, sed solum generationē, & hoc modo dupliciter, scilicet non connotando principium, vel illud connotando, qua ratione ab Augustino vsurpatur *lib.* 5. *de Trinitate cap.* 6. & 7. vbi ait, significare idem quod non Filius. Tertio, vt negat omnem rationem processionis ab alio, negatione fundata in entitate positiua; at licet in primo sensu, & in secundo non connotata ratione principij, nō sit Patri proprium, sed in primo sensu omnibus personis commune, & in secundo absque connotatione principij commune sit Patri, & Spiritui Sancto, in secundo tamen sensu, connotata ratione principij, proprium est Patri; cum Spiritus Sanctus, etsi non genitum sit, non tamen sit principium non genitum. Et in tertio sensu proprium etiam Patri est; cum

Filius, & Spiritus Sanctus ab alio procedant, & essentia, etsi non procedat, per processionem tamen communicatur: ergo ingenitum in aliquo sensu, etiam in vsu Theologorum frequenti, proprium est solius Patris.

2 *Si opponas.* Si opponas: nomen negatiuum solum significare negationem formæ sui positiui; at positiuum, cui opponitur ingenitum, est genitum, quod significat generationem strictam: ergo hoc solum negat ingenitum; & consequenter tertia acceptio non recte assignatur. *Resp.* Respondeo, ly *ingenitum* in vna acceptione solum opponi cum genito, & sic solum negare generationem strictam, in alia autem opponi producto, seu communicato per processionem, & sic excludere omnem modum productionis, sicut irrationale non solum negat rationalitatem strictam, aliàs Angeli dicerentur irrationales, sed etiam omnem modum intelligendi, etiam sine discursu, quo circa, nec Deꝰ, nec Angeli irrationales possunt nuncupari.

3 *Ingenitum de formali solam negationẽ significat.* Secũdum quod supponimus est, hoc nomen ingenitum de formali significare negationem, & non aliquid positiuum, cuius contrarium docuisse Aureolum *in* 1. *distinct.* 28. *art.* 1. & Bonauenturam *ibidem q.* 1. 2. *&* 3. referunt Recentiores *in præsenti*, docuisse etiam Gabrielem Vazquez *disp.* 137. *cap.* 5. *&* *disp.* 140. *cap.* 3. referunt Salmanticenses *disp.* 11. *dub.* 3. *num.* 50. nã licet hic Auctor asserat importare positiuum de materiali directè, non id circo ait de materiali importari, quia importatur pro fundamento, sed quia non significat positiuum ad modum positiui, sed per modum negationis, ad modũ quo *disp.* 127. *cap.* 2. docuerat personam de materiali, licet directè significare relationem, quia illam non significat ad modum relationis, sed indiuiduæ subsistẽtiæ. Nostram tamen suppositionem docent communiter Patres, & Theologi. Augustinus 5. *de Trinitate cap.* 7. Cyrilus 1. *Thesauri cap.* 3. Basilius *lib.* 5. *contra Eunomium.* *Epiphanius hæresi* 73. Quos omnes sequutus est D. Thomas *in* 1. *distinct.* 28 *quæst.* 1. *art.* 1. *& in præsenti art.* 4.

4 *Prob. ratione* Et probatur manifesta ratione: nomen enim negatiuum differt à positiuo penes formale significatum; at significatum formale nominis positiui est positiua forma: ergo formale significatum nominis negatiui, est negatio. Confirmatur: idem namque significat ingenitum, quod non genitum infinitanter acceptum; at non genitum infinitanter, negationem generationis, seu productionis de formali significat, sicut nonhomo negationem hominis, & nonens negationem entis: ergo significatum formale huius nominis *ingenitum* est negatio.

5 *Profundamẽto aliquid positiuum importat.* Tertium quod supponimus est, aliquod fundamentum intrinsecum de materiali importare. Quod patet ex differentia negationis ab extrinseco conuenientis, vt negatio lucis in aere, a negatione intrinseca, & essentiali, quod illa fundamentum ex quo oriatur in subiecto non petit, hæc vero intrinsecum fundamentũ exposcit, vt constat in negatione intrinseca equo, scilicet rationalitatis, quæ in hinnibilitate equo essentiali fundatur; at ingenitũ, negationẽ intrinsecam formæ essentialiter Patri repugnantis importat: ergo de materiali fundamentum aliquod Patri intrinsecum dicit.



§. II.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio.

6 *Prima sententia*

HIs igitur suppositis, quod in dubium vertimus est, ratione cuius ingenitum sit proprietas, seu notio Patris, ratione positiui, an ratione negationis? Prima sententia docet, ratione solius positiui esse Patris notionem. Hanc alijs relatis tenet Vazquez *disp.* 137. *cap.* 5. *& disp.* 140. *cap.* 3. & Alarcon *trac.* 5. *disp.* 7. *cap.* 1. & 2. Et ex antiquis tenuere Prepositiuus, Bonauentura, & alij, quos refert D. Thomas in præsenti art. 4. Non tamen omnes in positiuo, ratione cuius ingenitum est notio, conueniunt: alij namque rationem prædicamentalem à Paternitate, & generatione actiua distinctam pro fundamento prædictæ negationis assignant. Alij Paternitatem; & spirationem simul. Alij relationem quandam rationis. Ita expresse Vazquez *cap.* 5. *relato n.* 18. quidquid in contrarium reclamet Alarcon vbi supra cap. 3. illum, velit nolit, in suam trahens sententiam, qua docet, positiuum, ex quo oritur talis negatio, & ratione cuius ingenitum est notio specialis, esse Paternitatem sub conceptu primæ personalitatis, sub quo positiuè docet distingui à se ipsa vt est Paternitas, & in relatione transcendentali consistere.

7 *Pro explicatione 2. sententiæ statuitur 1. conclusio.*

Secunda sententia docet, ingenitum ratione nullius positiui esse specialem Patris notionem, sed solum ratione negationis, quam de formali significat. Ita omnes Thomistæ in præsenti, & ex alienis Suarez *lib.* 8. *de Trinitate cap.* 2. Arrubal *disp.* 121. *cap.* 6. *num.* 34. Granadus *trac.* 7. *disp.* 2. *& trac.* 8. *disp.* 4. & frequenter alij recentiores. Pro cuius explicatione sit prima conclusio *Nihil positiuum distinctũ à Paternitate* obiectiuè adæquatè, *est fundamẽtũ negationis* ingeniti, *sed est ipsa Paternitas prout immediatè coniungitur cum diuina natura in ratione formæ hypostaticæ.*

8 *Prima pars cõclusionis probatur.*

Prima pars conclusionis probatur: positiuum namque à Paternitate obiectiuè distinctum fundans negationem ingeniti, absolutum esse non potest, vt fatentur Theologi communiter, & ratio manifesta suadet: absoluta nãque sunt tribus personis communia, fundamentum autem negationis ingeniti notionale esse debet, & proprium Patri, nec potest esse relatiuum prædicamentale, relatione quinta ab alijs distincta: quintam namque relationem realẽ in diuinis constituere temerarium est in communi Theologorum iudicio, nec Paternitas, nec spiratio simul.

9 *Paternitas & spiratio non fundant negationẽ ingeniti.*

Tũ, quia si hoc esset, non distingueretur ingenitum in ratione notionis à Paternitate, & spiratione: complexum namque ex duabus notionibus notio distincta non est. Tum etiam: nam ingenitum est proprium Patri, & consequenter eius fundamentum proprium Patri debet esse; relatio autem spirationis, & Patri, & Filio est communis: ergo sicut essentia, quia communis est tribus personis, excluditur à fundamento negationis ingeniti, etiam vt inadæquatè ingrediens in illo, ita spiratio, quia communis est Patri, & Filio, nec inadæquatè simul cum Paternitate potest istam negationem fundare.

Nec relatio rationis.

Nec positiuum illud esse potest relatio rationis primi principij, quã Vazquez assignat: tum, quia negatio hæc realis est, & consequenter

fun-

fundamentum reale ex quo oriatur exposcit. Tum etiam, quia relatio rationis minus explicat dignitatis, quam realis negatio, fundamentum autem positiuum, à prædicto authore ideo quæritur, vt ingenitum dignitatem importet. Tum denique: nam relatio rationis fundamentum aliquod necessario supponit: ergo in illo assignando manet eadem difficultas, atque in constituendo fundamentum negationis, & quidquid pro fundamento relationis rationis constituatur, poterit absque relatione rationis mediante, negationem istam fundare.

10 *Nec relatio transcẽdentalis.*

Nec denique potest esse transcẽdentalis relatio, qua Pater indiuisẽ respiciat filium, & Spiritum Sanctum vt fontale principium, vt Alarcon volebat. Tum, quia in diuinis transcendentalis relatio non datur, vtpotẽ in dependentia ab alio consistens, quæ formalitatibus diuinis repugnat. Tum etiam: nam ea, quæ in creatis transcendentalem relationem important, non multiplicantur realiter in Deo, nec notionalia sunt, sed communia, vt constat in intellectione, & volitione, quæ in creaturis transcendentalem respectum dicunt ad obiectum, & tamen in Deo ab obiecto realiter non distinguuntur, & communes sunt tribus personis, fundamentum autem rationis ingeniti notionale esse debet, & realitẽr multiplicatiuum personæ.

11 *Nõ datur in Patre vnus respectus quo respiciat filiũ, & Spiritũ Sãctum.*

Tum tertio: nam in Patre non datur vnus respectus transcendentalis, quo respiciat filium, & Spiritum Sanctum, sed siuẽ transcendentalitẽr, siuẽ prædicamentalitẽr adæquatẽ illos respicit paternitate, & spiratione actiua: ergo ratio ingeniti in respectu transcendentali virtualitẽr distincto ab his relationibus nõ potest fundari. Antecedens probo primo: non datur vnus prædicamentalis, quo indiuisẽ respiciat Filium, & Spiritum Sanctum: ergo nec vnus transcendentalis. Patet consequentia: quia eadem vnitas, aut diuersitas ad vtrumque sufficit, & requiritur. Secundo: quia respectus prædicamentalis supra influxum fũdatur, & non datur in Patre aliquis cõmunis influxus, & vnus quo influat in Filium, & Spiritum Sanctum, non datur vnus prædicamentalis respectus ad illos, sed transcendentalis si datur est, vt fundet influxum, non enim datur respectus in diuinis realitẽr distinguens non pertinens ad originem, vel antecedentẽr, vel cõsequutiuẽ: ergo quia non datur vnus influxus in illos communis, non poterit dari vnus transcendentalis respectus ad illas terminatus.

12 *Nõ dantur in filio, & in Spiritu Sancto respectus transcẽdentales ad Patrem.*

Tertio, vt Filius, & Spiritus Sanctus Patrem respiciant, non dantur in illis transcendentales respectus à filiatione, & processione virtualiter præcisiuẽ distincti, aliàs daretur in quolibet illorum duplex notio virtualitẽr distincta, & consequentẽr essent plures notiones quã quinque: ergo pariter vt Pater, Filium, & Spiritum Sanctum respiciat transcendẽtaliter, constituendus non est vnus transcendentalis respectus virtualitẽr præcisiuẽ à Paternitate, & spiratione actiua distinctus.

13 *Secũda pars cõclusionis ex dictis prob.*

Et ex his secunda pars conclusionis colligitur: negatio namque ingeniti petit pro fundamento aliquid positiuum in Patre, quod notionale sit, & illi proprium; at hoc positiuum non est prædicatum aliquod absolutũ, nec relatiuẽ prædicamentalis quinta realis, nec respectus rationis, nec spiratio actiua, nec transcendentalis respectus, præcisiue à Paternitate distinctus: ergo est ipsa paternitas: tum vltra; in Paternitate datur triplex munus, vnum constituendi personam vt forma hypostatica, alterũ, egressionis formalitẽr, aut completiuẽ iuxta varias sententias; ac denique tertium, respiciendi filium; at non fundat negationem ingeniti sub conceptu generationis, aut respicientis Filium. Tũ, quia non eo ipso quod intelligitur persona ingenita, intelligitur Filius. Tum etiam, quia quam primum intelligitur Pater constitutus in ratio-

ne personæ, potest intelligi ingenitus, non autem quam primum intelligitur sic constitutus, intelligitur respicere prædicamentaliter Filium, aut ipsum generare: ergo est paternitas, quatenus sub ratione formæ hypostaticæ immediatè determinat diuinam naturam, & Patrem constituit in ratione personæ.

§. III.

Explicatur quid importet ingenitum in ratione quintæ notionis.

14 *Secũda cõclusio prob. ex D. Tho.*

SEcunda conclusio: *Ingenitum non cõstituitur in ratione quintæ notionis ab alijs distinctæ per positiuũ quod importat de materiali, sed per negationem, quam de formali significat.* Probatur primo ex D. Thoma *in hac quæstione art. 4. solutione ad 1.* vbi postquam refutauit sententiã illorum qui dicebant, innascibilitatem prout est Patris proprietas, vel significare quod à nullo sit, & quod est principium aliorum, vel vniuersalem authoritatem, vel fontalem plenitudinem, quæ est ipsissima sentia Alarcon, ita concludit: *Et ideo dicendum est secundum Augustinum 5. de Trinitate, quod ingenitum negationẽ generationis passiuæ importet.* Et paucis interpositis: *Nec propter hoc sequitur, quod ingenitus non debeat poni propria notio Patris, quia prima, & simplicia per negationes notificantur, sicut dicimus punctum esse, cuius pars non est.*

Ex quib⁹ verbis tale argumẽtũ deduco: primũ argumentũ D. Th. contendebat probare innascibilitatem non esse Patris notionem, eo quod notio, aut proprietas, ponit aliquid in eo cuius est, ingenitum autẽ nihil ponit, sed remoueat, cum negationem importet. Cui argumento respondet, quod licet negatio sit, esse potest notio Patris, quia simplicia per negationes notificantur; at si sentiret ingenitum in ratione notionis per aliquid positiuum constitui, & non per negationem de formali significatam, non sic responderet, sed facilius argumento occurret, dicendo, quod licet negationẽ significet, non tamen per illam, sed per positiuum de materiali importatum, in ratione notionis constituitur: ergo manifestẽ sentit D. Thomas in ratione notionis per negationem constitui, non per aliquid positiuum.

15 *Ex verbis D. Th. arg. formatur.*

Secundo probatur: ad distinctã notionem requiritur cõceptus obiectiuẽ distinctus ab alijs virtualitẽr adæquatẽ, aliàs si inadæquata distinctio, seu munus distinctum, ad notionem distinctam sufficeret, ratio Verbi, & imaginis in Filio, ratio generationis, & potentiæ generatiuæ in Patre, imõ & conceptus referendi, & conceptus hypostasis in quauis relatione personali diuina, constituerent diuersas notiones, cum inter hæc omnia detur distinctio in munere, seu inadæquata obiectiua; at positiuum quod de materiali importat ingenitum, vel paternitas vt forma hypostatica, non distinguitur virtualiter adæquatẽ obiectiuẽ à cõceptu paternitatis vt referentis: ergo vel non est quinta notio ab alijs distincta, vel non per positiuum quod dicit de materiali, sed per negationem de formali importatam in ratione notionis constituitur.

16 *Secũdo prob.*

Denique probatur conclusio: etenim ad rationem notionis sufficit, quod notificet aliquid personale pertinens ad dignitatem, nec requiritur quod ipsa notio dignitas sit; at

17 *Deniq; prob. cõclusio.*

ne-

negatio ſignificata nomine ingeniti, notificat aliquid in Patre perſonale, & ad illius pertinens dignitatem, ſcilicet primatum originis, quod in Trinitate habet, & immediatam terminationem paternitatis reſpectu naturæ, quæ dignitas, nulla alia proprietate explicatur: ergo etiam ſi ratione ſui dignitas non ſit, eſt tamē ratione ſui notio. Conſequutio cum minori tenet. Maior autem conſtat primo ex doctrina D. Thomæ proximē adducta. Secundo: non magis requiritur ad rationē notionis quod ſignificet aliquid ad dignitatem ſpectans, quam quod ſignificet proprietatem perſonalem, cum primum ex ſecundo colligatur; atqui vt aliquid notio ſit, non requiritur quod proprietas ſit perſonalis, ſed quod proprietatem perſonalem circūloquutiuē notificet: ergo etiam non requiritur quod ratione ſui dignitas ſit, ſed quod circumloquutiuē notificet dignitatem.

18 *Ad notionē diſtinctā non requiritur, quod denotet diſtinctā dignitatem.*

Ex quo licet obiter colligo, non requiri quod notificet dignitatem diuerſam, ad hoc quod aliquid ſit notio diſtincta, ſed ſufficit quod ratio notificans ſit ab alijs diuerſa, etſi dignitas notificata eadem ſit. Quod patet primo à paritate perſonalitatis: quam notificari per notionē debere, conſtat ex diffinitione notionis, & tamen non requiritur ad diuerſam notionem, diuerſæ perſonalitatis notificatio, ſed eiuſdem diuerſum notificans: ergo idem de dignitate eſt dicendum. Secundo: quia in vna perſona non ſunt dignitates diuerſæ obiectiuē, imō nec in omnibus ſimul; & tamen reſpectu eiuſdē perſonæ, plures dantur notiones. Et ex his corruit argumentum Gabrielis Vazquez exinde probantis, negationem non ſufficere ad rationem notionis, quia ratione ſui dignitas non eſt.

19 *Arguit Alarcō.*

Opponit Alarcon contra vtrāq; concluſionem: nam Patres communiter Patrem appellant fontale Trinitatis principium, ita Dionyſius 2. de diuinis nominibus, Athanaſius oratione contra Gregales Sabellij, Auguſtinus, & alij, quem loquendi modum vſurpant Scholaſtici cū D. Thoma in præſenti *art.* 4. & 5. quæ formalitas conſiſtit in eo, quod Pater eſt radix prima cæterarum perſonarum; at Pater in ratione radicalis principij, Filij, & Spiritus Sancti, non conſtituitur per paternitatem, & ſpirationem, cum per illam ſolum cōparetur ad Filium, & per iſtam ſolum ad Spiritum Sanctum in ratione proximi principij vtriuſque: ergo per formalitatem aliquam ab illis præciſiuē diſtinctam, quæ cum abſoluta non ſit, vtpotē notionalis, nec relatiua prædicamentalis, aliàs eſſent plures quam quatuor, erit tranſcendentalis relatio, qua indiuiſē vtrumque reſpiciat vt principium radicale; & conſequenter hæc tranſcendentalis relatio erit notio ab alijs diſtincta. Ex quo vlterius ſequitur eſſe notionē ſignificatam nomine ingeniti, cum ex oppoſito plures dentur, quam quinque notiones.

20 *Reſp.*

Reſpondeo, paternitatem conſiderari poſſe, quoad præſēs, duplicitēr, primo vt forma hypoſtatica terminans naturam diuinam. Secundo: prout terminat diuinum intellectum ſub qua ratione proximū principium generandi Filium cōſtituit, ſub prima ſpirationem actiuam radicat, ac proinde paternitas adæquatē inſpecta, Patrem fontale, ſeu radicale principium Trinitatis conſtituit, hoc eſt, duarum perſonarum ab ipſo diſtinctarum, quin ad hoc requirātur in illa duo conceptus obiectiuē adæquatē diſtincti, nec relatio aliqua tranſcendentalis; ſed vt principium ſit, ſufficit paternitas ſub cōceptu explicato, & vt intelligatur, tanquam primum principium, ſufficit negatio originis ab alio, ſignificata nomine ingeniti. Et hæc de iſta diſputatione applicāda litteræ Magiſtri in 1. diſtinct. 13. §. *Sed vt iſtā quæſtionem.* Et diſt. 28. §. 1. ad illa verba; *cum vero ingenitus dicitur, non quod ſit, ſed quod non ſit oſtenditur.* *M. Sēt.*

DISPVTATIO OCTVAGESIMA OCTAVA.

An Verbum in diuinis personaliter tantum dicatur?

§. I.

Relatis sententijs prima conclusio statuitur.

Nu. 1. *Verbũ in diuinis dari supponitur.*

IN hac disputatione duo vt in dubitata supponimus, & alterũ in examẽ vocamus. Primum est, dari Verbũ in diuinis, cuius contrarium docuisse Alogianos referunt Augustinus *hæresi 30.* Epiphanius *hæresi 51.* Alphonsus de Castro *lib. 4. aduersus hæreses*, verbo *Deus hæresi 7.* qui hæretici Ioannis Euangelium, Apocalypsim, & illius Epistolas non recipiebant, ne aliquam in diuinis personis Verbum esse admittere cogerentur. Docuerunt etiam Eunomius, & alij Trinitatis iniquissimi hostes, negantes Verbum esse personam diuinam, & creaturam esse asserentes, vt referunt Athanasius *in oratione contra Gregales Sabelij*, Hylarius *6. de Trinitate*. Cyrillus *lib. 7. Thesauri cap. 1.* Nostram autem suppositionem esse de fide docent vniuersi Patres Ecclesiæ, & ex dicendis in discursu disputationis constabit.

2 *Filius ab æterno est Verbum.*

Secundo indubitatum est apud omnes, Filium, non in tempore, sed ab æterno esse Verbum, cuius contrarium docuisse Michaelem Seruitum, & Franciscum Dauidis, tenẽtes Verbum, de quo in Euangelio Ioannis fit mentio, non esse personam aliquã inuisibilem, sed Christum ratione humanitatis in tempore assumptæ, refert Valentia *disput. de Trinitate quæst. 1. punct. 1. §. 2.* Cuius delirij falsitas manifestè conuincitur ex illis verbis Ioannis 1. cap. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ*: nam particula *erat* æternitatem denotat, vt expositores omnes illius loci conueniunt.

3 *Sententia Durandi.*

His ita præmissis, quod in examen vocamus est, an ratio Verbi personalis sit, an essentialis, vel vtrumque simul? Prima sententia docet, rationem Verbi absque metaphora acceptam, solum essentialiter dici,

& ſecundæ perſonæ accómodari per quandam ſimilitudinem. Ita Durandus *in.1. diſtinct. 27. quæſt.3. num.3.6. & 10.* motus ex eo quod Verbum idem eſt quod actus intelligendi, vt conſtat in verbo creato, quod ab intellectione non diſcriminatur, ſed in ipſa intellectione conſiſtit; at actus intelligendi in diuinis, ſolum eſſentialiter dicitur, etſi filio approprietur. quod ſapientia ſit ratione ſimilitudinis, quam habet cum illa: ergo ratio Verbi ſi proprie accipiatur, ſolum eſſentialiter dicitur.

4 *Falſo principio procedat.*

Sed cum Durandi ſententia ortum habeat ex eo quod Verbum diuinum per intellectum non procedere ſentiat, quod *ſupra quæſt. 27. diſp.72. concluſione prima* reiecimus, non eſt cur in illius impugnatione immoremur. Nec fundamentum cui innititur alicuius ponderis eſt: nam Verbum creatũ non in intellectione actuali, ſed in termino per illam producto conſiſtere, eſt perpetua doctrina D. Thomæ. Sic docet *quæſt. 8. de potentia art. 1.* illis verbis: *Intellectus intelligendo ad quatuor ordinem habere poteſt, ſcilicet ad rem quæ intelligitur, ad ſpeciem intelligibilem, qua intellectus fit in actu, & ad ſuum intelligere, & ad conceptionem intellectus, quæ quidem conceptio à tribus prædictis differt.* Et paucis interpoſitis ibi: *Differt autem ab actione intellectus, quia prædicta conceptio conſideratur vt terminus actionis, &c.* Id ipſum docet *quæſt.3. de veritate art.2. quæſt.4. art.1. & 2. 1. Contra-Gentes cap.54. & lib. 4. cap. 11. & in præſenti art. 1. ad 2.* An autem bona ſit conſequentia Durandi, qua ex eo quod Verbum creatum in intellectione conſiſtit, infert id ipſum de Verbo diuino, iudicent alij, qui contra Diuum Thomam antecedens admittunt.

5 *Secũda. Caiet. &c.*

Secunda ſententia per extremũ oppoſita affirmat, Verbum in diuinis, ſolum perſonaliter accipi, nullo modo eſſentialiter. Ita Caietanus, Zumel, Bañez, & Albelda *in hac quæſtione art.1.* Suarez *lib.9. de Trinitate cap.3.* Vazquez *diſp.141. cap.3.* Arrubal *diſp.123. cap.6.* eſt que apud Recentiores communis.

Tertia ſẽtẽtia. S. Tho. Capre. Ferrara Porreta Nazar. Berg. Valent.

Tertia docet Verbum proprie acceptum ſolum perſonaliter dici, acceptum tamen communiter dici eſſentialiter. Ita expreſſe D. Thomas *in 1. diſt.27. quæſt.2. art.2. quæſt. 4. de veritate art.2.* Capreolus *in 1. diſt.27. quæſt.2. art.2. concl.4.* Ferrara 4. *Contra-Gentes cap.13.* Porreta *in præſenti art.1.* Nazarius *controuerſia 2.* Bergomenſis in tabula aurea *dub. 1060. & 1261.* quibus conſentire videtur Valẽtia *diſp. de Trinitate quæſt.1. puncto 1. §. 3.*

6 *Prima cõcluſio*

Prima concluſio ſit: *Verbum adæquatè, & propriè acceptum ſolum perſonaliter dicitur.* Ita Auctores ſecundæ, & tertiæ ſententiæ, eſt que expreſſa D. Thomæ *loco allegato* de veritate: & probatur primo: nã de ratione Verbi accepti adæquatè, eſt quod ſit repræſentatio actualis obiecti ab intelligente producta; at ratio producti, ſolum perſonaliter dicitur, cum nihil eſſentiale producatur in Deo: ergo ratio Verbi accepta adæquatê, ſolum perſonalitêr dicitur. Maior in qua eſt difficultas oſtenditur primo: nam iuxta D. Thomam *in 1. diſtinct.27. art.2. in corpore*, in vſu Sanctorum, & communiter loquentium eſt, quod hoc nomen Verbum relationem realiter diſtinguentem importat: ergo illius ſignificatum adæquatè acceptum dicit ordinem realiter ab intelligente producti. Secundo: nam Verbum eſt imago, vel intentionalis, vel realis obiecti; at imago non eſt ſimilitudo quælibet, ſed ſimilitudo producta: ergo Verbum ſi adæquatê accipiatur, eſt repræſentatio actualis ab intelligente producta. Denique: nã Verbum adæquate acceptum non eſt ſolum terminus contemplationis, ſed etiam loquutionis; at loquutio prout à contemplatione diſtincta, eſt realis productio: ergo Ver-

bum acceptum adæquatê est terminus realiter productus.

7 *Secũdo prob.*

Secundo probatur: nam in Scriptura sacra, Verbum numquam essentialiter sumitur, sed semper personaliter pro secunda persona; at si adæquatê acceptum esset quid essentiale, & etiam personale, aliquando in Scriptura essentialiter esset assumptum, vt constat in alijs, quæ essentialitêr dicuntur in Deo, vt est scientia, sapientia, omnipotentia, & alia: ergo Verbum adæquatê acceptum, non dicitur essentialiter, sed personaliter. Probo maiorem: nã in primis accipi personalitêr constat ex illis verbis Ioannis 1. cap. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, quæ de secunda Trinitatis persona explicantur à Patribus; & 1. Ioannis 1. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Et Apocalypsis cap. 19. ibi: *Et nomen eius*, scilicet secundæ personæ, *erat Verbum Dei*, qui modus loquendi manifestê indicat esse nomen proprium illius, alijs non commune. Quo circa Cyrillus lib. 7. Thesauri cap. 1. docuit Verbum esse nomen proprium Filij. Quod autem numquam essentialiter accipiatur, constat; quia nullus est locus in Sacra Scriptura, in quo nomen Verbi vt trib. personis commune accipiatur à Patribus.

8 *Deniq; prob. cõclusio.*

Denique probatur ex Augustino lib. 6. de Trinitate cap. 2. vbi ait: *Verbum solus Filius accipitur, non simul Pater, & Filius*; & infra: *Verbum de Verbo dici non potest; quia non simul ambo Verbum, sed solus Filius.* Et lib. 7. de Trinitate cap. 1. *Non est ipse*, scilicet Pater, *Verbum, sicut nec Filius, nec imago*: & cap. 2. *Pater, & Filius simul una essentia, sed nõ simul ambo vnũ Verbum; quia non simul ambo vnus Filius*; at si Verbum acceptum adæquatê posset dici essentialitêr, non solus Filius Verbum esset, sed etiam Pater, & Filius esset Verbũ de Verbo, sicut iuxta Augustinum est sapientia genita de sapientia, quia sapientia essentialiter dicitur: ergo Verbũ si adæquatê accipiatur, solũ personaliter, & nõ essentialiter dicitur.

§. II.

Soluuntur contraria argumenta.

9 *Arguitur 1.*

SEd obijcies primo: de ratione Verbi mentalis est, quod intelligenti repræsentet obiectum; at nihil personale in diuinis productũ, Deo, vel Patri repræsentat obiectum intellectum: ergo nihil personale obtinet rationem Verbi; & consequentêr, adæquatê acceptum essẽtialiter dicitur. Probo minorem primo: Pater pro priori ad productionem Filij supponitur perfectissimê intelligens: ergo terminus productus non repræsentat obiectum Patri intelligenti. Et confirmatur: nam Verbum in nostra sententia est ratio intelligendi obiectum tanquã medium in *quo*; at nihil personale in diuinis est obiectiua ratio intelligendi tanquam medium in *quo*, cum adæquatum medium sit essentia diuina, quæ est primarium obiectum motiuum, & terminatiuum diuinæ intellectionis: ergo nihil personale in diuinis obtinet rationem Verbi.

10 *Solutio Patris Suarez non placet.*

Respondet Suarez *lib. 9. de Trinitate cap. 2. num. 16.* veram esse maiorem de Verbo creato, non autem de Verbo vt creato, & increato communi, sicut de ratione scientiæ creatæ est, quod sit habitus, vel qualitas, ex quo argumentari non licet, quod in Deo non sit propriê scientia, quia non est habitus. Displicet tamen ista solutio, cuius insufficientia ex nostra solutione constabit. Ad argumentum ergo respondeo, con-

Aliter resp.

ceſſa maiori diſtinguendo minorem: repræſẽtatione primaria, quę neceſſaria ſit ad primo intelligendũ, concedo maiorem: repræſentatione veluti ſecundaria, nego minorẽ, & nego conſequentiam. Nec ampliꝰ probationes ibi factæ conuincunt. Itaque, licet Verbum Diuinum non ſit neceſſarium, vt hic Deus, vel Pater per illud, aut in illo contẽpletur obiectum, cognito tamen Verbo in eſſentia diuina, quæ eſt primarium obiectum cognitionis Diuinæ, in illo vt ſic cognito Pater ſe ipſum, & ſuã eſſentiam cognoſcit, vt docet D. Th. *in 1. diſt. 27. q. 2. art. 2. ad 4.* in quãtum videt Filium eſſe ſimilitudinem ſuam, & omnium aliorum: vnde licet Filius non ſit Patri ratio cognoſcẽdi primaria, eſt tamen veluti ſecundaria ratio cognoſcẽdi ſe, & omnia, ac proinde Filius Patri vt intelligẽti repræſentat obiectum.

11 *Opponeꝰ 1.* Sed oppones primo: ſequi ex hac ſolutione rationem Verbi Spiritui Sancto competere: conſequens eſt falſum: ergo ſolutio tradita eſt nulla. Probatur ſequela: Pater, & Verbum ſe in Spiritu Sancto cognoſcũt, cum ſint illius principium, principiũ autem in eo, cuius eſt principium videtur, vt docet D. Tho. *in allegata ſolutione ad 4.* ergo ſi hoc ſufficit, vt ſecunda perſona ſit Verbũ, etiã ſufficiet in Spiritu Sancto.

12 *Secũdo.* Oppones ſecundo: pro priori ad productionẽ Verbi ſupponitur Pater perfectiſsimè cognoſcẽs ſe, & ſuã eſſentiam: ergo in Verbo cognito nõ poteſt ſuã eſſentiã, nec ſe ipſum cognoſcere. Probo hanc conſequentiã: nam idcircõ nõ poteſt Deus in creaturis ſe ipſum cognoſcere, vt docent communiter noſtri Thomiſtæ *ſupra q. 14. art. 2.* quia ad cognitionem creaturarum ſupponitur perfectiſsimè cognoſcens ſe ipſum: ergo in Verbo cognito nõ poteſt ſuam eſſentiã, nec ſe ipſum cognoſcere.

13 *Tertio.* Tertio oppones: id quod ratione ſui eſt in vltima actualitate, nequit per vlteriorem actum actuari, quo circa, nec exiſtentiæ datur exiſtẽtia, nec intellectio poteſt intellectione å ſe ipſa diſtincta intelligere; at diuina eſſentia eſt ratione ſui in vltima actualitate conſtituta in linea intelligibiiitatis paſsiuê: ergo nequit terminatiuê intellecta per aliquid perſonale conſtitui, etiam ſecundario; & conſequentêr in Filio vt in Verbo repræſentari non poterit. Patet hæc conſequentia: nam de ratione Verbi intrinſeca eſt, quod ſit vltima actualitas in linea intelligibilitatis paſsiuæ reſpectu obiecti intellecti: ergo ſi hoc munus exercere nequit Filius reſpectu diuinæ eſſentiæ, aut Patris primario intellecti, nequit obtinere rationem Verbi.

14 *Reſp. ad 1. replicam.* Reſpondeo ad primam, negando ſequelam. Ad illius probationem dicatur, *ad rationem Verbi non ſufficere, quod ſit manifeſtatiuũ, aliàs cuiuslibet cauſæ, eſſet Verbũ ſuus effectus, quod non niſi metaphoricè dici poteſt, ſed vlterius requiritur, quod intercedat proceſsio intellectus, ideſt, quod per intellectum procedat, quod Spiritui Sancto non cõuenit*; verba ſunt D. Th. loco ex sẽtentiarijs relato *in ſolutione ad 2. ex argumentis ſecundò locofactis.*

15 *Ad 2.* Ad ſecundam, nego conſequentiam. Ad illius probationem, nego cauſalem illam eſſe adæquatam; ſed etiam quia effectus non poſſunt niſi imperfectè Deum repræſentare, Deo autem repugnat imperfecta cognitio, & idcircò illi conuenire non poteſt cognitio ſui in creatis effectibus, & ex illis. Obiter tamen aduerto, D. Thomam loco allegato admittere Deum ſe ipſum in effectibus creatis cognoſcere, his verbis: *Sicut & ſe ipſum in creatura videre poteſt in quantum ipſum creatura repræſentat, quamuis imperfectè*: ſed interpretandus eſt de viſione ſui in effectu quoad continentiam, non quoad entitatem, id eſt, videt Deus ſe in creato effectu contineri vt cauſam in effectu deficiente, non autem illius cognitio ex effectu cognito trã ſit ad cognoſcendã diuinã entitatẽ.

Ad 3. Ad tertiam dicatur, rationem re-

præ-

præsentationis in Verbo prouenire ex ipsissima natura Diuina: vnde ex eo, quod ratione illius Dei essentia cognoscatur, non sequitur, vltimam actualitatem vlterius actuari, seu determinari. Si dicas, essentia, prout in Verbo, est ratio repræsentationis; & prout sic distinguitur virtualiter à se ipsa absolutè. Respondeo, veram esse maiorem specificatiuè, non reduplicatiuè, & in eodem sensu falsã esse minorem.

17 *Arg. 2.*

Secundo principaliter obijcies: si Verbum personaliter diceretur propriè, id esset de secunda persona; at hæc propriè Verbum non est: ergo nõ dicitur personaliter propriè. Probatur minor: omnis enim loquutio debet audientem respicere; at Pater in productione Verbi non loquitur sibi, cum per Verbum nihil sibi manifestet, sed supponatur omnia perfectissimè noscens, nec loquitur Filio; quia Verbum ab eo, cui fit loquutio, debet distingui, nec loquitur Spiritui Sancto, aliàs Filius Verbum esset Spiritus Sancti, & consequenter ab illo procederet: ergo in generatione Verbi Pater non loquitur; & consequẽter Filius genitus Verbum non est.

18 *Relictis aliorum solutionibus respõdetur arg.*

Ad hoc argumentum Vazquez *disp.* 144. *cap.* 2. *n.* 8. respondet, Patrem in productione Verbi loqui sibi, non Filio. Id ipsum docet Alarcõ *tract.* 5. *de Trinitate disp.* 8. *cap.* 5. *n.* 12. Alij ex opposito docẽt, Patrem non sibi, sed Filio loqui in eius productione. Ità Arrubal *disp.* 123. *cap.* 8. Sed melius respondetur cum alijs, Patrem in productione Verbi loqui Filio, & sibi. Primũ patet primo ex illo Ioannis 12. cap. *Sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Supra quæ verba Augustinus tract. 49. sic habet: *Dixit veritati, quia genuit veritatem*: ergo ex mente Augustini Pater per generationem Filij loquitur Filio. Secundo: nam alteri loqui nihil est aliud, quam illi aliquid producendo manifestare; at Pater producendo Filium ei manifestat omnia, quæ intelligit, ei communicando omnium rerum notitiã, & repræsentationem: ergo Filio loquitur in eius generatione. Secundũ etiam constat: nam Pater producẽdo Filium omnia in illo cognoscit, vt docet D. Thomas vbi supra relatus: ergo sibi manifestat omnia; & consequenter loquitur. Secundo: nã Filius est Verbum non reale, sed mẽtale; at in productione Verbi nostri mentalis homo loquitur sibi: ergo similiter Pater in productione Verbi loquitur sibi.

19 *Sed opponit Vazq. primo.*

Sed opponit Vazquez contra primam partem nostræ solutionis primo: nam sequitur, Filium esse Verbum sui, & non solius Patris; Verbũ enim illius dicitur, cui rem manifestat; at hoc est falsum: nam Filius solius producentis est Verbum: ergo solutio tradita quoad primam partẽ non tenet.

Secũdo.

Secundo: nam Verbum ei, cui dixit ipsum, res manifestat, non sibi ipsi, vt constat in Verbo nostro vocali, & mentali: ergo Diuinum Verbũ, non sibi, sed Patri dicenti res manifestat, & consequenter Pater in eius productione nõ Verbo loquitur, sed sibi.

Tertio arguit Alarcõ.

Tertio arguit Alarcon: nam Pater audienti loquitur in Filij productione; at solus Pater est audiens, nõ vero Filius: ergo soli sibi loquitur. Probat minorem: solus audit ille, cui Verbum productum est Verbũ, & signum; at Filius genitus soli Patri est Verbum, & signum, non sibi: ergo solus Pater est sibi audiens; & consequenter soli sibi loquitur.

20 *Ad 1. resp.*

Ad primam respondeo, Verbum esse alicuius stare tripliciter, primo obiectiuè, secundo subiectiuè, tertio principiatiuè: primo modo Verbum Diuinum est Verbum essentiæ Patris, Spiritus Sancti, & omniũ creaturarum, quæ ab illo repræsentantur: secundo modo est Verbum audientis: tertio modo solum est Verbum Patris producentis.

Ad 2.

Ad secundam dicatur, quod quãdo Verbum productum est persona subsistens in natura intellectuali,

non soli proferenti, sed etiam sibi res manifestat: vnde si Verbum nostrum mentale capax esset intelligẽdi, non soli proferenti, sed sibi res manifestaret; & consequenter producens Verbum, cum Verbo loqueretur. Ad tertiam dicatur falsam esse minorem. Ad illius probationẽ dic atur vt ad primum argumentum Vazquij, cui sola Verba addidit Alarcon, nec mirũ quando de Verbo loquitur, cum de more id habeat in alijs.

21 *Diluitur arg.* Et ex his ad argumentum factum respondeo, concessa maiori, negãdo minorẽ. Ad illius probationẽ, nego minorem pro prima, & secunda parte. Nec obstat, quod Pater supponatur perfectissimê omnia cognoscens ad productionem Verbi: nam hoc non obstante, in Verbo cognito vt in termino, se & omnia cognoscit, vt dicebamus ex D. Thoma in solutione ad primum. Nec ad loquutionem requiritur, quod audiens supponatur ignorans, vt constat in loquutione nostra cum Deo, quæ vera est loquutio, etsi ante illam Deus supponatur omnia perfectissimê cognoscens.


22 *Si opponas 1.* Si opponatur primo: repræsentationem per modum obiecti cõpetere Filio ratione essentiæ, quæ communis est, non ratione proprietatis personalis; at ratio Verbi ei debet competere ratione proprietatis: ergo ad illam non sufficit repræsentatio per modum termini, in quo Pater omnia cognoscat; & consequenter ratione huius repræsentationis Pater nõ loquitur sibi in productione Verbi.

Secũdo. Secũdo: nam sequitur Patrem in productione Verbi loqui Spiritui Sancto; consequens est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Probo sequelã: eatenus namque Pater sibi loquitur, iuxta hanc solutionem, quatenus in Verbo vt in termino omnia cognoscit; at etiam Spiritus Sãctus omnia in Verbo cognoscit: ergo Pater producendo Verbum Spiritui Sancto loquitur.

Respondeo ad primam, omissa maiori pro núc, distinguẽdo minorẽ: debet esse Verbum ratione proprietatis adæquatè, nego minorem: inadæquatè, concedo maiorem, & nego consequentiam. Itaque de ratione Verbi est, quod sit manifestatiuum, & ab alio productum, primum habet, iuxta hanc solutionem ratione essentiæ, secundum ratione proprietatis, nec est necessarium quod ratione proprietatis personalis omnia illi competant, quæ ad rationem Verbi desiderantur; vt personaliter Verbum dicatur, sicut nec omnia, quæ requiruntur ad rationem Filij competunt secundæ personæ ratione relationis, & tamen esse Filium personaliter tantum dicitur.

23 *Resp. ad 1. instantiã.*

Ad 2. Ad secundam, nego sequelam: quia licet possit Spiritus Sanctus in Verbo cognito omnia cognoscere, non tamen accipit ex vi productionis Verbi omnium cognitionem in illo, quod necessarium erat vt Pater ex vi generationis ei loqueretur; Pater autem ex vi productionis Verbi Verbum cognoscit, & in Verbo omnia, cum productio Verbi sit cognitio formaliter, vt vidimus *supra quæst. 27. disput. 71. §. 4.*



§. III.

Verbum inadæquatè essentialiter dici, probatur.

24 *Aliquorum ratio excluditur.*

SEcunda conclusio: *Ratio Verbi sumpta inadæquatè, essentialiter dicitur.* Ita Authores tertiæ sententiæ, ex quibus aliqui illam probant: nam ratio Verbi sumpta inadæquatè in intellectione cõsistit, vt ab alio virtualiter egrediente; at totum hoc dicitur essentialiter in diuinis: ergo & ratio Verbi sumpta inadæquatè. Hoc tamen argumentũ falso fundamento nititur, vt enim ex D. Thoma vidimus supra, Verbum neutiquam in intellectione consistit, sed in termino illius: vnde ex eo, quod intellectio dicatur essentialiter, non rectè colligitur Verbum adhuc inadæquatè acceptum essentialiter dici.

25 *Prob. cõclusio 1. ex D. Tho.*

Vnde aliter est probanda nostra conclusio, primo ex D. Thoma *in 1. distinct. 27. q. 2. artic. 2. in corpore*, vbi eam manifestè tradit. Et *q. 4. de veritate art. 2.* vbi postquam docuerat Verbo aliqua competere de linea absoluta, vt esse manifestatiuũ rei intellectæ, & esse intellectum ad intra, quæ essentialia sunt, ita concludit: *Sed hoc non erit secundum Verbi propriam acceptionem; quia si aliquid eorum, quæ sunt de ratione alicuius auferatur, iam non erit propria acceptio: vnde si Verbum propriè accipiatur in diuinis, non dicitur nisi personaliter, si autem accipiatur communiter, scilicet pro manifestatione obiecti intellecti, poterit etiam dici essentialiter.* Vbi, vt clarè constat, idem est apud D. Thomã Verbum acceptum propriè, atque acceptum adæquatè; & acceptum communiter, atque acceptum inadæquatè. Nec respondere sufficit cum Caietano in præsenti, D. Thomam in hac parte paulatim ad veritatis cognitionem perfectam venisse, & in primo articulo huius quæstionis retractasse sententiam, quam olim docuerat: nam D. Thomas in præsenti articulo docet Verbum propriè acceptum tantum personaliter dici; at hoc non opponitur cũ doctrina in alijs locis tradita: ergo cum aliàs illam expressè nõ retractauerit, absque vllo fundamento asseritur, sententiam prius traditam mutasse.

26 *Secũdo prob.*

Secundo probatur: nam Verbum externum ad Verbum internum ordinem dicit, vt manifestatiuũ illius, quo circa communiter dicitur, voces sunt signa conceptum; at Deus vt vnus potest loqui per Verbum externum, & multoties sic loquitur, cũ hominibus aliqua reuelat: ergo cum tale Verbum non dicat per se ordinem ad Verbum personale, dicet per se ordinem ad Verbum essentiale, in quo inadæquatè, saltim ratio Verbi saluatur.

Tertio.

Tertio, id ipsum probo ex communi Thomistarum doctrina *supra q. 12. artic. 2.* asserentium, Deum in visione beatifica gerere munus Verbi, & mentibus beatorum vniri, nedum vt species ex parte principij, sed etiam vt Verbum ex parte termini; at nisi hæc duplex ratio inadæquata, scilicet, & adæquata admittatur, doctrina ista subsistere nequit cum mentibus beatorum non possit vniri, vt ab illis procedẽs, nec de facto vniatur secunda Trinitatis persona, sed essentia vt communis: ergo talis doctrina debet admitti.

27 *Explicatur, & vrgetur.*

Explicatur hoc amplius: Deus vnitur mentibus beatorum vt Verbum, iuxta nostros Thomistas; at

non vnitur eis, ſicut ab illis procedens, ſed tantum vt manifeſtans: ergo diuina eſſentia, vt exercens munus manifeſtantis aliqualiter obtinet Verbi rationem. Explicatur ſecundo: Deus nulla potẽtia vniri poteſt cum intellectu creato per modum intellectionis, vt cum communi Theologorum doctrina fusè oſtẽdimus tractatu de beatitudine, eo quod de conceptu intellectionis eſt ab illo procedere, quod per illam intelligit; at poteſt vniri, & de facto vnitur per modum Verbi: ergo quia de ratione Verbi ſub omni conceptu non eſt realiter ab illo, cui vnitur procedere; & conſequenter Verbum ſub aliqua, ſaltim, licet inadæquata ratione exitum ab alio non petit.

28 *Deniq; prob. cõcluſio.*

Denique concluſionem oſtendo ratione à priori, animaduerſo prius in Verbo noſtro mentali duplicem conceptum inadæquatum reperiri. Primum eſt termini dictionis, vt dictio, & productio; ſecundus, termini intellectionis, vt contemplatio, quatenus eſt ratio, in qua vt in termino meditamur obiectum, & vterque cõceptus, illud ab ſpecie impreſſa diſtinguit, quæ non vt terminus, ſed vt comprincipium cum intellectu vnitur. Hoc ita ſuppoſito concluſionem noſtram ſic probo: eſſe id in quo intellectus contemplatur obiectum, eſt ratio Verbi, ſaltim inadæquata; at hæc ratio in diuinis eſſentialiter dicitur: ergo Verbum inadæquatè acceptum eſſentialiter dicitur. Probo minorem: diuina eſſentia ſe ipſa eſt ratio vltima terminandi cognitionem diuinam: ergo ſe ipſa eſt id in quo intellectus diuinus omnia obiecta cognoſcit; & conſequenter eſſe id, in quo Deus cognoſcit ſe, & omnia, eſſentialiter dicitur. Quod amplius confirmo: quia namque ſe ipſa vnitur per modum principij, ratio ſpeciei ſumitur eſſentialiter: ergo ſi ſe ipſa vnitur per modum termini diuinæ intellectionis, ratio Verbi quoad hoc munus eſſentialiter etiã dicetur. Cum hoc tamen diſcrimine, quod quia de ratione adæquata ſpeciei non eſt, eſſe productam, ratio ſpeciei adæquatè accepta, dicitur eſſentialiter: ſecus autem ratio Verbi ob cauſam oppoſitam.

§. Vltimus.

Argumentis in cõtrarium occurritur.

SEd obijcies primo: in Deo non datur eſſentialis loquutio, ſicut nec datur productio eſſentialis, quæ eſt de loquutionis conceptu: ergo nec datur Verbum eſſentiale vllo modo. Patet conſequentia: nã Verbum eſt terminus loquutionis. Reſpondeo, etiam loquutionem poſſe accipi dupliciter, adæquatè ſcilicet, & inadæquatè: priori modo importat manifeſtationem, & productionem; ſecundo autem modo ſolum dicit rationem manifeſtationis formalis, abſque productione, quemadmodum de Verbo diſtinximus, & in hac ſecunda acceptione, eſſentialiter dicitur, cum prout ſic nihil aliud importet, quam rationem intellectionis. Et fortè in hoc ſenſu loquutus fuit Anſelmus, cum dixit: *idem eſt ſummo Spiritui ſcire, quod intelligere, ſiue dicere.* Quæ ſolutio fundamentum habet in D. Tho. *in 1. diſt. 27. q. 2. art. 2. ad 3.* quod ita procedebat: *Verbum eſt terminus huius actus, qui eſt dicere, nihil enim dicitur, niſi Verbum; ſed quælibet perſona poteſt dicere ſe, & poteſt dicere eſſentiã ſuam: ergo eſſentia eſt Verbum, & quælibet perſona eſt Verbũ, & ita Verbum eſſẽtialiter dicitur.*

29 *Diluitur prima obiectio.*

Cui argumento respondet D. Thomas, *tertium conceditur*; cum ergo dictio, & loquutio sint idem, etiam loquutio essẽtialiter dicitur in Deo.

30 *Arg.* 2. Obijcies secũdo: de ratione Verbi sub quocũque conceptu est ab intelligente procedere, saltim secundum rationem, vt docet D. Thomas *in* 1. *dist.* 27. *q.* 2. *artic.* 2. Et *q.* 4. *de veritate art.* 2. *in corpore*: at diuina essentia, prout est ratio obiectiua intelligendi, à se ipsa vt intelligẽte, etiam virtualiter procedere nequit. Tum, quia prout sic intellectionem specificat; & consequenter illã præcedit. Tum etiam, quia aliàs necessario in intellectione diuina essẽtiali distinguenda esset ratio dictionis, quatenus ab illa essentiale Verbũ procederet, & ratio cõtemplationis, quatenus in Verbo obiectum cognosceret, sicut in intellectione realiter productiua distinguitur: ergo in diuina essentia, prout est obiectiua ratio intelligẽdi, nec inadæquatè ratio Verbi saluatur. Maior probatur ex D. Thoma loco allegato ex sententijs solutione ad 7. quod ita procedebat: *Verbum dicit ordinem cuiusdã exitus, & conceptionẽ intellectus, & dicitur ad aliquid, omnia autem hæc videntur ad personas pertinere: ergo.* Cui argumento respondet: *Ad septimum dicendum, quod omnia illa, quæ dicuntur possunt accipi realiter, vel secundum rationẽ, & vtrumque sufficit ad rationem Verbi, & ideò potest accipi essentialiter, & personaliter*: ergo ex mente D. Thomæ de ratione Verbi est ab intelligente, saltim per rationem procedere.

31 *Resp.* Respõdeo, negando maiorem, ad D. Thomam dico, vel loqui admissa illa sententia, quæ Verbum in intellectione constituit, vel de exitu non ab alio per egressum, adhuc virtualem, sed de exitu in aliud, id est, ad manifestandum, vel denique de exitu Verbi ab intelligente non sub ratione specificantis intellectionem, sed sub denominatione intellecti, prout sic autem diuina essentia vt cognita, à se ipsa vt intelligente virtualiter, & secũdũ rationem egreditur. Quod autem de ratione Verbi essentialis non sit egressus, etiam per rationem ab intelligente, manifestè conuincitur, ex eo quod aliàs mentibus beatorum nõ vniretur sub ratione Verbi essentialis, sicut nec potest vt intellectio vniri, quia intellectio petit, saltim virtualem egressum à principio per illam intelligente.

32 *Arg.* 3. Tertio obijcies: sublata ab aliquo vltima differentia, nullo modo remanet constitutum per illam, sicut rationali sublato, remanet quidem animal non homo; at vltima differẽtia Verbi, per quam à non Verbo distinguitur, est esse ab intelligẽte productum realiter: ergo reali egressu secluso remanere nequit vlla ratio Verbi; & consequenter Verbũ, nullo modo essentialiter in diuinis dicitur.

Resp. Respondeo, veram esse maiorem de differentia adæquata; hæc namque si auferatur, nullo modo remanet cõstitutum per illam, falsam autem de differentia solum inadæquata: ratio antẽ producti non est adæquata Verbi differentia, sed inadæquata, ex qua simul cum alia, scilicet repræsentationis actualis per modũ termini, adæquata Verbi differentia resultat; ac perconsequens ablata ratione producti, & remanente ratione manifestationis per modum termini, etsi non remaneat Verbũ adæquatè, manet tamen inadæquatè acceptum.

33 *Instabis.* Instabis, non stat manere cõceptum differẽtialem inadæquatum, altero inadæquato conceptu secluso, vt constat in homine, cuius differentia ex duobus inadæquatis conceptibus constat, scilicet intellectiui cũ discursu, & sine discursu, quorũ vno sublato, alter remanere non potuit: ergo si ratio producti semouetur à Verbo essentialiter, etiam ratio termini contẽplationis, quæ est inadæquatus alter conceptus remanere nõ potest, vel si remanet illo sublato, nõ est conceptus inadæquatus differen-

tialis ſimul cum illo. Reſpondeo, antecedens verum eſſe in creatis: ſecus in diuinis, cuius ratio eſt: nam cum Verbo perſonali ratio producti cõpetat ratione relationis, & ratio manifeſtantis ratione eſſentiæ; conſequẽs fit, quod ſecluſa ab eſſentia ratione producti perſeueret, adhuc in illa ratio manifeſtationis, quæ eſt inadæquata differentia in Verbo.

Reſp.

34 *Arg. 4.* Deinde argui poteſt contra iſtã concluſionem: nam iuxta Auguſtinum lib. 6. de Trinitate cap. 2. *Verbũ dicitur quomodo imago.* Ex quo infert, quod ſicut Pater imago non eſt, ita nec eſt Verbũ; ſed imago, nec adæquatê ſumpta, nec inadæquatê accepta, eſſentialiter dicitur, nulla enim ratione poteſt diuina eſſentia dici imago ſui: ergo Verbum, nec etiam inadæquatê, aut communiter, dicitur eſſentialiter, ſed ſolum perſonaliter dicitur in diuinis.

Reſp. Reſpõdeo, Auguſtinum Verbum adæquatê acceptum cum imagine æquiparare, non autem Verbum inadæquatê acceptum, ratio diſcriminis inter Verbum; & imaginem eſt: nam iuxta D. Thomã *in 1. diſtinct. 28. q. 2. art. 1. in corpore*; ratio imaginis in imitatione conſiſtit, quod etiã indicat ethimologia nominis, dicitur enim quaſi imitago, & quia nihil poteſt imitari ſe ipſum, ideô imago ſub nulla ratione poteſt dici eſſentialiter, in Verbo autem datur duplex illud munus ſupra explicatum, nempê termini dictiouis per illam producti, & termini contemplationis, vt repræſentatio actualiſsima obiecti, & quia vnum ex his muneribus ſaluatur in eſſentialibus, nẽpê, in eſſentia diuina, quæ ratione ſui vt omnem præuenit relationem eſt, in vltima actualitate, in linea intelligibilitatis paſsiuæ, & actualiſsimê repræſentat ſe ipſam, relationes, & creaturas; fit conſequens, vt Verbũ inadæquatê acceptum eſſentialiter dicatur in Deo.

35 *Nèc obſtat D. Tho.* Nec obſtat huic doctrinæ D. Thomas *diſtinctione allegata q. 2. artic. 2. in corpore*, vbi admittit imaginẽ in diuinis, dici etiam eſſentialiter, ex quo infertur nullum eſſe diſcrimẽ inter Verbum, & imaginem, quantũ ad hoc, quod eſt dici eſſentialiter in Deo. Non inquam obſtat: nam D. Thomas loquitur de imagine ſecundum quod dicit id, in quo eſt imitatio, quæ eſt impropria imaginis acceptio; non de imagine accepta pro eo, quod alterum imitatur, quæ eſt acceptio propria imaginis: Verbum autem propriê acceptum eſſentialiter dicitur, ex eo enim, quod inadæquatê accipiatur, non ſequitur accipi impropriê. Et quidem non eſſe eãdem rationẽ de imagine, ac de Verbo in diuinis, conſtans videtur in D. Thoma *q. 24. de veritate art. 4. ad 6.* ibi: *Dicendum, quod cũ dicit Auguſtinus, quod Filius eo dicitur Verbum, quo imago intelligit quantum ad proprietatem perſonalem Filij, quæ eſt eadem ſecũdum rem, ſiue ſecundũ eam dicatur Filius, ſiue Verbum, ſiue imago, ſed quantum ad modum ſignificãdi non eſt eadem ratio, Verbum enim non ſolum importat rationem originis, & imitationis, ſed etiam manifeſtationis.*

36 *Obijcies 1.* Duo tamen contra iſtam ſolutionem, & hucuſque à Nobis dicta poſſunt opponi. Primo: nam ſequitur Filium poſſe dici eſſentialiter, ſicut Verbum; conſequens non admittemus: ergo nec debemus aſſerere Verbum in diuinis poſſe eſſentialiter dici. Probatur ſequela: nam iuxta noſtram doctrinam, ideô Verbum eſſẽtialiter dicitur, quia ratio inadæquata Verbi in eſſentialibus inuenitur; ſed etiam ratio inadæquata Filij eſſentialis eſt in Deo, Filius namque importat naturam, & eſſe productum ſimilẽ in illa: ergo ſi vera ſunt, quæ docuimus, eſt aſſerendũ, Filium in diuinis, non ſolum perſonaliter, ſed etiam eſſentialiter dici, quod admittendum non eſt.

37 *Secũdo.* Obſtat ſecũdo apertum teſtimonium D. Thomæ. *quæſt. 4. de veritate art. 2. in corpore ad finem*, ibi: *Verbũ intellectus in nobis duo habet de ſua ratione, ſcilicet, quod eſt*

intel-

intellectum, & quod est ab alio expressum: si ergo secundum vtriusque similitudinem Verbum dicatur in diuinis, tunc non solum importabitur per Verbum diuinum processus rationis, sed etiam rei; si autem secundum similitudinem alterius tãtum, scilicet, quod est intellectum, sic hoc nomen Verbum in diuinis nõ importabit processum realem, sed rationis tantum, sicut hoc nomen intellectum, sed hoc non erit secundum Verbi propriam acceptionem: quia si aliquid eorum, quæ sunt de ratione alicuius, auferatur, iam non erit propria acceptio: vnde si Verbum propriè accipiatur in diuinis, non dicitur nisi personaliter; si autem accipiatur communiter, poterit etiam dici essentialiter: ergo falsum est, & contra D. Thomam id, quod proxime dicebamus, nempê, Verbum in propria sui acceptione, essentialiter dici, etsi nõ adæquatê, sed inadæquatê accipiatur, cũ essentialitêr dicitur, siquidem iuxta D. Thomam, eo ipso quod aliquid eorum, quæ sunt de ratione alicuius auferatur, iam non remanet propria acceptio.

38 *Resp. ad 1. replicam.* Respondeo ad primam replicam, negando sequelam: ad illius probationem dicatur, naturam esse inadæquatam rationem Filij per modum prædicati communis Filio, & Patri, alijsque in quibus ratio Filij non inuenitur, & ideo quamuis natura sit essentialis, essentialiterque dicatur in Deo, non ideô Filius essentialitêr dicitur; ratio autem repræsentationis obiectiuæ actualissimæ, quæ diuinæ essentiæ conuenit, nõ est communis alijs pertinentibus ad lineam intelligibilem, sed est propria illius, quod in prædicta linea obtinet rationem Verbi, & ideô essentia dicitur Verbum, non quidem in accceptione Verbi adæquata, sed inadæquata, differentiali tamen. Et in forma ad probationem sequelæ distinguo maiorem: quia in adæquata ratio differentialis Verbi in essentialibus inuenitur, concedo maiorem: inadæquata ratio generica, vel communis, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam.

39 *Ad 2.* Ad secundam dicatur, D. Thomam cum ait, ablato aliquo quod est de ratione alicuius, non manere propriam acceptionem, non loqui de acceptione propria contrapositiuê ad metaphoricam, sed contrapositiuê ad adæquatam: vnde non concluſit, si Verbum accipiatur metaphoricê, dici in diuinis essentialitêr, sed si accipiatur communitêr: si autem negaret proprietatem acceptionis Verbi contrapositiuê ad metaphoricam acceptionem, primo modo debebat concludere asserendo, Verbũ non proprio, sed metaphoricê acceptum, dici essentialitêr in Deo. Est autem aduertendum, non ideô acceptionem illam vocari à D. Thoma communem, quia sit communis Verbo, & nullatenus Verbo, sed Verbo, & non Verbo adæquatê, ideſt, quia conuenit rei, in qua non reperitur adæquata ratio Verbi, non autem quia conueniat rei, in qua nulla ratio Verbi inueniatur.

40 *Infertur 1.* Ex dictis infero primo, minus bene aliquos distinxisse inter Verbũ, & speciem expressam, illudque personale tantum, istam vero essentialem esse asserentes. Nam D. Thomas in corpore articuli primi, inde probat esse de ratione Verbi, quod productum sit, quia id est de ratione cõceptus mentalis; at conceptus mentalis, & species expressa, idem sunt: ergo non minus est ratio producti de conceptu speciei expressæ, vt significatæ hoc nomine, quam vt significatæ nomine Verbi.

41 *Secũdo colligitur.* Infero secundo, absolutê loquẽdo de Verbo, solum dici personalitêr, non essentialitêr. Tum, quia vt docet D. Thomas locis citatis, loquendum est vt plures, & maximê iuxta vsum Sanctorum; at in vsu Sanctorum, & in vsu loquẽdi Scripturæ, Verbum solum personaliter capitur: ergo absolutê loquendo de Verbo, personalitêr solum est vten-

dum

dum nomine Verbi. Tum etiam: nã ablato aliquo quod eſt de ratione alicuius, illud abſolute non remanet etſi remanere poſsit cum addito diminuente, addito ly *inadæquatè*; at de ratione Verbi eſt eſſe productum: ergo ſublata ratione producti, qualiter ab eſſentialibus debet ſecludi, non remanet Verbum in abſoluta Verbi loquutione. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in* 1. *diſtinct.* 27. ad illa verba: *Aperte oſtenſum eſt, quod ſicut Filius, vel genitus relatiuè dicitur ad Patrem, ita Verbum, & imago.* *M. Sēt.*

DISPVTATIO OCTVAGESIMA NONA.

An Verbum diuinum per ſe procedat ex cognitione omnium, quæ formaliter reperiuntur in Deo?

§. I.

Relatis ſententijs ſtatuitur prima concluſio.

Nu. 1. *Punct. difficultatis aperitur*

EX dictis *ſupra quæſt.* 27. *diſp.* 71. §. 2. conſtat, Verbum diuinũ non ex memoria Patris prout in actu primo fœcunda, ſed ex intelligẽtia, hoc eſt, ex intellectu vt actu intelligẽte procedere: quod ibi cõtra Scotũ ſatis oſtendimus. Cũ autẽ Dei cognitio terminetur ad eſsẽtiã, attributa, & relationes, quod in præſenti inquiritur eſt, an procedat ex cognitione vt terminata ad hæc omnia, an vero ſub aliqua terminatione ad illa concomitanter ſe habeat, & ſub alia per ſe, & formaliter? Vbi aduerto, difficultatem iſtam etiam in Scoti ſententia locum habere, cum enim aſſerat procedere ex memoria fœcunda, hoc eſt, ex intellectu vt fœcundato ſpecie repræſentante, & diuina eſſentia repræſentet per modũ

ipe-

ſpeciei, ſe ipſam, attributa, & relationes, dubitari poteſt, an ex intellectu vt his omnibus fœcundo procedat per ſe, vel an fœcunditas repræſentatiua aliquorum ſolum concomitanter ſe habeat. Et vt ad controuerſiam veniamus ſuppono, & ex dicendis manifeſtum fiet, Verbum per ſe procedere ex cognitione eſſẽtiæ, & attributorum, in quo communiter Theologi conſentiunt, etſi Scoto contrarium ſentire ab aliquibus attribuatur. Igitur difficultas ad relatiuas proprietates devolvitur.

2 *Prima ſẽtẽtia.* Caiet. &c. Rada. Faber.

In qua quatuor reperio ſententias. Prima negat Verbum ex cognitione alicuius perſonæ procedere, ſed ſolum eſſentiæ cognitionem Verbi productionẽ præcedere. Ita iuxta Caietanũ, Vazquiũ, & Arrubalẽ tenuit Scotus *in* 2. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. §. *quantum ad primum*, & *art.* 2. §. *quantum ad hoc igitur*. Scotum ſequuntur Rada 1. *p. controuerſiarum, controuerſia* 11. *art.* 2. *concluſione* 4. & Philipus Faber *in* 2. *diſt.* 1. *diſp.* 2. *cap.* 2. An autem nomine eſſentiæ, attributa etiam intelligat Scotus, vel ſolum naturam ab illis ex natura rei diſtinctam in eius ſententia, non conueniunt Doctores, alijs affirmantibus, & negantibus alijs.

3 *Secũda.* Arrubal Putean.

Secunda docet, Verbum procedere ex cognitione eſſentiæ, & primæ perſonæ, nõ autem ex cognitione ſui, nec Spiritus Sancti. Ita quidam, quos ſine nomine refert Arrubal *loco citando cap.* 3. expreſſe illam tenet Puteanus *in præſenti dubitatione* 2. *concluſione vltima*.

Tertia. Vazq. Turria. Alarcon

Tertia docet, procedere Verbũ per ſe in quarto modo ex cognitio eſſentiæ Patris, & ſui, non autem ex cognitione Spiritus Sancti, niſi concomittanter ſolum. Ita Vazquez *diſp.* 142. *cap.* 4. Turrianus *diſp.* 18. *dub.* 2. Ægidius Luſitanus, quos refert, & ſequitur Alarcon *Tractatu* 5. *de Trinitate diſp.* 8. *cap.* 8. *num.* 2.

4 *Quarta & vera ſẽtẽtia.*

Quarta, & vera ſententia defendit, Verbum per ſe ex cognitione eſſentiæ, & trium perſonarum procedere. Ita D. Thomas *in* 1. *diſtinct.* 27. *quæſt.* 2. *art.* 2. *de veritate q.* 4. *art.* 5. *quodlibeto* 4. *quæſt.* 9. *art.* 1. *ad* 1. & *in præſenti art.* 3. vbi Caietanus, Bañez, Zumel, Nazarius, & Albelda, Salmanticenſes, & Reuerendiſſimus Sancto Thoma, Marcus de la Serra, & alij. Suarez *lib. de Trinitate cap.* 4. Granados *Tract.* 9. *diſp.* 5. Arrubal *diſp.* 124. *cap.* 3. Meracius *diſp.* 50. *ſectione* 1. Tenet etiam illam Theodorus Smiſing. Franciſcanus *Tom.* 2. *diſput.* 3. *concluſione* 1. Ex ſuppoſitione quod Verbum ex actuali rerum cognitione procedat, quia tamen negat cum Scoto, ideò negat Verbum ex cognitione iſtarum procedere, affirmat tamen, omnium perſonarum notitiam Verbi productionem præcedere, & ex memoria Patris prout his omnibus fœcunda procedere. Pro cuius explicatione ſit

S. Tho. Caiet. Bañez. Zumel. Nazar. Albelda Salm. S. Tho. Suarez. Serra. Gran. Arrubal Merac. Franc.

5 *Prima cõcluſio* *Hæc conclu oeſt D. Tho.*

Prima concluſio: *Verbum per ſe in quarto modo ex cognitione eſſentiæ, & paternitatis procedit.* In hoc conueniunt Auctores, ſecundæ, tertiæ, & quartæ ſententiæ, eſtque expreſſa D. Thomæ locis citatis, vbi docet, Patrem principaliter ſe dicere generando Filium, cognitio autem illius quod per ſe dicitur Verbo, ad illius productionem per ſe in quarto modo concurrit, vt ex dicendis manifeſtẽ conſtabit. Ante cuius probationem adverto, id per ſe in quarto modo ad alicuius productionem concurrere, quod per ſe exigitur vt illius principium. Id autem non per ſe quarto modo perfectitatis ſe habere, quod licet, vel ſit idem cum principio formaliter, vel identicé, tamen à termino non petitur vt eius principium, ſicut perſonarum Trinitas, etſi per ſe comparetur ad Deum vnum in eſſe entitatiuo non tamẽ eſt per ſe neceſſaria quarto modo ad creaturarum productionẽ; quia per ſe non petunt pro ſui principio Deum vt Trinum, ſed tantum vt vnum.

6 *Prob.* 1.

Hoc ita præmiſſo, concluſionem

noſtram oſtendo ſic primo: Verbum per ſe in quarto modo petit procedere ex cognitione perfectiſsima,& comprehenſiua eſſentiæ diuinæ,vt cõprehenſiua formaliter; at hæc eſſe, nec intelligi poteſt in Patre, paternitate non cognita: ergo per ſe in quarto modo petit pro ſui principio cognitionem,quaternus terminatam ad Patrem. Maiorẽ ſuppono, & illam diſputationis gratia admittũt Scotiſtæ. Minorem autem probo: eſſentia diuina comprehendi non poteſt, non cognito in illa, & ex illa, quidquid ex vi illius cognoſcibile eſt; at in diuina eſſentia,& ex illa paternitas cognoſcibilis eſt: ergo nequit comprehendi eſſentia, paternitate non cognita.

7 *Scotiſtarum ſolutio.*

Reſpondebunt Scotiſtæ,quod licet in eſſentia, paternitas abſolutê ſit cognoſcibilis, non tamen in illa, vt in omni priori, ac proinde licet paternitas pro illo priori, non cognoſcatur, comprehenditur tamẽ eſſentia: quia pro priori originis ad Filium,non eſt cognoſcibilis in eſſẽtia,& ex illa.

Reijcitur 1.

Sed contra primo: pro omni priori quo eſſentia cognoſcitur, debet vt paternitatis radix cognoſci; at vt ſic cognoſci non poteſt non cognita paternitate in illa, & ex illa: ergo eſt cognoſcibilis in eſſentia pro omni priori. Conſequutio eſt euidens: minor ex terminis nota; non enim minus petitur ad cognitionem radicis vt talis, cognitio radicati, quam ad cognitionem vnius relationis cognitio correlatiuæ. Maior autem non minus aperta videtur, etenim prædicatum radicis paternitatis non eſt attributũ eſſentiæ, vel ſi attributum eſt, tandem eſt deueniendum ad aliquam rationem radicis,quæ attributum non ſit, niſi velimus in infinitum procedere, de quo idem argumentum effici poſſe, tantisper meditanti conſtabit; at pro quocumque priori cognitionis eſſentiæ, debent omnia per ſe primo ad illam pertinentia vt quidditatiua prædicata cognoſci: ergo pro omni priori cognitionis eſſentiæ, debet cognoſci prædicatum radicis filiationis.

8 *Secũdo.*

Contra ſecundo: pro priori originis ad Filium intelligitur eſſentia vt in Patre, non enim niſi prout in Patre cognitio eſt principium,aut actio, qua Filius producitur: ergo pro illo priori eſt paternitas cognoſcibilis in diuina eſſentia, & ex illa. Patet conſequentia: nam paternitas eſt cognoſcibilis pro omni priori quo eſt; at non eſt cognoſcibilis niſi in vi eſſẽtiæ cognitæ: ergo pro priori originis ad Filij productionem eſt cognoſcibilis in eſſentia diuina,& ex illa. Explicatur amplius: cognitio diuina non eſt fęcunda ad Filij generationem,prout huic Deo conuenit abſolutê, ſed prout modificata paternitate: ergo pro omni priori quo fęcunda intelligitur, debet intelligi paternitas vt illam modificans; at pro omni priori quo intelligitur paternitas vt modificans cognitionẽ, eſt intelligibilis in vi eſſentiæ diuinæ: ergo pro omni priori quo intelligitur Dei cognitio fęcunda,eſt paternitas intelligibilis in eſſentia diuina,& conſequenter non intellecta paternitate, non poterit Dei eſſentia pro illo priori comprehenſiuê cognoſci.

9 *Secũdo ſuadetur concluſio.*

Secundo principaliter ſuadetur concluſio: Verbum diuinum per ſe in quarto modo procedit ex cognitione illorum,quæ per ſe manifeſtat; at Verbum eſt per ſe expreſsiuum eſſentiæ, & paternitatis: ergo per ſe petit ex vtriuſque cognitione procedere. Maior eſt manifeſta: omne enim per ſe repræſentatum in Verbo creato,debet per ſe in ſpecie impreſſa, qua intellectus redditur ad illius productionem fęcundus, repræſentari: ergo omne per ſe repræſentatum in Verbo increato, debet per ſe in cognitione, media qua procedit repræſentatiuê cõtineri, ſicut enim intellectus creatus fęcundus conſtituitur per ſpeciem impreſſam ad productionem, ita diuinus per actualem veram cognitio-

nem

nem fęcundus cõstituitur ad increati Verbi productionem. Minor etiã manifestê conuincitur, ex eo quod Verbum est per se imago non huius Dei omnibus personis communis, à quo realitêr non distinguitur, qualiter imago ab imaginato distingui est necesse, sed Patris à quo realitêr distinguitur, & à quo realitêr procedit; at imago per se repræsentat id cuius est imago: ergo Verbum per se repræsentat non solum Patris naturam, sed etiam paternitatem.

10 *Deniq; prob.* Denique conclusionem ostendo; cognitio diuina, prout ad paternitatem terminata, est per se productiua vt *quo* Verbi, non minus quã prout terminata ad essentiam; at non alterius Verbi cum sit impossibile: ergo Verbi, quod de facto datur; & consequẽter hoc ex paternitatis cognitione per se in quarto modo procedit. Probo maiorem: non solum essentia, sed etiam paternitas est cognoscibilis cognitione ad illam essentialiter terminata: ergo vtraque est repræsentabilis Verbo ad vtramque per se terminato: ergo sicut Verbũ sub terminatione ad essentiam petit à cognitione ad illã terminata procedere, ita Verbum sub terminatione ad paternitatem, per se petit procedere ex cognitione, vt per se ad paternitatem terminata; & consequẽtêr cognitio diuina sub hac terminatione erit per se Verbi productio tanquam principium *quo*.

(?)

§. II.

Soluuntur contraria argumenta.

COntra istam conclusionẽ obijciunt Scotistæ primo: cognitio diuina prius terminatur ad essentiam quam ad paternitatrm; at pro illo priori est sufficiens ad producendum Verbũ: ergo ex illa prout ad solum essentiam terminata procedit, dato, & non concesso, quod ab actuali cognitione petat procedere. Maior probatur: diuina essẽtia vt ab omni relatione distincta, est obiectum primarium motiuum, & terminatiuum diuinæ cognitionis, relationes autem secundario se habent ad illam, at omnis actus prius terminatur ad obiectum primariũ, quam ad secundarium: ergo cognitio Dei prius intelligitur terminata ad essentiam, quam ad paternitatẽ, & quamuis aliam relationem.

11 *Arguitur 1.*

Respondeo, negando maiorem, ad eius probationem, omissa maiori, de qua *supra quæst.* 14. distinguo minorem: prius prioritate à quo virtuali obiectiua, concedo minorẽ: prioritate in quo etiam rationis, sub distinguo minorem: si secundum in priori essentialitêr includatur, nego minorem: si cum illo non connectatur, concedo minorem, & nego consequentiam, in qua infertur prius intelligi cognitionem diuinã sub terminatione ad essentiam, quam ad relationes; quia estô demus relationes ad secundarium obiectum spectare, clauduntur tamen essentialitêr in essentia, qua est primarium obiectum,

12 *Resp.*

vel per se connectuntur cum illa. Itaque fatemur, quod si essentia est obiectum primarium, & relationes secundarium, terminatio ad essentiam debet esse prior, prioritate *à quo* virtuali obiectiua, terminatione ad relationes, quod nihil est aliud quam essentiam ex parte obiecti esse rationem formalem *sub qua*, aut ratione cuius terminât relationes. Non autem ex hoc licet colligere, intelligi cognitionem pro aliquo priori terminatam ad essentiam, pro quo non intelligatur terminata ad relationes: quia cum istæ per se connectantur cum essentia cognita priori, non potest intelligi comprehensio terminata ad essentiam, quin pro eodem signo rationis terminetur ad relationes, vt *superius* arguebã, sed solum colligitur, Verbum etiam repræsentare relationes secundario, & essentiam primario, quod admisso antecedenti libenter fatemur. Et insto euidenter argumentum in sententia aliquorum ex discipulis Scoti admittẽtium, attributa per se ad Verbi productionem concurrere, vel vt cognita, vel vt in memoria Patris fœcunda repræsentata, cum tamen non attributa, sed essentia, vt ab illis distincta, sit primarium obiectum diuini intellectus, si semel est verum, relationes pertinere ad obiectum secundarium: sicuti ergo in hac sententia attributa per se concurrunt, etsi nõ sint obiectum primarium, ita etiam relationes per se possunt ad illi⁹ productionem concurrere, quamuis spectent ad secundarium obiectum diuinæ cognitionis.

13 *Arg.* 2. Secundo sic arguunt: Verbum non est imago Patris ratione proprietatis personalis, sed solum ratione essentiæ: ergo per se non repræsentat Paternitatem, sed solum essentiã. Consequentia patet, quia solum repræsentat Patrem vt eius imago: ergo solum secundũ id ratione huius est imago illius. Antecedens autem probatur: Verbum est imago ratione illius, in quo Patri assimilatur; at solum assimilatur Patri in natura, non in Paternitate, per quam Pater ab illo distinguitur: ergo non est imago illius ratione Paternitatis, sed solum ratione naturæ.

14 *Resp.* Respondeo, duo esse de ratione imaginis, nempe similitudo, & esse productam: vnde etiam de ratione imaginati sunt duo, similitudo scilicet cum imagine sui, & esse producens, licet autem natura sit id in quo, & ratione cuius est similitudo, & nõ relatio; est tamen per se requisita, in principio *quo* per modũ connotatæ, vt diximus *quæst.27. disp.72.* & in recto in principio *quod*; imago autem non solum repræsentare debet id, in quo est similitudo, sed etiã id à quo tanquam ab agente procedit; & consequentẽr Verbum vt imago non repræsentat per se, solam Patris naturam, sed etiam adæquatum concretum, in quo Paternitas, & nõ sola natura importatur. Ex his in forma ad argumentum factum respondeo distinguendo maiorem: ratione essentiæ adæquatê, nego maiorem: inadæquatê, concedo maiorẽ: & concessa minori, nego consequentiam: nec ex eo quod solum in natura sit similitudo, colligitur, esse solũ ratione naturæ imaginem Patris; quia ad rationem imaginis, & similitudo, & distinctio requiritur.

15 *Si dicas.* Si dicas, solam similitudinem esse rationem quare imago repræsentet exemplar: ergo cum Verbum solum in natura cũ Patre assimiletur, solum repræsentabit per se Patris naturam. *Resp.* Respondeo negando antecedens: nam etiam deductio, seu processio imaginis ab imaginato, est ratio cur illud repræsentat; principium namque in eo, cuius est principium cognoscitur, & Pater in Filio se, vt principium Filij, cognoscit, vt D. Thomas docet *in 1. dist.27. quæst.2. art. 2. ad 4.*

******
*****
***

§. III.

Verbum ex sui cognitione procedere probatur.

16 *Secunda cõclusio.*

SEcunda conclusio: *Verbum per se in quarto modo procedit ex cognitione sui.* Hanc statuo cõtra Auctores secundæ sententiæ, & probo illam primo: nam Verbum est per se sui expressiuum, cum sit cõprehensiuum essentiæ: ergo per se petit ex sui cognitione procedere. Patet consequentia ex dictis in prima probatione conclusionis. Secundo: Verbum accipit à Patre naturam communicatam, & Filiationem productam; at vtrumque accipit media cognitione: ergo media cognitione per se ad vtrumque terminata. Tertio: Verbum procedit ex cognitione comprehensiua essentiæ; at hæc nequit comprehendi non cognita Filiatione; cum in illa sit cognoscibilis: ergo per se in quarto modo ex filiationis cognitione procedit. Tenet consequentia ex dictis in ter probandum nostram conclusionem.

Prob. triplici ter.

17 *Resp.*

Respondebis fortè, essentiam vt cognitam pro priori originis ad Verbi productionem esse quidem medium cognoscendi paternitatem, quæ pro illo priori intelligitur, non autẽ Filiationẽ, quæ pro illo priori non est, ac proinde comprehendi non posse non cognita paternitate in illa, & ex illa; bene tamen Filiatione non cognita, quæ pro tali priori non est cognoscibilis.

18 *Sed contra 1.*

Sed contra primo: pro illo priori est cognoscibilis essentia vt radix Filiationis, cum hoc prædicatum absolutum, & essentiale sit; at non potest Dei essentia vt radix Filiationis cognosci, Filiatione non cognita, vt constat ex probatione primæ conclusionis: ergo pro illo priori potest in essentia, & ex illa cognosci filiatio; & consequenter Filiatione nõ cognita, essentia comprehendi non potest. Secundo, prioritas illa non est prioritas durationis, imo nec naturæ, sed tantum originis: ergo cum tali prioritate stat simultanea Filiationis, & Paternitatis duratio: ergo & simultanea terminatio notitiæ; & consequenter poterit pro illo priori Filiatio omnino simul cum Paternitate cognosci, & vtriusque cognitio per se ad Verbi processionem concurrere.

Secũdo.

Tertio: non magis requiritur ad rationem notitiæ, simultas cum obiecto, quam ad rationem relationis prædicamentalis simultas cum termino; at hoc non obstante pro illo priori existit prædicamentalis relatio ad Filium: ergo poterit etiam pro eodem priori existere Filij cognitio.

19 *Tertio.*

Denique reijcio traditam solutionem: pro priori originis ad Filium est cognoscibilis comprehensiuè in essentia Paternitas; at non potest pro aliquo priori Paternitas cõprehendi quin pro eodem signo cognoscatur Filiatio, cum relatiua sint simul natura, & cognitione, & diffinitione, vt tradit vulgatum axioma: ergo pro illo priori est cognoscibilis Filiatio, & necessario debet cognosci.

Deniq;

20 *Euasio excluditur.*

Si fortè dicatur pro illo priori cognosci Paternitatem sub cõcepto hypostasis, non autem sub concepto expresso relationis, solum autem hoc posteriori modo est simul cognitione cum Filiatione. In contrarium obstat primo: quod iam non defenditur, Filium ex cognitione Patris procedere, quod tamen admittit secunda sententia. Probo antecedens: nam Pater per paternitatem

ſub expreſſo relationis conceptu in ratione Patris conſtituitur: ergo nõ cognita pro illo priori Paternitate ſub iſto conceptu, non cognoſcitur Pater formalitér; & conſequentêr Filius ex cognitione Patris, vt Pater eſt, non procedit. Secundo: nã Paternitas vt conſtituens, & referens, vel eſt vnus omnino conceptus, vel ſunt duo inadæquati omnino cõnexi, & conuertibiliter adæquatê ſe habentes, vt videbimus quando de conſtitutiuo perſonarum tractemus: ergo omnino implicat cõprehẽdi ſub vno cõceptu, ſub alio non cognita.

21 *Tandẽ prob. cõcluſio ad hominẽ contra Scotum*

Denique concluſionem oſtendo contra Scotum ad hominem, qui *in 1. diſtinct. 6. quæſt. vnica §. de quarto dico*, hæc habet: *Sic ergo dico, quod Pater volens generat, non tantum voluntate conſequente, ſed etiam voluntate antecedente*, ex quibus verbis tale formo argumẽtum: nihil volitum quin præcognitum; at Pater pro priori originis ad Verbi productionem, vult Filium generare: ergo pro illo priori cognoſcit Filij generationem; & conſequenter ipſum Filium cognoſcit, ſine quo cognito, illius generatio cognoſci nõ poteſt; at eo ipſo quod cognitio Filij ſit prior eius generatione, poteſt, & debet ad Filij productionem concurrere, vt vidimus *quæſt. 27. diſp. 72. §. 2.* ergo Filius ex ſui cognitione procedit.

22 *Si dicatur.*

Si fortê dicatur: Patrem velle pro illo priori eſſentiam ad generandum fœcundam, & hanc cognoſcit, non autem velle generationem formalitêr, ſed ſolum virtualitér in eſſentia ſic volita, ex quo ſolum ſequitur eſſe cognitam virtualitêr in eſſentia, non in ſe ipſa formalitêr. In contrarium obſtat primo: nam velle generationem ſi in rigore accipiatur, non eſt velle illam in cauſa, ſed formaliter in ſe ipſa: ergo vel fateri tenentur Scotiſtæ, ſuum Doctorem impropriê fuiſſe loquutum, vel illum explicare de volitione ad generationem terminata formalitér.

Obſtat 1.

Secundo: nam hoc modo etiam vult creaturas pro priori ad Verbi productionem, cum velit eſſentiam, quæ eſt ad productionem creaturarum fœcunda; at Scotus nunquam admiſit, Deum volendo creaturas, aut illas cognoſcendo Filium generare: ergo inepté de volitione virtuali generationis Filij explicatur. *Secũdo.*

Tertio: nã eſſentia non eſt ad generationem fœcunda abſolute, ſed eſſentia prout eſt in Patre: ergo ſi vult eſſentiam vt fœcundam, illam vult prout in Patre; & conſequenter eſſentiam, & Paternitatem vult, & cognoſcit; at Scotus *in 1. diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 1.* verſu *ſi dicas*, manifeſtê docet: *Cognitionem relatiui requirere cognitionem correlatiui, & ideò non poſſe intelligi Patrem in quantum Patrem ſine Filio*: verba ſunt Scoti loco allegato: ergo pro illo priori neceſſario debet Filiationem cognoſcere. *Tertio.*

§. IV.

Obiectionibus occurritur.

23 *Arg. 1.*

COntra iſtam concluſionem obijciunt contrarij Auctores primo: Verbum vt exiſtens non præcedit ſui generationem: ergo cognitio Verbi eius generationem præcedere nequit; & conſequenter non procedit ex cognitione ſui. Antecedens eſt certum: nam hæc præcedentia non eſt temporis, ſed originis: ergo ſi Verbum ſui generationẽ præcedit, eſſet prius origine ſui generatione, & conſequenter eſſet prin-

ci-

cipium illius, quod omnino implicat. Consequentia autem probatur: nam Verbum vt existens, vel est simul cum notitia intuitiua sui, vel illam præcedit, & est prius illa, cum obiectum notitiam præcedat: ergo si cognitio intuitiua Verbi, illius generationem præcederet, Verbum etiam vt existens, qualiter est obiectum notitiæ intuitiuæ sui generationem præcederet, ê contra vero si Verbum non præcedit, nec illius intuitiua notitia præcedere potest. Quod amplius explicari potest: notitia intuitiua supponit suum obiectum existens; at cognitio ex qua procedit Verbum, illud non supponit, sed potius producit: ergo non est intuitiua Verbi cognitio, abstractiua autem esse non potest: ergo nullatenus terminatur ad Verbum.

24 *Quorundã solutio falso Caietano attributa.*

Quidam argumento conuicti respondent, Verbum non ex cognitione sui intuitiua, sed abstractiua procedere, ad quam non requiritur Verbum vt existens supponi, sed vel vt possibile, vel vt futurum. Quæ solutio attribui solet Caietano in præsenti, ibi: *Sanctus Thomas autem*, immerito tamen: nam Caietanus cognita simplici intelligentia, ex quibus Verbum procedere affirmat, non personas, sed creaturas appellat: vnde falso ei prædicta imaginatio attribuitur. Illam tradit Raphael de Auersa *in præsenti sect. 3. conclusione* 5. Theologis tamen communiter displicet.

25 *Reijcitur* 1.

Et reijcitur primo: Verbum namque ex ea notitia sui procedit à Patre, quam illi ex vi suæ processionis communicat; at notitia sui, quam Pater communicat Verbo est intuitiua: ergo ex notitia intuitiua sui debet procedere.

Secũdo.

Secundo: nam ad rationem notitiæ intuitiuæ sufficit coexistere cum suo obiecto in eadẽ durationis mensura; at notitia à qua Verbum procedit, & Verbum, in eodem durationis instanti coexistunt: ergo notitia illa est intuitiua Verbi.

Tertio.

Tertio: nam obiectum abstractiuê cognitum debet ab existentia præscindere; at Verbum ab existentia in Dei cognitione præscindere non potest, cum existentia sit illi essentialis: ergo Dei cognitio nequit esse abstractiua respectu Verbi. Quarto: nam Verbum procedit ex cognitione beatifica Dei; at beatitudo Dei in intuitiua Trinitatis cognitione consistit: vt de beatitudine nostra cum veriori Thomistarum sententia, defendimus, & fusè probauimus tractatu de beatitudine: ergo idem quod prius. Denique: nam Verbum procedit ex cognitione intuitiua diuinæ essentiæ, & consequenter terminata ad illam, quatenus est in se; at de essentia diuinæ essentiæ, prout est in se ipsa, sunt tres personæ vt physice existentes: ergo procedit ex cognitione trium personarũ vt physice existentium, & consequenter ex intuitiua Verbi notitia.

Deniq;

Ad argumentum ergo respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad cuius probationem, negato antecedenti pro secunda parte, distinguo pro prima: est simul simultate *in quo*, concedo antecedens: simultate *à quo* originis, nego antecedens, & consequentiam. Itaque de ratione obiecti notitiæ intuitiuæ solum est coexistere simul cum illa in eadem durationis mensura, non autem quod si notitia est prior prioritate originis respectu alicuius, obiectum etiam eandem prioritatem obtineat, vt constat in scientia visionis causante creaturas, quæ prior est prioritate causæ respectu illarum, & tamen creaturæ cognitæ istam prioritatem non obtinent, aliàs se ipsas causarent, quod implicat. Ex quo solum colligitur, quod Verbum vt existens sit simul cum notitia sui, temporis simultate, quod libenter fatemur, non autem quod si cognitio suum obiectum prioritate originis, aut causæ præcedit, etiam illius obiectũ talem prioritatem exerceat. Ad confirmationem, distinguo maiorem: si notitia sit purê speculatiua, transeat maior: si practica sit, nego maiorem, & con-

26 *Vera solutio tradit.*

ceſſa minori, nego conſequentiam: quia notitia intuitiua ex qua Verbũ procedit eſt veluti practica reſpectu illius, quia eſt principiũ ex quo Verbum procedit.

27 *Duplex inſtãtia*

Si dicas, peti in hac ſolutione principiũ: nam argumentum probare cõtendit, non poſſe eſſe principiũ Verbi, quia debet ſuum obiectum ſupponere, nos autem aſſerimus, non debere ſupponere obiectum, quia eſt principium illius, quod videtur petitio principij. Secundo: quia non ſtat intelligi notitia intuitiua pro aliquo priori, quin pro eodem priori intelligatur eius obiectum; at obiectũ notitiæ intuitiuæ eſt res phyſicé exiſtens: ergo nequit ſui obiecti exiſtentiam pro aliquo priori præcedere.

28 *Reſp. ad 1.*

Reſpõdeo ad primũ, negãdo antecedens: quia nos id aſſerimus reddẽdo rationem; quia nempe de ratione notitiæ intuitiuæ ſolũ eſt ſimultanea exiſtentia durationis cũ obiecto ſuo, cũ quo bene ſtat inũ obiectũ efficere; & conſequenter illud nõ ſupponere, vt conſtat, tũ in ſciẽtia viſionis cauſante creaturas, tũ in notitia intuitiua entis rationis fabricatiua illius, quæ ens rationis non ſupponit, ſed facit.

29 *Ad 2.*

Ad ſecũdam inſtantiam, diſtinguo maiorem: pro priori *in quo*, cõcedo maiorem: pro priori *à quo*, nego maiorem, & conceſſa minori diſtinguo conſequens eodem modo, & nego conſequentiã, quæ ſubinfertur. Itaque non poteſt intelligi exiſtens notitia, & non intelligi exiſtens obiectum pro eodem inſtanti, poteſt tamẽ intelligi notitia cauſans, aut principians, quin illius obiectum cauſãs, aut principiãs intelligatur, & cõtrariũ huius neceſſariũ erat vt nõ poſsit intelligi notitia pro priori originis ad ſuũ obiectũ. Vel ſecũdo, diſtinguo maiorem: quin pro eodem priori intelligatur eius obiectum exiſtens in illo priori, nego maiorem: in alio poſteriori intra idem inſtans, concedo maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: quin pro illo priori intelligatur exiſtens pro eodem priori, nego conſequentiam: quin pro illo priori intelligatur exiſtens phyſicẽ pro alio poſteriori originis intra idem inſtans temporis, concedo cõſequentiam, & hoc ita contingit: nã pro priori originis cognoſcitur Verbum vt exiſtens non pro illo priori, ſed pro alio poſteriori originis intra idem inſtans temporis.

30 *Sed vrgebis 1.*

Sed vrgebis adhuc primo: pro illo priori intelligitur eius obiectum; & non eſt exiſtens phyſice pro illo priori: ergo vt obiectiuè exiſtens pro illo: ergo vt obiectum notitiæ abſtractiuæ. Patet hæc ſecunda conſequentia; obiectum notitiæ abſtractiuæ, eſt illud quod obiectiuè ſolũ exiſtit: ergo ſi pro priori notitiæ exiſtit obiectum ſolum obiectiuè, eſt obiectum notitiæ abſtractiuæ, pro illo priori.

31 *Secũdo.*

Secundo: nam ſequitur ex hac ſolutione poſſe notitiam intuitiuam rerum in decreto, decretum ſubiectiue præcedere; & conſequentẽr, ante diuinum decretum ſubiectiuè ſuppoſitum dabitur in Deo ſcientia futurorum, quod eſt ſcientiam mediam concedere; conſequens in noſtra ſententia eſt omnino à veritate alienum: ergo ſolutio tradita eſt falſa. Probatur ſequela, iuxta noſtram ſolutionem vt obiectum intuitiuè attingatur, non eſt neceſſarium, quod exiſtat pro priori notitiæ, ſed in eodem inſtanti pro alio poſteriori: ergo dari poterit notitia intuitiua decreti liberi, & futurorum in illo pro aliquo priori decretum præcedens, dũmodo in eodem inſtanti decretum exiſtat; & conſequenter dabitur ſciẽtia Dei terminata ad futura non ſupponens decretum ex parte ſubiecti, ſed ſolum pro obiecto illud habens.

32 *Reſp. ad 1. replicam.*

Reſpondeo, ad primam ex his obiectionibus, conceſſa prima conſequentia, & negando ſecundam, quæ ſubinfertur. Ad eius probationem, diſtinguo antecedens: quod obiectiuè ſolum exiſtit pro inſtanti in *quo*, concedo antece-

dens:

dens, pro priori ſolum originis, nego antecedens, & nego conſequentiam; quia obiectiua exiſtentia Verbi eſt ſolum pro priori naturæ, non pro inſtanti in *quo*, & hoc ſecundum neceſſarium erat vt obiectum eſſet notitiæ abſtractiuæ.

33 *Ad 2.*

Ad ſecundam, nego ſequelam, ad illius probationem diſtinguo antecedens: non eſt neceſſarium quod exiſtat in ſe pro priori notitiæ, concedo antecedens: in aliquo ex quo infallibiliter inferatur illius exiſtentia in ſe ipſo pro alio poſteriori, nego antecedens, & nego conſequentiam: quia pro priori ad decretum nihil datur in diuina eſſentia in vi cuius infallibiliter inferatur exiſtentia decreti pro alio poſteriori. Quãdo autem contingit, quod ante exiſtentiam decreti detur aliud ex quo infallibiliter inferatur illius exiſtentia, poterit optime pro tali priori decretum cognoſci, & ſic pro priori ordinis intentionis ex vi decreti intentiui cognoſcitur intuitiuê decretum exequutiuum exiſtens pro alio poſteriori, quia illius exiſtentia infallibilitêr infertur ex vi decreti intentiui.

34 *Arg. 2.*

Secundo principalitêr arguunt: ſola intellectio eſſentiæ prout in Patre eſt ad Verbi productionem fœcunda: ergo ſolius eſſentiæ, & Paternitatis cognitio eſt ex qua Verbum procedit. Probatur antecedens ex communi Theologorum ſententia aſſerentium, intellectionẽ ad generandum fœcundam, non eſſe communem, ſed notionalem, & propriam Patris: ergo ſola intellectio eſſentiæ prout in Patre, eſt ad generandum fœcunda. Hoc argumento principalitêr paralogizatus eſt Puteanus, neſciens diſtinguere inter ſubiectum, & terminum cognitionis, ex qua Verbum procedit.

35 *Reſp.*

Ad illud reſpondeo, diſtinguendo antecedens: ly *prout* denotante ſubiectum, ſeu principium generans, concedo antecedens: obiectũ cognitionis, quæ eſt generationis principium, nego antecedens, & nego conſequentiam: nec amplius contendit communis Theologorum doctrina; itaque cognitio trium perſonarum per modum obiecti, ſolum prout eſt in Patre, eſt fœcunda, eadem enim cognitio eſt in Filio, & in Spiritu Sancto, & tamen in illis fœcunda non eſt, hoc libenter cõcedimus, negamus autem quod ſolius Paternitatis cognitio per modum obiecti, fœcunda ſit; nam etiam cognitio Filij prout Paternitate ſubiectiuê modificata, eſt fœcunda vt *quo* ad Verbi generationẽ.

§. V.

Procedere per ſe ex cognitione Spiritus Sancti, probatur.

TErtia concluſio: *Verbum per ſe in quarto modo procedit ex cognitione Spiritus Sancti.* Hanc ſtatuo contra tertiam ſententiam, & oſtendo illam primo ex D. Thoma *in præſenti quæſtione art. 1. ad 3.* illis verbis: *Sic ergo vni ſoli perſonæ conuenit dici, eo modo quo dicitur Verbum, eo vero modo quo dicitur res intellecta in Verbo, cuilibet perſonæ conuenit dici, Pater enim intelligendo ſe, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ eius in ſcientia continentur, concipit Verbum, vt ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Ex quibus ſic infero primo: Verbum per ſe procedit ex cognitione illius quod dicitur, ideſt, Verbo repræſentatur; at Verbo dicitur, non ſolum Pater, & Filius, ſed etiam Spiritus Sanctus: ergo Verbum procedit ex cognitione prout terminata ad Spiritum Sanctum. Secundo: propoſitio iſta D. Thomæ: *Pater intelligendo ſe, &*

36 *Prob. 1. ex D. Thom.*

Spiritum Sanctum, &c. concipit Verbum, facit ſenſum formalem, aliàs non aliter eſſet vera, quam iſta: *Pater diligendo ſe, & Verbum, & Spiritum Sanctum, concipit Verbum*, quod eſt ridiculum; at vt ſit vera in ſenſu formali, neceſſario requiritur, quod Verbum ex cognitione Spiritus Sancti per ſe in quarto modo procedat: ergo iuxta D. Thom. per ſe procedit ex eius cognitione.

37 *Secũdo prob. ratione.*

Secundo ſuadetur concluſio: Verbum per ſe procedit ex cognitione comprehenſiua eſſentiæ, vt communicabilis tribus perſonis; at eſſentia prout ſic comprehendi non poteſt, non cognito Spiritu Sancto: ergo per ſe in quarto modo procedit ex cognitione Spiritus Sancti. Diſcurſus eſt euidens, minor certa videtur: nam eſſentia vt communicabilis tribus perſonis eſſentialitèr illas importat vt terminos eſſentialis connexionis; ſed implicat cognoſci comprehenſiuè id quod eſſentialitèr cum alio connectitur, non cognito termino eſſentialis connexionis, ſicut nec relatio, ſine termino cognito, vllatenus valet comprehendi: ergo eſſentia prout ſic comprehendi non poteſt, non cognito Spiritu Sancto. Maior etiam probatur: communicabilitas eſſentiæ tribus perſonis, eſt prædicatum abſolutum, & eſſentiale naturæ diuinæ: ergo implicat comprehendi eſſentia pro aliquo ſigno, non cognita vt communicabili tribus perſonis; & conſequenter Verbum per ſe procedens ex cognitione comprehenſiua eſſentiæ, per ſe etiam procedit ex comprehenſione illius, vt tribus perſonis communicabilis.

38 *Si reſp. cũ Alarcon.*

Si fortè dicatur ex doctrina Alarcon, diuinam eſſentiam eſſe cõmunicabilem tribus Perſonis ordine quodam prius Patri, deinde Filio, ac tandem Spiritui Sancto: vnde comprehenſio ad illam terminata prius debet illam attingere prout communicatã Patri, & Filio, & ab illa prout ſic procedit per ſe Verbũ pro priori ad terminationem ad tertiam perſonam. In contrarium obſtat primo, quod hæc communicabilitas eſſentialitèr petit tres perſonas pro termino: ergo implicat cõprehendi, non cognitis tribus perſonis.

In contrariũ obſtat 1.

Secundo: nam aliud eſt naturam eſſe communicabilem tribus perſonis cum ordine, & iſtum ordinem obiectiuè cognoſci, aliud vero talem ordinem eſſe inter cognitionem cõmunicationis eſſentiæ, ita vt prius cognoſcatur vni communicata quã alteri. Primum eſt verum, ſecundũ autem falſum: ſimul namque omnino abſque vlla ſucceſſione diuina cognitio ad eſſentiam vt tribus cõmunicatam terminatur: ergo non ſtat Verbum ex terminatione cognitionis ad vnam, & non ad aliam procedere.

Secũdo.

Tertio: diuina natura vtpotè attributorum radix eſt prior virtualiter illis; & tamen ex tali prioritate inferre non licet cognitionem prout ſolum ad eſſentiam terminatam per ſe in quarto modo ad Verbi productionem concurrere; cum vt fatentur iſtius ſententiæ Auctores, ex omnium attributorum cognitione Verbum per ſe procedat: ergo ex eo quod communicatio eſſentiæ ad primam, & ſecundam perſonam, ſit prior communicatione ad tertiam, non licet colligere ex cognitione eſſentiæ vt duabus tantum communicatæ, per ſe Verbum procedere. Denique: nam prius communicatur diuina eſſentia Patri, quam Filio; & tamen Verbum non procedit per ſe ex ſola cognitione eſſentiæ, vt Patri communicatæ, ſed etiam ex cognitione illius vt communicatæ Filio: ergo idem quod prius.

39 *Cõtra 3.*

Tertio principalitèr ſuadetur concluſio: Verbum per ſe in quarto modo procedit ex cognitione beatitudinis Patris; at hæc cognoſci non poteſt, ſaltim comprehenſiuè, non cognitis tribus perſonis: ergo per ſe in quarto modo ex trium perſonarũ

40 *Tertio prob. cõcluſio.*

cog-

cognitione procedit. Maior est certa cum per se procedat ex cognitione omnium attributorum, vnum autem ex Dei attributis sit beatitudo essentialis. Minorem autem probo, cognitio Diuina nō intelligitur beatificare Deum, nisi vt terminata ad totam Trinitatē, vt docet Vazquez 1.2. *q.* 3. *disp.* 13. ergo implicat cognosci vt est beatitudo essentialis, nō cognita prout sic terminata; at prout sic terminata non potest cognosci, non cognitis tribus personis: ergo vt est beatitudo essentialis cognosci non potest, nō cognitis tribus personis.

41 *Deniq; prob.* Denique probatur conclusio: per se in quarto modo procedit Verbū ex cognitione sui, prout spiratoris; at Verbum vt spirator est, cognosci non potest, non cognito Spiritu Sancto, & per se ex sui ipsius cognitione procedit, vt apertē fatetur Vazquez *disp. citata cap.* 4. *num.* 26. ergo per se procedit ex cognitione Spiritus Sancti. Probo maiorem primo: nam procedit ex cognitione comprehensiua sui; at Verbum comprehendi non potest, non cognita vi spiratiua, quæ est eius proprietas, sicut nec essentia comprehendi valet, non cognitis suis attributis, vt Vazquez fatetur: ergo per se in quarto modo procedit Verbum ex cognitione sui, prout spiratoris. Secundo: vis radicaliter spiratiua comprehendi non potest, non cognita vi spiratiua proximē, cum essentialiter connectatur cum illa; at Verbum per se procedit ex cognitione comprehensiua sui, vt spirator est radicaliter, cum hoc sit prædicatum essentiale illius: ergo per se procedit ex cognitione comprehensiua sui, prout spirator est proximē.

42 *Resp.* Respondebis fortē ex doctrina Authoris contrarij, vim spiratiuam proximam, aut radicalem non esse essentialē secundæ personæ, quatenus Filius est, quia si per impossibile, aut Spiritus Sanctus non esset, aut à Filio non procederet, adhuc idem Filius maneret formaliter in ratione Filij, sed solum idēticē quoad realitatem comparari cum Filio, Filius autem per se in quarto modo solum procedit ex cognitione comprehensiua sui quoad formalia filiationis. Vnde non sequitur per se in quarto modo ex cognitione sui, prout spiratoris procedere, nec proximē, nec radicaliter.

43 *Sed contra 1.* Sed contra primo: nam de essentia filiationis diuinæ, prout est forma hypostatica, est vis radicaliter spiratiua: ergo solutio est nulla. Probo antecedens: de essentia illius, prout sic est secundam personam ab omni persona diuina distinguere; at nō potest secūdam distinguere à tertia, nisi per vim radicaliter spiratiuam, vt infra videbimus *quæstione* 36. ergo de essentia illius, vt est forma hypostatica, est vis radicaliter spiratiua.

Secūdo. Secundo: nam in casu impossibili quod Spiritus Sanctus non esset, deficeret naturæ diuinæ fęcunditas productiua per voluntatē, illique repugnaret: ergo sicut ex defectu aliorum prædicatorū natura diuina essentialiter variaretur, ita ex illius defectu non maneret eadem formaliter; & consequenter, nec idem formaliter Pater, nec idē formaliter Filius. Ex quo vlterius infertur, Filiū ad sui processionem, ex essentia sua, Spiritus Sancti existentiam exigere, ac proinde per se in quarto modo ex illius cognitione procedere.

44 *Tertio.* Denique: nam dato, Filium ex prædicatis veluti specificis filiationis non connecti cum Spiritu Sancto, nec cum vi spiratiua, hic tamen Filius ex prædicatis veluti indiuidualibus cum vtroque connectitur, quod contrarij Authores negare non possunt, cum fateri debeāt in hypotesi illa impossibili, quod Spiritus Sanctus scilicet non esset, vel à Filio non procederet, defecturum Filio prædicatum actiuæ spirationis, sibi modo identificatum; & consequenter indiuidualiter, saltim mutandū; at hic Filius, vt

hic per se in quarto modo ex sui, vt hic est cõprehensiua cognitione procedit: ergo cum prout sic comprehendi non possit non cognito vt spiratore, nec vt spirator cognosci possit non cognito Spiritu Sancto, euidenter infertur diuinum Verbum, quod de facto existit, quatenus hoc est indiuiduum, per se in quarto modo, ex Spiritus Sancti cognitione procedere.

§. Vltimus.

Obiectionibus fit satis.

45 *Arguit Vazq. primo.*

COntra istam conclusionem opponit Vazquez primo: ex illo procedit Verbum vt obiecto cognito per se in quarto modo, quo per impossibile ablato, vel non cognito, Verbum per locum intrinsecũ non remaneret; at dato impossibili, quod scilicet Spiritus Sanctus non esset, vel non cognosceretur, adhuc maneret Verbum, & Filius eiusdem rationis, ac modo: ergo ex Spiritus Sancti cognitione non procedit per se in quarto modo. Minorem in qua est difficultas probat sic primo: pri intelligitur Filius sub ratione Filij, quam intelligatur Spiritus Sãctus procedere ab illo: ergo impossibili reddito Spiritu Sancto, non variaretur formaliter Filius per locum ab intrinseco. Secundo: nam filiatio à paternitate specificatur adæquatè: ergo ex solius paternitatis variatione, non autem ex variatione Spiritus Sancti potest per locum ab intrinseco filiatio variari formaliter; & consequenter in hypotesi impossibili, quod Spiritus Sanctus non esset, adhuc maneret idem Filius formaliter.

46 *Resp. 1.*

Respondeo primo concessa maiori, distinguẽdo minorẽ: quoad specifica prædicata, omitto minorẽ: quoad indiuidualia, nego minorem, & distinguo consequens eodem modo: non procedit per se in quarto modo ex Spiritus Sancti cognitione quoad prædicata veluti specifica Filij, transeat cõsequẽs: quoad prædicata veluti indiuidualia huius Filij, nego consequentiam. Quæ solutio constat ex dictis inter impugnandam cõtrariam sententiam. Vel secundo, nego minorem. Ad primam probationẽ, distinguo antecedens: prius quã intelligatur actu procedere, transeat antecedens: radicaliter procedere, nego antecedens, & consequentiam, iuxta dicta in vltima probatione nostræ sententiæ. Ad secundam probationem dicatur, quod licet filiatio vt relatio à paternitate specificetur, vt tamen forma hypostatica cũ Spiritu Sancto connectitur essentialiter; essentialis autem variatio alicuius, nõ solum sequitur ex variatione termini specificantis, sed etiam ex variatione termini connexionis, vt sequenti disputatione in omnipotẽtia videbimus. Quænã autem ex his solutionibus præponenda sit, cõstabit ex dicẽdis *q. 36.* pendet enim ex eo, an scilicet Filius in hypotesi nõ existentiæ Spiritus Sancti, vel non processionis à Filio, idẽ maneat, vel non maneat formaliter, quod ibi examinandum relinquimus.

47 *Secũdo sic arguit.*

Secundo sic arguit: si Verbum per se procederet ex cognitione Spirit⁹ Sancti, esset imago intentionalis saltim illius: consequẽs est absurdũ: ergo Verbum per se non procedit ex cognitione Spiritus Sancti. Probat sequelam: esset illi similis, ab illoque in esse intentionali procederet, & ab eo realiter distinguitur: ergo haberet quidquid requiritur ad rationem imaginis intentionalis. Ad hoc argumentum respondeo, negando sequelam. Ad probationem, nego secundam partem ante-

Resp.

cedentis, Verbum enim nõ procedit, nec physicè, nec intentionaliter, nisi solum à Patre, & insto argumentum euidenter ni fallor, Vazquez enim *cap.4.citato n.26.* expresse fatetur, Verbum vt spirator per se in quarto modo ex cognitione Spiritus Sancti procedere, vel enim prout sic est imago intentionalis eius, vel non: si primum, inconueniens non erit hoc ipsum de Verbo absolutè concedere. Si secundum: ergo ex eo quod Verbum ex Spiritus Sancti cognitione procedat, nõ sequitur esse imaginem intentionalem eius.

48 *Solutio ad instãtiam argumẽti reijcitur.*

Si fortè dicatur; Verbum vt spirator non esse simile Spiritui Sãcto, bene tamen vt Filius, & idcirco nõ esse eius imaginem sub priori ratione, etsi ex illi⁹ cognitione procedat. In contrarium obstat, Verbũ, prout Verbum esse simile Spiritui Sancto non ratione relationis, sed ratione naturæ, quam vt Verbum importat; at etiam vt spirator, etsi non assimiletur illi ratione relationis, quam connotat vis spiratiua, ei tamen assimilatur ratione voluntatis, quã vis spiratiua dicit in recto: ergo nõ excludetur à ratione imaginis Spiritus Sancti, saltim in attributo naturę ex defectu similitudinis. Alij argumentum factum in contrariũ retorquẽt, eo quod Verbum ex sui cognitione affirmat procedere, & tamen non est sui imago: ergo nec ex eo quod ex cognitione tertiæ personæ procedat, rectè colligit esse illius imaginẽ in esse intentionali. Hoc tamen parũ vrget contrarium Authorem: nam Verbum à se ipso non differt, quod necessarium erat vt esset imago.

49 *Arguitur 3.*

Tertio sic arguunt, Verbum procedit ex cognitione essentiæ, quatenus est in se; at diuina essentia in se ipsa prius communicatur Filio, quã Spiritui Sancto: ergo ex cognitione essentiæ, solum vt communicatæ Filio procedit. Patet consequentia: nã cognitio essentiæ vt Filio communicatæ, est prior cognitione, essentia, vt communicata tertiæ personæ: ergo ex illa vt pro illo priori terminata ad essentiam Verbum procedit. Hoc argumentum, quo vtitur Alarcon euidenter impugnatur in cognitione essentiæ vt in Patre, prius nãque communicatur Patri, quam Filio, & tamen non licet colligere ex cognitione essentiæ, vt pro illo priori Patri cõmunicatæ procedere Verbum.

50 *Resp.*

Ad illud respondeo cõcesso antecedenti, negando consequentiam; imõ oppositum sequitur: nã si procedit ex cognitione essentiæ, vt in se, & prout in se est cõmunicata tribus personis, ex cognitione illius vt tribus communicatæ debet procedere. Ad probationẽ dicatur, quod etsi prius virtualiter communicetur Filio, quam Spiritui Sancto, & cognitio diuina hanc virtualem prioritatem cognoscat, non tamen datur duplex cognitio vna prior altera, vna terminata ad essentiam sub cõmunicatione ad Filium, & alia terminata ad illam vt communicatam tertiæ personæ, sed vna cognitio cũ omnimoda simultate *in quo*, etiam rationis, vtramque communicationem attingit. Mitto alia argumẽta, quæ non militant specialiter contra processionẽ Filij ex cognitione tertiæ personæ, sed generalia sunt contra illius processionem ex cognitione aliarum personarum, & creaturarum, quia priora soluta iam sunt, & alia in sequenti disputatione soluentur. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 1. dist. 27. §. 6.* ibi: *Verbum non ad se dicitur, sed tantum relatiuè dicitur ad eum, cuius est Verbum.* *M. Sẽt.*

✠

DISPVTATIO NONAGESIMA.

Vtrum Verbũ per se procedat ex cognitione creaturarum possibilium?

§. I.

Relatis sententijs vera eligitur, & probatur.

Nu. 1. *Tres sẽtentiæ.*

IN HAC DISputatione tres versantur sententiæ. Prima negans est, quã præter omnes Scotistas tuentur Vazquez *disp.193.cap.3.* Turrianus *disp.18. dub.3.* Alarcon *vbi supra cap. 9.* Secunda distinguit in Verbo repræsentationem illi intrinsecam, quę solum ad Deum, obiectum increatum comparatur, & extrinsecam terminationem Verbi ad creaturas possibiles: sub priori ratione negat ex possibilium cognitione procedere, sub posteriori autem ex possibilium cognitione procedere affirmat. Hãc tenet Arrubal *disp. 125. cap.5. & 6.* Tertia, & vera sententia defendit, Verbum secundum intrinsecam perfectionem, & repræsentationem, ex possibilium cognitione procedere. Ita cum D. Thoma omnes eius discipuli disputatione præcedenti pro vltima conclusione relati. Ex alienis Molina, & Valentia *in præsenti articulo 3.* Suarez *lib.9. de Trinitate cap.6.* Et Granadus *tractatu 9. disput.6.*

Quam sententiam pro cõclusione statuimus. Ostendo illam primo ex Augustino *lib. 15. de Trinitate cap. 13. & 14.* vbi ait: *Verbum Diuinum esse de omnibus, quæ sunt in scientia Dei: nam si aliquid minus esset in Verbo, quam in scientia, non esset Verbum adæquatum;* at esse de aliquo importat habitudinem principij: ergo ex omnium, quæ sũt in scientia Dei cognitione, Verbum procedit.

2 *Vera sẽtentia ostenditur 1.*

Respondet Arrubal, Augustinum loqui de Verbo non secundũ intrinsecam Verbi perfectionem, sed secũdum extrinsecam terminationem ad creaturas possibiles, vt repræsentatiuum illarum, sub hac autem ratione verum est, ex creaturarũ cognitione procedere. Qua solutione etiam vtitur Vazquez, quare arbi-

Resp. Arrub.

tror

tror eãdem tenuisse sententiam, quã postea fuit sequutus Arrubal, etsi non ita expresè à Vazquio fuerit declarata.

3 *Reijcitur* 1. Sed contra primo: Verbum esse repræsentatiuum creaturarum non est extrinseca denominatio in illo, sed intrinseca, & essentialis eius perfectio. ergo si sub hac ratione ex creaturarum cognitione procedit, absolutè, & secundum intranea procedit ex cognitione illarum. Consequentia est euidens, antecedens autem probatur primo: nam esse ideam factiuam creaturarum nõ est extrinseca denominatio in Verbo, sed intranea perfectio: ergo esse illarum repræsentatiuum non extrinseca denominatio est, sed perfectio intrinseca, & essentialis. Secundo, esse productiuum creaturarum per modum principij non est extrinseca denominatio in Verbo, sed perfectio essentialis: ergo esse repræsentatiuum creaturarum posibiliũ, extrinseca denominatio non est, sed essentialis, & intranea perfectio.

4 *Secũdo reijcitur.* Contra secundo ad hominẽ contra Vazquez, qui ex eo præcipuè mouetur ad suam conclusionẽ inadendam; quia si Verbum secundum suam entitatem per se ex creaturarũ cognitione procederet, esset illarum imago; at hæc ratio euidentèr instatur: admisso vt admittit, Verbum vt repræsentatiuum creaturarum per se ex illarum cognitione procedere: ergo deficit fundamentum, quo primum defendit; & consequentèr etiam tenetur admittere, secundum suam entitatem procedere ex illarum notitia. Probo minorem: Verbum vt repræsentatiuum creaturarum per se procedit ex cognitione illarum; & tamen prout sic, illarum imago non est, vel si hoc admittatur, inconueniens non erit hoc ipsum de Verbo secundum suam entitatem admittere: ergo instatur argumentum, cui præcipue fidit; & consequenter ruit machina tali fundamento innitens.

5 *Secũdo* Secundo suadetur conclusio ex D. Thoma verbis disputatione præcedenti in probatione tertiæ cõclusionis adductis, quibus apertè docet, Patrem intelligendo se, Verbum, & omnem creaturam, Verbum producere; at D. Thomam intelligendum esse non per concomitantiam, sed cum perfectate in quarto modo dicendi per se, constat ex eo quod eisdem verbis affirmat intelligendo creaturas producere Verbum, quibus docet intelligendo se Verbum producere, quod non concomitantèr, sed per se in quarto modo perfectatis est verum: ergo sentit, Verbum per se in quarto modo ex posibilium cognitione procedere.

prob. cõclusio ex D. Tuo.

6 *Conf.* 1. Quod amplius confirmo: nam eo modo Verbum procedit ex creaturarum cognitione, quo ei competit esse repræsentatiuum illarum; at hoc ei competit per se, etsi ex consequenti, vtpotè respectu obiecti secundarij: ergo Verbũ per se in quarto modo ex posibilium cognitione procedit. Probo minorem ex Diuo Thoma *q. 9. de veritate art. 4. ad finẽ corporis*, vbi docet, omnia quæ sunt in scientia Patris exprimi per Verbum, & eo modo, quo in scientia, ex qua procedit continentur; at scientia Diuina per se, etsi secũdario ad creaturas posibiles terminatur: ergo Verbo per se cõpetit esse creaturarum repræsentatiuum, etsi ex consequenti, vtpotè respectu obiecti secundarij.

7 *Conf.* 2. Explicatur, & vrgetur secundo ex D. Thoma *in eodem articulo solutione ad* 7. quod probare intendebat, Filium, Verbum creaturarũ non esse, eo quod Verbum ab eo, cuius est Verbum procedit, Filius autem non procedit à creatura: ergo non est Verbum illius. Cui argumento respondet D. Thomas, his verbis: *Ad septimam dicendum, quod Verbum est alicuius multiplicitèr, vno modo vt dicentis, & sic procedit ab eo, cuius est Verbum, alio modo vt manifestati per Verbum, & sic non oportet, quod procedat ab eo cuius est Verbum, nisi quando scientia ex qua procedit est causata à*

rebus, quod in Deo non accidit, & ideò ratione non sequitur; at si D. Thomas sentiret, Filium non esse per se, & ab intrinseco Verbum creaturarum, facilius argumento occurreret asserendo, tunc solum Verbum esse ab eo, cuius est Verbum, quando est illius Verbum per se: ergo cum Diuus Thomas non ita occurrat, sed ex alio principio illud soluat; quia scilicet scientia, ex qua procedit, à rebus causata non est, manifestè sentit Diuinum Verbum per se, & essentialiter esse Verbum creaturarũ sub esse possibili.

8 *Deniq; prob. cõclusio ratione à priori*

Denique suadetur conclusio ratione à priori: Verbum Diuinũ per se in quarto modo procedit ex cognitione cõprehensiua essentiæ, & omnipotentiæ diuinæ: ergo eadem perfectate procedit ex cognitione illorum, sine quibus cognitis, omnipotentia comprehendi non potest; at Dei omnipotentia comprehendi nõ potest, non cognitis creaturis subesse possibili: ergo per se in quarto modo procedit ex cognitione creaturarum possibiliũ. Discursus est euidens, prima consequentia per se manifesta, antecedẽs ab aduersarijs admissum, & necessario admitrendum: tum, quia per se procedit ex cognitione omnium attributorũ, ex quibus vnum est omnipotentia. Tum etiã, quia per se procedit vt omnipotens omnipotentia communicata à Patre, & consequenter ex omnipotentiæ perfecta cognitione. Tũ denique, quia aliàs comprehensiuum Verbum omnipotentiæ non esset, cũ non possit excedere in repræsentando cognitionem ex qua procedit, sicut nec potest illam non adæquare. Minor autem subsumpta ostenditur primo ex D. Thoma *Iutra quæst.* 14. *art.* 5. vbi probat, Deum alia à se cognoscere, quia se comprehendit vt causam, virtus autem causæ comprehendi non potest, non cognitis effectibus in illa contentis. Quod etiã repetit 1. *Contra-Gentes cap.* 59. *ratione* 3. & probat ex Dyonisio cap. de diuinis nominibus, vbi ait, Deum non habere vnam peculiarem scientiam sui, aliam vero cõmunem omnia comprehendentem; quia cognoscendo se tanquam causam, reliqua omnia cognoscit. Et *supra quæst.* 12. *art.* 8. vbi docet, beatum non posse omnes creaturas in omnipotentia cognoscere, quia aliàs comprenderet Deum. Quod etiam repetit 3. *p. q.* 10. *art.* 2. vbi ait, animam Christi in Verbo non cognouisse omnia, quæ continentur in potentia diuina, qui aliàs illam comprehenderet, cognouisse vero omnia quæ sunt in potentia creaturæ, & rationem reddit: *Quia comprehendit in Verbo omnis creaturæ essentiam, & perconsequens potentiam, & virtutem, & omnia quæ sunt in potentia creaturæ*: sentit ergo ex omnium effectum cognitione inferri comprehensionem causæ, & causam comprehendi non posse, non cognitis effectibus in illa contentis.

9 *Secũdo suadetur minor.*

Secundo suadetur: non enim stat causam comprehendi, quin in ea cognoscatur omne quod in illa, & ex illa potest cognosci; at creaturæ sunt cognoscibiles in omnipotentia diuina, cum in illa contineantur quoad esse; & consequenter quoad cognosci sequutum ad esse: ergo omnipotentia Dei comprehendi non potest, non cognitis creaturis sub esse possibili.

Tertio. prob.

Tertio: quia si posset comprehẽdi omnipotentia, non cognitis creaturis possibilibus, beati videntes Deum, ipsum comprehenderent, cũ videant omnia quæ formaliter reperiuntur in omnipotentia, & aliàs omnia quæ eminentialiter continentur, non sint cognoscibilia in illa, & ex illa.

Deniq; prob. ratione D. Tho.

Denique suadetur ratione D. Thomæ vbi proximè: virtus enim causæ comprehendi non potest, quin cognoscantur omnes effectus in illa contenti; at omnipotentia est virtus operatiua Dei, in qua continentur creaturæ: ergo comprehendi non potest, creaturis non cognitis sub esse possibili.

Ref-

10 *Solutio discipulorũ Scoti.*

Respondent primo Scotistæ, veram esse maiorem de comprehensione virtutis per se relatæ ad effectum, hæc enim comprehendi non potest, non cognito effectu, falsum autem de comprehensione virtutis per se ad effectum nõ ordinatæ, qualis est omnipotentia; quæ licet concepta pro per se significato ad creaturas referatur per respectum rationis, accepta tamen pro per se denominato, ab omni respectu reali, siue rationis ad creaturàs absoluitur, vt inconfesso est apud omnes Thomistas, quod in idem venit, ac vsitatioribus nostræ sententiæ terminis dicere, vt dicunt Vazquez, & alij huius sententiæ Authores, omnipotentiam secũdum se, nullum realem ordinem ad creaturas importare, hoc vocãt Scotistæ per se denominatum, vt tamen à nobis concipitur, & significatur, respectum ad creaturas involvere, hoc vocant Scotistæ per se significatum.

11 *Impugnatur prædicta solutio.*

Cæterum contra hanc solutionem in hunc modum insurgo: omnipotentia pro per se denominato, seu quod idem est, omnipotentia secundum se, & si non referatur realitèr ad creaturas, ab intrinseco tamen, & essentialitèr cũ illis connectitur; at implicat comprehẽdi aliquid essentialitèr cum alio connexum, nõ cognito termino connexionis: ergo implicat comprehendi omnipotentiã, non cognitis creaturis possibilibus cum quibus connectitur. Consequentia est euidens: mũnorem aduersarij fatentur, & per se est manifesta.

Maior prob. 1.

Maiorem autem probo primo; quia vt fatetur Arrubal, Deus in sua omnipotentia cognoscit creaturas possibiles; at omnino implicat effectũ cognosci in causa vt obiecto cognito, nisi secundum aliquid necessario ab intrinseco cum effectu connexum, quo circa in omnipotẽtia præciso decreto, creaturæ vt futuræ cognosci non possunt, quia, illo præciso, connexionem cum futuris non habet: ergo si in illa vt obiecto cognito prius, cognoscuntur creaturæ vt possibiles, cũ eis prout sic necessario connectitur.

12 *Secũdo.*

Secundo probatur: sicut implicat dependentia absque termino illam terminante; ita implicat necessaria dependentia absque termino necessario terminante illam; at creaturæ necessario dependent à Deo ratione omnipotẽtiæ: ergo hæc necessario terminat dependentiam creaturæ; & consequentèr cum creaturæ dependentia possibili connectitur.

Tertio.

Tertio: connexio cum independentia nullam imperfectionem in omnipotentia ponit; at est possibilis necessaria connexio cum independentia à termino connexionis, vt constat: tum in relatione respectu correlatiui, à quo est independens, & tamen cum illo connectitur. Tum in principio respectu conclusionis illatæ, à qua independens est, & tamen necessario cum illa connexum. Tum tertio, in essentia vt radice passionũ, cum quibus vt possibilibus necessario est connexa, & tamen est ab illis prout sic independens omnino: ergo huiusmodi connexio in omnipotentia est ponenda cũ creaturis vt possibilibus, siquidem non alia ratione posset non poni, nisi quia imperfectio aliqua, vel dependentia sequeretur ex illa.

13 *Quarto*

Quarto: quo potentia est perfectior, eo cum maiori infallibilitate ab intrinseco infert possibilitatem effectus; at omnipotentia independens à creaturis perfectior est in ratione virtutis productiuæ, qualibet virtute creata relatione dependentiæ relata ad suum effectum: ergo infallibilius infert sui effectus possibilitatem, quam ista; & consequenter magis cũ effectus possibilitate connectitur, cum connexio independẽs, in nullo alio, quam in necessaria illatione consistat.

14 *Quinto.*

Quinto: omnino implicat virtus productiua, absque possibilitate productionis, & productionis possibilitas, absque termini producti possibilitate, sicut existentia actionis exer-

ci-

citæ, absque existentia exercita termini; at omnipotentia secundum se concepta est virtus productiua creaturarum: ergo implicat nõ connecti cum productionis possibilitate; & consequentêr implicat non habere connexionem cum possibitate creaturarum.

Deniq; prob. minor. Denique probatur: omnipotentia secundum se accepta aliquid superaddit ad diuinam essentiam; cum sit eius attributum, quod in sententia Scoti ex natura rei, in nostra autem distinctione virtuali debet à diuina natura distingui; at hoc obiectiuum quod addit, in nullo alio cõsistere potest, quam in necessaria cõnexione per modum virtutis productiuæ cum creaturis vt producibilibus: ergo in omnipotentia, prout sic accepta cognoscenda est tali connexio.

§. II.

Duæ aliæ solutiones communis argumenti excludun-tur.

15 *Aliarũ solutio.* SEcundo alij respondent, veram esse maiorem de potentia, quæ ab intrinseco est virtus productiua absolutè: secus autem de illa, quæ solum ab intrinseco habet esse vim productiuam sub conditione non repugnantiæ termini producibilis, & huius conditionis omnipotentia est. Vnde nec per se cum creaturis absolutè connectitur, nec vt cõprehendatur ab intrinseco petit creaturarum cognitionem, sed solũ facta suppositione non repugnantiæ illarum. Ex quo vlterius sequitur: dato per impossibile quod repugnarent omnes creaturæ, & omnipotentiam entitatiue invariatam, & Verbum immutatum mansurum. Cuius contrarium, omnino necessarium erat vt per se in quarto modo ex creaturarum cognitione procederet. Qua solutione ad impugnationes contra præcedentem videtur occurri.

16 *Reijcitur 1.* Insufficienter tamen; quod probo primo: quia virtus productiua sub conditione non contingenti, sed necessaria, est virtus productiua absolutè; at conditio apposita, necessaria est, cuius oppositum implicat contingere: ergo omnipotentia, quæ ab intrinseco est virtus productiua sub illa conditione, est ab intrinseco virtus productiua absolutè.

Secũdo. Secundo: quia non minus petit virtus productiua termini possibilitatem, quam actualis productio termini existentiam; at omnino implicat actualis productio ad terminum sub conditione, quod existat, absolutê tamen non existentem: ergo implicat etiam virtus productiua, sub cõditione possibilitatis termini absolutê impossibilis; & consequenter repugnat manere omnipotentiã sub conceptu virtutis productiuæ, dato quod possibilia repugnãtia reddantur.

17 *Tertio.* Tertio: quia virtus productiua non minus connectitur cum termini possibilitate, quamuis radicatiua naturæ cum possibilitate passionis radicatæ; at implicat vis radicatiua sub conditione possibilitatis passionis radicatæ, absolutê impossibilis: ergo idem quod prius. Probo minorem: si namque hoc non implicaret, sequeretur dari in diuina natura vim radicatiuam de facto proprietatum aliarum ab illis, quas de facto radicat. Ex quo vlteriꝰ fieret, diuina attributa non exæquare vim radicatiuam naturæ diuinæ, quod absurdũ videtur. Sequeretur etiam dari in

natura Dei vim radicatiuã proprietatum hominis, ſub cõditione quod ei non repugnaret illas radicare, quod nõ minus abſurdum apparet: ergo.

18 *Quarto reijcitur.*

Quarto: nam ſi non repugnaret virtus productiua conditionata, ſequeretur dari in Deo vim generatiuam alterius Filij ſub conditione quod non repugnaret, imõ ſequeretur eſſe in Filio potentiam generatiuam; conſequens quoad vtramque partem inconueniens videtur: ergo & illud ex quo ſequitur. Patet ſequela: quia non minus petit vis creatiua poſsibilitatem termini creabilis, quam vis generatiua poſsibilitatem termini generabilis: ergo ſi poteſt dari vis creatiua ad terminũ abſolutê impoſsibilem ſub conditione poſsibilitatis illius, dari etiam poterit vis generatiua ad generabile abſolutê impoſsibile, ſub conditione poſsibilitatis illius.

19 *Deniq;*

Denique: nam perfectior eſt virtus, quæ ab intrinſeco infert poſsibilitatem ſui effectus nulla cõditione expectata, quã illa, quæ infert ſolum ſub conditione; at virtus productiua creata ſpecificata ab effectu, ab intrinſeco infert poſsibilitatẽ effectus, quin ad hãc illationem, aliquã conditionem expectet: ergo vis productiua competens omnipotentiæ Dei, quæ infinitè cuiusvis creaturæ virtutis perfectionem excedit, infert poſsibilitatem effectus nullam ad hoc expectando conditionẽ; & conſequentêr ab intrinſeco cum illa abſolutê cõnectitur, & eſt virtus productiua abſolutê.

20 *Alij reſpondẽt.*

Denique reſponderi ſolet argumento principali: reſpectũ, ſeu connexionem omnipotentiæ cum creaturis poſsibilibus, eſſe poſteriorem perſonis, vnde pro priori ad illas nõ poteſt eſſentia, vel omnipotẽtia cognoſci vt connexa cum poſsibilibus; & conſequenter poteſt diuina eſſentia pro illo priori comprehendi, non cognitis creaturis poſsibilibus, quia ex vi illius, vt pro illo priori cognoſcibiles non ſunt.

Sed contra: pro priori ad perſonas eſt cognoſcibilis diuina omnipotẽtia, prout eſt medium in *quo*, & ex vi, cuius cognoſcũtur poſsibilia: ergo pto illo priori ſunt cognoſcibiles creaturæ poſsibiles in omnipotẽtia; & conſequenter, illis non cognitis, non poteſt omnipotentia cõprehendi. Antecedẽsin quo ſolo eſt diffi cultas probatur: nam pro priori ad perſonas ſunt cognoſcibiles perſonæ, ſaltim terminatiuê, vt fatentur iſtius ſolutionis Authores aſſerentes, Verbum ex cognitione perſonarum procedere: ergo etiam eſt cognoſcibilis omnipotentia vt mediũ cognoſcendi poſsibilia.

21 *Prædicta ſolutioreijcitur.*

22 *Reſp.*

Reſpondent negando conſequẽtiam, & diſparitatem aſsignant: nã eſſentia diuina eſt cõnexa eſſentialiter cum perſonis, etiã pro illo priori, & ideô ex vi illius ſigni ſunt cognoſcibiles perſonæ in eſſentia, nõ autem eſt connexa eſſentialiter cũ creaturis poſsibilibus; ideôque non poſſunt in eſſentia, & ex vi eſſentiæ vt cognitæ pro illo priori cognoſci creaturæ poſsibiles.

23 *Sed contra.*

Sed contra: eſſentia, ſeu omnipotentia vt cognita pro illo priori, eſt connexa eſſentialiter cum ſe ipſa ſub ea ratione, ſeu formalitate, qua eſt medium, in quo poſsibilia cognoſcũtur: ergo ex vi illius pro illo priori poteſt, ſaltim terminatiuê, cognoſci omnipotentia ſub ea formalitate, ſub qua eſt mediũ cognoſcendi poſsibilia; & conſequenter poſſunt, & ipſa poſsibilia cognoſci. Vtraque conſequentia eſt euidens. Antecedẽs autẽ probatur: omnipotentia eſt medium cognitionis poſsibilium formaliter, ſumpta non entitatiue tantum, ſed etiam connexiuê, aut denominatiuê; ſed ſub hac ratione eſt cõnexa eſſentialiter cum ſe ipſa ſumpta entitatiuê, qualiter pro priori originis perſonarũ cognoſcitur: ergo ſũpta formaliter vt medium cognoſcẽdi poſsibilia, eſt eſſentialiter cõnexa cum ſe ipſa vt cognita pro priori originis ad perſonas. Probatur minor: eſſe omnipotentem denomina-

tiuê,& connexiuê, est prædicatum enunciatum de Deo;sed non cõtingenter,nec necessario necessitate tãtum connaturalitatis ergo prædicatur de illo essentialiter;& consequẽter denominatio omnipotentis est connexa essentialiter cum entitate essentiæ,& omnipotentiæ diuinæ.

24 *Solutio*

Respondent huius solutionis Authores, prædicari essentialiter per modum secũdariæ formalitatis eiusdem attributi omnipotentiæ, quæ primario comparatur ad personas ad intra productas,à quibus specificatur,& ideô comprehendi non potest, non cognitis personis diuinis. Secundario verò comparatur cum creaturis possibilibus,& ideô denominatio potentis producere creaturas possibiles secundario conuenit omnipotentiæ: vnde necessarium nõ est,quod cognoscatur ex vi omnipotentiæ cognitæ entitatiuê, qualiter cognoscitur pro priori originis ad personas.

25 *Reijcitur* 1.

Sed contra primo: omnipotẽtia secundum suam essentiam,non specificatur adæquatê à personis ad intra productis: ergo solutio tradita falso fundamento nititur; & consequenter est nulla. Antecedens probatur primo: non specificatur ab vtraque persona producta; aliàs cõsisteret in voluntate,& intellectu ex æquo,cuius contrarium ex D. Thoma monstrauimus *supra Tomo* 1 *disput.* 32. nec ab aliqua illarum tantũ, cum non sit maior ratio vnius, quã alterius:ergo non specificatur à personis ad intra productis. Si dicatur, specificari à persona diuina sub rãtione producibilis abstrahendo ab hac, vel illa persona. In contrarium obstat, sequi ex ista solutione,omnipotentiam consistere in formalitate communi per prædicationem intellectui,&voluntati;consequẽs est falsum: ergo. Patet sequela: Filius formaliter procedit per intellectum, & Spiritus Sanctus procedit per volũtatem formaliter: ergo si omnipotẽtia secundum suam essentiam specificatur à persona increata sub ratione cummuni producibilis,erit prædicatum commune intellectui,& volũtati,vel dabitur tertia potentia, à qua vtraque persona procedat.

26

Secundo,primum antecedẽs probatur: si omnipotentia secundũ suã essentiam specificaretur à personis ad intra productis, primarius actus illius esset productio ad intra; sed hoc defendi non potest: ergo nõ specificatur à personis ad intra productis. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: nam sequeretur Spiritui Sancto non conuenire essentiam omnipotentiæ, sed tãtum secundaria denominatio illius;consequens absurdum est: ergo productio ad intra non est actus primarius omnipotentiæ secundum suam essentiam. Probatur sequela: cui repugnat essentialiter actus primarius essentiæ alicuius potentiæ, repugnat etiam essentia potentiæ;sed Spiritui Sancto repugnat essentialiter actiua productio ad intra: ergo si hæc specificat essentiam omnipotentiæ, repugnat Spiritui Sancto essentia omnipotentiæ.

27 *Secũdo reijcitur.*

Secundo tradita solutio impugnatur: nam estô connexio cum possibilibus sit secundaria omnipotentiæ formalitas, est tamen essentialiter connexa cum prima omnipotentiæ formalitate, cum non connectatur accidentaliter cum illa: ergo non stat omnipotentiam sub prima formalitate comprehendi,non cognita sub secunda formalitate. Probatur consequentia: estô proprietates diuinæ non sint de primaria constitutione naturæ, quia tamen essentialiter connectuntur cum illa, non potest natura diuina comprehendi, non cognitis attributis: ergo si secunda omnipotentiæ formalitas,cõsideratio, aut denominatio est connexa essentialiter cum prima formalitate,non poterit hæc comprehendi,non cognita in illa, & ex illa secunda formalitate, seu secunda denominatione.

28

Explicatur,& vrgetur: si denominatio liberé volentis esset essen-

tia-

tialiter connexa cum actualitate actus necessarij Dei, vel cum prima terminatione illius, nõ posset actualitas, aut prima terminatio actus necessarij comprehendi, non cognita denominatione liberê volentis in Deo, & in illa obiectum liberè volitum, sed secũda illa formalitas, vel secunda denominatio omnipotentiæ diuinæ, qua cõnotat creaturas possibiles, est essentialiter connexa cum prima denominatione, & actualitate omnipotentiæ: ergo non stat comprehendi omnipotentiæ actualitatẽ, non cognita ex vi illius secundaria formalitate, seu denominatione eiusdem omnipotentiæ, qua connotat creaturas possibiles; & consequẽter non potest omnipotẽtia pro aliquo priori comprehendi, non cognitis possibilibus in illa, & ex illa.

29 *Si dicatur.* Si fortê dicatur: denominationem potentis producere creaturas possibiles, conuenire omnipotentiæ essentialitêr, non absolutê, sed ex suppositione possibilitatis creaturarum. In contrarium obstat primo: nam suppositio possibilitatis creaturarum infertur ab omnipotentia sub ratione denominantis potens, non expectatur ab illa, aliàs in illa, prout sic non cognoscerentur creaturæ possibiles à priori: ergo conuenit Deo, ratione entitatis, & actualitatis omnipotentiæ. Secundo: nam suppositio illa est omnino necessaria, & cui essentialiter repugnat non esse: ergo non tollit necessitatẽ essentialem denominationis, secundariæ omnipotentiæ, nec quod hæc denominatio conueniat essentialiter Deo. Et ex his ferê soluta manent contraria argumenta, claritatis tamen gratia illis occurremus.

* * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * *
* * * * *
* * *

§. III.

Argumentis ab autoritate occurritur.

PRimo arguit Vazquez ex Anselmo *in monologio cap.* 29. illis verbis: *Siue ergo ille cogitetur nullo alio existente, siue alij existẽtibus, necesse est Verbum, coæternũ illi esse cum illo*; at si Verbum per se in quarto modo ex cognitione creaturarum procederet, nulla existente essentia, non existeret Verbum: quia exinde colligimus vnum ab alio per se in quarto modo procedere, quia illo per impossibile sublato, hoc nõ remaneret: ergo ex mente Anselmi Verbum per se in quarto modo nõ procedit ex creaturarum possibiliũ notitia. Respondeo, Anselmum loqui de essentijs existentibus, non de purè possibilibus, de illarum autem cognitione Verbum entitatiuê sũptum per se nõ procedit; vt in sequẽti disputatione constabit.

30 *Arg. 1. ex Anselmo.*

Sed contra istam solutionẽ insurgit Vazquez ex eodẽ Anselmo *cap.* 34. vbi docet, Verbum Diuinum esse Verbum creaturarum, nõ in se ipsis, sed quatenus continentur in Deo, qua ratione sunt ipsa vita Dei, & hoc ideô: quia *cap.* 20. docuerat Verbum Diuinum non esse similitudinẽ creaturarum secundum proprias illarum rationes. Ex quo sic vrget suo iudicio traditam solutionem: si putasset Anselmus, Verbum per se ex cognitione creaturarum possibiliũ procedere, fateretur esse Verbum illarum; at hoc apertê negat: ergo etiam negat Verbum ex creaturarũ

31 *Explicatur ex eodẽ Anselmo.*

poſsibilium cognitione procedere. Probat minorem: nam idcircò negat eſſe creaturarum Verbum ſecundum proprias rationes: quia nó eſt ſimilitudo illarum, prout ſic; at non minus repugnat Verbo Diuino, eſſe illarum ſimilitudinem vt poſsibiliũ, quam vt exiſtentiũ, ſic ſemel repugnat: ergo ex mente Anſelmi, Verbũ nõ eſt poſsibilium ſecundũ proprias illarum rationes.

32 *Reſp. duplicit er*

Reſpondeo, Anſelmum non negare diuinum Verbum, eſſe Verbum creaturarum, ſaltim ſecundario, ſed ſolum primario, & hoc ideo quia ſimilitudo creaturarum nó eſt, in quo ſenſu nec poſsibilium, nec exiſtentiũ eſt Verbum. Vel ſecundo dicatur negare, Anſelmum, eſſe Verbum creaturarum in caſu ablatiuo cum præpoſitione *A*, non vero in caſu genitiuo; quia ad primum neceſſariũ erat, vt ab illis procederet. Verbum autem diuinum etſi ex creaturarũ cognitione procedat, & conſequenter ſit Verbum illarum; non tamen procedit ab illis; & ideò Verbum creaturarum in caſu ablatiuo nô eſt. Ita D. Thomas *quæſt. 4. de veritate art. 5. ad 2.* Et quidem Vazquez fatetur, diuinum Verbum eſſe Verbum creaturarum: ergo vel nihili æſtimat cõtra Anſelmũ ſentire, vel illũ debet explicare; ſi primum: cur nobis Anſelmum opponit, quem non ſequi inconueniens non reputat? Si ſecundum; vtcumque illius verba explicentur, noſtram ſententiam impugnare non poterunt.

33 *Arg. 2. ex D. Tho.*

Opponit ſecundo D. Thomam *quæſt. 4. de veritate art. 5. in fine corporis*, vbi docet, Verbum principaliter, & quaſi per ſe, referri ad Patrem, ſed ex conſequenti, & quaſi per accidens, ad creaturas. Et ſolutione ad 2. ait: *Verbum non eſſe creaturæ quaſi ſit à creatura, bene tamẽ eſſe de creatura, aut creaturæ, quia eſt illi repræſentatiuum tanquã obiecti*; at ſi per ſe procederet ex cognitione creaturarum, per ſe referretur ad illas, & ab illis in eſſe intelligibili, ſaltim procederet: ergo Verbum ex cognitione creaturarum poſsibiliũ non procedit.

Reſp.

Reſpondeo, quod ſicut ly *per ſe* poteſt ſumi dupliciter, primo vt idẽ ſonat quod *ratione ſui*, ſecundo vt idem valet quod eſſentialiter; ita ly *per accidens*, quod ei contraponitur dupliciter ſumitur: primo modo idẽ eſt quod *per aliud*, non ratione ſui: ſecundo modo idem eſt quod *accidentaliter*, ſeu *contingenter*. Quando ergo D. Thomas dixit Verbum per accidens ad creaturas referri, priori modo debet intelligi, quia ſcilicet non repræſentat illas ratione ſui primario, ſed ſecundario, & ratione eſſentiæ prius repræſentatæ, & ratione Patris ad quem primo refertur; non poſteriori modo, aliàs poſſet Verbum non repræſentare creaturas poſsibiles, quod nullus ſanæ mentis poteſt aſſerere, ſicut nec poteſt Deus illas non ſcire, cum ſcientia poſsibilium neceſſaria ſit.

34 *Nec obſtat cauſalis D. Tho.*

Nec obſtat D. Thomam cauſalem dediſſe his verbis. *Accidit enim Verbo vt per ipſum creatura dicatur*, quibus denotare videtur accidentaliter ei conuenire, quod repræſentatiuum ſit creaturarum. Nam ſicut ly *peraccidens* duplicem illam acceptionem admittit, ita etiã Verbum *accidit*: vnde idem fuit dicere, quod accidit Verbo, ac quod non cõpetat per ſe primo creaturas repræſentare, ſed ſecũdario ex parte obiecti, quia ad illas terminatur media diuina eſſentia, & mediante Patre, ad quem primo refertur. Ad alia verba ex *ſolutione ad 2.* dicatur, neceſſarium non eſſe, Verbũ ex cognitione alicuius obiecti procedens ab illo procedere, etiam vt eſt in linea intelligibili, niſi quando ſcientia ex qua Verbum procedit à rebus accipitur, vt docet D. Thomas *quæſt. 4. de veritate art. 4. ad 7. argumẽtum.*

35 *Replicatur primo ex D. Tho.*

Cæterum contra prædictam ſolutionem obſtare videtur primo ex D. Thoma *in illo art. 5. ſolutione ad 3.* quo intendebat probare, Deum non dicere reſpectum ad creaturas,

eo quod nomen importans respectũ ad creaturam non potest intelligi, non intellecto quod creatura sit actu, vel potentia: quia qui intelligit vnum relatiuorum, oportet quod intelligat reliquum, Verbum autẽ intelligi potest, non intellecto aliquam creaturam esse, existentem, vel futuram: ergo, &c. Cui argumento respondet: *Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de illis nominibus, quæ per se important respectũ ad creaturam, hoc autem nomen nõ est huiusmodi, vt ex dictis patet, & ideò ratio illa non sequitur*; at si Verbum per se, & essentialiter esset repræsentatiuum possibilium, sine illis, saltim vt possibilibus, non posset intelligi, sicut nec omnipotẽtia: ergo Verbum per se, & essentialiter non est repręsentatiunm creaturarũ.

Secũdo replic.

Secundo obstat: quod iuxta illam solutionem etiam possumus dicere, accidere Verbo, quod repræsentet, seu exprimat Patrem, prout peraccidẽs idem est, quod per aliud; consequens autem est falsum, & contra D. Thomam expresse in contextu: ergo prædicta solutio non est tenenda. Probatur sequela: Verbum enim repræsentat Patrem per aliud, hoc est, ratione essentiæ prius repræsentatæ, quæ sicut est primarium obiectum cognitionis diuinæ, ita & repræsentationis Verbi: ergo si dicitur repræsẽtare, aut exprimere creaturas peraccidens, quia repræsentat illas secundario ratione diuinæ essẽtiæ prius repræsentatæ, dicetur etiã repræsentare Patrem peraccidens, & illi accidere, quod exprimat Patrẽ.

36 Resp. ad 1.

Respondeo ad primam, quod vt Verbum intelligi possit à nobis vt significatur hoc nomine Verbi, nõ intellectis, vel cointellectis à nobis creaturis, sufficit non comparari ad illas primario, estò secundario essentialiter sit repræsentatiuũ illarum; quia vt intelligatur aliquid, solum est necessarium cointelligi id quod respicit primo, & essentialiter: vt autem intelligatur comprehensiuè à Deo, necessarium est, quod in illo cognoscat creaturas possibiles: cognitio namque comprehẽsiua debet ad omnia se extendere, quæ in obiecto sunt cognoscibilia, nec hoc D. Thomas negauit, sed tantum primum concessit.

Ad 2.

Ad secundam, nego sequelam: nã licet Verbum repræsentet Patrem, se ipsum, & Spiritum Sanctum ratione essentiæ: quia tamen hæc ab illis est indistincta realiter, & formaliter, ideò non repræsentat Patrem, nec se ipsam peraccidens, ideſt, per aliud.

§. Vltimus.

Catera argumenta diluuntur.

37 Arg. 3.

TErtio opponit, sequi ex nostra sententia Verbum esse imaginẽ creaturarum possibilium; consequens est falsum: ergo & nostra sententia. Probat sequelam: nã procedit per se ab illis in esse intelligibili: ergo est imago illarum, saltim intentionalis. Si respondeatur, inquit Vazquez, nõ esse illarum imaginem, quia rapræsentat illas secundario. In contrarium opponit: nam erit imago illarum, saltim secundario, sicut est illarum Verbum secundario, quia illa secundario repræsentat. Nã quæ ratio esse potest vt imago solum dicatur respectu obiecti primarij, non autem secundarij, & Verbum vtriusque primarij, & secundarij dicatur.

38 Resp.

Respondeo negando sequelam, ad eius probationem, nego antecedens: nam licet procedat ex cognitione illarum, ab illis tamen

non procedit, vt docet D. Thomas *quæſt. 4. de veritate art. 4. ad 7.* eo quod tunc ſolum Verbum ex obiecti cognitione procedens ab obiecto procedit, quando ſcientia ex qua procedit eſt à rebus deſumpta; diuina autem ſcientia, etſi ſit creaturarum, ab illis tamen deſumpta non eſt; & ideo diuinum Verbum eſt creaturarum in caſu genitiuo, non à creaturis in ablatiuo, vt docet idem D. Thomas *quæſt. citata art. 5. ſolutione ad 2.* Et vt eſſet imago neceſſariũ erat quod ab illis procederet. Nec eſt eadem ratio de Verbo, ac de imagine, vt docet D. Thomas *quæſt. citata art. 4. ad 6.* nam licet Verbum, & imago, & Filius ex eadem proprietate perſonali dicantur, differunt tamen in modo ſignificandi; Filius enim, & imago ſolum important rationem originis, & imitationis, Verbum autem importat rationem manifeſtationis: vnde, quia Verbum repræſentat creaturas, illarum Verbũ dicitur; quia tamen non originatur ab illis, nec eas imitatur, ideo non eſt, nec dicitur illarum imago.

Inſtatur. Et quidem non eſſe eandẽ vtriuſque rationem tenetur fateri Vazquez, cum aſſerat eſſe Verbum creaturarum, & neget eſſe illarum imaginem, eo quod ab illis non procedit per ſe: cur ad rationem Verbi non exigitur proceſſus ab alio, & requiritur ad rationem imaginis? Reſpondebit Vazquez: quia non eſt eadem ratio de Verbo ac de imagine, id ipſum Nos reſpondemus. Et rationẽ iam dedimus.

39 Obiectio. Sed opponet aliquis: Verbum quod format Angelus quando alium intelligit, eſt imago obiecti, & conſequenter ex obiecto procedit; & tamen ſpecies impreſſa ex qua tale Verbum procedit, ab obiecto intellecto deſumpta non eſt, ſed à Deo infuſſa in Angeli creatione: ergo Verbum eſt imago obiecti, & procedit ab illo, quamuis ſcientia ex qua procedit à rebus deſumpta non ſit. *Soluitur dupliciter* Reſpondeo pro nunc primo eſſe deſumptam à diuinis ideis, quatenus continent rem intellectam, & hoc eſt ſufficiens. Vel ſecundo dicatur eſſe deſumptam à rebus ſpecificatiuè, etſi non effectiuè, & hoc ſufficere, de quo *infrà quæſt. 35.*

Arg. 4. Quarto ſic arguit: id per ſe in quarto modo ad diuini Verbi productionẽ requiritur, quo, per impoſſibile ablato, Verbum non remaneret eiuſdem rationis ac modo; at dato per impoſſibile, quod hæc, vel illa creatura, quæ poſſibilis eſt, & omnes ſimul creaturæ poſſibiles repugnantes redderentur, Verbum quod modo eſt eiuſdem omnino rationis, & quoad naturam, & quoad proprietatem perſonalem maneret: ergo poſſibilitas creaturarum per ſe in quarto modo ad productionem Verbi nõ concurrit; & conſequenter ex illarũ cognitione per ſe non procedit. Hoc eſt totum fundamentum iſtius Authoris, cuius maior euidens eſt.

Minor prob. 1. Minorem autem probat primo: quia non ex eo quod lapis eſſet impoſſibilis, Deus non eſſet Deus, aut Deo aliqua intrinſeca perfectio deeſſet. Tũ, quia eſt primum ens, ac proinde ita in ſe perfectus, vt nulla indigeat creatura ad ſui conſiſtentiam. Tum etiam: quia quam primum intelligitur Deus, creaturæ intelliguntur poſſibiles: non tamen ê contra, eo quod creaturæ intelligantur poſſibiles, intelligitur Deus; at eo ipſo quod eſt in ſe ſummê perfectus, eſt ad generandum fęcũdus: ergo ſi ad hoc nulla exigitur creatura poſſibilis, nec etiam requiritur vt generetur Verbum; & conſequenter etiam ſi repugnarent creaturæ poſſibiles, Verbum eodem modo inuaria tum maneret.

40 Secũdo. Secundo: quia licet aliqua creatura implicaret ex his, quas ſuppoſuimus eſſe poſſibiles, omnipotẽtia Dei inuariata maneret, non enim Deus omnipotẽs dicitur, quia poteſt hãc, vel illam creaturam producere; ſed quia poteſt quidquid non implicat, tunc autem ad omne non implicans potens maneret, cum lapis v. c. quem

in tali casu non posset, supponatur in illo casu implicans; at inuariata omnipotentia Dei, & Verbum diuinum manet inuariatum omnino: ergo data hypotesi repugnantiæ creaturarum, quæ modo supponuntur possibiles, Verbum Dei inuariatū maneret. Tertio: quia ridiculum, imo & absurdum est dicere Deum ideo esse Deum quia simia talis, vel talis figuræ est possibilis: ergo etiam ridiculum, & absurdum erit asserere, quod in ea hypotesi repugnantiæ possibilitatis Simiæ, aut lapidis, &c. Verbū eodem modo immutatū nō maneat.

Tertio.

Quarto

Denique probat: magis enim necessarium à minus necessario dependere nō potest; at necesitas processionis Verbi maior est necesitate possibilitatis creaturarum, cum illa sit necesitas entis à se, hæc vero necesitas entis ab alio per se dependentis: ergo ex hypotesi repugnantiæ possibilitatis creaturarum, non sequitur diuinum Verbum non remansurum in eadem natura, & in eadē proprietate personali.

41 *Solutio P. Auersæ.*

Ad hoc argumentum Raphael de Auersa *in præsenti sec.* 4. respondet, remotis possibilibus, earumque cognitione per locum ab intrinseco sequi, Verbum diuinum non procedere vt repræsentatiuum earum. An vero per hoc tolleretur aliqua perfectio intrinseca Verbi, non pertinere ad præsentem quæstionem, sed definiendum esse eo modo, quo quisque putauerit repræsentationē possibiliū addere, vel non addere nouā perfectionem in Deo. Cæterum Author iste mentem Vazquij non caluit, qui vt vidimus in solutione argumenti ex Augustino desumpti, non negat Verbum vt repræsentatiuum possibilium ex illarum cognitione procedere, sed solum quod procedat ex illarum notitia secundum intrinsecā entitatē: vnde si hoc concedit Auersa vt videtur, succumbit oneri, & ab Authore, quem cōtrarium reputat, nō dissidet, sed potius illi adhæret.

Nō placet.

42 *Vera solutio.*

Respondeo ergo ad argumentum, concessa maiori, negando minorem: ad primam probationem distinguo maiorem: ly *ex eo* dicente causam immediatam, & à priori, cur Deus non esset Deus, concedo minorē: ly *ex eo* dicente causam mediatā, & à posteriori, nego maiorē: quam nō conuincunt probationes factæ, quia Deū non fore Deum, si creaturæ possibiles implicarent, non prouenit ex indigentia Dei, quam habeat creaturarum, sed ex summa perfectione, & fœcunditate, quam petit diuinitas, & ex dependētia creaturarum ab illa; non enim esset Deus, si non esset summē fœcundus ad extra, & omnipotens, nec hoc esse posset, si creaturæ non essent possibiles: vnde negatio diuinitatis ab omnipotētia, & fecūditate productiua illarum radicali proueniret, tanquā à causa, à repugnantia autem creaturarum, nō ita, sed tanquam à signo inferente à posteriori negationem illam omnipotētiæ, & fœcunditatis radicaliter productiuæ. Secunda autem probatio oppositum probat, quam intēdit cōuincere; si enim eo ipso, quod Deus intelligitur primum ens, intelliguntur creaturæ possibiles: ergo eo ipso, quod istæ non intelligantur possibiles, non potest intelligi Deus.

43 *Ad 2. prob.*

Ad secundam maioris probationem nego etiam maiorem: cum enim tunc non maneret in Deo continentia eminentialis lapidis, quæ modo est omnipotentiæ intrinseca, intrinsecé variaretur omnipotentia Dei: omnipotētia enim, quæ de facto existit, non est potentia ad non implicās vtcumque, sed est potētia ad omne, quod modo non implicat: vnde in data hypotesi, quod lapis modo possibilis, implicans redderetur, etsi maneret potētia in Deo ad omne, quod in illo casu non implicaret, non tamē maneret potentia ad ea, quæ non implicant modo; & consequenter licet maneret alia omnipotentia, ista tamē, quæ de facto datur, nō perseueraret. Nec ex hoc sequitur, Deū esse omnipotētē, quia hæc, aut illa creatura est possibilis, ly *quia* dicente causam à priori, bene tamen si dicat signum

à posteriori;quia hæc,aut illa creatura non specificat omnipotentiam Dei,sed merè comparatur vt effectus ad illam. Est tamen verum Deũ esse omnipotentem,quia potest hãc, vel illam creaturam ; hæc namque non dicit causalitatem creaturarum in Deum , sed rationem formalem intrinsecam , qua potens constitnitur , nempè omnipotentiam diuinam.

Ad 3. Ad tertiam probationem dicatur: ly *quia* dicente causam à priori,cur Deus sit,aut non Verbũ procedat,veram esse maiorem: ly *quia* dicente signum à posteriori , & terminum necessariæ connexionis , vt Deus sit Deus,& Verbum procedat in tali natura, esse falsam maiorem, quod ridiculum,& absurdum sit hoc asserere,iuxta dicta ad alias probationes.Quod si adhuc admirationi, potius,quam rationem ponderi, argumentũ innitatur,per non admirationem diluetur.

44 *Obiectio.* Si opponas : dato, quod possibilitas creaturarum ad omnipotentiæ,& Verbi productionis subsistentiam, necessaria sit,fore necessariam à priori: ergo hoc negato,vt negamus , negare etiam debemus talem necessitatẽ.Probatur antecedẽs : nã sicut negatio est causa negationis, ita affirmatio,si semel requiritur,est causa affirmationis; at negatio possibilitatis, v.c.in chimera,causa est à priori negationis potentiæ in Deo ad eius productionem ; non enim Deus non est potens chimeram producere ex defectu potentiæ diuinæ, vt à ratione à priori , sed ex defectu possibilitatis illius: ergo si affirmatio possibilitatis, v.c. formicæ necessaria est ad affirmationem potentiæ productiuæ in Deo , requiretur vt causa à priori.

Diluitur. Respondeo negando antecedẽs: ad cuius probationem,concessa maiori,nego minorem: nam licet non sit ex defectu priuatiuo potentiæ productiuæ vt ratione à priori,quia talis defectus priuatiuus non est, est tamen , tanquam ex ratione à priori , ex defectu negatiuo potentiæ productiuæ chimeræ , talis autẽ negatiuus defectus potentiæ , nullã imperfectionem constituit in Deo, sicut negatio alterius Filij , aut alterius impulsus,nullam imperfectionem ponit in illo, nec negatio potentiæ generatiuæ in Filio aliquam infert in illo imperfectionem.

45 *Solutio Recentiorum ad vlt. prob.* Ad vltimam probationem quidam Recentiores sequuti Suarium *vbi supra num.* 18. *& sequentibus*, concessa maiori negant minorem : nam possibilitas creaturarum non dependet à Verbo , sed à Deo vno ratione omnipotẽtiæ,quæ prior est origine Filio;ac proinde cum necessaria sit prædicta possibilitas,adæquat possibilitatem Verbi. Quod si eis obijciatur , omnipotentiam supponere possibilitatem creaturæ obiectiuẽ,huius autem necessitas non est tanta,ac necessitas omnipotẽtiæ, ac proinde nec tanta , ac necessitas Verbi,cum possibilitas sit necessitas dependens,omnipotentia autem independens sit. Respõdet Suarez *numero* 19. polsibilitatem illam obiectiuam in sola negatione consistere, quæ dependens nõ est à Deo, & ideô non mirum, quod adæquet necessitatem omnipotentiæ Dei,& productionis Verbi.

46 *Nõ placet.* Hæc tamen solutio non placet, & reijcitur primo : nam falsum est possibilitatem creaturarum intrinsecam in mera negatione consistere. Tum, quia omne negatiuum in aliquo positiuo fundatur.Tum etiã, quia essentiæ rerum in statu purorum essentialium,etsi non sint entia positiua participialiter, sunt tamen entia positiua sumpto ente nominaliter, non enim ex negationibus, sed ex essentijs positiuis prædicamenta coalescunt.Secũdo:quia licet essentiæ rerum in statu possibilitatis non dependeant à Deo dependentia exercita;ab illo tamen depẽdent dependentia signata, & possibili ; at necessitas Verbi est indepẽdẽs omnibus modis : ergo est maior necessitas. Tenet consequentia : nam quia

Et reijtur.

ne-

necessitas principiorum, & illorum certitudo est à se, necessitas autem, ac certitudo conclusionum ab alio, illa est maior, quam ista.

47 *Euasio.*

Nec sufficit respondere, dependentiam possibilium non esse à Verbo formaliter, sed à Deo vt vno, ac proinde ex tali dependentia non sequitur excessus necessitatis Verbi supra necessitatem essentiæ possibilium. Nam in contrarium obstat primo, quod necessitas Verbi adæquat necessitatem omnipotētiæ Dei, & illius vnitatis: ergo si hæc excedit necessitatem rerum possibilium, etiam Verbi necessitas illam excedit. Secundo: quia quod possibilia ad Verbi productionem vt obiectum terminatiuum concurrant, colligitur ex eo quod necessaria sint, vt Dei omnipotentia subsistat: ergo si omnipotentiæ necessitas maior est necessitate rerum possibilium, restat argumentum Vazquij diluere, consistens in eo quod ens magis necessarium à minus necessario dependere non potest.

Præcluditur.

48 *Vera solutio.*

Missa igitur hac solutione, ad probationem illam respondeo, concessa maiori, & minori, negando consequentiam, vel distinguendo consequens: nō sequitur illatione à priori ratione dependentiæ Verbi à possibilibus, concedo consequentiam: illatione à posteriori ratione connexionis cum possibilibus, vt termino per se repræsentato à Verbo, & ab illo producibili ratione omnipotētiæ, nego consequentiam. Nam licet magis necessarium à minus necessario dependere non possit, potest tamen cum illo connecti per se, & illud ad sui consistentiam exigere; sicut necessitas principiorum in veritate maior est necessitate veritatis conclusionis, & tamen cum illa taliter connectitur, quod si per impossibile conclusio necessaria falsa redderetur, falsificarentur necessario principia, ex quibus per bonam, & legitimā consequentiam deducitur.

49 *Opponens.*

Sed opponet aliquis; eo ipso, quod omnipotentia, aut Verbum subsistere nequeat sine possibilitate creaturarum, datur dependentia ab illis: ergo si hæc repugnat omnipotentiæ respectu possibilium, repugnat etiam necessaria connexio cum illis, ob quam eis ablatis omnipotentia non subsistat. Probo antecedens primo: nam id ab alio dependet, quod sine illo non potest subsistere. Secundo: quia ea mutuo dependent, quæ mutuo se ponunt, & addimunt; at data necessaria illa connexione possibilitas creaturarū, ponit omnipotentiam, & repugnantia illam addimit, & è conuerso: ergo eo ipso admittere debemus mutuam dependentiam. Tertio: quia data necessaria connexione omnipotentiæ cum possibilibus, omnipotentia egeret illarum possibilitate; at indigentia dependentiam importat: ergo inter omnipotentiam creaturas possibiles mutua datur dependentia.

Antec. prob. 1.

Secūdo.

Tertio.

50 *Resp. ad 1. prob.*

Respondeo negando antecedens: ad primam probationem, nego etiam antecedens: vnum namque relatiuum sine alio subsistere nequit, & tamen ab illo non dependet, cum relatiua sint simul natura, & cognitione, sed requiritur ad dependentiam, quod dependens non possit sine alio subsistere ratione subordinationis ad illud, quod omnipotentiæ non conuenit; quod enim sine possibilibus subsistere nequeat, non est ratione subordinationis ad illa, sed potius ratione subordinationis, & dependentiæ possibilium ab omnipotentia.

51 *Ad 2.*

Ad secundam probationem, distinguo maiorem: si mutuo se ponāt, & inferant à priori, concedo maiorem: si vnum à priori, & aliud à posteriori, nego maiorem, & sub eadē distinctione minoris, nego cōsequētiam: etenim possibilitas creaturarū non ponit à priori omnipotentiam, sed solū à posteriori, vt iam diximus.

Ad 3.

Ad tertiam, nego maiorem: nam quod omnipotentia, sine possibilibus non possit subsistere, non est ex indigentia omnipotentiæ, si in

rigore loquamur, sed potius ex summa fœcunditate, quæ esse, nec intelligi potest, non intellectis creaturis possibilibus, quibus possit communicari. Ex quo infero, non solum non fore Deum perfectiorem, si cum creaturis possibilibus non connecteretur, imò nec perfectum fore, nec Deum, tali cõnexione negata; cum ex hoc inferatur non esse sui diffusiuum, quod summæ bonitati repugnat; nec omnipotẽtem, quod repugnat cum diuinitate. Si autem hoc, aut illud in particulari ex his, quæ possibilia sunt de facto repugnans redderetur, per locum intrinsecum, non sequeretur non remansurum Deum, nec perseueraturũ omnipotentem, cum remaneãt alia, quibus possit communicari, sed solũ inferretur non remansurum eundem Deum, nec eandem omnipotentiam; quia tamen alius Deus est impossibilis, per mediatas consequentias infertur absolutè Deum non remansurum.

52 *Quinto arg.*

Quinto arguunt Scotistæ, potest comprehensiuè cognosci omnipotẽtia, nulla cognita creatura possibili: ergo Verbum Diuinum non procedit per se ex illarum cognitione. Probatur antecedens: potest comprehẽsiue amari omnipotentia Dei, non amata aliqua creatura possibili; quia vt docetur à nostris communiter *supra q. 19.* creaturæ possibiles non possunt terminare actum diuinæ voluntatis, quo circa Spiritum Sanctum ex amore creaturarũ possibilium non procedere est frequens Thomistarum sententia: ergo poterit comprehensiuè cognosci omnipotentia Dei, non cognita aliqua creatura possibili. Patet hæc consequentia: quia non minus connectitur omnipotentia vt diligibilis cum possibilibus, quam vt cognoscibilis: ergo si hoc non obstat vt amor comprehensiuus omnipotentiæ ad creaturas possibiles nõ terminetur, pariter non obstabit vt omnipotentia possit comprehensiuè cognosci, non cognitis possibilibus.

53 *Resp.*

Respondeo negando antecedens: ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: ad illius probationem dicatur, omnipotẽtiam in esse entis esse connexam cum possibilibus, & etiam in esse intelligibilis, eo quod de ratione cõprehensionis est terminari ad obiectum cognoscendo in illo, quod est in illo cognoscibile; creaturæ autem possibiles sunt cognoscibiles in ompotentia; omnipotẽtia vero vt amabilis, etiam amore comprehensiuo, non connectitur cum possibilibus, quia hæc amabilia non sunt, vt argumentum supponit: cum autem de ratione amoris comprehensiui, solũ sit attingere in obiecto dilecto, quidquid in illo attingibile est; cõsequens sit, quod possit omnipotentia comprehensiuè amari, quin talis amor ad creaturas possibiles terminetur secundum esse obiectiuum, quod habent ab omnipotentia distinctum: nam si de illis loquamur, quatenus in diuina essentia non sunt creaturæ, sed creatrix essentia, absque dubio terminant diuinum amorem, & ex illo Spiritus Sanctus procedit. Et instò argumentum, Deus enim non potest pœnitentiam cognoscere, peccato nõ cognito; & tamẽ potest pœnitentiam diligere nõ amato peccato, eo quod peccatum est à Deo intelligibile, non vero amabile; pari ratione in præsenti contingit; quia licet possibilia non terminent odium diuinum, vt terminat peccatum, sunt tamen incapacia terminandi amorem vt argumentum supponit; si autem capacia essent illũ terminandi, non posset Deus omnipotentiam diligere, quin talis amor possibilia attingeret, quatenus cum omnipotentia connexa.

54 *Arg. 6.*

Sexto obijciunt; diuina cognitio prius intelligitur terminata ad essentiam diuinam, quam ad creaturas sub esse possibili; at prout sic cõcepta est fecunda ad productionem Verbi, cum infinita sit: ergo Verbũ ex illa prout sic terminata procedit; & consequenter non procedit per se

ex

ex cognitione posſibilium. Probant maiorem, etenim eſſentia diuina eſt obiectum primarium diuinæ cognitionis, creaturæ autem obiectum ſecundarium; at cognitio prius intelligitur terminata ad obiectum primarium, quam ad ſecundarium, cũ hoc attingat ratione illius: ergo diuina cognitio prius intelligitur terminata ad eſſentiam diuinam, quam ad creaturas poſsibiles.

55 *Solutio Suarez, & ſequacium.*

Ad hoc argumentum Recẽtiores quidam ſequuti Suarez, concedunt maiorem, & negant minorem, vel illam diſtinguunt, & concedunt de Verbo inadæquatê accepto, negant autem ſi adæquatê ſumatur. Quod in hunc modum explicant: nã licet detur duplex cognitio virtualiter diſtincta, quarum vna terminetur ad Deum, & altera ad creaturas poſsibiles, illa priori iſta ſecundum rationem; quia tamen illa prima, adæquata cognitio non eſt, ſed reſtat alia terminata ad creaturas; inquiunt, Verbum non procedere ex cognitione Dei, quatenus præcisê terminata ad eſſentiam, ſed prout iã ad creaturas etiam terminata: vel ſi procedit, non eſt ſecundum adæquatam repræſentationem, ſed ſecũdum primariam reſpectu eſſentiæ pro illo priori, & pro alio poſteriori ſecundum repræſentationem poſsibilium ex ſecundaria illa terminatione diuinæ ſcientiæ ad illa procedit; & hoc ideô, quia cum diuinum Verbũ, & eſſentiæ, & creaturarum ſit repræſentatiuum, debet ex parte principij omnium illorum cognitionem ſupponere; & conſequenter, vel non procedit, donec intelligatur cõpletê terminata diuina cognitio, vel inadæquatê ſolum procedit.

56 *Nõ placet.*

Hæc tamen ſolutio non placet; etenim eo ipſo, quod cognitio diuina, quatenus terminata ad eſſentiam ſit prior cognitione terminata ad creaturas, & ab illa diſtincta, poteſt Verbum Diuinum, ſecundum adæquatam repræſentationem, ex priori illa cognitione procedere. Quod in hunc modum oſtendo: ſi non poſſet, maximê, quia in Verbo eſſet formaliter repræſentatio creaturarum, ac proinde illarum cognitio debet ingredi ex parte principij; at hoc non requiritur, ſemel data illa cognitionum diſtinctione: ergo poteſt Verbum Diuinum ſecundum adæquatam repræſentationẽ ex cognitione nõ termnata ad creaturas procedere. Probo minorem, etiam ſi Verbo in eſſe entitatiuo communicetur diuina voluntas, & alia attributa, non tamen requiritur, quod hæc omnia ſe habeant formaliter ex parte principij, ſed ſolum diuina natura, in qua hæc omnia radicaliter continentur; at data diſtinctione cognitionum, quarum altera terminetur ad eſſentiam, & alia ad creaturas, illa prior radicalitêr continet iſtam: ergo etſi Verbo conueniat repræſentatio creaturarum formalitêr, non erit neceſſarium, quod formalis illa cognitio ingrediatur ex parte principij, ſed ſufficit cognitio eſſentiæ radicaliter continens cognitionem creaturarum.

57 *Vera ſolutio.*

Quare aliter ad argumentum factum reſpondeo negando maiorẽ: ad cuius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem; illamque, concedo de prioritate *à quo* virtuali obiectiua: ſecus autẽ de prioritate *in quo*, etiam rationis, quando obiectum ſecundarium eſſentialiter cum primario connectitur, & ad illius comprehenſionem, requiritur, vt contingit in præſenti, vt conſtat ex dictis. Recolite *diſputationis præcedentis concluſionem primam ad* 1.

Inſtatur arg.

Inſtoque argumentum in cognitione attributorum, ex qua Verbum Diuinum procedere affirmant plures Scotiſtæ; & tamen diuina eſſentia eſt primarium obiectum, non attributa, quæ ab illa in ſentẽtia Scoti ex natura rei diſtinguuntur.

58 *Arg. 7.*

Septimo obijciunt: prior eſt dictio Verbi cognitione creaturarum poſsibilium: ergo Verbum non pro-

cedit ex illarum notitia. Antecedēs probatur: principium infinitum mouens ad duos terminos, finitum, & infinitum, prius ad infinitum, quam ad finitum mouet, vtpotê cum infinitum ſit illi magis connaturalis; at diuina eſſentia vt fœcundans intellectum Patris, eſt principium infinitum mouēs ad dictionē Verbi, quod eſt infinitus terminus, & ad cognitionem creaturarum, quæ ſunt quid finitum: ergo prius mouet ad dictionem Verbi, quam ad cognitionem creaturarum: & conſequenter dictio Verbi cognitionem creaturarū præcedit.

Reſp. Reſpondeo negando antecedēs, ad eius probationem diſtinguo maiorem: ſi ad vtrumque moueat ratione ſui, concedo maiorem: ſi moueat ad finitum ratione infiniti prius terminantis, quam aliud infinitum cum quo comparatur, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequētiā. Quia eſſentia diuina, vt fœcundans, non mouet intellectū Patris ad cognitionem creaturarum ratione ſui; ſed ratione eſſentiæ, quæ comprehēdi non poteſt, niſi cognitis creaturis ſub eſſe poſsibili. Et quia eſſentia, vt terminans ſui comprehenſionē, prior eſt dictione Verbi, fit, quod etiam poſsibilia vt cognita productionem Verbi præcedant.

59 *Deniq; arg.* Denique argumentari poſſumus contra noſtram ſententiam: etſi omnipotentia comprehendi non poſsit non cognita creatura poſsibili ſub ratione communi, poteſt tamen non cognitis poſsibilibus in particulari: ergo eſtô per ſe ex poſsibilium cognitione procedat ſub ratione communi, non tamen ex cognitione illarum in particulari. Conſequētia tenet ex dictis. Antecedēs autem probatur: nam omnipotentia non connectitur eſſentialiter cum poſsibilibus in particulari: ergo ad ſui cōprehenſionem, illarum prout ſic cognitionem non petit. Probatur antecedens: quia connectitur per ſe cum ente creabili ſub ratione communi, non poteſt quidditatiuê videri à beatis, non cognito ente creabili ſub illa ratione; at cognoſci poteſt quidditatiuê ab intellectu beatorū, quin cognoſcantur poſsibilia in particulari, aliàs quilibet beatus videns Deum, omnia poſsibilia in particulari cognoſceret, quod eſt contra D. Thomam, & communem Theologorum ſententiam: ergo omnipotētia non connectitur eſſentialiter cum poſsibilibus in particulari.

60 *Reſp.* Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, nego etiam antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: quia vtcumque connectitur, nego maiorem: quia connectitur connexione formali, tāquam cum formali termino, concedo minorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Itaque ad quidditatiuam cognitionem potentiæ ſufficit cognitio termini formalis. Ad comprehenſionem autem requiritur cognitio omnis termini, etiam materialis in illa contenti, & quia omnipotentia cum ente creabili ſub ratione communi connectitur vt cū formali termino, & cum poſsibilibus in particulari per ſe connectitur vt cum termino, non formali, ſed materiali, fit, quod vt cognoſcatur etiā quidditatiuê, neceſſum ſit cognoſcere ens creabile in communi, non autem particulares rationes poſsibilium, vt vero comprehendatur, & in communi, & in particulari cognoſci requiritur.

61 *Obijcies primo.* Sed oppones primo: formalis terminus omnipotentiæ nō eſt creabile ſub ratione communi, ſed diuina eſſentia vt eſt imitabilis à creatura, aliàs omnipotentia ſpecificaretur ab aliquo creato; quod in noſtrorum ſententia concedi non poteſt; & tamen illius cognitio neceſſaria eſt ad omnipotentiæ quidditatiuam cognitionem: ergo non quia cum illis connectitur, connexione formali, ſed quia connectitur preciſê, id exigitur; & conſequentêr, vel cognitio poſsibilium in particulari neceſſaria erit vt quidditatiuê omnipotentia cognoſca-

tur,

tur, vel cum illis per se non connectitur.

Secũdo obijcies

Secundo: Angelus comprehendit proprium intellectum, in quo tãquam in materia continentur cognitiones omnium posibilium naturalium: & tamen non cognoscit omnes cognitiones, quas potest habere, aliàs omnia obiecta talium cognitionum cognosceret, & consequẽtêr omnia posibilia: ergo ad comprehensionem causæ, necessaria non est cognitio omnium effectum contentorum in illa; & consequentêr licet posibilia in particulari in omnipotentia contineantur, si cum illis non cõnectitur connexione formali, illarum cognitio necessaria non erit, vt omnipotentia comprehendatur.

62

Resp. ad 1.

Respondeo ad primam ex his obiectionibus, distinguendo maiorẽ, illamque concedo de formali termino per modum rationis *sub qua*, nego autem de formali termino *qui*, hic enim est ens creabile sub communi ratione. Et concessa minori nego consequẽtiam. Itaque ratio *sub qua* terminandi diuinam omnipotentiã, est diuina essentia, ratio tamen *quæ* etiam formalis terminans, est ens creabile sub communi ratione, vt autem quidditatiuê potentia cognoscatur, & rationis *sub qua*, & rationis formalis *quæ* cognitio requiritur.

Ad 2.

Ad secundam; concessa maiori, & minori, distinguo consequens: quando in causa adæquatè, & completê continentur effectus, qualiter in omnipotentia contingit, nego cõsequentiam: quando incompletê solum, concedo consequentiam. Itaque intellectus Angelicus non continet completê cognitiones omnium posibilium, sed solum incompletè, cum vltra intellectum requirantur species; quibus intellectus fecundus ad intelligendum constituitur, quãdo autem in causa non continentur effectus adæquatê, & completê, necessarium non est vt comprehendatur, omnes effectus in particulari cognosci. Quod si Deus omniũ posibilium species actu infunderet Angelo, & Angelus suum intellectum, vt illis omnibus fecundum cognosceret, cognosceret etiã omnes cognitiones posibiles; cæterum quia primum imposibile est, quia ad hoc erat necessarium quod infunderet infinitas species, quod implicat, etiã secundum est impossibile. Omnipotentia autem perfectissimê continet omnes effectus creabiles in particulari, & idcircô ad sui comprehensionem omnium illorum cognitionem exposcit. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri, vt supra.

M. Sẽt.

DISPVTATIO NONAGESIMA PRIMA.

An Verbum perſe procedat ex cognitione futurorum?

§. I.

Relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio.

Nu. 1. *Referũtur ſententiæ.*

IN HAC DISputatione tres reperio ſententias: prima affirmans eſt, quam tuetur Valencia 1. *p. diſp.* 2. *quæſt.* 7. *puncto* 2. Ruicius *diſp.* 63. *ſectione* 4. & alij, à recentioribus, ſuppreſſo nomine, *in præſenti relati.* Secunda docet, Verbum per ſe procedere ex cognitione futurorum contingentiũ ſub conditione: ſecus autem ex cognitione futurorum in ſtatu abſoluto; in hanc ſententiam inclinare Molinam *circa iſtum articulum*, docet Atrubal *vbi infra.* Tertia defendit ex nullius futuri cognitione per ſe Verbum procedere. Hanc tuentur communiter noſtri Thomiſtæ *in præſenti*, Caietanus, Bañez, Zumel, & Nazarius, eſtque apud recentiores Societatis frequentior, illam à fortiori ſequuntur Vazquez, Arrubal, Turrianus, & Alarcon, diſputatione præcedenti pro prima, & ſecunda ſententia relati. Et ex illis, qui noſtræ ſententiæ adhæſere Suarez *lib.* 9. *de Trinitate cap.* 7. Granadus *trac.* 9. *diſp.* 7. & Meracius *vbi ſupra relatus.* Pro cuius explicatione ſit prima concluſio.

Verbum diuinum quoad ſuam intrinſecam entitatem non procedit per ſe ex cognitione libera futurorum; & conſequentèr abſolutè dicendum eſt, non procedere ex illa.

2 *Prima pars prob. manifeſtè.*

Primam concluſionis partem probo manifeſta, & mihi euidenti ratione. Etenim ex illius obiecti cognitione Verbũ per ſe quoad ſuam entitatem procedit, quæ ſi auferretur, vel non maneret Verbum entitatiuê, vel non eſſet eiuſdem entitatis; at etiam ſi deeſſet, vel non fuiſſet in Deo cognitio libera futurorum, diuinũ Verbum eiuſdem omnino invariatæ entitatis manſiſſet: ergo per ſe in quarto modo, ex cognitione libera futu-

rorum nequit quoad suam entitatem procedere. Discursus est euidens. Maior omnino certa: nam illud dicitur per se in quarto modo, quod per se exigitur tanquam principiũ, hæc autem perfeitas non alia ratione explicari potest, aut probari, nisi quia si tale principium deficeret, deficeret etiam id cuius est principiũ: ergo ea solum cognitio erit, per se in quarto modo, principium Verbi, quoad suam entitatem, ex cuius negatione inferatur, vel defectus entitatis Verbi, vel illius entitatiua variatio. Minor autem, non minus manifesta videtur, & ostenditur primo ex Anselmo *in monologio cap. 30.* illis verbis: *Siue igitur Deus cogitetur nulla alia existente essentia, siue alijs existentibus, necessum est Verbum illius coæternum illi esse cum ipso.* Et cap. 31. ibi: *Si nihil vnquam aliud esset nisi sumus ille spiritus, ratio tamen cogit Verbum illud, quo se dicit, ex necessitate esse*, vbi vt clare constat, sentit Anselmus, quod etiam si nihil esset futurum nisi solus Deus, Verbum diuinum omnino invariatum quoad suam entitatem mansurum; at si nihil esset ad extra futurũ, nullius futuri cognitio esset in Deo: ergo ex ablatione liberæ cognitionis diuinæ, nec sequitur ablatio Verbi, nec illius variatio entitatiua colligitur. Secundo suadetur: nam Verbi diuini entitatiua variatio est omnino impossibilis; cum Verbum sit immutabile, mutaretur autem, seu mutabile esset, si entitatiuè variaretur, aut variabile esset quoad suam entitatem intrinsecam; at defectus, seu non existentia scientiæ liberæ Dei, possibilis est: ergo ex defectu, seu non existentia liberæ cognitionis diuinæ, qua cognoscit futura, non sequitur per locum ab intrinseco defectus entitatiuus Verbi, aut illius variatio entitatiua.

3 *Euasio prima.*

Respondebis primo: scientiam liberam esse etiam quoad suam entitatem omnino indefectibilem, etsi quoad terminationem defectibilis sit. Sed contra: nam Deus non dicitur cognoscens futura per entitatem solum illius cognitionis, sed per illam vt libere terminatam ad creaturas futuras: ergo etsi procedat ex entitate cognitionis liberæ, dummodo non procedat per se ex illa, vt libere terminata ad futura, non saluatur Verbum per se procedere quoad suam entitatem ex cognitione libera futurorum. *Præcluditur.*

Respondebis secundo: cognitionem liberam etsi potuerit non esse absolutè, ex suppositione tamẽ quod fuerit ab æterno in Deo, non posse non esse, & implicare quod non sit ex hac suppositione; ac proinde, etsi Verbum quoad suam entitatem sit necessarium, posse ex tali cognitione per se procedere. Sed contra: non existentia, seu variatio entitatis in Verbo est impossibilis impossibilitate absoluta, variatio autem, seu non existentia liberæ terminationis cognitionis diuinæ ad futura, est impossibilis solũ ex suppositione; at id cuius non existentia est absolutè impossibilis, nec per se pendere, nec per se connecti potest cum eo, cuius non existentia solum est impossibilis impossibilitate ex suppositione: ergo entitas Verbi diuini nequit per se ex libera cognitione procedere. *Secũda euasio.* *Præcluditur.*

Dices: ex his solum concludi entitatem Verbi non posse procedere ex cognitione libera, perfeitate absoluta, non autem quod non per se procedat ex illa, perfeitate ex suppositione. Auctores autem contrarij non videntur primum potuisse intendere, sed solum secundum, scilicet quod ex suppositione quod Deus decreuerit futura producere, & consequenter illa cognouerit, Verbum per se petat procedere ex cognitione illorum. Sed contra primo: nam implicat aliquid ex se non dependés ab aliquo, aut ab intrinseco non cõnexum cum illo, ex suppositione aliqua ab illo per se dependere, aut cũ illo intrinsecè connecti quoad suam entitatem, nisi noua entitas addatur ex tali suppositione; at Verbo diui- 4 *Solutio quæ vrgeri potest.* *Impugnatur.*

no ex suppositione liberæ cognitionis, quæ potuit absolute non esse, nõ additur entitas noua, sed solum noua terminatio: ergo cum ex se absolutê non pendeat à cognitione libera, nec cum illa ab intrinseco connectatur quoad suam entitatem, implicat omnino intelligere, quod ex tali suppositione, quoad suam entitatem, à libera cognitione dependeat, aut cum illa connectatur; & consequenter quod per se ab intrinseco, entitatiue ex illa procedat.

Impugnatur 2.

Contra secundo: processio Verbi quoad suam entitatem est prior decreto libero; & consequentêr præcedit scientiam visionis decreto posteriorem, & illi innitentem: ergo nequit per se ex scientia libera procedere, perfectate orta ex suppositione quod sit scientia libera in Deo. Cõsequentia est euidens, antecedens autem ostenditur primo: nam id à *quo* non valet consequentia ad aliud, est prius illo prioritate subsistendi consequentia, & consequentêr prius secundum rationem, sicut animal est prius homine hac prioritate: quia non valet, *est animal: ergo homo*, & essentialia in Deo sunt priora notionalibus hac prioritate: quia non valet, *est Deus omnipotens, &c. ergo Pater, vel Filius, &c.* Filius enim Deus est; & non Pater, & Pater Deus est, & non Filius; at non benê valet, *est processio diuini Verbi quoad suam entitatem: ergo est decretũ liberum, & scientia visionis futurorum*, cum antecedens necessariũ sit, & consequens contingens: ergo processio Verbi quoad suam entitatem prior est decreto libero, & scientia visionis.

5 *Non procedere ex scientia futurorũ in statu conditionato demonstratur.*

Et ex his demonstratum relinquimus, non posse diuinum Verbum quoad suam entitatem per se procedere ex scientia futurorum contingentium in statu conditionato. Tũ, quia in vera sententia scientia conditionatorum est omnino libera, & decretum liberum non minus supponẽs quam scientia futurorum in statu absoluto. Tum etiam: nam ex scientiæ mediæ professoribus quidã contingentem, alij liberam libertate obiectiua illam vocãt, ac tandem omnes etsi mediam appellent, fatentur potuisse Deo non conuenire formaliter; at Verbum quoad sui entitatem omnino necessarium nequit per se procedere ex cognitione contingenti, aut libera, aut quomodocumque vocetur, quæ potuit Deo non conuenire: ergo ex scientia futurorum conditionatorum nequit diuinum Verbum quoad suam entitatem per se in quarto modo procedere.

Ex his etiam secunda pars conclusionis manifeste colligitur: Verbum enim absolutê acceptum supponit pro secunda persona, vt subsistente cum solis perfectionibus sibi essentialibus, non enim supponit pro illa vt libere terminatur ad extra, sicut scientia visionis, quæ significat Dei cognitionem, secundum terminationem liberam ad creaturas futuras; at prout sic acceptum non procedit per se in quarto modo ex notitia libera creaturarum: ergo esto secundum liberam terminationem ab illa procedat, dicendum non est absolutê, Verbum diuinum per se ex cognitione futurorum procedere.

6 *Secũda pars cõclusionis manifestè colligitur.*

(*)

***

[*✠*

***

§. II.

Obiectionibus in contrarium occurritur.

7 *Obijciunt contrarij.*

CONtra istam conclusionem obijciunt: Verbum per se in quarto modo petit procedere ex notitia comprehensiua essentiæ ; at hæc supposito decreto de creaturis futuris per se petit terminari ad illa: ergo tali decreto supposito , Verbū quoad suam entitatem petit per se in quarto modo ex illorum notitia procedere. Maiorem sæpè dedimus. *Minor prob. 1.* Minor autem probatur primo: nam comprehensio est cognitio obiecti, & omnium, quæ in illo possunt, & debent cognosci; at supposito decreto de existētia futurorum, possunt creaturæ futuræ in diuina essentia cognosci : ergo tali decreto supposito petit comprehensio essentiæ ad illa terminari.

Secūdo. Secundo : si decreto supposito cognitio diuina nō terminaretur ad futura, non esset infinita cognitio, vt pote non attingens omne cognoscibile, & consequenter non esset comprehensio essentiæ diuinæ , quæ ad sui adæquationem, cognitionem infinitam exposcit : ergo de ratione cognitionis comprehensiuæ essentiæ est terminari ad futura, decreto supposito de existentia illorum.

Confir. Quod amplius confirmare possumus: ex eo namque per se in quarto modo procedit Verbum quoad suam entitatem, ex cuius negatione per locum ab intrinseco infertur defectus, aut variatio entitatis in Verbo; at ex negatione liberæ cognitionis futurorum, decreto supposito, infertur defectus, aut variatio entitatis in Verbo : ergo per se in quarto modo procedit ex notitia futurorū, non perfeitate absoluta, sed ex suppositione decreti. Probatur minor: si supposito decreto non esset in Deo libera futurorum cognitio, Dei scié tia infinita non esset: ergo nec Verbum ex illa procedens foret infinitum; & consequenter ex tali negatione decreto supposito , euidenter infertur defectus, aut variatio entitatis Verbi diuini, de cuius essentia infinitas est.

8 *Resp.* Respondeo, distinguendo maiorem : ex notitia comprehensiua essentiæ pro priori prædicatorum essentialium, & necessariorū, concedo maiorem: ex notitia comprehensiua essentiæ pro omni priori formalitatum contingentium, nego maiorem, loquendo de Verbo quoad entitatem, & quoad prædicata sibi necessaria, & distinguo minorem : petit in illa suppositione per se terminari ad futura pro priori prædicatorum, quæ necessaria sunt, nego minorem: pro priori prædicatorum cō tingentium, concedo minorem , & nego consequentiam: quia Verbum quoad suam entitatem, quæ necessaria est, in omni suppositione eandem habet exigentiam : vnde prout sic in omni suppositione petit procedere ex cognitione comprehensiua essentiæ prout terminata ad illam secundum essentialia & necessaria prædicata tantum: non secundum formalitates contingentes, quæ absolutè potuerunt non esse.

Ad 1. probationem. Ad primam probationem minoris, quatenus contra solutionem istā potest obstare , respondetur distinguendo minorem: possunt in illa suppositione cognosci futura in essentia secundum prædicata necessaria, nego minorem : secundum liberam, & contingentem terminationem decreti, concedo minorem , & distinguo consequens: comprehensio essētię pro priori essentialium, nego con-

se-

sequentiam: pro posteriori formalitatum contingentium, concedo consequentiam. Ad secundam, concesso antecedenti, distinguendum est cõsequens; petit terminari ad illa pro priori essentialium, & necessariorũ, nego consequentiam: pro posteriori contingentium, concedo consequẽtiam.

Ad 2.

9 *Replic.* Si dicas: quamuis essentialia sint priora notionalibus, possunt tamen, & debent notionalia cognosci pro priori prædicatorũ essentialiũ, vt sæpius diximus disp. 89. eo quod in eodem instanti coexistunt: ergo etiam si formalitates necessariæ, sint priores formalitatibus contingentibus, aut liberis Dei, poterunt tamen pro priori essentialium, aut necessariorum cognosci, quia etiam in eodem nunc, & instanti coexistunt; & consequenter comprehensio essentiæ pro priori essentialium, poterit, & debebit decreta cognoscere ex suppositione quod sint. Ex quo vlterius sequitur, Verbum diuinum ex illorum cognitione procedere.

Resp. Respondeo, negando illam esse adæquatam causalem, sed insuper ex eo quod notionalia cum essentialibus essentialem habent connexionẽ; ac proinde in essentialibus possunt notionalia pro priori essentialium cognosci, vt in medio essentialiter cum illis connexo; quo circa etiam creaturæ possibiles pro priori essentialium cognoscuntur à Deo; quia etsi extra essentiam sint respectu Dei, sunt tamen essentialiter cum prædicatis essentialibus eius connexæ; decreta autem libera, nec sunt pro priori necessariorum, nec ista connectuntur necessario cum illis ex vi talis prioritatis: vnde Dei cognitio vt ad illa pro tali prioritate, terminata nequit ad libera decreta transire; & consequenter, nec ad futura, quæ in decreto libero debent cognosci.

10 *Ad cõf.* Ad confirmationem argumenti principalis, respondeo, distinguendo maiorem; ex cuius negatione sequitur defectus, aut variatio in Verbo, nulla facta suppositione libera, concedo maiorem: facta libera suppositione, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Quæ solutio constat ex probatione nostræ conclusionis.

Dices. Si dicas: id ex cuius variatione infertur variatio in Verbo, nulla facta suppositione, per se in quarto modo requiritur ad esse Verbi perfeitate absoluta: ergo id ex cuius negatione sequitur variatio in Verbo facta aliqua suppositione, per se exigitur ad eius productionem, perfeitate non absoluta, sed ex suppositione.

Resp. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: quia id ex cuius negatione sequitur variatio Verbi absolutè, pertinet ad prius prædicatorum necessariorum; id autem ex cuius negatione solum sequitur variatio in Verbo facta libera suppositione, non ita; Verbum autẽ solum potest quoad suam intrinsecã entitatẽ per se in quarto modo procedere ex cognitione illorum, quæ pertinẽt *ad prius* prædicatorum nõ contingentium, ob rationẽ iam traditam, & idcirco procedit ex cognitione omnium, quæ necessario competunt Deo: secus autem ex cognitione illorum, quæ contingentẽr solum, vel libere se habent ad illum.

***

§. III.

Quid dicendum de Verbo sub conditione libera resoluitur.

11 *Secunda cõclusio.*

SEcunda conclusio: *Verbum sub conceptu liberæ terminationis, repræsentantis creaturas futuras, per se in quarto modo ex illarum cognitione procedit.* Conclusionem istam etsi non exprimant nostri Thomistæ, iudico tamen illorum menti non aduersari, quia illius oppositum expresse non docent. Tum etiam, quia illorum rationes solam primam conclusionem conuincunt, cum sumantur ex eo quod Verbum necessarium sit, & illius processio similiter, id vero quod necessarium est, cum libero, qualis est futurorum cognitio, connecti non potest. Quæ ratio conuincit de Verbo secundum entitatem, non secundum liberam repræsentationem; cum solum secundũ priorem conceptum necessarium sit. Tum tertio: nam Salmanticenses fidelissimi D. Thomæ discipuli, qui nec per latum vnguem semitam declinasse inueniuntur, in hanc nostram conclusionem vehementer inclinãt; vt manifestum fiet considerãti tituli explicationem dubij relati, & argumentorum solutiones. Denique, & præcipuè; quia oppositum nostræ assertionis nunquam in Angelico Doctore inuenitur, imo illam satis insinuatam reperio in Verbis disp. præcedenti pro tertia conclusione relatis, quibus docet. Tum omnem creaturam dici Verbo diuino. Tum, Patrem cognoscendo omnes creaturas Verbum concipere, quæ duæ propositiones cum sint vniuersales, aptius explicantur si Verbum ex futurorum cognitione dicamus procedere secundum quod illa repræsentat de facto, quam si ad creaturas tãtum possibiles illas restringam°, maximè cum ex hoc nullum inconueniens sequatur, vt manifestum fiet soluendo contraria argumenta: cum ergo planum sit, nec Doctori Angelico aduersari, imò potius congruere, nec à communi nostrorum Thomistarum doctrina positam conclusionem discedere, illam tutari, ac defendere possumus, omni pulsa formidine.

12 *Prob. 1. ex Aug.*

Illam igitur ostendo primo ex Parente Augustino *lib. 15. de Trinitate cap. 14.* vbi eam tradidisse videtur illis verbis: *Proinde tanquã se ipsum dicens Pater genuit Verbum, sibi æquale per omnia, non enim se ipsum integrè, perfectequè dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius Verbo, quam in ipso, ibi summè illud agnoscitur, est, est, non, non; & ideò Verbum hoc verè veritas est, quia quidquid in ea scientia, de qua genitum est, & in ipso est, quod autem in ea non est, nec in ipso est.* Et paucis interpositis: *Nouit itaque Deus Pater in se ipso, nouit in Filio, sed in se ipso tanquam se ipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in ipso; omnia similiter nouit & Filius, in se scilicet tanquam ea quæ sunt nata de his, quæ Pater nouit in se ipso, in Patre autem tanquam ea, de quibus nata sunt, quæ ipse Filius nouit in se ipso.*

13 *Deducitur prima ratio*

Ex quibus sic infero primo: quid quid in Filio est, est in scientia de qua genitus est; at in Filio est cognitio libera, & libera repræsentatio futurorum: ergo hoc ipsum est in scientia, de qua natus est; & consequenter ex scientia Patris ad futura terminata procedit per se, non quidem secundum entitatem suam, quæ necessaria

est,

est, sed secundum futurorũ repræsentationem, quæ est libera.

14 *Deducitur 2.* Secundo: Verbum per se procedit ex cognitione illorum, quæ Pater in illo, vt in Verbo cognoscit; at Pater omnia in Filio, vt in Verbo cognoscit, teste Augustino *loco allegato*, vbi cum dicat omnia, non est cur restringatur ad possibilia, & ad futura non debeat extendi: ergo Verbum sub aliqua ratione per se ex illorum cognitione procedit. Maior patet ex dictis *disp.* 88. *conclusione* 1. vbi ostendimus de ratione Verbi si propriè accipiatur esse, non solum quod repræsentet, sed etiam quod ab alio exprimatur: ergo sub omni ratione qua Verbum est, debet esse expressum ab alio; & consequentêr si est Verbum respectu omnium, quæ Pater in illo cognoscit, etiam futurorum, prout sic debet esse expressum à Patre, & ex illius scientia procedens; cum autem vt sic nequeat ex scientia simplicis notitiæ procedere, aliàs excederet scientiam ex qua procedit, cum illa ad possibilia terminetur, Verbum autem vt Verbum repræsentet futura, consequens est quod debeat ex scientia futurorum procedere.

Tertio. Tertio: omnia quæ Filius in se ipso cognoscit, cognoscit tanquam nota de his, quæ Pater novit in se ipso, vt docet Augustinus; at Filius cognoscit in se ipso futura: ergo tanquam nota, non in esse rei, de his quæ Pater cognoscit in se; & consequenter Filius quatenus repræsentat futura ex illorum libera cognitione procedit.

15 *Prob. 2. principaliter cõclusio* Secundo principaliter suadetur conclusio: Verbum prout liberè repræsentat futura procedit à Patre; at non ab illo tanquam necessario cognoscente possibilia per simplicẽ notitiam: ergo vt liberè cognoscente futura. Discursus tenet, minor certa videtur. Tum, quia Verbum procedit à Patre vt loquente, & consequenter quatenus cognoscente, alias loqueretur de incognitis, quod est absurdum: per scientiam autem simplicis intelligentiæ, qua cognoscit possibilia, non cognoscit formaliter futura. Tum etiam: nam ex scientia Patris prout præcisse ad Filium terminata non potest procedere Verbum quatenus repræsentat Spiritum Sanctum, & ê contra: ergo nec ex scientia purè possibilium potest Verbum procedere quatenus repræsentat futura. Tum denique: nã ex scientia Patris prout ad vnum attributum terminata precisse non potest procedere Verbum quatenus est repræsentatiuum alterius: ergo ex scientia quatenus terminata ad creaturas possibiles non potest procedere Verbum quatenus repræsentat futura: nam licet possibilia, & futura sint eadem, status tamẽ sunt differentes.

16 *Maior prob. 1.* Maior etiam ostenditur primo: Verbum quatenus liberè repræsentat creaturas futuras, est propriè Verbum; at de ratione Verbi, accepti proprie, est quod repræsentet, & ab alio procedat, vt vidimus *disput.* 88. *conclusione* 1. ergo prout liberè repræsentat futura procedit à Patre. *Secũdo.* Secundo: Verbum quatenus repręsentat futura est terminus loquutionis Paternæ; at de ratione termini loquutionis, est quod à loquente procedat: ergo quatenus repræsentat futura à Patre procedit.

Tertio. Tertio: nam Verbo conuenit libera repræsentatio, & libera cognitio futurorum; at nõ conuenit illi à se, sed à Patre: quia quod habet Filius habet à Patre, iuxta illud Ioãnis 17. cap. *omnia mea tua sunt*, ideſt, à te communicata, & illud: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me*: ergo quatenus libere repræsentat, & cognoscit futura procedit à Patre.

17 *Responsio prima.* Respondebis primo: conuenire Filio à Patre, non formaliter ex vi processionis, sed concomitanter solum: ad quod non requiritur vt ex scientia libera futurorum procedat, quatenus repræsentat futura. *Reijc.* Sed contra: nam Filio ex vi processionis formalis solum conuenit natura diuina non attributa, cum illa sola

sit

sit primarius terminus, & formalis diuinæ generationis; & tamen non procedit per se solum ex cognitione essentię, sed etiam ex cognitione attributorum: ergo quamuis libera repræsentatio futurorum competat illi, non ex vi processionis primario, & formaliter, sed secundario, debebit tamen ex cognitione sui, vt repræsentantis futura, procedere: cum que prout sic absque futuris cognitis cognosci non possit, per se ex illorum cognitione procedet.

18 *Dices.* Dices: attributa communicari Filio ex vi processionis secundario saltim, & id circo procedere ex cognitione illorum, at vero repræsentatio libera futurorum concomitanter solum, & veluti per accidens cõpetit Verbo ex vi processionis, nullo modo per se, nec primario, nec secundario, & ideò non procedit ex cognitione sui vt liberè repræsentat futura.

Cõtra 1. Sed contra primo: nam ex hoc quod repræsentatio libera non communicetur Filio per se, sed per accidens, hoc est, taliter quod potuerit non communicari, solum sequitur taliter per cognitionem ex qua procedit cognosci, quod potuerit non cognosci, non autem quod nullatenus attingatur per illam, secundum quod libere repræsentat futura: ergo ex hoc, solum sequitur potuisse non procedere ex cognitione sui, quatenus repræsentat futura, casu in quo Pater illa non cognouisset, non autẽ quod de facto non procedat ex tali notitia, secundum quod de facto liberê repræsentat futura.

Cõtra 2. Secundo: quod communicatur Verbo per se, etsi secundario, debet per se in cognitione, ex qua procedit præcontineri: ergo quod secundario, & liberê ei cõmunicatur, debet libere attingi per cognitionem ex qua Verbum procedit; & consequenter licet Verbũ per se secundum suam entitatem nõ procedat ex cognitione libera futurorum, bene tamen prout libere repræsentat futura, & illa cognoscit.

19 *Responsio secunda ex Suarez* Respondebis secundo ex Suarez, liberam repræsentationem futurorum communicari Filio in radice, quatenus ei communicat scientiam necessariam, qua, decreto supposito, cognoscit futura, non autem communicari à Patre formaliter, & ad secundum modum communicationis, necessarium non est, quod ex libera futurorum cognitione procedat.

Sed contra primo: ex iã dictis arguitur, Filius enim quatenus liberê repræsentat futura est Verbum illorum; at de ratione Verbi est, vel ex specie impressa, vel ex cognitione sui obiecti procedere: ergo procedit ex cognitione libera, & libera repræsentatione, non solum in radice, sed etiam in se ipsa communicata à Patre formaliter. Secundo: repræsentatio possibilium est communicata Filio à Patre formaliter, & non solum in radice, esto prius intelligatur illi communicata cognitio illorum, quæ formaliter competunt Deo, vt fatetur Suarez vbi disputatione præcedenti relatus: ergo pariter, etsi prius intelligatur illi cõmunicata scientia possibilium, in qua radicaliter scientia libera futurorum præcontineatur, hæc tamen se ipsa debet communicari à Patre formaliter.

20 *Tertio principaliter prob. cõclusio.* Tertio principaliter suadetur conclusio: ex illa cognitione procedit Verbum quoad suam entitatem per se in quarto modo, qua per impossibile ablata, vel non maneret Verbum, vel saltim non maneret eiusdem entitatis: ergo pariter ex illa cognitione Verbum, vt futura repræsentans, per se in quarto modo procedit, qua non existente, Verbũ non repræsentaret futura; at si Pater non cognosceret creaturas futuras, non procederet Verbum illas repræsentans de facto: ergo per se in quarto modo procedit ex cognitione illarum sub conceptu libere terminationis ad illa.

21 *Prob. 4. cõclusio* Quarto suadetur: Pater quatenus cognoscit futura, est productiuꝰ

Verbi; at non alterius ab iſto diſtinCti, cum tale Verbum impoſsibile ſit, nec iſtius ſecundum entitatem, vt cõſtat ex dictis in prima concluſione: ergo iſtius Verbi quatenus repræſẽtat, & libere cognoſcit futura. Diſcurſus eſt euidens. *Maior prob. 1.* Maior in qua eſt difficultas probatur ſic primo: non ſolum ſpecies rei poſsibilis, ſed etiã ſpecies rei præſentis fœcundat intellectum creatum ad producendũ Verbum: ergo pariter non ſolũ cognitio rerum poſsibilium, ſed etiam cognitio futurorum fœcundat intellectum diuinum ad producendum Verbum. Patet conſequentia: nam ſicut intellectus creatus fœcundatur per ſpeciem ad productionem Verbi, ita intellectus Patris fœcundus per intellectionem conſtituitur ad Verbi productionem. *Secũdo.* Secundo: intellectus Patris quatenus poſsibilia cognoſcit, eſt fœcundus ad Verbi productionem: ergo etiam quatenus intuetur futura, eſt ad Verbi productionẽ fœcundus. Patet conſequentia à paritate rationis.

22 *Prima euaſio.* Reſpondebis primo: cognitionem poſsibilium eſſe productiuam Verbi, quia neceſſaria eſt, & id circo ad Verbi neceſſarij productionẽ concurrere poteſt; cognitio autem futurorum eſt libera, & id circo nequit ad Verbi productionem concurrere. *Præcluditur 1.* Sed contra primo: nam ex libertate cognitionis diuinæ ſolum colligitur non concurrere per ſe ad id quod in Verbo neceſſarium eſt; at etſi illius entitas ſit neceſſaria, terminatio tamen ad creaturas futuras eſt libera: ergo ſolum colligitur non eſſe productiuam Verbi ſecundum entitatem, non vero non eſſe productiuam Verbi ſecundum liberam repræſentationem. *Secũdo.* Secundo, non repugnat proceſſioni diuinæ, quod libera ſit: ergo ſi vt cognoſcitiuus cognitione neceſſaria eſt productiuus Verbi, neceſſaria proceſsione, vt intellectiuus, intellectione libera erit productiuus Verbi proceſsione libera. Antecedens probatur, non obſtante quod ſcientia ſit diuinum attributum, poteſt eſſe neceſſaria ſub vna ratione, & ſub alia formalitate libera: ergo non obſtante, quod proceſsio ſit aliquid exiſtẽs in Deo, poterit eſſe libera ſub vna ratione, & ſub alia neceſſaria.

23 *Dices.* Dices, ſcientiam Dei eſſe liberã, quia terminatur ad extra ad obiectũ non neceſſario connexum cum Deo, proceſsio autem cum habeat terminum intra Deum, non poteſt eſſe libera vllo modo, nec entitatiue, nec terminatiuè. *Contra.* Sed contra: terminus proceſsionis diuinæ eſt Verbum vt repræſentatiuũ; at Verbũ diuinũ eſt repræſentatiuum poſsibilium neceſſario, & liberè futurorum: ergo diuina proceſsio eſſe poterit neceſſaria quatenus terminatur ad Verbum vt repræſentatiuum eſt poſsibilium, & libera quatenus terminatur ad Verbum vt repræſentat futura.

24 *Euaſio ſecunda* Reſpondebis ſecundo principali argumento, ſcientiam poſsibilium eſſe vt *quo* fœcundam, quia Verbum non ſupponit productum, ſciẽtia autem futurorum, cum decretum ſupponat, quod eſt à tribus perſonis, iã ſupponit Verbum productum, & id circo non eſt fœcunda ad Verbi productionem. *Præcluditur.* Sed contra primo: nam licet ſcientia libera ſupponat Verbũ productum ſecundum entitatem, & omnia neceſſaria, non tamen illud productum ſupponit ſecũdum quod liberè repræſentat futura: ergo etiã ſit principiũ Verbi ſub priori ratione, erit tamẽ fœcundũ vt *quo* ad illius productionem ſub alia. Conſequentia tenet ad hominem contra Suarez, qui *cap. 6. num. 13.* fatetur, quod quamuis ſcientia Dei prout ad eſſentiam terminata ſit prior ſe ipſa prout terminatur ad creaturas poſsibiles, & pro illo priori Verbum producat, quatenus repræſentat eſſentiam poſſe ex terminatione diuinæ ſcientiæ ad creaturas poſsibiles Verbum procedere, quatenus eſt repræſentatiuum illarum, quia prout ſic per priorem cognitionem non ſupponitur productum: ergo pari ratione ſi Verbum vt repræſentat libere creaturas futuras non

ſup-

ſupponitur productum ad liberam cognitionem illarum, poterit prout ſic ex tali cognitione procedere, etſi ſub alia ratione præcedat. Antecedens autem oſtenditur ex Suarez doctrina; etſi Verbum quatenus repræſentat eſſentiam ſit prius ſcientia poſsibilium, non tamen illam præcedit quatenus repræſentatiuum eſt poſsibilium: ergo ſimiliter quamuis Verbum ſub omni formalitate neceſſaria ſcientiam liberam futurorum præcedat, non tamen præcedit illam ſub ea ratione, qua libere repræſentat futura.

25 *Secũdo.* Secundo: Verbum quatenus repreſentat futura eſt terminus dictionis Paternæ; at dictio vel in cognitione conſiſtit eiuſdem obiecti, quod dicitur Verbo, vel ex eiuſdem obiecti cognitione procedit in Deo, vt fatetur Suarez, & oſtendimus *q. 27. diſp. 71.* ergo prout ſic ſcientiã futurorũ in Patre ſupponit; & conſequenter ex hoc capite non repugnat illi ex tali cognitione procedere. Probo maiorem primo ex Anſelmo *in monologio cap. 32.* vbi ait: *Vno igitur, eodemque Verbo Pater dicit ſe ipſum, & quæcumque fecit*; at illa quæ fecit purè poſsibilia non ſunt: ergo Verbum quatenus repræſentat præterita, & futura eſt terminus dictionis paternæ. Secundo ex D. Thoma *infra quæſt. 37. art. 2. ad 3.* vbi docet, quod ſicut Pater dicit ſe, & omnem creaturam Verbo quod genuit, ita diligit ſe, & omnem creaturam Spiritu Sancto: ergo ſicut diligit creaturas Spiritu Sancto, ita dicit Verbo creaturas; at iuxta receptam D. Thomæ ſententiam, Pater non diligit creaturas poſsibiles Spiritu Sancto, cum illas nullo modo diligere, ſit frequẽtior Thomiſtarum ſententia, de quo *ſupra quæſt. 19.* ſed ſolum diligit creaturas futuras: ergo Verbo à ſe genito dicit Pater creaturas futuras; & conſequenter quatenus liberè repræſentat creaturas eſt terminus dictionis Paternæ. *Tertio.* Tertio: Verbũ diuinum quatenus repræſentat creaturas futuras, vere & cum proprietate eſt Verbum illarum, vt diximus ſæpè; at omne Verbum eſt terminus per dictionem expreſſum: ergo prout ſic eſt termin⁹ dictionis Paternæ.

Denique tradita ſolutio reijcitur: Verbum diuinum à Patre audit creaturas futuras, vt conſtat ex illo Ioannis 8. capite: *Ex eo quæ audiui à Patre, hæc loquor in mundo*; & Pater docet Verbum de eiſdem creaturis, vt conſtat ex illis verbis eiuſdem capituli: *Sicut docuit me Pater, hæc loquor*; at ille qui docet, & loquitur, ne ignoranter hæc faciat, debet præcognoſcere obiecta, quæ docet, & loquitur: ergo Pater libere cognoſcit futura prius priori ad Verbum, quatenus libere repræſentat illa, & conſequenter poterit prout ſic ex illorum notitia procedere. 26

§. IV.

Diluuntur contraria argumenta.

COntra iſtam concluſionem opponit Suarez primo: proceſsio Verbi quatenus eſt productio, eſt neceſſaria adæquatè: ergo ſub nulla ratione non neceſſaria terminatur ad Verbum; & conſequenter Verbum quatenus libere repræſentat futura, non procedit à Patre ex notitia libera illorum. Antecedens non probat, ſed vt clarum relinquit, probari autem poteſt primo: nam productio terminatur ad eſſe; at in Verbo nulla datur entitas libera ſub conceptu entitatis: ergo proceſsio diuina quatenus eſt produ- 27 *Arguit Suarez primo.*

ctio, adæquatê eſt neceſſaria, & nulla tenus libera. Secundo probatur: proceſsio diuina quatenus eſt generatio, adæquatê eſt neceſſaria: ergo quatenus dictio, ſeu realis Verbi productio adæquatê neceſſaria erit, & nullatenus libera. Tertio: nam ſi vt realis productio libera eſſet, ſequeretur aliquid ab æterno fuiſſe productum in Deo, quod poterit non eſſe productum; at hoc impoſsibile appareret; aliàs Deus potuiſſet aliter alietate reali intrinſeca ſe habuiſſe; & conſequenter mutatum eſſe, quod eſt abſurdum: ergo proceſsio Verbi quatenus eſt productio eſt neceſſaria adæquatê.

28 *Reſp.* Reſpondeo negando antecedẽs. *Ad 1. probat.* Ad primam probationem dicatur. productionem terminari ad eſſe, & ad omnem formalitatem diuinam, in qua clauditur eſſe, & quia in Verbo datur conceptus liberæ terminationis ad repræſentanda futura, qui ſub conceptu terminationis potuit non eſſe: ſecus autem ſub conceptu entitatis; fit conſequens, quod diuina productio terminetur ad illud neceſſario ſub ratione entitatis, & liberê ſub conceptu terminationis, in qua includitur, & imbibitur eſſe.

Ad 2. Ad ſecundam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: ratio autem diſcriminis eſt, quia generatio ſub hoc conceptu terminatur ad Filium, vt Filium, dictio vt dictio ad Verbum ſub ratione Verbi. Hoc autem eſt diſcrimen inter Verbum, & Filium; quod licet vtrumque ex eadem proprietate perſonali ſumatur, hoc tamen nomen *Filius* importat ſolum reſpectum ad Patrem, à quo habet naturam communicatam per generationem, & quia reſpectiuê ad Patrem neceſſario ſe habet, & nullatenus liberê; conſequens eſt, quod generationi, vt ſignificatur hoc nomine, nihil intrinſecum liberum correſpondeat; Verbum autem importat præter rationem dicti, rationem manifeſtaui, & quia alia neceſſario, alia libere manifeſtat; conſequens eſt, quod ſub vna ratione neceſſario, & ſub alia liberê procedat, ac proinde quod dictio non ſit neceſſaria adæquatê, bene tamen generatio. Videatur D. Thomas *quæſtione 4. de veritate articulo 5. ad ſecundum.*

Ad tertiam probationẽ dicatur, quod ſicut inconueniens non eſt actum liberum ſub conceptu intrinſecæ terminationis, taliter conuenire Deo, quod potuerit non conuenire ſub conceptu terminationis, quin ex hoc mutabilitas ſequeretur in Deo; quia ad hoc requirebatur quod potuiſſet Deo non conuenire ſub conceptu entitatis; ita ſimiliter nullum inconueniens apparet in eo, quod Verbum ſub conceptu repræſentationis intrinſicæ, ſeu intrinſecæ terminationis ad creaturas futuras, taliter fuerit productum, quod potuerit ſub illo conceptu productum nõ eſſe. Nec ex hoc ſequitur potuiſſe aliter ſe habere intrinſeca alietate, & mutatione; quia ad hoc requirebatur, quod potuiſſet non eſſe productũ ſub conceptu entitatis: ſed de hoc fuſius *ſupra quæſt. 19.* vbi de actu libero diuinæ voluntatis, & de illius conſtitutiuo tractauimus. 29 *Ad 3.*

Si dicas: productio diuina terminatur ad ſubſiſtens; at in Deo non datur libera ſubſiſtentia, aliàs eſſet aliqua perſonalitas, quæ poſſet non eſſe, quod abſurdum videtur: ergo nec dari poteſt aliquid libere terminans productionẽ. Reſpondeo, quod etſi non detur in Deo aliqua libera ſubſiſtentia, datur tamen aliqua formalitas ſubſiſtens, quæ potuit nõ ſubſiſtere in Deo, ſicut eſt formalitas intrinſeca terminationis liberæ actus voluntatis diuinæ; hæc enim reuera ſubſiſtit, & potuit non ſubſiſtere in Deo, ſi nihil ab æterno decreuiſſet, & huius conditionis eſt terminatio libera Verbi ad futura, quatenus illa repræſentat de facto; hæc enim liberê ſubſiſtit in Deo; & conſequentêr potuit non ſubſiſtere, & ad iſtam terminatur productio, non vt *quod*, ſed vt *quo*; terminus autem *qui* libere productus, eſt Verbum ſecundum 30 *Replic.* *Reſp.*

quod

quod in illa subsistit, sicut terminus necessariæ productionis est Verbum vt subsistens in natura, & prædicatũ necessarium in diuinis,

31 *Instabis*

Instabis: per productionem necessariam non solum producitur concretum subsistens, sed etiam subsistentia ipsa: ergo pariter per productionem liberam, si datur, non solum producitur Verbum liberè repræsentãs, sed etiam subsistentia Verbi; & consequenter dabitur libera subsistentia diuina, quod absurdum videtur, non minus quam concedere liberam perfectionem sub cõceptu perfectionis, seu entitatem liberam sub conceptu entitatis.

Resp.

Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: quia cum per productionem necessariam supponatur subsistentia producta, necessarium non est, quod per ipsam, quatenus liberam subsistentia libera producatur, sed quod subsistẽtia producta veluti extendatur ad terminandam formalitatem liberã, qua Verbum repræsentat futura.

32 *Secundo arguit Suarez*

Secundo arguit Suarez: fundamentum scientiæ liberæ est simpliciter posterius ratione quam productio Verbi: ergo à fortiori ipsa scientia libera, Verbi productionem supponit; & consequentêr ex illa non procedit. Vtraque consequentia vt certa ab illo supponitur. Antecedẽs autem probat fundamentum scientiæ visionis est decretum liberum voluntatis diuinæ, quo vult talem rem esse, aut illam permittit; at hoc decretum non intelligitur esse in Deo, donec Filius, & Spiritus Sanctus sint, & intelligantur producti, quia naturalia sunt priora liberis ratione, & subsistendi consequentia, processiones autem personarum sunt naturales, & decretum est liberum: ergo fũdamentum scientiæ liberæ est simpliciter posterius ratione.

33 *Resp.*

Respondeo, distinguendo antecedens: est posterius quam productio Verbi secundum entitatem, & formalitates eius necessarias, concedo antecedens: quam productio Verbi secundum formalitates liberas, nego antecedens, & sub eadem distinctione primi consequentis, distinguo secundum: illudque concedo de Verbo secundum entitatem, & formalitates necessarias: nego autem de Verbo secundum formalitates liberas. Nec amplius conuincit probatio antecedentis: decretum enim liberum, cui innititur scientia visionis, supponit quidem productionem Verbi secundum entitatem, & omnes formalitates necessarias, non autem supponit illius productionem quatenus liberam, vel ea ratione qua ad Verbum secundum formalitates liberas terminatur. Ex quo solum sequitur, Verbum secundum suam entitatem, quæ necessaria est, non posse ex scientia libera futurorũ procedere, quod libenter fatemur, & ostendimus in prima conclusione; non autem quod secundum formalitatem liberam ad creaturas, non procedat ex illa.

34 *Obijcies*

Obijcies: vt Verbum sub formalitate liberæ repræsentationis ex scientia libera creaturarum procedat, deberet hæc scientia prius origine Patri, quam diuino Verbo competere; at hoc est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Maior est euidens, sicut & consequentia. Minor autem probatur: decretum cui innititur scientia non conuenit prius Patri, quã Filio, sicuti nãque actiones ad extra sunt toti Trinitati communes: ita decreta libera indiuisa sunt, & communia toti Trinitati; ac proinde non prius vni personæ, quam alteri personæ conueniunt: ergo scientia libera innitens decreto, non conuenit prius Patri, quam Filio, & consequenter Verbum vt futura cognoscens, & illa repræsentans, non procedit ex illorum notitia.

35 *Resp.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, distinguo antecedens: prioritate *in quo*, concedo antecedens: prioritate *à quo* originis, nego antecedens, & distinguo consequens eodem modo. Itaque sicut non obstante quod omnipotentia,

ſcientia, & alia attributa æqualiter conueniant tribus perſonis, quantũ ad perfectionem, & durationẽ, prius tamen prioritate à *quo* originis cõueniunt Patri, quã Filio, & vtrique, quam Spiritui Sancto; ita ſimiliter, quamuis decreta libera, & actiones ad extra æqualiter quoad perfectionem, & durationem conueniant tribus perſonis, non tamen equẽ primo æqualitate originis, ſed prius à *quo* origine Patri, quam Filio, & Filio quam Spiritui Sancto conueniant. In quo nullum inconueniens reperio: imõ ita eſſe neceſſario dicendum noſtris argumentis conuincitur, vt ſaluetur, quidquid habet Filius à Patre communicatũ habere, & quidquid habet Spiritus Sanctus à Patre, & Filio ei communicari.

36 *Sed inſtabis 1.* Sed inſtabis primo: vt Filius ex ſcientia libera futurorum procederet, deberet Pater pro priori originis decretum liberum, & ſcientiam liberam Filij, & Spiritus Sancti cognoſcere. Tum, quia non aliter communicari poſſunt à Patre decretum, & ſcientia libera, niſi illa cognoſcẽdo. Tum etiam, quia decretũ, prout à tribus perſonis eſt medium cognitionis futurorum; at Pater pro priori originis ad communicationẽ decreti factam Filio, & Spiritui Sancto, non poteſt decretum vt ab illis cognoſcere: ergo Filius ex ſcientia libera futurorum nõ procedit. Probo minorem: Pater pro priori eſſẽtialium non poteſt cognoſcere propria decreta, vt diximus in præcedenti diſputatione: ergo pro priori originis ad decretum vt communicatum Filio, & Spiritui Sancto, nequit decretum vt ab illis cognoſcere.

37 *Secũdo.* Inſtabis ſecundo: ſi Pater pro priori originis ad Verbum ſecũdum liberam formalitatem cognoſcẽtis, & repræſentantis futura decerneret exiſtentiam illorum, tale decretum non eſſet liberum Filio, & Spiritui Sancto; conſequens eſt abſurdum: ergo & illud ex quo ſequitur. Patet ſequela: decretum in Patre pro priori à *quo* reſpectu Filij, non eſſet in libera Filij poteſtate, nec in poteſtate Spiritus Sancti; at ſuppoſito decreto in Patre, neceſſarium eſt Filium, & Spiritum Sanctum decernere: ergo non liberè, ſed neceſſario decernerent, neceſsitas namque ex aliquo non exiſtente in poteſtate noſtra libertatem euertit.

38 *Reſp. ad 1. obiectionẽ.* Reſpondeo ad primam ex his obiectionibus, conceſſa maiori, negãdo minorem: ad illius probationẽ, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt: nã pro priori eſſentialium nihil datur infallibiliter cum decreto connexum, & ideõ pro tali priori decretum liberum cognoſci non poteſt; at vero pro priori à *quo* originis ad communicationem decreti factam Filio, exiſtit decretum in Patre neceſſario connexum cum decreto, vt Filio, & Spiritu Sancto communicato: & idcircõ poteſt pro illo priori decretum, prout ab illis cognoſci, & in illo ſic cognito cognoſci futura, ſicut pro priori à *quo* Filij, Filius intuitiuẽ cognoſcitur, & ſimiliter pro priori originis ad Spiritum Sanctum, cognoſcitur Spiritus Sanctus intuitiuẽ, eo quod pro tali priori datur aliquid cum illo connexum.

39 *Ad 2.* Ad ſecundam, nego ſequelam: ad eius probationem dicatur, quod licet pro priori à *quo* originis, ſeu cõmunicationis decreti ad Filium, & Spiritum Sanctum, non ſit decretum in illorum libera poteſtate, quia prioritas illa eſt Patris in decernẽdo; quia vero decretũ, prout in Patre eſt infallibiliter connexum cum ſe ipſo, vt à Filio, & Spiritu Sancto pro alijs ſignis originis; conſequens eſt, quod libertatem decreti, prout ab illis non tollat, quin potius inferat, quia non quæuis ſuppoſitio antecedens libertatem euertit, ſed ſolum illa, quæ libertatem non cõnotat, nec infert; ſicut de auxilio efficaci ab intrinſeco, aſſeritur libertatem non lædere, quia illam connotat, infert, & habet pro effectu. Et de præcepto impoſito Chriſto, quod

cum

cum summa illius libertate compatitur, non obstante quod sit impossibilis, quia scilicet cum actu præcepto vt futuro, & liberè futuro cõnectitur, eo quod lex libertatem connotat in propria materia.

40 *Si adhuc instetur.*

Quod si adhuc instetur, saltim sequi decretum non esse æquè liberum Patri, & Filio; consequens absurdũ videtur: ergo & illud ex quo sequitur. Patet sequela: nam Patri conuenit nulla suppositione facta cum decreto, vt ab illo necessario connexa, Filio autem, & Spiritui Sãcto non ita, cum eis conueniat suppositа conuenientia ad Patrem, ex qua infallibiliter in illis infertur: ergo non æquè liberè.

Resp.

Respondeo, quod sicut ex hoc, quod omnipotentia, & aliæ perfectiones conueniant Patri à se, Filio autem non à se, sed à Patre, non sequitur inæqualitêr illis competere, sed solum infertur prius origine Patri, quam Filio competere; ita similiter ex eo quod decretum liberum prius Patri, quam Filio conueniat, non licet colligere inæqualiter illis, quantum ad libertatem conuenire, sed solũ priꝰ origine cõuenire Patri exercitium libertatis, quam Filio.

41 *Tertio arg. ex Arrub.*

Tertio arguit Arrubal: cognitio obiecti, ex qua Verbum procedit, debet esse formalitas positiua, & intrinseca Deo, sicuti origo, & generatio Verbi intrinseca formalitas est; at cognitio rerum existentium, quatenus talium obiectorum est, nõ importat aliquid reale intrinsecum Deo: ergo ex illa non procedit Verbum. Minorẽ, in qua est difficultas, probat: in Deo nulla est formalitas intrinseca, quæ potuerit in illo non esse, omnis enim formalitas competens Deo est ab illo indistincta ex natura rei, formalitas autem ab illo separabilis, ex natura rei saltim, debet ab illo distingui, cum nullum sit maius signũ distinctionis ab alio, quam separabilitas ab illo; at cognitio rerum existentium, prout talium potuit Deo non conuenire, si vt potuit, nihil decreuisset producere: ergo non est formalitas intrinseca Deo.

42 *Resp. 1.*

Respondeo concessa maiori negando minorem: ad cuius probationem responderi potest dupliciter: primo distinguendo maiorem; quæ potuerit non esse formaliter quantũ ad entitatem, cõcedo maiorẽ: æqualiter, & quoad denominationem, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequẽtiam.

Secũdo.

Vel secundo consequenter ad illa, quæ fusè tradidi de actu libero Dei, *supra disp.* 48. distinguo maiorẽ: nulla est in Deo formalitas, quæ potuit non esse quantum ad conceptũ entitatis, concedo maiorem: sub conceptu intrinsecæ terminationis, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego cõsequentiã. Quomodo autem stare possit defectibilitas sub conceptu terminationis intrinsecæ, cum indefectibilitate sub conceptu entitatis? Et quomodo nõ inferatur distinctio ex natura rei; imõ nec virtualis in ratione entitatis actus liberi ab actu necessario? Fusè ostendimus loco allegato; nec in præsenti hoc inuestigandum, sed supponendum est, & discurrẽdum de cognitione libera, & libera Verbi repræsentatione consequẽter ad ea, quæ de actu libero diuinæ voluntatis dicuntur. Vnde, quia frequentior Theologorum sententia constitutiuũ decreti liberi in formalitate adequatè intrinseca docet consistere, id ipsum est de cognitione futurorũ dicendum.

43 *Inconsequentia notatur Arrub.*

Aduerto tamen Arrubalẽ hoc argumento contra nostrã assertionẽ *capite 2. disputationis relatæ conuictum, postea in 6. capite*, sui oblitum, admittere repræsentationẽ possibilium esse extrinsecam Verbo, & terminationem ad illa esse extrinsecam scientiæ diuinæ, & Verbum vt repræsentatiuum est possibilium ex illorum cognitione procedere. Quæ doctrina non video quomodo componi possit cum maiori facti discursus, in qua asserit, solam formalitatẽ intrinsecã posse ad Verbi productio-

nem concurrere; si namque terminatio ad possibilia extrinseca scientiæ diuinæ, vt prædict⁹ Author fatetur, est Verbi principium, quatenus repræsentatiuum est possibilium; quomodo obstare potest, quod terminatio ad obiecta existentia sit extrinseca diuinæ cognitioni, vt principiũ sit Verbi, quatenus existentia repræsentat?

44 *Quarto alij probant.* Quarto obijciunt alij: vt Verbum repræsentet futura, non est necessarium, quod ex illorum cognitione procedat: ergo non procedit ex illorum notitia. Cõsequentia est bona: nam ad hoc ponitur talis processio vt Verbum futura repræsentet. Antecedens autem probatur: eo ipso, quod Verbum accipiat à Patre naturam, & repræsentationẽ possibilium ex vi processionis, si adsit decretum de rerũ futuritione, Verbum repræsentabit decretum, & res futuras in illo, sicut eo ipso, quod diuina cognitio sit infinita, decreto posito attingit decretum, & futura in illo intuetur: ergo vt Verbum repræsentet futura, necessarium nõ est, quod procedat ex cognitione illorum, sed sufficit procedere ex scientia possibilium.

45 *Resp.* Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem distinguo antecedens: repræsentabit futura vt Verbum, & terminum locutionis, & dictionis paternæ, nego antecedens: repræsentabit futura repræsentatione communi Verbo, & non Verbo, transeat antecedens, & nego consequentiam; Verbum namque priori modo debere futura repræsentare, constat ex probationibus nostræ assertionis.

Instatur arg. Et quidem eodem argumento probarent Verbum non procedere ex cognitione possibilium, cum eo ipso quod accipiat à Patre cognitionem essentiæ, & naturam in qua continentur possibilia, debeat illa cognoscere, & repræsentare, sicuti ergo ex hoc principio nõ rectè colligitur quod nõ debeat ex possibilium cognitione procedere, ita nec conuincit potest quod non debeat procedere ex notitia existentium.

46 *Obijcies* Si dicas: repræsentaret creaturas existentes media natura cõmunicata à Patre: ergo repræsentaret illas vt expressum ab alio; & consequenter non repræsentatione communi Verbo, & non Verbo, sed repræsentatione, quæ est propria Verbi. Patet hæc consequentia: nam repræsentatio cum expressione non est communis Verbo, & non Verbo, sed propriissima Verbi: ergo si repræsentaret vt expressum ab alio, repræsentaret repræsentatione non cummuni, sed propria Verbi, vt ab alijs distinguitur.

Resp. Respondeo concesso antecedenti, distinguendo consequens: vt expressum ab alio in radice, concedo consequentiam: vt expressum ab alio formalitêr, nego consequentiam: modus autem repræsentandi postulatus à Verbo est, vt ab alio expressum formaliter, aliàs sufficeret vt repræsentaret possibilia tanquam Verbũ illorum, quod esset expressum à Patre media cognitione essentiæ, non terminata formaliter ad creaturas possibiles, quod nullus ex Authoribus tertiæ sententiæ concedet, & vt Deus loqueretur cum homine sufficeret dare illi intellectum per quem esset potens intelligere, etsi non daret illi formalem intellectionem, si enim ratio Verbi sufficienter saluaretur per hoc quod recipiat ab alio formam, qua possit repræsentare, ratio etiam auditionis saluabitur per hoc, quod quis ab alio recipiat formam, qua possit cognoscere. Et licet id, quod est ab alio expressum pro radice, excludat in radice repræsentationem communem Verbo, & non Verbo, non tamen excludit secundum repræsentationem formalẽ, nisi secundum illam exprimatur, & originetur ab alio.

47 *Vltimo arg.* Denique argumentari possumus contra nostram sententiam: si Verbum procederet secundum liberas formalitates ex scientia libera futurorum, etiam Spiritus Sanctus secũ-

dum

dum liberas formalitates ex illorum amore procederet; at hoc est falsum: ergo Verbum non procedit secundũ liberas formalitates ex scientia libera futurorum. Sequela est manifesta, minor autem probatur: quia aliàs sequeretur Spiritum Sanctum secundum liberam processionem prius quam Verbum secundum liberam processionem procedere; consequẽs videtur absurdum: ergo & illud ex quo sequitur. Probatur sequela: quia namque intellectio necessaria ex qua Verbum necessario procedit, est prior volitione necessaria ex qua procedit necessario Spiritus Sãctus, Verbũ in linea necessaria prius quam Spiritus Sanctus procedit; at in linea liberorum é contrario cõtingit, est enim prius liberum decretum, quam scientia libera. Tum, quia hæc illi tanquam medio innititur. Tum etiam, quia omnis intellectus libertas ex voluntate deriuatur, & consequenter libertatem voluntatis supponit: ergo in linea liberæ processionis, si datur, prius impulsus, quam Verbum procedet.

48 *Solutio tuiusdã iunioris*

Modernus quidam ad hoc argumentum respondet, negando minorem. Ad cuius probationem, concedit sequelam, nec in eo quod Spiritus Sanctus prius libere procedat quam Verbum secundum formalitates liberas, aliquod inconueniens cõsiderat. Fallitur tamen, & reijcitur facilê: nam ex eo quod Spiritus Sanctus prius liberê procedat quã Verbum, sequitur Verbum secundũ formalitates liberas à Spiritu Sancto procedere: consequens est absurdũ: ergo & illud ex quo sequitur magnũ est inconueniens. Patet sequela: nam inter Verbum, & Spiritum Sanctum prout terminant liberam processionem, datur realis distinctio; & consequẽtêr realis vnius ab alio processio; at eo ipso quod prius Spiritus Sanctus, quam Verbum procedat, non potest Spiritus Sanctus procedere à Verbo, cum prout sic non procedat ab illo secundum necessarias Verbi formalitates, vt Author huius solutionis tenetur fateri; nec secundum liberas, quia sub his est posterius Spiritu Sancto; & consequenter nequit esse principium illius, cum de ratione principij sit prioritas, saltim originis: ergo prout sic procedere debet ab Spiritu Sancto.

Refutatur.

Quod autẽ hoc sit absurdũ probatur. Tũ, quia nullꝰ Theologorũ hoc vmquã dixit, sed nec somniauit. Tũ etiam, quia ratio, quæ probat Spiritum Sanctum à Patre, & Filio secũdum formalitates necessarias procedere, quia nempe prout sic est amor mutuus, & quia notionalis volitio debet notionalem intellectionẽ necessario supponere, pari efficacia probat Spiritum Sanctum secundum liberas formalitates ab vtroque procedere; cum prout sic etiam sit terminus mutui amoris, quo Pater, & Filius se diligunt secundum formalitates liberas, sit etiam illius productio amor notionalis; & consequenter notionalem intellectionem liberam supponere debeat: ergo nequit Verbum ab Spiritu Sancto procedere libere, ne demus mutuam processionem vnius personæ ab alia secundum easdem formalitates, quod est inauditum, & contra bonam Philosophiam, quæ mutuam causalitatem duorum in eodem genere causæ efficientis numquam admisit; & consequentêr nec mutuam rationem principij.

49

50 *Vera argumẽti solutio.*

Respondeo, concessa prima sequela, negando minorem, ad eius probationem, nego sequelam. Ad illius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: decretum liberum prout in Patre tantum est prior scientia libera prout in Patre, concedo minorem: decretum liberum prout in Patre, & Filio est prius scientia libera prout in Patre, nego minorem, & consequentiam: qua infertur prius Spiritum Sanctum liberê procedere, quam Verbum, etenim Verbum non procedit ex scientia libera, nisi prout est in Patre, & Spiritus Sanctus procedit ex amore libero, prout in Patre, & Filio, & ideô

non

non sequitur prius Spiritum Sanctũ quam Verbum libera processione procedere.

51 *Obiectio prima.* Sed obijcies primo: sciẽtia, qua Pater intuetur futura, innititur decreto; quod est causa illorum; at decretum est causa futurorum, prout in tribus personis: ergo illi vt in tribus personis innititur; & consequenter decretum, prout in illis supponit.

Secũda. Secundo: scientia libera, qua Pater intuetur futura, est etiã pro omni prioritate intuitio decreti, prout in Filio subsistentis: ergo pro omni priori decretum, prout in Filio supponit.

Tertia. Tertio: quia ad minus sequitur prius Spiritum Sanctum procedere liberẽ, quam Filio communicetur sciẽtia libera futurorum. Ex quo vlterius sequitur, prius Spiritum Sanctum, quam Filium procedere, cum eatenus Verbum procedat liberẽ, quatenus ei communicatur scientia libera, & repræsentatatio fututorũ. Patet prima sequela: nam scientia libera, prout in Filio pro medio, & obiecto motiuo habet decretum liberum, prout in Filio subsistens: ergo liberum decretum, prout in Patre, & Filio supponit, cumque ex decreto libero, prout in vtroque Spiritus Sãctus procedat, supponit processionem liberam Spiritus Sancti.

52 *Resp. ad 1.* Respondeo ad primam ex his obiectionibus, quod licet scientia libera Patris habeat pro obiecto decretum liberum, prout in tribus personis; pro motiuo autem non est necessarium, quod illud habeat, quatenus est in tribus, sed sufficit decretum, prout in Patre, vt sit medium, & motiuum scientiæ liberæ intuẽtis decretũ, quatenus est in tribus, quia prout in Patre counectitur cum se ipso vt in tribus, nec est necessarium, quod decretum secundum omnia, quæ ad causandum concurrunt, sit medium, sed secundum aliquid cum alijs requisitis connexum, sicut non obstante, quod actio immanens formaliter, & transiens virtualiter sit necessaria vt causa futurorum, necessarium non est, quod sit motiuum scientiæ terminatæ ad futura, sed sufficit pro motiuo decretum cum actione ista connexum.

53 *Ad 2.* Ad secundam concesso antecedenti, nego consequentiam: sicut nec sequitur, scientia ex qua procedit Verbum est pro priori originis intuitio Spiritus Sancti: ergo pro illo priori supponit Spiritum Sanctum productum, & vtriusque ratio est, quia vt pro aliquo priori intuitio obiecti præcedat, necessarium nõ est quod obiectũ notitiæ præcedat, sed sufficit, quod in eodem instãti simul existat.

Ad 3. Ad tertiam, nego sequelam: nam cum Verbum, iuxta Augustinum *lib. 15. de Trinitate cap. 14.* se cognoscat in Patre, etiam decretum, prout in Patre cognoscit, & illi, prout in Patre cognito innititur scientia libera, quam habet Verbum, tanquam motiuo, decretum autem, prout in se ipso non habet pro motiuo, sed tanquam obiectũ, ad quod necessarium non est, quod decretum liberum vt sibi communicatum supponat, id namque, quod non motiuum, sed obiectum est tantum, non oportet ad notitiam supponi, sed sufficit, quod pro eodem instanti cum notitia existat.

✠

✠✠✠

§. Vltimus.

Corollaria ex præcedentibus.

54 *Primũ corollarium.*

EX dictis in discursu disputationis colligitur primo, quod si Deus diligit necessario creaturas possibiles, Spiritus Sãctus quoad suam entitatum ex illarum amore procedit: secus autem si illas diligat liberê, procedet tamen si hoc concedatur ex amore illarum secundũ aliquam formalitatem liberam, si autem nullatenus diligantur à Deo, quod verius & principijs D. Thomæ cõformius iudicaui *supra quæst.* 19. nullatenus ex amore illarum procedere; procedit tamẽ secundum formalitates liberas ex amore existẽtiũ.

Prob. 1. pars.

Primum patet: nam Spiritus Sanctus secundum suam entitatẽ procedere debet ex amore omnium necessario amabiliũ, sicut Verbum ex cognitione omnium necessario cognoscibilium: ex nullo autem liberê amato potest quoad suam entitatem procedere, sicut nec Verbum quoad entitatem, ex alicuius liberê cogniti cognitione procedit: ergo si Deus necessario diligit creaturas possibiles, procedit Spiritus Sanctus ex illarũ amore: secus vero si liberê Dei voluntas terminatur ad illas.

Secũda, & tertia probãtur.

Secunda autem pars corollarij ex tertiæ partis probatione constabit. Quam probo: nam sicut Verbũ liberê terminatur ad creaturas futuras illas repræsentando, ita Spiritus Sanctus liberê terminatur ad illas, & sicut Pater Verbo dicit creaturas, ita Spiritui Sancto diligit illas, vt docet D. Thomas *quæst.* 37. *art.* 2. *ad* 3. ergo sicut Verbum secundum liberam terminationem ad creaturas ex illarũ libera cognitione procedit, ita Spiritus Sanctus procedit ex illarum amore.

55 *Secũdũ corollarium.*

Secundo colligitur, Verbum præter ordinem realem ad Patrem, vt dicentem, importare ex consequenti ordinem rationis ad omne obiectum manifestatum Verbo, atque adeò ad creaturas. Quod docet D. Thomas *in* 1. *distinct.* 27. *quæst.* 2. *art.* 2. *de veritate quæst.* 4. *art.* 5. *quodlibeto* 4. *quæst.* 4. *art.* 1. *ad* 1. & *in præsenti art.* 3. & probatur ratione D. Thomæ: Verbum enim in ratione manifestatiui importat respectum rationis ad omne quod illo manifestatur; at diuinum Verbum est manifestatiuum trium personarum, & creaturarum, vt ex dictis colligitur, & docet D. Thomas *in articulo primo huius quæstionis solutione ad* 3. ergo ad creaturas importat respectũ rationis per modum manifestatiui. Notat autem D. Thomas ad creaturas importare respectum manifestatiui, & factiui, ad perfectiones autem diuinas tantũ manifestatiui, eo quod Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiua tantum, creaturarum autem cognoscitiua & factiua: ergo Verbum, quod est illius terminus, creaturarum est manifestatiuum, & factiuũ, Dei autem tantum manifestatiuum.

56 *Obiectio ex D. Th.*

Quod si in contra obijciatur D. Thomas *in* 1. *distinct.* 27. *quæst.* 2. *art.* 3. vbi docet, Verbum non semper dici cum respectu ad creaturas, sed quandoque cum respectu, & quãdoque sine illo: ergo in nomine Verbi non importatur ad creaturam respectus. Respondet Capreolus *ibi q.* 2. *conclusione* 5. *in fine*, D. Thomã in præsẽti retractasse sententiam, quã docuerat loco allegato, sed non est quod cogat ad istam interpretationem, cum facile explicari possit Angelicus Doctor cum Sapientissimo nostro Magistro Fratre Petro Herrera *dubio* 2. *circa istum articulum conclusione* 4. loqui de Verbo inadęquatè accepto, quatenus à nobis potest considerari, prout terminatũ

Explicatur Doctor Angelicus.

ad Deum secundum præditata absoluta, prout sic autem non importat ad creaturas respectum, non autem negat Verbum diuinum si adæquatè spectetur, quatenus repræsentat omnia prædicata diuina, omnipotentiã scilicet, misericordiã iustitiam, &c. ad creaturas importare respectum, pout sic nãque, nec à nobis cõcipi potest vt exprimés hæc prędicata, quin ad creaturas respectum importet.

57 *Dubiũ pro complemẽto quæstionis.*

Pro complemento quæstionis disputandum erat in præsenti ratione, cuius dicat Verbum diuinum ad creaturas respectum, an ratione solius proprietatis personalis, an ratione essentiæ solius, an ratione vtriusque? Primum docuit Aureolus apud Capreolum *in* 1. *distinct.* 27. *quæst.* 2. *conclusione* 5. Secundum docere videtur Capreolus *ibi*, Caietanus *in præsenti*, §. *in responsione ad* 1. & Ferrara 4. *Contra-Gentes cap.* 13. Tertium tenet Vazquez *disp.* 144. *cap.* 2. & Arrubal *disp.* 126. *cap.* 3. Suarez vero *lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 22. aliter distinguendum existimat, asserens, aliud esse loqui de ratione formali repræsentandi, supra quã fundatur respectus, aliud autem de modo habendi illam, scilicet, ex vi processionis, primũ ait conuenire Verbo ratione solius essentiæ, vnde respectus manifestatiui est toti Trinitati communis, secundum conuenire Verbo ratione proprietatis personalis; ex hoc enim habet, quod ei ex vi processionis communicetur ratio repræsentatiui. Et hoc verũ est: cæterum aliquid addendum, & aliter distinguendum existimo, videlicet, respectum ad creaturas, vt præcisè manifestatas, & cognitas, conuenire Verbo ratione solius essentiæ, respectum vero ad illas, quatenus Verbo dictas, competere Verbo ratione essentiæ, vt rationis formalis, & ratione proprietatis personalis, tanquam conditionis.

58 *Resolutio probatur.*

Primum patet: nam respectus ad creaturas cognitas supra cognitionem fundatur, & respectus ad illas vt manifestatas, supra essentiam, vt habet rationem Verbi essentialis; at ratio cognitionis, & Verbi essentialis non competunt Verbo ratione proprietatis personalis, nisi solum quoad modum se habendi ex vi processionis, cum perfectiones essentiales sint, & toti Trinitati communes: ergo habitudo ista pro ratione formali fundandi habet solam essentiã, non relationem, nisi tantum quoad modum habẽdi, videlicet, ex vi processionis. Secundum probatur primo: nam habitudo ad creaturas, vt dictas, non dicit solam rationẽ manifestationis, sed insuper addit, quod sit manifestatiuum productum, & expressum ab alio; at ad rationẽ producti, & expressi cõcurrunt essentia, vt ratio formalis terminandi productionem, & relatio vt conditio: ergo ad fundandam habitudinem ad creaturas, vt dictas, concurrit essentia, tãquam ratio formalis, & relatio vt conditio.

59

Secũdo: nam etsi aliæ personæ dicant, ratione essentiæ, habitudinẽ repræsentatiui ad creaturas, nulla tamẽ dicit habitudinem ad illas vt dictas, aliàs Pater, & Filius dicerent creaturas Spiritu Sancto, sicut illas dicũt Verbo: ergo habitudo ad creaturas, vt dictas, nõ fundatur nudè supra essentiam, sed super illam vt modificatam relatione secũdæ personæ; & consequenter hæc, saltim ingreditur, tanquam conditio.

60 *Dubiũ alibi remissum.*

Poterat etiam disputari, an Verbum essentiam importet in recto, & primario, & in obliquo naturã? Cæterum ista quæstio cõmunis est omnibus Diuinis personis, & agitatur *supra quæst.* 29. Et hæc de ista disputatione, applicanda litteræ Magistri *in* 1. *dist.* 27. *vbi in* 2. *q. art.* 3. ab Angelico Doctore excitatur, an Verbum ad creaturas respectum importet, si enim importet respectũ ad creaturas futuras ex illarũ cognitione procedet, sicuti procedit ex cognitione possibilium, si ad possibilia importat respectum manifestatiui.

DISPVTATIO NONAGESIMA SECVNDA.

An si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo?

§. I.

De facto Spiritum Sanctum procedere à Filio, probatur.

Nu. 1. *De facto Spiritũ Sãcti à Filio procedere, est veritas Catholica.*

IN HAC DIFficultate, vt Catholicam veritatem supponimus, de facto Spiritum Sancti à Filio procedere, quæ veritas contra Græcos in pluribus Cõcilijs diffinita inuenitur: in Toletano 1. *in Confessione Fidei*: Toletano 3. *anathematismo* 3. Toletano 4. *cap.* 1. Toletano 6 cap. 1. Toletano 8. *in Symbolo*. Toletano 11. *in professione Fidei*. In Lateranẽsi sub Innocentio 3. *cap.* 1. *In Generali Lugdunensi*, vbi à Græcis, & Latinis cantatum est Symbolum cum illa additione, *Filioque procedit*; ac denique in Tridentino *sess.* 3. *in confessione Fidei*.

2 *Inefficax probatio.*

Illam quidam Recentiores confirmant ex illis verbis Ioanis 15. cap. *Cum venerit Paraclytus, quẽ ego mittam vobis à Patre*: & cap. 16. *Si abiero, mittam eum ad vos*; at vna persona non dicitur mitti ab alia, nisi procedat ab illa: ergo Spiritus Sanctus procedit ab illo. Hoc tamen argumentum inefficax est, & minor, quam assumit est falsa; licet namque sola persona procedens possit mitti, quo circa vt docet Augustinus 4. *de Trinitate cap. vltimo*: Pater à nullo mittitur, quia à nullo est, non tamen est necessum quod persona procedens, ab illa tantum persona à qua procedit, mittatur, sed potest mitti ab ea, à qua nõ procedit, vt enim docet Augustinus 2. *de Trinitate cap.* 5. Filius mittitur & à se, & ab Spiritu Sancto, & quod ab Spiritu Sancto mittatur, docet D. Thomas *infra quæst.* 43. *art.* 8.

pro-

probatque ex illis verbis Iſaiæ 48. *Nunc miſsit me Dominus Deus, & Spiritus eius*; & tamen Filius à Spiritu Sancto procedens non eſt: ergo ex eo quod Spiritus Sanctus mitti perhibeatur à Filio, non probatur quod procedat ab illo, ſed ſolú quod procedat ſiuê à Patre, ſiuê à Filio.

3 *Quo sẽſu efficax ſit.*

Quod ſi aliqui ex Eccleſiæ Patribus vſi ſunt hoc argumento, vt probent Spiritus Sancti proceſsionem à Filio. Reſpondeo, vel argumentum eſſe contra Græcos ad hominẽ, qui, vt docet D. Thomas *Opuſculo* 1. *cap.* 19. *in fine*, tenẽt vnam perſonã non mitti, niſi ab illa à qua æternaliter procedit, quo admiſſo irrefragabile argumentum contra Græcos conficitur ad probandum Spiritum Sanctum à Filio procedere, eo quod in Scripturis ab illo miſſus dicatur; vel loqui de miſsione ſecundum authoritatem perſonæ mittẽtis ad miſſam, ſic autem ſola perſona, à qua alia procedit illam mittere poteſt; quia authoritas vnius perſonæ ad aliam denotat rationem principij. Quod autem miſsio ſecundum authoritatem Filio reſpectu Spiritus Sancti conueniat, conſtat ex illis locis, in quibus dicitur Spiritum Sanctum miſſum à Filio, accipere de illo, in quibus verbis ordo principij, & authoritas importatur: ſic D. Th. loco allegato Athanaſium interpretatur, & cum Auguſtino componit. In quo ſenſu optimum argumẽtum ad veritatem iſtam ſuadendã ex miſſione conficitur.

4 *Suadetur 2. ex Sacra Scriptura.*

Secundo ſuadetur ex illis locis Scripturæ, in quibus Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filij: Romanorum 8. *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Ad Galatas 4. *Miſsit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra.* Et Actuum Apoſtolorum 16. cap. *Tentabant ire Bithiniam, & non permiſsit eos Spiritus Ieſu*: quæ teſtimonia intelligenda eſſe de Chriſto non ratione humanitatis, ſed diuinitatis, probat D. Thomas *q.* 10. *de potentia artic.* 4. eo quod Spiritus Sanctus non dicitur eſſe hominis vt dantis, ſed vt habentis, dicitur autẽ Spiritus Chriſti vt dantis, iuxta illud Ioannis 4. cap. *In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quia de Spiritu ſuo dedit nobis.* Et Actorũ 5. cap. dicitur: quod *dedit Spiritum Sanctum obedientibus ſibi*; non ergo interpretari poſſunt prædicta teſtimonia de Chriſto ratione humanitatis, ſed ratione diuinitatis: vel ergo dicitur abſolutẽ eſſe eius, vel dicitur eſſe eius, vt Spiritus eius; ſi primum non poteſt ſaluari, abſque authoritate Filij ad Spiritum Sanctum, non enim poteſt aliquis dici alterius abſolutẽ, niſi iſte in illum habeat authoritatem, vt cõſtat in nobis: nam licet poſsit vnus homo dici alterius cum addito, ſine eo quod inter illos interueniat authoritas, vt Petrus dicitur ſocius Ioannis, non tamen poteſt dici Petrus Ioannis abſolutẽ, niſi Petrus in Ioannem habeat authoritatem; cũque authoritas inter perſonas diuinas titulo ſeruitutis, aut poſſeſſionis eſſe non poſsit, debet eſſe authoritas originis. Si ſecundum, etiã colligitur à Filio procedere: nã Spiritus ſecũdum quod eſt perſonale in diuinis, dicitur relatiuê ad ſpirantẽ, ſicut Filius ad generantem: ergo ſicut Verbum non poteſt dici Filius, niſi generantis, ita Spiritus Sanctus nequit dici Spiritus alicuius, niſi tãtum ſpirantis; & conſequenter ex hoc, quod dicatur Spiritus Filij, rectẽ colligitur ab illo producere.

5 *Duplex argumẽtum ex verbis Ioãnis.*

Tertio probatur ex illis verbis Ioannis cap. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & anunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & anunciabit vobis.* Ex quibus verbis duplex argumentú conficitur pro hac veritate: primum eſt; Spiritus Sanctus accipit à Filio ſcientiam, vt interpretantur Auguſtinus, Cyrilus, & Chriſoſtomus ad illum locum: ergo ab illo accipit ſubſtantiam, & eſsẽtiã; & cõſequenter ab illo procedit.

Se-

6 Secundum : omnia quæ habet Pater ſunt Filij, præter id in quo relatione opponuntur, vt tradunt cõmunitêr Concilia, & Patres, & infinitas Filij ſuadet, quæ petit cũ Patre conuenire in omnibus his, in quibus non opponuntur; at ſpiratio actiua connenit Patri, & in illa non eſt oppoſitio inter Patrem, & Filiũ: ergo ſpiratio actiua conuenit Filio; & conſequenter ab illo Spiritus Sãctus procedit. Quod amplius confirmari poteſt: nam ipſe Chriſtus hanc facit conſequentiam in præallegatis verbis: *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt; ſed Spiritus Sanctus eſt à Patre: ergo de meo accipiet*: ergo ſimiliter bonitas huius conſequẽtiæ debet admitti: *Omnia quæ habet Pater, ſunt Filij; ſed Spiritus Sanctus accipit à Patre naturam: ergo illam accipit à Filio*; & cõſequẽter procedit ab illo.

7 *Obiectio.* Si dicas: in hoc teſtimonio Chriſtum non loqui de proceſsione æterna Spiritus ab ipſo. Tum, quia non dixit de me, aut à me accipiet, ſed de meo, cum tamen primum congruentius aſſereret ſi de tali proceſsione loqueretur. Tum etiam, nam non dixit accepit, aut accipit, ſed de futuro *accipiet*, cum tamen ſi de æterna proceſsione loqueretur, primum congruentius aſſereret, proceſsionamque æterna non eſt futura: ergo ex illo non bene probatur veritas Catholica proceſsionis Spiritus Sãti à Filio.

Soluitur. Reſpondeo negando antecedens: ad primam probationem dicatur, rectê *de meo accipiet*, dixiſſe, vt non à ſe, quatenus à Patre diſtincto, ſed vt cum Patre conuenit proceſsionẽ exprimeret.

8 Ad ſecundam dicatur, proceſsionem Spiritus Sancti, cum æterna ſit, omnes temporum differẽtias cõplecti; & conſequenter ſicut ſignificatur verbo de præſenti, & præterito, ita etiam ſignificari poteſt verbo de futuro. Argumẽta, quibus Græci ducũtur, fictilia ſunt, etſi quæ difficultatẽ aliquam ingerunt, *infra* diluentur.

§. II.

Reijciuntur duæ ſententiæ.

PRæmiſſa igitur veritate Catholica, antequam ad præcipuam controuerſiam veniamus, reijciendæ ſunt duæ ſententiæ. Prima eſt Gotfredi *quodlibeto ſeptimo q.* 4. docentis, hypoteſim, vtpotê impoſsibilem admittendam non eſſe, ac perconſequens invtiliter diſputari hanc quæſtionem, à qua ſentẽtia parum, aut nihil diſtat Granadus *trac.* 10. *diſp.* 7. affirmans ex data hypoteſi ſequi vtranque partem contradictionis, ſcilicet, Spiritum Sanctum diſtinguendum à Filio, & non diſtinguendum ab illo. Primum probat argumentis D. Thomæ, ſecundũ argumentis Scoti, ex quo clarê infertur invtiliter diſputari hanc quæſtionem, ſicut invtiliter quis diſputaret, an ſi homo eſſet, & rationalis nõ eſſet, eſſet riſibilis, eo quod ex hypoteſi iſta ſequeretur vtrumque, ſcilicet non eſſe riſibilem & eſſe riſibilem, primum ex rationalitate negata, ſecundum ex eo quod ſupponitur homo; & conſequenter cum radice riſibilitatis.

9 *Reijcitur Gotfredus aſſerens hãc quæſtionẽ inutiliter diſputari.*

Cæterum hypoteſim eſſe admittendam, & vtilitatẽ quæſtionis probat in primis communis Theologorum conſenſus, qui ſuppoſitionẽ admittunt, & quæſtionem mouent. Secundo, Patres Latinos hac ſuppoſitione vſos fuiſſe, vt ex illa inferentes negationem diſtinctionis Spiritus Sancti à Filio Græcos conuincerent proceſsionẽ à Filio fateri, quia

10 *Vtilitas quæſtionis oſtẽditur 1.*

Secũdo.

realem illorum distinctionem nō diffitebantur.

Tertio. Tertio: nā si Spiritus Sāct' nō procedens à Filio, ab illo non distingueretur, per euidētem consequentiam infertur rationem distinctionis Spiritus Sancti à Filio esse, quod ab illo procedat: ergo ad hoc investigandū vtiliter quæstio agitatur, & suppositio admittitur.

11 *Quarto* Denique: nam vtiliter disputatur hæc quæstio, an si Deus non esset immutabilis, esset æternus, an si in Deo relationes non essent, manerent in illo personæ distinctæ, & an si homo nō esset risibilis, esset ab equo distinctus: prima ad inuestigandum, an immutabilitas sit ratio æternitatis. Secunda ad dignoscendum, quæ sit ratio formalis constitutiua, & distinctiua personarum in Deo. Et tertia ad inueniendum rationem primo hominem constituentem, & ab equo distinguentem, & si in his omnibus suppositiones sint impossibiles: ergo pariter, etsi suppositio à nobis facta impossibilis sit, vtilitêr tamen disputatur hæc quæstio ad inuestigādū, quæ sit ratio formalis distinctionis personarum in Deo, & vt exinde, qui negatiuæ adhærent sententiæ, Græcos ad suum errorem deserendum conuincant.

12 *Sententia Aureoli.* Secunda sententia est Aureoli *in 1. distinct. 11. quæst. vnica art. 3. propositione 4.* in data hypotesi distinguendos esse realitêr Filium, & Spiritum Sanctum, sed non personalitêr: nam Filius non maneret persona, eo quod illi deesset relatio spiratoris per quam constituitur in ratione personæ. Hæc tamen sententia media, vtriusque extremæ auctoribus displicet, & reijcitur primo: nam dato quod Filius maneret à Spiritu Sancto realiter distinctus, maneret vt generationis terminus, & cum relatione subsistente in natura intellectuali incommunicabilitêr: ergo maneret distinctus, nedum realitêr, sed etiam personaliter à Spiritu Sancto.


Displicet communiter, & reijcitur 1.

Secūdo. Secundo: nam dato, quod maneret realitêr distinctus à Spiritu Sancto, maneret Filius Patris subsistentis in intellectuali natura; sed implicat intellectu concipere Filium Patris intellectualis, quin intelligatur persona: ergo in data hypotesi, Spiritus Sanctus, non solum distingueretur realitêr, à Filio, verum etiam personaliter.

13 *Tertio.* Tertio: nam data illa distinctione perseuerante inter Filium, & Spiritum Sanctum, ratio distinguendi inter illos, actiua spiratio non esset; siquidem perseuerat, illa sublata: ergo ratio distinguendi est filiatio; at hæc etiam Filium à Patre distinguit: ergo filiatio est adæquata ratio distinguendi Filium: ergo est adæquata ratio incommunicabilitatis illius; ac proinde, & formalis ratio illum constituens in ratione personæ; ac per consequens illa perseuerante, vt admittit Aureolus, necessario tenetur admittere manere Filium constitutum in ratione personæ, & personalitêr ab Spiritu Sancto distinctum.

Quarto Denique reijcitur eius sententia: nihil namque Patri, & Filio cōmune potest Filium constituere in ratione personæ; at spiratio actiua est communis vtrique: ergo nequit formaliter Filium constituere in ratione personæ; & consequentêr, ex negatione illius in prædicta hypotesi, male infert Aureolus non mansuram inter Filium, & Spiritum Sanctum distinctionem realem personarum.

✠



§. III.

Vera sententia eligitur, & authoritate probatur.

14 *Prima sentẽtia*

HIs igitur sententijs reiectis, vt ad difficultatẽ veniamus, tres aliàs in illa reperio, duas extremas, & vnam inter vtranque mediã. Prima illarum affirmat, in præfata hypotesi Spiritum Sanctum distinguendum fore à Filio. Hanc tenet Henricus *quodlibeto 5. quæst. 9.* Scotus in 1. *distinc. 11. quæst. 2.* Ochan *ibidem conclusione 3.* Cartusianus *quæst. 2.* & omnes Scoti Discipuli. Secunda distinguit de hac quæstione tractata Theologicê, hoc est inuitendo in principijs reuelatis, & ex illis arguendo, & tractata metaphysice, hoc est, spectato solum lumine naturæ, & principijs illius, priori modo docet esse cõclusionẽ Theologicam, quod in prædicta hypotesi Spiritus Sanctus non sit distinguendus realiter à Filio, in posteriori autem sensu tractando quæstionem, veram esse sententiam, quam ex Scoto retulimus. Ita Valentia *disput. 2. de Trinitate quæst. 10. puncto 3.*

Secũda.

15 *Tertia, & vera sentẽtia*

D. Tho.

Ferrara Caieta. Bañez.

Tertia, & vera sententia absolutê, & absque vlla distinctione docet, data illa hypotesi, Spiritum Sanctũ à Filio realiter non distinguendum. Hanc tenet D. Thomas *quæst. 10. de potentia art. 5.* In 1. *distinc. 11. quæst. 1. art. 1.* Ad Anibaldum *q. vnica art. 1. Opusculo 1. cap. 49. Opusculo 3. cap. 49. 4. Contra-Gentes cap. 24.* vbi Ferrara. Et *in hac quæstione art. 2.* vbi Caietanus, Bañez, Zumel, & Nazarius, Salmanticenses *tr. ac. 6. disp. 14. dub. 3.* Reuerendissimus à S. Thoma *disp. 15. art. 3.* Suarez *lib. 10. de Trinitate cap. 2.* Vazquez *disp. 147. à cap. 4.* Arrubal *disp. 131.* Becanus *cap. 6. q. 3.* & alij recentiores frequenter.

Zumel. Nazarius Salmãt. S. Tho. Suarez. Vazq. Arrubal Becanus.

16 *Prob. 1. ex Cõc. Toletano 11.*

Quæ sententia suadenda est in primis ex Concilio Toletano 11. in professione fidei, vbi de personis diuinis loquens sic ait: *Hoc solum numerum insinuat, quod ad invicẽ sunt, & in hoc numero carent, quod ad se sunt*; at si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diceretur ad illũ ad inuicem, cum non referretur ad illum: ergo nec ab illo realitêr posset distingui. Ex Florentino *sess. 18.* illis verbis: *Nulla alia ratio distinctionis, aut discriminis est in diuinis, nisi per hoc, quod persona aliqua est ab altera*; at in data hypotesi Spiritus Sanctus à Filio non esset: ergo nõ maneret in illo per quid à Filio distingueretur realitêr; & consequentêr esset ab illo realitêr indistinctus.

Et ex Florentino.

17 *Solutio Scotistarum.*

Respondent Scotistæ, Toletanum per hoc, quod dicit numerum personarum causari per hoc, quod est esse ad inuicem non intendere solam relatiuam oppositionem esse rationem distinctionis realis personarũ, sed per relationes personas realitêr distingui, in hypotesi autem supposita, etsi Spiritus Sanctus non se haberet relatiuê ad Filium, per relationem tamen spirati distingueretur realitêr ab illo, & sic distinctio esset per esse ad inuicem, id est per relationem, & eodem modo occurrunt verbis Florentini.

18 *Impugnatur primo.*

Sed contra hanc solutionem facit in primis: quod vt Concilium Toletanum explicaret qualitêr personæ diuinæ ad inuicem sunt, hæc verba subiunxit: *Quod enim Pater est non ad se, sed ad Filium est, & quod Filius est non ad se, sed ad Patrem est, similiter Spritus Sanctus non ad se, sed ad Patrem, & Filium relatiuè refertur*: ergo per ly *esse ad inuicẽ* non intelligitur sola relatio, sed relatio relatiuê opposita; & consequẽ-

Secũdo. ter sublata relatiua oppositione manere non potest distinctio. Deinde: nam aliqua esse ad inuicẽ nõ propriẽ verificatur, nisi relatiuẽ se habeãt: ergo distingui personas diuinas per *ad inuicẽ* esse non saluatur cũ proprietate per hoc, quod est relationibus distingui, nisi sint relationes relatiuẽ oppositæ.

Tertio. Tertio: nam Florentinum duo capita distinctionis distinguit, nempẽ à quo alius, & qui ab alio; at *à quo alius* solum distinguit à termino, qui est ab illo: ergo *qui ab alio* solũ realiter distinguit ab illo, a quo est vt à principio; & consequenter Spiritus Sanctus per hoc quod est ab alio procedere, solũ potest distingui ab illo, qui est suæ processionis principium.

19 *Quarto* Denique: nam Florentinum verba relata protulit ad probandum, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio, ex eo quod nulla est ratio distinctionis in diuinis, nisi per hoc, quod vna persona est ab alia; at si procedere ab vna sufficeret, vt ab omnibus maneret distincta, non rectẽ concluderet: ergo sentit manifestẽ, quod persona procedens per suam processionem, solum potest realiter distingui ab illa à qua procedit; & consequenter sublato, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio, tollitur realis à Filio distinctio.

20 *Secũda solutio ex Valẽtia.* Secundo respondeti potest ex doctrina Valentiæ, ex prælegatis testimonijs solum concludi distinctionẽ, quæ de facto inter Personas Diuinas reperitur ex relatiua oppositione venire, non autem, quod in facta hypotesi non possit distinctio realis Spiritus Sancti à Filio saluari, absque vnio ab alio processione.

Reijcitur 1. Sed contra primo: nam eo ipso, quod distinctio Spiritus Sancti à Filio, vt à formali ratione proueniat de facto à relatione relatiue opposita, & fundata in origine ab illo, per euidentem consequentiam infertur ablata processione in quacúque hypotesi non posse inter vtrumque distinctionem realem manere, sicut quia rationalitas est formalis ratio distinguendi hominem à bruto, quæcumque hypotesis auferens rationalitatem ab homine, aufert distinctionem, qua gaudet ab equo: ergo admisso processionem vnius personæ ab alia, esse rationem formalem distinctionis inter personas, in quacumque hypotesi auferatur processio, nequit realis distinctio manere.

21 *Secũdo.* Secundo: nam in diuinis, quidquid est posibile, de facto est, & quid quid de facto non est, est omnino impossibile: ergo si de facto non datur distinctio, nisi ratione oppositionis relatiuæ fundatæ in origine, est omnino impossibilis distinctio ex relatione non relatiuẽ oppositæ causata; & consequenter quæuis suppositio tollens inter Filium & Spiritum Sanctum relatiuam oppositionem in origine vnius ab alio fundatam, tollit ex consequenti realem distinctionem vtriusque.

22 *Secũdo principaliter prob. cõclusio.* Secundo principaliter suadetur conclusio: nam in diuinis omnia sũt vnum, vbi non obviat relationis oppositio; at in hypotesi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non daretur inter vtrumque relatiua oppositio, cum omnis oppositio relatiua in diuinis in origine fundetur, vt contrarij Authores fatentur: ergo nec realis inter vtrumque distinctio daretur. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur primo ex Boetio *lib. de Trinitate* non procul à fine, vbi ait, quod sola relatio in Diuinis Trinitatem multiplicat.

Maior prob. 1. *ex Boetio.* Secundo ex Anselmo *libro de processione Spiritus Sancti in secundo capite*, non remotè à principio, vbi docet, quod Pater, & Filius in omnibus vnum sunt, nisi in his, in quibus inter eos distinguit relationis oppositio, & hoc propter vnitatem essentiæ; at in tribus personis vnitas essentiæ inuenitur: ergo in tribus personis omnia vnũ sunt, in quibus relationis oppositio nõ obviat.

Secũdo ex Anselmo. Vbi aduertatis obiter, Gabrielẽ Vazquez liuore forte impugnandi D. Th. qui pro maiori nostri discurs° Anselmũ adducit, asserere in doctri-

23

na Anſelmi nõ reperiri, ſed fallitur, nec vidit Anſelmum, vt ipſum legẽti cõſtabit. Denique ſuadetur ratione: in omnibus enim perfectionibus abſolutis eſt inter diuinas perſonas perfectiſsima vnitas, in relationibus autem realis inter diuinas perſonas reperitur diſtinctio: ergo ſola oppoſitio relationis cauſa eſt diſtinctionis realis inter diuinas perſonas.

Tertio, ratione.

24 *Solutio Scotiſtarum.*

Reſpondet Scotiſtæ, non eſſe idem oppoſitionem relationis, & oppoſitionem relatiuam, gaudet enim relatio duplici oppoſitione, relatiua ſcilicet, & diſparata, quãdo ergo communiter Theologi, & Patres affirmãt ſolum oppoſitionem relationis rationem eſſe diſtinctionis realis inter diuinas perſonas, non eſt intelligendum de oppoſitione relationis tantum relatiua, ſed vel relatiua, vel diſparata: in caſu autem, quod Spiritus Sanctus à Filio non procederet, haberet oppoſitionem relationis diſparatam cum illo, etſi nõ relatiuam; ac proinde poſſet realiter ab illo diſtingui.

25 *Impugnatur primo.*

Sed contra: nam quod abſoluta realiter non diſtinguãt perſonas, bene autem relatiua prouenit ex oppoſitione, quæ propria eſt relationi non communis ſibi, & abſolutis; at in oppoſitione diſparata relationes, & abſolutæ perfectiones cõueniunt, relatiua vero oppoſitio propria eſt relationi: ergo quod relatio realiter diſtinguat perſonas, non vero abſoluta perfectio, nõ habet ratione oppoſitionis diſparatæ, ſed ratione oppoſitionis relatiuæ.

Secũdo.

Secundo, etſi oppoſitio diſparata inter abſolutas perfectiones ſufficiat cauſare in creaturis realẽ diſtinctionem, in Deo autem propter infinitatem cuiusvis perfectionis diuinæ nõ ſufficit, ſed ratione infinitatis petit quæuis abſoluta perfectio omnes alias ſibi identificare: ergo quamuis in creaturis oppoſitio diſparata inter relationes ſufficiat ad illas realiter diſtinguendas, in Deo autem ratione infinitatis nõ poterit diſparata relationum oppoſitio diſtinctionem realem inducere, ſed ſola relatiua.

Tertio.

Tertio, maior eſt diſparata oppoſitio inter abſolutum, & relatiuum, quam inter duas relationes, & tamẽ, quia inter abſolutum, & relatiuũ oppoſitio relatiua non eſt, non datur in illa realis diſtinctio in Deo: ergo nec inter duas relationes dabitur realis diſtinctio ratione oppoſitionis diſparatæ, niſi inter illas ſit realis relatiua oppoſitio.

§. IV.

Duplici ratione probatur noſtra ſententia.

TErtio principaliter ſuadetur concluſio, & impugnatur ſolutio præcedens: relatio ſpirationis non eſt diſtincta realiter à Paternitate, & filiatione; at hæc indiſtinctio non aliunde prouenit, niſi quia nõ opponitur illis relatiuè: ergo ſola oppoſitio relatiua relationis ſufficit cauſare realẽ diſtinctionẽ in Deo.

26 *Tertio principaliter prob. cũ cluſio.*

Reſpondẽt Scotiſtæ negando minorẽ, ſed quia non opponuntur diſparatè realiter, ſed ratione, aut formaliter ex natura rei. Quod ſi ab illis inquiras, qua ratione relatio ſpiratoris realiter diſparatè non opponatur filiationi, & paternitati, relatio autẽ ſpirati ex proprio conceptu opponatur oppoſitione reali diſparata relationi geniti, & Filij? Quidam ex illis cum ſubtiliſsimo Doctore reſpõdẽt, hoc eſſe, quia nõ repugnat idem agẽs duplici actione duos terminos producere, repugnat autem ex terminis, eundem terminum duplici emanatione, ſeu actione adæquata produci; cũque relatio ſpiratoris, & paternitatis ſupra actionem fundetur vt in agente, relatio autem geniti in paſsiua generatione, qua producitur

27 *Solutio Scotiſtarum.*

Filius,& relatio ſpirati, in paſsiua proceſsione impulſus, hinc fit,quod relatio ſpirati reali diſparata oppoſitione gaudeat cum relatione geniti, relatio autem ſpiratoris cum paternitate realitêr diſparatê non opponitur. Alij oneri argumenti ſuccúbentes,non aliam tradunt rationem diſcriminis,niſi quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud.

28 *Alij videntur argum. ſuccumbere. Contra primam Arg.* 1.

Sed neutra ſolutio argumento ſatisfacit, & contra primam facit primo:nam vel loquitur de diſtinctione virtuali vtriuſque proceſsionis, vel de diſtinctione reali; ſi primum,falſum eſt non poſſe eundem terminum realitêr,duplici proceſsione virtualiter diſtincta procedere,imo eſt impoſsibile,quod proceſsiones paſsiuæ virtualiter ſolum diſtinguantur, & quod illorum termini realitêr diſtinguantur,cum paſsiua proceſsio cum termino adæquatê identificetur. Si ſecundum,eſt petito principij manifeſta, cum enim paſsiuæ origines in relatione conſiſtant,aſſerere,quod relationes ſpirati,& geniti realitêr diſtingueretur, quia paſsiuæ origines diſtinguerẽtur realiter, eſt idem per idem reſpondere, & principium petere:nam quoad hoc eadem eſt difficultas, quomodo in prædicto caſu diſtinguantur realitêr origines, ſine eo quod vna ab altera ſit, ac quomodo realiter differant relationes abſque oppoſitione relatiua?

29 *Secũdo.*

Secundo:nam ſi ex creatis argumentum deſumitur, non minus repugnat terminum productum cum actione ſui princ pij, & illius aliqua relatione identificari,quam eundem terminum duplici proceſsione adæquata produci;at primo non obſtante in diuinis filiatio producta identificatur realitêr cum actione ſpiratiua,& relatione ſpiratoris,quæ idẽtificantur cum Patre generante Filiũ, quia inter filiationem, & ſpirationẽ actiuam non eſt relatiua oppoſitio: ergo non obſtante ſecundo, relatio ſpirati,& geniti inter ſe identificabuntur, ſi ab illis tollatur relatiua oppoſitio, vt in præfata hypoteſi fit.

Deinde contra ſecundũ facit primo,non eſſe rationem, ſed potius argumento plane ſuccumbere,cum huius rei inquiramus rationem,cur vnũ ſit talis conditionis vt realiter ab alio diſtinguat ſine oppoſitione relatiua, cũ tamen omnia alia,inter quæ realis relatiua oppoſitio non datur, identificata inueniantur, ad quod reſpondere,quod hoc eſt hoc,& illud illud,voluntarium eſt, & impugnatione indignum. Secundo:nam innanem, & abſque fructu facit totum Theologorum laborem in inquirendo,cur Verbum Filius ſit,& non Spiritus Sanctus? Cur imago ſit Verbũ, & non impulſus? Et cur Patris imago ſit,& non ſui,nec Spiritus Sancti? cũ omnibus his quæſtionibus,& ſexcentis alij,in quibus inueſtigandis ſudãt Theologi, ſatis occurreretur dicendo;quia hoc eſt hoc,& illud illud.

30 *Secũda ſolutio reĳcitur* 1.

Secũdo.

Tertio:nam hoc eſſe tale vt diſtinguat realitêr,alia autem talia nõ eſſe vt realiter diſtinguant, vel habetur ex quidditatiua notitia huius,& aliorum,vel ex notitia tradita per fidẽ; non primum, cum nihil entitatis diuinæ poſsit quidditatiuẽ à viatore cognoſci. Nec ſecundum:primo, nã fides,quæ docet relationẽ ſpirati eſſe talem, vt à relatione geniti diſtinguat realitêr,loquitur de ratione ſpirati,quæ de facto datur: ergo ex notitia,quam ex fide habemus de tali relatione,ſolum licet colligere,hanc quæ de facto datur talẽ eſſe vt diſtinguat,nõ tamen talẽ forein omni ſuppoſitione. Patet cõſequẽtia:nã in tali ſuppoſitione tollitur ab hac relatione aliquod prædicatum ſibi idẽtificatum,nempê,quod à Filio procedat:ergo ex eo quod per fidem habeamus modo diſtinguere, nullũ argumentũ habemus ad probandum in tali ſuppoſitione realẽ diſtinctionem præſtiturã. Secũdo: nã relatio ſpirati,quæ de facto diſtinguit realiter ab Spiritu Sãcto,realiter à Filio procedit:ergo ex hoc, quod de facto talis ſit vt diſtinguat, non rectê colligitur in hypoteſi, quod non procedat à Filio,talem eſſe ſuturam vt

31 *Tertio.*

ab illo realiter distinguat. Explicatur amplius, hæc relatio spirati, quia hæc est de facto à Filio procedit, & relatio spiratoris, quia hæc est non procedit realiter à Patre, nec à Filio; & tamen non licet inde in præfata hypotesi argumentari, relationem spirati, quia hæc est à Filio fore processuram: ergo ex eo quod modo, quia hæc realiter distinguat à relatione geniti, nõ licet colligere in hypotesi facta, talem fore, vt realiter distinguat ab illa.

32 *Deniq; prob. cõclusio.* Denique probatur nostra sentẽtia, & hucusque dicta cõfirmatur, & vrgẽtur: sola oppositio relationis, peculiaris lineæ relatiuæ, & impotens conuenire modis absolutis, potest in diuinis distinguere realiter; at sola oppositio relatiua est relatiuorum propria, nõ disparata, nã nó est ratio cur nequeat conuenire modis absolutis: ergo sola oppositio relationis relatiua est sufficiens ad distinguendum realiter in diuinis.

Explicatur primo. Explicatur hoc primo: si relatio distinguit realiter ratione oppositionis disparatæ, nulla est ratio assignabilis, cur modi absoluti omnino, nequeant realiter in diuinis distinguere; quia non est ratio, cur nequeant realiter disparatê opponere; at iuxta communem Scotistarum sententiam modi absoluti nequeunt realiter distinguere: ergo relatio distinguit non ratione oppositionis disparatæ, sed ratione oppositionis relatiuæ realis.

33 *Conf. 2.* Confirmatur secundo: oppositio disparata cum vno, absque habitudine principij, vel termini ad illud, potest per vos realiter in diuinis distinguere: ergo oppositio disparata ad omne, absque habitudine principij producẽtis, vel termini producti ad aliquod, sufficiens erit ad distinguẽdum realiter in diuinis, cum non sit maior ratio in ordine ad vnum, quã in ordine ad omne; sed oppositio disparata ad omne extremum distinctionis sine habitudine respectiua alicuius, præstaretur à modo absoluto: nam respectiuus esse non potest, nisi exprimat habitudinem relatiuã ad aliquid: ergo si oppositio solum disparata cum vno sine habitudine relatiua ad illud, potest in diuinis distinguere realiter, possunt modi omnino absoluti, realiter in diuinis distinguere.

34 *Aliter idẽ arg. formatur.* Alia via potest idem argumentũ proponi: si Spiritus Sanctus posset à Filio distingui sine processione ab illo, posset ab illo distingui, etsi à nullo, nec à Patre procederet; consequens admittit nequit, aliàs posset in diuinis dari Trinitas personarum, absque omni processione: ergo si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo. Probatur sequela: dato quod vna persona ab altera distingueretur absque processione ab illa, nõ est assignabilis ratio impossibilitatis distinctionis realis in diuinis, nisi intercedat processio: ergo erit dabilis Trinitas personarũ in diuinis, absq; vllius personę ab altera processione.

35 *Corollarium ex dictis contra Valẽtiã* Ex dictis colligo contra Valentiam, nõ solum Theologicê, sed etiã metaphysicê tractando quæstionem veram esse sententiam D. Thomæ. Quod probo: nam licet ratio naturalis non dictet Trinitatem personarum, quod tamen si danda est distinctio realis inter illas, non possit nisi à relatiua oppositione venire, naturalis ratio suadet; at ex hoc principio cognito ab authoritate colligit prædictus Author, non fore realiter distinguendũ à Filio in hypotesi data; & consequenter verã esse nostram sentẽtiã Theologicê argumentãdo: ergo ex illo naturaliter cognito id ipsum colligitur; ac proinde vera debet censeri metaphysicê argumentãdo. Maiorẽ, in qua est difficultas, sic probo: naturali ratione cognoscitur Deũ esse vnũ, & pluralitas Deorũ naturali ratione impossibilis iudicatur: ergo naturalis ratio suadet vnitatẽ diuinæ naturæ: ergo & vnitatẽ omniũ perfectionũ absolutarũ, cum eadem ratio sit de natura, ac de alijs perfectionibus diuinis; tum sic: ergo ratio naturalis suadet non posse

in diuinis perfectiones absolutas multiplicari realiter; & consequenter, quod si intra Deũ aliqua realis personarum distinctio est ponenda, non potest à perfectionibus absolutis præstari, sed à relationibus ratione oppositionis, ipsis peculiaris, quæ solum est relatiua oppositio; cum disparata, vt supra argumentabar, relationes cum perfectionibus absolutis conueniant.

§. V.

Tribus argumentis occurritur.

36 *Arg.* 1. IN contrarium obijciunt Authores cõtrarij, primo Anselmum *libro de processione Spiritus Sancti cap.* 2 illis verbis: *Filius autem, vt interim aliam causam dicã, quoniam nondum cõstat, quod Spiritus Sãctus de illo sit, & procedat, ideò non est Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus vero Sanctus, nõ nascendo, sed procedendo*: ergo sentit Anselmus solam differentiam penes nasci, & procedere, processione vnius ab alio secluſa, esse sufficientem causam distinctionis realis Spiritus Sancti à Filio; & consequenter in hypotesi, quod à Filio non procederet, ab illo realiter distingueretur.

37 *Explicatio prima reijcitur.* Variè occurritur huic Anselmi testimonio ab Authoribus nostræ sẽtentiæ, primo quidam respondẽt loqui Anselmum de processione, & natiuitate, quatenus de facto sunt, & quia de facto processio generationẽ supponit, & illi relatiuè opponitur, fit vt non sentiat, sublata processione Spiritus Sancti à Filio, permãsuram inter vtrumque realem distinctionẽ. Sed non satisfaciunt: nam Anselmus hanc causam distinctionis tradit interim, dum contra Græcos non probat Spiritum Sanctum à Filio procedere: ergo processionẽ Spiritus Sancti à Filio non assumit pro causa distinctionis, aliàs non distingueret inter vnam causam, & aliam, sed vtrãque traderet statim, vel vnam in alia includeret.

38 *Secũda reijcitur* 1. Secundo alij respondent, loqui de distinctione veluti specifica inter Filium, & Spiritum Sanctum, nõ de distinctione reali entitatiua, prima autẽ sufficienter ex distinctione inter generationem, & processionem desumitur; secus autẽ secunda. Sed nec isti sufficienter occurrunt, primo: nã in ordine ad specificam distinctionẽ, potiꝰ processionibus prouenit à terminis, quam terminis à processionibus, cum passiones à terminis speciẽ desumãt: ergo cum Anselmus causã à priori distinctionis inter Filium, & Spiritum Sanctum constituat, nõ loquitur de specifica, sed de reali distinctione, quæ relationibus à fundamento prouenit, tanquam à ratione à priori.

39 *Secũdo.* Secundo: nam vt constat ex Anselmo *in cap.* 4. distinctionem, quam negat inter relationẽ spiratoris, paternitatem, & filiationem, concedit relationibus geniti, & spirati, & huius distinctionis causam constituit natiuitatem, & processionem; at distinctio spirationis à paternitate, & filiatione est distinctio veluti specifica in linea relationis: secus autem realis entitatiua: ergo hanc concedit relationibus geniti, & spirati, & huius distinctionis reddit pro causa differẽtiam natiuitatis, & processionis.

40 *Solutio P. Vazquez excluditur.* Vazquez *vbi supra*, quem alij Recentiores sequuntur, oneri argumenti succumbunt fatentes Anselmũ in opposita fuisse sentẽtia. Fallũ-

tur

tur tamen primo, quia D. Thomas, cui magis est credendum, Anselmum interpretatur, & in sui fauorem adducit *quæst. 10. de potentia artic. 5.* Tum etiam, nam principium illud, cui totum nostræ sententiæ robur innititur, scilicet, in diuinis omnia esse vnum, vbi relationis oppositio non obviat, ex doctrina Anselmi desumitur, vt contra Vazquium vidimus in disputationis principio: ergo ne contradictio in doctrina Anselmi admittatur, nullatenus dicendum est oppositæ sententiæ patrocinium dedisse.

41 *Vera explicatio Anselmi*

Quare his omissis responsionibus, vera est, quam tradit D. Thom. *quæst. 10. de potentia artic. 1. ad 2.* scilicet, Anselmum non ex propria sententia allegata verba protulisse, sed disputatiue, & supposita sententia Græcorum distinguentium realiter Spiritum Sanctum à Filio, absque eo quod ab illo procedat. Quam esse germanam Anselmi interpretationē exinde colligitur primo, quod aliàs sibi esset contrarius, cum vt ex ipso retulimꝰ vulgatū illud Theologorum axioma, in diuinis omnia esse vnum, vbi relationis oppositio non obviat, in illius doctrina, quam tradit libro de processione Spiritus Sancti, multoties reperiatur expressum. Secundo: nam in illis capitibus iacet Anselmus fundamenta, in quibus Græci, & Latini conuenimus, quorum vnum est realis Spiritus Sāti à Filio distinctio; ne ergo sentētiæ Catholicæ, quam fatentur Latini, & nondum ipse contra Græcos ostenderat de Spiritus Sancti à Filio processione, coarctaret realem Spiritus Sancti à Filio distinctionē, verba relata protulit, non ex propria sententia, sed disputatiuē supponendo sententiam Græcorum.

42 *Replica bis.*

Sed oppones contra istam interpretationem Anselmum in eodem libro *cap. 4.* cū sibi obiiciſſet, quod si ex identitate essentiæ inter Patrē, & Filium, & Spiritum Sanctum, sequitur, aut Filium esse principium Spiritus Sancti, qui procedit à Patre, aut Filium à Spiritu Sancto procedere, etiam ex identitate essentiæ inter Filium, & Spiritum Sanctum, sequitur quod Filius spiratur, aut Spiritus Sanctus generetur, his verbis respondet: *Sed quid ego? Habēt vtique, à Patre esse Filius, & Spiritus Sanctus, sed diuerso modo, quia alter nascendo, alter procedendo, vt alij sint ad inuicem per hoc quod dictum est, & ideo cū nascitur vnus non potest cum eo nasci ille, qui per hoc est alius ab illo, qui non similiter nascitur, sed procedit, & cum vnus procedit, nequit ille simul procedere, qui per hoc est alius ab illo, qui non similiter procedit, sed nascitur*: ergo Spiritum Sanctum à Filio distingui, ex eo quod vnus natiuitate, alter processione producitur, quin ad hoc requiratur vnum procedere ab alio asseritur ab Anselmo, non ex aliorum, sed ex propria sententia, non disputatiuē, sed assertiuē.

43 *Resp.*

Respondeo negando consequētiam, nec vt argumentum dilueret necessarium erat verba allegata ex propria sententia proferre, nā cum argumentum illud sibi personā Græcorum gerens obiecisset, sufficiēter illud diluebat, illa proferens ex illorum sententia, ac si ita responderet: vos dicitis Spiritum Sanctum à Filio realiter distingui, solum per hoc, quod procedat; Filiꝰ, aut generetur: ergo per hoc interuenit inter illos realis oppositio; & consequenter ex vnitate in essentia, qua gaudent, non licet colligere, quod si vnus procedit, alter etiam procedat, vel si vnus generatur, alter similiter generetur eum ipso: nam ex vnitate essentiæ inter illas tantum colligitur debere conuenire in illis prædicatis, in quibus illos relatio non distinguit. Cæterum cum Pater non differat à Filio per actiuam spirationem, sequitur ex vnitate essentiæ, quam habet, quod si Pater spirat, Filius etiam debeat spirare.

44 *Secūdū argum.*

Secundo obijciunt: impossibile est, quod vna persona duplici pro-

ceſsione adæquata procedat. Tum, quia vt docet Ricardus de Sancto Victore 4.de Trinitate cap. 13. & 15. *Per hoc perſonæ ſecundum originem differunt, quod altera originem habet, & altera origine caret, vel ſi originem habet, origo vnius differt ab origine alterius.* Tum etiam, nam ſecundum originis modum differunt perſonæ; & conſequenter nequit vna perſona duplici adæquata proceſsione gaudere; at etiam ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, origo tamen vnius differret ab origine alterius, cũ per ſola principia formalia, intellectum nempê, & voluntatem, quocumque alio circunſcripto diſtinguãtur origines: ergo in data hypoteſi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, realiter differret ab illo.

35 *Reſp.* 1. Reſpondeo ex D. Thoma *q.* 10. *de potentia art.* 5. *ad* 1. 2. 3. & 4. Et *in præſenti art.* 2. *ad vltimum*, vel conceſſa maiori negando minorem, quia vt docet D. Thomas *ſupra quæſt.* 27. *art.* 3. *ad* 3. proceſsio per voluntatem differt à proceſsione per intellectum ratione ordinis originis, quam dicit ad illam, vnde ordine originis ab illa ſublato, vt fit in præfata hypoteſi, non eſt duplex, ſed vna proceſsio realiter.

Secũdo. Vel claritatis gratia, diſtinguo maiorem: duplici adæquata realiter, & realiter diſtincta, concedo maiorem: duplici adæquata ſolum cum vna ex formalitatibus in termino inventis, & virrualiter ab alia diſtincta, nego maiorem, & diſtinguo minorem: origo vnius differret ab origine alterius in præfata hypoteſi realiter, nego minorem: virtualieer ſolum, concedo minorem, & nego conſequentiam. Nec verum eſt penes ſola principia formalia diſtingui realiter origines, ſed per hoc, quod vna alterã ſupponat, & ſit à termino per illam producto, vt conſtat in originibus actiuis, quæ realiter non diſtinguuntur, eo quod vna non eſt origo alterius, diſtinctio autem ex principijs deſumpta, ſolum eſt virtualis, & veluti ſpecifica, quæ cum identitate reali compatitur, & neceſſario coniuncta inuenitur, niſi interueniat habitudo originis.

Impoſtura P. Vazq. Quæ doctrina cum expreſſa ſit D. Thomæ, nec potuerit doctis Thomiſtis latere, apertê fallitur Vazquez affirmans quoſdam Thomiſtas oſcitanter in præfata hypoteſi admittere paſsiuas origines fore realiter diſtinguendas, & Spiritum Sanctum à Filio realiter non diſtinguẽdum. Sed ipſe potius oſcitanter, & liuore impugnandi legit Thomiſtas, qui in prædicto caſu, non realem diſtinctionem, ſed virtualem ſolum admittunt inter paſsiuas origines.

36 *Inſtantia ailuta.* Si dicas, in præfata hypoteſi Filius adæquatê per generationẽ ſupponeretur productus: ergo per proceſsionem, non Filius, ſed perſona realiter ab illo diſtincta deberet produci. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: adæquatê realiter, nego antecedens: adæquatê formaliter, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: non produceretur Filius formaliter ſub formalitate Filij, concedo conſequentiam: realiter ſecundum aliquam formalitatem ſibi identificatam, nempê relationem ſpirati, quæ in præfata hypoteſi illi identificaretur, nego conſequentiã.

37 *Inſtabis* Inſtabis: proceſsio per voluntatem eſſentialiter petit pro termino proprietatem conſtituentem perſonam; at eo ipſo, quod terminetur ad Filium identicê ſub aliqua formalitate ſibi identificata, terminari nequit ad proprietatem conſtituentem perſonam: ergo repugnat illi in quauis ſuppoſitione formalitatem identificatam cum Filio habere pro termino.

Reſp. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: adæquatê accepta, concedo maiorem: concepta inadæquatê, nego maiorem; & conceſſa minori, nego conſequentiam, vel diſtinguo cõſequens: in quauis ſuppoſitione eius adæquatam rationem ſaluante, concedo conſequentiam: non ſaluante, nego conſequentiam. Itaque pro-

ceſ-

ceſsio per voluntatem conſiderari poteſt, penes ordinem ad principium formale, ſcilicet, voluntatem, & penes ordinē ad principiū *quod*, ſcilicet, Patrem, & Filium, ex primo ordine ſolum petit pro termino impulſum, ex ſecundo petit impulſum perſonaliter ſubſiſtentem; cum ergo in prædicta hypoteſi non maneat proceſsio per voluntatem penes ordinem ad principium *quod*, ſcilicet Patrem, & Filium, ſed ſolum cū ordine ad voluntatem, nec manet cum prædicato eſſentiali proceſsionis à Patre, & Filio; conſequens fit, quod non maneat cum exigentia termini conſtituentis perſonā, ſed aduenientis perſonæ conſtitutæ.

38 *Arg. 3.* Tertio obijciunt: non ſolum relatiua, ſed etiam diſparata relationis oppoſitio ſufficit ad diſtinguendum realiter in diuinis: ergo ex eo quod in prædicta hypoteſi non maneat inter Filium, & Spiritum Sanctum relatiua oppoſitio, non rectè colligitur non ferè realiter diſtinguēdos.

Antec. prob. 1. Conſequentia tenet ex dictis, antecedens autem probant dupliciter: primo: nam filiatio realiter diſtinguit Filium à Spiritu Sancto; & tamen non relatiue opponitur illi, cum non referat Filium ad Spiritum Sanctum, in quo relatiuè opponere conſiſtit: ergo relationis oppoſitio non relatiua, realiter in diuinis diſtinguit.

39 *Secūdo.* Secundo, caſu in quo Spiritus Sāct⁹ à ſolo Filio procederet, proceſſio illum à Patre diſtingueret realiter, aliàs Filius à quo Spiritus Sanctus procederet, procederet etiam ab aliquo identificato realiter cum Spiritu Sancto, quod non ſolum eſt impoſsibile, ſed etiam imperceptibile; & tamen in tali caſu proceſsionem opponeret Spiritum Sanctum Patri realiter relatiuè, cum ab illo non eſſet, ſed à ſolo Filio ergo idē quod prius.

40 *Prima ſolutio impugnatur.* Reſpondeo negando antecedens: ad primam probationem, Suarez *vbi ſupra num. 16.* reſpondet, filiationē, etſi non referatur, ſeu referat Filium ad Spiritum Sanctum, eſſe tamen rationem formalem terminandi Spiritus Sancti relationem ad ipſum, & hoc ſufficere ad realem oppoſitionē relatiuam. Diſplicet tamen iſta ſolutio: nam licet verum ſit ſufficere ad realem diſtinctionem eſſe rationē formalem terminandi relationē oppoſitam, falſum tamen iudico filiationem eſſe rationem formalem terminandi relationem ſpirati. Tum, quia vt tradunt noſtri Thomiſtæ *in Logica capite de relatione*, in relatiuis eadem forma, quæ eſt ratio referendi, eſt ratio terminandi relationem oppoſitam, quo circa ibi docent relationes formaliter ad relationes terminari; at filiatio non eſt ratio referendi Filium ad Spiritum Sanctum: ergo nec formalis ratio terminandi relationem ſpirati Tum etiam: nam eadem relatio ſpirati eſt ratio terminandi ad relationem ſpiratoris, & ratio referendi Spiritum ad ſpiratorem: ergo relatio ſpiratoris erit ratio terminandi, & referendi ſimul; & conſequenter filiatio ratio formalis terminandi non erit.

Tum denique, nam ex oppoſito fieret relationi ſpirati duplicem rationem formalem terminandi reſpōdere, paternitatē ſcilicet, & filiationem; at hoc eſt falſum, aliàs vna ſpecifice relatio non eſſet, cum relationes ſpeciem venentur à formalibus terminis, & conſequenter illis multiplicatis, neceſſario varientur ſpecificè: ergo filiatio non eſt formalis ratio terminandi relationem ſpirati. Nec reſpōdere ſufficit diſtingui partialitēr, ex partiali autem terminorum diſtinctione, non ſequitur ſpecifica relationum diſtinctio: nam in contrarium obſtat, quod ſi paternitas, & filiatio poſſunt adunari ad partialiter terminādum vt rationes formales relationum ſpirati, puſſunt etiam adunari ad partialiter referēdum. Ex quo vlterius fieret non eſſe in diuinis quatuor relationes reales, ſed ſuperfluere relationem realem ſpiratoris contra communem Theologorum ſententiam.

41 *Aliorũ solutio reijcitur.*

Valentia *vbi supra solutione ad 4. argumentum* respondet, quod licet filiatio non opponatur relatiuè processioni ratione relationis, opponitur illi relatiuè ratione originis, & hoc sufficere vt realiter ab illa distinguat. Sed non placet ista responsio: nam idcircò non opponitur filiatio processioni relatiuè ratione relationis, quia non est ratio referẽdi Filium ad Spiritum Sanctum, sed nec est ratio originis, cum processio Spiritus Sancti à Filio, illum per filiationem constitutum supponat: ergo non opponitur processioni relatiuè ratione originis. Si forte dicatur, quod licet filiatio formaliter origo non sit, est principium originis, seu conditio, aut complementũ principij, & hoc sufficere vt opponatur processioni relatiuè ratione originis. In contrarium obstabit: nam est principium radicans relationem spiratoris: ergo si quia est principiũ originis opponitur processioni ratione originis, opponetur etiam illi ratione relationis, quod negat Valẽtia.

42 *Vera solutio.*

Quare omissis his solutionibus ad primam argumenti probationem respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: non opponitur relatiuè formalitèr, concedo minorem: connexiuè, seu radicalitèr, & substractiuè, nego minorem, & consequentiam: nam opponi relatiuè stat tripliciter, primo formaliter, & hoc modo solum opponitur relatio sub conceptu referentis. Secundo radicalitèr, seu cõnexiuè, & hoc modo opponitur relatiuè, quod radicat conceptum referentis. Tertio substractiuè, idest constituendo substractum vt *quod* referendum: nã quod vt *quod* refertur, vt *quod* extremo, ad quod opponitur, refertur. Licet autem filiatio non opponatur relatiuè formaliter processioni, seu spirati relationi, quia non est formalis ratio referendi Filium ad Spiritum Sãctum, opponitur tamen illi alijs duobus modis. Tum, quia radicat relationem spiratoris referentem formaliter. Tum etiam, quia constituit substractum referendum vt *quod* per relationem spiratoris ad Spiritum Sãctum, & hoc vltimum insinuasse videtur D. Thomas *quæst. 10. de potentia art. 5. ad 13. argumentum*, vbi cum sibi opposuisset, quod filiatio distinguit realiter Filium à Spiritu Sancto, & tamen illi non opponitur relatiuè, &c. respondet: *Dicendum, quod licet filiatio non opponatur relatiuè processioni, tamen procedens opponitur relatiuè Filio, & per hoc processio à filiatione distinguitur*: ac si apertius dixisset, quod licet filiatio non sit ratio referendi ad Spiritum Sanctum, constituit tamen substractum *quod* referetur vt *quod*, & *cui* vt *quod* relatiuè opponitur processio, & per hoc inter filiationem, & processionem datur realis distinctio.

Sed opponit Valentia: essentia est radix relationis; & tamen non distinguitur realitèr ab aliqua ex diuinis personis: ergo quod filiatio radix sit relationis spiratoris, non sufficit, ad hoc, quod realiter distinguat Filium à Spiritu Sancto. Respondeo, essentiam esse radicem communem omnium relationum, non peculiarẽ alicuius, & ideò nulli ex illis opponi, nec ab illarum aliqua realiter distingui. Cæterum filiatio taliter radicat relationem spiratoris, quod in radicando adæquatur cum illa, ideſt, aliã non radicat, & idcircò opponitur sufficiẽter relationi spirati, vt ab illa realiter Filiũ distinguat. Ad secundã probationem antecedentis

§. sequenti occurretur.

43 *Instãtia soluta.*

(*)

§. Vltimus.

Catera argumenta diluuntur.

44 *Arg.* 4. QVarto obijciunt: si Spiritus Sanctus procederet à Filio, & non à Patre, distingueretur realiter ab vtroque, aliàs inter idem, & idem realiter daretur mutua realis processio, cum Filius à quo Spiritus Sanctus procederet, esset etiam per processionem à Patre, qui realiter identificatus esset cum Spiritu Sancto: ergo etiam si Spiritus Sanctus procederet à Patre, & non à Filio, ab vtroque posset manere realiter distinctus. Patet consequentia. Tum à paritate. Tum etiam: nam in data hypotesi Spiritus Sanctus non opponeretur relatiuè Patri, & tamen realitèr distingueretur ab illo: ergo absque oppositione relatiua saluatur realis distinctio; & consequenter, quamuis in nostra hypotesi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, & illi relatiuè nō opponeretur, posset realitèr ab illo distingui.

45 *Solutio Valētiæ reijcitur.* Ad hoc argumentum Valentia, quem aliqui Recentiores sequuntur, respondet negando antecedens, nec inconueniens reputat, quod inter Filium, & Spiritum Sanctū daretur in prædicta hypotesi mutua realis processio: nam ex illo impossibili admisso, hoc inconueniens, & multa alia sequuntur. Cæterum hæc solutio falsa est, & inconsequens in propria doctrina. Secundum patet: nam hic Auctor fatetur in prædicta hypotesi non mansurum, nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum, eo quod ab illis auferetur constitutiuum, & distinctiuum: ergo ex illa inferri nō potest inter Filium, & Spiritum Sanctum realis processio. Primum autem probo, non enim minus repugnat idem à se ipso mediatè procedere per se, quam immediatè; at immediata processio realem inter extrema distinctionem exposcit: ergo etiā mediata; ac per consequens, cum Spiritus Sanctus à Patre in illo casu mediatè procederet, vtpote procedens à Filio per se secundum virtutem à Patre communicatam; consequens fit, quod in prædicto casu necessario Spiritus Sanctus à Patre realiter deberet distingui.

46 *Vera solutio.* Et ex his ad argumentum respondeo, concesso antecedenti, negādo consequentiam. Ad primam probationem constat iam disparitatis ratio: nam in illa hypotesi Spiritus Sanctus à Patre mediate procederet, in casu autem quod non procederet immediate à Filio, nullo modo procederet ab illo. Ad secundam, distinguo maiorem: relatiuè immediatè, concedo maiorem: mediatè, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: absque relatiua oppositione mediata, & immediata, nego consequentiam: absque aliqua ex illis, concedo consequentiam. Ex quo nihil contra nostram conclusionem colligitur, nam in hypotesi de qua disputamus, nec immediata, nec mediata relatiua oppositio inter Spiritum Sanctum, & Filium interueniret.

47 *Instat Valētia* Sed instat contra hanc solutionem Valentia: non stat aliquid distingui ab altero mediatè: ergo si in dicta hypotesi Spiritus Sanctus nō distingueretur immediate à Patre, nullo modo distingueretur realiter ab illo. Probat antecedens, eatenus namque vnumquodque distinguitur quatenus est; at nihil potest habere esse mediate, sed immediatè debet per suam entitatem constitui: ergo nec potest ab alio realitèr mediatè distingui.

48 *Resp.* Respondeo, distinguendo antecedens: mediatê intrinsecé, concedo antecedens: extrinsecé, nego antecedens, & distinguo consequens: immediate per exclusionem alterius vt intrinsecæ formæ, concedo consequentiam: per exclusionem alterius, vt extrinseci, nego consequentiam. Itaque sicut in illo casu Spiritus Sanctus per relationem spirati constitueretur intrinsecê; ita etiam per illam intrinsecê distingueretur à Patre, & Filius, qui esset extremum medio quo à Patre procederet, non concurreret ad dandam distinctionem, vt forma intrinseca, sed extrinseca solum, & eodem modo ad esse Spiritus Sancti concurreret. Vnde tam esse, quam distingui conueniret Spiritui Sancto immediate per exclusionem alterius mediantis tanquam intrinseca forma, non tamen immediatê excludente aliquod medians, vt extremum extrinsecũ, quod sicut mediaret ad hoc, quod est à Patre procedere, ita etiam ad esse Spiritus Sancti, & ad eius distinctionem à Patre mediaret.

49 *Arg. 5.* Quinto obijciunt: in data hypotesi maneret in Filio ratio formalis, quæ illum de facto à Spiritu Sancto realiter distinguit: ergo realiter ab illo maneret distinctus. Consequentia est euidens, manente namque ratione formali, effectus etiam formalis perseuerare debet. Antecedens autem probant: ratio formalis, quæ modo Filium à Spiritu Sancto distinguit, est Filiatio; at in illo casu maneret Filiatio: ergo maneret ratio formalis, per quam modo Filius à Spiritu Sancto distinguitur. Probant maiorem, id namque est formalis ratio distinguendi, quod dat esse tanquam ratio formalis; at forma Filium in ratione personæ constituens est Filiatio: ergo etiam ratio formalis distinguendi realiter à Spiritu Sancto.

50 *Resp. Caietanus* Hoc est argumentum, cui potissime fidunt contrariæ sententiæ Auctores, ad quod non vno modo respondetur à patronis nostræ sententiæ. Caietanus *in præsenti art. 2.* respondet, negando filiationem esse rationem formalem distinguendi realiter Filium à Spiritu Sancto. Ad probationem autem, quod scilicet idem est constitutiuum, & distinctiuum, respondet id esse verum in formis absolutis: secus autem in relatiuis: nam cum esse relationis relatiuũ sit, & in ordine ad correlatiuũ, ita distinctio illius in quantum talis solum à correlatiuo esse potest. Vnde quia Filiatio non refert Filium ad Spiritum Sanctum, non relatiuê opponit, ac proinde, nec vt ratio formalis Filium realiter à Spiritu Sancto distinguit, sed ratio formalis huius distinctionis est relatio spiratoris, per quam sicut ad Spiritum Sanctum refertur, ita ab illo realiter relatiuê distinguitur. Solutionem istam posse verum sensum habere ex resolutione nostra constabit, dissimulet tamen, vt iacet, qualiter explicatur communiter.

51 *Quorũdã impugnatio reijcitur.* Illam graues Theologi impugnant, eo quod relatio creata non solum à correlatiua, sed etiam ab alijs distinguitur realiter, v.c. relatio similitudinis, qua vnum album ad aliud refertur, non solum ab alio sibi simili distinguitur realiter, sed etiam ab alijs, siue relatiuis, siue absolutis: ergo falsum est principium à Caietano assumptum, videlicet relationê solum à suo correlatiuo distinguere, aut distingui realiter. Verum sic impugnantes non gustarunt subtilem Caietani mentem, Caietanus namque, non negat relationem creatam distingui realiter ab alijs à suo correlatiuo distinctis, sed duplicem distinctionem in relatione agnouit, alteram sibi, & alijs prædicamentis cõmunem, alteram propriam relationis, prima non est tantum respectu sui correlatiui, bene vero secunda, eo quod distinctio, quam relatio peculiariter præbet præ alijs generibus, relatiua debet esse; ac proinde adcorrelatiuum solum debet terminari. Ex quibus vtraque in relatione creata realis potest esse, quia illi ob sui

limi-

limitationem non debetur identitas cum his ad quæ non se habet relatiuè, in relatione autem diuina, quia infinita est, solum illa distinctio, quæ est peculiaris generi relatiuo, scilicet relatiua, realis esse potest; cum alijs namque quibus solum disparatè opponitur, petit identificari ratione infinitatis. Vnde in forma ad impugnationem respondeo de mente Caietani, distinguendo antecedẽs: distinctione relationi propria, nego antecedens: sibi, & alijs prædicamẽtis communi, concedo antecedens, & nego consequentiam ob rationẽ iam datam.

52 *Solutio Caietani, vt communiter explicatur, reijcitur* 1.

Displicet tamen doctrina illa Caietani, nisi iuxta dicenda intelligatur, & quia tuſior illius impugnatio spectat *infra ad quæstionem* 40. modo breuiter reijcitur primo: nã cum D. Thomas *quæst.* 10. *de potẽtia art.* 5. sibi obiecisset in argumẽto 13. quod Filiatio est proprietas Filij, illum distinguens realiter à processione, cui tamen relatiue non opponitur; non respondit negando Filiationem esse proprietatem constituentem Filium, & illum distinguentem realiter à Spiritu Sancto, sed dixit, quod licet Filiatio non opponatur relatiuè processioni; processio tamen relatiuè opponitur Filio; at si distinctio Filij à Spiritu Sãcto à Filiatione non esset, sed à relatione spiratoris, facilius argumento facto occurreret Angelicus Doctor asserendo, Filiationem non distingue re Filium adæquatè, licet ipsum in ratione personæ constitueret: ergo doctrina ex Caietano relata ad mentem D. Thomæ non est.

53 *Secũdo.*

Secundo: nam distinctio realis Filij à Spiritu Sancto, personalis est: ergo à proprietate personali debet tanquam à ratione formali præstari; at spiratio actiua non est personalis proprietas. Tum, quia id expressè docet D. Thomas 1. *ad Annibaldum distinct.* 27. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 3. Tum etiam, quia communis est Patri, & Filio; proprietas autem personalis vni personæ debet esse propria: ergo ab illa tanquam à ratione formali prouenire nequit distinctio realis Filij ab Spiritu Sancto, & consequenter à Filiatione debet præstari.

54 *Tertio.*

Tertio: nam Filiatio ratione sui est incommunicabilis realiter Spiritui Sancto, alias ratione sui personalitas non esset: ergo ratione sui Filium realiter à Spiritu Sancto distinguit. Quarto: nam distinctio realis Filij ab Spiritu Sancto, realiter est distincta à distinctione reali Patris ab eodem Spiritu Sancto, alias personalis distinctio non esset: ergo non à forma, quæ in Patre, & Filio eadem sit, qualis est communis spiratio, sed à forma realiter distincta, qualis est Filiatio debet prouenire.

Deniq;

55 *Solutio Patris Vazq.*

Vazquez *vbi supra num.* 36. cum Caietano conuenit in eo, quod non Filiatio, sed communis spiratio realiter distinguat Filium à Spiritu Sãcto, ad illud autem principiũ, quo asseritur, idem esse principium constitutiuum, & realiter distinctiuũ reiecta Caietani doctrina respõdet, verum esse quando constitutiuum est reale: secus autem quando solum secundum rationem, tunc namque sufficit, quod ratione distinguat, & quia Filiatio solum per rationem Patrem constituit in ratione personæ; hinc fit, quod non debet realiter illum distinguere, sed per rationem solum.

56 *Reijcitur.*

Hæc tamen doctrina ex falso principio procedit, scilicet constitutionem personarum, non esse realẽ, sed secundum rationem, quod impugnatur *infra quæst.* 40. vbi de constitutiuo personarum tractatur. Et ex falso principio malam efficit consequentiam; dato namque, quod solum per rationem Filiatio constituat, non colligitur rectè non debere realitèr ab omni alio distinguere. Tum, quia non obstante, quod per rationem constituat, realiter distinguit Filium à Patre: ergo illo non obstante, realiter etiam à Spiritu Sãcto distinguit. Tum etiam, nam re-

latio ſpiratoris non conſtituit Filiũ realiter in aliquo eſſe, ſi ſemel verũ eſt Filiationem realiter non conſtituere; & tamen Filium à Spiritu Sãcto diſtinguit, vt Vazquez fatetur: ergo idem quod prius. Tum etiam, nam rationalitas iuxta iſtius Auctoris ſententiam, non realitêr, ſed ſecũdum rationem hominem conſtituit, cum ſolum ratione diſtinguatur ab homine, ob quam rationem Filiatio realitêr non conſtituit Filium; & tamen realiter diſtinguit hominem ab omni non rationali: ergo etiam ſi Filiatio ſolum per rationem Filiũ conſtituat, realiter ab omni non Filio diſtinguet. Tum denique: nam id, quod ſolum per rationem conſtituit, maiori identitate gaudet, cum conſtituto, quam realiter cõſtitutũ: ergo ſi hoc realiter ab omni alio diſtinguit, à fortiori & illud. Nec exẽplum, quo vtitur Vazquez actionis, & paſsionis conſtituentium per rationem propria genera, & ſpecies, & tamen à motu realiter non diſtinguẽtium, aliquid valet; nam conſtitutiuum non debet diſtinguere realitêr ab omni alio, ſed ab omni alio reali alietate, qualis inter Filium, & Spiritum Sanctum reperitur, non autem inter actionem, & paſsionem à motu.

57 *Aliorũ ſolutio impugnatur.*

Tertio alij reſpondent negando minorem: tunc, ſcilicet, Filiationem manſuram, imo nec Paternitatem, nec proceſsionem, vnde nec diſtinctiuum reale Filij à Spiritu Sancto maneret. Ita Valentia, quem aliqui Recentiores ſequuntur. Sed nec placet iſtorum ſolutio. Tum, quia licet per conſequentias mediatas, & realitêr Filiatio à ſuppoſitione noſtra tollatur, imo, & proceſsio, & paternitas, immediatê tamen, & per intellectum non deſtruit Filiationem, nec proceſsionem, ſed ſolum à Filio tollit, quod ſit principium Spiritus Sancti, & ab Spiritu Sancto, quod procedat à Filio; at quando ex ſuppoſitione impoſsibili inueſtigatur ratio formalis alicuius effectus, non eſt attendendum ad id, quod mediatê, & realitêr per talem ſuppoſitionem deſtruit, ſed ſolum ad id, quod per intellectum, & immediatê, conceſſo per impoſsibile, quod alia perſeuerent: ergo vt argumentum Scoti ſoluatur recurrendum, non eſt ad hoc, quod Filiatio, & proceſsio penitus deſtruantur, ſed admiſſo, quod aliquomodo perſeuerant, eius ſolutio eſt requirenda. Minor explicatur, & probatur ſimul; ſiquis namquẽ ad inueſtigandum rationem formalem in Deo producendi creaturas inquirat, an ſi per impoſsibile Deus non eſſet Trinus, creaturæ manerent, licet hac ſuppoſitione, mediatê, & realiter Deus deſtruatur, quia tamen per intellectum, & immediate Deum non deſtruit, eo quod negatio Trinitatis non eſt immediata, & formalis Deitatis deſtructio, vt argumenta ſoluat, qui negatiuam ſententiam ſuſtinuerit, non debet recurrere ad hoc, quod Deus in prædicta hypoteſi non maneret, ſed illo admiſſo, & negata Trinitate, argumenta ſoluere debet: ergo vera eſt minor facti diſcurſus. Secundo: nam aliàs Latini Patres vt Spiritum Sanctum probarent à Filio non diſtinguendum; non debebant argumentari ex eo quod à Filio non procederet, ſed ex eo, quod nec Filius, nec Spiritus Sanctus manerent; at D. Thomas, & alij Patres non ex hoc ſecundo capite, ſed ex primo ſuum argumentum deſumunt: ergo ad occurrendum Scoto, recurrendũ non eſt ad hoc, quod non manet vllo modo Filiatio, ſed hoc aliquomodo admiſſo, Scoti argumento tenemur occurrere.

58 *Vera ſolutio.*

Ad illud ergo reſpondeo communi noſtrorum Thomiſtarum ſolutione, negando antecedens. Ad eius probationem, diſtinguo maiorem: ratio formalis diſtinguens Filium realiter à Spiritu Sancto, eſt Filiatio ſub expreſſo Filiationis conceptu, quo refertur ad Patrem, nego maiorem: ſub conceptu radicis ſpirationis, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: maneret in prædicto caſu Filiatio ſub primo conceptu, conce

do

do minorem: sub secundo conceptu, nego minorem, & consequentiam.

59 *Oppones 1.*

Sed oppones primo: quia relatio spiratoris est communis Patri, & Filio, non potest Filium personaliter à Spiritu Sancto distinguere, vt contra primam solutionem docuimus; at esse spirationis radicem est Patri, & Filio commune: ergo Filiatio non distinguit personaliter Filium ab Spiritu Sancto sub conceptu radicis, sed sub conceptu expresso relationis, seu formæ hypostaticæ sub quo in prædicta hypotesi manet.

Secũdo.

Secundo, esse spirationis radicem est prædicatum essentiale Filiationi: ergo ablato ab illa hoc prædicato, implicat Filiationem manere, & consequenter incidimus in solutionẽ proximè à nobis impugnatam.

60 *Resp. ad 1. instantiam.*

Respondeo ad primam ex his obiectionibus, quod licet conceptus radicis vt sic, communis sit Patri, & Filio, talis tamẽ conceptus radicis, scilicet per modum Verbi, peculiaris est Filiationi, & iste est sub quo Filiatio Filium personaliter distinguit à Spiritu Sancto.

Ad 2.

Ad secundam respondeo, concesso antecedenti distinguendo consequens: implicat Filiationem manere re ipsa, & per consequentiam mediatam, concedo consequentiam: implicat Filiationem manere sub inadæquato conceptu in ratione, & per consequentiam immediatam, nego consequentiam, & illã quæ subinfertur; nam solutio, quam impugnauimus affirmat, nostram suppositionem immediatè, & per rationem, adæquatè Filiationem, & processionem Spiritus Sancti destruere. Exemplum est in hac conditionali: si homo rationalis non esset, non distingueretur ab equo, per quam immediatè, & ratione nostra solum tollitur ab homine rationalitas, non vero animalitas, re tamen ipsa, & per mediatam consequentiam, & rationalitas, & animalitas hominis destruitur; eo quod re ipsa implicat vnum ex his prædicatis sine alio manere ratione identitatis inter vtrum que: ita in præsenti in hypotesi facta, scilicet, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo, immediatè, & per rationem, solum tollitur à Filio, quod sit Spiritus Sancti principium, licet re ipsa, & per consequentiam mediatam tollatur adæquate Filiatio, quod in omni suppositione impossibili euenit.

61 *Instabis*

Instabis; esse spirationis radicẽ non comparatur ad Filiationem, quatenus distinguit à Patre, vt differentia ad genus qualiter rationalitas ad animalitatem comparatur in homine, nec vt illius proprietas, sed tanquam ipsissimus differentialis Filiationis conceptus: ergo negatio talis prædicati non solum realitèr, sed etiam per rationem, non mediatè, sed immediatè est destructio Filiationis sub omni conceptu.

62 *Resp.*

Respondeo distinguendo vltimam antecedentis partem: vt ipsissimus conceptus absque distinctione saltim inadæquata, seu quoad munus, nego antecedens: absque distinctione adæquata, concedo antecedens, & nego consequentiam: itaque Filiatio constituit Filium in ratione personæ sub conceptu formæ hypostaticæ, sub quo non exprimit munus referendi ad Patrem, nec respiciendi Spiritum Sanctum, sed solum constituendi personam, & in illo cõceptu est connexio, cum expresso referendi ad Patrem, & est connexio cum relatione spiratoris tanquam radix illius, licet autem inter Filiationem vt connexam, cum munere respiciendi Patrem, & vt connexam cum relatione spiratoris per modũ radicis, adæquata distinctio non detur, datur tamen inadæquata, & sub vna connexione nõ exprimit aliam, sicut inter conceptum essentiæ, & naturæ licet non detur adæquata distinctio, datur tamen inadæquata, ita vt essentia sub conceptu essentiæ non explicet, sed implicet conceptum naturæ, ideſt radicis, proprietatum, & operationum: sicut ergo negatio cõceptus naturæ, non est immediata destructio, & per rationem conceptus

essen-

eſſentiæ;ita negatio radicis ſpiratio nis non eſt immediata,&per rationẽ deſtructio Filiationis, quatenus diſtinguit à Patre,ſed ſolum re ipſa, & mediate infert deſtructionem illius. Et iuxta noſtram ſolutionem poteſt Caietani doctrina ad verum ſenſum reduci,ſi nomine ſpirationis realiter diſtinguentis Spiritum Sanctum à Filio , non relationem ſpirationis, ſed illius radicem intelligat, & nomine referentis, non expreſſum referendi conceptum , ſed radicem illius.

63 *Replic.* Sed contra doctrinam traditã replicabis: ex hucuſque dictis ſequitur,poſſe perſonas diuinas per modos abſolutos diſtingui , & conſtitui; conſequens eſt falſum : ergo hucuſque dicta ruunt. Probatur ſequela,Filiatio,v.c. diſtinguit Filium ab Spiritu Sancto,quia radicat ſpiratio nem actiuam,quin ratione huius radicationis ſit in ſpecie actiuæ ſpirationis,ſed virtualiter ab illa adæqua te diſtinguitur: ergo radicatio relationis, virtualitêr adæquatê à radicante diſtinctæ,ſufficit ad diſtinguendum radicantem relationem à termino relationis radicatæ; ſed radicatio relationis virtualiter adæquatê à radicante diſtinctæ,non eſt cur repugnet formæ , & modo realiter, abſolutis, cum per talem radicationem non conſtituatur in linea relationis radicatæ:ergo non eſt cur per modos abſolutos non conſtituantur, & diſtinguantur perſonæ. Reſpondeo, ad iſtam radicationem ſupponi neceſſario formam non eſſe communem , ſed alicui perſonæ ſpecialem, & quia modi abſoluti communes ſunt,in diuinis enim omnia ſunt communia,vbi non obuiat relationis oppoſitio;fit conſequens,quod iſta radicatio illis competere nequeat.

64 *Arg. 6.* Sexto contra noſtram ſententiã arguitur: in hypoteſi, quod Spiritus Sanctus liberê à Filio procederet,diſtingueretur realiter à Filio quamuis actu ab illo non procederet : ergo abſolute ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, diſtingueretur realiter ab illo. Conſequentia videtur bona,antecedens autem probo; etiã ſi de facto non procederet,poſſet tamen procedere; ſed quod ab aliquo non diſtinguitur realiter, non poteſt realiter procedere ab illo: ergo in caſu quod procederet libere,realiter diſtingueretur à Filio,etſi actu ab illo non procederet.

65 *Reſp.* Si dicas,ſuppoſitionem eſſe implicatoriam in terminis , & id circo ex illa quodlibet inferri. In contrarium obſtat,non minus eſſentiale eſſe Spiritui Sancto procedere à Filio, quam proceſsionẽ eſſe neceſſariam, primo non obſtante ſupponitur ad diſputationem Spiritum Sanctum non procedere à Filio: ergo poteſt etiam, & debet ad ſoluendum argumentum ſupponi proceſsionem non neceſſariam,ſed liberam eſſe. Quare omiſſa ſuppoſitione,reſpondeo diſtinguendo antecedens: ſi quamuis actu non procederet, poſſet tamen procedere, concedo anrecedens : ſi nec procederet, nec poſſet qualiter in noſtra diſputatione ſupponimus, nego antecedens,& conſequentiam: quia noſtra hypoteſis vtrumque ſupponit , ſcilicet,quod nec procedat, nec poſsit procedere. Quod ſihypoteſis aliter fiat, ſcilicet , ſi Spiritus non procederet, poſſet tamen procedere,an diſtingueretur,vel non? Dicatur tunc diſtinguendum realiter à Filio per relationem fundatam in potentia originis,etſi non in actuali origine.

66 *Deniq; arg.* Denique arguitur : dato quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio efficienter , dummodo Filius eſſet ad illius proceſsionem conditio , realiter diſtingueretur ab illo: ergo in hypoteſi quod Spiritus Sanctus à Filio non procederet , ab illo diſtingueretur realiter. Probatur antecedens primo , amor creatus à Verbo realiter diſtinguitur , etſi ab illo non ſit efficienter,quia Verbum eſt ad eius elicientiam præuia conditio : ergo etſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio efficienter, ſi Filius eſſet ad illius proceſsionem

con-

conditio, realiter distingueretur ab illo. Secundo, Paternitas non est principium effectiuum Filij, sed tantum conditio, aut complementum principij; & tamen realiter à Filio distinguitur: ergo etiam si Spiritus Sanctus à Filio non procederet vt à principio efficiente, dummodo esset ad eius processionem præuia conditio, realiter distingueretur ab illo.

67 *Resp.* Respondeo negando antecedēs. Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: in creatis namque ob limitationem, non solum producens *quod*, sed etiā principium *quo*, & conditio, seu cō plementum principij producentis, realiter petunt distingui; in diuinis autem ob infinitatem sicut principiū *quo* non petit realiter distingui, ita nec id quod solum esset conditio principij. Ad secundam nego causalem, sed quia paternitas est ipsa relatiua oppositio in processione vni^ae personæ ab alia fundata.

68 *Sidices.* *Resp.* Si dicas: paternitas sub concep tu formæ hypostaticæ non est relatiua oppositio; & tamen realiter à Filio distinguit: ergo solum quia est conditio principij. Respondeo distinguendo maiorem: expressé, & formaliter, concedo maiorem: implicite, & connexinē, nego maiorem, & concessa minori, nego cōsequētiam: sed quia modo prædicto est ipsa relatiua oppositio iuxta dicta *solutione ad 3*. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Mag. *in 1. distinct. 11.* §. 1.

DISPVTATIO NONAGESIMA TERTIA.

An Spiritus Sanctus per se petat Filiationem, & Paternitatem in principio spirante?

§. I.

Relatis sententijs statuitur prima conclusio.

Nu. 1. *Prima sententia.* PRIMA sententia negat, per se istas relationes exigere, vnde licet vis spiratiua per se entitatiuē illas relationes exposcat, non tamē illas petit in ratione principij *quo*, nec *quod* Spiritus Sancti, sed per accidens comparari prædictas relationes ad principium Spiritus Sancti, sicut licet Trinitas personarum per se entitatiuē cum Deo vt vno comparetur: secus autem cum Deo quatenus est creaturarum principium, eo quod non petitur à creatur is pro

ductis Deus vt Trinus, ſed ſolum vt vnus. Ita Scotus *in* 1. *diſtinct.* 12. *quæſt.* 1. quem omnes Scotiſtæ ſequũtur.

2 *Secũda ſẽtẽtia.* Capr. Ferrar. Caiet. Bañez. Zumel. Nazar. Albelda Serra. S. Tho. Suarez. Vazq. Arrubal Gran.

Secunda affirmans eſt, quam tuentur Capreolus *in* 1. *diſtinct.* 12. *quæſt. vnica* Ferrara 4. *Contra-Gentes cap.* 25. Caietanus, Bañez, Zumel, Nazarius, Albelda, Marcus de la Serra, & omnes diſcipuli D. Thomæ *in præſenti art.* 4. Quos referunt, & ſequuntur Patres Salmanticenſes *Tract.* 6. *diſp.* 15. *dub.* 5. Reuerendiſsimus Sancto Thoma *diſp.* 15. *art.* 4. Tenent etiam ex alienis Suarez *libro* 1. *de Trinitate cap.* 6. Vazquez *diſp.* 150. *cap.* 2. Arrubal *diſp.* 130. Granadus *Tractatu* 10. *diſp.* 3. Et alij ex Recentioribus Societatis frequenter. Non tamen omnes vno modo ſententiam iſtam defendunt, alijs aſſerentibus prædictas relationes ſolum exigi vt conditiones in principio *quod* Spiritus Sancti, non vero vt connotatas à virtute, ſeu principio *quo* ſpiratiuo, ſed iſto modo ſolam ſpiratoris relationem requiri. Alijs ê contra docentibus, requiri vt connotatas immediatê à principio *quo* ſpirandi, & relationem ſpiratoris conſequutiuê ad tale principium ſe habere.

3 *Prima cõcluſio* *Prob. ex D. Thom.*

Prima concluſio: *Spiritus Sanctus ratione ſuæ proprietatis perſonalis petit per ſe pluralitatem ſuppoſitorum in principio ſpirante.* Probatur primo ex D. Thoma *in præſenti art.* 4. *ad* 2. vbi docet, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, vt vnum ſunt, & vt duo, eo quod procedit vt amor vnitiuus duorum. Id ipſum docuerat, *quæſt.* 10. *de potentia art.* 5. *ad* 11. *&* *in* 1. *diſtinct.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 2. *&* 4. vbi duplex diſcrimen conſtituit inter creationem, & proceſsionem Spiritus Sancti quoad hoc, quod eſt pluralitatem perſonarum exigere, his verbis: *Creatio eſt actus Trium perſonarum, non ſecundum quod diſtinctæ ſunt, ſed ſecundum quod vniuntur in eſſentia, quia etiam per intellectum remota diſtinctione perſonarum, adhuc remanebit creatio; ſed ſpiratio eſt actus conueniens pluribus ſuppoſitis ſecundumquod diſtinguuntur.* Id ipſum docet 1. *ad Annibaldum diſtinct.* 11. *quæſt. vnica art.* 4. *in corpore*: ergo ex mente D. Thomæ Spiritus Sanctus ratione ſuæ proprietatis perſonalis, petit per ſe procedere à Patre, & Filio vt ſunt plures; & conſequentêr petit Filiationem, & Paternitatem in principio ſpirante.

4 *Secũdo prob.*

Secundo probatur: Spiritus Sãctus per ſe petit ratione proprietatis perſonalis à Patre, & Filio ſecundum quod plures ſunt, & paternitate, & Filiatione cõſtituti, reali diſtinctione diſtingui; at ab eis nequit diſtingui realiter, niſi realiter ab illis procedat: ergo per ſe petit ab illis procedere quatenus plures ſunt, & paternitate, & Filiatione conſtituuntur. Tertio: Spiritus Sanctus ratione ſuæ proprietatis perſonalis per ſe refertur ad Patrem, & Filium quatenus plures ſunt, cum proceſsio relatiuê Filio opponatur, vt docet D. Thomas *quæſt.* 10. *de potentia art.* 5. *ad* 13. *argumentum*: ergo per ſe petit ab illis procedere. Patet conſequentia: nam relatiuê opponi in diuinis neceſſario originem ab alio ſupponit.

Tertio.

5 *Dices.*

Dices, referri, & relatiue opponi Patri, & Filio quatenus ſunt vnũ in vi ſpiratiua, & relatione ſpiratoris, prout ſic enim terminant Pater, & Filius relationẽ ſpirati, non tamẽ referri, nec relatiuê opponi Patri, & Filio, quatenus paternitate, & Filiatione conſtituuntur diſtincti. Sed contra primo: nam D. Thomas illa ſolutione contendit ſaluare Filiationem Filium à Spiritu Sancto realiter diſtinguere, quamuis illum ad Spiritum Sanctum non referat, eo quod terminat relationem ſpirati; at Filiatio non diſtinguit Filium ratione relationis ſpiratoris, ſed ratione ſui, vt præcedenti diſputatione monſtrauimus:

Sed contra 1.

ergo

ergo ratione sui terminat relationẽ spirati, licet non vt ratione formali, saltim vt constituentis substractum terminans vt *quoa* processionem, seu relationem spirati; & consequenter Filiationem ab intrinseco petit, si non vt rationem formalem, saltim vt conditionem in principio spirante.

6 *Cõtra 2.*

Secundo: nam licet Pater, & Filius terminent processionem ratione actiuæ spirationis, vt ratione formali terminandi, per se tamen exiguntur tanquam terminantia vt *quod*, duo suppositа Patris, & Filij: ergo per se petit ab illis, vt duo sunt, procedere, tanquam à producentibus, etsi non tanquam à formali principio. Consequentia ex dictis tenet. Antecedens autem probo: relatio spiratoris vt referens, per se, & ab intrinseco petit duo suppositа tanquã relata vt *quod*: ergo vt terminat, per se & ab intrinseco, petit duo suppositа tanquam quod terminantia; cumque relatio spirati adæquet in referendo vim terminatiuam relationis spiratoris, debet per se, & ab intrinseco ad duo suppositа, tanquam terminantia vt *quoa*, terminari.

7 *Deniq; prob. cõclusio.*

Denique suadetur conclusio: nã Spiritus Sanctus ex vi suæ proprietatis personalis petit per se procedere vt terminus mutui, amicabilis, ac recipocri amoris, quo se diligunt Pater, & Filius; at mutuus amicabilis amor non stat absque pluralitate personarum, inuicem se amicabilitêr, ac reciprocê diligentium: ergo per se, & ab intrinseco petit dualitatem personarum pro principio spirante. Minor constans videtur, amicabilis namque mutuus, & reciprocus amor, absque distinctione aliqua nequit subsistere, cumque in diuinis nequeat esse distinctio in amore, debet esse in suppositis se diligentibus.

8 *Maior prob. 1.*

Maior autem ostenditur primo ex Patribus asserentibus, Spiritum Sanctum esse nexum, & vinculum Patris, & Filij, id docent Augustinus *6. de Trinitate cap. 5.* illis verbis: *Spiritus ergo Sanctus commune aliquid est Patris, & Filij, quam aptius dico Charitatem*, & *38.* de tempore, illum vocat *communionem Patris, & Filij. Bernardus Sermone 8. in Cantica*, illis verbis: *Spiritus Sanctus Patris, & Filij est imperturbabilis pax, glutem firmum, indiuiduus amor, indiuisibilis vnitas.* Epiphanius *hæresi 62.* illum vocat, *vinculum Trinitatis.* Et Concilium Toletanum *11.* in confessione fidei, Patris, & Filij charitatem esse Spiritum Sanctum affirmat; at esse commune aliquid Patris, & Filij, vtriusque glutem, Trinitatis vinculum, non aliunde illi conuenit, nisi quia per se ex amore mutuo amicabili, & reciproco Patris, & Filij procedit: ergo petit per se procedere ex amore amicabili.

Secũdo prob.

Secundo: nam Spiritus Sanctus ex vi suæ proprietatis personalis per se petit ex perfectissimo, & iucundissimo amore procedere; at amor perfectissimus est amor amicitiæ, mutuus, & reciprocus: ergo petit per se ex illo procedere. Qua ratione vsus est D. Thomas *locis supra allegatis, & quæstione sequenti art. 1. ad 3.* illis verbis: *Sed ex hoc ipso, quod Pater, & Filius se mutuo amant, oportet quod mutuus amor, qui est Spiritus Sanctus ab vtroq; procedat.*

***

§. II.

Argumentis in contrariũ occurritur.

9 *Arg.* 1. COntra iſtam concluſionem opponunt contrarij Auctores primo: ſuppoſitum in quo eſt adæquata virtus agendi, ſe ſolo eſt ſufficiens ad producendum effectum, ſeu terminum; at in Patre eſt virtus adæquata ſpiratiua: ergo ſe ſolo abſque Filij conſortio eſt ad impulſus productionem ſufficiens; & conſequenter Spiritus Sanctus non petit per ſe à Filio, quatenus à Patre diſtincto procedere. *Reſp.* 1. Reſpondeo tripliciter, primo diſtinguendo maiorem: ſi in tali ſuppoſito ſolo ſit virtus termini productiua, concedo maiorem: ſi non in illo ſolo, ſed in alio eiuſdem naturę virtus productiua reſideat, nego maiorem, & diſtinguo minorem: in Patre ſolo, nego minorem: in illo, & in Filio, concedo minorem, & nego conſequentiam.

10 *Secũda ſolutio.* Vel ſecundo diſtinguo maiorẽ: ſe ſolo eſt ſufficiens per excluſionem dependentiæ ab altero ſuppoſito diuerſæ naturæ, & virtutis, concedo maiorem: per excluſionem alterius ſuppoſiti eiuſdẽ naturæ, & virtutis, à quo non dependet, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam: vel diſtinguatur diſtinctione maioris. *Reſp.* 3. Vel tertio reſpondeo diſtinguendo maiorem: ſi in illo ſuppoſito ſit adæquata virtus, & omnis cõditio, concedo maiorem: ſi non omnis conditio poſtulata à termino in tali ſuppoſito reſideat, nego maiorem, & conceſſa maiori, nego conſequentiam; nam licet in Patre ſit adæquata virtus ſpiratiua, non tamen eſt in illo omnis conditio à termino poſtulata, vt conſtat ex dictis.

11 *Arg.* 2. Obijciunt ſecundo, & inſtatur contra hanc ſolutionem: pluralitas ſuppoſitorum non concurrit per ſe ad creaturarum productionem; at non alia ratione, niſi quia vis creaturarum productiua eſt in qualibet perſona ratione Deitatis illis communis: ergo ſi vis ſpiratiua reſidet in Patre adæquatê, & in Filio ſimiliter, non petit per ſe pluralitatem ſuppoſitorum in principio ſpirante.

12 *Solutio Patris Granadi excluditur.* Huic argumento Granados *vbi ſupra* reſpondet, quod licet creaturæ qualiter naturali lumine cognitæ non petant pluralitatem ſuppoſitorum ex parte principij, illam tamen expoſcere quatenus innoteſcunt per fidem. Sed non placet iſta ſolutio; ſi namquê creaturæ vt ad ordinem naturæ ſpectantes pluralitatem ſuppoſitorum per ſe, & ab intrinſeco peterent per, ſui naturalẽ cõprehenſorem, ducerent in cognitionem myſterij Trinitatis, cum naturalis comprehenſio petat ſuum obiectum ſecundum omnia naturalia, & omnem naturalem connexionem cognoſcere; at hoc eſt falſum, aliàs Angeli, qui naturali lumine comprehendunt ordinem naturæ, ſcientia naturali ad Trinitatis myſterium cognoſcendũ pertingerent: ergo prædicta ſolutio eſt falſa.

13 *Vera ſolutio.* Quare aliter ad argumentum factum reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, ſed quia in qualibet perſona reſidet vis adæquatê productiua, & omnis conditio poſtulata à creaturis; reſpectu autem Spiritus Sancti, licet ſit in qualibet ex duabus perſonis vis virtus adæquata, non tamen omnis conditio in agente *quod* poſtulata à termino producto ob rationes iam traditas; & ideo non ſequitur Patrem ſe ſolo, aut Filium ſe ſolo ad Spritus Sancti productionem ſufficere.

Sed

14 *Obijcies*

Sed dices, sequi ex hac solutione, nec Patrem, nec Filium sygillatim esse perfectum principium Spiritus Sancti; consequens videtur absurdum: ergo & solutio tradita est falsa. Patet sequela: nam id, cui deest conditio aliqua requisita ad effectum, seu terminum, non est perfectum termini principium; at iuxta hanc solutionem Patri, & Filio sygillatim deest conditio requisita: ergo nullus illorum est perfectum principium Spiritus Sancti.

Resp.

Respondeo, negando sequelam: ad probationem, nego maiorem: nam cum perfectio principij ex principio *quo* sumatur, & nihil spectans ad principium *quo*, desit Patri, & Filio; consequens est, quod licet cuiuis illorū aliqua conditio deficiat, possit tamen quilibet sigillatim dici perfectum principiū Spiritus Sancti.

15 *Tertio obijciūt*

Tertio obijciunt: si per impossibile Pater sine Filio maneret, adhuc posset spirare, & Spiritum Sanctum producere. Tum, quia id supponimus *in præcedenti disputatione*. Tum etiam, quia adhuc gauderet voluntate fœcunda. Tum denique, quia id docuit D. Thomas *in 1. distinctione 32. quæst. 1. art. 2. in solutione ad 2.* his verbis: *Ad secundum dicendum, quod si generatio Filij non esset, Pater non diligeret se Spiritu Sancto, quia nec Pater esset, cum persona Patris paternitate constituatur, si tamen detur per impossibile, quod persona Patris remaneat, poterit per se amorem spirare personalem, nec tamen ab hoc excluditur Filius, quia omnis Patris perfectio est etiam Filij, in qua cum relatione originis non opponuntur*: ergo Spiritus Sanctus non petit per se, & ab intrinseco à Patre, & Filio quatenus distinguuntur procedere. Patet consequentia: quia non alia ratione probamus Trinitatem personarum non concurrere per se ad productionem creaturarum, nisi quia si per impossibile Deus maneret vnus, & non Trinus, adhuc manerent creaturæ.

16 *Resp.*

Respondeo, distinguendo antecedens, Spiritum Sanctum secundū adæquatam rationem, quam habet de facto, nego antecedens: inadæquate, transeat antecedens, & distinguo consequens: de ratione Spiritus Sancti adæquatè considerati, nego consequentiam: inadæquate, concedo consequentiam. Sed dices, maneret Spiritus Sanctus terminus amoris amicabilis, & mutui: ergo eiusdem rationis adæquatæ cum vero Spiritu Sancto, qui de facto est. Probatur antecedens, procederet ex amore, quo Pater, & Spiritus se mutuo diligerent: ergo est terminus amoris mutui, & amicabilis.

Sed dices.

17 *Resp.*

Respondeo negando antecedēs, ad probationem distinguo antecedens: procederet ex illo amore quatenus est Patris subiectiuè, & obiectiue Spiritus Sancti, concedo antecedens: quatenus vtriusque subiectiuè, seu principiatiuè, nego antecedens, & distinguo consequens: esset amoris amicabilis, & mutui, quatenus mutuus est adæquatè, nego consequentiam: quatenus inadæquatè esset mutuus, concedo consequentiam. Itaque amor non intelligitur mutuus, nisi quatenus ab vno egreditur, & ad alium terminatur, non præcisè, vt obiectum amatum, sed etiam vt redamantem; in tali autem casu etsi procederet ex amore, quo Pater, Spiritum Sanctum diligeret vt obiectum, non tamen esset ab illo quatenus esset ab Spiritu Sancto vt amante, & ideò non procederet ex amore amicabili, & mutuo adæquate, sed quatenus inadæquate esset mutuus.

18 *Deniq; arg.*

Denique arguitur: ratio mutui nullam addit perfectionem ad amorem diuinum: ergo ex eo quod Spiritus Sanctus ab intrinseco petat ex perfectissimo amore procedere, non recte probauimus petere per se, & ab intrinseco procedere ex amore mutuo, quo se diligunt Pater, & Filius; & consequenter ab vtroq; per se Spiritū Sanctū procedere. Probatur antecedens: nā ratio mutui solū ad

dit perfectionē rationis,& relationes reales personales: at relatio rationis perfectio non est,& similiter relationes in Deo perfectionem supra essētiam non addunt, *vt diximus quæst. 28. disp. 78.* ergo ratio mutui nihil addit perfectionis ad amorem diuinum essentialem.

19 *Resp.* Respondeo, quod licet non addat perfectionem, addit tamen modū perfectionis amori essentiali,& illius complementum,& hoc sufficere vt per se petat Spiritus Sanctus ex amore mutuo procedere, quia procedere debet ex amore essentiali vt completo,& modo sibi debito, quasi affecto,& terminato. Sicut in tractatu de Beatitudine cum frequentiori Thomistarū sententia sustinui, quod licet relationes perfectionem ad essentiā non addant, non tamen fore beatum eum, qui essentiam videret, non visis personis, dato per impossibile, quod ita contingeret, eo quod de ratione beatitudinis est non solum ad perfectiones diuinas, sed etiā ad illarum modos,& illas prout in se terminari.

20 *Instabis.* Sed dices, sequi ex hac solutione Spiritum Sanctum per se,& ab intrinseco petere ex amore sui, nedū vt obiecti: sed etiam vt principij, seu subiecti procedere, consequens est absurdum: ergo & solutio tradita falsa. Probatur sequela: nam amori diuino, ex eo quod sit Spiritus Sancti obiecti redamnantis alias personas, etsi non accrescat perfectio, accrescit tamen perfectionis modus: ergo si ab intrinseco petit ex amore essentiali vt modificato modis sibi debitis procedere, petet per se procedere ex amore sui, nedum vt obiecti, sed etiam vt subiecti.

21 *Resp. 1.* Respondeo negando sequelam: ad probationem distinguendo antecedens: perfectionis modus terminatiuē ad processionem ingrediens, concedo antecedens: non se habens terminatiuē, nego antecedens,& consequentiam: quia Spiritus Sanctus nequit procedere ex amore, quatenus modificato modo terminante, eo quod implicat terminare processionem,& esse illius principium; modis autem alijs non repugnat se tenere ex parte principij, sed de facto ingrediuntur, vt fatentur Authores contrarij,& nos superaddimus, id non peraccidens euenire, sed per se ob exigentiam termini producti, per se postulantis ex amore diuino procedere, quatenus mutuus est inter Patrem,& Filium.

22 *Resp. 2.* Vel secundo responderi potest ad argumentum cum Salmanticēsibus *vbi supra*, quod licet relationes, & ratio mutui non addant ad amorem essentialem perfectionem entitatiuē, addunt tamen explicatiuē, quatenus si Deo non conuenirent, aliqua perfectio ei deesset, & Spiritus Sanctus petit procedere ex amore essentiali, quatenus explicat omnem perfectionem.

§. III.

Explicatur quomodo Paternitas, & Filiatio exigantur in principio spirante.

23 *Probatur 1. ex D. Tho.* SEcunda conclusio: *Connotatum à principio quo spiratiuo, vt essentiale complementum illius, non sunt Paternitas, & Filiatio, sed relatio communis spiratoris, illæ autem solū requiruntur vt conditiones producētium vt* quod. Moueor ad istam conclusionem primo authoritate D. Thomæ *in præsenti artic. 4. in fine corporis, & solutione ad 1. & 2. argumentum*, do-

centis,

centis, Patrem, & Filium dici, & esse vnum principium Spiritus Sancti, propter vnitatem virtutis spiratiuæ, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate, nec inconueniens esse, quod vna proprietas sit in duobus suppositis, quorũ est vna natura. Id ipsum docuerat *in 1. dist. 11. q. 1. art. 3. in corpore*; & *distinct. 29. q. 1. artic. 3. in corpore*, vbi docet, communem spirationem esse vnam notionem numero Patris, & Filij, non solum ratione vnius naturæ, sed etiam ratione vnius proprietatis, quod etiam repetit *art. 4. & in eisdem locis ad Anibaldum*; at paternitas, & filiatio non sũt proprietates Patri, & Filio communes, bene tamen relatio spiratoris: ergo hæc, & non illæ, est connotatũ à virtute spiratiua, vt complementum essentiale illius.

24 *Euasio excluditur* 1.

Si forte dicatur, in præallegatis locis loqui D. Thomam de vnitate virtutis spiratiuæ, quatenus principium est relatiuè, non autem principiatiuè, seu originatiuè, licet autem accepto principio relatiuè ad terminum productum cõstituantur Pater, & Filius in ratione principij per relationem spiratoris; in ratione tamen principij sumpti originatiuè constituuntur per voluntatẽ vt connotantem paternitatem, & filiationem. In contrarium obstat primo: nam licet nomen *principium* accipi posset relatiuè, & principiatiuè, hoc tamen nomen *vis spiratiua* solam secundam acceptionem admittit; at D. Thomas, vt vnitatem in virtute spiratiua saluaret, ad vnitatem voluntatis, & relationis, seu proprietatis connotatæ recurrit: ergo loquitur de principio *quo*, non solum relatiuè, sed etiam originatiuè.

25 *Secũdo.*

Secundo: nam loquitur de principio in ea acceptione, in qua voluntas ingreditur in recto, & de connotato relatio; at ad principium acceptum relatiuè non sic comparantur, sed relatio ingreditur in recto: ergo non solum loquitur de principio accepto relatiuè, sed etiã originatiuè.

Tertio.

Tertio: nam D. Thomas locis ex sententiarijs relatis affirmat, cõmunem spirationem esse vnam numero notionem, propter vnitatem proprietatis; at non solum est notio accepta relatiuè, sed etiam originatiuè: ergo vtroque modo debet vnam rationem numero importare.

26 *Prob. 2. conc.*

Secundo principaliter moneor: nam principium *quo* spiratiuum est Patri, & Filio cõmune; at si pro connotato completiuo importaret paternitatem, & filiationem, Patri, & Filio commune non esset: ergo non illas, sed relationem spiratoris importat de connotato. Probo minorem: non conuenientia solius connotati à potentia sufficit, vt potẽtia de aliquo subiecto negetur, vt constat in potentia generatiua, quæ negatur de Filio, ex solius Paternitatis non conuenientia, quæ de connotato importatur ab illa; at si paternitas, & filiatio importarentur de connotato à principio *quo* spiratiuo, nulli ex illis adæquatum connotatum competeret, cum nec Patri Filiatio, nec Filio Paternitas conueniat: ergo eis non conueniret principium *quo* spiratiuum, nec de quolibet illorum sigillatim posset prędicari.

27 *Excluditur prima solutio.*

Respondebis primo: relationes istas connotatas à principio *quo* spiratiuo, solum esse conditiones, vnde ex eo quod illarum aliqua Patri, aut Filio non competat, non colligitur non conuenientia principij *quo* spiratiui.

Sed contra primo: nam vt ostendimus *quæst. 27. disp. 72.* relatio connotata à principio *quo* processionum, non solum est conditio, sed etiam complementum eius essentiale in ratione virtutis productiuæ: ergo si Paternitas, & Filiatio importantur de connotato à principio *quo* spiratiuo, vt fatetur contraria sententia, non solum erũt conditio principij, sed etiã cõplemẽ-

tum eius essentiale in ratione virtutis productiuæ illius. Secundo: nã admisso connotatum esse,& solũ cõditionem,etiam paternitas erit solum conditio ad potentiam generatiuam; & tamen quia de Filio negatur paternitas,negatur etiam de illo potentia generatiua: ergo negata paternitate de Filio,& de Patre filiatione,negabitur etiam de quolibet illorum principium *quo* spiratiuum.

28 *Secũda solutio reijcitur* 1. Respondebis secundo ex doctrina Franciſci Suarez referendi infra, principium *quo* spiratiuum nõ connotare paternitatem,& filiationem, quatenus distinctas copulatiuê, sed sub ratione communi personalitatis non spiratæ,prout sic autem de Patre,& Filio,sigillatim verê affirmatur. Sed contra istam solutionem facit primo pugnare expresse cum doctrina D. Thomæ in Sententiarijs, vbi supra,expresse docentis esse vnã numero proprietatem Patris, & Filij,à qua constituuntur Spiritus Sãcti principium;at personalitas non spirata non est vna numero, sed per rationem in Patre,& Filio:ergo nõ est connotatum complens vim spiratiuam.

29 *Secũdo.* Secundo : principium *quo* spiratiuum est vnum numero, & realiter,Patri,& Filio commune : ergo connotatum ab illo non per rationem, sed realiter debet esse vnum numero,& illis commune. Probo consequentiam: non conuenientia solius connotati,sufficit vt negetur potẽtia : ergo negatio vnitatis numericæ, & realis communitatis in connotato à potentia,sufficit,vt de potentia negetur realis communitas,& vnitas numerica.

Tertio. Tertio: nam si Paternitas,&filiatio sunt connotatum à vi spiratiua, ideô est, quia per se postulantur ab Spiritu Sancto ratione suæ proprietatis;at petũtur ab illo vt distinctæ, & non solum vt conueniunt in ratione personalitatis non spiratæ, vt fatetur Suarez *vbi supra* relatus: ergo non solum sub illa conuenientia, sed etiam vt distinctæ erunt connotatum illius.

30 *Deniq; prob. cõclusio.* Denique principaliter suadetur conclusio: id namque est connotatũ à principio *quo* productiuo, quo principium *quod* respicit terminum productum, cum non possit principium intelligi sine ordine ad terminum; at Pater, & Filius non respiciunt Spiritum Sanctum per Paternitatem,& Filiationem,sed Paternitas adæquatê terminatur ad Filium, & Filiatio ad Patrem, bene tamen illum respiciunt communi spiratione : ergo non paternitas,& filiatio, sed communis spiratio est connotatum à principio *quo* spiratiuo.

31 *Resp.* 1. Respondebis primo : principiũ acceptum relatiuê non posse intelligi sine ordine ad terminum, bene tamen acceptum originatiuê, vnde principium *quo* spiratiuum potest, vt per connotatum compleri per paternitatem, & filiationem, etii per illas Pater, & Filius non respiciant Spiritum.

Resp. 2. Respondebis secundo,quod licet per paternitatem,& filiationem non respiciant illum vt terminum correlatiuum,bene autem vt terminum productum, & hoc sufficere vt de connotato importetur.

32 *Reijcitur prima solutio.* Sed neutra solutio satisfacit, & contra primã facit,quod licet principium originatiuê nõ respiciat terminum expresse vt correlatiuum,nõ tamen potest concipi sine ordine ad illũ sub ratione producti : quis enim potentem generare concipere potest sine ordine ad terminum generabilem? Sicut nec actu generantem sine termino actu genito? Ergo illud erit connotatum à principio *quo* ratione cuius principium *quod* respiciat terminum sub ratione producti ; at paternitate, & filiatione non sic respiciunt Pater,& Filius Spiritum Sãctum, vt impugnando secundam solutionem constabit : ergo prout sic non sunt connotatum à principio *quo*.

33 *Secũda impugnatur.* Deinde secunda reijcitur; etenim paternitas respicit Filium vt correlati-

latiuum,& vt terminum productum: ergo si adæquatur cum illo vt correlatiuo, etiam in respiciendo terminũ vt productum, cum illo debet adæquari, & consequenter Spiritum Sãctum nec vt correlatiuum, nec vt productum respicere poterit,& idem argumentum de filiatione cõuincit. Mitto aliorum argumentum exinde probãtium paternitatem,& filiationem pro connotato vis spiratiuæ sufficientes non esse, quia per illas non distinguuntur Pater,& Filius ab Spiritu Sancto, vt enim constat ex dictis in præcedenti disputatione, sufficiẽter distinguuntur realiter ab illo per paternitatem, & Filiationem.

§. Vltimus.

Diluuntur argumenta in oppositum.

34 *Quorundam in cõsequẽtia notatur.*

COntrariam sententiam nostræ conclusionis satis probabilem docet Suarez *lib.* 10. *de Trinitate cap.* 4. *&* 5. *&* Zumel *in præsenti art.* 4. *disp.* 2. In eandem inclinare videntur quidam recentiores ex nostris, nescio an satis consequentẽr, cum alias asserant processiones actiuas in relatione in recto consistere, quam doctrinam cum ista sententia nõ satis congruere, probo in hunc modum: relatio namque, in qua in recto consistit actiua processio, est quæ ab illius principio connotatur; at actiua Spiritus Sancti processio nequit in recto consistere in paternitate, & filiatione, alias vna numero non esset actiua spiratio, nec realiter Patri, & Filio communis, quod est plusquam falsum: ergo nequeunt Paternitas, & filiatio consequenter ad istam sententiam esse connotatum complens principium *quo* spirationis, sed relatio spiratoris, in qua necessario est constituenda processio actiua impulsus, si in relatione in recto consistat.

35 *Arg.* 1. ex D. Tho.

Pro istorum Auctorum sententia facit in primis difficile D. Thomæ testimonium *infra quæst.* 40. *art.* 4. *in corpore*, illis verbis: *Similiter, & origo actiuè significata prior est secũdum intellectum, quam relatio personæ originantis, quæ non est personalis, sicut actus notionalis, spirationis secundum intellectum præcedit proprietatem relatiuam innominatam communem Patri, & Filio, sed proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter: vno modo vt est relatio, & sic iterum secundum intellectum præsupponit actum notionalem; quia relatio in quantũ huiusmodi fundatur super actum. Alio modo in quam est constitutiua personæ, & sic oportet, quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni.* Ex quibus verbis tale argumentum formatur: iuxta D. Thomam hoc est discrimen inter proprietatem non personalem, & personalem, quod origo actiuè significata præcedit proprietatem, non personalem qualis est communis spiratio; proprietatem autem personalem præcedit sub vna ratione, & sub alia subsequitur; at si relatio spiratoris esset connotatum complens principium *quo* spiratiuum, hoc discrimẽ non posset subsistere, cum etiam sub aliqua ratione deberet præcedere actiuam originem: ergo talis relatio non est connotatum complens principium *quo* spiratiuum, sed quid omnino consequutum ad processionem; & consequentẽr connotatum à principio *quo* spiratiuo, erũt paternitas, & filiatio.

36 *Resp.*

Respondeo negando minorem: nam relatio personalis præcedit actiuam originem sub duplici ratione,

sci-

scilicet, quatenus constituit personã, & quatenus illam constituit in ratione principij à quo originis; proprietas autem non personalis solum sub vna ratione originem actiuam præcedit, scilicet, sub secunda, quatenus constituit Patrem, & Filium in ratione principij, vnde cum hac præcedentia subsistit discrimẽ à D. Thoma intẽtum inter proprietatem personalem, & non personalem.

37 *Replicabis 1.*

Si opponas primo; D. Thomam solum meminisse in relatione personali præcedentiæ sub vna ratione: ergo absque fundamento præcedentiam sub duplici ratione confingimus. Secundo: nam si in proprietate non personali datur hæc præcedẽtia, diminute D. Thomas processit illam non explicando.

Resp. ad primam replicã.

Respondeo ad primam, cum D. Thomas ageret de constitutione personarum per relationes, non erat necessarium hanc duplicem præcedentiam ibi explicare, sed solum illam sub qua præcedit, quatenus constituit hypostasim. Et ex hoc ad secundam dicatur, ad excludendam proprietatem non personalem à cõstitutione personæ sufficiebat primã præcedentiam illi negare, nec necessarium ibi erat explicare præcedentiam, qua gaudet, illam tamen explicuit locis adductis à Nobis in confirmationem nostræ sententiæ.

Ad 2.

38 *Secũdũ argum. diluitur.*

Obijcit secundo Suarez: relatio namque solum ponitur ex parte principij, vt aliquomodo realiter distinguatur à termino; at per paternitatem, & filiationem sufficienter distinguẽtur Pater, & Filius ab Spiritu Sancto, vt constat ex dictis: ergo per illas ante relationem spiratoris sufficienter completur diuina voluntas in ratione principij *quo* spiratiui. Respondeo negando maiorem, sed vlterius requiritur vt principium producens terminum vt productum respiciat, quod per relationem paternitatis, & filiationis haberi non potest. Sed dices: principium *quo* non respicit realiter terminum productum in Deo, alias intellectus respiceret realiter Verbum, & voluntas impulsum, quod est impossibile, cum ab illis realiter non distinguatur: ergo etiam si per paternitatem, & filiationem non respiciant Pater, & Filius impulsum productũ, poterit per illas sufficienter compleri principium *quo* spiratiuum. Respondeo, quod sicut distinctio à termino producto requiritur in principio *quo*, non secundum omne quod dicit, nec secundum id quod importat in recto, sed in obliquo, ita respicientia termini producti requiritur, non secundum rectum principij *quo* productiui, sed secundum quod dicit in obliquo.

39 *Tertio arg.*

Tertio sic arguit, & est argumentum *quo* præcipuo mouetur: idem namque est immediatum, & sufficiens principium productionis per voluntatem, quod est principium productionis per intellectum; sed Pater vt constitutus Paternitate vt forma hypostatica, immediate generat per intellectum: ergo etiam immediate per voluntatem spirat; & consequenter paternitas est connotatum complens se ipsa sola voluntatem, prout in Patre ad spirandum. Ex quo vlterius colligitur, filiationem se sola illam sufficienter in Filio ad spirandum complere. Probat maiorem, amor enim ex cognitione procedit, & idcirco idem est amans, qui intelligens: ergo idem etiam immediatè producit amando, qui producit intelligendo.

40 *Resp.*

Respondeo distinguendo maiorem: idem est immediatum, &c. immediatione excludente mediũ *quod* producens, concedo maiorem: medium *quo* formaliter, aut completiuè, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: immediatione per exclusionem medij spirãtis vt *quod*, concedo consequentiã: vt *quo* formaliter, aut completiuè, nego consequentiam: nam sicut non requiritur, quod eadem potentia generet, & spiret, ita nec requiritur, quod eadem proprietate princi-

pium

piú *quo* vtriusque processionis compleatur.

41 *Arg.* 4. Quarto arguitur: voluntas diuina non vnitur immediatè cum relatione spiratoris, sed media paternitate, & filiatione: ergo pro priori ad vnionem cum relatione spiratoris intelligitur sufficienter fœcũda; & consequenter, non per illam, sed per alias relationes completur in ratione principij *quo* spiratoris. Antecedens probat Suarez, quia aliàs antecedenter ad paternitatem, & filiationem daretur spirans *vt quod*. Consequentia autem probatur primo: nam connotatum complens debet esse illud, cui immediatius vnitur diuina voluntas. Secundo, quia non minus immediatam habitudinẽ dicit voluntas ad impulsum, quam intellectus ad Verbum: ergo si intellectus diuinus, quam primum intelligitur subsistens, est ad Verbi productionem fœcundus, etiam diuina volũtas intelligetur ad impulsus productionem fœcunda, quam primum subsistens redditur paternitate, & filiatione.

42 *Resp.* Respondeo antecedens, non cõuinci probatione ibi facta: nam cum spiratio actio sit personalis requirit personam, vt spirantem vt *quod*; relatio autem spiratoris personalis non est, vnde etiam si immediatè cum voluntate diuina vniretur, non fieret vt pro priori ad paternitatem, & filiationem daretur principium *quod* spirans. Cæterum illo omisso, nego consequentiam. Ad primam probationem nego antecedens, quando illud, cui immediatius coniungitur, impulsum non respicit sub ratione producti. Ad secũdam, concesso antecedenti, nego consequentiã, & disparitas est: nam id per quod primo subsistens redditur intellectus diuinus dicit ordinem ad Verbum, vt productum: secus autem id per quod primo intelligitur subsistens diuina voluntas. Et idcircò intellectus fœcundus constituitur per subsistẽtiam Patris, non quidem sub conceptu hypostasis, sed sub alio, quo dicit ordinem ad Verbum vt genitum, non autem diuina voluntas, eo quod paternitas hunc ordinem ad impulsum non dicit.

43 *Arg.* 5. Quinto argumentari possumus contra nostram sententiam: Spiritus Sãctus per se petit procedere ex mutuo, & amicabili amore, quo se diligunt Pater, & Filius; at amor mutuus intelligi nequit, absque paternitate, & Filiatione: ergo connotantur à principio *quo* spiratiuo, & non solum relatio spiratoris. Respondeo distinguendo consequens: connotantur à principio *quo* spiratiuo, vt cõditiones in principijs *quæ* producentibus, concedo consequentiam: vt complementum principij *quo*, & virtutis spiratiuæ, nego consequẽtiam. Sed dices, est principium *quo* amor mutuus, quatenus mutuus; vt sic essentialiter claudit in suo conceptu vtramque relationem; ergo importatur vtraque relatio de connotato vt complens principium *quo*, & virtutem spiratiuam. Respondeo distinguendo maiorem: secundum omnia quæ ad amorem mutuũ concurrunt, nego maiorem: secundum absolutum, & relationem communem, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: ratio autem distinctionis habetur ex argumentis pro nostra conclusione factis.

44 *Deniq; arg.* Denique arguitur: quia ex nostra sententia sequitur virtutem spiratiuam non prius Patri, quam Filio cõpetere; consequens est falsum, cum omnia quæ habet Filius sint illi communicata à Patre; & consequenter si communia vtique sint, debeant prius origine Patri conuenire: ergo nostra sentẽtia tenenda non est. Probatur sequela: relatio spiratoris non potest conuenire Patri pro priori originis ad Filium: ergo si est connotatum à virtute spiratiua, non poterit virtus spiratiua prius conuenire Patri, quam Filio. Consequentia ex dictis tenet, antecedens autem probatur: relatio spiratoris est omnino simul cum Spiritu Sancto; at Spiritus Sanctus pro priori

ori-

originis ad Filium non est: ergo pro illo priori nequit relatio spiratoris Patri conuenire.

45 *Resp.* Respondeo negando sequelam, ad eius probationem, nego antecedēs: ad probationem, distinguo maiorem: est omnino simul simultate in *quo*, & à *quo* naturæ, concedo maiorem simultate à *quo* originis, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Et insto argumentum in paternitate, quæ non minus petit simultatem cum Filio, quam relatio spiratoris cum Spiritu Sancto & tamen Filio est prior priorita te à *quo* originis. Ex quibus colligitur, malê aliquos Recentiores negare spirationem actualem prius origine conuenire Patri, quam Filio; cum ad hanc prioritatem nihil aliud requiratur, quam quod Patri conueniat à se, Filio autem à Patre, cum quo compatitur omnimoda simultas in *quo* in spirando inter Patrem, & Filiū. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri

in 1. *distinct.* 11. §. 1.

Et *distinct.* 29. §. 2. *M. Sēt.*

(z)

✠

DISPVTATIO NONAGESIMA QVARTA.

An Pater, & Filius propriè sint, & dicantur vnum principium Spiritus Sancti?

§. I.

Eligitur vera sententia.

Nu. 1. *In Patre, & Filio est vna virtus spiratiua.*

EX DICTIS IN præcedenti Disputatione constat in Patre, & Filio esse vnam spirandi virtutem, seu principium *quo* spiratiuum, licet autem hoc ita sit, nec ab vllo Catholico possit negari, restat tamen difficultas, an ratione vnius spiratiuæ virtutis sint dicendi vnum spiratiuum principium? Et ratio dubitandi est: nam licet in Patre, & Filio sit vna virtus spiratiua, sunt tamen duo suppositа spirantia vt *quod*, & per se ad spirationē exacta, vt in præcedenti disputatione contra Scotū ostendimus: ergo vel dicendi sunt plura, & non vnum Spiritus Sancti principium, vel vnum, & plura. Patet consequentia: nam ad actionem non solum concurrit principium *quo*, sed etiā principiū *quod*, imò pro isto, principium absolutè sumptum supponit: ergo si sunt plura, quæ spirantia, dicētur plura principia, & non vnum, vel dici debent vnum principiū, & plura principia, primum ratione vnius virtutis; secūdum vero ratione plurium suppositorum spirantium *vt quod*.

Ratio dubitandi.

2 *Sententia Durandi.*

Durandus *in* 1. *dist.* 29. *q.* 2. ratione dubitandi conuictus affirmat, *principium* vsurpari dupliciter, primo pro agente, secundo pro principio *quo* actionis: priori modo asserit, duo esse principia, cæterū, quia agens magis propriè dicitur principians, quam principium, ideò licet Pater, & Filius dicantur duo principiantes, vsus obtinuit, vt non dicantur duo principia. Secundo autem modo accepto principio, sic propriè loquendo, debet dici, quod in Patre, & Filio est vnum principiū, quo spi-

rant

rant Spiritum Sanctum, & licet verè in hoc ſenſu dicantur vnum principium; non tamen ita propriè, ſicut primum. In eadem ſententia fuiſſe Gregorium *n* 1. *diſt.* 12. *q.* 1 referũt Recentiores in præſenti, qui etiã referunt Gabrielem & Ochamum docuiſſe, dicendos eſſe vnum, & plura principia penes diuerſos reſpectus, neſcio, an cum moderatione Durandi.

3 *Oppoſita ſententia probatur* 1.

Contraria tamen ſententia docens Patrem, & Filium eſſe vnum principium Spiritus Sancti, non plura principia, certa eſt, & indubitãter tenenda, quam cum D. Thoma ſequuntur vniformiter Theologi, & oſtenditur primo ex Concilio Lugdunenſi *in capite Fidei in 6.* illis verbis: *Fideli, ac deuota profeſsione fatemur, quod Spiritus Sãctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex vno principio, non duabus ſpirationibus, ſed vnica ſpiratione procedit.* Et infra: *Damnamus, qui temerario auſu aſſerere præſumpſerint, quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex vno procedat.* Id ipſum eiſdẽ verbis diffinitur in Florentino in litteris vnionis: ergo Pater, & Filius ſunt vnum, non plura Spiritus Sancti principia.

4 *Solutio Gregorij reijcitur* 1.

Reſpondet Gregorius in his Cõcilijs non dici abſolutè, quod ſint vnum principium, ſed addi particula *tanquam*, quæ eſt dictio diminuẽs, ad denotandum, non dici propriè, quod ſint vnum principium, ſed quaſi vnum. Hæc tamen ſolutio eſt omnino inſufficiens, & reijcitur primo: nam idem eſt iudicium de particula *tanquam*, ac de particula *quaſi*; at hæc particula vſurpatur ab Euangeliſta *Ioanne in* 1. *capitulo*, illis verbis: *Vidimus gloriã eius, quaſi vnigeniti a Patre*, ad denotandum verè, & propriè Filium vnigenitũ Dei: ergo particula *tanquam* non denotat improprietatem, ſeu diminutionem, ſed ad ſeruandum Grammaticè proprietatem fuit poſita, nõ enim rectè dicitur grammaticè procedere à Patre, & Filio ex vno principio, & ideò fuit poſita illa partitula *tanquam* ex vno principio.

Secũdo.

Secundo: nam ſi illa particula improprietatem aliquã denotaret, cũ proprietate poſſet affirmari procedere Spiritum Sãctum à Patre, & Filio vt duobus principijs; at hoc expreſsè ab his Concilijs damnatur: ergo illa particula non denotat eſſe impropriè vnum principium. Vnde Auguſtinus 5. *de Trinitate cap.* 15. abſolutè, & ſine vllo addito dicit, Patrem, & Filium nõ duo, ſed vnum eſſe Spiritus Sancti principium.

5 *Durandus à cẽſura defenditur.*

His, & ſimilibus ducti Recentiores affirmant Durandi ſententiam expreſſe eſſe damnatam, alij eſſe erroneam, alij vero temerariam exiſtimant. Alij denique parũ tutam in Fide. Sed licet verum cenſeam aſſerentes Patrem, & Filium non eſſe cum proprietate vnum, ſed duo Spiritus Sancti principia prædictis diffinitionibus manifeſtè aduerſari, Durandum tamen ab omni cenſura liberum iudico. Tum, quia non docuit eſſe duo principia, imo expreſsè id refutauit, eo quod cõmunis vs⁹ principiũ nõ pro agẽte *quo* vſurpat, ſed pro principio *quo* actionis. Tum etiam, quia non negat proprie eſſe vnum Spiritus Sãcti principium, ſed non ita proprie dici vnum principiũ, ſicut dicitur vnum principium in illis eſſe, quibus verbis non negat proprietatem, imo potius illam concedit, nam qui duo in proprietate comparat, vtrunque propriè dici fatetur, & benè compatitur aliquid cũ proprietat dici, & ab alio modo loquendi in proprietate loquutionis excedi.

6 *Prob. ration² D. Tbe.*

Deinde ſuadetur ratione D. Thomæ *in præſenti art.* 4. nam Pater, & Filius in omnibus ſunt vnum, in quibus nõ obviate relationis oppoſitio; at in hoc quod eſt eſſe Spiritus Sancti principium, non opponuntur: ergo ſunt vnum principium. Denique alia ratione eiuſdem articuli deſump

ta ex differentia inter nomen ſubſtantiuum & adiectiuum, quod illud, quia formam per modum per ſe ſtantis ſignificat, ad ſui pluralitatem, pluralitatem petit formæ ſignificatæ, adiectiuum autem, quia ſignificat formam vt alteri adiacentem, numerum, non à forma, ſed à ſubiectis accipit; at nomen *principium Spiritus Sancti* non adiectiuum, ſed ſubſtantiuum eſt, & forma ſignificata, ſcilicet virtus ſpiratiua non pluralificatur in Patre, & Filio, ſed vna eſt in illis: ergo Pater, & Filius non ſunt duo principia Spiritus Sancti, ſed vnum.

§. II.

Aliquorum ſolutio ad rationem dubitandi reijcitur.

7 *Prima ſolutio.*

AD rationem dubitandi Molina *in præſenti diſp.* 2. Becanus *tractatu de Trinitate cap.* 6. Nazarius *cõtrouerſia* 2. quos alij ſequuntur, reſpondent, principiũ ſpiratiuum non ſupponere immediatê pro Patre, & Filio, ſed pro ſpiratore vt *quod* vtriſque communi, & ratione ab illis diſtincto, conſiſtente in relatione ſpiratoris ſubſiſtente vt *quod* in natura, & voluntate diuina. Vnde ſicut non obſtante, quod perſonæ diuinæ diſtinguantur ſuppoſitaliter, dicuntur vnus Deus, eo quod hic Deus vt ſubſiſtens vnus eſt, & illis communis: ita Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti, quia cõueniunt in vna ratione ſpiratoris ſpirãtis, & ſubſiſtẽtis vt *quod*.

Hæc tamen ſolutio diſplicet cõmuniter noſtris Thomiſtis, & præter Gabrielem Vazquez, & alios negantes abſolutam ſubſiſtentiam cõmunem tribus perſonis, illam ex admittentibus ſubſiſtentiam abſolutam reijciunt Suarez *lib.* 10. *de Trinitate cap.* 4. Et Granadus *tract.* 10. *diſp.* 6. Et alij, quos referunt, & ſequuntur Salmanticenſes *tract.* 6. *diſp.* 15. *duh.* 4. *ducti primo*, eo quod Pater in diuinis, non ſolum eſt principium ſpirandi, ſed etiam eſt primum ſpirandi principium; at ſi daretur ſubſiſtens commune virtualiter à Patre, & Filio diſtinctum ſpirans vt *quod*, Pater non eſſet primũ ſpirandi principium, ſed illud commune ſubſiſtens: ergo admittendum non eſt ſpirans vt *quod* Patri, & Filio commune. Secundo: nam proprium eſt Patri eſſe ingenitum, & repugnat in diuinis plures ingenitos eſſe, aliàs eſſent plures Dij, vt arguit D. Thomas *ſupra q.* 33. *art.* 4. *ad* 4. at ſi daretur cõmunis hic ſpirator, darentur plures ingeniti, cum Pater ingenitus ſit, & *hic ſpirator* communis ingenitus eſſet, vtpotê principium ab alio non procedens, in quo ratio ingeniti conſtituitur: ergo talis communis ſpirator non datur. Tertio: nam relatio ſpiratoris non conſtituit perſonam, aliàs daretur in diuinis quaternitas perſonarum; at ſi ratione ſui formaliter eſſet ſubſiſtens, perſonam cõſtitueret, quia quo aliqua ſubſiſtentia eſt vltimior, eo eſt aptior ad incommunicabilitatẽ præſtandã, in qua conſiſtit ratio perſonæ: ergo idem quod prius.

Iſtæ tamen rationes, niſi amplius vrgeantur, parum ſunt efficaces. Ad primam namque reſponderi poteſt, negando minorem: nam ſicut tres perſonæ ſunt primum principium ad extra, non obſtante quod detur hic Deus ſubſiſtens creans vt *quod* illis communis, quia non realiter, ſed ratione ſolum à perſonis diſtinguitur, ita & eadem ratione non tollitur à Patre, quod ſit primũ ſpirandi principium, ex eo quod detur *hic ſpirator*

8 *Triplex impugnatio dictæ ſolutionis refertur.*

9 *Prædictas impugnationes eſſe ineffi caces.*

tor communis, eo quod ab illo non realiter, sed ratione, & virtualiter solum distinguitur. Ad secundam, negando etiam minorem: nam sicut essentia diuina non potest esse ingenita, eo quod licet non producatur, est tamen in Filio à Patre communicata, vt docet D. Thomas *supra quæst. 33. art. 4. ad 2.* ita, quia hic communis spirator est in Filio à Patre per communicationem, ideò ingenitus dici non potest. Ad tertiam, concessa maiori, negando minorem: nam licet hæc subsistentia vltimior sit alijs, quia tamen est Patri, & Filio communis, ideò est impotens ad constituendam personam.

10 *Aliorũ impugnatio reijcitur.*

Nec magis vrget argumentum, quo alij mouentur desumptum, ex eo quod de conceptu personalitatis est, esse vltimum terminum; & consequenter vlterius interminabilem per aliam subsistentiam; at relatio spiratoris aduenit Patri, & Filio per sonalitêr constitutis: ergo nequit ratione sui propriam subsistentiam afferre, & spiratorem communem vt *quod* constituere. Nam responderi potest de ratione personalitatis solũ esse, quod sit vltimus terminus in linea incommunicabilitatis; & consequenter excludere vlteriorem terminationem per subsistentiam eiusdem rationis, ideſt, quæ personalitas sit, non autem per subsistentiam diuersæ rationis, qualis est ista, quæ ratione relationis spiratoris competeret Patri, & Filio. Nam sicut non obstãte, quod personalitas sit vltimus terminus, potest tamen per existentiam actuari, & per subsistentiam absolutam reddi subsistens, eo quod sunt diuersæ rationis à conceptu personalitatis; ita est eadem de causa posset, nisi aliud obstaret per subsistẽtiã istam communem relatiuam paternitas reddi subsistens.

11 *Principalis solutio reijcitur primo.*

Quare prætermissis his argumentis, reijcienda est in primis præfata solutio ex D. Thoma *in præsenti art. 4. ad 4.* vbi docet, ly *vnũ principium* in hac propositione: Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti, non habere determinatam suppositionem; at si daretur hic spirator subsistens, pro quo supponeret, ly *vnum principium* haberet determinatam suppositionem, sicut in hac propositione: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnus Deus, prædicatum supponit determinatê, eo quod datur hic Deus subsistens communis tribus personis: ergo admittenda non est subsistentia relatiua communis.

12 *Secũdo.*

Secundo: quia vt ostendimus *supra quæstione 29.* subsistentia dupliciter accipitur, vel pro perfeitate opposita dependentiæ ab alio vt sustentante, vel pro perfeitate incommunicabilitatis; at relatio spiratoris ratione sui formaliter subsistentia non est in priori acceptione, cum vt ibi monstrauimus tres aliæ relationes ratione sui formaliter ista ratione subsistentiæ non gaudeant, nec etiam in secunda; aliàs personalitas esset: ergo talis subsistentia relatiua communis non datur.

Cõfirm.

Et confirmatur, quia vt loco citato probauimus, attributa essentialia ratione sui formaliter subsistẽtia non sunt, eo quod incommunicabilitate non gaudent; at relatio spiratoris communis est Patri, & Filio: ergo ratione sui formaliter subsistentia non est, nec spiratorem subsistẽtem constituit.

13 *Reijcitur 3.*

Tertio ex differentia tradita à D. Thoma *in 1. dist. 11. quæst. 1. art. 4. ad 2.* Et ibi ad Anibaldum *quæst. vnica art. 4. in corpore*, inter creationem, & spirationem, quod illa actio est naturæ, ista vero personalis; at prima, quia nõ personalis petit subsistẽs vt *quod* agẽs toti Trinitati cõmune: ergo spiratio cũ personalis actio sit solum à supposito personaliter subsistente potest vt *quod* prouenire; & consequẽter subsistens cõmune, non personale: nõ poterit esse spirandi principium vt *quod*.

14 *Quarto*

Quarto: nam Pater spirat ratione sui immediatè vt *quod*, ideſt per exclusionem medij vt *quod* spirantis: ergo Filius similiter; & con-

sequen-

sequentêr non datur hic spirator vt *quod* vtrique communis. Antecedês in quo est difficultas probatur: intelligens vt *quod* intellectione essentiali petit ratione sui immediatê vt *quod* amare per exclusionem medij amantis vt *quod*, nedum realitêr, verum etiam ratione distincti: ergo intelligens vt *quod* notionaliter, petit ratione sui immediate vt *quod* notionalitêr, velle per exclusionem medij notionalitêr volentis vt *quod*, siue realiter distincti, siue etiam ratione; at Pater ratione sui vt *quod* intelligit notionaliter: ergo vult vt *quod* notionaliter, per exclusionem medij volentis vt *quod* virtualiter distincti.

§. Vltimus.

Traditur, & defenditur vera solutio.

15 *Vera solutio rationis dubitandi.*

MIssa igitur hac solutione, ad rationem dubitandi respondeo, concesso antecedenti negando consequentiam, ad cuius probationem, nego etiam consequentiam, ob rationem traditam inter probandum nostram conclusionem; quia nempê *principium*, nomen substantiuum est, & idcircô ad sui multiplicationem petit pluralitatem suppositi, & formæ, quia ergo etsi sint duo suppositа spirantia, est tamen in illis vna virtus spiratiua, quæ de formali significatur nomine principij; hinc fit, quod non dicantur Pater, & Filius *duo principia* ob suppositorum pluralitatem, sed *vnum principium* propter vnitatem virtutis.

16 *Replicabis 1.*

Sed oppones aduersus solutionem primo: quia nomen substantiuũ, etsi formam significet ad modum per se stantis, petit tamen ad sui pluralitatem, quod multiplicentur suppositа, & formæ, vt docet Caietanus *infra quæst. 39. art. 3.* & manifestê constat ex D. Thoma *in præsenti art. 4. ad 2.* vbi ait, non posse dici Patrem *duo principia* propter plures proprietates, eo quod denotaretur suppositorum pluralitas. Et *3. p. quæst. 3. artic. 7. ad 2.* vbi docet, quod si Diuinum Verbum duas assumeret humanitates, non diceretur duo homines: ergo pariter ad sui vnitatem absolutê, & simpliciter talem, petit vnitatem, non solum formæ, sed etiam suppositi; & consequêter cum Pater, & Filius sint duo suppositа, nisi in communi spirante vt subsistente conueniant, non dicentur vnum principium Spiritus Sancti simpliciter, sed vnum secundũ quid. Patet consequentia, tum à paritate, tum à fortiori: nam vnitas, veluti de genere bonorum plus videtur ad sui consistentiam exigere, quam pluralitas, quæ comparata cum vnitate de genere bonorum non est.

17 *Resp.*

Respondeo, concesso antecedenti, negando consequẽtiam, ratio autem discriminis potissima, est communis modus concipiendi, & loquẽdi, dicitur enim vnus artifex, etsi plures Artes habeat, quia suppositum vnum est, & tres personæ vnus Deus, vnus omnipotês, & vnus æternus substantiuê, etsi plura suppositа sint, quia forma significata vna est in tribus personis, scilicet, deitas, omnipotentia, & æternitas, & hoc quamuis negetur subsistentia absoluta; cum de fide sit, non tres Deos, sed vnum Deum esse, sententia autẽ agnoscens absolutam subsistentiam, non de fide sit, etsi valdê probabilis: signum ergo manifestum est, ad pluralitatem nominis substantiui vtrumque requiri, formarum scilicet, & suppositorum pluralitatem,

ad vnitatem autem quodlibet eorum ſeorſim ſufficere, ſcilicet, vel formæ, vel ſuppoſiti vnitas. Deinde poteſt aliqualis ratio diſcriminis ex naturis rerum conſtitui, eo quod pluralitas petit negationem prædicationis vnius de alio, eo autem ipſo, quod in eodem ſuppoſito plures formæ conueniant, v. c. plures humanitates in ſuppoſito verbi, ſecundum quarum vnam vocaretur Ieſus, & ſecundum aliam Petrus, verũ eſſet dicere Petrus eſt Ieſus: ergo falſo diceretur, quod eſſent plures homines; & conſequenter veré affirmaretur, quod eſſent vnus homo: nam negata pluralitate, vnitas neceſſario eſt concedenda.

18 *Replica bis 2.*

Oppones ſecundo: nam eſt probabilis ſententia, quod ſi plures perſonæ eãdem humanitatẽ aſſumerent, dicerẽtur plures homines, & nõ vnus, niſi ſecundum quid, quam ſententiã tenet Caietanus *3. p. quæſt. 3. art. 6. & 7.* Et hoc non alia de cauſa, niſi quia humanitas propriam ſubſiſtentiam non affert, nec daretur in illo caſu hic homo ſubſiſtens tribus perſonis communis: ergo negata ſubſiſtentia cõmunis ſpiratoris ſpirantis vt *quod*, probabile ad minus erit, Patrem, & Filium eſſe duo principia ſpirandi ſimpliciter, & ſecundum quid vnũ tãtum principium; cõſequens autem abſurdum eſt cũ noſtra ſententia, vel de fide cenſeatur, vel taliter certa, vt oppoſita, abſque nota cenſuræ defendi non poſsit: ergo vt defendatur fatenda eſt ſubſiſtentia communis ſpiratoris.

19 *Reſp.*

Reſpondeo admittendo antecedens, & negando conſequentiam: nã ſicut licet illa ſententia probabilis ſit, eſt omnino improbabile, & contra Fidem dicere tres perſonas eſſe plures Deos, etiam ſi negetur ſubſiſtentia abſoluta, eo quod Deitas taliter eſt cõmunis, quod identificatur cũ tribus perſonis: ita in noſtro caſu. Et ratio omnium eſt: nam qui teneret ſententiam in antecedenti relatam, fundaretur in eo, quod iſte terminus *homo* dictus de Chriſto, habet aliquas proprietates termini cõnotatiui, imõ, & adiectiui, quia humanitas aduenit Verbo, abſque idẽtitate cum illo, principium autem dictum de Patre, & Filio, omnino eſt ſubſtantiuum, & idẽtificatur cum illis. Vnde ſicut ob hanc cauſam tres perſonæ dicuntur vnus Deus, ita Pater, & Filius ſunt, & debent dici vnum principium ſimpliciter Spiritus Sancti, quamuis non detur ſubſiſtentia ſpiratoris vtrique perſonæ communis.

20 *Deniq; inſtabis*

Denique obijcies: ſi namque non datur ſpirator ſubſiſtens Patri, & Filio communis, aſsignari nequit pro quo ſupponat prædicatũ huius propoſitionis, Pater, & Filius ſunt vnũ principium Spiritu Sancti; conſequens admittendum non eſt: ergo datur ſpirator ſubſiſtens Patri, & Filio communis. Maior probatur: non enim ſupponit pro Patre, aliàs falſo de Filio affirmabitur; nec pro Filio, aliàs nõ poterit veré de Patre affirmari; nec pro vtroque ſimul, aliàs de nullo ſeorſim verẽ affirmari poterit, quod ſit Spiritus Sancti principium: ergo nihil pro quo ſupponat poterit aſsignari, negata huic ſpiratori ſubſiſtentia communis.

21 *Reſp.*

Reſpondeo, ſupponere in illa propoſitione pro Patre, & Filio cõfuſẽ, id eſt, collectiuẽ, non rigoroſa collectione, quæ dicit pluralitatem ſine vnitate, ſed ſola accepta collectione, quatenus ſupponit pro pluribus, vt identificatis in virtute ſpiratiua. Nec ſequitur non poſſe veré affirmari de Patre, & Filio ſeorſim: nam quando de illis prædicatur ſeorſim, non ſupponit pro vtroque, ſed pro ſubſiſtente in virtute ſpiratiua vtrique communi, non communitate reali ex parte ſubſiſtentiæ, ſed tantum rationis, realiter autem ex parte virtutis. Quod rectẽ declaratur exemplo huius prædicationis: Pater, & Mater ſunt cauſa Filij, in qua prædicatum pro vtroque parẽte ſupponit, quia vterque ad generationem Filij requiritur, in his autem propoſitionibus, Pater eſt cauſa

Filij, Mater est causa Filij, non supponit prædicatum pro vtroque collectiuè, sed pro principio Filij ab actiuo, & passiuo abstrahente, & vtrique communi. Pro quo videantur Salmanticenses *dub.* 5. §. *vltimo.*

22 *Corollarium ex dictis.*

Ex dictis colligitur, quod si spirator adiectiuè supponat, non vnus spirator, sed plures spiratores sunt Pater, & Filius, sicut non vnus, sed plures spirantes, qualiter accipiendum esse tenuit D. Thomas *in* 1. *distinct.* 11. *art.* 4. Si vero substantiuè sumatur, non sunt plures, sed vnus spirator, & quia verius est accipi substantiuè, quam adiectiuè, vt docet D. Thomas *in præsenti art.* 4. *ad* 7. retractans sententiam, quam in sententiarijs docuerat, ideò non plures spiratores, sed vnus spirator sunt Pater, & Filius, sicut vnum, & non plura principia; non tamen eadē certitudine gaudet vtrumque: nam quod sit vnum principium diffinitū est in Concilijs, non autem diffinitū inuenitur in illis, quod sint vnus spirator. Vnde qui hoc negaret tenendo, ly *spirator* accipi adiectiuè, ad summum in grammatica erraret, nō tamen cōtra fidē. Et hæc de ista disputatione, applicanda litteræ Magistri *in* 1. *dist.* 11. vbi à D. Thoma excitatur: & *distinct.* 29. §. 3. ad illa verba. *Fatendum est Patrem, & Filium esse vnum principium Spiritus Sancti, non duo principia.* (?)

M. Set.

DISPVTATIO NONAGESIMA QVINTA.

An Pater, & Filius propriè dicantur se diligere Spiritu Sancto?

§. I.

Eligitur vera sententia, & authoritate probatur.

Nu. 1. *Ratio dubitandi.*

RATIO DVBItandi est: nam casus ablatiuus in rigore sermonis importat habitudinem causæ fotmalis, aut efficientis. Primũ constat in hac propositione; *corpus albedine est album.* Secundum in ista: *Homo intelligit intellectu*; at Spiritus Sanctus non est forma, qua Pater, & Filius diligunt, siue dilectio sumatur notionaliter, siue essentialiter; nec est principium *quo* diligant in aliqua ex his acceptionibus, sed est terminus dilectione notionali productus: ergo in proprio, & rigoroso sensu vera esse non potest ista propositio, *Pater, & Filius se diligunt Spiritu Sancto.*

2 *Prima sententia*

Quidam, quos suppresso nomine refert D. Thomas *in præsenti artic.* 2. ratione dubitandi conuicti asserebãt, dictam propositionem, non solum impropriam, sed etiã falsam esse, & ab Augustino retractatã in simili, *libro 1. retractationũ cap. 26.* vbi retractauit propositionem illam, quam olim docuerat: *Pater est sapiens sapientia genita*, cũ enim ista sit eiusdem rationis, ac illa, de qua disputam⁹, vna in altera virtualiter retractata censetur. Magister Sententiarum *in 1. distinctione 32.* quæstionem mouit, & ob illius altitudinem insolutam reliquit.

M. Sẽt.

3 *Sententia Durandi.*

Secunda sententia est Durandi *in 1. distinct. 32. q. 1. num. 14.* asserẽtis, falsam este dictam propositionẽ, si diligere sumatur notionaliter, sumpto autem essentialiter, esse veram, sed impropriam, & istum facere sensum: *Pater, & Filius se diligunt amore essentiali, qui appropriatur Spiritui Sancto.* Quã sententiam quoad improprietatem propositionis tenuere alij Durando

anti-

antiquiores, quos suppresso nomine refert, & refellit D. Thomas *in præsenti art.* 2. Tenent etiam Molina, & Canariensis circa istum articulũ: nam licet doctissimus iste, illam veram admittat, & propriam ob Sanctorum Patrum authoritatem, rationem tamen, qua illius proprietas possit defendi se ignorare fatetur.

4 *Vera sẽtentia.* S. Tho. Capr. Caiet. Bañez. Zumel. Nazar. Salmãt. M.S.T. Smising Suarez. Vazq. Arrubal Granad Alarcõ.

Tertia, & vera sententia defendit, veram esse, & propriam dictam propositionẽ, sumpto *diligere* non essentialiter, sed notionaliter. Hanc tenet D. Thomas *in* 1. *distinct.* 32. *q.* 1. *a.* 1. & 2. Vbi Capreol⁹. Et *in præsenti q. artic.* 2. Caietanus, Bañez, Zumel, & Nazarius *controuersia* 1. Salmanticenses *disp.* 16. *dub.* 1. Reuerendissimus Sancto Thoma *disp.* 15. *art.* 5. Tenent etiam Scotistæ cũ Doctore subtili, vt testatur Smising *disp.* 3. *q.* 14. *num.* 234. Tenẽt etiam Patres Societatis frequenter, Suarez *lib.* 11. *de Trinitate cap.* 3. Vazquez *disp.* 141. *cap.* 2. & *sequentibus*. Arrubal *disp.* 133. Granadus *tract.* 10. *disp.* 10 Et Alarcon *tractatu* 5. *de Trinitate disp.* 8. *capite* 5. & frequenter cæteri Theologi.

5 *Suadetur* 1. *ex Augustino.*

Suadeturque primo: dicta namque Sãctorum cum proprietate sunt accipienda, quando nullum sequitur inconueniens; at Patrem, & Filium se Spiritu Sancto diligere, in Sanctis Patribus inuenitur expressum, & præcipuè in Augustino, & ex eo quod in proprio sensu accipiatur nullum absurdum, seu inconueniens sequitur: ergo verè, & propriè Pater, & Filius se diligunt Spiritu Sancto. In maiori non est difficultas apud venerantes Sanctorum authoritatẽ. Minor pro secunda parte ex solutione obiectionum constabit. Maior autem probatur, tum ex Augustino *lib.* 6. *de Trinitate cap.* 5. *in principio*, illis verbis: *Qua propter etiã Spiritus Sanctus in eadem vnitate substantiæ, & æqualitate consistit, siue enim vnitas sit amborum, siue Sanctitas, siue Charitas, siue ideò vnitas, quia Charitas; & ideò Charitas, quia Sanctitas, manifestum est, quod non aliquis duorum est, quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, generatorẽque suum diligat, &c.* Quibus verbis adeò expressè Augustinus affirmat Patrem, & Filium se diligere Spiritu Sancto, vt immerito Franciscus Suarez *vbi supra* contendat, non adeò expressam in Patribus dictam propositionem inueniri, vt ob Patrum authoritatem multum sit insistendum in eius proprietate defendenda, cum ob solum Augustinum, in quo expressè reperitur, totis viribus sit contendendum, illã in omni proprietate defendere. Secundo ex Bernardo *lib. de Amore Dei cap.* 7. vbi Spiritũ Sanctum appellat amorem Patris ad Filium, & Filij ad Patrem. Tertio ex Ricardo de Sancto Victore in declarationibus ad Diuum Bernandũ, capite cui titulus est, *quomodo Spiritus Sanctus est amor Patris, & Filij?* Vbi ait: *Si rectè diceris amare amore, qui à te procedit, cur non Pater, & Filius dicentur amare amore, quo ab ipsis procedit?*

(z)

***
✝
***

§. II.

Examinantur aliquorum rationes.

6 *Ratio recẽtiorũ reijcitur.*

RAtione sic arguunt Recentiores nonnulli: à termino namque actionis immanentis, & nõ solum ab actione potest principium tale denominari; at Spiritus Sanctus est terminus actionis immanentis, scilicet dilectionis, quæ actus immanens est voluntatis: ergo possunt Pater, & Filius dici cum proprietate diligẽtes esse Spiritu Sancto. Hæc tamen ratio nobis placere non potest. Tum, quia denominatio agentis à termino propriæ actionis, non solum contingit in actionibus immanentibus, sed etiam in transeuntibus, ignis namque denominatur calefaciens lignum, non solum calore sibi inhærente, sed etiam calore sua actione producto, & in passo inhærente: ergo restringenda nõ est hæc doctrina ad terminum per actionẽ immanentem productum. Tum etiã, quia intellectio actio immanens est; & tamen, vt docet D. Thomas *in præsenti artic.* 2. non potest Pater dici intelligens Verbo à se producto: ergo maior illa vniuersaliter vera non est. Tum denique: nam denominatio procedentis ad intra, & generantis Filium, est denominatio actionis immanentis in Patre diuino; & tamen nequit dici Pater generans, aut producens Verbũ Verbo: ergo quod dicatur diligens se, & Filium Spiritu Sancto, non est ex ratione communi termini actionis immanentis.

Si dicas, generare esse denominationem immanentem in re, non tamen ex modo significandi, & concipiendi. In contrarium obstat, nam etiã dicere, & diligere notionaliter sũptum, ex modo significandi sunt transeuntes, cum diligere notionaliter sit producere impulsum, & medio illo obiectum amare; & dicere sit producere verbum, & in illo obiectum contemplari; & tamen verè dicitur Pater dicens se, & omniã Verbo, & Pater, & Filius se diligere Spiritu Sancto, vt docti Recentiores fatentur: ergo ex eo quod generare ex modo significandi transeunter cõcipiatur, non tollitur quominus denominationem capiat à termino, si semel id venit ex ratione communi termini per actionẽ immanentẽ producti.

7 *Euasio recẽtiorum excluditur.*

Secundo alij de mente Scoti sic arguunt: Pater, & Filius producunt Spiritũ Sanctũ, qui est amor vtriusque, vel qui vtrumque diligit: ergo Pater, & Filius se diligũt principiatiuè, etsi non formaliter Spiritu Sancto. Cæterum hæc ratio non suadet intentum, & parum congruit illorũ principijs. Primum sic probo: nam si sola ea ratione Pater, & Filius se ipsos Spiritu Sancto diligerent, quatenus producunt Spiritum Sanctum vtrumque diligentem, sequeretur eũ proprietate posse dici, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum se diligere creaturis; consequens est falsum, & à nomine admissum: ergo prædicta ratio sustineri non potest. Probo sequelam: tres personæ producunt rationalem creaturam illas diligentem: ergo possunt dici se diligere rationali creatura, si semel Pater, & Filius, ea solum ratione, dicuntur se diligere Spiritu Sancto, quia producunt illum diligentẽ Patrem, & Filium.

8 *Aliorũ ratio reijcitur primo.*

Secundum suadetur; ipsi namque fatentur, quod vt ista propositio sit vera, Pater, & Filius se diligunt Spiritu Sancto, debet accipi Verbum diligere, nec purè essentialiter, nec purè cõditio-

9 *Secũdo.*

naliter ; at si solum verificaretur in sensu,quem suo argumento conuincit, scilicet,principiatiuè,purè notionaliter accepto diligere , dicta propositio esset vera : nam dilectio purè notionaliter capta est productio Spiritus Sancti amantis Patrè, & Filium: ergo ratio illa non consentit propria illorum doctrina.

§. III.

Ratio Diui Thomæ explicatur, & defenditur.

10 *Prob. ratione D.Th.*

MIsis igitur his argumẽtis, aliter est suadenda nostra sententia ratione D.Thomæ *in præsenti art.*2.ad hanc formam redacta : quandocumque actionis terminus est de intellectu illius vt significatæ verbo,vel nomine , potest principium à termino denominationem accipere in casu ablatiuo;at Spiritus Sanctus est de intellectu dilectionis sumptæ notionaliter,quatenus significatur Verbo *diligere* : ergo verè, & cum proprietate potest dici Patrem,& Filium se Spiritu Sãcto diligere.

*Minor prob.*1. Consequutio est legitima : minor constat. Tum primo: nam diligere notionaliter acceptum diffinitur per hoc , quod est spirare Spiritum Sanctum : ergo sicut Spiritus Sanctus est de huius complexi intellectu,ita & de intellectu dilectionis notionalis,vt significatur hoc verbo *diligere*.

11 *Minor prob.*2. Secundo : nam quando terminus nõ clauditur in intellectu actionis,prout significatæ verbo, vel nomine , potest cum illa constitui in casu accusatiuo , sicut rectè dicitur Pater generat Filium,Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum,quia termini productionum includuntur in conceptu istarum actionũ vt significantur his terminis *generare*,aut *spirare*; at non nisi incongruè constituitur Spiritus Sanctus in accusatiuo casu cum dilectione,vt significatur hoc nomine *diligo* , scilicet asserendo, Pater diligit Spiritum Sanctum , *diligere* notionaliter capto; sicut incongruè dicitur Pater dicit Verbum , congruè autem asseritur, Pater dicit se,& omnia,quæ intelligit Verbo à se genito: ergo Spiritus Sanctus est de intellectu dilectionis notionalis, vt significatur hoc termino *diligo*.

12 *Maior rationis D.Th. prob. exẽplis* Maior exemplis ostenditur:quia namque flores sunt de intellectu floritionis,vt significatur his terminis floreo , aut floresco , rectè dicitur arborem florere , aut florescere floribus ; similiter , quia calor est de intellectu actionis calefaciendi, vt significatur hoc verbo calefacio, rectè,& cum proprietate dicitur ignis calefaciens,calore producto passo inhærente;quia etiam verbum est de intellectu intellectionis notionalis , vt significatur verbo dicendi, cum proprietate dicitur Pater se dicit Verbo:ergo maior est vera.Secundo probatur ratione : quando namque terminus modo explicato clauditur in intellectu actionis, se tenet ex parte illius vt eius complementum , medio quo vlterius transit ad aliquid,vt materiam, vel obiectum, vt constat in calore producto , medio quo calefactio transit ad subiectum calefactibile,& in verbo terminante dictionem , medio quo dictio transit ad percipiendum obiectum : ergo potest agens tale denominari , non solum ab actione,sed etiam à termino actionem complente cum constitutione casus ablatiui.

13 *Cõfirm.* Et ex his confirmatur ratio præcedens, & explicatur amplius; quia namque actio calefaciẽdi medio calore producto attingit subiectũ calefactibile, cum proprietate dicitur ignis calefacere lignum calore, non solum illo, qui se tenet ex parte principij, sed etiam calore ligno inhærente. Et quia dictio mediante Verbo transit ad obiectum, cum proprietate dicitur, intellectus dicit rem intellectam Verbo; sed dilectio notionalis medio Spiritu Sancto vt põdere & inclinatione transit ad Patrem, & Filium, etsi non producendos, bene tamẽ diligẽdos: ergo verẽ, & cum proprietate dicuntur Pater, & Filius se diligere Spiritu Sancto.

14 *Obijciũt Scotistæ.* Sed contra rationem istam arguunt Scotistæ in hunc modum; de conceptu generationis diuinæ est Filius genitus, & de conceptu spirationis Spiritus Sanctus, & de conceptu ædificationis est ædificium; & tamen non dicitur propriẽ, Pater generat Filium Filio, Pater spirat Spiritu Sancto, ædificator ædificat ædificio, sed ædificium: ergo ex eo quod Spiritus Sanctus sit de conceptu dilectionis, non sequitur cum proprietate dici, Pater, & Filius se diligunt Spiritu Sancto.

Cõfirm. Quod amplius confirmant: nam iuxta D. Thomam idem est diligere, quod spirare amorem, sicut idem est dicere, quod producere Verbum: ergo si hæc est falsa, *Pater, & Filius spirant Spiritu Sancto*, falsa etiam debet ista censeri: *Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto.*

15 *Resp.* Respondeo distinguendo maiorem: sunt de conceptu prædictarum actionum vt significati his terminis *generatio, spiratio, & ædificatio*, nego maiorem: vt specificantes tales actiones, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: quia vt docet Diuus Thomas in 1. dist. 32. q. 1. art. 1. ad 3. *In Verbo diligendi, & ipse actᵘ importatur, qui est persona ratione cuius secundum illum actum denominatur Pater diligens amore, qui est persona Spiritus Sancti, & importat emissionem actus, sed hoc verbum* spirat *significat ipsam emissionem actus, & non actũ emissum, & ideò Pater non dicitur spirans Spiritu Sancto, sed actu, vel proprietate spirationis. Et simile est de generatione, quia generatio dicit emissionem geniti, vnde nõ dicitur, quod Pater generat Verbo, sed dicere dicit emissionem Verbi, & Verbum emissum, & ideo dicitur quod dicit Verbo.* Verba sunt D. Th. loco allegato. Ex quibus constat non esse idem teminum aliquem esse de conceptu actionis, & significari nomine actionem significante, hoc autem secundum requiritur vt terminus cum agente constituatur in casu ablatiuo, & quia hoc reperitur in verbo *diligere* notionaliter sumpto: secus autem in verbo *spirare, generare*, & in verbo *ædificare* respectu suorum terminorum; hinc fit, quod cum proprietate dicantur Pater, & Filius, se diligere Spiritu Sancto: secus autem spirare Spiritu Sancto, generare Verbo, aut ædificator ædificare ædificio. Et ex eisdem verbis ad confirmationem respondeo, distinguo antecedens: idem est dilegere, quod spirare amorem quoad totum hoc complexum, concedo antecedens: quoad partem vnã complexi, nempè spirare, nego antecedens, & consequentiam.

16 *Replicabis.* Dices, etiam est falsum dicere *Pater spirat amorem amore*, seu *spirat Spiritum Sanctum Spiritu Sancto*: ergo licet idem sit diligere, quod totum hoc cõplexum *spirare amorẽ*, falso etiã dicetur *Pater diligit Spiritu Sancto.* Respondeo negando consequentiam, quia licet idem sit diligere, quod hoc complexum spirare amorem, seu Spiritum Sãctum ex parte rei significatæ, non tamen ex parte modi significandi, quia complexum significat emissionem impulsus, & impulsum vt terminantem, & specificantem emissionem, non antẽ vt se tenentem ex parte illius, vt illo mediante transeat vlterius; in Verbo

au-

autem diligere importatur Spiritus Sanctus, vt se tenens ex parte dilectionis, tanquam medium, quo transit ad obiectum non productum, sed diligendum, seu amandum, diuersus autem modus significandi, sufficit vt vna propositio vera sit, & non alia.

§. IV.

Ratio dubitandi soluitur, & alijs argumentis occurritur.

17 *Resp. ad rationē dubitādi.*

ADrationē dubitandi in principio positam respondetur negando maiorē vniuersaliter, sed aliquando constituitur in habitudine, quasi effectus formalis, vt docet D. Thomas *in* 1. *distinct.* 32. *q.* 1. *art.* 1. *circa medium corporis*, id est, vt ibi D. Thomas aduertit in habitudine termini, qui largē vocatur effectus sub induentis modum formæ in denominando principium à quo egreditur, & ideo vocatur formalis. Per quod cessat quorundam hallucinatio, qui vt refert Capreolus supra citatus, nolentes intelligere D. Thomam, ipsum impugnabant, eo quod assereret Spiritum Sanctum denominare Patrem, & Filium diligentes in casu ablatiuo, vt effectus, seu quasi effectus illorum in genere causæ formalis. Quod autem hæc denominatio à termino in casu ablatiuo cōstructo, agenti possit prouenire, constat ratione facta, & exēplis à nobis in superioribꝰ adductis.

18 *Arg.* 2.

Sed obijciet quis aduersus nostrā resolutionem secundo: hæc propositio est falsa: *Pater intelligit verbo*: ergo etiam ista, *Pater, & Filius diligunt Spiritu Sancto*. Patet consequentia à paritate rationis. Antecedens autem probatur: nam propositio ista, *Pater intelligit verbo*, eūdem sensum facit ac ista: *Pater est sapiens sapientia genita*; at hæc est falsa, & ab Augustino retractata *libro retractationum cap.* 26. cuius rectrationem omnes Theologi admittunt: ergo hæc propositio, *Pater intelligit Verbo*, falsa debet censeri.

Huic argumento Vazquez *vbi supra cap.* 6. quem alij recentiores sequuntur, respondet negando antecedens: ad cuius probationem, negat maiorem: quia cum hæc verba *intelligit*, & *sapit*, non formalem effectum, sed actionem significēt, nec sit ratio cur accipi non possint essentialiter, & notionaliter, sicut Verbū *diligit*; non est cur negetur ista propositio, Pater intelligit Verbo, sicut conceditur diligere Spiritu Sancto, non enim denotatur, quod Verbum sit Patri forma vt intelligat, sicut denotatur in hac, Pater est sapiens sapientia genita, eo quod esse sapientē significat effectum formalem. Et quidem, inquit Vazquez, nulla est differentia inter hæc duo, in Verbo suo, & Verbo suo præpositione ablatā; at hæc propositio; Pater in Verbo suo intelligit, vt vera concluditur: ergo & hæc, Pater Verbo suo intelligit, debet vt vera concedi.

19 *Solutio P. Vazquez.*

Hæc tamen solutio sustinenda non est: primo, quia expressa contra D. Thomam *in præsenti art. solutione ad* 1. Et *in* 1. *distinct.* 32. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 1. vbi docet, quod sapere in diuinis solum essentialiter sumitur. Secundo: nam concessa ista propositione, *Pater sapit, aut intelligit Verbo*, debet etiam ista concedi, *Pater est sapiens, aut intelligens Verbo*; at hæc secunda est falsa: ergo & prima. Probo maiorem primo: nam quia hæc est vera, *Pater dicit Verbo*, ista etiam vt vera conce-

20 *Reijcitur* 1. *ex D. Tho. & secūdo ratione.*

di-

ditur, *Pater est dicens verbo*, quin quoad hoc aliqua differentia inueniatur inter *dicere*, & *esse dicendum*, & quia hæc conceditur, *Pater*, & *Filius diligunt Spiritu Sancto*, etiam conceditur ista, *Pater*, & *Filius sunt diligẽtes Spiritu Sancto*: ergo pariter ista concessa: *Pater sapit*, *aut intelligit verbo*, etiam ista est concedenda; *Pater est sapiens*, *aut intelligens verbo*. Secundo: nã verbum, & participium in significando actionem per modum actionis conueniunt, vnde vtrúque significat cum tẽpore, vt in sũmulis traditur, & solum discriminantur penes vnitiuẽ, aut non vnitiuẽ significare; at *sapiens* potest accipi vt participium huius verbi *sapere*, & *intelligens*, vt participium huius verbi *intelligo*, & consequenter vtrumque significat actionem: ergo si ista, *Pater sapit*, *aut intelligit verbo*, conceditur, quia actionem significant, hæc verba, *sapit*, & *intelligit*, eadem ratione poterit cum proprietate esse vera hæc propositio, *Pater est sapiens*, *aut intelligens verbo*.

21 *Deniq; reijcitur.*

Denique reijcitur præfata solutio: nam si quia hæc est vera, *Pater intelligit in verbo suo*, hæc etiã debet vera censeri, *Pater intelligit verbo*, sequitur hanc secundam non solum esse veram, intelligere accepto notionaliter, sed etiam accepto essentialitêr, consequens est contra istum Authorem: ergo manifestum discrimen tenetur admittere inter hæc duo, *in verbo suo*, & *verbo suo* præpositione ablata; & consequẽter ex hoc, quod vna concedatur vt vera, perperam infert alteram debere, tanquam veram admitti. Probo sequelam: hæc propositio, *Pater intelligit in verbo suo*, est vera, *intelligere* accepto essentialitêr, sicut enim in essentia sua se, & creaturas intelligit vt in medio, & obiecto primario, eo quod essentia repræsentat Patri omnia obiecta, quæ intelligit, ita in Verbo suo potest omnia obiecta intelligere intellectione essentiali, licet non vt in medio, & obiecto primario, eo quod verbum omnia Patri repræsentat, de quo *supra quæst.* 34. ergo si ex eo quod hæc sit vera, *Pater intelligit in verbo*, debet etiam ista concedi, *Pater verbo suo intelligit*, sequitur debere cõcedi, intelligere accepto essentialitêr.

22 *Cõfirm.*

Et confirmatur amplius: nam hæc propositio est vera: *Filius intelligit omnia in se ipso*, *vt in verbo*: nã vt loco proximè citato ex D. Thoma monstrauimus; verbum non solum Patri, sed etiam sibi ipsi repræsentat obiecta. Ex quo ibi intulimus, Patrem in productione Filij loqui cum illo; & tamen hæc concedi non potest: *Filius verbo intelligit*, intelligere accepto notionaliter: ergo ex veritate istius, *Pater in Verbo intelligit*, non licet argumentari hãc esse concedẽdam vt veram: *Pater verbo intelligit* intelligere accepto notionaliter. Et ratio differentiæ est: nam ly *in verbo* solum petit, quod sit medium in quo per modum obiecti repræsentantis, & quia hoc munus exercet verbum respectu intellectus paterni, hinc fit, quod verè cõcedatur Patrem in verbo intelligere; at vero ly *verbo* sine præpositione dicit habitudinẽ termini subinduentis modum formæ, ad quem modum subinduendum est necessarium, quod sit de intellectu actionis, vt significatur per nomen, aut verbum, & quia Verbum Diuinum non sic importatur per Verbum intelligere; hinc fit, quod non possit construi in casu ablatiuo, absque præpositione cum Patre, asserendo Pater intelligit Verbo.

23 *Vera solutio.*

Ad argumentum ergo respondeo ex D. Thoma *in præsenti art.* 2. *solutione ad* 1. concessio antecedenti, negando cõsequentiam, & ratio discriminis est: nam *diligere* dupliciter capitur, notionaliter, & essentialiter, & licet non sit vera dicta propositio verbo *diligere* capto essentialiter, est tamen vera accepto notionaliter. Verbum autem *intelligo* solum essentialiter vsurpatur, in

quo

quo sensu vt omnes fatentur verum esse non potest, quod Pater intelligat Verbo. Ratio autem cur Verbum *diligere* vtramque acceptionem sortiatur: secus vero Verbum *intelligere*, sumitur ex D. Thom. *in præsenti art.* 1. quia nempe, cū ea quæ ad intellectum spectant sint nobis notiora, adinuenta sunt nomina ad omnia distinctè significanda, tam essentialia, quam notionalia, & personalia: vnde hæc verba, intelligere, dicere, & generare, sic comparantur, vt primum essentiale sit, secundum notionale explicans etiam aliquod essentiale, scilicet ordinem repræsentationis obiecti medio Verbo, tertium autem purè notionale: ea vero, quæ ad voluntatem spectāt, sunt nobis minus nota, & ideò non sunt adinuenta propria nomina, quibus distincte essentialia, notionalia, & personalia significentur. Vnde sicut hac ratione *amor* quandoque essentialiter capitur, & sic est tribus personis commune, & quandoque personaliter, qualiter est nomen proprium Spiritus Sancti, vt docet D. Thomas *in præsenti art.* 1. Ita, & eadem de causa non est proprium nomen, quo significemus emissionem Spiritus Sancti cum ordine ad obiectum dilectum, sed significatur Verbo hoc *diligere* sumpto notionaliter, etsi hoc ipsum Verbum etiam essentialiter accipiatur. Vnde hoc Verbum *diligere* in hac acceptione correspondet Verbo *dicere* in intellectu, sicut hoc Verbum *spirare* correspondet Verbo generare.

24 *Arg.* 3. Tertio sic obijcies, eodem quo diligunt Pater, & Filius, diligit etiam Spiritus Sanctus; at falsum est dicere *Spiritus diligit se ipso Patrem, & Filium*: ergo nec Pater, & Filius se diligunt Spiritu Sancto. *Resp. ex D. Tho.* Respondet D. Thom. *in* 1. *vbi supra articulo* 2. *ad* 4. Verbum diligere posse sumi tripliciter, primo essentialiter, & sic Spiritus Sanctus se ipso diligit, quia sicut se ipso Deus est, ita se ipso diligens est. Vbi aduertatur obiter, in hoc sensu non dici Spiritus Sanctus se ipso diligere tanquam termino dilectionis, sed tanquam persona operans. Secundo prout nominat tantum personam Spiritus, qui est amor subsistens, & sic etiam non dicit exitum, nisi secundum rationē; vnde secundum hoc solus Spiritus Sanctus diligit se ipso, cæterum iste modus inconsuetus est, inquit D. Thomas. Tertio, vt dicit exitum realem, & sic importat simul notionem actiuam, & personam Spiritus Sancti, & in hac acceptione soli Patri, & Filio conuenit diligere Spiritu Sancto, quia solum Pater, & Filius emittunt Spiritum Sanctum. Iuxta quam doctrinam distinguo maiorem: eodem quo diligunt vt operatione essentiali, concedo maiorem: eodem quo diligunt vt principio *quod* personali operationis essentialis, vel vt termino dilectionis notionalis, nego maiorem, & distinguo minorem: se ipso vt operatione essentiali, aut termino operationis notionalis, concedo minorem: se ipso vt principio *quod* personali operationis essentialis, nego minorem, & nego consequentiam sumpto *diligere* notionaliter.

25 *Obiectio Vazq. dilu itur.* Sed contra hanc solutionem opponit Vazquez *vbi supra cap.* 5. quod ablata relatione originis à verbo *diligere*, nihil remaneret nisi essentiale tribus personis commune, nec aliud se posse intelligere: ergo distinctio ista tertiæ acceptionis à D. Thoma facta, non potest subsistere. Sed certè Vazquez noluit intelligere D. Thomam, non enim remouet Angelicus Doctor à dilectione sumpta vt nominat personam Spiritus, relationē originis, sed remouet actiuam notionem, quam *diligere* si adæquatè vsurpetur, importat, hac autem sublata remanet relatio spirati, quæ personalis est, & amorem subsistentem constituit; ablata ergo notione actiua remanere potest aliquod personale non commune omnibus diuinis personis.

Deni-

26 *Vltimũ arg. diluitur.*

Denique obijcies : sicut idem est Deo esse quod Patere, ita idem est esse quod diligere ; sed Pater non dicitur aliquomodo esse Spiritu Sancto, & id circo, nec dicitur Patere Spiritu Sancto, nec Verbo: ergo nec potest dici Spiritu Sancto diligere. Respondet D. Thomas in sententiarijs *vbi supra art. 1. ad 1.* quod diligere essentialiter sumptum est omnibus modis, idem quod esse, & quantum ad rem, & quantum modum significandi, vnde sicut non dicitur esse Spiritu Sancto, ita nec dici potest diligere Spiritu Sancto, sumpto essentialiter diligere, si autem sumatur notionaliter diligere, sic est idem Patri, quod esse secundum rem, non autem secundum modum significandi, quia significat relatiuè, esse verò absolutè, vnde sic potest dici diligere Spiritu Sancto, etiam si non dicatur esse Spiritu Sancto.

27 *Obijcies*

Cæterum contra hanc solutionẽ obstare videtur doctrina D. Thomæ *1. p. quæst. 19. art. 2.* vbi cum sibi sic opposuisset : *Velle diuinum, est eius esse; sed Deus non est aliud à se : ergo non vult aliud à se.* Respondet solutione ad primum, quod *licet velle sit esse Dei secundum rem, differt tamen ratione ab esse, secundum diuersum modum significandi : in hoc enim quod dicitur Deum esse, non importatur habitudo ad aliquid, sicut in hoc quod dicitur Deum velle, & ideò licet non sit aliud à se, vult tamẽ aliud à se* ; at hic loquitur Diuus Thomas de velle essentialiter sumpto, vt communi tribus personis: ergo falso asserit in solutione adducta, diligere essentialiter sumptum idem esse cum esse secundum rem, & secundum modum significandi, vel ad minus sibi contradicit.

28 *Resp.*

Respondeo, doctrinam D. Thomæ in vtroque loco sibi congruere; nam in solutione ista nõ negat quod diligere essentialiter sumptum distinguatur secundum modum significandi ab esse Dei, sed solum quod distinguatur ab illo secundum modum significandi relatiuè, qualiter ab esse distinguitur diligere sumptum notionaliter, & est necessarium distingui, vt dicatur Pater diligere Spiritu Sancto, & non dicatur esse Spiritu Sancto: nam cum ad hoc desideretur quod includatur Spiritus Sanctus in intellectu actionis, & non possit sic includi, nisi actio relatiuè dicatur; consequens fit, quod non sufficiat quæcumque distinctio inter esse, & diligere penes modum significandi, sed sit necessaria distinctio penes modum significandi relatiuè, & absolutè.

29 *Instabis*

Sed dices: *loco ex 1. parte relato*, loquitur D. Thomas de velle sũpto essentialiter ; & tamen ait distingui ab esse penes modum significandi, quatenus in esse non importatur habitudo ad aliquid, in velle tamen Dei, habitudo importatur: ergo admittit inter velle essentiale, & esse distinctionem rationis secundum modum significandi relatiuè, quam negat in prælata solutione inter diligere sumptum essentialiter, & esse.

Resp.

Respondeo, distinctionem, quam *1. p.* admittit esse secundum modũ significandi relatiuè relationis rationis, quæ communis est tribus personis; distinctio autem rationis, quam in sententiarijs negat penes modum significandi relatiuè, est penes relationem realem notionalem, non cõmunem tribus personis, & hæc erat necessaria vt diceretur Pater diligere Spiritu Sancto.

30 *Replic.*

Sed instabis adhuc: inter esse, & operari Dei ad extra non datur distinctio penes modum significandi relatiuè realiter notionaliter, sed relatione rationis omnibus personis communi; & tamen hoc sufficit vt dicatur Pater Verbo omnia operari, iuxta illud : *Verbo Domini cæli firmati sunt*, & illud Ioannis : *Et per ipsum facta sunt omnia* : ergo distinctio penes modum significandi relatiuè relatione rationis omnibus personis communi, sufficit vt Pater dicatur Spiritu Sancto diligere sumpto essentialitêr, & consequen-

ter hanc distinctionem negat D. Thomas inter diligere essentialiter sumptum, & esse.

31 *Recētio rūexplicatiō placet.*

Huic obiectioni Recētiores quidam respondent, propositiones illas, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & omnia per Verbum sunt facta*, non propriê intelligi, sed appropriatiuê, ideſt, sapientia, vel per sapientiā Dei, quæ appropriatur Filio, omnia facta sunt. Est tamen insufficiens solutio, & reijcitur primo: nam eadem ratione propositio nostra, quæ communiter acceptatur à Theologis, scilicet, Pater, & Filius se diligunt Spiritu Sācto, posset per appropriationem intelligi, scilicet, diligūt se amore, qui Spiritui Sancto appropriatur. Secundo, quia est contra D. Thomam *infra quæstione 39. art. 8. in corpore*, illis verbis: *Hæc vero præpositio* per *designat quidem quandoque causam mediā, & sic ly* per *quandoque non est appropriatum, sed proprium Filij, secundum illud Ioannis 1. omnia per ipsum facta sunt, non quia Filius sit instrumentum, sed quia ipse est principium de principio; quandoque vero designat habitudinem formæ, per quā agens operatur, sicut dicimus quod artifex operatur per artem: vnde sicut sapientia, & ars appropriatur Filio, ita & ly* per quem: ergo ex mente D. Thomæ propositio illa: *Omnia per ipsum facta sunt*, nō appropriatiuê, sed proprie est accipiēda, & similiter alia propositio: *Verbo Domini cæli firmati sunt*, proprie est accipienda, cum quandoq; idem possit per casum ablatiuum, ac per accusatiuum, cum præpositione *per* designari.

32 *Vera solutio.*

Ad obiectionem ergo ex verbis D. Thomæ respondeo, quod quando ablatiuus, vel accusatiuus, cum præpositione *per*, important habitudinem causæ mediæ, tunc necessarium, non est, quod actio relatiuê realitêr dicatur, sicut nec quod ille, qui in prædictis casibus construitur, significetur vt terminus actione illa producta, sed sufficit quod principium sit effectiuū à principio procedens. Quando autem ablatiuus, non causā efficientem mediam importat, sed habitudinem denominantis per modum formæ, cum verê forma non sit, debet significari vt terminus per actionem productus; & consequenter actio debet significari per modum relatiui, reali relatione; quia non aliter poterit terminus actionis cum agente construi in casu ablatiuo, propter dicta inter confirmandam nostram sententiam. Vnde in forma, concesſa maiori distinguo minorem: ablatiuo designante causam efficientem mediam, concedo maiorem: designante habitudinem denominantis, nego minorem, & consequentiam; quia in ordine ad hoc quod est diligere notionalitêr sumptum, non potest Spiritus Sanctus cōstrui in casu ablatiuo cum Patre, & Filio habitudinem designando causæ efficientis mediæ, sed designante habitudinem termini denominantis ad modum formæ.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

33 *Ex dictis colligitur 1.*

EX dictis in discursu disputationis colligo primo, Patrem, & Filium non solum se, sed etiam Spiritum Sanctum, & creaturas futuras Spiritu Sancto diligere. Quod docuit D. Thomas *in 1. distinct. 32. q. 1. art. 1. 2. & 3.* Et probatur primo: nam eo modo dicuntur Pater, & Filius diligere Spiritu Sancto, quo

Pater dicitur dicere Verbo; at Pater dicit Verbo ſe, & omnem creaturam, quam intelligit: ergo Pater, & Filius diligunt Spiritu Sancto ſe, Spiritum Sanctum, & omnem creaturam futuram, non autem creaturas poſsibiles, quia non ſunt diligibiles. Secundo: nam id circo ſe diligunt Spiritu Sancto, quia eſt terminus per amorem ſui productus, & vt talis Verbo *diligere* ſignificatus; at etiã eſt terminus productus ex amore Spiritus Sancti, & vt liberê procedit eſt terminus ex amore futurorum productus: ergo Pater, & Filius diligunt ſe Spiritum Sanctum, & creaturas futuras, Spiritu Sancto.

34 *Secũdo colligitur.*

Secundo colligitur, quod in hac propoſitione, *Pater diligit creaturas Spiritu Sancto*, poteſt Verbum *diligere* ſumi eſſentialiter, & notionaliter, quod docuit Diuus Thomas *in ſententiarijs ſupra articulo tertio*, & probatur: nam Verbum *diligere* denotat amorem æternum, & effectum temporalem, vnde poteſt denotare habitudinem efficientiæ, quæ communis eſt Trinitati; at in hac acceptione creaturas diligit Spiritu Sancto, diligere sũpto eſſentialiter, ſicut illas cauſat, & illis bonum facit Spiritu Sancto, & per Spiritum Sanctum, qui eſt ratio omnis donationis factæ creaturis: ergo *diligere* ſumpto eſſentialiter, Pater creaturas diligit Spiritu Sancto. Eſt autem duplex aduertendum diſcrimẽ inter *diligere* ſumptum eſſentialitêr & ſumptum notionaliter. Primum eſt, quod quando eſſentialiter ſumitur; dicit habitudinem efficientiæ, & in ablatiuo denotatur ratio efficientiæ, non ex parte cauſæ, ſed ex parte effectuum, qui eſt Spiritus Sanctus; at quando notionaliter ſumitur, non importat Verbum *diligere* ex principali intentione habitudinẽ efficientiæ, ſed Spiritum Sanctum, qui eſt ratio efficientiæ, & ex conſequenti habitudinem, & facit iſtum ſenſum, Pater diligit creaturas Spiritu Sancto, ideſt, ſpirat Spiritum Sanctum, qui eſt ratio omnis liberæ collationis factæ creaturæ. Secundum diſcrimen eſt, quod quando ſumitur eſſentialiter, ablatiuus ille *Spiritu Sancto* conſtruitur in habitudine cauſæ efficientis, quando autem ſumitur notionaliter, conſtruitur in habitudine effectus formalis, ideſt, termini formalitêr denominãtis, iuxta ea, quæ diximus ſoluendo rationem dubitandi.

35 *Obiectio diluitur*

Si dicas, ſequi ex hac doctrina Patrem diligere creaturas Verbo, *diligere* ſumpto eſſentialiter; conſequens eſt falſum: ergo & doctrina tradita. Probatur ſequela: nam Pater ideô dicitur diligere creaturas Spiritu Sancto, quia per Spiritum Sanctum illis benefacit; at etiam per Verbum benefacit creaturis, cum per ipſum omnia ſint facta, & conſequentêr omnia beneficia collata: ergo dici poterit creaturas Verbo diligere. Reſpondeo, negando ſequelam: ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: quia benefacit illis per Spiritum Sanctum, ly *per* denotante cauſalitatem erga creaturas, quatenus à Deo per libertatem voluntatis procedunt, concedo maiorem: quatenus procedunt à Deo per modum intellectus, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Quæ doctrina eſt D. Th. expreſſa *art. 3. relato in corp.* illis verbis: *Quamuis proprie Verbum ſit ratio creaturarũ, quatenus procedunt à Deo per modum intellectus: vnde dicitur, quod Pater dicit omnia Verbo, vel arte ſua; ſed Spiritus Sanctus eſt ratio earum, prout exeunt à Deo per libertatem voluntatis, & ideò dicitur propriè diligere creaturam Spiritu Sancto, & non Verbo.*

Tertio colligitur, quod cum Pater dicitur Spiritu Sancto diligere, non eſt denominatio ab actione, ſed à termino per actionem producto. Quod patet, tum, quia D. Thomas id docuit expreſſe in libris ſententiarum *vbi ſupra art. 1. poſt mediũ*

36 *Tertiũ corollarium.*

cor-

corp & in præsenti art. 2. vbi docet esse denominationem ab effectu formali, nomine effectus intelligendo terminum productum, & nomine effectus formalis id, quod subinduit modum formæ in denominando. Tū etiam: nam denominatio ab actione immanente petit inhæsionem, aut identitatem cum principio denominato; at diligere, actionem immanētem importat, & Spiritus Sanctus Patri non inhæret, ab illoque distinguitur realiter: ergo nequit Pater denominari diligens notionalitēr Spiritu Sancto vt actione, sed vt termino actionis.

37 *Obijcies ex D. Thom.*


Nec obstant verba D. Thomæ *in* 1. *ad Annibaldum distinct.* 32. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad finem corporis*, vbi sit ait: *Actio enim ab agente procedit, & est signum, vel effectus virtutis actiuæ in agente, & ad agentem comparatur, vt forma in denominando, licet non in essendo: ita enim denominatur aliquis agens actione, sicut albus albedine. Vnde cum Spiritus Sanctus sit amor Patris, & Filij, & amor sit quædam operatio amantis, Pater, & Filius dicentur se Spiritu Sancto amare, sicut aliquis dicitur agere actione à se procedente.*


38 *Mens D. Tho. explicatur.*

Quibus verbis aperte videtur innuere Patrem denominari diligentē Spiritu Sancto vt actione. Sed non obstant, vt dixi: nam D. Thomas Spiritum Sanctum appellat actionem, vel quia est terminus per amorē productus, qualiter *supra quæst.* 34. *art.* 1. *ad secundum* docuit, Verbū dici ab Augustino sapientiam genitam, quia est terminus ex sapientia Patris productus, vel quia significatur hoc nomine *amor*, quod actionis nomen est, & ideò ad modum actionis significatur, & ad modum eius denominat: vel denique, quia quatenus Patrem diligentem denominat, significatur, vt ex parte dilectionis se tenet, vt mediante illo transeat ad obiectum dilectū, ideòactio ab Angelico Doctore appellatur.

Denique infero, Patrem nō posse dici sapientem, nec sapere sapientia genita, Filium autem posse dici sapientem sapientia ingenita, & sapientia genita. Quod docet D. Thomas *in* 1. *distinct.* 32. *quæst.* 2. *art.* 1. & 2. Primum constat ex dictis contra Gabrielem Vazquez inter soluendum secundam obiectionem. Secundum autem probatur: nam casus ablatiuus potest construi in habitudine causæ formalis, & in habitudine causæ efficientis, & in habitudine suppositi operantis vt *quod*; at licet Filius non sit sapiens in habitudine causæ formalis, nec sapientia ingenita, scilicet Patre, qui sapientia ingenita dicitur, nec se ipso, qui est sapientia genita, sed sapientia essentiali tribus personis communi, potest tamen dici sapiens Patre, qui est sapientia ingenita in habitudine quasi causæ efficientis, cum ab illo vt à principio procedat, & sapientiam essentialem accipiat, & se ipso, qui est sapientia genita in habitudine suppositi operantis vt *quod*; cum ipse sit qui sapit vt *quod*, & intelligit sapientia essentiali: ergo potest dici sapiens sapientia ingenita, & sapientia genita in casu ablatiuo. Et hæc de ista disputatione, applicanda litteræ Magistri *in* 1. *dist.* 32. §. 1. *& sequentibus.*

39 *Deniq; infertur ex dictis*





TRACTATVS DECIMVS TERTIVS.

DE CONSTITVTIONE DIVINARVM PERSONARVM.

DE quo D. Thomas in 1. sententiarum dist. 26. & 27: Ad Annibaldum eisdem distinctionibus. Quæstione 9. de potentia art. 4. Et in hac 1. p. quæst. 40. Quam diuidit in quatuor articulos; in primo inquirit: Vtrum relatio sit idem quod persona, & respondet conclusione affirmatiua, quam probat in argumento sed contra, eo quod in diuinis non differunt, quod est, & quo est, vt traditur â Boetio; sed Pater paternitate est Pater: ergo Pater idem est quod Paternitas, & eadem ratione aliæ proprietates idem sunt cum personis. In corpore articuli refert quorundam opinionem, qui moti ex modo significandi relationum, quæ non significant vt in aliquo, sed magis vt aliquid, dixerunt relationes esse assistentes, quorum opinionem reiecit D. Thomas: nam relatio secundum quod est quædam res in diuinis, est ipsa essentia; essentia autem idem est quod persona: ergo relatio idem est quod persona. Secundo refert opinionem aliorum, qui identitatem istam concedentes dixe-

runt proprietates eſſe perſonas, non autem in perſonis; quia non ponebant proprietates in diuinis, niſi tantum ſecundum modum loquendi, vt dictum eſt ſupra quæſtione trigeſima ſecunda articulo ſecundo. *Quam opinionem reijcit Diuus Thomas, eo quod vt in loco citato oſtenſum eſt*: Neceſſe eſt ponere proprietates in diuinis, quæ ſignificantur in abſtrahendo, vt quædam formæ perſonarum; ſed de ratione formæ eſt, vt ſit in eo, cuius eſt forma: oportet ergo dicere proprietates eſſe in perſonis, & eas tamen eſſe perſonas, ſicut eſſentiam dicimus eſſe in Deo, quæ tamẽ eſt Deus.

Si opponas primo: quæcumque ſunt idem, multiplicato vno eorum, multiplicatur & aliud; ſed relationes multiplicantur non multiplicata perſona, in vna enim perſona ſunt plures relationes, ſicut in Patre eſt paternitas, & communis ſpiratio: ergo relatio non eſt idem idem quod perſona. Reſpondet ſolutione ad primum, quod perſona, & proprietas ſunt idem re, non tamen ſecundum rationem: vnde non oportet quod multiplicato vno, multiplicetur reliquum, quam doctrinam fusê explicuimus ſupra diſp. 77.

Si opponas ſecundo: ſecundum Phyloſophum libro quarto phyſicorum textu vigeſimo quarto, nihil eſt in ſe ipſo; ſed relatio eſt in perſona: ergo non eſt idem quod perſona, nec poteſt dici, inquit Diuus Thomas, quod ratione identitatis, quia ſic eſſet etiam in eſſentia. Reſpondet Diuus Thomas ſolutione ad ſecundum: dicendum, quod proprietates dicuntur eſſe in eſſentia per modum identitatis tantum, in perſonis autem dicuntur eſſe per modum identitatis, non quidem ſecundum rem tantũ, ſed quantũ ad mo-

dum

dum significandi, sicut forma in supposito ; & ideô proprietates determinant, & distinguunt personas, non autem essentiam. *Iuxta quam doctrinam explicandus est Philosophus, quod nihil est in se ipso per inhærentiam, & informationem ; at vero secundum identitatem bene potest idem in se ipso esse, relationes autem non sunt in personis per inhærentiam, sed per identitatem. Addit tamen Diuus Thomas id quod dicitur in alio esse debere significari vt forma illius, & quia proprietates significantur, vt formæ personarum, non autem vt formæ essentiæ, ideò dicuntur esse in personis, non autem in essentia, quamuis cum essentia identificentur.*

Solutione ad tertium, negat ex identitate proprietatum cum personis sequi, quod possint actus notionales prædicari de illis, verbi causa, quod paternitas dicatur generans, & rationem reddit ; quia actus notionales sunt suppositorum, proprietates autem, *licet identificentur cum suppositis*, non significant vt suppositа, sed vt formæ suppositorum, & ideô modus significandi repugnat, vt participia & verba notionalia de proprietatibus prædicentur.

In secundo articulo inquirit, vtrum personæ distinguantur per relationes. *Et respondet conclusione affirmatiua, quam probat in argumento sed contra ex Boetio in libro de Trinitate asserente*, quod sola relatio multiplicat Trinitatem diuinarum personarum. *In corpore articuli statuit primo, assignandum esse aliquid, quo personæ diuinæ distinguantur. Quod probat : nam* in quibuscumque pluribus inuenitur aliquid commmune, oportet quærere aliquid distinctiuum ; sed tres personæ conueniunt secundum essentiæ vnitatem : ergo assignandum est

aliquid, quo distinguantur ad hoc, quod sint plures.

Cum autem in diuinis personis sint duo secundum quæ differunt, scilicet origo, & relatio, quæ licet re non differant, differunt tamen ratione. Refert quorundam sententiam, qui attendentes quod relatio consequitur actum, dixerunt personas distingui per originem, relationes autem manifestant distinctionem personarum.

Sed hoc, *inquit Diuus Thomas*, non potest stare propter duo: primo; quia distinctio inter duo non potest intelligi, nisi per aliquid vtrique intrinsecum: origo autem alicuius rei non significatur, vt aliquid intrinsecum, sed vt via quædam â re, vel ad rem, sicut generatio significatur, vt via quædam ad rem genitam, & vt prodiens â generante, vnde non potest esse quod res genita, & generans distinguantur sola generatione.

Secundo: nam proprietates distinguunt constituendo hypostases, vel personas; est autem contra rationem originis, quod hypostasim, vel personam constituat; quia origo actiuê significata, significatur, vt prodiens â persona subsistente, vnde præsupponit illã; origo autẽ passiuê significata, vt natiuitas, significatur, vt via ad personam subsistentem, & nondum vt eam constituens; vnde melius dicitur, *concludit D. Thomas*, quod personæ, vel hypostases distinguantur relationibus, quam per orgines.

Si opponas: ergo vtrumque dici potest, nempe, quod distinguantur relationibus, & per originem; & consequenter, etiam dici poterit personas diuinas cõstitui relationibus, & cõstitui per origẽ. Patet hæc secũda con-

sequentia: nam distinctiuum, & constitutiuum est idem: ergo si potest dici distingui à relationibus, & distingui originibus, etsi melius primum dicatur, poterit etiam dici relationibus, & originibus constitui personas, & si melius dicatur primum.

Respondeo concedendo primam consequentiam, & negando secundam: nam distinguere abstrahit à primo, & secundo distinguere, & quia originibus distinguuntur personæ distinctione secunda, priorem distinctionem supponente præstitam à relationibus, fit vt possit dici personas originibus distingui; constituere autem personam, solum conuenit primo distinguenti, & quia prima distinctio à solis relationibus præstatur; fit vt de solis relationibus dici possit vt personas constituant.

Ex dictis infert Diuus Thomas, quod nomen *Pater*, non solum significat proprietatem, sed etiam hypostasim, hoc tamen nomen genitor, & generans significant tantum proprietatem. *Et rationem reddit*; quia hoc nomen *Pater* significat relationem, quæ est distinctiua, & constitutiua hypostasis: hoc autem nomen generans, vel genitor significat originem, quæ non est distinctiua, & constitutiua hypostasis: *nam licet distinctiua sit, constitutiua tamen non est; ac proinde non est distinctiua, & constitutiua.*

Si opponatur primo: Nam simplicia distinguuntur se ipsis; sed personæ sunt maximè simplices: ergo distinguuntur se ipsis, & non relationibus. *Respondet Diuus Thomas solutione ad primum*, quod personæ sunt ipsæ relationes subsistentes: vnde non repugnat simplicitati diuinarum personarum, quod relationibus distinguantur. *Quæ doctrina sic intelligenda est, quod licet simplicibus repugnet distingui per distinctum realiter ab ip-*

sis, non autem repugnat illarum simplicitati distingui per id, quod ipsis realiter identificatur, & quia relationes sunt idem realiter cum personis, possunt illas constituere, non obstante personarum simplicitate, vt autem cum proprietate affirmetur personas distingui per relationes, requiritur, quod relationes virtualiter, aut ratione distinguãtur à personis.

Si opponas secundo: Nulla forma distinguitur, nisi per differentias sui generis, non enim albedo â nigredine distinguitur, nisi per differentias contentas intra genus qualitatis; sed hypostasis est individuum in genere substantiæ: ergo non possunt hypostases relationibus distingui. *Respondet D. Thomas solutione ad 2.* Dicẽdũ, quod personæ diuinæ non distinguuntur in esse, in quo subsistunt, neque in aliquo absoluto, sed solum secundum id, quo ad aliquid dicũtur: vnde ad earum distinctionem sufficit relatio.

Sed dices: relationes diuinę sunt in genere, aut linea substantię: ergo ex eo quod forma distingui non possit, nisi per differentiam sui generis, & hypostasis sit in genere substantiæ; nec apparenter infertur, non posse diuinas hypostases per relationes distingui; & consequenter argumentum secundum Diui Thomæ, & illius solutio superfluunt, quod asserendum à Nobis non est. Respondeo, concesso antecedenti. negando consequentiam; cum enim detur in Deo substantia absoluta, & substantia relatiua, quæ quasi genericè differunt, etiam si relationes diuinæ in linea substantiæ sint, datur locus difficultati, quomodo possint distinguere hypostases. Quam difficultatem dissoluit Diuus Thomas asserendo, quod licet hypostases diuinæ sint in genere substantiæ, & ex parte naturæ sint in linea substantię absolutę, quia tamen non in absoluto differunt, sed in eo quod ad aliquid sunt, ideò potest illarũ distinctio à relationibus prouenire.

Si opponatur tertio: absolutum est prius relatiuo; sed prima distinctio est distinctio diuinarum personarum: ergo diuinæ personæ nō distinguūtur relationibus. *Respondet D. Thomas solutione ad 3.* Dicendum, quod quāto distinctio prior est, tanto propinquior est vnitati, & ideô debet esse minima, & ideò distinctio personarum non debet esse, nisi per id, quod minimum distinguit, scilicet, per relationem.

Ex qua doctrina habetur, quod licet absolutum sit prius, hoc est, perfectius, quam relatiuum, distinctio tamen præstita à formalitate absoluta, non potest esse prior, hoc est, perfectior, quam distinctio præstita à relatione; vnde ex eo quod distinctio personarum sit prima, id est perfectior, quauis alia distinctione, non sequitur non posse à relationibus præstari, sed potius oppositum. Et ratio est, quam tradit D. Thomas, quia quanto distinctio est perfectior, tanto debet esse propinquior vnitati; & consequenter præstari debet ab eo, quod minus distinguit, & quia relatio minus distinguit, quam absolutum, compatitur enim distinctio relatiua cum vnitate naturæ: secus autem distinctio absoluta; fit consequens, vt ex eo quod distinctio personarum prima sit, hoc est omnibus alijs distinctionibus, perfectior non inferatur, quod non possit à relationibus prouenire, sed potius oppositum.

Si obijcias: distinctio opponitur vnitati: ergo quo maior est, eo magis vnitati opponitur; & consequenter falsum est, quod asserit D. Thomas, nempè, quod quanto distinctio prior est, tanto est vnitati propinquior. Respondeo, concesso antecedenti, distinguendo consequens; quo maior est in ratione distinctionis, eo magis opponitur vnitati, concedo cōsequintiam: quo maior est in genere entis, nego consequentiam, & secundam, quæ subinfertur: nam Diuus Thomas non loquitur de distinctione priori, ideſt, perfectiori in ratione distinctionis, sed de perfectiori in genere entis,

& sic verissimum est distinctionem diuinarum personarum esse primam, hoc est, omnium distinctionum perfectissimam; non quidem secundum id, quod explicat personarum distinctio, sed secundum id, quod implicat, claudit enim in se perfectionem per essentiam, licet explicitè perfectionẽ non importet.

Sed dices: omne prædicatum Deo, & creaturis commune perfectius reperitur in Deo, quam in creaturis, sed distinctio est prædicatum conueniens Deo, & creaturis: ergo distinctio diuina perfectior est in ratione distinctionis, quauis distinctione creata. Respondeo distinguendo maiorem: si prædicatum talis conditionis sit, vt excessus in illo sit imperfectio simpliciter, nego maiorem: si excessus in tali prædicato non sit imperfectio simpliciter, cõcedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam excessus distinctionis in ratione distinctionis est imperfectio simpliciter, ac proinde non potest distinctioni diuinæ competere respectu distinctionis creatæ. Et quidem distinctio realis formalis maior est in ratione distinctionis, distinctione solũ virtuali: quia tamen distinctio realis formalis inter perfectiones absolutas est simpliciter imperfectio, non reperitur in Deo, sed tantum virtualis distinctio; sicut ergo inconueniẽs non est, quod distinctio virtualis volitionis à natura diuina excedatur in ratione distinctionis à distinctione reali formali volitionis à natura creata: ita inconueniens non est, quod distinctio realis personarum diuinarum minor sit in ratione distinctionis distinctione reali, quæ in creaturis inuenitur.

Si opponatur quarto: Id quod præsupponit distinctionẽ, non potest esse primum distinctionis principiũ; sed relatio præsupponit distinctionem, cum in eius diffinitione ponatur; esse enim relatiui est ad aliud se habere: ergo primum principium distinctiuum in diuinis nõ potest esse relatio. *Respõdet D. Thomas*: ad quartum

dicen-

dicendum, quod relatio præsupponit distinctionem suppositorum quando est accidens, sed si relatio sit subsistens nō præsupponit, sed secum affert distinctionem, cum enim dicitur, quod relatiui esse, est ad aliud se habere, per aliud intelligitur correlatiuum, quod non est prius, sed simul natura; *qua doctrina qualiter sit accipiēda ex dicendis constabit.*

In articulo tertio inquirit; vtrum abstractis per intellectum relationibus â personis, adhuc remaneāt hypostases? *Prę̄missa distinctione duplicis abstractionis, totalis nempè, qua vniuersalis abstrahitur à particularibus, & formalis, qua forma abstrahitur à materia; præmissa etiam differentia, quæ inter vtramque versatur, nempè, quod in abstractione totali non remanet id, à quo fit abstractio, vt constat in homine, à quo remota rationalitate non remanet in intellectu homo, sed animal: in abstractione autem formali vtrumque extremum remanet in intellectu: abstrahendo enim formam circuli ab ære, remanet seorsum in nostro intellectu, & intellectus circuli, & intellectus æris. Prę̄misso tertio, quod licet in diuinis nō sit vniuersale, nec particulare, nec forma, & materia secundum rem, inuenitur tamen secundum modum intelligendi aliqua istorum similitudo. His inquam præmissis, respondet D. Thomas duplici conclusione: prima est*, loquendo de prima abstractione, proprietatibus remotis, non remanent hypostases, sed solum essentia communis. *Quod probatur ex differētia assignata inter vtramque abstractionem.* Deus enim se habet ad personas, vt vniuersale ad particularia; sed in abstractione vniuersalis â particulari remota differētia solum remanet prædicatum commune: ergo abstractis proprietatibus secundum modum istum abstrahendi, solum remanet Deus, & essentia diuina communis, non autem remanent in intellectu hypostases.

Se-

Secunda conclusio: Si loquamur secũdum modum abstractionis formæ â materia, remotis proprietatibus non personalibus, remanet intellectus hypostasum, & personarum, sed remota proprietate personali per intellectum, tollitur intellectus hypostasis. *Vtrumque probatur*: nam proprietates personales non supponunt hypostases constitutas, sed ipsas constituunt; proprietates autem non personales supponunt constitutas hypostases; sed remota forma constituente, non manet intellectus constituti per illam, bene tamen remota forma nõ constituente: ergo remotis proprietatibus personalibus non remanet intellectus hypostasis, remotis autem proprietatibus non personalibus, manet hypostasis.

Ex his reijcit D. *Thomas quorundam opinionem dicentium, hypostases constitui originibus, relationibus vero aduenientibus constitui personas; vnde remotis per intellectum relationibus, remanent quidem hypostases, sed nõ persona.* Quod *ait* D. *Thomas*, non potest esse propter duo, primo, quia relationes distinguunt, & constituunt hypostases, vt ostensum est articulo præcedenti. Secũdo; quia omnis hypostasis naturæ rationalis est persona, vt patet per diffinitionem Boetij dicẽtis, quod persona est rationalis naturæ individua substantia: vnde ad hoc quod esset hypostasis, & non persona, oporteret abstrahi ex parte naturæ rationalitatem, non tamen ex parte personæ proprietatem. *Quæ ratio potest explicari, & vrgeri; non potest intelligi hypostasis diuina, non intellecta diuina persona: ergo si abstractis relationibus non manet persona, illis abstractis non manet hypostasis. Consequentia est euidens. Antecedens autem probatur, non potest intelligi subsistens incommunicabile in natura rationali, non intellecta persona, vt constat ex Boetio; sed non potest intelligi hypostasis diuina, non intellecto subsistente incommunica-*

bili-

biliter in natura rationali, hoc est intellectuali; natura nãque diuina est in summo intellectualitatis: ergo non stat intelligi diuinam hypostasim, non intellecta diuina persona.

Si opponatur primo: persona se habet ex additione ad hypostasim; sed remoto eo, quod alteri superadditur, manet id, cui superadditur, sicut remoto rationali remanet animal: ergo remota proprietate personali manet hypostasis. Respondetur, personam se habere ex additione ad hypostasim, non ex parte proprietatis indiuiduãtis, & distinguentis, tam enim hypostasis, quam persona est indiuidua substantia, hoc est incommunicabilis subsistentia, sed ex parte naturæ: nam persona est indiuidua substantia rationalis naturæ, hypostasis autem ex communi conceptu nõ petit rationalem naturam. Ex quo non sequitur remota proprietate remanere hypostasim, sed quod remaneret hypostasis, remota rationali natura. Ita in substantia D. Thomas solutione ad 1.

Solutione ad 3. Augustinum lib. 5. de Trinitate cap. 6. asserentem de Patre, quod si Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dicere ingenitum; *ex quo sequitur remota paternitate manere Patrem ingenitum; & consequẽter personam; explicat D. Thomas, quod illius mens nõ fuerit*, dicere, quod hypostasis Patris remaneat ingenita, remota paternitate: quasi innascibilitas constituat, & distinguat hypostasim Patris, hoc enim esse non potest, cum ingenitum nihil ponat, sed negatiuê dicatur, vt ipsemet dicit, sed loquitur in communi: quia non omne ingenitum est Pater; *& concludit D. Thomas*, remota ergo paternitate, non remanet in diuinis hypostasis Patris, vt distinguitur ab alijs personis, sed vt distinguitur â creaturis, sicut Iudæi intelligunt.

In articulo quarto inquirit, vtrum actus notionales præintelligantur proprietatibus? *Ante cuius resolutionẽ supponit, originem significari in diuinis actiuè, & passiuè;*

actiuè, sicut generatio attribuitur Patri, & spiratio sumpta pro actu notionali, attribuitur Patri, & Filio; passiuè autem, sicut natiuitas attribuitur Filio, & processio Spiritui Sancto. Quo supposito triplici conclusione respondet: prima est: Origines passiuê significatæ simpliciter præcedunt secundum intellectum proprietates personarũ procedentium, etiam personales. *Quam probat*; quia origo passiuê significata significatur vt via ad personam proprietate constitutam; *via autem præcedit terminum: ergo origo passiuè accepta præcedit proprietatem constitutiuam personæ procedentis.*

Secunda conclusio est: origo actiuè significata, prior est secundum intellectum, quam relatio personæ originantis, quæ non est personalis, sicut actus notionalis spirationis secundum intellectum præcedit proprietatem relatiuam communem Patri, & Filio. *Conclusionem istã non probat, sed supponit* D. *Thomas, quia adeò clara est, vt probatione non egeat; cum enim proprietas non personalis personam constitutam supponat, non est cur origo actiua supra quam fundatur, illam debeat præsupponere. Tertia conclusio*: Proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter: vno modo vt est relatio; & sic secundum intellectum supponit actum notionalem; quia relatio in quantum huiusmodi fundatur super actum; alio modo secundum quod est constitutiua personæ, & sic præintelligitur actui notionali, nam persona agens præintelligitur actioni. *Ex qua doctrina tribus argumentis respondet.*

(2)

DISPVTATIO NONAGESIMA SEXTA.

Per quid Personæ Diuinæ constituãtur, & distinguantur.

§. I.

Relatis sententijs, prima reijcitur.

Nu. 1. *Prima sententia.*

DIFFICILLIMAM disputationem inter omnes, quæ in hac materia agitari solent, disputandã aggredimur, ideoque à Nobis acuratius est tractanda, quæ ob sui ingentem difficultatem adeô torsit Theologorum ingenia, vt illos in varia placita, pluresque sententias diuiserit. Prima negat personas diuinas aliquo à se distincto constitui, aut distingui, sed distinguuntur se ipsis, nullo autẽ constituuntur. Hanc tenuit Gregorius Ariminensis *in* 1. *dist.* 36. & 27. *q.* 1. sequutus Præpositiuum relatum à D. Thoma *in præsenti quæst.* 4. *art.* 1. & *supra q.* 32. *art.* 2.

2 *Secũda.* Secunda sententia docet, personas diuinas constitui proprietatibus absolutis, pro qua Scotus *in* 1. *distinct.* 26. *quæst.* 1. §. 3. *opinio* refert Lyconiensem, & Ripam, illamque probabilem censet. Cui adhæsit Theodorus Smising *in præsenti disp.* 2. *quæst.* 1. *membro* 16. vbi oppositam sententiam, non per modos proprietates, v. c. absolutas, sed per relationes diuinas personas constitui, probabiliorem appellat; addit tamen esse omnino tenendam, quod cum primo dicto non consonat: nam si solum est probabilior, erit sententia Ripæ probabilis; ac per consequens poterit tutô defendi. Ex quo vlterius sequitur sententiam oppositam non esse omnino, hoc est, necessario tenendam.

3 *Tertia.* Tertia sententia docet, non absolutis proprietatibus, sed rationibus diuinas personas constitui, non sub conceptu habitudinum, vel relationum, sed sub conceptu originũ. Hæc tribuitur Bonauenturæ *in* 1. *distinct.* 26. *art. vnico quæst.* 3. vbi quamuis non de constitutione, sed de distinctione personarũ loquatur; quia ta-

men

men de prima distinctione diserit, cũ secundam distinctionem nequeat relationibus negare, primum autem distinctiuum etiam sit cõstitutiuum, ideo pro hac opinione cum fundamento refertur. In solutione tamẽ ad primum circa personam Patris contrarium videtur innuere: ait enim originẽm reduci ad Patrem tãquam principium, & consequentẽr Patrem in ratione hypostasis constitutum supponere. Ex quo manifestẽ deducitur ipsum in ratione hypostasis non constituere, & hoc forte fuit causa, vt sententiam asserentem personas proprietatibus absolutis constitui, Scotus Bonauenturæ attribuerit, & quidem absque vllo fundamẽto, circa personas productas; circa improductã vero, scilicet circa Patrem, doctrina ex Bonauentura adducta circa solutionem ad primum aliqualiter videtur innuere.

4 *Quarta*

Quarta sententia defendit, personas diuinas, tã originibus, quam relationibus constitui, & distingui. Hanc tenet Durandus *in* 1. *distinct.* 26. *quæst.* 1. *num.* 18. *etsi numero* 19. fateatur proprius dici, quod personæ diuinæ constituantur per relationes, quam per origines. Durandũ sequuntur Molina *in præsenti q.* 40. *art.* 2. *disp.* 2. *membro* 3. Et Valencia *quæst.* 14. *puncto.* 2. Quibus adhæsit Zuñiga *disput.* 15. *membro* 5. vbi docet, constitutione reali, non cõstitui per origines, nec etiam per relationes, quia talis constitutio in diuinis personis non datur; constitutione autem virtuali, & rationis præcisiuæ, æquè per origines, & relationes constitui; quia origo, & relatio non differunt virtualiter, nec ratione præcisiua; & consequentẽr, æquè diuinam personam constituunt vtraque constitutione. At vero secundũ alium constitutionis modum, quem vocat rationis ratiocinatæ absque mutua præcisione, qualiter à nobis diuina persona concipitur per speciẽ personæ creatæ, & adinstar illius: nec originibus, nec relationibus, sed proprijs personalitatibus diuinas personas constitui.

Vltima, & vera sententia docet, personas constitui, distinguique relatiuis proprietatibus. Ita communiter Scholastici cum Magistro *in* 1. *distinct.* 26. *vbi* Albertus Magnus *art.* 2. Capreolus *quæst.* 1. *art.* 1. & 2. Hispalensis *q. vnica art.* 1. & 4. Eandem sententiam sequutus est D. Thomas *in* 1. *distinct.* 26. *q.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *art.* 2. *distinct.* 27. *quæst.* 1. *art.* 2. Ad Anibaldum *distinct.* 26. *quæst.* 2. *art.* 2. & *distinct.* 27. *quæst.* 1. *art.* 1. 2. & 3. *quæst.* 8. *de potentia art.* 3. & 4. & *quæst.* 9. *art.* 4. 4. *Contra-Gentes cap.* 26. ibidem Ferrariensis. *In hac* 1. *p. quæst.* 29. *art.* 4. *in præsenti quæst.* 40. *per quatuor articulos*, vbi Caietanus, Bañez, Zumel, & Albelda, Nazarius contrauersia vnica, Illustrissimus Araujo *art.* 2. *dub.* 1. & 2. Reuerendissimus Magister S. Thoma *disp.* 16. *art.* 1. Patres Salmanticenses *disp.* 18. *dub.* 2. 3. & 4. Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *lib.* 7. *de Trinitate per plura capita, præcipuè cap.* 7. Vazquez *disp.* 158. & *disp.* 159. Granadus *tractatu* 12. *disp.* 3. *à sectione secunda, vsque ad* 6. Et frequenter alij Recentiores ex eadẽ familia. Eandem vt probabiliorem sequũtur Scotus, & Theodorus Smising, *vbi supra*. Licet autem omnes allegati Authores in sententia conueniant, valdẽ tamen disident in modo illam defensandi, & explicandi, sub qua ratione relationes personas diuinas constituant, quorum disidium ex dicendis in disputationis discursu apparebit. Pro cuius sentẽtiæ explicatione sit

5 *Vera sẽtentia.* Albert. Capre. D. Tho. Ferrar. Caieta. Bañez. Zumel. Albelda Nazar. Araujo. S. Tho. Suarez. Vazq. Granad Scotus. Smising

6 *Prima cõclusio*

Prima conclusio: *Dãtur in diuinis personis proprietates aliquæ reales, quibus constituuntur, & inter se distinguuntur.* Ita D. Thomas locis vbi supra relatis, *& in præsenti quæst.* 40. *art.* 1. quem sequuntur omnes Theologi, in eo gradu certitudinis, vt oppositam sententiã Gregorij, & Præpositiui, Suarez *lib.* 7. *de Trinitate cap.* 3. Et Vazquez

disp. 158. *cap.* 2. censuerit temerariam. Torres *ad articulum* 2. *in* 1. *parte commentarij*, erroneam, cui cēsuræ assensum præbuit noster Ēpiscopus Segouiensis *in præsenti q.* 40. *art.* 1. *dub.* 2. *conclusione* 1. Molina *art.* 2. *disp.* 1. aut erroneā, aut erroni proximam censet.

7 *Suadetur primo ex Cōcilijs*

Et suadetur primo ex Concilio Lateranensi *capite firmiter de Summa Trinitate*, illis vetbis: *Hæc Sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates discreta.* Et *in 6. Synodo Constantinopolitana actione* 11. lecta fuit epistola Sopsorij Patriarchæ; *& actione* 13. approbata, in qua dicitur personas diuinas habere alterificas proprietates, quæ vnamquamque figurāt personam. Et in Concilio Florentino sessione 18. Ioannes Theologus ex Latinis, sic ait: *Persona ex substantia, proprietateque consistit.* Et sessione 19. dicitur, personas per suas proprietates differre; at distinctiuū, saltim primarium, & constitutiuum sunt idem, omneque distinctiuum aliqua ratione constituit, vt ex dicendis constabit: ergo dantur in personis diuinis proprietates reales, quibus constituuntur, & inter se distinguuntur: vnde in præfatione, quā Ecclesia cantat in Festo Sanctissimæ Trinitatis, sic dicitur: *In personis proprietas, in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas.*

8 *Effugiū excluditur.*

Nec sufficit respondere: in præfatis testimonijs sumi abstractum pro concreto, id est proprietas pro persona, vt idem sit personas proprietatibus figurari, aut distingui; ac personas se ipsis constitui, distingui, vel figurari. Tum, quia personas proprietatibus distingui, sumpto abstracto pro concreto, vt idem sit, quod personas personis distingui, est impropriſsima loquutio; sed nihil est in præsenti, quod vrgeat ad impropriam loquutionem confugere, cum ex rigorosa, & propria nullum inconueniens sequatur: ergo non est standum prædictæ interpretationi. Tum etiam: nam Concilia accipi debent iuxta communem Scholasticorum sensum, alias nihil firmum erit; sed communis Scholasticorum sententia accipit testimonia allegata iuxta loquutionem rigorosam, & propriam: ergo sic sunt accipienda.

9 *Secūdo prob. ratione.*

Secundo probatur conclusio: quæ non se totis differunt, sed aliquo sui, aliquo sui constituuntur; sed personæ diuinæ non differunt se totis, sed aliquo sui: ergo aliquo sui constituūtur; & consequēter dantur proprietates reales constituentes personas diuinas. Maior constat: nam distinctiuum, saltim primarium, etiam est constitutiuum. Minor autem probatur: personæ diuinæ non differūt inter se per essentiam, vel naturam diuinam; & aliàs inter se distinguūtur: ergo non distinguuntur se totis, sed aliquo sui. Maior probatur: si personæ diuinæ distinguerentur per essēntiam, & naturam diuinam, distinguerentur in essentia, & natura. Tū, quia non potest assignari ratio discriminis inter distingui in essentia, & distingui per essentiam. Tum etiam, nam quia per relationes distinguuntur, etiam distinguuntur in illis; & consequenter si differunt per essentiam, etiam in essentia differunt; sed non distinguuntur realiter in essentia, & natura; cum secundum fidem essentia, & natura diuina sit eadem realiter in tribus personis: ergo non distinguuntur realiter per essentiam diuinam.

10 *Deniq; prob.*

Tertio denique probatur conclusio, & vrgetur magis argumentū præcedens: si ob aliquam rationem personæ diuinæ non distinguerētur, & constituerentur aliquo sui, sed se totis, maxime quia in illis proprietas relatiua, & essentia sunt realitēr, & formalitēr idem; sed hæc ratio est nulla: ergo distinguuntur, & constituuntur non se totis, sed aliquo sui. Consequentia tenet. Maior continet vnicum contrariorum motiuum.

Minor ostenditur 1.

Minor autem ostenditur primo; non obstante prædicta identitate

rea-

reali formali, Pater non eo est Pater, quo Deus loquendo in sensu formali, vt expressè docet Augustinus *lib. 7. de Trinitate cap. 4.* ergo prædicta identitas non obstabit vt non se totis, sed aliquo sui constituantur, & distinguantur.

11 *Secũdo.* Secundo: nõ enim maior distinctio requiritur vt verificetur essentiam Patris communicari, & conuenire Filio, & nõ communicari Filio, nec illi conuenire paternitatem, quã ad hoc, quod paternitate, & non essentia distinguatur, & cõstituatur; sed primum est verum, non obstante identitate reali formali inter paternitatem, & essentiam: ergo etiam secundum saluabitur, non obstante prædicta identitate.

Tertio prob. Denique probatur; vt enim persona diuina non se tota, sed aliquo sui constituatur, & distinguatur, sufficit distinctio virtualis, & rationis ratiocinatæ inter prædicata in persona reperta; sed hæc distinctio inter hæc prædicata inuenitur: ergo non obstat realis formalis prædicatorũ identitas, vt persona diuina non se tota, sed aliquo sui constituatur, & distinguatur.

12 *Maior ostenditur 1.* Maior ostenditur primo: nam illa distinctio sufficit, vt verificentur prædicata contradictoria de vna, & eadem entitate realitêr: ergo sufficiet vt vno prædicato, & non alio constituatur, & distinguatur.

Secũdo. Secundo: nam distinctio virtualis, quæ inter intellectum, & voluntatem diuinam versatur, sufficit, tũ, vt Verbum per intellectum & nõ per voluntatem, & ê contra Spiritus Sãctus per voluntatem, & non per intellectum procedat: tum etiam, vt Deus intellectu intelligat, & nõ voluntate; & é contra voluntate, & non intellectu formalitêr amet: ergo eadem distinctio sufficiet vt persona diuina vno, & non altero prædicato constituatur, & distinguatur.

(*)

§. II.

Argumentis in contrariũ occurritur.

13 *Arg. 1.* COntra istam conclusionem plura congerit argumenta Gregorius, omnium tamen efficacia ad tria argumẽta reducitur. Arguit primo: nam idem non potest constituere se ipsum, si propriê de constitutione loquamur, vt omnibus est per se notum; sed quidquid est intrinsece in persona diuina, est ipsa diuina persona, cum sit omnino simplex, & consequenter expers perfectionis, aut entitatis realiter ab illa distinctæ: ergo nihil personæ diuinæ intrinsecum est illius constitutiuum; & consequentêr non datur in diuinis personis proprietates illam constituentes.

14. *Secũdo.* Secundo: paternitas v. c. non est minus simplex quam Pater; sed paternitas quia simplex nullo à se distincto constituitur: ergo Pater nullo á se distincto cõstituitur. Quod amplius confirmat: nam paternitas est idem quod Pater; sed Pater non constituit se ipsum: ergo nec paternitas ipsum constituit.

Tertio. Tertio: nam constituens causa est constituti per ipsum; sed Pater v. c. à nullo potest causari, aliàs Deus non esset, de cuius ratione est, quod sit à se; & consequenter omnino incausabile: ergo Pater nullo à se distincto potest constitui.

15 *Resp. ad primum* Hæc tria argumenta eadem solutione diluuntur. Ad primum distinguendo maiorẽ: idẽ omni modo idẽtitatis, concedo maiorem: idem realiter formaliter, cum distinctione

vir-

virtuali, aut rationis, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam paternitas v.c. licet sit idem cum Patre identitate reali formali, distinguitur tamen virtualiter ab illo, & distinctione rationis ratiocinatæ; Pater namque importat paternitatem, & essentiam, à qua virtualiter, & ratione ratiocinata distinguitur paternitas; & consequenter eadem distinctione à Patre distinguitur, distinctione includentis ab incluso, sicut in creatis, quia creata personalitas realiter distinguitnr à natura, realiter etiam distinguitur à persona, quæ ex natura, & personalitate subsistit. Vt autem Paternitas Patrem constituat, sufficit ab illo virtualiter, & ratione distingui, vt superius arguebamus.

16 *Ad 2.* Ad secundam respondeo, concessa maiori de simplicitate reali, negando minorem: paternitas namque non ideò non constituitur aliquo ab illa distincto, quia simplex realiter est, sed quia non constat ex formalitatibus virtualitêr distinctis, & quia per modum formæ significatur. Ad confirmationem, distinguo maiorem: idem reali identitate, concedo maiorem: virtuali, & per rationem, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: quia vt de paternitate affirmetur constituere, & negetur de Patre, sufficit virtualis, & rationis distinctio, vt arguentes dicebamus.

Ad 3. Ad tertiam, distinguo maiorem: constituens per compositionem, concedo maiorem: per identitatem, & simplicitatem, nego maiorem, & concessa minori, vel nego consequentiam, vel distinguo consequens distinctione maioris, illudque, concedo de constitutione per compositionem, nego autem de constitutione per identitatem, & simplicitatem.

17 *Contra solutionẽ arg.* 1 Sed contra hanc doctrinam, quæ communis est apud Theologos, argumentari possumus primo: paternitas namque includit in suo conceptu essentiam, & naturam diuinã, non solum per modum entis transcendentis, sed etiam per modum naturæ, vt verius censuimus, & ex D. Thoma ostendimus *supra disp. 76.* ergo importat totum quod Pater; & consequenẽer non distinguitur ab illo distinctione virtuali, aut rationis includentis ab incluso.

Resp. Respondeo, distinguendo antecedens: importat naturam diuinam constitutiuê, & explicitê, nego antecedens: implicitê, & per realem transcendentiam essentiæ, & naturæ diuinæ, concedo antecedens, & nego consequentiam: nam Pater constitutiuê, & explicitê importat naturam diuinam, est enim subsistens speciali subsistentia in natura diuina; ac proinde distinguitur virtualiter à paternitate, quæ illam solum implicitê, & per transcendentiam importat, non autem constitutiuê.

18 *Sed dices.* Sed dices: Pater non in recto, sed in obliquo solum importat naturam diuinam; sed etiam paternitas, prout personalitas est, illam importat explicitê in obliquo: ergo in nullo distinguuntur Pater, & paternitas, quoad importare naturam diuinam. Probatur minor: paternitas, prout personalitas, est id quo Pater in natura diuina subsistit; sed in hac diffinitione natura diuina explicitê in obliquo importatur: ergo paternitas in obliquo explicitê naturam diuinam importat.

Resp. Respondeo, concesis maiori, & minori, negando consequentiã: nam Pater importat naturam diuinã indirectê, & in obliquo intrinsecê, tanquam aliquid, ex quo simul cum paternitate constatur, paternitas autê sub conceptu personalitatis illã importat in obliquo extrinsecê, & tanquam si esset terminus habitudinis, non autem constitutiuê; ac proinde, quamuis à Patre, & paternitate explicitê in obliquo importetur, datur locus distinctioni virtuali paternitatis à Patre includentis, & incluſi.

19 *Secũdo cõtra ſolutionẽ arg.*

Secundo contra eandem doctrinam arguitur : nam ſaltim ſequitur Patrem eſſe compoſitum compoſitione reali virtuali,& compoſitione rationis formali; conſequens eſt falſum,aliàs ſummé ſimplex non eſſet: ergo & illud ex quo ſequitur. Probatur ſequela:compoſitio nihil aliud eſt,quam diſtinctorum vnio: ergo ſicut vnio diſtinctorum realiter entitatiuê,eſt compoſitio realis entitatiua,& vnio diſtinctorum diſtinctione reali formali,eſt compoſitio realis formalis : ita vnio diſtinctorum diſtinctione virtuali reali,& formali per rationem, erit compoſitio realis virtualis, & formalis per rationem;ſed iuxta doctrinam traditam in Patre datur virtualis vnio formalitatum virtualiter realiter diſtinctarum,& formaliter per rationem: ergo eſt compoſitus compoſitione reali virtuali, & compoſitione per rationem formali.

20 *Quorundam ſolutio.*

Huic argumento reſponderi ſolet primo, concedendo ſequelam, nec inconueniens reputant huius ſolutionis Authores admittere in perſona diuina compoſitionem realem virtualem, & per rationem formalem;hoc enim imperfectio non eſt, ſed potius ſumma eminentia,ob quã vna realis entitas gerit vices entitatum realiter diſtinctarum in creaturis, præbetque fundamentum, vt noſter intellectus,vnam alteri coniungendo,faciat compoſitionem rationis formalem ex parte obiecti,ſicut virtualis diſtinctio , & formalis per rationem inter perfectiones, & formalitates diuinas, ob eãdem cauſam nullam ponit imperfectionem in Deo.

21 *Secũda ſolutio.*

Secundo reſpondetur ab alijs negando ſequelam: ratio autem negandi compoſitionem,etiam virtualem realem , & formalem per rationem, non vna ab his Authoribus redditur. Albertinus corollario ex prædicamento *ad aliquid dubitatione prima concluſione tertia*, ea ducitur ratione;quia nempê repugnat intellectum concipere Deum vt dependentem,cum de illius eſſentia independentia ſit , eo autem ipſo , quod conciperetur Deus vt compoſitus , conciperetur vt dependens , cum compoſitum à componentibus dependeat. Thomiſtæ vero frequenter ea ratione ducuntur , quia compoſitio petit extrema comparata per modum potentiæ , & actus ; in Deo autem nihil poteſt concipi per modum potentiæ , & ideô in ipſo compoſitio eſſe non poteſt , nec virtualis realis, nec formalis per rationem.

22 *Ratio Albertini impugnatur.*

Quam doctrinam veram iudico, non ob rationem Albertini. Tum, quia in Deo datur virtualis dimanatio attributorum à natura; & conſequenter attributa virtualiter à natura cauſantur.Tum etiam, quia in Deo datur virtualis elicientia , actus enim vitalis virtualiter, ſaltim à ſuo principio elicitur, volitio autem actus vitalis eſt;& conſequenter virtualiter à volente procedit , & in mea ſententia , etiam actualis cognitio virtualiter egreditur ab intellectu , virtualis autem elicientia,vel egreſſus virtualis, eſt virtualis cauſalitas.Tum denique,& à priori : vnum enim ab alio virtualiter cauſari nihil aliud eſt,quam taliter comparari inter ſe , quod ſi inter illa adeſſet realis actualis diſtinctio , vnum ab alio cauſaretur formaliter; ſed hoc reperitur inter plures perfectiones diuinas ; volitio namque taliter ad naturam diuinam comparatur,quod ſi realiter ab illa diſtingueretur,realiter ab illa procederet,& ſic de alijs attributis, in quo nulla elucet imperfectio : nõ ergo repugnat perfectionibus diuinis virtualiter cauſari,& conſequenter,nec repugnat cauſari per intellectum formaliter ; cum enim intellectus concipit volitionem vt egredientem à Deo, per rationem volitio egreditur , & hoc abſque imperfectione , non enim intellectus concipit volitionem egredi egreſſu formali reali,ſed egreſſum virtualẽ, in formalem transfert per rationem:

non

non ergo repugnat personæ diuinæ esse compositam ex repugnãtia causalitatis.

23 *Doctrina secũdæ solutionis prob.*

Placet autem secundæ solutionis doctrina propter aliam rationem : quia nempè ad compositionem rationis requiritur , quod vnum ex componentibus in potentia ad alterum comparetur, non autem potest vna perfectio diuina ad alteram sic comparari : nam ad hoc requirebatur , quod vna , nec explicaret , nec implicaret alteram ; licet autem natura diuina, v. c. non explicet relationem, vel personalitatem diuinam, illam autem implicat actu , & ideò non potest ad personalitatem in potentia comparari. Et idem de personalitate cum natura comparata est dicendum , & similiter de attributis inter se , & cum diuina natura collatis. Iuxta quam doctrinam ad argumentum respondeo negando sequelam · ad probationem distinguo antecedens : compositio est vnio distinctorum se inuicem actu includentium , nego antecedens : se mutuo excludentium actu, concedo antecedens , & distinguo consequens : si sit vnio distinctorum per rationem cum mutua exclusione ad inuicem, concedo cõsequentiam : cum mutua actuali, etsi implicita inclusione , nego consequentiam , & sub eadem distinctione minoris, subsumptæ , nego consequentiam : quia personalitas, & natura diuina non se excludunt actu ad inuicem , sed inuicem actu se includunt, & si non se mutuo explicent.

24 *Instabis primo.*

Sed instabis primo : ex personalitate , & natura diuina resultat vnum per se , non per simplicitatem rationis: ergo per compositionem rationis. Probatur minor: simplicitas non solum excludit compositionem , sed etiam distinctionem excludit ; sed inter personalitatem , & naturam diuinam est distinctio virtualis realis , & formalis per rationem : ergo ex illis non resultat vnum per simplicitatẽ realem virtualem, nec formalem per rationem.

Secũdo.

Secundo : nam compositio est vnio distinctorum; sed personalitas, & natura diuina , quamuis inuicem actu se includant , non tamen actu se explicãt, sed distinguuntur, quoad rationem explicitam : ergo ex illis resultabit compositio per rationem , saltim secundum rationes explicitas.

25 *Resp. ad 1. instãtiam,*

Respondeo ad primam replicam , concessa maiori, negando minorem : ad probationem, distinguo maiorem: excludit distinctionem penes explicitum, & implicitum, concedo maiorem : penes explicitum tantum cum mutua inclusione implicita, nego maiorem , & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Ratio autem distinctionis traditæ est: nam simplicitas , & pura actualitas, inuicem committãtur : vnde sola illa extremorum distinctio obstare potest simplicitati, quæ potest summæ actualitati obesse; distinctio autem diuinarum formalitatum quoad rationes explicitas cum mutua inclusione implicita, à nulla illarum tollit supremam actualitatem ; & consequenter non sufficit ad inducendam compositionem , & tollendam simplicitatem, adhuc per rationem talem simpliciter.

26 *Ad 2.*

Ad secundam sunt, qui negant consequentiam , sed facilius respondetur concedendo consequentiam, hæc autem compositio rationis , est talis secundum quid , adhuc in linea compositionis rationis , quam non negat D. Thomas in Deo , sed solum compositionem per rationem talem simpliciter, quæ vocatur compositio metaphysica, & in potentialitate fundatur. Nec huiusmodi compositio rationis obstat summæ simplicitati reali, & etiam per rationem : nam remanet simplex simplicitate rationis simpliciter per exclusionem compositionis rationis, quæ talis simpliciter est.

Sed adhuc instabis : personalitas,& natura diuina, quamuis se actu implicitè includant, distinguuntur distinctione virtuali,& formali per rationem tali simpliciter: ergo quamuis se actu implicitè includant, resultabit ex illis persona diuina composita compositione virtuali,& formali per rationem simpliciter. Patet consequentia : non enim videtur assignabilis ratio discriminis, cur distinctio non cadat à ratione talis simpliciter per mutuã actualem inclusionem extremorum distinctorum, & compositio virtualis,aut formalis per rationem talis sit secundum quid ex mutua componentium actuali implicita inclusione.

27 *Replicabis.*

Respondeo negando consequentiam : etenim in omnium sententia, plus ad compositionem, quam ad distinctionem requiritur, & inter alia petitur ad compositionem, dummodo integralis non sit,quod vnum ex componentibus comparetur vt in potentia , & alterum tanquam actus , quod quidem ad distinctionem aliquorum necessarium non est ; eo autem ipso, quod vnum actu implicitè alterius actualitatem , & perfectionem includat, quantumuis illam non explicet, non potest dici esse in potentia respectu illius simpliciter,& consequẽter nõ potest ex extremis hac distinctione gaudentibus compositio virtualis , & formalis per rationem consurgere, quæ sit simpliciter talis.

28 *Resp.*

Tertio contra eandem conclusionem arguitur : nam ex illa sequitur personam diuinam esse, saltim realiter virtualiter causatam ,& per rationem formaliter; consequens falsum videtur : ergo & illud ex quo sequitur. Falsitas consequentis probatur. Tum, quia virtualis dependentia realis,& formalis per rationem , imperfectio magna videtur ; & consequenter releganda à persona diuina , quæ summè perfecta est. Tum etiam, nam persona diuina non potest non concipi Deus; sed Deus est omnino independens, & vt talis necessario concipitur : ergo persona diuina non potest concipi vt dependens virtualiter realiter,& per rationem formaliter; non enim minus opponuntur esse in re dependens, & independens in re,quã esse dependens per rationem,& cõcipi vt independẽs.Sequela vero probatur: nam cõstituẽs,causa est cõstituti si ab illo distinguitur ; sed proprietas constituens personam diuinam , licet actu realitêr non distiguatut ab illa, distinguitur realitêr virtualiter,& formalitêr per rationem: ergo illam causabit,licet non actu realitêr , benê tamen virtualitêr realitêr,& formalitêr per rationem.Secundo probatur: si proprietas constituens personam,ab illa distingueretur distinctione reali entitatiua , vel distinctione reali formali, illam causaret, vel realiter entitatiuê , vel formaliter realiter; sed distinguitur à persona cõstituta distinctione reali virtuali,& formali per rationem : ergo causat personam diuinam virtualiter realiter, & formaliter per rationem.

29 *Arg. 3.*

Huic argumento responderi posset ex doctrina Albertini vbi proximè, negando sequelam , eo quod solum constitutum per compositionem dependet à constituentibus, persona autem diuina non est constituta per compositionem. Cæterum in hac solutione petitur manifestê principium : nam probatur personam non esse compositam virtuali reali compositione : nec formali per rationem, quia non potest dependere,& causari , & probatur non causari , nec dependere, quia composita non est. Secundo responderi posset negando sequelam , eo quod personalitas constituit personam diuinam per identitatem cum illa,causans autem à causato distinguitur.

30 *Solutio Albertini excluditur.*

Verum hæc solutio ex dictis in probatione sequelæ conuincitur;

31 *Aliorũ solutio impugnatur.*

identitas namque solum potest excludere causalitatem in linea, qua identitas est; sed identitas personalitatis cum persona diuina solum est realis formalis, non autem realis virtualis, seu formalis per rationem: ergo solum excludit causalitatem realem formalem proprietatis constituentis in personam constitutam, non autem causalitatem realem virtualem, & formalem per rationem.

32 *Cõfirm.* Et augetur difficultas: nã iuxta doctrinã traditam pro soluendis argumentis Gregorij, etiam inter constituens, & constitutum aliqua distinctio requiritur; & tamen identitas proprietatis cum persona, quia solum est realis formalis, non autem realis virtualis, nec formalis per rationem, non tollit, quin proprietas constituat personam virtualiter realiter, & per rationem formaliter, bene autem, quin constituat illam constitutione reali entitatiua, aut reali formali: ergo pariter, quamuis identitas proprietatis cum persona, qua realis formalis est, inferat, quod illam non causet causalitate reali formali, non tamen tollet, quod personam constitutam non causet causalitate reali virtuali, & per rationem formali.

33 *Traditur vera solutio.* Quare his omissis, ad argumentum respondeo concedendo sequelam, & negando minorem. Ad primam minoris probationem, nego antecedens: sicut namque virtualis dimanatio attributorum à natura diuina, & virtualis elicientia volitionis à voluntate Dei, nullam dicũt imperfectionem: ita virtualis dependentia, aut causalitas imperfectionem non dicit. Et ratio est: nam causari virtualiter est taliter comparari cum eo, à quo dicitur virtualiter causari, quod si realiter ab illo distingueretur, causaretur realiter, in quo nulla imperfectio relucet.

34 *Ad 2. prob.* Ad secundam probationem dicatur, de ratione Dei solum esse à nullo dependere per dependentiam realem formalem, quod autem à nullo dependeat dependentia reali virtuali, aut formali per rationem solum est de conceptu naturæ diuinæ, quæ cum sit prima perfectio, quæ cum fundamento in re concipitur intra Deum, nec realiter formaliter, nec realiter virtualitêr, nec formaliter per rationem potest aliam perfectionem supponere; & consequenter non potest vllo ex his modis causari. Aliæ autem perfectiones, sicuti virtualiter illam supponunt, & ab ea virtualiter dimanant, ita virtualiter causantur ab illa, nisi fortê fiat vis in Verbo dependere, vel causari, quod imperfectionem innuere videtur; hæc tamen imperfectio totaliter excluditur, addito ly *virtualiter*, aut *formaliter per rationem*.

§. IV.

Vltima obiectio diluitur, & explicatur, an constitutio personæ diuinæ sit realis?

35 *Deniq; arg.* DEnique arguitur: nam ex doctrina tradita sequitur, sal-

tim conſtitutione reali perſonas diuinas nullo conſtitui: conſequẽs falſum videtur: ergo & tradita doctrina. Falſitas conſequentis probatur. Tum, quia proprietates conſtituentes ſunt reales: ergo realiter conſtituunt perſonas. Tum etiam: nam eo modo conſtituuntur, quo diſtingnũtur; ſed realiter diſtinguuntur: ergo realiter conſtituuntur. Tũ denique: nam iuxta communem modum loquendi Theologorum, perſonæ diuinæ dicuntur abſolutè ſuis conſtitui proprietatibus; ſed quod ſolum virtualiter, aut ratione aliquo conſtituitur, non dicitur abſolutè conſtitui, ſed cum addito diminuente, nempè virtualiter, & ratione, ſicut compoſitum virtuali compoſitione, aut compoſitione rationis, non abſolutè, ſed cum his additamentis dicitur eſſe compoſitum, & quod ſolum virtualiter, aut ratione ab alio diſtinguitur, nõ dicitur abſolutè, ſed cum addito ab illo diſtingui: ergo perſonæ, reali conſtitutione ſuis proprietatibus conſtituuntur. Sequela vero probatur, vt enim ſoluentes argumenta Gregorij aſſeruimus, conſtituens à conſtituto, neceſſario debet diſtingui; ſed proprietas non diſtinguitur realiter formaliter à perſona conſtituta, ſed ſolum realiter virtualiter, & per rationem formaliter: ergo non conſtituit illam conſtitutione reali formali, ſed reali virtuali, & formali per rationem.

36 *Solutio Albert.*

Huic argumento Albertinus, *vbi ſupra concluſione ſecunda*, reſpondet negando ſequelam: ad conſtitutionem namque ſolum deſideratur conuenientia in vno, & diſtinctio in alio, quod totum à parte rei reperitur in Patre: nam à parte rei Pater conuenit cum Filio in eſſentia, & ab illo proprietate diſtinguitur, ac proinde à parte rei actu non ſolũ virtualiter, ſed etiam formaliter cõſtituitur Pater paternitate, quamuis inter illa non detur actu à parte rei formalis diſtinctio, ſed tantummodo virtualis.

Reijci-

Hæc tamen doctrina, & ſolutio non placet, & reijcitur primo ex D. Thoma in 1. diſt. 26. q. 2. art. 1. ad 5. quod ita procedebat: *Simpliciſsima ſe ipſis diſtinguuntur; ſed perſonæ diuinæ ſunt ſimpliciſsimæ: ergo ſe ipſis diſtinguuntur: ergo videtur quod non diſtinguantur aliquibus relationibus.* Cui argumento ita reſpondet: *Ad quintum dicendum, quod etiam perſonæ diuinæ ſe ipſis diſtinguuntur in quantum perſonæ ſecundum rem ſunt ipſæ relationes, ſed ſicut perſona, quantum ad modum ſignificandi non eſt idem quod relatio: ita etiam ſe ipſis non diſtinguuntur, ſed relationibus, ſicut Deus per ſe ipſum eſt Deus, quamuis Deitate ſit Deus, quia ipſe eſt ſua Deitas:* ergo ſentit D. Thomas, quod loquẽdo de conſtitutione perſonæ diuinæ, prout à parte rei formaliter exercetur, quæ eſt impropria conſtitutio perſonæ, non conſtituuntur aliquo ſui, ſed ſe ipſis.

tur primo ex D. Tho.

37 *Secũdo.*

Secundo: nam licet loquendo de eſſentia diuina, vt ſignificatur hoc nomine *eſſentia*, qualiter importatur vt diſtincta à relatione, aliquid poſsit formaliter negari de illa, quod de paternitate, v. c. affirmetur: ſi autem loquamur de eſſentia, prout à parte rei eſt, nihil poteſt formaliter negari de illa, quod de paternita ta formaliter affirmetur: ergo ſi cõſtitutio realis perſonæ Patris formaliter affirmetur actu à parte rei de paternitate, actu à parte rei formaliter affirmari debet de eſſentia, prout à parte rei inuenitur. Patet antecedens: nam inter eſſentiam, & paternitatem non datur à parte rei formalis realis diſtinctio; ſed ſi aliquod prędicatum formaliter diceretur de paternitate, vt eſt à parte rei, & nõ affirmaretur de eſſentia, vt à parte rei, eſſet inter illa à parte rei realis diſtinctio: ergo quidquid de paternitate affirmatur, prædicatur etiã de eſſentia, prout à parte rei exiſtit. Patet minor: nam eo modo vnũ ab alio diſtinguitur, quo negatur de illo; ſed ſi prædicatum aliquod reale affirmetur de paternitate realiter, negare-

tur

tur de essentia, vt est à parte rei, paternitas vt tali prædicato constituta negaretur de essentia: ergo à parte rei realiter negaretur paternitas de essentia diuina; & cõsequẽter actu à parte rei realiter differret ab illa.

38 *Deniq; reijcitur.*

Denique: nam vel solutio tradita procedit de cõstitutione personæ diuinæ per omnimodam identitatẽ, vel de constitutione personæ diuinæ ad modum compositionis: si primum dicatur, non constituitur aliquo sui, sed se ipsa; si secundum, non est realis cõstitutio formalis, sed realis virtualis, & formalis per rationẽ: ergo in nullo sensu potest solutio subsistere. Minor pro prima parte constat: nã constitutum nõ se ipso adæquatẽ, sed aliquo sui, aliqua ratione à constituente distinguitur, vt ex terminis est manifestum: ergo loquendo de constitutione personæ per omnimodã identitatem, non est verum, quod constituatur aliquo sui, sed quod cõstituatur se ipso. Vnde Caietanus *in præsenti articulo* 1. Et Ferrara 4. *Contra-Gentes cap.* 26. de hac constitutione loquendo, veram censuerunt sententiam Præpositiui, & Gregorij.

39 *Minor pro 2. parte.*

Deinde pro secunda parte probatur: nã constituẽs constitutione ad modum compositionis, petit à cõstituto distingui: ergo solũ virtualiter realiter, & formaliter per rationẽ à constituto distinguitur, quamuis cõstitutiuum sit reale, constitutio realis formalis non est, sed realis virtualis, & formalis per rationẽ; ac proinde proprietas personalis solũ virtualiter realiter, & formaliter per rationem à persona constituta distincta, solum virtualiter realiter, & per rationem formaliter constituet personam diuinam.

40 *Confirmatur.*

Et augetur difficultas: constitutio admodum compositionis non minus petit distinctionem inter constituens & constitutum, quam radicatio petit distinctionem inter radicans, & radicatum; sed quamuis natura diuina, & attributa sint aliquid reale formaliter, quia tamen non realiter formaliter distinguuntur, sed solum realiter virtualiter, & per rationem formaliter: radicatio essentiæ respectu attributorum non est radicatio realis formaliter, sed solum realis virtualiter, & formalis per rationem: ergo pariter, quamuis proprietas personam diuinam constituens sit realis formaliter, quia tamen non distinguitur à persona constituta distinctione reali formali, sed reali virtuali, & formali per rationem, non constituit hoc constitutionis genere personam diuinam constitutione reali formali, sed reali virtuali, & formali per rationem.

41 *Ratio Albert. non vrget.*

Nec vrget ratio Albertini: nam ad constitutionem ad modum compositionis non sufficit conuenire, & distingui, sed requiritur conuenire in vno, & non in alio, distingui per vnum, & non per aliud, licet autem in essentia, prout à parte rei conueniat Pater cum Filio, non solum in illa conuenit, sed etiam in paternitate sumpta, prout à parte rei, quia cum paternitas à parte rei sit essentia diuina, Pater conueniens cum Filio in essentia, etiam conuenit cum illo in paternitate, & in filiatione sumptis, prout à parte rei, & idem de distinctione est dicendum, scilicet, Patrem distingui à Filio, non solum per paternitatem, sed etiam per essentiam sumptam, prout à parte rei; cum enim distinguatur per paternitatem, & essentia, prout in re sit paternitas, etiam distinguitur Pater à Filio per essentiam, prout in re, licet non distinguatur per illam vt significatur hoc nomine *essentia*, quia vt sic iam importatur distinctio essentiæ à paternitate, & ideò à parte rei non datur formaliter constitutio personæ diuinæ per modum compositionis, & distinctionis constituti à constituente, quod requirebatur vt à parte rei esset persona diuina constituta formaliter aliquo sui, & non per se ipsam.

42 *Obijcies.* Dices: diſtinctio virtualis eſſentiæ à paternitate ſufficit vt realiter communicetur eſſentia Filio, & non communicetur illi realiter paternitas: ergo pariter eadē virtualis diſtinctio ſufficiet vt paternitas realiter formaliter conſtituat, & diſtinguat Patrem à Filio, & non eſſentia diuina.

Reſp. Reſpondeo diſtinguendo antecedens pro ſecunda parte: & non communicetur illi paternitas ſumpta, prout à pater rei, nego antecedēs: vt ſignificatur nomine paternitatis, qualiter importatur vt ab eſſentia diſtincta, concedo antecedens, & nego conſequentiam: nam paternitas ſumpta, prout à parte rei, etiam cōmunicatur Filio, quia communicatur illi eſſentia, quæ à parte rei idem eſt paternitati, ſolum autem negatur de Filio paternitas, vt hoc nomine ſignificatur, quia hoc nomine importatur diſtinctio paternitatis ab eſſentia.

43 *Inſtabis* Inſtabis: diſtinctio virtualis eſſentiæ à paternitate, ſufficit vt verificetur realiter formaliter communicari eſſentiam, & non paternitatem, vt hoc nomine ſignificatur: ergo pariter ſufficiet vt paternitas conſtituat realiter formaliter Patrem, & non eſſentia vt ſignificata hoc nomine, quod ſolum videtur intendiſſe Albertinum.

Reſp. Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: quia cōſtitutio, vel eſt per omnimodā identitatem, vel per modum compoſitionis: ſi primo modo ſumatur, non datur conſtitutio per vnum, & non per aliud. Sumpta autem ſecūdo modo, nequit eſſe realis formalis, aut entitatiua, abſque diſtinctione reali entitatiua, vel formali; & ratio eſt: nam licet virtualis diſtinctio, quæ in diuinis reperitur, ſufficiat ad verificanda prædicata contradictoria, qualia ſunt communicari, & non communicari, non tamē ſufficit ad principiū, & terminum, ad effectum, & cauſam, aliis ex reali proceſsione perſonarū in diuinis probaretur realis illarum diſtinctio. In conſtitutione autem, quæ non eſt per omnimodam identitatem, ſed per compoſitionem, vel ad modum compoſitionis, conſtituēs cauſa eſt conſtituti: vnde ſi cōſtituat realiter formaliter, realiter formaliter cauſat conſtitutum, ad quod diſtinctio virtualis non ſufficit, vt omnibus eſt inconfeſſo. Et quidem eodē argumento probaretur naturā diuinam realiter formaliter radicare attributa, abſque reali formali diſtinctione, quod nullus concedet.

44 *Solutio F. Vazquez.* Alij per extremum docent, nullo modo conſtitui perſonas diuinas conſtitutione reali formali, ſed reali virtuali, & formali per rationem, eo quod nomine conſtitutionis, non ſolum ſignificatur res cum alijs conueniens, & ab illis diſtincta, ſed etiam actus quidam, & ordo conſtituentis principij circa rem conſtitutam; & conſequenter vt conſtitutio ſit realis, actus iſte debet eſſe realis; ſed actus iſte, realis in diuina perſona non eſt; ſed rationis, vt enim realis eſſet deberet realis formalis diſtinctio inter conſtituens, & conſtitutum intercedere: ergo conſtitutio diuinæ perſonæ, nullo modo realis eſt. Ita Vazquez *diſp.* 58. *cap.* 2. *n.* 8.

45 *Impugnatur ex D. Tho.* Sed nec poſſumus huic ſolutioni acquieſcere, vt enim conſtat ex D. Thoma *in* 1. *diſtinct.* 26. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 5. datur aliquis modus conſtitutionis in perſonis diuinis, iuxta quē conſtituuntur ſe ipſis. Quod etiam docuit *in præſenti quæſt.* 40. *art.* 2. *ad* 2. quod ita procedebat: *Simplicia ſe ipſis diſtinguuntur, perſonæ diuinæ ſunt maximè ſimplices: ergo ſe ipſis diſtinguuntur.* Cui argumento ita reſpondet: *Dicendū, quod perſonæ ſunt ipſæ relationes ſubſiſtentes: vnde non repugnat ſimplicitati diuinarum perſonarum, quod relationibus diſtinguantur.* In qua ſolutione expreſsē docet D. Thomas, perſonas diuinas conſtitui ſe ipſis, quatenus perſonæ idem ſunt relationibus; ſed hoc verum non eſt, loquendo de conſtitutione virtuali, aut rationis: nam loquendo de hac

conſti-

constitutione persona virtualiter, & ratione à relatione distinguitur: ergo intelligenda est de constitutione reali.

46 *Vera solutio.*

Vnde his omissis solutionibus, ad argumentum respondeo cum Capreolo *in* 1. *distinct.* 26. *q.* 1. *art.* 2. Caietano *in præsenti artic.* 1. Et Ferrara 4. *Contra-Gentes cap.* 26. *post medium*, versu, *ad euidentiam*, duplicem esse modum cõstitutionis, scilicet, per omnimodam identitatẽ, & per compositionem, vel ad modũ compositionis: iuxta primam nõ requiritur distinctio constituentis à constituto, sed idem se ipso constituitur, qualiter Deus se ipso est Deꝰ, Pater se ipso est Pater. Iuxta secundam requiritur distinctio constituẽtis à re constituta, & iuxta qualitatem distinctionis, est qualitas constitutionis. Vnde cum diuinæ personæ à proprietatibus non distinguantur distinctione reali formali, sed reali virtuali, non constituuntur per ipsas, iuxta secundum modum constitutionis constitutione reali formali, sed reali virtuali, & formali per rationem. Iuxta primam vero reali constitutione constituuntur personæ diuinæ relationibus, & se ipsis: nam ipsæ personæ sunt relationes subsistentes, & relatio subsistens est persona. Vnde rectè allegati Authores docuerunt loquendo de personis diuinis secundum constitutionem realem, veram esse sententiam Præpositiui, & Gregorij, quod nempè non constituuntur personæ aliquo sui, sed se ipsis constituuntur. Et ex his constat ad argumentum, quo ducitur Vazquez: nam maior illius est vera loquendo de constitutione ad modum compositionis, non autem de constitutione per omnimodam identitatem, hæc namque non dicit ordinem constituentis ad constitutum, sed omnimodam identitatem: arbitror tamen istam constitutionẽ, omnino propriam non esse, nec est illa de qua Theologi cum Gregorio, & Præpositiuo contendunt, sed constitutio ad modum compositionis.

Iuxta quam doctrinam in forma ad argumentum respondeo distinguendo consequens: constitutione reali per omnimodam identitatem, nego sequelam: constitutione reali formali per compositionẽ, vel ad modum compositionis, concedo sequelam, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam.

47 *Resp. in forma.*

Ad primam minoris probationẽ, quatenus distinctioni traditæ potest obstare, concesso antecedenti, nego consequentiam: nam ad realem constitutionem, præter realitatem constituentis requiritur realis distinctio illius à constituto, quamuis autem proprietates constituentes sint reales, non distinguuntur distinctione reali formali à personis constitutis, sed distinctione reali virtuali, & per rationem formali, & ideo constitutio non est realis formalis, sed realis virtualis, & per rationem formalis. Sicut ista consequentia, ob similem causam non valet rationalitas constituens hominem est realis: ergo realiter illum constituit, nec ista: natura diuina absoluta radicans est realis: ergo realiter attributa radicat.

Ad 1. *prob.*

Ad secundam, distinguo maiorem: eo modo constituuntur, quo distinguuntur distinctione comparata cum extremo distincto, concedo maiorem: distinctione comparata cum extremo à quo est distinctio, nego maiorem, & sub eadẽ distinctione minoris, nego consequentiam: nã licet distinctio vnius personæ ab alia sit realis, & ideo personæ realiter distingui dicantur, ipsum tamen exercitium distinguendi comparatum ad personam, quæ distinguitur per proprietatem, non est reale formaliter, sed reale virtualiter, & formale per rationem, eo quod proprietas personam faciens distinctam nõ distinguitur realiter à persona, quam distinguit, qualitas autem constitutionis non est pensanda ex qualitate distinctionis comparatæ cum extremo à quo distinguit, sed comparatæ cum extremo quod distinguit.

48 *Ad* 2.

§. IV.

Reijcitur secunda sententia.

49 *Secũda cõclusio*

SIt secunda conclusio: *Personæ diuinæ non constituuntur, nec distinguũtur proprietatibus absolutis.* Ita omnes Theologi præter duos pro secunda sententia allegatos, in eo gradu certitudinis vt oppositam sententiam aliqui censeant hæreticam: ita Durandus. Alij temerariam, & periculosam in fide, ita Molina, & Illustrissimus Araujo *vbi supra*. Et Rada *cõtrouersia 23. art. 2.* Alij hæreticam quoad personarũ distinctionẽ, de qua expresse loquuntur Concilia; quoad illarum vero constitutionem, erroneam, vel errori proximam: ita Magister Bañez *in præsenti quæst. 40. art. 2. dub. 1.* Nazarius *quæst. 40. contrauersia vnica in prima parte controuersiæ*, illam censet erroneam, secundum quod docet personas diuinas proprietatibus absolutis distingui, quidquid sit pro ea parte, qua docet modis absolutis constitui. Ac tandem alij illam improbabilem censent, & contrariam Theologorum consensui. Ita Suarez *loco vbi supra*.

50 *Suadetur 1. ex Scriptura.*

Suadetur conclusio primo: nam proprietates constituentes personas sunt illæ, quæ in Scriptura explicantur; sed proprietates in Scriptura explicatæ sunt relatiuæ, personæ namque solis relatiuis nominibus in scriptura nobis traduntur: ergo personæ diuinæ non constituuntur, nec distinguuntur proprietatibus absolutis, sed relatiuis. Illatio tenet, maior est certa, & minor probatur ex Matthæi *vltimo capite* illis verbis: *Baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spritus Sancti*, & primæ Ioanis vltimo: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, ex quibus testimonijs tale argumentum conficitur: proprietates nominibus relatiuis explicatæ sunt relatiuæ; sed nomina, quibus in Scriptura explicãtur proprietates personales, & personæ cõstitutæ, sunt nomina relatiua: ergo proprietates in scriptura explicatæ sunt relatiuæ.

51 *Conf. 1.*

Confirmatur primo: si personæ constituerentur proprietatibus absolutis, aliquando in scriptura vt sic constitutæ haberentur; sed nullibi in scriptura nominibus explicantibus proprietates absolutas exprimuntur personæ diuinæ: ergo proprietatibus absolutis non cõstituuntur. Confirmatur, & vrgetur secundo: si namque proprietates absolutæ distinguerent, & constituerẽt personas diuinas, melius nobis explicarentur nominibus exprimentibus proprietates absolutas, quam exprimentibus proprietates relatiuas, sed non his, sed illis explicantur: ergo quia præter relationes non dantur in personis diuinis proprietates absolutæ, quibus constituantur, & inter se distinguantur. Maior, in qua sola potest esse difficultas, probatur: melius nobis explicantur diuina, iuxta illa, quæ intellectus noster concipit in creaturis, quam præter, vel supra illa; sed intellectus noster concipit personas creatas constitutas, & distinctas proprietatibus absolutis, & non relatiuis: ergo si darentur in Deo proprietates absolutæ distinguentes, constituentesque personas, melius nobis explicarentur diuinæ personæ nominibus exprimentibus proprietates absolutas, quam relatiuas.

Secũdo.

52 *Secũdo prob. ex Cõcilijs*

Secundo probatur ex Concilio Florentino *sessione 8. §. diuina substantia*, vbi Ioannes Theologus ex Latinis sic ait: *Nam persona ex sub-*

stan-

ſtantia, proprietatibuſque ſubſiſtit, vbi proprietatis nomine relationem intelligere, conſtat ex illis verbis: *Ipſa ſubſtantia cum perſonis communicat, proprietates vero nequaquam communicabiles ſunt, quod quidē ex rationis vi creditur euenire*: ergo perſonæ diuinæ relationibus conſtituuntur: nam diuinam perſonam ex ſubſtantia, proprietatibuſque ſubſiſtere, idem eſt, atque ſubſtantia, & proprietate conſtitui. Cōfirmatur ex alijs verbis Bellarion Patriarchæ *in oratione pro vnione cap.6.* vbi præmiſſa identitate reali relationis, & originis, ſic ait: *Ideò vtroque quidem modo diſtinguuntur diuinæ perſonæ, prius tamē, & principaliter ſecundum modum intelligendi, per relationes per quas etiam conſtituuntur perſonæ diuinæ*, quo nihil clarius poteſt noſtra comprobari, imò & exprimi cōcluſio. Et licet verba prædicta, tū Ioannis Theologi, tum etiam Bellarion Patriarchæ nō ſint diffinitio expreſſa Concilij; quia tamen tacitè fuerūt à Concilio approbata, maxima gaudent auctoritate, ita vt abſque ingenti temeritate, illis diſentiri non licet.

53 *Deniq; prob. cōcluſio.*

Denique ſuadetur concluſio: vnicum namque diſtinctiuum perſonarum diuinarum neceſſario debet eſſe illarum conſtitutiuum, ſed ſola relatio diuinas perſonas diſtinguit: ergo illas relatio conſtituit. Illatio tenet, maior conſtat. Tum ex communi ratione conſtituentis, & conſtituti: vnumquodque namque eo, quo in ſuo eſſe coſtituitur, ab omni alio diſtinguitur, vt in ſequentibus amplius conſtabit: ergo quod vnicè perſonas diuinas diſtinguit, neceſſario illas conſtituit. Tum etiam, nam iuxta D. Thomam *ſupra quæſt. 29. art. 4. & quæſt. 9. de potentia art. etiam 4. perſona diuina eſt diſtinctū ſubſiſtens in natura diuina*: ergo quod vnice diſtinguit perſonas diuinas, non poteſt non conſtituere; quādo quidem in diſtinctione eſt poſitū eſſe perſonæ diuinæ. Tum denique ex diffinitione tradita perſonę à Boetio, admiſſaque à D. Thoma *ſupra quæſt. 29. & quæſt. 9. de potentia*, & à Theologis communiter, ſcilicet: *Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*, ideſt, incommunicabilis ſubſiſtētia, iuxta quam, eſſe perſonæ conſiſtit in hoc, quod eſt ſubſiſtere incommunicabiliter in natura rationali; ſed quod eſt alteri incommunicabile ipſa incommunicabilitate diſtinguitur: ergo quod perſonam in ratione perſonæ cōſtituit, illam neceſſario diſtinguit, & conſequenter, quod eſt vnicum perſonæ diuinæ diſtinctiuum, debet eſſe illius conſtitutiuum.

54 *Minor oſtenditur 1.*

Minor autem oſtenditur primo ex Cōcilio Toletano 11. *in confeſſione fidei cap.1.* vbi de perſonis diuinis loquendo ſic dicitur: *Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt, & in hoc numero carent, quod ad ſe ſunt*; ſed idem eſt numerari, ac diſtingui perſonas: ergo ſolum diſtinguuntur realiter perſonæ diuinæ, per id, per quod ſunt adinuicē, id eſt, per quod adinuicem referuntur; & conſequenter ſolum per relationes realiter diſtinguuntur, cum ſolum per illas ſint adinuicem, & inter ſe referantur.

55 *Secūdo prob. minor.*

Secundo probatur ex Concilio Florentino *ſeſſione* 18. vbi Ioannes Theologus non reprobante, ſed potius, ſaltim tacitè approbante Cōcilio, hæc habet: *Sola relatio apud omnes, tam Græcos, quam Latinos Doctores, diuina proceſſione, perſonas multiplicat*. Et paucis interpoſitis ita ſubiunxit: *Siquidem igitur relationes huiuſmodi perſonas multiplicant, ita vt non alia ratione, quam vi relationis Pater à Filio, ſeu vna perſona ab alia differunt*: ergo ſola relatio multiplicat, & diſtinguit realiter diuinas perſonas.

56 *Tertio prob.*

Tertio probatur: nam diſtinguere perſonas idem eſt quod illas multiplicare; ſed ſola relatio in diuinis multiplicat Trinitatem, vt docuerunt Boetius relatus à D. Tho-

ma *in præsenti art.2. in argumento* sed contra, & Anselmus de Incarnatione Verbi *cap.3.* Cyrilus *lib. 7. Thesauri cap.1.* Augustinus *lib. 5. de Trinitate cap.5. & libro 7. cap. vltimo.* Ambrosius *libro 1. de Fide ad Gratianum cap.1.* Hieronymus *in expositione Symboli ad Damasum*: alijque plures, quos secuutus est D.Thomas *in 1. dist. 26. quæst.2. art.2. ad Annibaldum in eadem distinctione quæst. & art. & dict.27. quæst.1.art. 1.2.& 3. Quæstione 8. de potentia art.3. & 4. quæst.9. art.4. 4.Cõtra Gentes cap.26. & in præsenti quæstione art. 2.* Ex quo, & alijs Patribus prædicta propositio pro axiomate fuit acceptata: ergo sola relatio realitêr personas diuinas distinguit.

57 *Deniq; prob. minor.* Denique suadetur ratione: etenim diuina infinitas petit, & quæuis diuina perfectio sibi realitêr identificet omne id cum quo non opponitur relatiuè, vt constat discurrendo per omnes: ergo sola relatiua oppositio, realem potest in Deo inducere distinctionem; & consequenter sola relatio potest distinguere realiter personas diuinas. Explicatur, & vrgetur: ideô misericordia, & iustitia, voluntas, & intellectus, natura, & attributa diuina, potentia, & illius operatio non distinguuntur in Deo realiter, quia non referuntur relatiuè realiter ad inuicem: ergo solum sic referri potest in Deo realem distinctionem inducere.

Conf. 1.

58 *Vrgetur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo: nam relatio diuina, non differt realitêr ab essentia, vt contra Gilbertum diffinitũ est multoties; quia licet paternitas, v.c. realiter ad Filium referat, ad essentiam non refertur, nec illam ad Filium refert. Spiratio etiam actiua, paternitas, & Filiatio, realiter non distinguuntur, quia licet Patrem, & Filium referat ad Spiritum Sanctum, non tamẽ ad paternitatem, nec ad filiationem refertur: ergo solum adest realis distinctio in diuinis inter extrema, quę relatiuè se habent, & ad inuicem dicuntur; & consequenter sola relatio præbens relatiuè se habere realem distinctionem constituit. Vnde Boetius *in libro de Trinitate*, sic habet: *Quoniam nulla relatio ad se ipsam referri potest, idcircò facta est Trinitatis numerositas in eo, quod est prædicatio relationis, sed seruata est substantiæ vnitas in eo, quod est indifferentia, vel substantiæ, vel operationis, vel omnino eius, quæ secundum se dicitur prædicationis; ita igitur substantia, continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem, atque adeò sola sigillatim proferuntur, atque separatim, quæ relationis sunt.*

§. V.

Tribus argumentis contrariorum occurritur.

59 *Arg. 1.* COntra istam conclusionem arguitur primo: persona diuinâ constituitur per subsistentiam incommunicabilem, vt constat ex illius diffinitione, qua dicitur: persona est rationalis naturæ indiuidua substãtia, id est incommunicabilis subsistentia; sed est hæc aliquid absolutũ in Deo: ergo persona diuina constituitur per aliquid absolutum. Minor ostenditur primo ex D.Thoma *quæst. 8. de potentia art.3. ad 7.* illis verbis: *Relationes autem in diuinis etsi constituant hypostases, & sic faciant eas subsistentes, hoc tamen faciunt in quantum sunt essentia diuina, distinguunt autem relatio-*

Minor ostenditur 1.

nes in quantum relationes ſunt, ſic enim oppoſitionem habent; ſed relationes, in quantum diuina eſſentia, non ſunt quid relatiuum, ſed abſolutum: ergo iuxta D. Thomam ſubſiſtentia eſt aliquid abſolutum in Deo.

60 *Secũdo.* Secundo probatur ex eodem D. Thoma *quæſt.9. citata art.5. ad 13. argumentũ*, ibi: *In diuinis autem proprietates perſonales hoc ſolum habent, quod ſuppoſita naturæ diuinæ ad inuicem diſtinguunt, non autem ſunt principium ſubſiſtendi naturæ diuinæ, ipſa enim diuina eſſentia eſt ſecundum ſe ſubſiſtens. Sed è contra proprietates perſonales habent, quod ſubſiſtant ab eſſentia, eo enim Paternitas habet, quod ſit res ſubſiſtens, quia eſſentia diuina, cui eſt eadem ſecundum rem, eſt res ſubſiſtens*; ſed quod conuenit diuinæ eſſentiæ præciſiuè à relationibus, & ipſis ratione eſſentiæ, eſt aliquid abſolutum: ergo ſubſiſtentia in Deo eſt aliquid abſolutum.

61 *Tertio.* Tertio probatur ex Auguſtino *libro 7. de Trinitate cap.4. ad principium*, illis verbis: *Si autem aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere, ſicut aliud Deum eſſe, aliud Patrẽ, aut Dominum eſſe: relatiuè ergo ſubſiſtit ſicut relatiuè gignit, & dominatur, ta iam ſubſtantia non erit ſubſtantia, quia relatiuum erit: ſicut enim ab eo quod eſt eſſe appellatur eſſentia, ita ab eo quod eſt ſubſiſtere ſubſtantiam dicimus; abſurdum eſt autem vt ſubſtantia relatiuè dicatur, omnis enim res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus*: ergo iuxta Auguſtinum ſubſiſtentia, relatiua non eſt, ſed abſoluta omnino. Denique probatur: nam ſubſiſtentia ex proprio conceptu explicat perfectionem; ſed relatio in Deo perfectionem non explicat: ergo ſubſiſtentia in Deo non in relatione, ſed in abſoluta perfectione conſiſtit.

62 *Aliquorum ſolutio relinquitur.* Huic argumento, qui negant ſubſiſtentias relatiuas in Deo, & ſolum abſolutam ſubſiſtentiam fatentur, occurrunt negando maiorem, loquendo de vltimo, & quaſi differẽtiali conſtitutiuo perſonæ, hoc namque iuxta iſtam ſententiam ſolum in ratione incommunicabilitatis conſiſtit. Ratio autem ſubſiſtentiæ cum abſoluta ſit, & communis, non eſt vltimum perſonæ conſtitutiuum in Deo, ſed ratio quædam communis, ex qua, & incommunicabilitate reſultat diuina perſona: Quia tamen ſententiam iſtam alibi fuſè reiecim⁹, & multo probabilius cenſuimus dari in Deo præter vnam ſubſiſtentiam abſolutam, tres ſubſiſtentias relatiuas, aliter eſt argumento facto occurrendum.

63 *Vera ſolutio traditur.* Reſpondeo igitur conceſſa maiori, negãdo minorem, vel illam diſtinguendo: eſt aliquid abſolutum tantum, nego minorem: eſt aliquid abſolutum, & aliquid relatiuum iuxta diuerſas ſubſiſtentiæ acceptiones, cõcedo minorem, & nego conſequentiam. Ad primam minoris probationem Patres Salmanticenſes *Tractatu 6. de Trinitate diſp.18. dub. 2. §.3. num.36.* reſpondent, relationes diuinas conſtituere hypoſtaſes ſubſiſtentes in quantum ſunt eſſẽtia diuina, ly *in quantum* denotante radicem ex qua habent, quod conſtituant hypoſtaſes; non autem denotante rationem formalem, ex qua illis competet conſtituere hypoſtaſes ſubſiſtentes, ſed id habent à ſe ipſis formaliter proxime ſecundum id, quod explicant, & eſſentiæ ſuperaddunt. Quam ſolutionẽ ſũpſerunt ex Caietano *in præſenti q. 40. art.4. §. ad euidentiam horum ſcito.*

64 *Contra iſtam ſolutionẽ facit 1.* Cæterum contra hanc ſolutionem obſtat primo: nam D. Thomas *ſolutione ad 13. in ſecunda probatione minoris relata*, conſtituit diſcrimen inter naturam diuinam, & omnem naturam creatã, per hoc, quod diuina à ſe, & per ſe ſubſiſtit, & proprietates perſonales ratione illius; in creatis autem non ita, ſed proprietates dant naturæ, & ſubſi-

stere, & ab alijs distingui; sed ly *in quantum* denotante essentiam pro radice subsistendi proprietatibus, non saluatur hoc discrimen vniuersaliter intellectum; nam proprietas personalis in Angelis habet ab illorum essentia radicaliter, quod subsistat: ergo prædicta explicatio mẽti Angelici Præceptoris non congruit.

Secũdo. Secundo: nam docet D. Thom. relationes ratione sui distinguere suppositа, illa tamen subsistentia cõstituere in quantum sunt diuina essentia; sed ly *in quantum* denotante radicem non est discrimen inter hoc, quod est constituere, & distinguere; nam etiam habent radicaliter ab essentia, quod distinguant suppositа, sicut & totum suum esse ab essentia radicalitêr habent: ergo particula *in quantum* non denotat radicem, sed rationem formalem.

65 *Effugiũ excluditur.* Si dicas: relationes habere radicaliter ab essentia quod distinguãt suppositaliter, non autem habere ab illa quo distinguant absolutê, sed ex communi relationis conceptu. In contrarium obstat: nam sicut habẽt ex communi conceptu relationis absolute aliqua distinctione distinguere, abstrahendo à distinctione substãtiali, & accidentali: ita habent ex illo communi conceptu constituere in aliquo esse abstrahente ab esse substantiali, & accidentali: ergo si distinguere suppositaliter habent eodẽ modo ab essentia, quo ab illa habent constituere hypostases subsistentes, nullum restat discrimen inter distinguere, & cõstituere, quoad hoc quod est relationes illud ab essentia habere.

66 *Resp. ad 1. probationem minoris* Vnde hac solutione in sua probabilitate relicta, ad primam minoris probationem respondeo, subsistẽtiam in perfeitate existentiæ consistere, hæc autem perfeitas dupliciter sumi potest: primo pro perfeitate excludente dependentiam ab altero vt sustentante: secundo pro perfeitate excludente communicabilitatem alteri vt suppositо. Vnde subsistentia dupliciter etiam accipitur, primo pro per se existentia, perfeitate excludente dependentiam, secundo pro per se existentia excludente communicabilitatem alteri tanquam suppositо; sumpta primo modo, absolutê dicitur in diuinis, & non relatiuê; sumpta secundo modo dicitur relatiuê, & non absolute. Quando ergo docet D. Thomas relationes constituere hypostases subsistentes in quantum sunt essentia diuina, loquitur de subsistentia in prima acceptione, & sic certum est non præstare ratione sui istum modum subsistendi, nec illum à se habere, sed ratione essentiæ absolutæ, quam implicite includunt; non autem negat, quod relationes ratione illius, quod addunt ad essentiam, præstent subsistere in secunda acceptione, & in subsistentia sic accepta personalitas diuina consistit. Et ex his ad secundam minoris probationem constat solutio.

67 *Ad 3. prob.* Ad tertiam dicatur loqui Augustinum de subsistentia sumpta pro perfeitate independentiæ, qua ratione dicitur absolutê, & non relatiuê, non autem de subsistentia sumpta pro per se existentia, perfeitate incommunicabilitatis. Quod si alicubi loquendo de ista asseruerit dici absoluté, & non relatiuê in Deo, explicandus est Augustinus de absoluto ex parte modi significandi, & in ratione obiecti significati, non autem de absoluto ex parte obiecti in esse rei, & entis, iuxta dicta *disputatione* 81. §. 1. *ad* 2. *argumentum in fauorem tertiæ sententiæ.*

Ad vltimam. Ad vltimam probationem distinguo maiorem: subsistentia sumpta pro per se existentia, perfeitate independentiæ à sustentante, concedo maiorem: sumpta pro perfeitate incommunicabilitatis, nego maiorem, & concessa minori distinguo consequens: in priori subsistentiæ acceptione, concedo consequentiam; in secunda nego consequentiam.

68 Secundo arguitur: suppositum

Arg. 2. in Deo constituitur per aliquid absolutum; sed persona idem est quod suppositum rationalis naturæ, vt docet D. Thomas *supra quæst.* 29. *art.* 2. ergo persona in Deo constituitur per aliquid absolutum. Illatio tenet, minor traditur à D. Thoma, nec ab aliquo Theologorum negatur. Maior autem ostenditur primo: omne namque pertinens ad perfectionem, est Deo concedendum; sed ratio suppositi absoluti pertinet ad perfectionem cum consistat in subsistente per se in natura substantiali, quod perfectio est: vnde substantia perfectior est accidente, quia per se subsistit: ergo suppositum constitutum per aliquid absolutũ, est in Deo constituendum.

Maior ostenditur 1.

69 *Secũdo.* Secundo: nam suppositum idẽ est quod per se subsistẽs in natura substãtiali, vnde iuxta D. Thomam *supra quæst.* 29. *art.* 2. *in corpore*, suppositum, res naturæ, subsistentia, & hypostasis idem significant; sed in Deo datur subsistens constitutum subsistentia absoluta in veriori Theologorum sententia: ergo datur suppositum constitutum per aliquid absolutum.

Tertio. Tertio, subsistentia excludens cõmunicabilitatẽ alteri à subsistente realiter distincto, sufficiens est suppositum constituere; sed in Deo datur subsistentia istam communicabilitatem excludens: personæ namque quibus communicatur diuinitas non sunt realiter ab illa distinctæ: ergo datur absoluta suppositalitas; & consequenter datur suppositum absolutẽ constitutum.

Quarto Quarto: nam concedi debet Deo quidquid Pagani, & Gentiles naturaliter intellexerunt, sed omnes Phylosophi naturaliter intellexerunt in Deo suppositum constitutum per aliquid absolutum: ergo est Deo concedendum suppositum constitutum per aliquid absolutum.

70 *Quinto* Quinto probatur: etenim ratio naturalis assequitur in Deo rationem suppositi; sed suppositum relatiuum naturalis ratio non capit, suis viribus relicta: ergo est admittendum in Deo suppositum absolutum.

Sexto. Sexto: si namque non esset constituendum in Deo, maximè quia sequeretur suppositorũ quaternitas; at hoc inconueniens non sequitur: nam suppositum absolutum non distinguitur realiter à tribus diuinis personis, quod tamen necessarium erat vt essent quatuor suppositа: ergo idẽ quod prius.

Deniq; prob. Denique: nam actiones sunt suppositorum, vt ex Aristotele docetur à Phylosophis communiter; sed velle, intelligere, & creare conueniunt Deo pro priori ad omnem relationem, cum sint actiones toti Trinitati communes: ergo præcedenter ad omnem relationem intelligitur ratio suppositi in Deo; ac proinde constituitur per aliquid absolutum.

71 *Resp. negãdo maiorem.* Respondeo negando maiorem. Ad primam probationem, concessa maiori nego minorem: nam in supposito importatur perfectio. Tum ex parte naturæ, quam de connotato importat. Tum etiam, ex parte subsistentiæ sumptæ pro perfeitate excludente dependentiam ab altero vt sustentante. In nullo tamen horum consistit vltima ratio suppositi, sed in subsistentia sumpta pro perfeitate excludente communicabilitatem alteri personæ, aut supposito, & in hoc conceptu perfectio non explicatur, idque in Deo non est aliquid absolutũ, sed aliquid relatiuũ, eo quod omne absolutum in Deo cõmunicabile est, vt monstrauimus conclusionem nostram probantes.

Ad 1. *prob.*

72 *Ad* 2. *prob.* Ad secundam distinguo maiorem, & explico D. Thomam: suppositum idem est quod per se subsistens in natura substantiali, subsistentia tãtum independentiæ, nego maiorem: subsistentia incommunicabilitatis, concedo maiorem: & sub eadem distinctione, conceſſa, & negata minori, nego consequentiam: nam subsistentia absoluta, quam in Deo verior fatetur sententia, communicabilis est tribus personis diuinis, & ideo in

sufficiens ad constituendum suppositum. Et quidem eodem argumento probaretur pro priori ad proprietates esse, non solum suppositum, sed etiam personam diuinam: nam persona supra suppositū solū addit subsistentiam in natura intellectuali, quæ pro priori ad relationes saluatur; & consequenter si ratione facta contendit Scotus probare in Deo commune suppositum, inferet etiam in Deo communem personam.

73 *Ad 3.* Ad tertiam, nego maiorem, vt enim docet D. Thomas *quæst. 8. de potentia art. 3. ad 7.* de ratione hypostasis duo sunt, primum est quod sit indiuisa in se; secundum, quod sit distincta ab omni alia hypostasi, etiā eiusdem naturæ, vbi contingit in eadem inueniri plures hypostases, qualiter inuenitur in Deo; ac proinde de ratione suppositi, quod idem est atque hypostasis, est incommunicabilitas, non solum suppositis realiter à subsistente distinctis, sed etiam distinctis ratione, vel virtualiter, aliàs cōuincetur Scotus fateri hanc incommunicabilitatem non esse de ratione personæ, ac proinde dari in Deo, non solum suppositum, sed etiam personam realiter communem tribus, cum suppositum, & persona non differant ex parte incommunicabilitatis, sed ex parte naturæ, quam de cōnotato important, quia nempè suppositum connotat naturam substantialem, persona vero rationalem, vel intellectualem.

74 *Ad 4.* Ad quartam distinguo maiorē: quidquid intellexerunt Gentiles Philosophi naturaliter, ideſt medio dictamine rationis naturalis, concedo maiorem: naturaliter, ideſt, viribus propriæ naturæ, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam, nam ratio naturalis non dictat suppositum absolutum in Deo, aliàs illud negare esset contrarium rationi naturali, vis autem naturæ extenditur ad intelligendum verum, & intelligendum falsum. Vnde quamuis Philosophi gentiles viribus naturæ intellexerint suppositum absolutum in Deo, illud tamen naturalis ratio non dictat, ex quo non sequitur esse in Deo cōstituendum. Tum, quia vis naturæ, etsi non inclinet in falsum, potest tamen in falsum assensum. Tum etiam, quia alias esset constituenda in Deo negatio Trinitatis personarum, cum illam Pagani, & Gentiles proprijs natnrę viribus intellexerint.

75 *Ad 5.* Ad quintam minoris probationem, quæ est replica contra istam solutionem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam, sicut ista cōsequentia non tenet: *Naturalis ratio assequitur rationem personæ in Deo; sed non capit personam relatiuam: ergo assequitur personam absolutam, & consequenter in Deo est constituenda.* Et vtriusque ratio est; nam potest lumen naturale manuductum ex creaturis assequi in Deo aliquam rationem communē, quin perueniat in cognitionem rationis differentialis, eo quod cū illa, & non cū ista inuenitur in creaturis connexio.

76 *Ad 6.* Ad sextam, concessa maiori, nego minorem; cum enim, vt iam ostendimus, de ratione suppositi sit incōmunicabilitas alteri supposito, etiá eiusdem naturæ: fit consequens, vt eo ipso quod admittatur suppositū, ab eluctū nequeat esse cōmune tribꝰ personis, aut suppositis diuinis, ac proinde debeat realiter ab illis distingui: ex quo vlterius sequitur suppositorum quaternitas.

Ad vltimam. Ad vltimam probationem dicatur, doctrinam illam communem accipere suppositum pro re subsistente, siue communicabilis, siue incommunicabilis sit, vt constat in anima rationali, quæ à corpore separata, vt quod operatur actiones intelligendi, & volēdi, & tamē non est suppositum, nec persona; cum adhuc separata sit communicabilis corpori, sed tantum subsistens est: vt ergo aliquod operetur vt *quod*, sufficit quod sit subsistens, tametsi non sit suppositum, ac proinde ex eo quod Deus in consideratione absoluta

luta vt *quod* velit, intelligat, & creet, non sequitur esse suppositum, sed tantum esse subsistens in subsistentia absoluta, quod libēter cū frequentiori sententia concedimus.

77 *Arg. 3.* Tertio arguitur: repugnat relationi constituere personam: ergo persona diuina non constituitur relatione, sed modo, aut perfectione absoluta. Consequentia tenet: nam inter relationem, & modum, perfectionē v.c. absolutam, non datur medium; ac proinde si persona diuina relatione non constituitur, debet necessario constitui per aliquid absolutum. *Antec. prob. 1.* Antecedens autem ostenditur primo: relatio namque non potest dare esse ad se, sed ad aliud, cum totum sui esse sit ad aliud se habere; sed subsistere dicitur ad se, nulla enim res subsistit ad alteram, vt docet Augustinus 7. *de Trinitate cap.* 4. ergo relatio non potest dare alicui, quod subsistat; & consequenter nequit constituere personam, quæ est subsistens in natura rationali.

78 *Secūdo.* Secundo: nam relatio nullum esse dat nisi in ordine ad correlatiuū; sed persona non est in ordine ad correlatiuum, aliàs persona esset personæ persona, v.c. Pater persona Filij, sicut est Pater Filij, quod est contra Augustinum loco nuper allegato: ergo relatio nequit constituere personam. *Tertio.* Tertio: nam si relatio constitueret personam, vniretur essentiæ, vt ex illa & essentia resultaret constituta persona; sed non potest relatio essentiæ diuinæ vniri, aliàs illam relatam constitueret, cum omnis forma alicui subiecto vnita illi præbeat suum effectum formalem, formalis autem relationis effectus est referri: ergo nequit relatio constituere personam. *Deniq; prob.* Quarto: nā ex relatione, & essētia nequit vnū per se tale resultare; sed persona diuina est aliquid per se vnū: ergo constitui non potest ex essentia, & relatione.

79 *Resp.* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, concessa maiori, nego minorem, & explico Augustinum: subsistere absolutum, concedo minorem: subsistere relatiuum, subdistinguo minorem: dicitur ad se ex parte rei significatæ in esse obiecti significati, & ex parte modi significandi, concedo minorē: dicitur ad se in esse rei, nego minorem, & consequentiam: nam relationi repugnat dare esse ad se, aut absolutum in esse rei, non tamen repugnat relationi dare esse ad se, aut absolutum ex parte modi significandi, & in ratione obiecti significati, licet autem subsistere absolutum sit, & dicatur ad se in esse rei, subsistere relatiuum, in quo personalitas diuina consistit, non est ad se, aut absolutum in esse rei, sed tantum ex parte modi significandi, & in ratione obiecti significati, vt constat ex dictis *disp.* 81. & ideò potest optimè à relatione præstari, imo necessarium est, quod à relatione præstetur ob rationes traditas pro conclusione.

Et ex his ad secundam probationem distinguo maiorem: nullum esse dat nisi in ordine ad correlatiuum ex parte modi significandi, & in ratione obiecti significati, nego maiorem: in esse rei subdistinguo maiorem: connexiuē, vel formaliter, concedo maiorem: formalitēr tantum, nego maiorem, & sub eadem distinctione, & subdistinctione minoris, nego consequentiam. Itaque quod præstat relatio diuina in esse rei, est in ordine ad correlatiuum connexiuē, vel formaliter, non autem solum formaliter: nam præter esse ad aliud habet subsistere, quod quidem connexiuē est ad aliud, subsistit enim, nō vt in se sistat, sed vt ad terminum referatur: nec sub hoc cō ceptu exprimit respicientiam ad terminum, sed illam petit, & imbibit, & hoc subsistere, in esse rei, relatiuum est, non quia explicet, sed quia imbibat *Aa*, & cum illo connectatur; in esse tamen obiecti significati, est absolutum; & quia sub hoc conceptu constituit personam, ideò non dicitur Pater v.c. persona Filij, sicut dicitur Pater Filij; quia ad hoc requirebatur,

80 *Ad 2. probat.*

quod in ratione personæ constitueretur per relatiuum vt talem, non solum in esse rei, sed etiam ex parte modi significandi, & in ratione obiecti significati. Quæ solutio partim constat ex dictis disp.81. & plenius ex dicendis constabit.

81 *Ad 3.* Ad tertiam, concedo sequelã de vnione virtuali, & per rationem, qualiter ab essentia distinguitur, & nego minorem, quam non euincit probatio; nam forma vnita subiecto non præbet illi omnem effectum, quem continet, sed illum cuius est capax: essentia autem diuina capax est vt relatione constituatur terminata, non vero est capax vt illa constituatur relata, quia ad hoc deberet ad terminum, ad quem referretur, reali distinctione distingui, & ideo primum illi præstat relatio, nõ vero præstat secundum.

Ad vlt. Ad vltimam probationem dicatur veram esse maiorem de relatione, quæ est accidens realiter à substantia, vel essentia distinctum, falsam autem de relatione substantiali, qualis est diuina relatio. Vnde concessa minori, neganda est consequentia, nam relationes in Deo pertinent ad lineam substantiæ, suntq; realiter formaliter ab illius essẽtia in distinctæ, atq; adeò ex illis, & diuina essentia potest vnum per se resultare.

82 *Obijcies* Sed dices, ex relatione realiter à subiecto distincta, & subiecto, nequit vnum per se resultare per realem compositionem: ergo ex relatione, & essentia virtuali distinctione distinctis nequit vnum per se resultare virtuali constitutione, aut cõpositione.

Resp. Respõdeo negando consequẽtiam, vt enim ex duobus resultet vnũ per se, petitur quod in eodem indiuisso esse conueniant vnde, cum relationes, & essentia diuina in eodem esse conueniant, existunt enim existentia essentiæ diuinæ; fit consequẽs vt ex illis vnum per se constituatur virtuali constitutione; relatio autem creata non trahitur ad esse subiecti, sed habet existentiam sibi propriam distinctam ab existentia substantiæ: & ideo ex illis vnum per se non resultat. Quæ doctrina est Capreoli *lib.1.sent.dist.26.q.1.ad 1. ex.2.* loco obiectis, sumpta ex D. Thom. *in 3.dist.6.q.3.art.2.ad 2. & 3.p. q.2.art.6.ad 2.* illis verbis: *Illud quod advenit post esse completum, accidentaliter aduenit, nisi trahatur in communionem illius esse cõpleti, sicut in resurrectione corpus aduenit animæ præexistenti, non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumetur, vt scilicet corpus habeat esse vitale propter animam; non est autem sic de albedine, quia aliud est esse albi, aliud esse hominis, cui aduenit albedo.*

83 *Replic.* Sed dices, ex relatione, & subiecto existentibus per existentias realiter, aut formaliter distinctas resultat vnũ per se formali, aut reali cõpositione: ergo ex relatione, & essẽtia existentibus per existẽtias virtualiter distinctas vnũ per se nõ resultat virtuali cõstitutione; sed est probabilis pluriũ Theologorum sẽtẽtia asserẽtiũ relationes, & essentiã in Deo existẽtijs virtualiter distinctis existere: ergo ex illis nequit vnũ ens per se cõstitui virtuali cõstitutione; & consequẽter persona diuina, quæ est vnũ per se nequit relatione constitui.

84 *Resp.* Rẽspondeo solutionem nostram iuxta principia D. Thomæ, & discipulorum eius procedere, iuxta quæ ex duobus entibus propria existentia gaudentibus non potest vnũ per se resultare. Ex quo inferunt, nec humanitatem in Christo propriam retinere existentiam, nec materiam, nec formam in composito substantiali partiales existentias habere, quia aliàs ex humanitate, & Verbo non fieret vnum per se, nec ex materia, & forma vnum per se resultaret. Qui vero oppositæ adhærent sententiæ aliter poterunt paritati factæ occurrere, aliudque statuere discrimen, nimirum relationẽ creatam, & subiectum pertinere ad prædicamenta diuersa: secus autem diuina essentia, & diuinæ relationes, cum spectent ad lineam substantiæ,

& ideo ex relatione diuina, & essentia potest vnum per se virtualiter cõstitui: secus autem ex subiecto, & relatione creata.

§. VI.

Occurritur quarto argumento, & explicatur an Filius in ratione personæ relatione conconstituatur?

85 *Arg.* 4. QVarto arguitur: relatio Filiationis non constituit Filium in ratione personæ: ergo persona Filij constituitur per aliquid absolutum; & consequentêr idem erit de alijs personis dicendum. Secunda consequentia ex prima euidenter colligitur. Tũ; quia non est discrimen aliquod assignabile inter secundam personam, & alias Sanctissimæ Trinitatis, quoad hoc, quod est constitui per absolutũ, vel relatiuum. Tum etiam, quia vt docet Diuus Thomas *quæstione octaua de potentia articulo tertio*, omnium hypostasum eiusdem naturæ est eadem ratio constitutionis.

Antec. prob. 1. Antecedens autem ostenditur primo: illud namque, quod producto termino oritur, non potest terminum constituere, aliàs idem à se ipso oriretur; sed relatio oritur termino producto: hæc enim differentia inter actionem, & relationẽ versatur iuxta Simplicium in prædicamentis, quod actio est causatiua termini, relatio autem oritur posito termino: ergo relatio nequit terminum constituere; & consequenter Filiatio, quæ relatio est, non constituit secundam Trinitatis personam terminum generationis, sed illam in ratione termini constitutam supponit, & ad illam consequitur. Ex quo vlterius fit, nec illam constituere posse in ratione personæ, nam pro signo pro quo intelligitur terminans generationem, intelligitur persona.

86 *Secũdo.* Secundo probatur: nam iuxta Philosophum *quinto physicorum*, ad relationem non datur per se motus, nec per se actio: ergo relatio nequit constituere terminum per se actionis; sed persona Filij est terminus per se actionis generatiuæ: ergo non costituitur per relationem in ratione personæ.

Tertio. Tertio: nam iuxta eundem Philophum *quinto physicorum*, relatio non per se acquiritur, sed ex aliquo absoluto subiecto, vel præacquisito resultat: ergo Filiatio Verbi absolutum præacquisitum supponit in Filio; sed hoc absolutum non est essentia diuina, cum hæc non generetur, nec producatur vt *quod*: ergo aliquod absolutum productum ad Filiationem in Verbo supponitur; & consequenter ad illam supponitur constituta persona. Patet hæc consequentia: nam illud absolutum, vtpotè productum, realitér à producente distinguitur, & aliàs in natura diuina est subsistens; sed subsistens distinctum in natura diuina est diuina persona: ergo illud absolutum productum est diuina persona. *Quarto prob.* Quarto probatur: nam quod fundatur super esse genitum, non potest genitum constituere in ratione personæ, aliàs idem supra se fundaretur; sed iuxta Philosophum *quinto metaphysicæ textu vigesimo* Filiatio fundatur supra esse genitum: ergo non potest genitum

nitum conſtituere in ratione perſonæ.

87 *Quinto.* Quinto probatur : nam iuxta Diuum Thomam quæſtione octaua de potentia articulo tertio: *neque origo , neque relatio intellecta in origine perſonam Filij conſtituit , quia relatio intellecta in origine , ſicut & ipſa origo, non ſignificat hoc aliquid ſubſiſtens in natura diuina , ſed in natura tendens* : verba ſunt Diui Thomæ , ex quibus ſic arguo : relatio importata in origine non eſt relatio à Filiatione diſtincta , ſed ipſa Filiatio , aliàs darentur in Deo plures relationes reales quam quatuor , contra communem ſententiam ; ſed relatio importata in origine non conſtituit perſonam Filij iuxta Diuum Thomam verbis nuper allegatis : ergo Filiatio non conſtituit Filium in ratione perſonæ.

88 *Deniq; prob.* Denique probatur: nam Filius conſtituitur in ratione perſonæ per id, per quod terminat relationem Patris; ſed non terminat illam per Filiationem , ſed per aliquid abſolutum : ergo non per Filiationem , ſed per aliquid abſolutum conſtituitur in ratione perſonæ. Maior conſtat: nam eo quod terminat relationem Patris realitêr à Patre diſtinguitur, cum relatio nequeat terminari ad ſe ipſam, & aliàs eo quod terminat ſubſiſtit in natura diuina : ergo per id , quod terminat conſtituitur in ratione perſonæ diuinæ , quæ nihil eſt aliud quam ſubſiſtens diſtinctum in natura diuina. Minor autem probatur: nam relatio creata terminatur ad aliquid abſolutum , quod licet communiter à noſtris Thomiſtis negetur , eſt tamen extra Scholam Thomiſtarum commune , & in ſe probabile: ergo eadem probabilitate eſt dicendum relationem diuinam terminari ad abſolutum;& conſequenter relatio Paternitatis ad aliquid abſolutum terminabitur in Filio.

89 Reſpondeo negando antecedẽs, Ad cuius primam , & reliquas probationes, varie occurritur ab auctoribus noſtræ ſententiæ. Prima ſolutio eſt relationem prædicamentalem oriri poſito termino, per ſe non acquiri, nec motum, vel actionem per ſe terminare : ſecus autem relationem tranſcendentalem, hæc namque poteſt per ſe primo terminare actionem, & conſequenter non petit poſito termino reſultare, nec conſequi ad aliquid præacquiſitum, Filiatio autem diuina non eſt prædicamẽ talis , ſed tranſcendentalis relatio. Quam ſolutionẽ §. ſequenti impugnabimus. *Prima ſolutio deſſeritur.*

Secunda ſolutio , etſi Filiationem diuinam relationem prædicamentalem eſſe fateatur, aſſerit tamẽ in Filio eſſe aliam relationem tranſcendentalem, quæ poteſt Filiatio dici. Licet autem prima conditiones illas obtineat, de quibus in probationibus antecedentis , nempẽ ad poſitionem termini conſequi, non per ſe acquiri , nec actionem terminare, & conſequenter nequeat Filium cõſtituere in ratione perſonæ; ſecunda tamen conditiones illas non petit, ac proinde Filium in ratione perſonæ conſtituit. Quam ſolutionem etiam §. ſequenti impugnabimus. 90 *Secũda ſolutio.*

Tertia ſolutio eſt , relationem in genere accidentis contentam, gaudere illis conditionibus , ac proinde non poſſe terminum conſtituere in ratione perſonæ, ſed illum conſtitutum ſupponere, Filiatio autem diuina non eſt relatio in genere accidentis contenta, ſed ſubſiſtens , & ſubſtantialis , ac proinde non petit ex præacquiſito acquiri, ad terminum poſitum conſequi, nec ſuper genitum eſſe fundari , ſed ſub expreſſo etiam relationis conceptu poſſe perſonam Filij in ratione perſonæ conſtituere , & de facto illud præſtare. Quam ſolutionem in ſequentibus examinabimus in ſimile de Paternitate loquendo. 91 *Tertia.*

Aliorum ſolutio eſt duplicem eſſe relationem in Filio , vnam qua 92 *Quarta*

re-

refertur ad Patrem, vt generabilis, ad principium potens generare, aliâ, qua refertur ad ipsum, vt relatione geniti ad generantem, hanc secundam dicunt sapere conditiones relationis prædicamentalis, vnde terminum non constituit, nec per se terminat actionem, sed terminum constitutum supponit, ad illum sequitur, & super genitum esse fundatur. Primam autem imitari conditiones relationis transcendentalis, ac proinde, nõ cõsequitur ad terminum primo productum, nec supra genitum esse fundatur, sed terminum productum constituit, per se primo terminat actionem generatiuam, & Filium in ratione personæ constituit.

93 *Reijcitur 1.* Hæc tamen solutio displicet primo, quia noua, & vsque modo inaudita. Secundo, quia multiplicat relationes reales plusquam licet in Deo; cum communis Theologorum sententia solum quatuor reales relationes recognoscat in Deo. Iuxta hanc autem solutionẽ octo relationes reales constituuntur in ipso; nimirum relatio potentis generare, relatio actualiter generantis, relatio geniti, & relatio generabilis in Filio; insuper relatio potentis spirare, & relatio actualiter spirantis in Patre, & Filio, ac denique relatio spirabilis, & relatio actualiter spirati in Spiritu Sancto.

94 *Tertio rejicitur.* Tertio, quia sequitur præter relationem generantis, & potentis proximè generare, constituendam esse aliam relationem ab istis distinctam, nimirum potentis generare radicaliter, & idem ex parte Filij in ratione termini generationis. Ex quo vlterius fit esse in Deo constituendas decem relationes reales, cõstituendo relationem spiratiui radicaliter in Patre, & Filio, & spirabilis radicaliter in Spiritu Sancto; consequens autem est falsum: ergo & solutio tradita. Patet sequela, quia aliud est actu generari in Patre, & actu generari in Filio, à posse proximè generare, & posse proximè generari; dantur iuxta hanc solutionem relatio geniti in Filio distincta à relatione generabilis proximè, & in Patre relatio actualiter generantis distincta à relatione potentis proximè generare: sed etiam est quid distinctum posse proximè generare à posse generare radicaliter: ergo constituenda est in Patre relatio potentis generare radicaliter distincta à relatione potentis proximè generare, & idem in Filio suo modo erit dicendum; ac proinde erit numerus, quem intulimus relationum realium in Deo.

95 *Quarto* Quarto: nam relatio geniti ideo dicitur prædicamentalis in Deo, non quia spectet ad prædicamentum relationis, sed quia terminum respicit vt purum terminum, hoc est, non vt causam, vel vt effectum; sed relatio generabilis si admittatur in Filio respectu Patris diuini, non respicit illum vt causam, vel effectum, sed vt principium potens generare absque omni causalitate: ergo, si admittatur, non erit transcendentalis, sed prædicamentalis relatio, & consequenter sicut relatio geniti non constituit Filium in ratione personæ, sed vt sic constitutum supponit, & ad illum iam constitutum consequitur, quia est prædicamentalis: ita relatio generabilis non constituit terminum, sed constitutum supponit, & ad illum consequitur.

96 *Quinto.* Quinto: nam relationem actu geniti in Verbo consequi generationem, & personam non constituere, non aliunde potest colligi, nisi quia relatio geniti in creaturis, ad cuius instar, & per cuius speciem relatio geniti diuina cognoscitur, consequitur passiuam generationem; sed relatio generabilis si datur in Filio diuino distincta à relatione geniti, concipitur à nobis per speciem relationis generabilis in creaturis reperte supra potentiam passiuam generabilis fundatæ, & ad illam consequutæ, nec terminum constituentis, sed constitutum supponentis:

ergo eſto admittatur prædicta relatio in diuinis, non minus erit inſufficiens ad conſtituendum Filium in ratione perſonæ, quam relatio actualiter geniti.

97 *Præterea.* Sexto : nam perſonas diuinas conſtitui per relationes, inde colligitur, quia in Scriptura deſignantur nominibus relatiuis, videlicet, *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, quæ ſunt nomina relatiua; ſed hoc fundamentum probat Filium non conſtitui relatione generabilis, ſed relatione actualiter geniti : ergo vel eſt aſſerendum leue eſſe fundamentum illud commune pro aſſertione noſtra firmanda, vel fatendum, non conſtitui relatione generabilis, ſed relatione actu geniti. Probo minorem : fundamentum illud probat conſtitui per filiationem; ſed relatio generabilis non eſt filiatio, bene vero relatio actu geniti à Patre : ergo fundamentum illud conuincit non conſtitui relatione generabilis, ſed relatione actu geniti.

98 Denique præfata ſolutio reijcitur: non enim datur in Deo relatio generabilis diſtincta à relatione actualiter geniti : ergo ſi relatio geniti non conſtituit Filium in ratione perſonæ, nulla relatio illum in ratione perſonæ conſtituit. Antecedens probatur : nam in Filio non datur potentia obiectiua vt generetur, ſicut nec in Deo potentia obiectiua ad eſſendum, eo quod Deo exiſtere eſt eſſentiale, & Filio eſſentiale eſt eſſe actualiter genitum; ſed relatio generabilis ſi daretur diſtincta à relatione actualiter geniti, deberet ſupra potentiam obiectiuam vt generetur, fundari: ergo talis relatio diſtincta à relatione actu geniti in Filio diuino non datur.

99 *Obijcies.* Si opponas : datur in Patre diuino relatio potentis generare diſtincta à relatione actualiter generantis : ergo illi correſpondet in Filio, relatio generabilis, diſtincta à relatione actu geniti. Conſequentia tenet. Tum à paritate rationis. Tum etiam, quia cum relatio ſpecificetur à termino, non poteſt duplici relationi vna relatio in termino reſpondere ; ac proinde ſicut in Patre duplex relatio aſsignatur, alia generare potentis, & alia actu generantis, duplex etiam erit conſtituenda in Filio, alia actualiter geniti, & alia potentis generari, aut terminare genetationem. Antecedens autem oſtenditur primo: nam in creaturis præter relationem actualiter generantis, vel illius, qui genuit Filium, datur alia potentis genetare : ergo etiam in Deo. Secundo : nam relatio multiplicatur ad multiplicationem fundamenti; ſed poſſe generare diſtinctum, quid eſt ab actuali generatione : ergo relatio ſupra poſſe generare fundata, diſtincta eſt à relatione fundata in actuali generatione.

100 *Reſp.* Reſpondeo negando antecedens: ad primam probationē prætermiſſo antecedenti, nego conſequentiam: ratio autem diſcriminis duplex aſſignari poteſt. Prima eſt: nam in creaturis potentia obiectiua vt aliquis generetur, diſtincta eſt ab actu terminare generationem, & ab illo ſeparabilis, & ideò relatio fundata ſupra potentiam diſtincta eſt à relatione fundata in generatione actuali, vel in genito eſſe; in Filio verò diuino non datur potentia obiectiua ad eſſendum, & terminandum generationem, diſtincta ab actu generari, & genito eſſe; ac perconſequens non datur duplex diſtincta relatio, quarum vna in poſſe generari, & alia in actu generari, aut genito eſſe fundetur.

101 *Nō placet iſta ſolutio.* Hæc tamen diſcriminis ratio non placet : nam licet in Filio diuino poſſe generari ſit eſſentialiter cum actu generari connexum, diſtinguitur tamen virtualiter ab illo: ergo ratione indiſtinctionis potentiæ, & actus in Filio, malè probatur indiſtinctio prædictarum relationū. Antecedens probatur: potentia generatiua in Patre diſtinguitur ab actuali generatione. Tum, quia vt

plu-

plures volunt, potentia generatiua pro recto est aliquid absolutum: actualis vero generatio pro recto in relatione consistit. Tum etiam, quia licet vtraque in absoluto consistat pro recto, potentia tamen generatiua est intellectus diuinus connotata paternitate, actualis autem generatio est diuina intellectio actualis, etiam paternitate connotata: intellectionē autem ab intellectu in Deo virtualiter distingui verius cēsuimus *supra tomo 1. disp. 4.* ergo ex parte Filij potentia vt generetur, distincta est ab actuali passiua generatione. Patet consequentia: tum à paritate rationis, tum etiam, quia potentiæ generatiuæ, & actuali generationi, distinctæ rationes in termino debent assignari, quæ rationes esse nequeunt, nisi potentia terminatiua generationis, & actualis passiua geratio.

102 *Occurritur obiectioni.*

Vnde hac ratione differētię omissa, alia constituenda est, nempē potentiam obiectiuam creaturæ, per quam constituitur generabilis non esse essentialiter cum generari, aut genito esse connexam, & ideō fundat relationem, qua genitum refertur ad generantem, vt generabilis ad potentem generare, distinctam ab illa, qua refertur ad ipsum, vt genitū ad generantem, vel ad illum, qui genuit; generabilitas autem in Filio est essentialiter connexa cum actuali esse geniti: & vt referatur ad Patrem relatione generabilis, generabilitate essentialiter connexa cū actuali esse genito, non requiritur distincta relatio ab illa, qua vt genitus refertur ad ipsum. Et ex his ad secundam probationem, concessa maiori nego minorem: nam vna, & eadem relatio potest in esse genito, & esse generabili fundari, quando generabilitas cum generatione actuali est essentialiter connexa, qualiter in Filio diuino contingit.

103 *Tradit. vera solutio.*

Relictis igitur his solutionibus: ad primam antecedentis probationem respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem, illamque, concedo de relatione, quæ est accidens, nego autem de relatione, quæ substantia est, hæc namque, tametsi sub conceptu explicito referentis intelligatur posito termino oriri, sub ratione tamen subsistentis, & formæ hypostaticæ, non vnitur posito termino, sed terminum actionis primo constituit: filiatio autem diuina non est relatio accidentalis, sed relatio subsistens, & substantialis, & ideō, quamuis sub expresso conceptu referentis non constituat terminum, sed intelligatur subsequi ad terminum constitutum, sub ratione tamen subsistentis, & formæ hypostaticæ non consequitur termino posito, sed Filium in ratione termini, & personæ, primo constituit. Nec obstat Simplicij authoritas: nam Simplicius loquebatur de relatione, quæ est accidens; hæc namque sub omni ratione consequitur posito termino, nec datur aliqua cōsideratio in illa, sub qua possit terminum constituere.

104 *Ad 2. antec. probationē*

Et ex his ad secundam antedentis probationem respondeo explicando Philosophum de relatione, quæ est accidens, ad quam nec actio, nec motus per se terminatur, sed ex consequenti sit per actionem, qua ponitur fundamentum: non autem de relatione substantiali, quæ, vt proximē dicebamus, tametsi sub expresso referentis conceptu non terminet per se actionem, sub conceptu tamen subsistentis, & sub munere formæ hypostaticæ potest per se primo actionem terminare. Et quia diuina filiatio substantialis, & subsistens est per se terminat actionem generatiuam, non quidem in abstracto, sed in concreto sumpta, idest, Filius, vt relatione constitutus in ratione personæ, terminat vt *quod* diuinam generationem.

Ex quibus ad tertiā, & quartā probationem antecedentis constat solutio: nā filiatio diuina, licet sub expresso conceptu, & munere referentis *Ad 3. & 4. prob.*

non acquiratur per se, & supra genitum esse fundetur, ac proinde sub hoc munere Filium non constituat in ratione personæ, sed constitutionem supponat: sub ratione tamen subsistentis, & formæ hypostaticæ, & acquiritur per se, & supra genitum esse non fundatur, sed est subiectum denominationis geniti: quomodo autem in vna, & eadem forma istæ duæ rationes reperiantur, & qualiter distinguantur, ex dicendis de paternitate constabit.

105 *Ad 5.* Ad quintum concessa maiori, & distinguo minorem, & explico D. Thomam: relatio importata in origine non constituit prout importata in origine, concedo maiorem: prout importatur in filiatione paternitate, vel Spiritu Sancto, nego minorem, & consequentiam: nam quamuis eadem relatio sit, quæ in origine includitur, & quæ nomine relationis significatur, non constituit prout in origine includitur, constituit autem prout importata nomine relatiuo, ob rationem dandam infra. Et quidem D. Thomas non potest contra nostrã conclusionem adduci, nisi vt contradictio in illius doctrina inferatur, quæ dato, quod posset in diuersis locis de Angelico Doctore præsumi; in vno tamen, & eodem testimonio, quis audebit contradictionẽ ipsi attribuere? Loco autem in contrarium adducto, expressè docet filiationem constituere personam Filij, his verbis: *Impossibile est igitur dici, quod hypostasis Filij constituatur sua natiuitate, nisi in quantum intelligitur, quod natiuitas eius terminatur ad aliquid per quod formaliter constituit; ipsa autem relatio, ad quam terminatur natiuitas eius, est filiatio: oportet ergo, quod filiatio sit formaliter constituens, & distinguens hypostasim Filij.* Post quæ verba immediatè sequũtur, quæ in argumento adducuntur: mens ergo D. Thomæ est relationem constituere Filium in ratione personæ, non quidem vt origine explicatur, nec quatenus in origine includitur, sed vt significata nomine filiationis, vel Filij, cuius rationem discriminis inferius examinabimus.

Ad vltimam antecedentis probationem, concessa maiori, nego minorem: ad illius probationem prætermisso antecedenti, nego consequentiam: nam ideò est probabile relationem in creatis terminari ad aliquid absolutum, quia in creatis relatio, & absolutum possunt realiter distingui, quæ distinctio ad terminationem istam exigitur: non autem est probabile, quod relatio in diuinis possit à perfectione, vel modo absoluto realiter distingui, & cum hæc distinctio necessaria foret ad terminationem relationis per absolutum saluandam: fit consequens, quod nequeat esse probabilis terminatio relationis diuinæ ad aliquid absolutum. 106 *Ad vlt.*

§. VII.

Vltimum argumentũ proponitur, & examinantur duo modi dicendi.

107 *Ad vlt. arg.* DEnique arguitur: paternitas non constituit Patrem in ratione personæ: ergo nulla relatio in diuinis personam in ratione personæ constituit, ac proinde personæ diuinæ constituuntur per aliquid absolutum. Secunda consequẽtia ex prima euidenter colligitur, prima ex antecedenti, vt enim docet

D.Thomas q. 8. de potentia art.3. *Omnium hypostasum eiusdem naturæ est eadem ratio constitutionis*: ergo si Pater, absoluto, & non per relationem constituitur, idem erit de alijs personis naturæ diuinæ asserendum.

Antec. ostenditur 1.

Antecedens autem ostenditur primo: nullum enim suppositum, vel persona habet formam sui constitutiuam per propriam actionem, cum constitutio rei ad propriam actionē supponatut; sed Pater habet paternitatem per propriam actionem, Paternitas namque supra generationē fundatur, & illa mediante habetur, quæ est propria operatio Patris: ergo Paternitas non constituit Patrē in ratione personæ.

108 *Secūdo.*

Secundo: Pater namque pro priori ad generationem supponitur constitutus in ratione personæ, cum operans prius sit, quam operetur; sed Paternitas non conuenit Patri pro priori ad generationem, sed subsequenter ad illam, vt docet Phylosophus 5. *metaphysicæ textu* 20. ergo Paternitate non constituitur in ratione personæ.

Tertio.

Tertio: nā si Pater paternitate constitueretur in ratione personæ, sequeretur futurum esse Patrem quantumuis non generaret; consequens absurdum est, & chimericum: ergo antecedens est falsum. Probatur sequela: si constitueretur paternitate persona, esset Pater pro priori ad generationem, cum præcedenter ad illam intelligatur constitutus in ratione personæ; ac per consequēs antecedenter ad illam intelligatur paternitas, quæ, vt supponitur, est forma cōstituens; sed quod est prius alio, esset, hoc posteriori per impossibile ablato: ergo si Pater constitueretur paternitate in ratione personæ, sequeretur fore Patrem, quamuis per impossibile non generaret.

109 *Quarto*

Quarto, quod subsequitur ad aliquid non constituens, sed supponēs Patrem constitutum in ratione personæ, nō potest ipsum in ratione personæ constituere; sed Paternitas subsequitur ad generationem, cum fundetur super illam, generatio autē nō constituit, sed constitutum supponit Patrem in ratione personæ: ergo Paternitas non constituit, sed constitutum supponit Patrem in ratione personæ.

Quinto.

Quinto: nam sequeretur Filium non habere esse per generationem; consequens est hæreticum: ergo antecedens est falsum. Probatur sequela primo: nam relatio innascibilis, aut Paternitatis petit exercere suū actum secundum, circunscripta omni actione inter actum primum, & secundum: ergo si hæc relatio conuenit Patri antecedenter ad generationem, qualiter vt constituat requiritur conuenire, circunscripta generatione, exercet suum actum secūdum; sed exercitium istius relationis nequit esse, nec intelligi, non existente, & intellecto Filio: ergo Filius habet esse, circunscripta generatione, & independenter ab illa. Secundo probatur, & explicatur amplius pro batio præcedens: nam pro quocumque signo intelligitur paternitas, aut Pater, intelligitur etiam & Filius, cum relatiua sint simul cognitione, & natura; sed si paternitas constituit Patrem in esse personæ, intelligitur pro signo priori ad generationem; cum Pater in ratione personæ generationem præcedat: ergo intelligetur Filius existens pro priori ad generationem; & consequenter independentēr ab illa; nam quod generationem præcedit, est à generatione independens.

110 *Primus modus dicendi.*

Hoc argumentum est, cui præcipue contraria sententia fidit, & ob sui difficultatem in varios dicendi modos diuisit auctores nostræ sentētiæ. Primus est, quē tenet Vazquez *disp.* 159. *cap.* 5. *& sequentibus*, vbi post impugnatas hinc inde varias Theologorum sententias, fatetur illo conuinci, Patrem non constitui in esse personæ secundū conceptum, quem viatores formamus, Patrem in esse personæ ante generationem concipientes, per paternitatē,

quæ

quæ est prædicamentalis relatio, & in genuisse fundatur. Vt autem saluet primam personam non absoluto, sed relatione constitui, docet formã illius constitutiuam esse proprietatem innascibilis, quæ licet negatione explicetur, non tamen in negatione, sed in aliquo positiuo consistit, non absoluto, sed relatiuo, non quidem relatione reali, sed relatione rationis. Nec obstat, inquit, *cap. 7. num. 32.* relationem innascibilis, & fontalis principij esse relationem rationis vt Patrem constituat in esse personæ: nam cum constitutio ista non realis entitatiua, nec realis formalis sit, sed constitutio rationis, & per nostrum intellectum, non obstat intelligi fieri per relationẽ rationis. Quod etiam repetit *quæst. 40. in cõmentario art. 3.*

111 *Nõ placet.* Hæc tamen doctrina non placet: nam licet constitutio personæ diuinæ non sit realis, sed rationis ex defectu distinctionis realis inter constituentia, inter se, & à constituto: cõstitutum tamen est reale; sicut constitutio hominis per rationale non est realis, sed rationis, attamen constitutum reale est: ergo quamuis cõstituentia solum distinguãtur ratione, debent tamen esse realia: nam cõstitutum reale nequit per aliquid rationis constitui; sed relatio illa innascibilis, & fontalis principij non est realis, sed rationis: ergo per illam nequit Pater diuinus constitui in esse persona, aliàs Pater in ratione personæ non esset aliquid verum, & reale; sed confictũ, & rationis, quod absurdum est asserere.

112 *Euasio excludi tur.* Si fortè dicatur, doctrinam Vazquij non sic esse intelligendam vt relatio rationis innascibilis, & fontalis principij in suo esse formali personam Patris constituat, sed tantum pro fundamento, fundamentum autem istius relationis est reale, ac proinde aliquo reali, quamuis sola ratione distincto constituitur persona Patris. In contrarium obstat: nam si non relatio rationis, sed illius fundamentum personam Patris constituit, non euacuatur argumenti difficultas, sed in suo pondere perseuerat: si namque est aliquid reale, & non quid reale absolutum, erit reale relatiuum: ergo vel ratione a paternitate distinctũ, vel ipsa paternitate; non primum, vt postea ostendemus: ergo asserendum est secundum, & cõsequenter soluenda, quæ in argumẽto opponuntur contra relationem paternitatis.

113 *Secũdus modꝰ di cendi.* Secundus modus dicendi quadruplicem rationem meditatur in Patre, obiectiuè præcisiuè distinctam, scilicet paternitatem, quæ est prædicamentalis relatio supra genuisse fundata; actualem generationem, quæ est relatio transcendentalis ad filium vt genitum, vel vt qui genitus est; potentiam actiuam proximè, quæ est relatio transcendentalis ad filium vt proximè generabilẽ. Et radicale principium, & fontale duarum personarum, quæ est etiam relatio transcendentalis habens pro termino Filium, & Spiritum Sãctum vt producibiles radicaliter, non ex æquo, sed ordine quodam, prius Filium, & mediante Filio, Spiritũ Sanctum, admodum quo natura rationalis in ratione radicis non respicit intellectionem, & volitionem æque primo, sed primo comparatur ad intellectionem, & deinde ad volitionẽ; quas quidem relationes, omnes dicunt esse in prædicamento relationis loquendo in creaturis, non tamen omnes sunt prædicamentales, sed sola paternitas.

114 Qua doctrina, præsupposita dicunt huius solutionis; & modi dicendi auctores, Patrem non constitui in esse personæ per paternitatem, quod argumentum Scoti conuincit, nec per relationem transcendentalem generationis, nec potentis proximè generare: sed per relationem radicalis, & fontalis principij personarum procedentium: quod docẽt speciale esse in prima Trinitatis persona: nam secunda, & tertia, inquiũt, constituuntur filiatione, & spiratione passiua, quæ sunt prædicamenta-

les

les relationes. Ita Alarcon *tract. 5. de Trinitate disp. 4. cap. 8.* pro se referens Bonãuenturã *in 1. distinct. 27. in 2. p. art. 1. quæst. 2.* Henricum *2. p. summæ art. 58. quæst. 4.* Alexandrum *in 1. quæst. 48. membro 4. art. 3.* Ruicium *disp. 90. solutione 1. & disp. 91. sectione. 2.* Et quod magis est D. Thomam, eo quod asseruit paternitatem vt formã hypostaticam constituere primam personam, & antecedere actum generationis, per modum autem relationis ad generationẽ subsequi,& pẽrsonam constitutam supponere. Quo iure etiam potest omnes Thomistas pro sua sententia allegare, cũ omnes in doctrina illa D. Thomæ conueniant,licet non vno modo explicata.

115 *Reijcitur 1. quia D. Tho. adversatur.*

Hic tamen modus dicendi multis titulis D. Thomæ doctrinæ aduersatur. Primo,in eo quod diuersimodê sentit loquendum de constitutione primæ personæ,& aliarum Sãctissimæ Trinitatis, cuius contrariũ expræssê sentit D. Thomas *quæst. 8. de potentia art. 3.* vbi postquam docuerat Filium non origine, sed filiatione personalitêr constitui , sic infert : *Et quia omnium hypostasum eiusdem naturæ, est eadem ratio cõstitutionis, & distinctionis, ideo similitèr oportet ex parte Patris intelligere, quod hypostasis Patris cõstituatur, & distinguatur ipsa paternitate, non autem generatione, neque relatione inclusa.* Quibus in verbis multipliciter Angelicus Doctor istius auctoris doctrinæ aduersatur. Primo : nam docet omnium hypostasum naturæ diuinæ esse eandem rationem constitutionis , & distinctionis , cuius cõtrarium ab isto auctore docetur. Secundo : nam docet D. Thomas Patrem paternitate constitui , quod non potest in sensu identico accipi. Tum , quia in sensu identico etiam diuinitate , & spiratione actiua constituitur,id est, aliquo identificato cum illis. Cum autem id asserere , & friuolum esset, & D. Thomæ contrarium. Tum etiã, quia docet constitui hypostasim Patris paternitate, sicut hypostasis Filij constituitur filiatione , Filius autem filiatione formaliter constituitur. Tum denique:nam in sensu idẽtico etiam constituitur Pater generatione actiua,negat autem D. Thomas hypostasim Patris constitui generatione actiua,& docet constitui Paternitate: & consequenter loquitur de paternitate in sensu formali. Sed in doctrina istius Authoris solum potest saluari Patrem constitui paternitate in sensu identico , idest, aliquo identificato paternitate realiter;cum relatio fontalis principij obiectiuê præcisiuê, & virtualiter à paternitate distinguatur, per quam docet personam Patris constitui: ergo istius Authoris doctrina Angelico Doctori aduersatur.

116 *Aliud D. Tho. testimonium.*

Eidem etiam repugnat in eo quod docet,potentiam generatiuam , & fontale Trinitatis principium relatione reali transcendentali cõstitui, cuius contrarium expresse docet D. Thomas *in 1. dist. 23. quæst. 1. art. 3. in fine*,illis verbis : *Inuenimus enim in diuinis quatuor modos significãdi: aliquid enim significat absolutum per modum absoluti , vt Deus: aliquid relationem per modũ relationis, vt Pater : aliquid absolutum per modum relationis, vt potentia generandi: aliquid relatum per modum absoluti vt persona*: sẽtit ergo D. Thomas potentiam generatiuam non relatione , sed absoluto constitui,ac proiside sententia huius Authoris oppositum asserentis illius menti aduersatur.

117 *Tertiũ testimoniũ D. Th.*

Denique contra D. Thomam docet,principium radicale generandi in diuinis relatione transcendentali constitui. Cuius oppositum expressê docetur ab Angelico Doctore *in hac prima parte quæstione 41. articulo quinto in corpore*, ea ratione;quia nempê genitum est simile generanti in principio *quo* agendi,Filius autem in diuinis non assimilatur Patri in relatione prædicamentali,aut transcendẽtali , qua res-

pi-

piciat ipsum vt genitum, vel vt generabilem, sed in natura diuina; & consequenter principium *quo* radicale generandi non consistit in relatione, siue transcendentali, siue prædicamentali.

118 *In prædicamẽto relationis nõ sunt relationes trãscendentales.*

Deinde falsum est, quod prædictus Author docet, nempè in prædicamento relationis inueniri relationes prædicamẽtales, & relationes transcendentales. Tum, quia prædicamentalis relatio in creaturis dicitur talis, quia spectat ad prædicamẽtum relationis: ergo si in hoc prædicamento etiam essent constitutæ relationes transcendentales dicerẽtur, etiam prædicamentales. Tum etiam, quia prædicamentum relationis non transcendit omnia genera, sed ab illis condiuiditur, vt genus generalissimum, in cõmuni metaphysicorum sententia; relatio autem transcendentalis per omnia genera accidentium diffunditur, & in illis inuenitur, nullũ enim datur accidens, quod saltim ad subiectũ non dicat ordinem transcendentalem, cum ab illo dependeat, saltim in genere causæ materiali receptiuæ. Tú denique: nam ex oppositio fieret omnia accidentia esse in prædicamento relationis, imò accidens vt sic, diuisum in nouem prædicamenta, accidentium deberet in prædicamento relationis constitui, quorum vtrũque falsum est, & à metaphysica alienum. Patet sequela: vt enim proximè dicebamus, omne accidens ad subiectum refertur relatione transcendentali: accidens etiam vt sic per ordinem ad subiectum distinguitur à substantia, & in esse constituitur: ergo si ordo transcendentalis creatus est in prædicamento relationis, omne genus accidentis, & accidens illis commune spectat ad prædicamentum relationis.

119 *Nõ datur in Deo relatio trãscendẽtalis.*

Sed quidquid sit de hoc, in relatione transcendentali creata, quod ad metaphysicam spectat, non reperiri in Deo relationem transcendentalem, probatur: nam relatio transcendentalis est relatio dependentiæ effectus à causa; at in Deo vna persona non dependet ab alia, nec ab illa causatur, quamuis producatur ab illa, Pater autem nec causatur, nec producitur: ergo non datur in Deo transcendentalis relatio. Minor cum consequentia tenet, maior autem probatur: nam relatio transcendentalis distinguitur à relatione secundum dici, quæ in connexione consistit, & à nobis aliter explicari non potest, nisi ad modũ relationis, vt in omnipotẽtia respectu possibilium cõtingit, at nisi relatio trãscẽdentalis in dependentia consistat, non est per quid distinguatur à relatiuo secundum dici, siue reali connexione: ergo transcendentalis relatio consistit in dependentia.

120 *Deinde reijcitur modus iste dicendi.*

Deinde hic modus dicẽdi reijcitur primo: nam si daretur in Patre relatio transcendentalis producentis, productiui proximè, & radicalis principij, etiam in Filio constituenda esset relatio transcendentalis actualiter producti, producibilis proximè, & producibilis radicaliter: at in Filio istæ relationes non dantur: ergo nec in Patre cõstituendæ sunt.

Minor Patet.

Minor constat ex doctrina Authoris contrarij asserentis, Filium filiatione, quæ est prædicamentalis relatio constitui in esse personæ; at si huiusmodi relationes transcendentales reperirẽtur in Filio, non filiatione, quæ est prædicamentalis, sed relatione transcendentali radicaliter generabilis constitueretur in ratione personæ, cum constitutiuũ rei sit; quod primo in illa intelligitur cum fundamento in re ipsa; talis autem foret relatio radicaliter producibilis, cum hæc relationem proximè producibilis, & actu producti praeiret, ac proinde Filium in ratione personæ constitueret: ergo relatio ista transcendentalis; & consequenter aliæ non reperiuntur in Filio.

121 *Sequela prob. 1.*

Sequela vero probatur primo: nam idcircò relationes illæ constituuntur in Patre, quia inuenitur in

illo,

illo, & actu generare, & potentia proxima generandi, & principiũ radicale perſonarum procedentium; ſed etiam reperiuntur in Filio actu generari, eſſe generabilem proximê, & eſſe radicaliter generabilem: ergo ſi dantur in Patre tres relationes tranſcendentales, generantis nempê actualiter, potentis proximê generare, & principij radicalis, dabuntur etiam in Filio tres illi correſpondẽtes, ſcilicet actu geniti, vel generationis paſsiuæ, proximê generabilis, & generabilis radicaliter.

122 *Secundo prob.* Secundo: nam ideô in prædicti Authoris ſententia, relationes potentis proximê generare, actualiter generantis, & principij radicalis, ſunt tranſcendentales, & non prædicamẽtales; quia terminantur ad Filium, non vt purum terminum, ſed vt productum, vel vt producibilẽ; ſed Filius vt actu genitus, vel proximê generabilis reſpicit Patrem vt producentem, & vt potentem producere; & conſequenter non vt purum terminum in iſtius Authoris principijs: ergo ſi illæ relationes ſunt tranſcendentales in Patre, iſtæ erunt nõ prædicamentales, ſed tranſcendentales in Filio.

123 *Præterea reijcitur.* Secundo reijcitur: nam ſi ille tres relationes reperiuntur in Patre, erunt in ipſo admittendæ tres prædicamentales virtualiter diſtinctæ; at hoc expreſsê à prædicto Authore negatur: ergo etiam tranſcendentales tenetur negare. Sequela probatur primo: quia namque datur in Patre ratio generantis actu, quæ in ſententia iſtius Authoris eſt relatio tranſcendentalis, datur etiam relatio prædicamentalis ſupra actualem generationem fundata: ergo ſi præter relationem tranſcendentalẽ generantis, datur relatio tranſcendentalis potentis proximê generare, & radicalis principij, erunt conſtituendæ in ipſo relationes prædicamentales huic duplici relationi reſpondẽtes, & ſuper illas fundatæ. Secundo probatur: quia namque in creaturis dantur illæ relationes tranſcendentales diſtinctæ realiter, fundant tres prædicamentales cum eadem diſtinctione: ergo ſi dantur in Deo tres relationes tranſcendentales virtualiter diſtinctæ, tres prædicamentales cum ſimili diſtinctione fundabunt. Denique probatur ſequela: quia ſemel conceſſa in Patre relatione trãſcendentali potentis proximê generare, nulla eſt ratio aſsignabilis, cur in illa non fundetur relatio prædicamentalis à relatione actu generãtis virtualiter diſtincta: ergo admiſſis tribus illis relationibus tranſcendentalibus, neceſſario admitti debent tres reſpectus prædicamentales.

Dices, eam eſſe rationem: quia nempê relatio prædicamentalis petit terminari ad terminum actu exiſtentem, potentia autem generatiua Patris, & vis productiua radicaliter non reſpiciunt Filium, quatenus actu exiſtentem, ſed vt poſsibilem, & ideô fundare nequeunt relationem prædicamentalem diſtinctam à paternitate, quæ ſupra genuiſſe fundatur.

124 *Reſp.*

Sed contra primo: nam in creaturis omnis relatio tranſcendentalis fundat prædicamentalem in ordine ad ſuum terminum, ſuppoſito quod exiſtat; & tamen non omnis relatio prædicamentalis creata petit terminum actu exiſtentem, vt omnibus eſt manifeſtum: ergo quod potẽtia generatiua Patris vt poſsibilem Filiũ reſpiciat, & illius exiſtentiã non petat, non probat, quod nequeat fundare relationem prædicamentalem terminatam ad Filium vt generabilem, ſuppoſito quod exiſtat.

Sed contra 1.

Contra ſecundo: nam potentia generatiua Patris taliter reſpicit Filium, quod petit eſſentialiter exiſtentiam illius: ergo ex iſto capite nõ eſt incapax fundare relationem prædicamentalem ad Filium. Antecedens oſtenditur primo: nam quęuis potentia eo modo petit terminum, quo petit actionem productiuã termini; ſed potentia generatiua Patris, etſi virtualiter ab actuali gene-

125 *Secũdo.*

ratione diſtinguatur, illam petit eſſentialiter vt actu exiſtentem: ergo etiam petit eſſentialiter exiſtentiam Filij. Secundo: nam potentia generatiua Patris reſpicit Filium vt generabilem generabilitate, & poſsibilitate diuina; ſed poſsibilitas diuina vt à poſsibilitate creata diſtincta, eſſentialiter connectitur cum actuali exiſtentia: ergo potentia generatiua Patris reſpicit Filium vt eſſentialiter cum actuali exiſtentia connexum; & conſequenter eſſentialiter petit actualem exiſtentiam in illo.

126 *Præterea reijcitur.*

Tertio reijcitur: ideò namque à Theologis ex Scriptura colligitur perſonas diuinas conſtitui, non per modos abſolutos, ſed per relationes, quia in illa nobis traduntur nominibus relatiuis, ſcilicet Patris, & Filij; at hoc argumentum, vel probat non cõſtitui Patrẽ per relationẽ illam tranſcendentalem à paternitate diſtinctam, vel non probat non conſtitui per aliquid abſolutum: ergo vel fatendum eſt argumentũ eſſe inefficax, vel dicendum, Patrem, nõ relatione tranſcendenti à paternitate diſtincta, ſed paternitate cõſtitui. Probo minorem: Pater non magis ſignificat relationẽ tranſcendẽtalẽ, quã ſignificaret modum abſolutũ, ſi in Deo reperiretur; ſed inde colligũt Theologi Patrem non conſtitui abſoluto, quia nomen Patris, quo perſona Patris nobis in Scriptura explicatur, illum modum non ſignificat, ſed relationem paternitatis: ergo eodem modo debet inferri, non conſtitui relatione tranſcendentali.

127 *Quarto reijcitur.*

Quarto: inde namque probant Theologi Perſonas Diuinas relationibus conſtitui, & non modis abſolutis; quia iuxta commune axioma: in diuinis omnia ſunt vnum, vbi relationis oppoſitio non obuiat; ſed hoc axioma non poteſt intelligi de oppoſitione relatiua tranſcendentali, ſed tantum de prædicamentali: ergo vel fatendum eſt argumentum eſſe inefficax, quo admiſſo totum robur noſtræ ſententiæ infirmatur, vel dicendum, nullam perſonam diuinam relatione tranſcendentali cõſtitui.

128 *Minor oſtenditur 1.*

Minor, in qua ſola eſt poſita difficultas, oſtenditur primo: nam axioma illud ſemper intellectum eſt de oppoſitione relatiua, quæ eſt propria prædicamenti relationis; ſed oppoſitio relatiua tranſcendentalis non eſt propria huius prædicamenti, ſed communis alijs generibus, ſicut & ipſa tranſcendentalis relatio diuagatur per alia accidentis genera: ergo non poteſt intelligi de oppoſitione relatiua tranſcendentali, ſed neceſſario eſt accipiendum de oppoſitione prædicamentali relatiua.

129 *Secũdo.*

Secundo: nam illa, quæ in creaturis opponuntur relatiuè ſolum tranſcendentaliter, translata ad Deum non retinent realem oppoſitionem; vt cõſtat in actione, & principio, potentia, & obiecto: in natura, & proprietatibus, hæc enim omnia in creaturis opponuntur relatiuè tranſcendentaliter; actio namque ad principium refertur tranſcẽdentaliter, & ſimiliter potentia ad obiectum. Ac denique proprietates ad naturam important reſpectũ tranſcendentalem & tamen, quia nõ conſtituuntur per reſpectum prædicamentalem realem, actio, & principiũ in Deo, nõ opponuntur realiter trãſcendentaliter, nec potentia cum obiecto, nec proprietates cum natura diuina: ergo quia ſola oppoſitio relatiua prædicamentalis eſt potens in Deo realiter multiplicare; & conſequenter ſola prædicamentalis relatio erit potens cõſtituere perſonam diuinam.

Tertio.

Tertio: nam axioma illud ab omnibus intelligitur de relatiua oppoſitione per relationem, quæ abſolutè eſt relatio: vnde omnes inferunt perſonas abſolutè conſtitui per relationes, ſed vt Author, quem impugnamus fatetur, relatio tranſcẽcendentalis non eſt abſolutè relatio: ergo non intelligitur de oppoſitione relatiua tranſcendentali, ſed de prædicamentali.

Et ex his vltimo reijcitur modus iste dicendi, sequitur namque ex illo esse absolutè dicendum personas diuinas constitui per modos absolutos; consequens aduersatur communi modo loquendi, & sentiendi Theologorum : ergo & sententia, quam impugnamus. Probatur sequela: relatio transcendentalis non est relatio absolutè, sed aliquid absolutum: ergo si personæ diuinæ, vel omnes, vel aliqua constituuntur relatione non prædicamentali, sed transcendentali, absolutè erit dicendum personas diuinas constitui, non per aliquid relatiuum, sed per aliquid absolutum. Antecedens cõstat primo ex Authore, quem impugnamus: ipse namque *disputatione relata cap. 7. num. 7.* expressè docet relationes transcendentales, simpliciter relationes non esse: ergo simpliciter sunt aliquid absolutum : non enim datur medium in eo, quod simpliciter est aliquid, inter esse relatiuum simpliciter, vel absolutum simpliciter. Secundo: nam habitus, & potentia constituuntur per transcẽdentales ordines ad obiectum; & tamen absolutè, & simpliciter sunt accidentia absoluta, & non relatiua: ergo relatio transcendentalis non est absolutè, & simpliciter relatio, sed aliquid absolutum.

130 *Deniq; reijcitur.*

131 *Vrgetur ad hominem.*

Et vrgeo ad hominem cõtra præfatum Auctorem, qui loco nuper allegato fatetur, non esse admittendas in Deo plures relationes reales prædicamentales, quam quatuor : quia commune Theologorum axioma solum quatuor recognoscit in Deo, cui opponeretur, qui asseret esse plures vltra quatuor; quia relatio prædicamentalis est absolute, & simpliciter relatio, posset tamen absque eo quod huic contradicatur axiomati, plures relationes transcendentales admitti, quia relatio transcendentalis non est absolutè, & simpliciter relatio ; sed etiam communis Theologorum sententia, imò axioma Theologorum commune docet personas diuinas relationibus constitui : ergo negans constitui relationibus prædicamentalibus, & docens relationes constituentes personas esse transcendentales se opponit communi Theologorum sententiæ, & axiomati asserenti personas diuinas relationibus constitui.

Nec motiua contrariorum, quibus ad relationes istas in Deo adstruendas ducuntur, alicuius ponderis sunt. Arguunt primo: nam principium proximum generandi, seu potentia generatiua constituitur per respectum ad genitum; sed respectus iste prædicamentalis non est, cũ non respiciat terminum vt actu existentem, sed vt possibilem; nec vt purum terminum, sed vt producibilem: ergo constituitur respectu transcẽdentali.

132 *Arg. 1.*

Secundo, quia vt docet D Thomas *supra quæst. 28. art. 3.* cui tribuitur aliquid propriè, tribuitur etiam, quod est de ratione illius; sed in Deo sunt productiones reales ad intra : ergo sunt in Deo relationes transcendentales: nã de ratione productionis abstrahentis à creata, & increata est respectus transcendentalis ad terminum: sicut de ratione paternitatis sic abstrahentis, est respectus prædicamentalis, neuter nãque imperfectionem dicit.

133 *Secũdo.*

Tertio : nam generatio diuina conuenit cum humana, non minus quam paternitas diuina cum paternitate humana: sed paternitas diuina participat rationẽ respectus prædicamentalis inclusi in paternitate humana : ergo generatio diuina participat rationem respectus transcendentalis inclusi in generatione humana.

134 *Tertio.*

Denique, quamuis non essent in Deo paternitas, & filiatio, sed solum generatio actiua, & passiua, adhuc essent respectus reales producẽtis ad productum, & producti ad producentem : sicut generatio creata, etiam paternitate præcisa ; vel non subsequuta, est realis respectus; sed in tali casu non essent respectus prædicamentales: ergo essent transcen-

135 *Deniq;*

cendentales ; & consequenter sunt etiã modo huiusmodi respectus admittendi.

Cõfirm. Quod potest amplius vrgeri: generatio diuina secundum explicitũ conceptum originis,& productionis dicit respectum ad genitum;cũ non possit intelligi,non cointellecto termino genito;sed sub hac expressione non est respectus prædicamentalis,aliàs exprimeret rationem paternitatis,cum in Patre nulla detur prædicamentalis relatio distincta à paternitate: ergo vt sic est transcendentalis relatio.

136 *Ad 1. resp.* Hæc tamen nihil vrgent:ad primam respondeo ex doctrina D.Th. *in 1.distinct.23.q.1.art.3. in fine*, negando maiorem:nam potentia generandi in Deo significat aliquid absolutum ex parte rei significatæ, & solum relatiuum ex modo significandi, qui à nobis ad modum relationis accipitur. Quæ doctrina est intelligenda de potentia generãdi pro recto: nam de connotato relationẽ realem importat,non transcendentalem,sed prædicamentalem;potentia enim generandi est intellectus, prout in Patre,seu paternitate connotata. Quod si de hoc respectu de connotato ingrediente potẽtiam generatiuam,probationes minoris procedant;dicatur,paternitatem vt cõplentem potentiam generatiuã respicere Filium vt possibilem possibilitate diuina,ac proinde vt essentialiter cum existentia actuali connexã, & vt actu existentem. Respicit etiam Filium vt purum terminum, puritate excludente dependentiam,& causalitatem,non autem realem productionem passiuam. Prima autem puritas sufficiens est ad rationem respectus prædicamentalis, quia realis productio passiua sine dependentia reali non sufficit ad rationem relationis transcendentalis, vt ostendebamus *supra*, & ideô illius exclusio non petitur à prædicamentali relatione.

137 *Ad 2.* Ad secundam,concessis maiori, & minori,nego cõsequentiam,quam non conuincit probatio: nam de ratione operationis abstrahẽtis à creata,& increata, nó est respectus transcendentalis,sed vel trãscendentalis, vel prædicamentalis; ille de conceptu operationis increatæ, quia non à termino, nec à principio dependet; ille de conceptu operationis creatæ dependentis ab vtroque , à principio vt efficiente,& specificante , à termino vt finalizante,& vt fine specificante.

138 *Ad 3.* Ad tertiam,nego maiorem:nam paternitas diuina conuenit cum humana,& in ratione paternitatis,& in qualitate respectus,vtraque namque dicitur prædicamentalis, generatio autem diuina , etsi cum humana in ratione generationis conueniat,non tamen in qualitate respectus; creata namque constituitur dependentiæ respectu , qui transcendentalis est, diuina autem respectu absque depẽdentia,qui non est transcendentalis, sed prædicamentalis, & quidem eodem argumento probaretur personã diuinam per absolutum constitui,sic arguendo. Non minus conuenit personalitas diuina cum personalitate creata,quam paternitas diuina cum creata paternitate ; sed paternitas diuina participat respectum prædicamentalem incluſum in paternitate creata : ergo personalitas diuina participat rationem absololutam intellectam in personalitate creata: sicut ergo maior istius argumenti est falsa , quia licet personalitas diuina in ratione personalitatis conueniat, non conuenit in absoluto : ita maior argumenti est falsa ob rationem assignatam.

Retorquetur argum.

139 *Ad vlt. obiectionem.* Ad vltimam,nego maiorẽ,ablata namque à Deo relatiua oppositione,non est in ipso realis personarum distinctio , & consequenter, nec realis productio formaliter, sed ad summum virtualiter , sicut intellectio à natura diuina, non reali formali,sed tantum virtuali egressu oritur. Et similiter volitio,& cætera attributa diuina , non realiter formaliter,sed virtualiter solum dimanãt

à natura Dei; quia inter illa realis oppoſitio relatiua prædicamentalis non eſt.

140 *Si dicas* Si dicas, conceptus realis productionis prior eſt conceptu relationis; ſed prius non dependet à poſteriori: ergo ablato per impoſsibile à Deo conceptu relationis, remaneret realis productio.

Reſp. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: eſt prior relatione ſub munere referentis, concedo maiorem: ſub munere hypoſtaticè ſubſiſtentis, nego maiorem, & conceſſa minori nego conſequentiam.

Replica bis. Sed dices: ergo ſaltim daretur in Deo realis productio, quamuis non eſſet in ipſo relatio ſub munere reſpicientis. Patet conſequentia: nã relatio ſub munere hoc poſterior eſt productione.

Reſp. Reſpondeo negando conſequentiam. Ad probationem dicatur, munus illud vt expreſſum, eſſe productione poſterius, quia tamen vt implicatum in munere ſubſiſtentis relatiui, præcedit, & non ſtet munus hoc vt implicatum, abſque ſe ipſo vt in alio poſteriori explicato; fit conſequens, vt relatiuo munere ablato, nequeat eſſe in Deo realis productio.

141 *Ad confirm.* Ad confirmationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: non eſt reſpectus prædicamentalis ſub munere adæquato reſpectus prædicamentalis diuini, concedo minorem: ſub inadæquato munere, nego minorem, & conſequentiam. Nec ſequitur generationem Paternitatem exprimere, quia paternitas exprimit munus reſpiciendi Filium, vt Filium: generatio autem non reſpicit munus hoc, nec illud exprimit, ſed reſpiciẽdi Filium vt genitum, quod quidem munus eſt inadæquatum paternitatis diuinæ. Sicut paternitas ſub munere formæ hypoſtaticæ ſubſiſtentis non eſt aliquid abſolutum, ſed relatiuum, non tamen eſt paternitas ſub munere referentis, quia hoc munus nõ exprimit, ſed exigit, & involuit. Doctrina huius ſolutionis procedit in ſententia aſſerente, generationem in recto conſiſtere in relatiuo: nã in ſententia, quam veriorem iudicauimus *ſupra d. 1. p.* 71. quod ſcilicet generatio in recto conſiſtit in abſoluto, de connotato importante relationem, conſequenter eſt aſſerendum eſſe aliquid abſolutum ex parte obiecti ſignificati, & ſolum ex modo ſignificandi relatiuum, vt ex D. Thoma de potentia generatiua dicebamus ſupra.

142 *Replica bis.* Sed adhuc contra ſolutionem inſtabis: generatio exprimit munus reſpiciendi; ſed non exprimit munus reſpiciendi prædicamentaliter: ergo exprimit munus reſpiciendi tranſcẽdẽtaliter. Maior cõſtans videtur, nõ enim poteſt generatio pro explicito concipi ſine termino genito, ac per conſequens explicat reſpectum ad illum. Minor autem probatur primo: quia reſpectus prædicamentalis eſt ad terminum vt ad purum terminum, reſpectus autem in generatione expreſſus hac puritate non gaudet, ſed illum vt genitum reſpicit: ergo non exprimit munus reſpiciendi prædicamentaliter. Secundo: nã ſi explicaret munus reſpiciendi prædicamentaliter, exprimeret munus paternitatis; hoc non exprimit: ergo idem quod prius. Probatur ſequela, exprimeret munus reſpiciendi prædicamentaliter; ſed nõ munus reſpiciendi prædicamentaliter genericè: ergo ſpecificè athomẽ; at non filiationis, nec ſpirationis actiuæ, aut paſsiuæ: ergo exprimeret munus paternitatis.

143 *Reſp.* Reſponderi poteſt primo, negãdo maiorem, ſed exprimit cõnexionem cum genito, quod ſufficit vt ſine illo nequeat intelligi; ſicut omnipotentia ſine poſsibilibus intelligi nequit, quamuis reſpectum non dicat, ſed connexionem tantum cum illis; connexio autem explicata in generatione eſt relatiua, quia implicat munus reſpiciendi. Secundo reſpondeo, conceſſa maiori, negãdo minorem: ad primam probationem dicatur, puritatem petitum in termino à relatione prædicamentali, ſolũ excludere

cludere dependentiam, aut causalitatem, non vero productu sine causalitate, & dependentia. Filius autem diuinus, etsi genitus sit, non tamen à Patre dependet, & ideò à generatione respicitur sufficienti puritate, vt non transcendentaliter, sed prædicamentaliter respiciatur. Ad secũdam dicatur, paternitatem diuinam triplex munus exercere, absque distinctione virtuali adæquata, sed tãtum virtuali inadæquata, aut eminẽtiali, aut ex modo significãdi, nempé formæ hypostaticæ subsistentis, respicientis Filium vt genitum, & respiciendi Filium vt Filium, & secũdum quodvis horum à filiatione, & spiratione distinguitur: generatio ergo exprimit paternitatem, non sub munere respiciendi Filium, vt Filiũ, sed sub munere illum respiciendi vt genitum.

§. VIII.

Examinantur alij modi dicendi.

144 *Tertius meæ dicẽdi, & triplex fundamẽtum.*

TErtia solutio, & modus dicendi est: Paternitatem, quæ in relatione prædicamentali consistit generationem supponere, super illam fundari, ac proinde personam non constituere; paternitas autem diuina nõ est prædicamentalis, sed transcendẽtalis relatio, & ideo nõ supponit generationem, nec super illam fundatur, sed generationem præcedit, & personam patris in ratione personæ constituit. Quod autem Paternitas diuina non sit prædicamentalis, sed transcendentalis relatio, probant Authores huius solutionis primo: quia relatio prædicamentalis est accidens constitutum in prædicamento, Paternitas autem diuina non est accidens, sed substantia; & consequenter non est relatio prædicamẽtalis, sed transcendentalis. Secũdo: nam relatio prædicamentalis est cuius totũ suum esse est ad aliud se habere, id est, illud respicere; sed nõ totum esse paternitatis diuinæ in respiciendo consistit; cum etiam Filiũ producat: ergo non est relatio prædicamentalis. Tertio: nam relatio prædicamentalis respicit terminũ vt purum terminum; paternitas autem diuina non sic comparatur ad Filiũ, sed illum respicit vt productum; & consequenter non est prædicamentalis, sed transcendentalis relatio.

145 *Reijcitur 1.*

Hic tamen modus dicendi non placet, sed reijcitur primo: nã iuxta Magistrum *in* 1. *dist.* 27. §. 2. Pater semper est, quia genuit Filiũ, omnis Paternitas sub aliqua cõsideratione generationem supponit; & cõsequẽter Paternitas etiam diuina aliqua ratione supra generationem fundatur.

Secũdo.

Deinde reijcitur à D. Tho. *locis omnibus supra allegatis*; & præcipue *in præsenti q.* 40. *art.* 4. *m corpore, & solut. ad* 1. & 2. vbi docet; Paternitatem vt relatio est, generationem supponere, supponi vero ad illam sub conceptu subsistentis, & formæ hypostaticæ: ergo Paternitas diuina iuxta D. Th. sub aliqua ratione constitut personam, & sub alia illam constitutam supponit.

146 *Tertio.*

Tertio: nam ex oppositio fieret, dato per impossibile, quod prima Trinitatis persona non generaret secundam, fore nihilominus Patrem; consequens est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur. Absurditas cõsequentis constat primo, quia est cõtra Augustinum *lib.* 5. *de Trinitate cap.* 6. *in principio*, vbi ait, quod si Filiũ non genuisset, nihil prohiberet eum dicere ingenitũ, sed si Filiũ nõ genuisset nõ inesset ei paternitas. Tum etiam, quia implicat mente cõcipere Patrem, non habentem Fi-

lium: nam Pater est Filij Pater, & oppositum non solũ esse, sed nec mẽte potest cõcipi. Sequela vero probatur: nam iuxta hunc modum dicendi Paternitas Diuina non fundatur in generatione, nec illam supponit sub aliquo sui conceptu, sed ad illam adæquatê supponitur; sed prius in quantum prius non dependet à posteriori, maneretque, illo per impossibile sublato, sicut per impossibile voluntate ablata, intellectus maneret, quia est prior illa: ergo ex doctrina traditæ solutionis infertur, Filio per impossibile ablato, vel à prima persona non genito, adhuc remansurum Patrem in ratione Patris.

147 *Conf. 1.* Quod amplius vrgetur, quia namque absoluta in Deo sunt priora notionalibus: proprietatibusque relatiuis, his per impossibile ablatis, adhuc absoluta manerent: ergo si paternitas est prior generatione Filij, hac per impossibile ablata, paternitas diuina maneret, & Pater in ratione Patris constitutus perseueraret.

Secũdo. Explicatur, & vrgetur secundo: id namque dicitur mansurum alio per impossibile ablato, quod hoc non intellecto intelligitur: sed eo ipso, quod paternitas sumpta adæquatê præcedat generationem Filij, generatione non intellecta intelligitur: ergo eo ipso est concedendum mansuram paternitatem per impossibile ablata generatione.

148 *Quarto reijcitur.* Quarto reijcitur: nam paternitas diuina non est transcendentalis, sed prædicamentalis relatio: ergo solutio tradita falso nititur fundamento. Antecedens ostenditur primo: nam relatio prædicamentalis nullam in suo conceptu includit imperfectionem; & consequenter non est releganda à Deo; sed si paternitas relatio prædicamentalis non sit, nulla erit in Deo prædicamentalis relatio: ergo paternitas diuina est relatio prædicamentalis. Secundo: nam relatio transcendentalis, vt dicebamus supra, in respectu dependentiæ consistit, aliàs non distingueretur à connexione reali, & relatione secundum dici; sed paternitas diuina non est respectus dependentiæ à Filio: ergo non est transcendentalis, sed prædicamentalis relatio. Tertio: nam paternitas diuina est absolutê relatio; sed relatio transcendentalis non est absolutê relatio, sed aliquid absolutum: ergo paternitas diuina non est relatio transcendẽtalis, sed prædicamentalis.

149 *Præterea probatur.* Quarto denique: nam si paternitati diuinæ ob suam simplicitatem non repugnaret constitui in prædicamento, non esset in alio, quam in prædicamento relationis: ergo absolutê est dicenda relatio prædicamentalis, non autem transcendentalis. Probo antecedens: si esset in alio prædicamento, esset in prædicamento absoluto: sed hoc asserendum non est: ergo esset in prædicamento relationis. Maior constat, quia non datur, nisi prædicamentum absolutum, & prædicamentum relatiuum: ergo si non est in prædicamento relationis, est constituenda in prædicamento absoluto. Minor autem probatur: nam id, quod si purus actus non esset constitueretur in prædicamento absoluto est formaliter absolutum; sed paternitas diuina non posset dici formaliter absoluta, aliàs asserendum erit personas diuinas modis absolutis, & non relatiuis constitui, contra communem Theologorum sententiam: ergo si Paternitas actus purus non esset, non constitueretur in prædicamento absoluto.

150 *Primũ fundamẽtũ diluitur.* Nec motiua Recentiorum alicuius ponderis sunt. Ad primum, distinguo maiorem: relatio prædicamentalis creata, concedo maiorem: diuina, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Nec paternitas diuina, ideò dicitur prædicamentalis, quia sit in prædicamento, sed vel quia in

prædicamento relationis esset, si non esset actus purus, vel quia cum prædicamentali relatione creata conuenit in respiciendo terminum vt purum terminum.

Ad 2. Ad secundam explico maiorem: cuius totum suum esse est ad aliud se habere per exclusionem dependentiæ termini à relatione ipsum respiciente, concedo maiorem: per exclusionem exercitij dependentiam termini à relatione non constituentis, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: quia licet paternitas per modum connotati constituat Patrem in esse principij producentis Filiũ, & actu illum generantis, hæc tamen principiatio absque depẽdẽtia est, & ideò non extrahit paternitatem à ratione relationis prædicamentalis, quia vt sic extraheret, oportebat, quod ipsam in ratione transcendentalis constitueret, quod tamen non præstat ob rationem sæpê inculcatam.

151 *Ad 3.* Et ex his ad tertiam respondeo, explicando maiorem: puritate excludente dependentiam à termino, respectu relationis, quam terminat, concedo maiorem: excludente productionẽ sine causalitate, & dependentia, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Quæ solutio constat ex dictis.

152 *Si obijcias.* Si dicas: puritas respiciendi in relatione creata excludit à termino, nedum dependentiam, sed etiam productionem comparatiuê ad ipsam relationem: ergo pariter in diuina relatione vtramque debet excludere vt sit prædicamentalis. Patet consequentia: tum à paritate rationis, tum etiam, nam diuina dicitur prædicamentalis, non quia in prædicamento constituatur, sed quia imitatur relationem prædicamentalem creatam in puritate respiciendi terminum; at si creata excludat à termino productionem à se ipsa, non autem diuina, non imitabitur puritatem respiciendi terminũ repertam in relatione creata: ergo prædicamentalis non erit. Tum denique: nam quatenus diuina relatio respicit terminum vt productũ imitatur relationem transcendentalem creatam, nam terminus vt productus in creaturis per relationem transcendentalem respicitur: ergo prout sic non imitatur relationem prædicamentalem creatam; & consequenter non prædicamentalis, sed transcendentalis erit relatio.

153 *Cõfirm.* Et confirmabis: nam paternitas diuina est relatio prædicamentalis in nostra sententia, quia concipitur ad instar paternitatis creatæ respicientis Filium, vt Filium, & per speciem illius; sed in quantum respicit per modum generationis Filium vt genitum, concipitur ad instar generationis creatæ, & per speciem illius, generatio autem creata non respicit prædicamentalitêr, sed transcendentaliter genitum: ergo vt sic, saltim transcendentalis relatio est.

154 *Resp. negãdo cõseq. & paritatẽ rationis.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad primam probationem, nego paritatem rationis, disparitas autem est: nam in creatis productio, absque dependentia non est, & ideo exclusa à termino dependentia, excluditur etiam productio; in diuinis tamen hæc, absque dependentia inuenitur, ac proinde, quamuis diuina relatio respiciat terminum vt purum terminum, puritate excludente dependentiam, non excludit productionem.

155 *Ad 2. prob.* Ad secundam, nego minorem: nam cum productio termini in diuinis, absque omni personæ dependentia sit, non tollit, quo minus relatio illum vt productum respiciens in puritate imitetur relationem prædicamentalem creatam.

156 *Ad 3.* Ad tertiam, nego antecedens: tum, quia non respicit terminum vt dependentem, sed vt absque omni dependentia productum, cuius oppositum in relatione transcendentali creata inuenitur. Tum etiam,

quia

quia respectus transcendẽtalis creatus non comparatur formaliter ad terminum vt productum, sed ad terminum productum materialiter, formaliter autẽ ipsum respicit vt à quo dependet. Vnde omnipotentia, quia à creaturis non dependet, non respicit illas respectu transcẽdentali, sed tantum cum illis reali connexione connectitur, paternitas autem diuina, nullatenus à termino producto dependet, nec specificatiuè, nec in genere causæ finalis, & ideò non imitatur relationem transcendentalem creatam, quamuis illum vt productum respiciat.

157 *Ad confirm.*

Ad confirmationem, nego causalem maioris, aliàs cum personalitas diuina ad instar personalitatis creatæ, & per illius speciem concipiatur à nobis, & personalitas creata sit absoluta, dicendum foret personalitatem diuinam esse in esse rei aliquid absolutum, quod communi Theologorum sentẽtiæ aduersatur. Ratio ergo, cur paternitas diuina dicatur à nobis relatio prædicamentalis, est; quia conuenit cum relatione prædicamentali creata in eo, per quod à transcendẽtali distinguitur, scilicet, in respiciendo terminum, vt purum terminum, puritate excludẽte dependentiam termini ab ipsa. Et quia paternitas, prout generatio est, vel prout per modum connotati cõplet generationem diuinã, non conuenit cum generatione creata in dependentia termini ab ipsa in genere causæ efficientis, nec ipsius à termino in genere causæ specificantis, & finalizantis; fit cõsequens, vt quamuis ad instar generationis creatæ, & per eius speciem concipiatur à nobis, transcendentalis relatio non sit. Addiderim tamen, quod sicut dicebamus *disputatione octuagesima prima* de persona diuina, quod nempè constituitur aliquo in esse rei formaliter relatiuo, absoluto tamen in ratione obiecti significati: ita pariter in ratione generantis constituitur aliquo in esse rei relatiuo prædicamentali; in ratione tamen obiecti significati, transcendentaliter relatiuo, ob rationes ibi traditas, quæ facilè huic distinctioni possunt applicari.

158 *Quart⁹ modus dicendi.*

Quartus modus dicendi, etsi fateatur Paternitatem diuinam, non transcendentalem, sed prædicamentalem relationem esse, quia tamen substantialis est, non eget supra generationem fundari, sed præcedenter ad generationem, intelligitur etiam sub expresso conceptu, & munere referendi; & consequenter prout sic personam Patris constituit. Vnde si paternitas creata generationem supponit, id non habet, quia paternitas est, sed quia creata, & accidentalis. Pro hoc modo dicendi refertur nostrer Sapientissimus Herrera in manuscriptis ad istum articulum.

159 *Fundatur in D. Tho.*

Quæ doctrina videtur fundamentum habere in Diuo Thoma *in præsenti quæstione 40. articulo secundo ad quartum*, vbi docet, quod relatio præsupponit distinctionem suppositorum quando est accidens, si vero subsistens sit non præsupponere, sed secum ferre distinctionem suppositorum: ergo diuina paternitas, quia subsistens, & substantialis est sub expresso relationis conceptu personam Patris distinguit, constituitque; ac proinde non fundatur supra generationem, sed ad illam præsupponitur: *& in primo distinctione vigesima septima articulo tertio in corpore*, quod ita concludit: *Secundum ergo dico, quod ipsa relatio potest tripliciter considerari: vel in quantum est relatio absolutè, & ex hoc non habet, quod præcedat operationem, imò magis, quod sequatur: vel in quantum est relatio diuina, quæ est constituens personam, & est ipsa persona subsistens, & sic præcedit secundum intellectum operationem: vel in quantum est ipsa operatio personalis, & sic sunt idem secundum intellectum, & simul.* Quibus verbis satis videtur innuere D. Tho-

mas, quod paternitas diuina, quamuis ex conceptu relationis ſubſequatur generationem, quia tamen diuina ſubſtantialis, & ſubſiſtens eſt, generationi ſupponitur.

160 *Impugnatur ex D. Tho.*

Sed nec placet modus iſte dicendi, primo: quia vt proximè ex Magiſtro dicebamus, Pater ſemper eſt, quia genuit Filium: ergo diuina paternitas ſub aliqua, ſaltim ratione generationem ſupponit, & ſic per illam fundatur. Secundo: nam D. Thomas *in præſenti q.* 40. *art.* 4. *in corpore*, & *in ſolutionibus argumentorum*, diſtinguit in paternitate rationem relationis, & rationē formæ hypoſtaticæ ſubſiſtentis, & docet ſub priori conſideratione generationem ſupponere, & ſuper illam fundari, ſub alia vero generationem præcedere, & perſonam conſtituere. Quod etiam docuerat *ſupra q.* 29. *artic.* 4. *ad* 1. *Quæſtione* 9. *de potentia art.* 4. *in corpore. Et q.* 10. *art.* 3. *in corpore*, & *ſolutione ad* 5. ergo aſſerere paternitatem ſub expreſſo conceptu relationis ad generationem ſupponi, menti D Thomæ non congruit. Nec contrarium docet locis in fauorem ſolutionis citatis, ſolum enim ſtatuit diſcrimen inter paternitatem creatam, & diuinam, conſiſtens in hoc, quod creata ſub omni conceptu generationem ſupponit, diuina vero non ita, ſed ſub vno cōceptu ſupponit generationem, & ſub alio ad illam ſupponitur.

Tertio impugnatur.

Tertio impugnatur ſolutio ex his, quæ contra tertiam ſolutionem obiecimus: nam ſi paternitas adæquatè ſumpta, generationem præcederet, ſequeretur fore Patrē, dato per impoſsibile, quod non eſſet Filius; conſequens abſurdum eſt: ergo tradita doctrina inſufficiens.

161 *Deniq;*

Denique: nam inter paternitatem ſub munere referentis, & generationem ſumptam actiuè eſt aliquis ordo ſecundum rationem; at nō ita, quod paternitas ſub hoc munere generationem præcedat: ergo ſub iſto conceptu generationem ſubſequitur. Maior eſt expreſſa D. Thomæ *quæſt.* 10. *de potentia artic.* 3. *in corpore*: *in* 1. *diſtinct.* 27. *quæſtione* 1. *art.* 3. *Et in præſenti quæſt.* 40. *art.* 4. Et conſtat: nam paternitas ſub expreſſo relationis conceptu, & generatio diſtinguuntur per rationem: ergo ſeruant per rationē aliquem ordinem inter ſe. Minor etiam in eiſdem locis traditur à D. Thoma. Et probatur; tum, quia aliàs hæc eſſet vera: quia Pater eſt, genuit Filium ſub omni paternitatis conſideratione; conſequens aduerſatur Magiſtro Sententiarum, & D. Thomæ locis citatis: ergo paternitas ſub munere referentis, generationem nō præcedit. Secundo: nam paternitas ſub expreſſo relationis conceptu, cōcipitur ad inſtar paternitatis creatę, & per ſpeciem illius: ergo paternitas, vt ſic cōcepta per rationem ſupponit generationem. Tertio: nam relatio paternitatis creatæ realiter ſupponit generationem, quia reāliter ab illa diſtinguitur: ergo diuina paternitas ſub conceptu expreſſo referentis illam per rationē ſupponet, quia per rationem diſtinguitur ab illa.

162 *Euaſio excluditur.*

Si dicas, conſequentiam eſſe nullam: nam paternitas creata ſupponit generationem, eo quod accidens eſt, diuina autē nō eſt accidens, ſed ſubſtantia, & ideō non petit generationem ſupponere. In contrarium obſtat primo: nam ex hoc ſolum colligitur non ſupponere generationem accidentalem, non autem, quod non ſupponat generationem, quæ ſubſtantia ſit. Secundo: quia ad ſummum ex hoc diſcrimine infertur, quod paternitas diuina ſub conceptu, & munere ſubſiſtentis non ſupponat generationem, non autem quod non ſupponat illam ſub munere referentis, qualiter ſubſiſtentiam ſubſtantialem non exprimit.

163 *Quint' modus dicendi.*

Quintus modus dicendi, & occurrendi difficultati poſitæ, diſtinguit in relatione actum primum referendi, & actuale exercitium, prout

scilicet dat esse relatiuum, & prout præbet esse relatum. Qua distinctione posita, docet paternitatem diuinam, prout dat esse relatiuum non supponere generationem, nec super illam fundari, sed generationem præcedere, & personam constituere, vt vero præstat actualiter esse relatũ, posteriorem esse generatione actiua, & super illam fundari; ac per consequens personam non constituere. Et in hoc sensu explicat doctrinam D. Thomæ de relatione per modũ formæ hypostaticæ, & per modum relationis. Ita Nazarius *vbi supra*, sicque accipiendam censet distinctionem Caietani de relatione concepta, & exercita.

164 *Aliquorum impugnatio reijcitur.*

Contra quam doctrinam nonnulli Recentiores opponunt: non enim stat formam communicari, vel vniri subiecto, quin illi præbeat suũ effectum formalem; sed formalis effectus relationis, est actu referre: ergo eo ipso, quod vniatur, vel intelligatur subiecto communicata, intelligitur actu referre; at paternitas pro priori ad actualem generationẽ, intelligitur Patri, aut primæ personæ Trinitatis conueniens: ergo pro illo priori intelligitur actu referens Patrem ad Filium. Hæc tamen obiectio, nisi aliunde iuuetur, non vrget: nam licet forma in re existens debeat in re omnem suum effectum subiecto capaci præbere, non tamen est necessarium, quod si plures sunt effectus, vel quasi effectus, omnes subiecto præstet pro omni priori. Constat hoc in gratia habituali, quæ pro priori ad actum charitatis vltimo disponentem ad gratiam, etsi reddat subiectum sufficienter auxiliatum, & potens diligere, non tamen cõstituit illud iustum pro illo priori, sed pro posteriori signo sequuto ad dispositiones. Anima etiam rationalis pro aliquo priori præbet gradum corporeitatis, pro quo non præstat gradum vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi: ergo quamuis paternitas habeat pro effectu, vel quasi effectu formali, referre actu Patrem ad Filium, & pro priori ad actum generationis intelligatur Patri conueniẽs, non sequitur pro illo priori constituere actu relatum.

165 *Reijcitur 1.*

Displicet tamen doctrina huius solutionis primo: nam essentia relationis non est in actu primo referre, sed referre in exercitio, & in actu secundo, sicut essentia vnionis, non in vnibilitate, sed in actu vnire est posita, & essentia actionis, non in actu primo agendi, sed in actuali exercitio consistit: ergo paternitas non potest personam Patris in ratione personæ constituere, vt præbens actum primum referendi.

166 *Secũdo.*

Secundo: nam si paternitas vt actu referens in actuali generatione fundatur, vt referens in actu primo, fundabitur in potentia generatiua; sic enim actus primus, & secũdus debitam proportionem seruabunt; at potentia generatiua Patris, nostro modo intelligendi, iuxta quem loquimur, constitutionem istam tractantes, ipsum in ratione personæ cõstitutum supponit, sicut nãque prius est esse, quam operari: ita etiã prius est esse, quam posse operari proximẽ: ergo paternitas vt præstans actum primum referendi, vel vt referens in actu primo, non poterit personam Patris in esse personæ constituere. Patet consequentia: nam ideô vt actu referens non constituit Patrem in esse personæ; quia vt sic supponit generationem, & hæc supponit personã: ergo si vt referens in actu primo, supponit potentiam proximam generandi, & hæc non constituit personam, paternitas vt referens in actu primo non cõstituit Patris personam, sed illam constitutam supponet.

167 *Solutio Caietani.*

Sextus modus dicendi, aut sexta huius argumenti solutio est Caietani *in præsenti quæst.* 40. *art.* 4. versu: *Expedita igitur vltima difficultate*, vbi docet, Paternitatem sub expressa ratione Paternitatis, & relationis significari dupliciter, vt cõceptam, & vt exercitam, & tamen vna Paternitas, & vna relatio est, vt

exercita generationem consequitur, vt concepta vero antecedit generationem, & personã constituit.

Si opponas 1.

Si opponas: ergo Paternitas in quantum relatio generationem præcedit cõtra D. Thomam *art.* 4. Respondetur, nõ sequi: quia paternitas vt relatio in sensu, & littera D. Thomæ, non dicit solam relationis essentiam, sed significat relationem vt exercentem actum relationis, licet autem præcedat Paternitas vt relatio concepta, non tamẽ præcedit vt exercens actũ referendi, sed actum hypostaticẽ constituendi, & ideô in littera dicitur non præcedere Paternitatem vt relatio, sed per modum formæ hypostaticæ.

168 *Secũdo.*

Si opponas secundo: paternitas vt constituens personam distinguit Patrem à Filio, non absolutẽ: ergo relatiuẽ; & consequenter exercet actum referendi relatiui, & opponẽdi. Respondet Caietanus, paternitatem vt conceptam distinguere relatiuẽ hypostaticẽ, non autem relatiuẽ exercitẽ, ac proinde non exercere pro tunc constitutionis, actum referendi, sed tantum hypostaticẽ cõstituendi.

169 *Tertio.*

Si opponas tertio: non stat paternitatem intelligi conuenientem Patri sub expressa ratione paternitatis, quin intelligatur illi præbẽs suũ effectum, vel quasi effectum formalem: sed effectus, vel quasi effectꝰ formalis paternitatis sub expresso relationis conceptu est actu referre: ergo non stat intelligi paternitas cõueniens Patri pro priori ad generationem sub expresso relationis conceptu, quin intelligatur pro illo priori actu referens.

170 *Resp. Caietani.*

Respondebit Caietanus, adæquatum effectum, vel quasi effectum paternitatis sub expresso relationis conceptu, non esse referre, sed etiam hypostasim constituere: vnde ex eo quod pro priori ad generationem intelligatur Patri conueniens, non sequitur, quod pro illo priori illũ referat, sed sufficit, quod pro illo priori illum in ratione personæ constituat, & pro signo posteriori ad generationem exercite referat, iuxta ea, quæ paulô ante dicebamus.

171

Contra quam doctrinam solum obstare videtur, quod si in paternitate distinguitur duplex exercitiũ, duplexque effectus, vel quasi effectꝰ formalis, alter constituendi personã, & alter exercite referendi, debet necessario distingui in ipsa paternitate duplex, saltim inadæquatus conceptus, alter formę subsistentis, & alter respicientis terminum, quod non videtur Caietanus admittere.

Quid obstat contra solutionis doctrinam

Assumptum probatur: nam licet vnica forma, absque sui distinctione præbere possit duos effectus formales, vnum primario, & alterum secundario, duos tamen effectus primarios nequit, absque distinctione in ipsa forma præstare; sed duplex illud exercitium non se habet ad relationem vt effectus primarius, & secũdarius, sed primario ad relationem se habent: ergo non stat multiplicari exercitia, vel munera, absque distinctione, saltim inadæquata ex parte paternitatis, penes duos illos inadæquatos conceptus, hypostaticẽ subsistentis, & terminum respicientis. Quod si hoc in doctrina Caietani admittatur, coincidet eius solutio cum illa, quam *§. Sequenti tuebimur.*

172 *Aliorũ solutio explicatur.*

Septimo alij respondent, relationes constituere hypostases, vel personas diuinas, prout subsistentes, sunt subsistentia absoluta essentiæ, quam implicitè claudunt: vnde paternitas vt subsistens, ac subsistentia absoluta constituit Patrem in ratione personæ, & prout sic nõ sequitur, sed antecedit originem: sub conceptu vero explicito, & differentiali relationis supra originem fundatur, & personam constitutam supponit. Referuntur pro hac sententia Capreolus, & Ferrara *locis vbi supra relatis*, & in hoc sensu accepisse videtur Durandus doctrinam Angelici Præceptoris distinguentis in relatione rationem formæ hypostaticæ, & rationem relationis, afferentisque sub

ra-

ratione formæ hypostaticæ constituere personam, sub ratione tamen relationis originem præsupponere, & personam non constituere. Sed lõgè distat Durandi interpretatio à mente Angelici Præceptoris. Nec bene pro hoc modo dicendi allegatur Capreolus, & Ferrara, quorum mentem infra dabimus, verũ est Ferrariensem asserere relationes constituere hypostases subsistentes ratione essentiæ diuinæ. Cæterũ in eius sententia alia est ratio subsistentis à ratione personalitatis, cum non fateatur, nisi vnam subsistentiam absolutam, & concedat tres personalitates. Vnde ex eo quod docet constituere hypostases subsistentes ratione essentiæ absolutæ, non licet colligere relationes ratione essentiæ constituere personas.

173 *Reijcitur dicta solutio.*

Cuiuscumque tamen præfata sententia sit, displicet frequenter Theologis, & hoc argumento reijcitur: nam persona diuina est subsistẽs incommunicabiliter in natura diuina, vel vt ex D. Thoma sæpè asseruimus, est subsistens distinctum in natura diuina: ergo ratione illius relationes constituunt personas, ratione cuius illas reddunt incommunicabiles, & distinctas; sed hoc non præstant ratione essentiæ diuinæ, nec ratione subsistentiæ absolutæ, sed ratione illius, quod addũt ad perfectiones absolutas diuinas: ergo non constituũt personas ratione essentiæ, vel ratione subsistentiæ absolutæ, sed ratione illius, quod addunt ad perfectiones absolutas diuinas. Minor subsumpta, in qua sola est posita difficultas, probatur: id quod est communicabile, & realiter indistinctum in omnibus personis, nequit esse ratio incommunicabilitatis, & distinctionis, sed tam essentia, quam subsistentia absoluta sunt quid commune, & indistinctum realiter in tribus personis diuinis: ergo nec essentia, nec subsistentia absoluta possunt esse ratio incommunicabilitatis, & distinctionis realis personarum ad inuicem.

174 *Dices.*

Dices, quod licet subsistentia absoluta sumpta absolutè, & secundum se non possit esse ratio incommunicabilitatis, prout tamen in relatione inclusa, & illa modificata potest incommunicabilitatẽ præstare, sicut intellectus secundum se non est potentia generatiua, bene tamen prout paternitate modificatus.

Sed contra.

Sed contra: nam vel relatio includens subsistentiam est illi ratio formalis vt præbeat incommunicabilitatem, vel sola conditio, vel complementum, si primum non absolutum, quod in subsistentia inuenitur, erit ratio constituendi personã; sed relatiuum superadditum; secundum dici non potest: ergo subsistentia absoluta non est id ratione cuius relationes cõstituunt personas, etiã vt illis modificata.

Minor probatur; id quod est de se communicabile, nec etiam alio modificatum, potest esse ratio formalis incommunicabilitatis; sed subsistentia absoluta est de se communicabilis: ergo etiam modificata relationibus, & in illis inclusa non potest esse ratio formalis incommunicabilitatis, aliàs eodem iure, & ratione posset quis asseuerare, diuinam essentiam relatione modificatam esse formalẽ rationem referendi, relatione modificatiuè ingrediente, & essentia vt ratione formali.

175 *Cõfirm.*

Et ex hoc roboratur impugnatio facta; quia namque diuina essentia secundum se est absoluta, non potest relatio modificata esse ratio formalis respiciendi aliud; sed subsistentia est de se communicabilis: ergo nequit modificata relatione, & quatenus in illa inclusa esse ratio formalis incommunicabilitatis.

Non fauet exẽplum potẽtiæ generatiuæ.

Nec fauet exemplum potentiæ generatiuæ; intellectioni nãque secundum se non conuenit aliquid oppositum rationi formali principij proximi ad generandum, & ideo addita paternitate vt conditione, vel complemento constituit Patrem potentem proximè generare. Si dicas, conuenire intellectui communitatẽ

tri-

tribus personis diuinis, quæ quidem communitas repugnat potentiæ generatiuæ, quæ petit soli Patri conuenire. In contrarium obstat: nam in potentia generatiua esse Patri propriam, non est ratio formalis, sed tãtum conditio, vel complementum, ratio autem formalis potius est conuenientia inter generantem, & genitum: ergo quod intellectui secundũ se conueniat communicabilitas, non infert illi conuenire aliquid oppositum rationi formali potentiæ generatiuæ.

§. IX.

Vera solutio explicatur.

176 *Solutio D. Tho. explicatur.*

HIS ergo modis dicendi relictis, vera solutio sumitur ex D. Thoma *quæst. 10. de potentia art. 3. in corpore, & in solutione ad 5.* In *hac 1. p. supra quæst. 29. art. 4. in corpore*, & *q. 42 art. 4. in corpore*, & *in solutionibus argumentorum*: quibus in locis, & passim alibi docet, paternitatem dupliciter considerari, vel per modum relationis, vel per modum formæ hypostaticè subsistentis: primo modo sumpta supra generationem fundatur, & Patrem in ratione personæ constitutum supponit: sub conceptu autem formæ hypostaticæ subsistentis ad generationem supponitur, & Patrem in esse personæ constituit.

177 *Ad 1. probat. minoris*

Qua doctrina præsupposita, ad vltimum argumentum respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: Pater habet per propriam actionem paternitatem vt relatio est, concedo minorem: vt formà hypostatica est, nego minorẽ, & consequentiam, vel distinguo consequens distinctione minoris, & concedo consequentiam de paternitate sub conceptu relationis, nego autem de paternitate, vt forma hypostatica.

Et ex his ad secundam antecedentis probationem, concessa maiori, distinguo minorem: Paternitas vt relatio, concedo minorem: vt forma hypostatica, nego minorem, & consequentiam, vel distinguo consequens, distinctione minoris. *Ad 2.*

178 *Ad 3.*

Ad tertiam probationem, nego sequelam, quam non conuincit probatio: nam licet Pater pro priori ad generationem intelligatur Persona, pro priori tamen ad illam non intelligitur Pater, nec pro illo priori intelligitur paternitas, quatenus constituit Patrem, sed prout constituit personam: nam Pater non intelligitur, nisi cointellecto Filio simul cognitione, & natura. Prima autem Trinitatis persona, & consequenter paternitas, vt Patrem in ratione personæ constituens præintelligitur ad Filium, saltim prioritate originis; ac proinde ex eo quod Pater paternitate constituatur persona, non sequitur futurum esse Patrem quantumuis non generaret; nam paternitas quatenus Patrem in ratione Patris constituit supra generationem fundatur, ac proinde non potest intelligi manens, generatione sublata.

179 *Tacitæ obiectioni occurritur.*

Nec etiam sequitur, vt tacitæ obiectioni occurramus, remansuram primam Trinitatis personam, si Filium non generaret; nam cum primus ille conceptus inadæquatus paternitatis, sub quo personam Patris constituit, sit inadæquatus quidã differentialis paternitatis conceptus imbibens in se secundum, intimè cũ illo connexus intra lineam relatio-

nis,

nis, non potest primus manere secundo per impossibile ablato: & cum secundus perseuerare non possit generatione sublata; fit consequens, quod nec primus. Quæ doctrina clarius ex dicendis constabit.

180 *Ad 4.* Ad quartam, concessa maiori, distinguo minorem: paternitas, vt relatio per modum relationis, concedo minorem: vt forma hypostatice subsistens, nego minorem, & consequentiam. Vel distinguatur consequens, distinctione minoris: nam licet paternitas creata adæquatè sūpta generationem supponat, & super illam fundetur, quia est accidens, paternitas diuina, eo quod substantialis, & subsistens est, quamuis vt relatio generationem supponat, super illamque fundetur, vt subsistens, & forma hypostatica generationem præcedit, & pro priori ad illam intelligitur, & personam Patris constituit.

181 *Ad vltimam probationē minoris negatur sequela.* Ad vltimam minoris probationem, nego sequelam. Ad cuius probationem distinguo antecedens: omnem suum actum secundum, nego antecedens: aliquem concedo antecedens: & sub eadem distinctione primi consequentis, concedo, & nego consequentiam. Et distinguo minorem subsumptam: exercitium referendi, concedo minorem: exercitium hypostatice constituendi, nego minorem, & consequentiam. Itaque paternitas duplex exercitium habet, nempe constituendi hypostasim, & referendi hypostasim constitutam ad Filium, primum exercitium conuenit paternitati omni actione circunscripta; secundum vero non ita, sed media generatione tanquam eius fundamento. Primum exercitium habet pro priori ad generationem, sed pro illo signo non intelligitur Filius; secundum autem, quod nequit intelligi, Filio nō cointellecto, generationem supponit; ac proinde ex eo quod paternitas Patrem constituat personam, non sequitur Filiū esse futurum sublata generatione.

Ad secundam probationem sequelæ, distinguo maiorem: pro quocumque signo in *quo*, concedo maiorem: pro quocumque signo à *quo*, subdistinguo maiorem: paternitas vt relatio, & secundum exercitium referendi, concedo maiorem: vt forma hypostatica, & sub munere hypostatice constituendi, nego maiorem, & distinguo minorem: intelligitur paternitas pro priori ad generationem, vt relatio, nego minorem: vt forma hypostatica, concedo minorem, & nego consequentiam. Nam paternitas præintelligitur generationi, vt forma hypostatica, non vt relatio, vt sic autem non est simul Filio simultate à *quo*, & originis, sed est illo prior, ac proinde ex eo quod paternitas intelligatur pro signo priori ad generationem sub conceptu formæ hypostaticæ, non sequitur Filium pro illo priori intelligi.

182 *Ad 2. prob. sequelæ.*

Sed contra distinctionem Diui Thomæ, in qua tota solutio fundatur, insurgit Durandus, sequitur nāque ex illa primam Trinitatis personam pro priori ad generationem intelligi constitutam per aliquid absolutum; consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Probat sequelā: nam licet possit intelligi ratio communis, nulla intellecta ratione differentiali, vt animal non intellectis rationali, nec irrationali, non tamen stat de contento sub ratione communi negari vnum membrum diuidentium illam, quin alterum affirmetur; sed iuxta D. Thomam pro priori ad originem actiuam intelligitur prima persona constituta per aliquid, & negatur esse relatiuum, cum negetur persona pro illo priori esse relatam: ergo necessario affirmatur constituta prima persona per aliquid absolutum.

183 *Contra distinctionem D. Tho. insurgit Durandus.*

Hoc tamen argumentum ex nō bene penetrata ratione D. Thomæ procedit. Ad illud respōdeo negādo sequelam. Ad probationem, concessa maiori distinguo minorem: negatur esse relatiuum sub omni relatio-

184 *Resp.*

nis conceptu, nego minorem: sub aliquo relationis conceptu, concedo minorem, & nego consequentiam: nam licet pro priori ad originem actiuam intelligatur persona Patris constituta, & negetur de illa pro tali priori relatio sub conceptu expresso *Ad*, non tamen negatur relatio sub omni relationis conceptu: nam in diuina relatione, & inuenitur conceptus expressus *Ad*, & conceptus subsistentis; licet autem pro priori ad originem actiuam non intelligatur relatio sub conceptu expresso *Ad*, intelligitur sub conceptu formæ hypostaticè subsistentis, ac proinde non negatur de Patre, vt sic cõstituto adæquatè relatio, sed tantum inadæquatè, quod sufficit vt non affirmetur constitui per aliquid absolutum.

185 *Dices.* Sed dices: vt de persona, quatenus sic constituta negetur absolutũ, debet affirmari de illa relatiuum secundum vltimam differentiam relatiui; sed de persona Patris, quatenus sic constituta non affirmatur relatio secundum vltimam relationis differentiam: ergo de illa vt sic constituta non debet negari, sed potius affirmari absolutum.

Minor prob. 1. Probatur minor: nam si affirmaretur relatio secundum vltimam differentiam, verum esset relationem vt relatio est constituere Patris personam; sed D. Thomas docet relationem non constituere vt relationem, sed vt formam hypostaticam: ergo non affirmatur de persona Patris, quatenus sic constituta relatiuũ secundum vltimam differentiam.

186 *Secũdo.* Secundo: nam vltima differentia relationis, per quam differt ab ente absoluto est *Aa*, vt *Aa*; sed non constituit personam relatio secundũ conceptum *Aa*: ergo non constituit secundum vltimam relationis differentiam; & consequentêr, prout sic non affirmatur de Patre pro priori ad originem actiuam. Minor cõstat: nam si pro priori ad originem intelligeretur relatio conueniens Patri secundum conceptum *Ad*, pro illo priori intelligeretur Pater relatus ad Filium; sed non sic intelligitur: ergo nec concipitur relatio conueniens ipsi secundum conceptum *Ad*. Maior autem probatur: nam in relatione creata duplex inuenitur cõceptus, videlicet *in*, seu ordinis ad subiectum, & *Ad*, hoc est ordinis ad terminum; in diuina autem inuenitur ratio subsistentis; & ordinis ad terminum; sed *in* relationis creatæ est quid commune relatiuo, & absoluto, ratio etiam subsistentis reperta in relatione diuina est communis relationi, & perfectionibus diuinis absolutis, omne namque, quod in Deo reperitur est substantialitêr subsistens: ergo vltima differentia relationis, per quã differt ab ente absoluto, est *Aa*, vt *Ad*.

187 *Resp. distinguendo maiorẽ.* Respondeo distinguendo maiorem: debet affirmari relatiuum secũdum vltimam differentiam adæquatam, nego maiorem: adæquatam, vel inadæquatam, concedo maioré, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet de Persona Patris, prout intelligitur in esse personæ formaliter constituta præcedentêr ad originem, non affirmetur relatio, vel relatiuum secundũ adæquatam differentiam, nã de illa, prout sic non affirmatur *Aa* vt *Aa*, quod est inadæquata relationis differentia: affirmatur tamen de Patre relatio secũdum alterum inadæquatum conceptum, nempê formæ hypostaticæ subsistentis, qui inadæquatê differentialitêr relationem constituit.

188 *Ad 1. prob. minoris.* Ad primam probationem minoris, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, dicatur, D. Thomã duo docere, primum paterniratem constituere Patris personam; secundum, quod non cõstituit, quatenus est relatio, sed vt forma hypostaticê subsistens. Ad saluandum primũ, requiritur, quod ad constitendum ingrediatur paternitas secundum aliquid, per quod differat à perfectionibus absolutis, aliàs verificari non potest relationem constituere personam.

Ad

Ad ſaluandum autem ſecundum exigitur, quod aliquid relationi proprium à perſonæ conſtitutione excludatur, & tota doctrina, tradita diſtinctione componitur; quia namque paternitas conſtituit ſub conceptu ſubſiſtentis ſibi peculiari & proprio, verificatur paternitatem conſtituere Patris perſonam; & quia conceptus expreſſus *ad* excluditur à conſtitutione Patris in ratione perſonæ, & iſte à primo condiuiſus magis exprimit differentiam relationis ab entibus abſolutis, ideô docet D. Thom. paternitatem non conſtituere vt relationem, non ly *vt* excludente à conſtitutione perſonæ omnem differentialem relationis conceptum, ſed aliquem, nempe *ad*, vt *ad*; qui conceptus vltimior eſt in relatione; & magis explicans illius differentiam ab entibus abſolutis.

189 *Ad 2.* Ad ſecundam reſpondetur, in relatione creata inueniri duplex *in*, aliud commune, & aliud differentiale, in primo conuenit cum alijs accidentibus abſolutis, in ſecundo autẽ differt ab illis, & differentia conſiſtit in hoc, quod relatio inhæret vt referat; & conſequenter illud *in* eſt eſſẽtialiter connexũ cũ *ad*, & illud eſſentialiter exigit: in alijs vero accidẽtibus abſolutis ſiſtit in ſubiecto, & ideô relatio non ſolum per *ad*, ſed etiam per illud *in* differt ab accidentibus abſolutis. Et proportionali modo in relatione diuina eſt diſtinguendus duplex inadæquatus conceptus, ſecũdum quod ratione diſtinguitur ab eſſentia, & alijs abſolutis perfectionibus repertis in Deo, ſecundum quorum primum eſt quidam modus ſubſtantialis, ſubſtantialiter ſubſiſtens, & diuinam naturam ſubſtantialiter afficiens; ſecundum alium, ordinem ad terminum exprimit, & perſonam conſtitutam ad illum terminum refert.

Doctrinæ traditæ primũ exẽplum in actione. Quæ doctrina poteſt aliquibus exemplis illuſtrari, primum in actione apparet, quæ non ſolum dicit habitudinem ad principium, ſed etiam ad terminum, & non ſolum in prima, ſed etiam in ſecunda habitudine à paſsione diſtinguitur, quia paſsio dicit ordinem ad terminum ſiſtendo in termino, actio vero dicit ordinem ad terminum, cum exigentia eſſentiali ordinis ad principium.

190 *Secũdũ in noſtro intellectu.* Secundum exemplum in noſtro intellectu inuenitur, qui ſecundum vltimam differentiam, per quam differt ab Angelico, non ſolum eſt diſcurſiuus, ſed etiam intellectiuus principiorum ſine diſcurſu; & tamen in hoc ab Angelico differt: nã Angelicꝰ principia intelligit, ſine diſcurſu, & ſine exigentia diſcurſus circa concluſiones; intellectus tamen humanꝰ taliter principia intelligit, ſine diſcurſu, quod exigit ex illis ad concluſiones diſcurrendo, procedere. Voluntas etiam noſtra ſecundum vltimam differentiam obtinet rationem naturę, & rationem libertatis; & tamen ratio naturæ illi competens, differentialiter diſtincta eſt à ratione naturæ, quæ reperitur in brutis, eo quod in voluntate noſtra eſt cum libertate connexa, ſecus autem in natura brutorum. In virtute etiam duplex conceptus inadæquatus differẽtialis reperitur, alter ſumptus per ordinem ad ſubiectum, & alter per ordiuem ad obiectum, & primus differentialis eſt ratione incluſionis ſecundi, & exigentiæ eſſentialis illius.

Tertiũ in voluntate noſtra.

Quartũ in virtute morali.

191 *Aplicãtur exẽpla.* Ita ergo in præſenti affirmamus, in diuina relatione ſecundum vltimam differentiam illius, duplicem reperiri conceptum, vtrumque inadæquatum, & vtrumque differentialem, ſcilicet formæ hypoſtaticê ſubſiſtentis, & reſpectus referendis ad terminum; primus à ſubſiſtentia abſoluta diſtinguitur; quia iſta in ſubſiſtendo conſiſtit, non in exigendo referri, ſubſiſtentia autem relationis diuinæ taliter præſtat ſubſiſtere, quod petit vlterius referri. Et ſub primo conceptu perſonam Patris conſtituit præcedenter ad originem; ſub ſecundo vero ſupra originem fundatur, & perſonam conſtitutã ſupponit.

Hæc, niſallor, eſt ſententia Capreo 192

Sic accipiuntur Capreolus, & Ferrara.

li *in 1. distinct. 1. ad 1. 2. & 3. argumentũ*, ex positis tertio loco, vbi docet, relationem in diuinis considerari dupliciter, nempè, vt est forma indiuidualis, & quatenus est relatio, & sub prima ratione dare incommunicabilitatem, & personam constituere, sub secunda vero personam cõstitutam, & originem supponere. Et Ferrariæ 4. *Contra-Gentes cap. 26. circa finem*, vbi ait, quod paternitas cum sit, & forma incommunicabilis, & relatio, dupliciter potest concipi, scilicet sub ratione relationis, & sub ratione formæ incõmunicabilis gerentis vicem omnium principiorum indiuiduantium in rebus creatis: considerata vt relatio, idest, vt exprimit ordinem ad Filium, distinguit Patrem à Filio relatiue, non tamen constituit ipsum in hypostatico esse substantiali. Si autem consideretur in ratione formæ incommunicabilis, sic constituit hypostaticè; sed non distinguit à Filio relatiuè. Nec obstat ibi docere relationem cõstituere sub aliqua ratione absoluta; non enim loquitur de absoluto in esse rei, sed de absoluto in ratione obiecti significati. Quod verum constat esse ex dictis *disp.* 81. & in nullo alio consistit, quam in eo quod relatio concipitur vt constituens, non conceptu relatiuo, hoc est, exprimente respectum ad terminum, sed conceptu absoluto, idest talem ordinem non exprimente.

193 *Sic etiã potestacipi Caietanus*

Potest etiam in eodem sensu doctrina Caietani explicari de relatione concepta, & exercita; quia scilicet in relatione diuina duplex exercitium reperitur, vnum hypostaticè constituendi, & alterum respiciendi, vtrumque ab ipsa exhibitum secundum vltimam differentiam, qua differt ab entibus absolutis; quia vero dum primum intelligitur præstare, non intelligitur refferens in actu secundo, ideò inquit Caietanus, præstari à relatione vt concepta, idest, ab essentia relationis, non vt referente, sed vt incommunicabile constituente. In hoc tamen ab aliquibus D. Thomæ discipulis disentimus, quod distinctionem non solũ in exercitijs, seu effectibus, vel quasi effectibus formalibus relatiuis agnoscimus, sed etiam in ipsa relatione duplicem meditamur conceptum, nempè subsistentiæ, in quo non exprimitur, sed implicatur respectus ad terminum, & expressi ordinis ad terminum, in quo non exprimitur, sed implicatur ratio subsistendi. Et sub primo asserim' paternitatẽ exercere munus constituẽdi primã Trinitatis personam; sub secundo autem, personam constitutam supponere; supra actiuam generationem fundari, & personam constitutam refferre. Hunc etiam modum dicendi sequuntur Granadus, & Illustrissimus Arauio locis vbi supra relati, & ni fallor, cæteri D. Thomæ discipuli, parum, aut nihil ab illo dissident.

§. X.

Argumentis contra istam resolutionem occurritur.

COntra hunc modum dicendi plura extant argumenta. Primo arguitur: relatio namque diuina constituit personam secundum vltimum, & perfectissimum conceptum ex pertinentibus ad lineam personæ; sed *ad*, vt *ad* pertinet ad lineã personæ, & aliàs est vltimus, & perfectissimus istius lineæ conceptus: ergo relatio constituit sub expresso conceptu referentis. Minor pro prima parte probatur: iste conceptus dicit essentialiter rationem incom-

194 *Arg. 1. Contra istam resolutionem.*

mu-

municabilitatis diuinæ; sed in hac in communicabilitate consistit ratio personæ : ergo pertinet ad lineam personę. Et confirmatur primo: nã sequitur ex nostra doctrina relationem secundum quod dicit *ad* accidentaliter aduenire personæ diuinæ, siquidem illam constitutam supponit; consequens est contra D. Tho. *quæst.* 10. *de potentia art.* 5. *ad* 12. ergo nostra resolutio est falsa. Et cõfirmatur secundo : nam sequeretur personam Patris non esse simul natura, & intellectu cum Filio; consequẽs est contra D. Thomam *infra quæst.* 42. *art.* 3. *ad* 2. *& supra quæst.* 33. *art.* 1. *ad* 3. ergo idem quod prius. Probatur sequela, simultas naturæ, & intellectus relationis, cum suo correlatiuo, est ratione *Ad*; sed Pater non constituitur per paternitatẽ secundum quod dicit *Ad*, iuxta nostram resolutionem : ergo Pater vt constitutus in ratione personæ non est simul natura, & intellectu cum Filio.

Conf. 1.

Vrgetur 2.

195 *Resp. arg.*

Respondeo, concessa maiori, negando primam partem minoris. Ad illius probationem distinguo maiorem: dicit rationem incommunicabilitatis primariæ, nego maiorem: secundariæ, supponentis aliam priorem, concedo maiorem, & sub eadẽ distinctione minoris, nego consequẽtiam : nam persona constituitur per primam incommunicabilitatẽ, hanc autem nõ præstat relatio sub expresso referentis conceptu : nam vt sic supponit originem, & hæc supponit constitutam personam, & consequenter supponit incommunicabilitatem priorem, & personam constitutam, sicut relatio spiratoris quamuis incõmunicabilis sit, non tamen personam constituit, quia illius incommunicabilitas, prima non est, sed aliam priorem supponẽs, & origo sub conceptu originis etiam est incommunicabilis, quia tamen priorem incommunicabilitatem ex proprio conceptu supponit, non constituit personam, sed illam præsupponit constitutam.

Ad primam confirmationem, nego sequelam, si propriè de accidenti loquatur: nam licet in sui expressione non constituat personam Patris, sed constitutam supponat, includitur tamen implicite in conceptu cõstituẽte, & ab illo exigitur essentialiter, quod accidenti repugnat. Si tamen accidentaliter aduenire dicatur, quod formaliter nõ cõstituit personam, cõcedo sequelam, nec in hoc sensu D. Thomæ aduersatur, solum enim statuit discrimen inter paternitatem, & Filiationem ex vna parte, & communem spirationem, consistens in eo quod communis spiratio, nec vt referens, nec vt subsistens constituit personam, sed sub vtroque cõceptu personam constitutam supponit; Paternitas autem, & Filiatio quamuis sub expresso referentis conceptu non constituat, sub alio tamẽ, nempè formæ hypostatice subsistentis constituunt.

196 *Ad* 1. *cõfirm.*

Ad secundam, nego sequelam de simultate naturæ, concedo autem de simultate intellectus: nam simultas naturæ solum tollitur per naturæ prioritatem, quæ in causalitate consistit; id enim est alio prius natura, quod est causa illius, persona autem Patris, licet sit principum Filij, & prior origine Filio, non tamen est causa illius; ac proinde non est prior natura Filio. Simultas vero intellectus tollitur per oppositam prioritatem, scilicet per hoc, quod prius sit aliquid alio secundum nostram intelligentiam. Vt autem docet D. Thomas *in hac quæstione art.* 4. *& q.* 20. *de potentia art.* 3. *in corpore, & in solutione ad vltimum*, paternitas vt constituens hypostasim Patris antecedit originem secũdum nostrum modum intelligendi; & consequenter antecedit Filiationem, quæ ad originem consequitur. Paternitas vero vt relatio consequitur ad originem, & est simul intellectu cum Filiatione : cum ergo loco in contrarium adducto docet, paternitatem non esse Filiatione priorem secundum rationem, loquitur de pa-

197 *Ad* 2.

ternitate ſumpta adæquatê: non autem negat, quod ſecundum munus conſtituendi perſonam ſit prior: filiatione ſecundum rationem, quod ſcitê Caietanus notauit *quæſt.* 42. *art.* 3. verſu *in reſponſione ad* 2.

198 *Arg.* 2. *antec. oſtenditur* 1.

Secundo arguitur: Paternitas ſub expreſſo conceptu *Ad*, eſt potens conſtituere perſonam Patris: ergo ſub illo conſtituit. Antecedens oſtenditur primo: perfectiſsimus relationis conceptus eſt *ad*, vt *ad*; ſed eſt potens, & petens conſtituere ſub perfectiſsimo relationis conceptu: ergo ſub conceptu *ad*. Secundo ex Diuo Thoma *in hac quæſt. art.* 2. *ad* 4. ibi: *Dicendum, quod relatio præſupponit diſtinctionem ſuppoſitorũ, quando eſt accidens, ſed ſi relatio ſit ſubſiſtens non præſupponit, ſed ſecum fert diſtinctionem*; ſed *ad* paternitatis, non eſt accidentale, ſed ſubſiſtens, & ſubſtantiale: ergo non præſupponit diſtinctionem ſuppoſitorum; ſed præbet talem diſtinctionem; & conſequenter valet conſtituere perſonam diuinam, quæ eſt ſubſiſtens diſtinctum in natura diuina.

Secũdo.

Tertio.

Tertio, non enim eſt minus de ratione actionis naturam ſupponere, quã de ratione relationis vt exprimentis *ad*, vel reſpectum *ad* terminum præſupponere perſonam; ſed in ſententia frequentiori apud Thomiſtas, actio intelligendi, quia ſubſtantialis eſt, & ſubſiſtens; non præſupponit cõſtitutam naturam diuinam, ſed illam primo metaphyſicê conſtituit: ergo paternitas diuina, quæ relatio ſubſiſtens, & ſubſtantialis eſt, etiam ſub expreſſo referentis conceptu potens, eſt conſtituere Patris perſonam.

199 *Quarto*

Minor oſtenditur 1.

Quarto probatur: nam ſi non poteſt, maxime quia ſupra generationem fundatur ſecundum conceptum *ad*; ſed etiam prout ſic non fundatur ſupra generationem: ergo conſtituit perſonam. Minor oſtenditur primo: nam inter fundamentum, & relationem fundatam, debet eſſe ad minus virtualis diſtinctio; ſed inter paternitatem vt exprimentem reſpectum, & generationem actiuam, non intercedit virtualis diſtinctio; aliàs eſſent in Deo plures relationes reales quam quatuor, cum generatio non in abſoluto, ſed in relatiuo conſiſtat: ergo non fundatur ſupra illam.

Secũdo.

Secundo: nam licet relatio, quæ eſt accidens fundamentum ſupponat: ſecus autem quæ ſubſtantia eſt; ſed *Ad* paternitatis diuinæ, non eſt accidens, ſed ſubſtantia ſubſiſtens: ergo non fundatur ſupra generationem.

Tertio.

Tertio: nã in ſententia probabili, & quam veriorem cenſuimus *ſupra diſp.* 81. generatio in aliquo abſoluto conſiſtit; ſed inter paternitatẽ vt hypoſtaticê conſtituentem, & ipſam vt referentem, non poteſt aliquid abſolutum mediare: ergo paternitas etiam ſub conceptu expreſſo reſpicientis, non fundatur ſupra generationem.

200 *Deniq; prob. minor.*

Denique probatur minor: nam fundamentum eſt id, medio quo relatio ſubiecto conuenit; ſed generario non eſt medium *quo* paternitas ſub expreſſo referentis conceptu conuenit Patri: ergo ſub hoc conceptu nõ fundatur in generatione. Probatur minor: paternitas ſub conceptu reſpicientis, non conuenit Patri vt inhærens, ſed vt ſubſiſtens; ſed vt ſubſiſtens non fundatur, vt nos aſſeruimus: ergo vt conueniens Patri, non fundatur ſupra generationem.

201 *Reſp. negãdo antecedẽs.*

Reſpondeo negando antecedẽs. Ad probationem permiſſa maiori, vel nego minorem, vel illam diſtinguo: eſt potens conſtituere ſub perfectiſsimo relationis conceptu pertinenti ad lineam hypoſtaſis, concedo minorem: extra lineam perſonæ, nego minorem, & conſequentiam: quia conceptus iſte, vt probauimus, ſupra originem actiuam fundatur; cumque origo vt talis ſit extra lineã perſonæ, vt videbimus, fit quod relatio vt referens, vel ſub expreſſo referentis conceptu, ſit extra lineam perſonæ, ac proinde quod quamuis in linea relationis, ſit conceptus perfectiſsimus, nequeat conſtituere perſonam. Lineam namque relatiuam

per

per nostros conceptus partimur in rationem formæ hypostaticæ, rationem originis, & rationem respicientis terminum partitione, distinctioneque inadæquata, & primus ille conceptus inadæquatus, est sub quo relatio constituit personam diuinam secundum quod à nobis apprehenditur per species per sonæ creatæ.

202 *Ad 2. antec. probat.* Ad secundam distinguo maiorem, & explico Diuum Thomam: sub omni relationis conceptu, nego maiorem: sub aliquo relationis conceptu, concedo maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: constituit personam sub conceptu formæ hypostaticæ, concedo consequentiam: sub conceptu respicientis, nego consequentiam. Nec amplius Angelicus Doctor intendit, tantum enim vult statuere discrimen inter relationem, quæ est accidens, & illam, quæ est substantia, quod relatio accidentalis sub nullo sui conceptu constituit personam; quæ vero substantialis, & subsistens est, etsi vt referens non constituat, prout tamen est forma substantialiter subsistens constituit personam.

203 *Ad 3.* Ad tertiam probationem dicatur, in sententia illa frequentiori apud Thomistas consequenter ab ipsis doceri, vel quod actio intelligendi non habet rationem actionis, nisi tantum grammaticaliter, vel quod de ratione actionis, non est egredi à principio, sed tantum esse vltimam actualitatem, in quo nulla ratio egressionis importatur. Vel denique actionem intelligendi dupliciter meditantur, nempe sub ratione egressionis, & *ab*, & sub ratione vltimæ, & perfectissimæ actualitatis in linea intellectuali, & asserunt constituere naturam diuinam *intelligere* per modum gradus, & vltimæ actualitatis, non autè per modũ egressionis, & *ab*.

204 *Ex doctrina tradita triplex resultat solutio.* Ex qua doctrina triplex resultat solutio: prima distinguendo maiorẽ: de ratione actionis grãmaticalis, nego maiorem: de ratione actionis physicê, vel metaphysicê talis, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Secundo, negando maiorem: actio enim præsupponit principium, quia egreditur ab illo, cum tamen iuxta secundum modum dicendi de ratione actionis, vt sic abstrahentis à creata, & increata, non sit *ab*, vt *ab*, vel ratio egressionis, sed esse vltimam actualitatem; fit consequens, non esse ita de ratione actionis præsupponere principium, sicut de ratione relationis præsupponere personam. Ac denique respondeo iuxta tertium modum explicandi illam sententiam, concessa maiori, distinguendo minorem: sub conceptu egressionis, nego minorem: per modum gradus vltimæque actualitatis, concedo minorem, & nego consequentiam, sed tantum potest inferri, quod sicut actio intelligendi constituit naturam diuinam sub conceptu vltimæ actualitatis, non autem sub conceptu *ab*, egressionisque à principio: ita paternitas personã cõstituat, non sub cõceptu expresso respiciẽtis terminũ, sed sub conceptu formæ hypostaticê subsistentis, & sic paritas saluatur.

205 *Ad 4. antec. prob. respond. negando minorẽ.* Ad quartam antecedentis probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius primam probationem respondeo tripliciter primo distinguendo maiorem: virtualis distinctio in esse entis, vel in esse obiecti significati, concedo maiorem: in esse entis, nego maiorem, loquendo de distinctione virtuali adæquata: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Pro quo recolẽda est doctrina à nobis tradita *disp.* 81. vbi diximus significatum formale huius nominis *persona diuina*, in esse entis esse relatiuum, esse tamen in ratione obiecti absolutum. Ex quo sequitur, quod licet forma hypostatica, & relatio in Deo non differant adæquatê in esse en-

Ad 1. minoris prob. respond. 1.

tis, differunt tamen adæquatê in eſſe obiecti ſignificati: nam inter abſolutum, & relatiuum diſtinctio adæquata intercedit; & conſequenter inter abſolutum in eſſe obiecti ſignificati, & relatiuum etiam in ratione obiecti, intercedit diſtinctio adæquata in eſſe obiecti. Idem dicimus de relatione, & origine actiua, quod nempê quamuis origo actiua, & relatio in eſſe entis non differant virtuali diſtinctione adæquata; in ratione tamen obiecti ſignificati adæquatê diſtinguuntur: nam generatio, quamuis in eſſe entis ſit relatio prædicamentalis; & conſequenter à conceptu referentis in relatione reperto non differat diſtinctione adæquata, in ratione tamen obiecti ſignificati non eſt relatio prædicamentalis, ſed aliquid abſolutum connexum cum termino genito. Vnde in ratione obiecti diſtinguitur adæquatê à relatione, vt relatio.

206 *Reſp. 2.* Vel ſecundo, diſtinguo maiorem: virtualis diſtinctio adæquata ſemper, nego maiorem: adæquata, vel inadæquata, concedo maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam licet Paternitas vt relatio, & Paternitas vt origo non differant diſtinctione virtuali adæquata, differunt tamen diſtinctioni virtuali inadæquata, & hoc ſufficit vt ſub vno conceptu, vel munere, ſupponatur, & fundet, ſub alio autem conceptu, & munere fundetur.

Reſp. 3. Vel tertio, conceſſa maiori, nego minorem: nam generatio paternitatem fundans ſub conceptu relationis, non in relatione, ſed in aliquo abſoluto conſiſtit pro recto, vt diximus *ſupra diſp. 71.* ac proinde virtualiter adæquatê à paternitate diſtinguitur.

207 *Ad 2. prob. minoris.* Ad ſecundam probationem minoris, diſtinguo maiorê: relatio, quæ eſt ſubſtantia, non ſupponit fundamêtum adæquatê ſumpta, & ſub omni ſuo conceptu, concedo maiorê: ſub aliquo ſui conceptu, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: ſub conceptu, & munere formæ hypoſtaticê ſubſiſtentis, concedo conſequentiam: ſub conceptu, & munere reſpicientis, nego conſequêtiam. Quæ diſtinctio ex dictis conſtat.

Ad 3. Ad tertiam conceſſa maiori, diſtinguo minorem: nequit aliquid abſolutum abſolutê ſumptum mediare, concedo minorem, abſolutum vt modificatum relatiuo, nego minorem, & conſequentiam: nam generatio non conſiſtit in actione intelligêdi ſumpta abſolutê, ſed in actu intelligendi vt modicato Paternitate, non ſub expreſſo referentis conceptu, ſed ſub conceptu reſpicientis Filium vt genitum, licet autem abſolutum, ſumptum abſolutê, nequeat mediare inter conceptum hypoſtaſis, & conceptum reſpicientis Filium vt Filium in paternitate repertos, ſumptum tamen vt modificatum relatione poteſt inter hos conceptus mediare.

208 *Si obijcias.* Si dicas: non poſſunt extrema minus inter ſe, quam à medio diſtingui; ſed inter paternitatem vt referentem, & ipſam vt hypoſtaticê conſtituentem non eſt diſtinctio virtualis adæquata in eſſe entis: ergo nequit generatio inter iſtos conceptus mediare, quæ vt ſupponimus in abſoluto conſiſtit pro recto; & conſequenter virtualiter adæquatê à paternitate diſtinguitur.

Reſp. & ſolutio illuſtratur exemplis. Reſpondeo, negando maiorem, vt veram vniuerſaliter: gratia namque vt auxilians non differt realiter à ſe ipſa vt iuſtificante, & tamen inter gratiam vt auxiliantem, & ſe ipſam vt iuſtificantem mediat contritio vltimo diſponens ad gratiam, quatenus iuſtificantem, & præſuponens gratiam ſub conceptu auxiliantis, cum ab illa vt ſic procedat in frequentiori ſententia apud Thomiſtas *1. 2. q. 113. art. 8.* Anima rationalis vt præbens gradum corporeitatis non differt realiter à ſe ipſa vt præſtante gradum vegetandi, aut ſentiendi; & tamen inrer primum gradum, & alios mediant vltimæ

diſ-

dispositioesn supponentes gradum corporeitatis, & ad alios gradus disponentes. Intellectio etiam vt dictio, non differt realiter à se ipsa vt contemplatio; & tamen Verbum, realiter ab intellectione distinctum, mediat inter istos duos conceptus in intellectione repertos, supponens conceptum dictionis vt à quo efficienter procedit, & præcedens conceptum contemplationis, vt medium, in quo intellectus contemplatur obiectum: quamuis ergo paternitas sub conceptu referentis, non distinguatur adæquatê virtualiter à se ipsa, vt forma hypostaticê constituente, poterit inter istos duos conceptus mediare generatio actiua, vt supponens conceptum formæ hypostaticæ, & antecedens conceptum expressum referentis, & terminum respicientis.

209 *Ad vlt. prob. minoris.* Ad vltimam probationem minoris, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, nego maiorem, Paternitas namque sub expresso referentis conceptu, non conuenit Patri, vt inhærens, quia accidens non est, nec conuenit illi vt subsistens, quia rationem subsistentis non explicat; sed vt referens, & vt ipsum relatum ad Filium constituens, quod relatum esse, nequit intelligi, non præintellecto genuisse.

210 *Arg. 3.* Tertio arguitur: si paternitas non constitueret secúdum quod dicit *Ad*, sed sub conceptu formæ hypostatice subsistentis, non cóstitueret sub ratione relationis, sed sub conceptu absoluto, vel sub conceptu abstrahente ab absoluto, & relatiuo; consequens est falsum: ergo Paternitas non constituit sub conceptu formæ hypostaticê subsistentis. Probatur sequela, ratio subsistentis in paternitate intellecta non est relatiua, sed vel absoluta, vel abstrahens: ergo si constituit sub ratione subsistentis, non constituit sub ratione relatiua, sed vel absoluta, vel abstrahente. Antecedens probatur: si relatiua esset, maximê quia imbibit conceptum *ad*, & cum illo connectitur, sed implicare respectum *ad* relatiuum, & habere connexionem cum illo, non sufficit vt ratio subsistentis, sit relatiua: ergo relatiua non est, sed vel absoluta, vel abstrahens à relatiua, & absoluta.

211 *Minor ostenditur 1.* Minor ostenditur primo: nam diuina essentia implicat in se relationes, & connectitur cum illis; & tamen conceptus essentiæ diuinæ, non est relatiuus formaliter, sed aliquid absolutum: ergo quod subsistentia relationis imbibat in se respectum, & cum illo connectatur, non sufficit vt sit formaliter relatiua.

ecúdo. Secundo: nam Filiatio distinguit hypostaticê Filium ab Spiritu Sancto, eo quod quamuis, non referat ipsum ad Spiritum Sanctum, connexiuê tamen dicit relationem spiratoris formaliter referentem; & tamen Filiatio non est formaliter in specie, vel quasi specie relationis spiratoris: ergo pariter quod subsistentia in paternitate inclusa imbibat in se respectum paternitatis ad Filiũ, & cum illo connectatur, non sufficit vt formaliter sit in linea relatiua, & in specie, vel quasi specie paternitatis.

212 *Resp.* Respondeo negando sequelam, ad illius probationem, nego antecedens. Ad illius probationem distinguo maiorem: quia imbibit, & connectitur cum conceptu referentis cõnexione, & inclusione adæquata, & conuertibili, concedo maiorem: non adæquata, nec conuertibili, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Contra quam distinctionem non obstant duæ probationes minoris: nam diuina essentia, etsi imbibat in se relationes, & cum illis connectatur, cum nulla tamen illarum adæquatur, aut conuertitur, & ideo connexio essentiæ, cum relationibus non constituit illam formaliter relatiuam. Filiatio etiam, cum relatione spirator is

non connectitur connexione adæquata,& conuertibili : nam relatio spiratoris, non solum cum Filiatione, sed etiam cum paternitate connectitur. Et ideò connexio Filiationis, cum prædicta relatione, non sufficit illam constituere in specie, vel quasi specie relationis spiratoris. Ratio vero subsistentis in paternitate inclusa connectitur, cum *ad* paternitatis connexione adæquata,& conuertibili, & taliter paternitatem subsistentẽ constituit,quod in subsistendo non sistit, sed subsistentem constituit, vt referat tali respectu,& ideo est formaliter relatiua, non tantum genericè, sed specificé athomê, nempe relatione paternitatis.

213 *Arg.* 4. Quarto arguitur : Paternitas sub ea ratione constituit personam Patris, sub qua illum realiter à Filio distinguit ; sed hoc præstat tantum sub expresso referentis conceptu : ergo sub hoc conceptu personam Patris constituit. Minor probatur : Paternitas sub ea ratione distinguit, sub qua relatiuê opponit, cum in Deo omnia sint vnum, vbi non obuiat relatiua oppositio, sed solum opponit relatiuê, quatenus explicat *Ad*, & respectũ ad correlatiuum : ergo solum sub hac ratione distinguit. Probatur minor: relatiue opponere est ad oppositum correlatiuum referre ; sed referre ad oppositum correlatiuum præstatur à relatione, quatenus explicat *Ad* : ergo relatiua oppositio ab illa sub hac ratione præstatur.

214 *Prima solutio.* Huic argumento responderi potest primo, aliam esse in diuinis personis rationem constituendi, & rationem distinguendi, vt constat in Filio, qui per Filiationem constituitur in ratione personæ,& tamen per illam non distinguitur realiter ab Spiritu Sancto, aliàs foret, vt maneret distinctus realiter ab Spiritu Sancto, dato per impossibile, quod non esset eius principium. Vnde quamuis Paternitas, non distinguat realiter Patrem à Filio sub conceptu formæ hypostatice subsistentis, sed sub expresso referentis conceptu, nihilominus sub illo,& non sub isto, Patrem in esse Personæ constituit. Quæ solutio tribuitur Ferrariensi *quarto libro Contra-Gentes capitulo vigesimo sexto*, & fundari potest in doctrina Caietani *supra quæstione trigesima sexta articulo secundo*, asserentis, illud commune principium, nempe idem esse constitutiuum, & distinctiuum rei ab omnibus alijs, solum esse vniuersaliter verum in entibus absolutis, non autem in relatiuis, differentia namque relationem cõstituens solum à suo correlatiuo distinguit distinctione reali. Vnde in sententia Caietani Filiatio personam Filij constituens, non distinguit realiter illum ab Spiritu Sancto, sed tantum à Patre. Et in doctrina Vazquij *disputatione centesima quadragesima septima capitulo quarto numero trigesimo sexto*, vbi docet, solum id quod constituit reali cõstitutione debere realiter ab omni alio distinguere, quãdo autem constitutio, realis non est, sufficit quod ratione distinguat. Ex quo infert Filium, Filiatione non distingui realiter ab Spiritu Sancto,sed spiratione actiua, quã uis Filiatione constituatur in esse personæ.

215 *Falsò attribuitur Ferrariensi* Hæc tamen solutio,& doctrina non placet, & in primis falsò tribuitur Ferrariensi, non enim negat relationem, ea ratione, qua cõstituit personam diuinam, illam realiter distinguere, sed tantum quod distinguat realiter relatiuê. Quod vero paternitas ea ratione, qua hypostasim Patris constituit, illam hypostaticê distinguat, non negat. Nec potest Caietano attribui, non enim negat Caietanus formam constituentem, etiam esse distinguentem, cum fateatur paternitatem constituentem Patrem, illum realiter à Filio distinguere,

& in vniuersum doceat relationem à suo correlatiuo distinguere realiter.

216 *Cuiuscũque sit reijcitur 1.*

Cuiuscumque tamen sit, displicet solutio tradita, & reijcitur primo: nam iuxta Diuum Thomam *quæstione nona de potentia articulo quarto*, persona diuina est subsistens distinctum in natura diuina: ergo ratio constituens personam in esse personæ, illam in ratione distinctæ constituit; & consequenter, illam realiter distinguit. Secundo: nam persona est rationalis naturæ individua substantia, vel incommunicabilis subsistentia: ergo forma vltimo constituens personam, præbet illi realem incommunicabilitatem; sed realis incommunicabilitas est realis distinctio: ergo relatio ea ratione, qua personam constituit, illam realiter distinguit.

Secũdo.

217 *Tertio.*

Tertio: nam in vniuersum, differentia vltimo aliquid constituens, necessario illud distinguit distinctione reali ab eo, à quo realiter distinguitur; sed paternitas vt forma subsistens, hypostaticé constituit personam Patris vt vltima, vel quasi vltima differentia: ergo vt sic illum realiter distinguit à Filio, & Spiritu Sancto. Minor est certa: nam constitutio personarum diuinarum, de qua nostra disputatio procedit, non est constitutio illarum in aliqua ratione communi omnibus personis communitate reali, vt sic enim prædicatis absolutis constituuntur, sed constitutio vltima, differentialisque personarum inter se: ergo asserentes paternitatem in ratione formæ subsistentis constituere hypostaticé Patrem in ratione personæ, loquuntur de constitutione per modum vltimæ differentiæ, vel quasi differentiæ.

Maior prob. 1.

Maior autem ostenditur primo: nam constituens aliquid in esse, illud etiam in ratione vnius constituit, & in ratione alicuius; sed vnum est indiuisum in se, & aliquid, est diuisum à quolibet alio: ergo differentia aliquid constituens in esse, cõstituit etiã indiuisũ in esse, & diuisũ à quolibet alio; & consequẽter si est differentia vltimo constitutiua, est ab omni alio distinctiua. Secundo: nam per id, quod est commune, non potest aliquid vltimo, & differentialiter constitui: ergo differentia vltima aliquid constituens, non potest ipsi, & alijs esse communis, sed proprium ipsius, illi competens, & alijs repugnans; sed prædicatum vni competens, & alijs repugnans, illud ab omni alio distinguit: ergo differentia vltimo aliquid constituens in esse, illud realiter distinguit ab omni eo, à quo distinguitur realiter.

Secũdo.

218 *Explicatur Difficultas.*

Explicatur difficultas loquendo de Patre diuino in speciali: Paternitas vt forma hypostatica non constituit Patrem genericè, vel quasi genericè, hoc est in aliqua ratione Patri, & alijs personis communi, sed vltimo differentialiter in aliquo esse Patri proprio, conueniente Patri, & repugnante Filio, & Spiritui Sancto: ergo paternitas vt forma hypostatica non est Patri, Filio, & Spiritui Sancto communis, sed patri propria, hoc est, illi competens, & alijs personis repugnans; sed quod Patri conuenit realiter, & alijs personis realiter repugnat, realiter Patrem ab alijs personis distinguit, ergo paternitas sub eodem conceptu, quo Patrem in esse personæ constituit, illum realiter distinguit. Patet minor, prædicatum namque realiter affirmatum de vno, & realiter negatum de alio, realiter vnum ab alio distinguit; sed eo ipso quod paternitas, vt forma hypostatica conueniat realiter Patri, & repugnet realiter alijs personis, potest realiter affirmari de Patre, & realiter de alijs personis negari: ergo eo ipso distinguit realiter

Patrem ab alijs personis diuinis.

219 *Vera solutio assignatur.*

Quare prætermissa hac solutione, ad quartum argumentum respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem distinguo maiorem: sub eodem conceptu distinguit, sub quo relatiue opponit, connexiuè, vel formaliter, implicitè, vel explicitè, concedo maiorem: sub quo relatiuè opponit formaliter, & expressè tantum, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam sicut cõceptus subsistentiæ in relatione repertus non est absolutus, nec abstrahens à relatiuo, & absoluto, sed formaliter est relatiuus; quia licet expresse non referat, nec exprimat conceptum *ad*, illum tamen implicite includit, & cum illo connectitur, ita dicimus relatiue opponere, & relatiuam oppositionem præstare, non formalitèr, & explicitè, sed connexiuè, & implicite. Quod sufficere, vt distinguat hypostatice Patrem à Filio, constat clare in Filiatione, quæ Filium, non solum distinguit à Patre, sed etiam ab Spiritu Sancto, vt docuimus *supra disputatione nonagesima secunda*, & tamen non refert Filium ad Spiritum Sanctum formalitèr, nec formalitèr relatiuè opponitur spirationi passiuæ, sed tantum subtractiuè, & connexiuè; quia scilicet constituit Filium subtractum referibile ad Spiritum Sanctum, & cum spiratione actiua formaliter referente connecti tur.

220 *Replic.*

Sed dices: relatio sub eo conceptu, sub quo constituit personam, non solum connexiuè, & ratione alterius, sed etiam formaliter, & ratione sui debet distinguere vnam personam ab alijs: ergo non solum connexiuè, & ratione alterius, sed etiam formaliter, & ratione sui debet relatiuè opponere. Patet consequentia: nam distinctio illa non est absoluta, nec abstrahens, sed determinatè relatiua; sed distinctio relatiua idem est quod relatiua oppositio: ergo si vt constituens personam, non solum connexiuè, sed formaliter etiam distinguit, vt constituens personam, non solum connexiuè, sed etiam formaliter opponit oppositione relatiua.

221 *Resp.*

Respondeo, concesso antecedenti negando consequentiam. Ad probationem, concessa maiori: distinguo minorem: distinctio relatiua idem est, quod relatiua oppositio, formalis, aut connexiua, implicita, vel explicita, concedo minorem: idem est quod relatiua oppositio, expressa, & formalis, nego minorem, & consequentiam: nam sicut conceptus ille formaliter est relatiuus quoad inadæquatam rationem relationis, quam uis non referat expresse, & formaliter, sed implicitè, & connexiuè: ita distinctio hypostatica præstita à relatione sub illo inadæquato conceptu, est formaliter relatiua, non quia exprimat relatiuam formalem oppositionem, sed quia illam implicat, & cum illa connectitur. Quæ doctrina etiam constat in eodem exemplo Filiationis distinguentis hypostaticè Filium à Spiritu Sancto, quæ tamen non opponit relatiuè explicitè, & formaliter Filium ad Spiritum Sanctum, sed tantum subtractiuè, & connexiuè; quia nimirum constituit Filium subtractum referibile ad Spiritum Sanctum relatione spiratoris, & cum ista relatione connecti tur.

222 *Deniq; arg.*

Denique arguitur: forma hypostatica Patrem constituens in esse personæ distinguitur virtualiter adæquatè à relatione paternitatis: ergo Paternitas sub nullo sui conceptu personam Patris constituit. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur primo: nam illa distinguũtur in Deo adæquatè virtualiter, quæ æquiualent perfectionibus creatis, realiter autem formaliter adæ-

Antec. prob. 1.

qua-

quatê distinctis ; sed forma constituens Patrem in esse personæ, & Paternitas illum referens ad Filium, æquiualent personalitati, & paternitati creatis, quæ adæquatê realiter distinguuntur : ergo talis forma, & paternitas diuina distinguuntur inter se virtualiter adæquatê.

223 *Secũdo.* Secundo probatur: illa namque in Deo distinguuntur virtualitêr adæquatê, quæ sic se habent in ordine ad effectus, quos præstant, ac si realiter differrent; sed paternitas, & forma hypostatica Patris ; ita se habẽt in ordine ad constituendam personam, & illam referendam ad Filium, ac si realiter distinguerentur : ergo distinguuntur inter se adæquatê virtualiter. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: non enim alia ratione distinguimus virtualiter adæquatê iustitiam, & misericordiam diuinam, nisi quia exercent propria munera, & sic se habent in ordine ad Deum constituendum misericordẽ, & iustum, ac si distinguerentur realiter inter se, & sic de alijs attributis, inter quæ virtualem distinctionem agnoscimus: ergo maior propositio in vniuersum est vera; causalis namque vniuersalem includit.

224 *Deniq ; prob.* Denique probatur: ea namque de quibus verificantur contradictoria, distinguuntur virtualitêr adæquatê, sed de forma hypostatica, & de paternitate vt relatio est, verificantur contradictoria : ergo distinguuntur adæquatê virtualiter. Minor probatur : constituere personam, & illam non constituere, sunt prædicata contradictoria ; sed hæc verificantur de forma hypostatica, & de paternitate secundum quod est relatio, siquidem vt nos asserimus, constituit vt forma hypostatica, non autem secundum quod est relatio : ergo de paternitate sub ratione formæ hypostaticæ, & de ipsa vt est relatio contradictoria verificãtur.

225 Hoc argumentum petit vt explicemus, quænam distinctio versetur inter paternitatem vt relatio est, & formam constituentem Patrem in esse personæ, & quod de paternitate asseremus, consequenter erit de alijs relationibus asserendum. Quidam adæquatam virtualem distinctionem agnoscunt, sed isti consequentêr dicere tenentur, vel personalitatem diuinam esse aliquid absolutum, vel esse relationem transcendentalem, vel multiplicare relationes prædicamentales in Deo vltra quatuor ; ac tandem paternitatem non constituere personam Patris in sensu formali, sed tantum in sensu identico, quæ omnia ex dictis impugnata relinquuntur.

Primus modus dicendi impugnatur ex dictis.

226 *Secũdus modus dicendi reijcitur.* Alij per extremum inter paternitatem, quæ relatio est, & per modum formæ hypostaticæ, solum statuunt distinctionem ex modo significandi, ita vt ex parte obiecti nulla distinctio inueniatur, sed eadem forma sit, quæ significata absolutê, vt significatur isto nomine *persona diuina*, aut *diuina personalitas*, personam Patris constituit. Prout vero significatur ad modum relationis, non constituit illam, sed constitutam supponit ex modo significandi. Quorum sententia ex dictis etiam impugnata relinquitur. Primo: quia vt ex Diuo Thoma vidimus *disputatione octuagesima prima*, significatum formale huius nominis persona diuina est in esse obiecti formaliter absolutum, significatum autem formale nominis relatiui est etiam in esse obiecti formaliter relatiuum ; sed inter formaliter absolutum, & formaliter relatiuum in esse obiecti significati, distinctio aliqua obiectiua versatur : ergo paternitas vt forma hypostatica, qua ratione personam Patris constituit, & Paternitas vt referens, non solum ex parte modi significandi, sed etiam ex parte obiecti significati aliqua ratione differunt.

Secundo: nam paternitas ſub ratione formæ hypoſtaticæ non exprimit reſpectum ad ſuum correlatiuum; ſed tantum illum involuit, & implititè includit, ſub ratione tamẽ referentis explicat reſpectum ad terminum: ergo diſtinguuntur diſtinctione rationis obiectiuæ penes implicitum, & explicitum.

227 *Tertius modᵒ dicendi.*

Tertio, alij diſtinctionem rationis fatentur inter formam hypoſtaticam, & relationem diuinam, nõ tamen rationis ratiocinatæ, ſeu in ipſo obiecto fundata, ſed rationis ratiocinantis, fundata adęquatê in imperfectione noſtri intellectus. Sed nec iſti veritatem attingunt, etenim prædicta diſtinctio fundatur in eminentia diuina, ratione cuius vnica, & indiuiſibilis entitas æquiualet pluribus perfectionibus creatis, nempê relationi, & perſonalitati, quæ in creaturis realiter diſtinguũtur: ergo illius fundamentũ non ſumitur adæquatê ex parte noſtri intellectus, ſed etiam ex parte obiecti, vt cum illo comparati; ac perconſequens nõ eſt diſtinctio ſolius rationis ratiocinantis, ſed etiam rationis ratiocinatæ.

228 *In ratione obiecti ſignificati diſtinguitur adæquatè.*

Vnde conſequenter ad ea, quæ in diſcurſu huius tractatus tradidimus, aſſerendum videtur, paternitatem per modum formæ hypoſtaticæ, & per modum relationis differre in ratione obiecti ſignificati diſtinctione rationis ratiocinatæ adæquata; in ratione tamen entis diſtinctione rationis virtualis, aut eminentialis inadæquata. Primum patet: nam abſolutum, & relatiuum adæquatê diſtinguuntur, in creaturis quidem realiter, in Deo autem virtualiter, & ratione ratiocinata; ſed forma hypoſtaticê Patrem conſtituens eſt in ratione obiecti formaliter abſoluta, paternitas autem vt referens eſt in ratione obiecti formaliter relatiua: ergo in ratione obiecti ſignificati diſtinguuntur diſtinctione virtuali, & rationis adæquata.

229 *In ratione entis*

Secundũ probatur, primo: nam ſi in eſſe rei, & entis differrent diſtinctione virtuali, & rationis adæquata, fieret primo perſonalitatem Patris, vel eſſe aliquid abſolutum, vel relationem tranſcendentalẽ, vel prædicamentalem diſtinctam à paternitate, quorum falſitas conſtat ex dictis. Fieret ſecundo, paternitatem non in ſenſu formali, ſed in identico tantum conſtituere perſonam Patris, cuius contratium oſtendimus.

diſtinctione in adæquata.

Secundo: nam diſtinguens realiter in diuinis, non poteſt non ſpectare ad lineam relatiuam prædicamentalem formaliter; ſed paternitas vt forma hypoſtatica diſtinguit realiter Patrem ab alijs perſonis diuinis: ergo vt ſic pertinet ad lineam relatiuam prædicamentalem formaliter; ſed non eſt in illa vt genus: ergo eſt in aliqua ſpecie; cumque non ſit in ſpecie, vel quaſi ſpecie à paternitate diſtincta, erit in ſpecie, vel quaſi ſpecie paternitatis. Ex quo vlteriᵒ ſequitur, non diſtingui à paternitate, quatenus referente diſtinctione virtuali adæquata, aliàs eſſet in Patre duplex paternitas virtualiter adæquatê diſtincta, ſed tantum diſtinctione virtuali, & rationis inadæquata.

230 *Et ex his occurritur arg.*

Et ex his ad argumentum reſpondeo, diſtinguendo antecedens: diſtinguitur virtualiter adæquatê diſtinctione virtuali in ordine ad formalem rationis in eſſe obiecti ſignificati, concedo antecedens: diſtinctione virtuali adæquata in ordine ad diſtinctionem adæquatam rationis in eſſe rei, nego antecedens, & cõſequentiam. Ad antecedentis probationes, quatenus ſecundum membrũ diſtinctionis oppugnant.

Adᵛ. antec. probationẽ

Reſpondeo ad primam, negando maiorem, vt in vniuerſum veram: nam æquiualentia ad entitates creatas realiter diſtinctas, nec requiritur, nec ſufficit ad diſtinctionẽ virtualem in Deo. Primum patet: nam inter veritatem, & bonitatem diuinam eſt diſtinctio virtualis adæquata; & tamen veritas, & bonitas creata, quibus æquiualent, realiter non diſtinguuntur. Secundum probatur:

nam

nam diuina omnipotentia æquiualet omnibus potentijs creatis, quæ realiter distinguuntur, & tamen non est multiplex virtualiter in Deo, aliàs essent admittenda plura attributa omnipotentiæ diuinæ. Similiter scientia Dei vnicum est attributum; & tamen æquialet omnibus scientijs creatis, inter quæ realis distinctio versatur: ergo ex eo quod relatio, & personalitas diuina æquialent entibus creatis distinctis, nõ sequitur distingui inter se virtualiter adæquatê.

231 *Ad 2.* Ad secundam probationem, nego maiorem, cuius falsitas ex eisdẽ exẽplis conuincitur: nam omnipotentia vt continens eminentialiter hominem, & eadem vt eminentialiter constituens equum, sic se habet in ordine ad hominis, & equi productionem, ac si distinguerentur realiter istæ eminentiæ; & tamen non distinguuntur inter se virtualiter. Sciẽtia Dei vt attingens obiectum metaphysicæ, & vt terminata ad obiectum philosophiæ, sic se habet, ac si attingentiæ istæ realiter distinguerẽtur; & tamen inter illas non est virtualis adęquata distinctio: ergo ex eo quod personalitas diuina, & paternitas sic se habeant in ordine ad constituendum personam Patris, & illam referendi ad Filium, ac si realiter distinguerentur, non colligitur inter illas virtualiter adæquata distinctio. Nec solum ob istam causam misericordia, & iustitia virtualiter adæquatê distinguuntur, sed quia differunt ex se, & ex suis rationibus formalibus distinctione sumpta ex obiectis, & quia in Deo nequeunt realem distinctionem habere, virtualem retinent distinctionem.

132 *Ad 3.* Ad tertiam, nego maiorem, vt veram vniuersaliter: conceptus namque sanctitatis diuinæ, & conceptus intellectionis, aut radicis intelligendi nõ distinguuntur virtualiter adæquatê; & tamen vnitur diuinitas humanitati Christi sub conceptu formaliter illam sanctificãtis sanctitate substantiali, & non vnitur formaliter sub conceptu intellectionis, nec radicis intelligendi, & amãdi. De secunda Trinitatis persona verum est dicere, quod est Verbum creaturarum, & quod non est Filius illarum; & tamen ratio Verbi, & Filij nõ distinguũtur distinctione virtuali adæquata. Diuinitas vnitur mentibus beatorum vt species, non tamen vt intellectio, nec sub cõceptu naturæ, & tamen in sententia probabili, species, intellectio, & natura, sunt vna, & eadem formalitas, absque virtuali distinctione adæquata. Ac denique, in Verbo Diuino, ratio egressionis, & ratio repræsentationis non distinguuntur virtualiter adæquatê; & tamen vniri potest mẽtibus beatorum vt Verbum, & non potest vniri sub ratione termini vitaliter egrediẽtis: non ergo ex veritate duarum cõtradictoriarum infertur distinctio virtualis adæquata; ac perconsequens, ex eo quod de paternitate, vt subsistente verificetur constituere personam, & negetur de eadem vt exprimente respectum *ad* correlatiuum, non sequitur inter conceptum subsistentis, & conceptum referentis virtualis distinctio adæquata.

Imõ nec in formis creatis colligitur, quod duplici exemplo monstratur: primum est in gratia habituali, in qua ratio principij auxiliãtis, & ratio formæ iustificantis non distinguuntur virtualiter adæquatê; & tamen affirmatur de gratia sub conceptu auxiliantis anteceſsio ad actum Charitatis disponentẽ ad gratiam, & negatur de gratia sub ratione iustificantis.

233 *Duplici exẽplo in creatis, probatur falsitas maioris*

Secundum, in deformitate peccati, in qua ratio actualitatis, & entitatis, & ratio explicita deformitatis non distinguũtur virtualiter adæquatê; & tamen de conceptu entitatis in deformitate incluſo, verificatur, quod causetur à Deo, & negatur de explicito deformitatis conceptu.

234 *Explicatur virtualis distinctio.*

In quo autem distinctio virtualis consistat, non est nostri negotij examinare, sed tractari solet *supra*

disp. 5. agendo de diuinis attributis *& in aliqut* 75. agendo de diuinis relationibus, breuiter tamen pro præsenti sufficiat asserere; illa distingui virtualiter adæquatè, quæ fundant respectu nostri intellectus distinctionem adæquatam rationis. Illa autem distinguuntur ratione adæquata, quæ intelligi à nobis possunt, quin vnum explicetur in alio, nec in illo implicitè includantur attèta sua ratione formali. Quod addo, quia ratione infinitatis omnes Dei formalitates se inuicem implicitè includũt; ratio autem formæ subsistentis hypostaticè, non ratione infinitatis, sed ex propria sua ratione formali imbibit rationem respicientis, eo quod ex sua ratione formali, dicit realem distinctionem in Deo, & realem incommunicabilitatem. In Deo autem realis distinctio non potest aliunde oriri, quam ex reali oppositione relatiua, vel explicata, vel implicitè importata, & ideò ratio formæ hypostaticæ non distinguitur à cõceptu respectus ad terminum distinctione virtuali adæquata, sed tantum inadæquata.

§. XI.

Personas diuinas non constitui originibus, authoritate, & ratione probatur.

235 *prob.* 1. SIt tertia conclusio: *Personæ diuinæ non constituuntur originibus, aut actiuis, aut passiuis.* Ita Authores quintæ sententiæ, & frequentius alij Theologi, illã docuit D. Thomas *locis vbi supra relatis.* Et suadetur primo ex Concilio Florentino *in oratione pro vnione habita à Bessarion Patriarcha cap.* 6. vbi præmissa identitate reali relationis, & originis, sic habetur: *Ideò vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ personæ, prius tamẽ, & principaliter secundum modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur personæ diuinæ, non enim generare, & genitum esse, quod quidem originis est, constituit principaliter personas, sed paternitas, & filiatio; siue Patrem, & Filium esse, quod relationis est.* Quibus verbis tacitè à Concilio approbatis manifestè docetur, quod licet, tam origines, quam relationes distinguant personas diuinas, nõ tamen illas constituunt origines, sed relationes.

Secundo probatur conclusio: nã constitutiuũ personæ diuinæ est pro recto respectiuum, cum sit incommunicabile, & distinguens realiter personam, quod solum respectiuo potest competere; sed origo actiua in recto est aliquid absolutum, & solum de connotato importat respectum, & idem de origine passiua consequenter dicendũ est: ergo origo, siue actiua, siue passiua non constituit personam diuinam. Minor probatur; etenim origo actiua idem est, quod actiua generatio; sed generatio nõ importat in recto respectum, sed aliquid absolutum; consistit enim in diuina intellectione, vt in Patre, siue connotata Paternitate vt conditione, & complemento; sicut potentia generatiua in intellectu vt in Patre, de connotato in obliquo paternitate egrediente, vt cum frequentiori Thomistarum sentẽtia docuimus *supra disp.* 72. ergo origo actiua in recto, non respectum, sed absolutũ importat. Idemque ex consequenti est de origine passiua, v. g. passiua generatione dicendum; quod nempe

236 *Secũdo.*

con-

consistat in intelligi passiuo vt in Filio, ingrediẽte filiatione in obliquo, & de connotato solum, ibidem ostẽsum à nobis est.

237 *Si opponas 1.* Si opponas primo; nam sequitur ex ista ratione, origines non solũ non constituere, verum etiam, nec distinguere personas diuinas; consequens aduersatur verbis Besarió Patriarchæ in prima probatione nostræ conclusionis adductis: ergo ratio ista falso fundamento nititur. Probatur sequela, absolutum nõ solum non constituit, sed nec distinguit personas diuinas, imõ idcircõ non constituit, quia distinguere non potest; sed ratio facta consistit in eo quod origines in absoluto cõsistunt: ergo nec constituunt, nec distinguũt personas.

238 *Resp.* Respondeo distinguendo consequens: loquẽdo de originibus pro eo, quod important in recto, concedo sequelam: pro eo quod importãt de connotato, nego sequelam, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Verba autẽ Patriarchæ intelligenda sunt de originibus pro eo quod in obliquo, & de connotato important, & sic verum est, quod distinguant personas diuinas.

239 *Replica bis.* Sed dices, loquendo de originibus pro eo quod importãt in obliquo, non solum distinguunt, sed etiã constituunt personas, sed verbis relatis docetur, distinguere, & non cõstituere: ergo perperam explicantur de originibus pro eo quod important de connotato. Minor cum consequentia tenet, Maior autem probatur: origo namque actiua, v. c. de connotato importat paternitatem; sed paternitas non solum distinguit, sed etiam constituit personam diuinam: ergo origines pro eo quod important de connotato, non solum distinguunt, sed etiam constituũt personas.

240 *Resp.* Respondeo negando maiorem. Ad probationem, distinguo maiorem: importat de connotato paternitatem, sub munere, & cõceptu formæ hypostaticæ, nego maiorem: sub munere, & conceptu actionis, vel complementi actionis, concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam paternitas constituit sub conceptu formæ hypostaticæ subsistentis, prout sic autem non connotatur ab origine actiua, sed sub munere complẽtis actionem generatiuã, sub quo Parrem in esse personæ non constituit, bene tamen distinguit.

241 *Si opponas 2.* Si opponas secundo, sequi ex ista ratione superfluè D. Thomam ad excludendas origines à constitutione personarum in Deo, confugisse ad hoc, quod significantur, non per modum formæ permanentis, & immanentis; consequens est falsum: ergo & ratio tradita. Patet sequela: nam eo ipso, quod origines in absoluto consistant, quamuis significarẽtur, tanquam formæ immanentes, & permanentes, non valerent constituere personas diuinas, sicut nec illas distinguere; sed secunda nostræ conclusionis probatio sumitur ex eo quod in absoluto consistant: ergo superfluè D. Thomas confugit ad hoc, quod significantur, non per modum formarum permanentium, & immanentium.

242 *Resp.* Respondeo negando sequelam: ad probationem respondeo primo concessis maiori, & minori, negando consequentiam: nam quod ex pluribus causis à constitutione excluditur, rectè ex qualibet illarum probatur, non vt ex causa vnica, & necessaria, sed vt ex causa sufficienti; cum ergo origines actiuæ, & passiuæ excludantur à constitutione diuinarũ personarum; tum, ex eo quod in absoluto consistunt in recto; tum etiam ex defectu permanentiæ, & immanentiæ in personis constitutis: rectè ex qualibet ex his causis probatur personas non constituere, quãuis nulla illarum seorsim causa necessaria sit, sed sufficiens.

243 *Resp. 2.* Secundo respondeo distinguendo maiorem: non valerẽt constituere pro eo quod important in recto, concedo maiorem: pro eo quod im-

por-

portant de connotato, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam cum sub vtraque ratione sint extra cõstitutionem diuinarum personarum & ratione à nobis facta solum sub vna probatur; fit vt effugium D. Thomæ non sit superfluum, sed necessarium ad hoc, quod tam pro recto, quam pro obliquo excluderentur origines à constitutione personarum diuinarum.

Resp. 3. Vel tertio responderi potest, D. Thomam vsum fuisse illis rationibus, vt à diuersitate sententiarum abstraheret. Cum enim duplex versetur sententia, vna docens origines in recto consistere in absoluto; alia docens consistere in respectiuo, vt independenter ab his sententijs excluderet origines à constitutione diuinarum personarum, vsus fuit illis rationibus.

244 *Sed instabis.* Sed adhuc instabis: si namque D. Thomas sentiret origines consistere in absoluto pro recto, aliquando illas à constitutione diuinarum personarum ex hoc capite excluisset; sed numquam D. Thomas ex hoc principio illas exclusit à tali constitutione: ergo quia non consistunt in absoluto pro recto: & consequẽter ratio nostra ex falso principio procedit.

Resp. triplici ter. Respondeo primo negando maiorem, non enim est necessariũ, quod id quod ex pluribus causis à constitutione excluditur, ex omnibus illis probetur. Secundo respondeo. sentẽtiam constituentem origines in absoluto pro recto, non certam, sed probabilem esse, & ideô D. Thomas vt exclusionem originum à constitutione personarum probaret, independenter ab hac, vel illa sententia, non fuit vsus illo principio. Vel tertio dicatur, quod cum exclusis originibus à constitutione diuinarum personarum pro recto, eo quod in absoluto consistant, restet illas à tali constitutione excludere pro eo, quod important de connotato, & hoc alia ratione Diui Thomæ probetur, idcircô compendio vtẽs, vsus fuit alia ratione, quæ illas à constitutione personarum excluderet sub vtraque consideratione.

245 *Tertio prob. cõclusio.* Tertio probatur conclusio: nam constitutiuum alicuius rei debet significari vt manens in illa, non autem vt ab illa egrediens, vel tendens in illam, sed origo actiua significatur vt egrediens à persona; passiua autem vt tendens in personam; neutra autem vt manens in illa: ergo origo non est forma constituens personam.

Cõfirm. Quod amplius confirmari potest: nam constitutiuum rei habentis esse fixum, & permanens, debet significari vt fixum, & permanens, non vt viale, sed processio, tam actiua, quam passiua non significatur vt aliquid fixum, & permanens, sed vt habens esse viale; persona autem diuina est, & significatur vt permanẽs: ergo forma illius constitutiua non est relatio significata nomine originis, vel origo, siue actiua, siue passiua. Qua ratione vsus est D. Thomas *q.* 40. *art.* 2.

246 *Quanto prob.* Quarto probatur conclusio: Filius non cõstituitur generatione passiua, sed filiatione: ergo Pater non constituitur in esse personæ generatione actiua, sed paternitate, & idem de Spiritu Sancto est dicendũ. Vtraque consequentia constat: nam omnium hypostasum eiusdẽ naturæ eadem est ratio constitutionis, & distinctionis: ergo si Filius non constituitur generatione passiua, sed filiatione, nec Spiritus Sanctus constituitur in esse personæ per passiuã processionem: nec Pater per generationem actiuam, sed per proprias relationes. Antecedens autem probatur: nam origo, vel generatio passiua non est forma dans esse formaliter, sed via ad formam formaliter constituentem; Petrus namque v. c. non habet esse formaliter per suam natiuitatem, sed tantum vialiter, quia nempe natiuitate inducitur humanitas, illum formaliter constituens in esse hominis: ergo Filius non constituitur in esse personæ for-

maliter, natiuitate, aut passiua generatione, sed tantum vialiter, quatenus est via ad filiationem formaliter constituentem. Quo argumento vsus est D. Thomas *quæst.* 8. *de potentia art.* 3.

247 *Deniq; prob. cõclusio.*

Denique probatur conclusio: Pater non constituitur in esse personæ per generationem actiuam, sed per paternitatem: ergo nec Filius, nec Spiritus Sanctus per passiuas processiones, sed per relationes constituuntur in esse personæ. Cõsequentia ex dictis tenet, quia vt docet D. Thomas loco nuper allegato, omnium hypostasum eiusdē naturæ eadem est ratio constitutionis, & distinctionis; & consequenter si prima Trinitatis persona non origine, sed relatione formaliter constituitur, idem erit de alijs personis dicendum.

Antec. ostenditur 1.

Antecedens autem ostenditur primo: nam generatio actiua significatur, & concipitur à nobis vt actio, & consequenter vt egrediens à persona Patris; sed quod realiter ab aliquo egreditur, illud realiter constitutum supponit, & vt quod egrediēs concipitur, intelligitur supponens personam, à qua per rationem egreditur: ergo generatio actiua, quatenus à nobis concipitur supponit personam Patris; & consequenter non constituit Patrem in esse personæ.

Secũdo.

Secundo probatur: nam realiter eliciens actionem, realiter supponitur ante actionem constitutum: ergo per rationem eliciens, per rationem etiam supponitur constitutũ ad propriam operationem; sed Pater vt persona distincta à Filio, licet non realiter, ratione tamen elicit generationem actiuam: ergo ratione ad illam supponitur constitutus in esse personæ; & consequenter per illam non constituitur.

248 *Tertio.*

Tertio: nam prius est aliquid constitui in esse, quam operari: ergo Pater prius concipitur constitutus in esse personæ, quam intelligatur operans, & generans Filium, ac perconsequens per generationem non constituitur in ratione personæ.

Deniq; prob. antec.

Denique probatur: nam de ratione actionis est habere principium à quo egrediatur, vel realiter, vel per rationem, vt docet D. Thomas *quæst.* 1. *de potentia art.* 1. *ad* 1. sed generatio actiua est actio propria personæ Patris: ergo ratione nostra à persona Patris egreditur; at quod ab aliquo per rationem egreditur, illum per rationem constitutum supponit: ergo generatio præsupponit Patrem constitutum in esse personæ; & consequenter illum in esse personæ non potest per rationem constituere, de quo genere constitutionis nostra disceptatio procedit.

249 *Aureoli solutio præcluditur.*

Ex quibus præclusa manet solutio Aureoli apud Capreolum *in* 1. *distinct.* 26. *quæst.* 1. versu *contra secundam conclusionem*, asserentis, quod licet actiones nequeant cõstituere suppositа, à quibus eliciuntur, actiones vero, quæ non sunt elicitæ, possunt suppositа constituere; generatio autem diuina non est actio elicita, & ideò potest constituere Patris suppositum. Quæ solutio ex proximè dictis reijcitur: nam licet generatio diuina non sit actio elicita realiter, per rationē tamen elicitur, à nobisque vt elicita concipitur; sed actio elicita realiter, nequit realiter constituere suppositũ à quo realiter elicitur: ergo actio per rationē elicita, vel concepta per modum elicitæ, non potest per rationem cõstituere suppositum à quo concipitur egredi; at disputatio nostra non de reali constitutione procedit, cũ disquirimus, an originibus, an relationibus constituantur personæ: ergo in sensu disputationis non origines, sed relationes constituunt personas diuinas.

* * * * * * *
* * * * * *
* * * * *
* * *
*

§. XII.

Argumentis in cõtrarium occurritur.

250 *Contra cõcluſionẽ arg. 1.*

COntra iſtam concluſionem arguitur primo authoritate Beſarion Patriarchæ in fauorem noſtræ concluſionis adducta verbis ſuperius relatis, quibus duo dicit quæ nobis aduerſari videntur: primum eſt, *relationibus, & originibus diſtingui diuinas perſonas, quãuis principaliter relationibus*, ſed diſtinctiuum, & cõſtitutiuum eſt idẽ: ergo origines conſtituunt perſonas diuinas, licet minus principaliter. Secundum, quod docet eſt, *relationes principaliter conſtituere perſonas*; ſed comparatiuum ſupponit abſolutum conueniens vtrique extremo comparationis: ergo ſentit origines conſtituere perſonas, quamuis minus principaliter.

Cõfirm. Quod amplius confirmari poteſt ex D. Thoma *in præſenti q. 4. art. 2.* vbi docet, melius dici, quod perſonæ diſtinguantur relationibus, quã per origines: ergo ſentit vtrumque verẽ affirmari; ſed diſtinctiuum, & cõſtitutiuum eſt idem: ergo vtrumque poteſt dici, quod nempẽ conſtituantur originibus, & relationibus, & ſi melius dicatur ſecundum.

251 *Reſp. argum.* Reſpondeo, verba Patriarchæ allegata nobis in nullo aduerſari, non quidem in primo dicto: nã conſtitutiuum non eſt idem, quod diſtinctiuum ſecundum, aut viale, ſed quod diſtinctiuum, primariũ, & formale: origo autem non eſt primum diſtinctiuum, & formale, ſed ſecundũ, & viale; generatio namque actiua, tametſi diſtinguat Patrem à Filio, non diſtinguit diſtinctione primaria, ſed ſecundaria aliam diſtinctionem ſupponente præſtitã à relatione per modum formæ hypoſtaticæ. Generatio autem paſſiua non diſtinguit formaliter, ſed vialiter, ſcilicet per modum viæ inducentis filiationem formaliter diſtinguentẽ, & ideò neutra conſtituit propriam hypoſtaſim. Nec item in ſecundo aduerſatur: nã verum eſt relationibus, & originibus conſtitui, diuerſimodẽ tamen; originibus paſſiuis vialiter; quia ſunt viæ ad relationes formaliter conſtituentes: origine actiua etiam Pater conſtituitur à poſteriori loquendo de prima conſtitutione perſonali, quia origo illam ſupponit, & ad illã conſequitur, & formaliter in aliquo eſſe ſecundo, & conſequuto ad primam conſtitutionem; relationibus autem primario formaliter, & permanenter conſtituuntur perſonæ diuinæ.

252 *Ad confirm.* Et ex his ad cõfirmationem conſtat ſolutio: nam verum eſt originibus, & relationibus conſtitui perſonas diuinas modo explicato, quod expreſsẽ à D. Thoma affirmatur, ex hoc tamen non ſequitur in ratione perſonarũ originibus primo, & formaliter conſtitui, vt conſtat ex dictis. Ex dictis etiam infertur, cur Patres quandoque originibus, quãdoque relationibus aſſerant conſtitui perſonas, non enim hoc docẽt; quia ſentiunt illis formaliter, & primo conſtitui perſonali cõſtitutione, ſed vel quia vialiter perſonas cõſtituũt, vt in originibus paſſiuis contingit, vel quia demonſtrant à poſteriori perſonalem conſtitutionem, vt conſtat in actiua.

253 *Secũdo arg.* Secundo arguitur: Filius conſtituitur in eſſe perſonæ per generationem paſſiuam: ergo Spiritus Sãctus per paſſiuam proceſsionem, & Pater per generationem actiuã perſonaliter conſtituuntur. Conſequentia tenet ex dictis: omnium namque hypoſtaſum eiuſdem naturæ eſt eadẽ ratio conſtitutionis, & diſtinctionis.

An-

Antec. ostenditur 1.

Antecedens autem ostẽditur primo: nam passiua generatio non consistit in absoluto, sed in relatiuo pro recto; sed ideó generatio actiua non constituit Patrem in esse personæ, quia in aliquo absoluto consistit: ergo generatio passiua constituit personam Filij. Secundo probatur: nam primum distinguens, constituit; sed passiua generatio est, quæ primo distinguit Filium: ergo illũ in esse personæ formaliter cõstituit. Maior sæpê à nobis est admissa. Minor autem probatur: nam passiua generatio distinguit Filium à Patre, cum conueniat personæ Filij, & repugnet personæ Patris, id autem, quod vni conuenit, & repugnat alteri, inter vtrũque distinguit; sed est prior filiatione: ergo primo distinguit.

254 *Resp. 1. ad primã probationẽ antec.*

Respondeo negando antecedẽs, ad primam probationem respondeo primo negando maiorem; sicut enim generatio actiua est actualis intellectio vt in Patre, ingrediente in recto absoluta intellectione actuali, & paternitate in obliquo: ita generatio passiua est intelligi passiuum vt in Filio, in recto ingrediente passiuo intelligi quod absolutum est, & in obliquo filiatione. Quod fusê ostendimus *supra disp. 72.*

Secũdo.

Respondeo secundo, permissa maiori distinguendo minorẽ: ly *ideò dicente* causam sufficientem, concedo minorem: causam vnicam, & necessariam ad excludendam generationen. actiuam à constitutione personæ, nego minorem, & consequentiam: cum enim causa adæquata non sit, restat alia ob quam passiua generatio excludatur à cõstitutione personæ Filij, nempê, quia non significatur vt forma permanens, & formaliter constituens, sed vt via ad formã formaliter constituentem.

255 *Ad 2. prob.*

Ad secundam distinguo maiorẽ: primo distinguẽs in facto esse permanenti, constituit, contedo maiorem: primo distinguens in fieri, & esse viali, nego maiorem, & sub eadẽ distinctione minoris, nego consequentiã: nam passiua generatio quantumuis repugnet Patri, & conueniat personæ Filij: & consequenter inter vtrũque distinguat, non tamen distinguit in facto esse permanenti, sed in fieri, & in esse viali, quandiu enim intelligitur generari passiuum, nondũ intelligitur Filius habens esse in facto esse, sed veluti in fieri, & in via ad esse personæ in facto esse. Sicut quandiù intelligitur generari passiuum hominis, nondum intelligitur homo, sed fieri hominis, & via ad essendum hominem.

256 *Replicabis.*

Sed dices: licet generatio passiua per modum generationis, & sub explicito generationis conceptu, solum distinguat in fieri, & in esse viali, ipsa tamen vt subsistens, & secundum conceptum implicitum, distinguit distinctione permanenti, & distinguit prius, quam relatio filiationis: ergo sub hac ratione constituit Filij personam. Consequentia tenet ex dictis, minor manifesta videtur: nam generatio passiua vt subsistens non est filiatione posterior, nec simul cũ filiatione: ergo est prior filiatione sub omni filiationis conceptu; & consequentêr priusquam illa distinguit.

257 *Maior ostenditur 1.*

Maior autem ostenditur primo, supponendo, quod origo passiua, quamuis non explicet reduplicatiuê, vt origo, rationem subsistentis, illa n tamẽ mplicitê includit, quod patet primo: nam omnis diuina formalitas est substantia, saltim implicitê: ergo substantialitêr subsistens. Secundo: nam formalitas, quæ in creaturis est accidens, & inhæret, si reperiatur in Deo est substantialis, & subsistens, vt constat in sapientia, intellectu, relatione, & alijs diuinis formalitatibus, quæ non sunt accidentia inhærentia substantiæ, sed substantiæ subsistentes; sed passiua generatio creata, etsi inhærentiam nõ explicet, illam tamen importat implicitê: ergo passiua generatio diuina, quamuis non explicet subsistentiam, illam tamẽ implicitê importat. Denique id ipsum patet à paritate, relationis diuinæ, quæ licet rationẽ sub-

sisten-

sistentiæ non explicet, illam implicitê dicit: ergo pariter origo passiua. Hoc supposito probatur maior duplicitêr, primo: nam ratio viæ, & fieri conuenit origini passiuæ secundũ conceptum explicitũ passiuæ egressionis: ergo vt subsistens subsistentia, quam importat implicitê, non cõstituit in esse viali, nec vialitêr distinguit, sed in facto esse, & permanenti.

258 *Secũdo.* Secundo: nam licet relatio pro explicito, vel per modum relationis, solum relatiuê distinguat, non vero hypostaticê, & personalitêr, sub conceptu subsistentis, quem implicite importat relatio, præstat distinctionem, non relatiuam relatiuê, sed hypostaticam, & personalem: ergo pariter origo passiua, quamuis sub expresso conceptu solum distinguat vialitêr, sub conceptu subsistentis, quem implicat, permanentêr poterit distinguere, & veluti in facto esse; & consequentêr sub hoc conceptu, & munere præstat distinctionem permanentem, & primam.

259 *Solutio Capreoli.* Huic argumento respondeti potest primo ex doctrina Capreoli *in* 1. *distinct.* 26. *quæst.* 1. *ad* 2. argumentum Aureoli contra secundã conclusionem, vbi hanc differentiã constituit inter paternitatem, v. c. & originem, vel actiuam, vel passiuam; quod licet paternitas per modum paternitatis, & sub conceptu relationis non constituat personam, sicut nec origo per modum originis, & in hoc æquiparentur relationes, & origines. Cæterum paternitas potest concipi vt forma inexistens non egrediens, nec in aliud tendens vt via, sed vt eadem cum diuina essentia, & sic potest constituere personã. Generationi autẽ, tam actiuæ, quam passiuæ, repugnat sic concipi; cum in sua ratione importet oppositum, & ideô origo nõ potest intelligi vt cõstitutiua, nisi intelligatur sub opposita sibi ratione. Iuxta quam doctrinam respondendum est argumento negando suppositum antecedentis: nam intelligere originem vt subsistentem, & vt formam inexistẽtem, est terminos implicare.

Hæc tamen solutio ex dictis redditur difficilis, primo; nam licet origini sub expresso cõceptu repugnet concipi vt inexistens, sub implicito tamen non repugnat illi sic concipi; sed idem cõuenit relationi: ergo differentia tradita non subsistit. Minor patet: nam relatio non explicat in existentiam, vel subsistentiam, sed tãtum implicitê inexistit, vel subsistit: ergo sub explicita ratione nequit cõcipi vt inexistens, vel vt subsistẽs. Maior autem eadem paritate probatur; licet namque relationi secundum conceptum explicitum repugnet concipi vt subsistens, vel vt inexistens, non tamen illi repugnat secundum id, quod importat implicitê: ergo quamuis origini passiuæ repugnet secundum id, quod explicat, concipi vt subsistens, vel vt inexistens, non tamen repugnabit illi sic concipi, secũdum id, quod importat implicitê.

260 *Impugnatur primo.*

Secundo: nam ideô relatio diuina potest cõcipi vt forma inexistẽs, vel subsistens, quia licet tantum explicet respectum ad terminum, implicat tamen inhærentiam, in creatis, & in Deo subsistentiam; sed etiam origo, quamuis solum explicet rationem viæ, implicat tamen origo creata inhærentiam, & diuina subsistentiam, vt vidimus: ergo non repugnat illi concipi vt forma inexistens; & consequenter neque vt forma constituens.

261 *Secũdo.*

Et augetur difficultas: ideô nãque relatio vt inexistens concepta non concipitur sub opposita sibi ratione; quia licet non explicet rationem formæ inhærentis, aut subsistẽtis, hanc tamen implicitê importat, sed etiam origo, quamuis hæc nõ explicet, illa tamen implicitê dicit, vt manet probatum: ergo concepta vt forma inexistẽs, subsistens, & constituens, non concipitur sub opposita sibi ratione.

Cõfirm.

262 *Caiet. resp. tripliciter*

Caietanus *in præsenti q.* 40. *art.* 4. *ad finem*, triplici solutione respõ-

det:

det; primo, oppositum opinantes, nempè originibus cõstitui personas, non distinguere de origine, hoc, vel illo modo concepta, sed absolutè affirmare personas diuinas originibus constitui. Vnde probando non constitui originibus secundum conceptum originum, sufficienter obtinetur intentum. Secundo respondet, relationem realem secundum propriam rationem, non solum adesse, sed etiam esse; ac proinde, licet secũdum quod adest, non concipiatur vt forma, secundum quod est, potest cõcipi vt forma constituens. Origo autem etiam vt realis, viæ tantum habet rationem, & ideô repugnat illi concipi vt forma constituens. Tertio respondet, ideo affirmari personas constitui relationibus, & negari constitui originibus; quia Patres duo tantum genera recognoscũt in Deo, nempè substãtiæ, & ad aliquid; quod si communis doctrina genera actionis, & passionis constituisset in Deo, & non relationes, proculdubio origo affirmaretur cõstituens, & postea distingueretur in duplicem actum, nempè constituendi hypostasim, & exercitium originandi.

263 *Contra 1. solutionem obstat.*

Sed etiam omnes istæ solutiones difficiles redduntur ex dictis; prima quidem: nam licet opinantes oppositum non distinguant de originibus hoc, vel illi modo conceptis, sed absolutè defendant originibus constitui; tamen D. Thomas de originibus sub quouis conceptu originum negauit esse personarum constitutiuas, aliàs nullum discrimẽ inter origines, & relationes statuisset in ordine ad actum constituendi personas: ergo vt mens D. Thomæ saluetur, debet dari ratio, cur relatio affirmetur constituens, licet non per modum relationis, sed per modum formæ hypostaticæ, & id de originibus negetur.

264 *Contra 2. obstat*

Secundo, ex eo quod: nam ideô relatio realis, non solum adest, sed etiam est; quia relatio realis creata realitêr subiecto inhæret, relatio autem diuina, verê, & realitêr subsistit, quamuis nec relatio creata explicet inhærentiam, nec diuina subsistẽtiam; sed origo realis creata, vere, & realiter inhæret, quamuis inhærentiam non explicet, & origo diuina, verê, & realiter subsistit, quamvis subsistentiam non explicet: ergo origo realis vt sic, non solum habet rationem viæ, sed etiam realiter est; & consequenter potest rationem formæ constituentis sortiri, & concipi vt forma diuinam personam constituens.

265 *Contra 3. opponitur.*

Denique tertia solutio, cui præcipuè Caietanus acquieuit, ex eo redditur difficilis: nam licet secundum Boetium, & communem Patrũ doctrinam, affirmetur in Deo genus ad aliquid, non tamen negantur genera actionis, & passionis in Deo, imô potius affirmantur, cum omnes Patres concedant processiones actiuas, & passiuas in Deo: ergo quãuis concedamus personas constitui relationibus, non est cur negemus, constitui etiam originibus, sumptis per modum formæ hypostaticæ.

266 *Ferrara resp. dupliciter.*

Ferrariensis *lib. 4. Contra-Gentes cap. 26. ad finẽ*, duas adhibet solutiones, in prima conuenit cum secunda Caietani, docens principium constitutiuum personæ debere esse incommunicabile, & significari per modum formæ intrinsecæ, quorum vtrumque conuenit paternitati diuinæ; est enim incõmunicabilis pluribus, & significatur per modum formæ, non quidem in quantum relatio absolutè, sed in quantum realis relatio diuina. Origo autem, nec in quãtum origo absolutè, nec in quãtum origo realis diuina significatur vt forma, sed vt via quædam à re, vel ad rẽ, & ideô quamuis sit incõmunicabilis non est forma constituẽs personam. Secundo respõdet, principiũ constitutiuum personæ duo præstare debere, ipsam constituere in esse, & etiam in esse distincto, quorũ vtrumque conuenit relationi, & ideô affirmatur de illa constituere personam diuinam: origo autem nõ distinguit

formaliter, sed tantú vialiter, & ideô nõ potest affirmari de origine, quod constituat personam diuinam.

267 *Quæ obstant cõtra vtramq; solutionem.*

Sed contra primam solutionem facit: ideo nãque relatio realis, vt realis, significatur vt forma, quia vt realis, vel inhæret, vel subsistit; sed etiam origo realis vt realis, vel inhęret vt origo creata, vel subsistit vt origo diuina: ergo origo vt realis significatur vt forma. Si fortê dicatur, originem realem vt realem non explicare inhæsionem, nec subsistentiam, sed tantum realem egressionẽ, & realem viam à re, vel ad rem; relatio autem vt realis explicare inhærentiam, vel subsistentiá, & ideô secundum explicitum realationis realis conceptum significari relationem vt formam. In contrarium obstat: nã sicut origo vt sic constituitur per rationem viæ; ita relatio vt sic per cõceptum respicientis terminum: ergo si respicientia termini per hoc, quod contrahatur ad rationem realis respicientiæ termini, explicat, & nõ solum implicat inhærentiam ad subiectum, aut realem subsistentiam: pariter via contracta ad rationẽ viæ realis explicabit realem inhærentiam, aut realem subsistentiam, vel si potest cõcipi ratio realis viæ realiter egredientis à principio, aut realiter tendentis ad terminum, nullo illorum explicato, cur etiam, absque expressione inhærentiæ, aut subsistẽtiæ realis, non poterit concipi realis termini respicientia? Deinde contra secũdam solutionem facit: nam generatio passiua conuenit Filio, & repugnat alijs personis; sed id, quod vni conuenit, & alteri repugnat, inter vtrúque distinguit: ergo origo passiua distinguit.

268 *Recentiorum solutio.*

Denique alij Recentiores respondent, ideó relationem sub conceptu subsistentis implicite ab ipsa importato subinduere rationem formæ hypostaticæ constituentis personã: secus autem originẽ, quia relatio significatur vt aliquid habens esse fixum, permanens, & completum; origo vero non ita, sed per modum fluxus, & vt habens esse in fieri, & incompletum. Vnde D. Thomas nomine formæ intrinsecê nõ intellexit formam intrinsecæ conuenientẽ, sed formam in facto esse completo, & permanenti.

Cæterum, quamuis hæc solutio, sicut & præcedentes verã contineat doctrinam, adhuc tamen obstat cõtra illam; significari originẽ, prout in fieri, prout in egredi, & prout habentem esse incompletum, solum obstare constitutioni personæ per originem secundum conceptum explicitum: ergo secundum conceptũ subsistentis, quem implicitê importat, sortiri poterit rationem formæ hypostaticæ, personamque constituere, non obstante illo modo significationis. Probatur antecedens: quod relatio explicet tendentiam ad terminum, & pro explicito illi, repugnet constituere personam, non impedit, quo minus secundũ cõceptum implicitum apta sit ad personã constituendam: ergo pariter, quod origo explicet aliquid viale, & nó permanens, cui rationi repugnet personæ constitutio secundum cõceptum explicitum, non impediet, quominus apta sit ad personam constituendam secundum conceptum subsistentis, quem implicat. Patet consequentia: nam loquendo secundum explicitum, non minus repugnat tendentiæ ad terminum constitutio personæ, quã conceptui viæ à re, vel ad rem, licet ex diuersis principijs: ergo si repugnantia constituendi personam competens tendẽtiæ relatiuæ secundum conceptum explicitum, non reddit illam impotentem, constituere secundum rationem implicitam in illa: pariter repugnantia ad constituendum conueniens origini, & viæ, pro eo quod explicitê dicit, non reddet ipsam incapacem constituendi, secundum rationem subsistentis importatam implicitê.

269 *Contra istam solutionẽ obstat.*

Censeo in his solutionibus parum, aut nihil differentiæ versari, posseq; ad nostrã reduci. Respondeo

270 *Resp. arg. & traditæ solut. ad cõcord. reducũtur.*

ergo

ergo ad obiectionem factam, negando maiorem: ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: nam licet explicitè solum importet rationem viæ, & non subsistentiam; ista vero, quam implicat, importat etiam non per modũ permanentis, & habentis esse completum, sed per modum fluxus, & habentis esse incompletum. Ad secundam, concesso antecedenti nego cõsequentiam, & ratio discriminis est: nam respicientiæ termini, quam relatio explicat, non repugnat inhærentia ad subiectum, vel subsistentia, imò taliter relatio explicat respectum ad terminum, quod alterum horum petit inhærentiam, relatio creata, & subsistẽtiam, diuina: petit enim relatio creata prius inhærere vt referat, & diuina prius subsistere: conceptus autem explicitus viæ non petit permanentiam implicitam, vt cõstat in passione creata, quæ quamuis pro explicito inhæreat, non tamen permanenter inhæret, sed influxu, & transeúter. Idemque de origine passiua est dicendum, quod nempe explicat rationem viæ, & licet implicet subsistentiam, & revera permanens sit, ex vi tamen conceptus, quẽ explicat, non exposcit permanentiam, quam tamen postulare deberet vt secundum conceptum implicitum subinduere posset rationem formæ hypostaticæ. Et hoc est, quod docuit Capreolus, nempê, non posse originẽ concipi vt formam constituentem personam, nisi concipiatur sub opposito sibi prædicato, quia vt sic conciperetur deberet intelligi, vt forma habens esse permanens, quod etiam pro implicito repugnat origini.

271 *Impugnationes soluuntur*

Contra quam solutionem non obstat prima impugnatio: nam licet pro implicito concipiatur origo inexistens, vel subsistens, non tamen concipitur vt permanenter inexistens, vel subsistens. Nec secunda ob eandem rationem: nam relatio secundum conceptum implicitum inexistit, vel subsistit permanenter: origo autem, quamuis pro implicito inexistat, vel subsistat, non tamen subsistit, seu inexistit permanenter, & completê, sed vialiter, & incompletê attento conceptu explicito, qui potest inhærentiam petere, sed non permanentiam. Sic etiã intellecta secunda solutio Caietani verissima est, quod scilicet relatio non solum adest, sed etiam est permanenter, & fixê. Origo autem, quamuis sit sub implicito conceptu, non est permanenter, etiam pro implicito vt exacto ab explicito. Et in eodem sensu prima solutio Ferrariensis est accipienda.

272 *Arg. 3.*

Tertio arguitur: generatio actiua constituit Patrem in esse personæ: ergo passiua constituit in esse personæ Filium, & Spiritum Sanctum. Consequentia tenet ex dictis: nam vt docet Diuus Thomas *quæst. de potentia sæpè allegata*, omnium hypostasum eiusdem naturæ eadem est ratio constitutionis, & distinctionis: ergo si hypostasis Patris constituitur generatione actiua, Filius, & Spiritus Sanctus constituuntur originibus passiuis. Antecedens autem probatur: nam primum alicuius rei distinctiuum, est etiam eius constitutiuum; sed generatio actiua distinguit Patrem ab alijs personis diuinis, cum illi competat, & alijs personis repugnet, & aliàs est prior relatione paternitatis & cõsequenter primo distinguit: ergo constituit Patrẽ in esse personæ.

273 *Resp.*

Respondeo negando antecedens, ad probationem, concessa maiori, distinguo secundam partem minoris: præcedit relationem paternitatis sub explicito referentis conceptu, concedo minorem: sub conceptu formæ hypostaticê subsistentis, nego minorem, & consequentiam: quia licet distinctio præstita Patri ab origine actiua sit prior illa, quam præbet relatio vt referens, non tamen est prior illa, quam præstat personæ Patris paternitas vt forma hypostaticê subsistẽs;

& conſequenter non origine, ſed paternitate ſic ſumpta, conſtituitur Pater in ratione primæ perſonæ.

274 *Difficultas inſurgens*

Sed contra iſtam ſolutionẽ conſurgit eadem difficultas, quæ de origine paſsiua: nam licet genetatio actiua ſub explicito cõceptu egreſsionis, & viæ, ſupponat Patrem conſtitutum in eſſe perſonæ, ſub conceptu tamen ſubſiſtentis, quẽ implicitè importat, non ſupponit, ſed conſtituit: ergo nulla eſt differentia inter paternitatem, & generationem actiuã quoad hoc, quod eſt conſtituere perſonam, quandoquidem vtraque cõſtituit ſecundum conceptum implicitum, & neutra ſecundum explicitũ. Antecedens probatur: quamuis paternitas ſub explicito conceptu reſpicientis non conſtituat perſonã Patris, ſed conſtitutam ſupponat: ſub conceptu autem ſubſiſtentis, quem inbibit, cõſtituit per nos perſonam: ergo pariter, quamuis origo actiua ſub explicito conceptu egreſsionis, & viæ, non conſtituat, ſed ſupponat perſonam, ſub conceptu vero ſubſiſtentis, quem implicat, perſonam poterit conſtituere.

275 *Reſp. 1.*

Huic obiectioni reſpondetur primo ex dictis in ſolutione ſecundi argumenti, negando antecedens: ad illius probationem, nego conſequentiam, ratio autem diſcriminis eſt: nã reſpicientia termini, quam paternitas explicat, petit inhærentiam, vel ſubſiſtẽtiam per modum formæ permanentis, quam implicitè importat, & ideò quamuis ſub explicito conceptu reſpicientiæ termini non conſtituat perſonam, conſtituit tamen ſecundum conceptum implicitum. Egreſsio autem, & ratio viæ, quã explicat origo actiua, licet petat inhærentiam, vel ſubſiſtentiam, non tamẽ illam petit per modum formæ permanentis, & habentis eſſe fixum, & completum, ſed per modum fluxus, & habentis eſſe viale, & incõpletum, & ideó nec ſecundum explicitum, nec ſecundum conceptum implicitũ poteſt origo actiua conſtituere perſonam.

Secundo reſpondet Nazarius *in hac quæſt. artic. 2. controu. 1.* aliud ſtatuendo diſcrimen, nam licet relatio, & origo actiua explicent reſpicientiam termini, diſtinguuntur tamen in hoc, quod generatio actiua explicat reſpicientiã termini, quaſi deferendo ſubiectum, quod denominatur ab illa, & in aliud tranſeũdo. Cæterum relatio explicat reſpicientiam termini, non deferẽtem, ſed potius afficientem ſubiectum, illudque ad terminum referentẽ, ideoque relatio poteſt ſub aliquo ſui conceptu, vel munere ſubinduere rationem formæ cõſtituentis perſonam: ſecus autem origo actiua.

276 *Secũda ſolutio eſt Nazarij.*

Sed contra hanc rationem diſcriminis obſtat: nam licet actio tranſiens explicet reſpectum ad terminũ deferentem ſubiectum, actio tamen immanens vt immanens non deſerit ſubiectum denominatum, ſed manet in illo: nam per immanentiam in ſubiecto à tranſeunte diſtinguitur; ſed generatio actiua diuina non eſt actio tranſiens, ſed immanens: ergo non explicat reſpicientiam deferentem, ſed potius afficientem ſubiectũ, & in illo manentem; & conſequenter ex iſto capite non repugnat illi ſubinduere rationem formæ conſtituentis perſonam diuinam.

277 *Contra illam obſtat.*

Si fortè dicatur, quod licet origo actiua ſit re ipſa actio immanẽs, non tamen ſignificatur vt immanẽs, ſed potius vt actio tranſiẽs, eo quod à nobis concipitur per ſpeciem generationis creatæ, & ad inſtar illius, generatio autem creata non eſt actio immanens, ſed tranſiens.

278 *Si reſp.*

In contrarium obſtat: nam diuinæ proceſsiones concipiuntur à nobis per ſpecies illorum actuũ, ad quorum analogiam probantur; ſed non probantur ex analogia actionum tã ſeuntium, ſed immanentium, vt conſtat ex D. Thoma *ſupra quæſt. 27.* vbi ex analogia proceſsionis Verbi in nobis, probat proceſsionem Verbi Diuini, & ex analogia impulſus, quẽ volũtas noſtra producit, probat proceſsionem Spiritus San-

In contrariũ obſtat.

ti: ergo non concipiuntur per speciem actionum trãseuntium, sed immanentium, intellectus, & voluntatis creatæ.

279 *Vera solutio.*

Vnde hac solutione in sua probabilitate relicta, respondetur tertio, & melius, aliud statuendo discrimen; excluso namque primario alicuius rei conceptu à constitutione personę, necessario etiam excluditur conceptus consequutus ad primum; qui illam cõstitutam supponit. Hæc autem est differẽtia inter relationẽ, & actionem immanentem, quod relatio prius intelligitur inhærens, & afficiens subiectum, quam referens; & consequenter relatio diuina prius a nobis concipitur subsistens, quam referens. Et ideò, quamuis explicitus referentis conceptus excludatur à constitutione personæ, non inde intelligitur exclusus conceptus subsistentis, quem implicitè importat relatio. Actio autem immanẽs prius intelligitur egrediens à principio, quam inhærens subiecto; & consequenter origo actiua diuina prius concipitur egrediens, quam cõcipiatur subsistens. Cumque sub conceptu egressionis non constituat, sed supponat constitutam personam, sub nullo sui conceptu potest illam constituere: nam si primus eius conceptus præsupponit personam constitutam, omnes alij posterius se habentes supponunt illius constitutionem.

280 *Non potest hæc doctrina origini passiuæ accõmodari.*

Quæ doctrina si posset origini passiuæ applicari omnis difficultas circa differentiam relationis, & originis in ordine ad constituendã personã cessaret, sed non potest illi accommodari, eo quod, quamuis prior sit conceptus viæ in origine passiua, quam conceptus inhærẽtiæ, vel subsistentis, & conceptus viæ non constituat personam, non tamen nó constituit, quia supponat personam constitutã, sed quia antecedit illius constitutionem. Vnde quamuis prior conceptus non constituat personam diuinam, non inde colligitur cõceptum subsequutum ad illum, illoque posteriorem excluſum esse à personæ constitutione.

281 *Si opponas.*

Si dicas, prius aliquid intelligitur constitutum in se, quam intelligatur in ordine ad aliud: ergo prius generatio actiua diuina concipitur in se constituta, quam intelligatur per modum viæ in ordine ad terminum; & consequentẽr vt iubeat illi primo conceptui valebit constituere personam, quamuis sub conceptu egressionis personam constitutã supponat.

Resp.

Respondeo distinguendo antecedens: quando res constituta essentialiter in absoluto consistit, concedo antecedens: quando consistit in respectu ad aliud, nego antecedens, & consequentiam: nam generatio essentialiter consistit in egressione à principio, vnde non potest intelligi in se, nisi intelligatur in ordine ad principium, cum illius esse in hoc ordine egressionis consistat. Cumque ratio ista egressionis prior sit in actione, quam immanentia in subiecto, egreditur enim vt maneat; fit vt sub conceptu immanẽtis, personam etiã constitutam supponat; relatio autẽ non refert vt insit, sed inest vt referat, ac proinde prius inhærens, quã referẽs intelligitur. Ex quo vlterius fit, quod quamuis vt referens personam constitutam supponat, non inferatur, sub conceptu alio priori præsupponere illius constitutionem.

282 *Quarto arg.*

Quarto arguitur, & instatur cõtra hanc solutionem: non minus est de ratione actionis naturalis præsupponere naturam, quam de ratione actionis personalis præsupponere personam; sed actio naturalis subsistens non petit præsupponere naturam, sed illam primo constituit: ergo actio personalis subsistens, qualis est generatio actiua diuina, non supponit, sed constituit personam diuinam. Maior patet: nam ideò actio personalis petit personã supponere, quia procedit ab illa; sed etiam actio naturalis procedit à natura: ergo nõ minꝰ petit actio naturalis præsupponere naturã, quã personalis personam. Minor autem probatur: nã in

ſententia frequentiori apud Thomiſtas *ſupra q.14.art.1.* intelligere diuinum conſtituit naturam Dei; ſed diuinum intelligere eſt actio naturalis vitalis: ergo actio naturalis ſubſiſtens non ſupponit conſtitutam naturam, ſed illam primo conſtituit.

283 *Reſp. Suarez*

Huic argumento Suarez *lib. 7. de Trinitate cap.6.* reſpondet, intelligere diuinum non eſſe conſtitutiuũ Dei ſub conceptu egreſsionis, & vt habet eſſe in fieri, & quaſi viale, ſed per modum actualitatis, & gradus, prout eſt actus perfectiſsimus in Deo manẽs per sũmam identitatem. Cæterum origo actiua non poteſt aliter concipi, quam ſub conceptu egreſſionis, & viæ, ſub quo nequit conſtituere perſonam. Iuxta quam doctrinam argumẽto facto occurritur, verã eſſe de actione naturali, vt egreſſio, & vt habens eſſe in fieri; falſam autem de actione naturali per modum perfectiſsimæ actualitatis, ſic namque non ſupponit, ſed conſtituit naturam; ac proinde ſub hac conſideratione non æquiparatur cum actione perſonali, quæ ſub omni ſuo conceptu perſonam conſtitutam ſupponit. Quam ſolutionem referunt, approbantque Patres Salmanticenſes *tract.6. de Trinitate diſp.18. dub. 3.n.54.& 55.*

284 *Hæc ſolutio petit principium, & reijcitur 1.*

Eſt tamen petitio manifeſta principij, & reijcitur primo: ſi namque diuina intellectio poteſt conſiderari, & vt actus perfectiſsimus, & ſub conceptu egreſsionis, & ſub prima conſideratione conſtituere naturam diuinam; ſub ſecunda autem illam cõſtituram ſupponere: nulla eſt aſsignabilis ratio, cur actio perſonalis nequeat eidem duplici conſiderationi ſubeſſe, & ſub vna conſtituere perſonam, ſub alia autem perſonã conſtitutam ſupponere.

Cõfirm.

Quod amplius vrgetur: nã actus iutelligendi, ideô duas illas conſiderationes admittit; quia in re eſt perfectiſsima naturæ actualitas, & eminenter, aut virtualiter rationé egreſſionis ſortitur; vel quia æquiualet actualitati lineæ intellectiuæ, creatæ, & actioni realiter egredienti à priucipio; vel quia per ſpecies actualitatis intellectiuæ creatæ, & actionis intelligendi egredientis realiter à principio cõcipitur; ſed omnes iſtæ rationes pariefficacia militãt in actione perſonali diuina, vt conſiderãti, abſque vllo negotio conſtabit; eſt enim in propria linea actualitas perſonæ, & virtualiter, aut eminenter egreditur à principio perſonali: ergo ſi poteſt actuale intelligere diuinum in duas illas conſiderationes partiri, & ſub vna conſtituere naturam; ſub alia vero illam conſtitutam ſupponere, idem erit de actione perſonali in ordine ad perſonã dicendũ.

285 *Si fortè dicatur*

Si fortè dicatur, actionem perſonalem, vel originem actiuã, quando conſideratur vt forma habẽt eſſe fixum, & permanens, & veluti in facto eſſe, iam amittere rationẽ actionis, vel originis actiuæ, & induere relationis rationem. Vnde intra lineã originis ſolum poteſt conſiderari vt in fieri, ſub qua conſideratione nequit conſtituere perſonam.

In contrariũ obſtat.

In contrarium obſtat, etiam ſic ſoluẽtes manifeſtẽ petere principiũ. Et inſtauro ſic argumentum: licet intelligere diuinum conſideretur per modum egreſsionis, & vt habet eſſe in fluxu, & veluti in via, eſt etiam cõſiderabile vt actus habens eſſe fixũ, & permanens, quin amittat rationẽ intellectionis actiuæ, & tranſeat ad aliã lineam, vt Authores traditæ ſolutionis fatentur: ergo pariter per hoc, quod origo actiua habẽs eſſe influxu, & veluti in fieri eſt, ſubinduat rationem formæ permanentis, & habẽtis eſſe fixum, completum, & permanens, non amittit rationem originis, nec ad aliam lineam tranſit.

386 *Secũdo reijcitur principalis ſolutio.*

Deinde tradita ſolutio reijcitur: nam eo ipſo, quod diuinum intellige re conſideretur in fieri, aut per modũ egreſsionis, & in facto eſſe, aut per modũ perfectiſsimæ actualitatis, prima illa conſideratio hanc ſecundam antecedit; at ſub prima nõ cõſtituit: ergo ſub ſecunda nequit conſtituere naturam.

Solutio PP. Salmantic.

Huic obiectioni respondent Patres Salmanticenses, concesis maiori, & minori, negando consequentiã: quando enim aliqua entitas, vel formalitas subinduit rationem fieri, & facti esse, quamuis sub prima non habeat rationem cõstitutiui, potest sub secunda rationem constitutiui sortiri respectu rei permanentis, vt cõstat in generatione passiua hominis, quæ prior est forma humana, & tamẽ non est constitutiua hominis formaliter, sed tantum vialiter, & in fieri. Ac proinde ex eo, quod intelligere diuinum prius intelligatur, seu cõsideretur in fieri, & deinde in facto esse, & sub prima consideratione nó constituat Dei naturam, non sequitur sub secunda non esse illius constitutiuum.

287 *Contra istam instaurat. arg.*

Hæc tamen solutio vim obiectionis non minuit, quã in hunc modum restauro: id quod sub primo sui conceptu non constituit naturã, sed naturam constitutam supponit, sub conceptu posteriori nequit constituere naturam, sed necessario debet illam supponere constitutam; sed intelligere diuinum considerabile vt fieri & veluti factum esse, sub prima sui consideratione, & sub primo sui conceptu naturam constitutam supponit: ergo sub secunda consideratione, & conceptu nequit constituere naturam. Illatio est euidens, maior certa. Tum, quia in contrarium non potest instantia adduci: generatio namque passiua non ideò hominem non constituit, quia illum constitutum supponit, sed quia per modum viæ eius constitutionem antecedit. Tum etiam: nam quod supponit aliquid supponens constitutum principium, necessario etiam supponit principij constitutionem. Tum denique: nam hæc consequentia apud Diuum Thomam est bona: *Paternitas vt relatio supponit originem; origo supponit personam: ergo relatio vt relatio, vel per modum relationis supponit constitutam personam.* Sic arguit *in hac quæstione art. 4. in corpore, & locis vbi supra relatis*: ergo pariter hæc consequentia erit bona: *Intelligere diuinum vt veluti in facto esse supponit se ipsum in fieri; vt in fieri supponit constitutam naturam: ergo vt in facto esse supponit constitutam naturam, & sic in vniuersum vera erit maior in discursu assumpta, quod quando aliquid sub primo sui conceptu supponit constitutam naturam, etiam sub secundo, & posteriori supponat.*

288 *Minor prob.*

Minor autem probatur: nam diuinum intelligere non consideratur vt in fieri purè passiuo, sed in fieri actiuo per modũ egressionis à principio, & actionis naturalis; sed licet fieri passiuum non supponat esse termini, sed sit via ad eius esse, fieri tamen actiuum per modum egressionis, & actionis naturalis, necessario supponit pro sui principio naturam. Tum, quia actio præsupponit principium à quo egreditur. Tum etiam: nam actio personalis vt actio, necessario præsupponit personam iam cõstitutam, quia egreditur à persona, vt hic docet D. Thomas; & consequenter etiam actio naturalis præsupponere debet naturam, cum militet eadem ratio; quia nempè procedit ab illa: ergo intelligere diuinum vt in fieri supponit constitutam naturam; sed prima consideratio intellectionis diuinæ est, qua consideratur vt in fieri, & in egredi, actio namque prius à principio egreditur, quam in illo recipiatur, vel identificetur cum illo: ergo sub prima sui consideratione, & sub primo sui conceptu præsupponit constitutam naturã; & consequenter etiam sub secundo conceptu illam constitutam supponit.

289 *Si fortè dicatur in contrariũ obstat primo.*

Si fortè dicatur, considerari primo vt in egredi, & in fieri, quam veluti in facto esse, conuenire actioni creatæ, quæ aliquid subsistens non est, non autem actioni increatæ, quæ substantialis est, & subsistens. In contrarium obstat primo: eo ipso, quod actio diuina non consideretur vt egrediens, sed vt subsistens, conside-

rari veluti actionis principiũ virtuale, aut eminemtiali: ergo prima illius conſideratio intra lineam actionis vitalis, eſt qua conſideratur vt egrediens à principio.

Secundo: nam ſi hæc ſolutio eſt ſufficiens, etiam poterit accõmodari origini actiuæ, vel actioni perſonali, cum ſit etiam ſubſtantialis, & ſubſiſtens; & conſequenter, quamuis ſub conceptu egreſsionis nõ conſtituat, ſed ſupponat conſtitutam perſonam, ſub alio tamen conceptu cõtento intra lineam actionis perſonalis valebit conſtituere perſonam.

290 *Secũda ſolutio.* Deinde allegati Patres, parum ſolutioni traditæ fidentes, reſpondent aliud ſtatuendo diſcrimen: nẽpe intellectionem eſſentialem, in qua Dei eſſentia conſiſtit non dicere ex parte obiecti egreſsionem, aut rationem fluxus, & viæ, ſed tantũ ex parte noſtri modi concipiendi, eo quod non diſtinguitur virtualiter obiectiuẽ ab intellectu, nec à natura diuina, ac proinde ſumpta obiectiuẽ poteſt Dei naturam metaphyſicẽ conſtituere. Origo autem, vel generatio actiua dicit ex parte obiecti egreſsionem, aliquid viale, & influxu conſiſtens, quia ab intellectu diuino virtualiter diſtinguitur, & ideõ ex parte obiecti petit præſupponere perſonæ conſtitutionem.

291 *Prædicta ſolutio impugnatur.* Hæc tamen ſolutio vires argumenti facti non ſoluit: nam generatio actiua non diſtinguitur virtualiter à potentia generatiua Patris, ſi ſemel intellectio eſſentalis nõ diſtinguitur virtualiter obiectiuẽ ab intellectu: ergo ſi intellectio eſſentialis nõ dicit obiectiuẽ egreſsionẽ, neque rationem viæ, & fluxus; quia virtualiter ab intellectu non differt: pariter generatio actiua non importabit obiectiuẽ egreſsionem, nec rationem viæ, & fluxus. Conſequentia tenet ex doctrina ſolutionis.

Antec. oſtenditur 1. Antecedens autem oſtenditur primo: ſi namque intellectio eſſentialis nõ differt virtualiter à diuino intellectu, ideõ eſt, quia diuinus intellectus, vtpotè actus purus, & in ſua linea perfectiſsimus, petit, re, & ratione ſecũ identificare vltimam ſuæ lineæ actualitatem; ſed etiam potentia generatiua eſt actus purus omnem potentialitatem excludens, & actualis generatio eſt vltima ſuæ lineæ actualitas: ergo ſi intellectus eſſentialis virtualiter ab intellectione eſſentiali non differt, nec potẽtia generatiua ab actuali generatione virtualiter diſtinguitur.

292 *Secũdo prob. antec.* Secundo: nam ideó in iſtorum Doctorum ſententia, actualis intellectio ab intellectu eſſentiali virtualiter non differt: quia potentia à ſuo actu virtualiter diſtincta, potentialis eſt, & imperfecta, vel ſaltim vt talis concipitur; ſed hæc ratio, vel probat de potenria generatiua reſpectu generationis, vel non probat de intellectu comparato cum intellectione eſſentiali, vt conſideranti, facili negotio conſtabit: ergo vel intellectus ab actuali intellectione diſtinguitur, vel potentia generatiua non differt virtualiter ab actuali generatione. Denique probatur ex doctrina prædictorum Patrum *ſupra q. 27. aiſp. 1. dub. 2. & ſequentibus*, vbi docent, potentiam generatiuam eſſe intellectum in recto, connotata paternitate in obliquo, & actualem generationem eſſe intellectionem pro recto, de connotato eadem paternitate ingrediente; ſed rectum generationis eſt idem re, & ratione cum recto potentiæ generatiuæ, connotatũ generationis re, & ratione cum connotato potentiæ generatiuæ, vt allegati Patres fatentur: ergo generatio actualis, prout adæquatè conſiſtens in abſoluto pro recto connotata relatione, eſt idem re, & ratione, aut virtualiter cum potentia generatiua.

293 *Secũdo reĳcitur principalis ſolutio.* Secundo: nam ſi generatio actiua relationem importat in recto, licet diſtinguatur virtualiter ab intellectu diuino, non tamen diſtinguitur virtualiter adæquatè à relatione paternitatis; ſed quia intellectio eſſentialis non differt virtualiter ab intelle-

ctu diuino non potest concipi vt vialis obiectiuè, & vt obiectiue egrediens ab illo, vt dicti Patres fatentur: ergo paritergeneratio actiua nõ poterit concipi vt vialis obiectiuê, nec vt sic egrediens à persona Patris pro recto, quæ paternitatem importat in recto.

294 *Resp. arg.* Vnde his, & alijs solutionibus omissis, ad quartum argumentum respondeo, negando minorem: ad cuius probationem respondeo primo, sententiam illam non posse cum ratione ista D. Thomæ componi. Nec video, cur personalis actio petat personam supponere, & intelligere actuale, quod in actione naturali consistit, possit non supponere naturam, sed illam metaphysicé constituere. Vel illa sententia admissa; nempe, quod intelligere actuale diuinum constituat naturam Dei. Respondendum est secundo nõ esse actionem vitalem, sed actum secundũ perfectissimum, de cuius conceptu non est egressio à principio, sed viuenti a se conuenire per summam actualitatem; generatio autem actiua cum sit ab alis productio, non potest nõ esse actio. Vel denique est asserendũ, intelligere diuinum constituere naturam Dei, non per modum operationis, sed per modum gradus, & vltimæ actualitatis: ita vt inter intellectionem per modum operationis, & per modum gradus solum intercedat distinctio ex modo significandi. Ex quo solum sequitur actualitatem generationis actiuæ constituere personam, non per modũ operationis, qualitêr significatur nomine originis, & generationis actiuæ, sed per modum formæ hypostaticæ. Sed certê satius est primæ solutioni adhærere, in alijs namque vix potest discriminis relatio assignari.

295 *Deniq; arg.* Denique arguitur: constitutione reali, nec origo, nec relatio constituit personam, constitutione virtuali, vtraque personã constituit, constitutione ex modo significãdi, nec origo, nec relatio constituunt: ergo malê D. Thomas statuit discrimẽ inter relationes, & origines, quoad hoc, quod est constituere personã diuinã. Antecedens pro prima parte constat: nam realis constitutio personæ diuinæ non datur. Pro secunda probatur: nam origo, & relatio non differunt virtualiter obiectiuê: ergo quidquid virtualiter affirmatur de vna, debet etiam de alia virtualiter affirmari; & consequenter si relatio virtualiter constituit personam, etiam illã constituit origo. Denique pro tertia parte probatur: nã sicut origo non constituit ad modum originis, ita nec relatio ad modum relationis constituit, vt expressê docet D. Thomas *in hoc artic. 4. & locis vbi supra relatis*: ergo ex modo significandi, nec origo, nec relatio constituunt.

206 *Resp. 1.* Respondeo primo concesso antecedenti, negando consequentiam: nam licet paternitas diuina, & generatio actiua, vel origo conueniant in hoc, quod nec paternitas ad modum relationis constituat, nec origo ad modum originis; in eo tamen discriminãtur, quod origo nec per modum originis, nec per modum formæ hypostaticæ constituit personam diuinam; paternitas autem potest sub vtroque modo significandi, nempê relationis, & formæ hypostaticæ sub esse, & licet sub primo modo non constituat personam, sub secũdo tamen constituit.

Primario discriminis assignatur. Ratio autem huius differentiæ habetur ex dictis; quia nempê paternitas exprimit respectum ad Filium implicando rationem formæ subsistentis, & permanentis, sub qua personam constituit; origo autem, vel generatio actiua explicat rationem viæ egressionis, & fluxus, qui licet petat in creatis inhærentiam, & in Deo subsistentiam, non tamen petit attento suo modo significandi permanentiam inhærentiæ, aut subsistẽtiæ, & ideô paternitas potest subinduere rationem formæ hypostaticê constituentis, secus autem origo.

197 *Secũda ratio discriminis.* Secunda ratio differentiæ, quoad originem actiuam est clarior: nã ratio

tio egreſsionis, quam explicat, eſt primus illius conceptus ex vi modi ſignificandi, inhærere vero, aut ſubſiſtere eſt conceptus eius ſecundarius, eo autem ipſo, quod primus cõceptus perſonam conſtitutam ſuppo nat, non poteſt ſecundarius perſonam conſtituere, in relatione autem oppoſitum, oppoſita de cauſa, contingit: nam conceptus reſpiciendi, quem explicat, non conuenit relatio ni primario, ſed prius reſpicit ſubiectum relatio creata, & diuina prius petit ſubſiſtere, quam reſpicere, & hoc, attento ſuo modo ſignificandi. Et ideô quamuis ſub conceptu expli cito reſpicientis non ſubinduat rationem formæ hypoſtaticæ, eſt capax vt concipiatur ratione formalitatis implicatæ per modum formæ hypoſtaticæ conſtituentis perſonam.

298 *Reſp.* 2. Secundo reſpondeo, negando antecedens, pro ſecunda parte. Ad eius probationem dicatur, relationem & originem, licet non diſtinguã tur virtualiter adæquate, diſtingui tamen ratione ratiocinata, & inadæquate virtualiter, vt in ſolutione qua ti argumenti dicebamus de for ma hypoſtatica, & paternitate vt relatio, & ſicut hoc ſufficit, vt ibi expli cuimus, ad hoc quod paternitas per modum formæ hypoſtaticæ conſti tuat perſonam Patris, non autem per modum relationis: ita etiam ſuf ficit vt relatio, & non origo conſti tuat.

299 *Replic.* Sed dices: non ſtat relationẽ, & originem diſtingui obiectiuê virtualiter, & non diſtingui diſtinctione virtuali adæquata; ſed hæc diſtinctio non datur inter originem, & relationem, vt ſupponimus: ergo nec diſtinctio obiectiua inadæquata virtua lis. Maior probatur: ſi datur diſtin ctio obiectiua, ideo eſt; quia origo obiectiuê rationem egreſsionis à per ſona ſortitur; ſed eo ipſo quod obiectiuê egreſsio ſit, non poteſt non diſtingui virtualiter adæquatè à relatione, à qua egreditur: ergo non ſtat diſtingui obiectiuê, & non diſtingui à relatione virtualiter adæquatê. Minor probatur primo: nã inter principium, & principiatum virtualiter, neceſſario interuenit virtualis adæquata diſtinctio, ſicut inter principium, & principiatum realiter, diſtinctio realis intercedit. Secundo: nam intellectio diuina virtualiter adæquatê diſtinguitur à diuina natura, quia virtualiter egreditur ab illa.

300 *Reſp.* Reſpondeo, negando maiorẽ. Ad probationem, nego minorem. Ad cuius primam probationem diſtinguo antecedens: inter principium *quo*, vel *quod*, & principiatum, concedo antecedens: ſi ſit tantum conditio principij, nego antecedens, & conſequentiã: nam relatio conſtituens perſonam, nec eſt principium *quo*, nec *quod* generationis actiuæ, ſed principium *quo* eſt natura diuina, principium *quod* eſt perſona diuina, quæ ex proprietate, & natura ſubſiſtit; relatio autem conſtituens perſonam, ſolum eſt conditio principij: ſubſiſtentia namque ad agendum ſolum, vt conditio concurrit. Vnde origo actiua à natura diuina, quæ eſt principium *quo* illius, & à perſona, quæ eſt eius principium *quod* virtualiter adæquate diſtingui tur; à relatione autem conſtituente perſonam, ſolum diſtinguitur virtualiter inadęquate. Et ex his ad ſecun dam probationem conſtat ſolutio: etenim natura diuina eſt principium *quo* diuinæ intellectionis; relatio au tem vt conſtituens perſonam, eſt con ditio principij reſpectu generationis; & quia maior diſtinctio exigitur inter principium, & id quod ab illo egreditur, quam inter conditionem principij, & actionem: fit cõſequens, vt inter diuinam intellectionem, & diuinam naturam ſit diſtinctio virtualis adæquata; inter relationem autem vt conſtituentem perſonam, & originem actiuam inadæquata virtualis ſufficiat.

301 *Replic.* Sed dices: Paternitas, vt forma hypoſtatica, ſolum vt conditio ad generationem Filij concurrit, natura vero diuina, vt eius principium

quo;

quo; & tamen paternitas à Filio genito distinguitur realiter, natura autem diuina realiter identificatur cũ illo: ergo maior distinctio requiritur inter conditionem principij, & id quod est à principio, quam inter principium *quo*, & originatum ab ipso. Respondeo distinguendo primam partem minoris: distinguitur realitèr à Filio genito, quia est conditio principij illius, nego minorẽ: quia est ratio formalis referendi ad ipsum, concedo minorem, & nego consequentiam: nam quod paternitas à Filio realiter distinguatur, nõ prouenit ex eo quod est conditio in principio generante, sed quia refert Patrem ad Filium. Ex quo non sequitur maiorem distinctionem exigi inter conditionem principij, & id quod est à principio, quam inter principium *quo*, & principiatum ab ipso.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

302 *Primũ corollarium.*

EX dictis sequitur primo, relationes esse personas diuinas, & esse in illis. Quod docet D. Thomas *in præsenti quæst.* 40. *art.* 1. Prima pars corollarij probatur primo: nam relatio est idem realitèr, quod diuina essentia, alias cum illa realem compositionẽ efficeret, quod repugnat diuinæ simplicitati; sed diuina essentia idem est quod persona, vt docet D. Thomas *quæst.* 39. *art.* 1. & probatur eadem ratione: ergo relatio idem est quod persona. Secundo probatur: nam si relatio non esset idem realiter, quod persona diuina, sequeretur primo realiter illam componere, secundo illam realiter actuare; primum repugnat diuinæ simplicitati, secundũ summæ illius actualitati: ergo identificatur cum persona diuina. Tertio: nam in diuinis omnia sunt vnũ, vbi non obuiat relationis oppositio; sed relatio constituens personam, licet illam referat ad suum correlatiuum, non tamen refertur ad illam: ergo relatio à persona, quam constituit, non distinguitur realiter, sed realiter identificatur cum illa.

303 *Secũda pars prob.*

Secunda pars corollarij probatur: nam relationes constituentes personas significantur in abstracto, & vt formæ; sed de ratione formæ est esse in eo, cuius est forma: ergo relationes sunt in personis. Quod amplius vrgetur: nam quia diuina essentia significatur, vt forma in abtracto, quamuis sit idem realiter cũ Deo, dicitur nihilominꝰ esse in Deo; sed proprietates constituentes personas significantur, vt formæ in abstracto: ergo quamuis sint idẽ quod diuinæ personæ, nihilominus verè dicuntur esse in personis diuinis.

304 *Secũdũ corollarium.*

Secundo colligitur, personas diuinas distingui originibus, & relationibus, primo tamen relationibus. Ita Diuus Thomas *in hac quæst. art.* 2. Primum patet: nam origo actiua conuertibiliter identificatur cum relatione, quam fundat; sed hæc à suo correlatiuo distinguitur realiter: ergo etiam origo actiua ab eodem realiter distinguitur; & consequenter personam, cui conuenit, realiter ab alia persona distinguit. Idẽque argumentum fit de originibus passiuis.

Prima pars probatur 1.

Secundo: nam id, quod vni realiter conuenit, & realiter alij repugnat, realiter inter vtrumque distinguit; sed quælibet origo habet hoc, nempe vni personæ realiter conuenire, & alteri realiter repugnare; generatio namque actiua conuenit realiter Patri, & repugnat realiter

Secũdo.

aliis personis diuinis; generatio passiua conuenit Filio, aliisque personis repugnat; processio passiua conuenit Spiritui Sancto, & repugnat Patri, & Filio: ergo origines realiter distinguunt personas.

305 *Secũda pars prob. de origine actiua.*

Secundum probatur primo de persona Patris loquendo: nam licet paternitas sub conceptu, & munere referentis consequatur ad originem, vel generationem actiuam, prout vero subsistens est, & sub conceptu formæ hypostaticæ, generationem præcedit, & personam Patris constituit; sed pro illo priori personam Patris distinguit, cum illum reddat realiter incommunicabilem, cuivis alteri personæ: ergo paternitas per modũ formæ hypostaticæ prius Patrẽ realiter distinguit, quam actiua generatio.

306 *Idipsũ de passiuis, probatur.*

Deinde de originibus passiuis probatur: nam licet præcedant relationes constituentes, præcedunt tamen vt viæ ad formas constitutiuas, distinctiuasque personarum; sed forma constitutiua prius distinguit, quam via ad illam prioritate, saltim intentionis, quamvis nõ exequutionis: ergo etiam personæ procedentes, prius relationibus, quam originibus distinguuntur.

Secũdo.

Secundo potest alter explicari in personis procedentibus; quod nẽpe distinguantur prius relationibus, quam originibus, non prioritate ordinis, aut rationis, sed prioritate principalitatis, sic autem accepta prioritate probatur: nam constitutiuum rei principalius illam distinguit, quam id, quod constitutiuum non est; sed origines passiuæ non cõstituunt personas procedentes, sed sunt viæ ad illarum constitutionem, bene tamen relationes: ergo prius prioritate principalitatis distinguuntur relationibus, quam originibus.

307 *Tertiũ corollariũ probatur.*

Tertio colligitur, abstractis per intellectum relationibus, non manere hypostases diuinas. Quod docuit D. Tho. *in hac quæst. art. 3.* & patet manifesta ratione: nam abstracta forma non manẽt intellectus constituti tali forma, sicut abstracta, vel nõ intellecta rationalitate, non manet intellectus hominis, quia rationalitate constituitur in esse hominis; sed proprietates, aut relationes diuinæ constituunt hypostases diuinæ naturæ, & distinguunt: ergo abstractis relationibus per intellectum, manebit diuina essentia, non tamen remanebunt hypostases.

308 *Obij. cies.*

Dices, abstracta ratione differentiali manet intellectus rationis cõmunis; sed hypostasis est quid commune ad personam, & suppositum irrationalis naturæ, proprietates autem, vel relationes sunt differentiæ constituentes personas: ergo abstractis relationibus, etsi non maneant personæ, remanebunt tamẽ hypostases, sicut rationali abstracto, aut non intellecto manet animal, quãvis non remaneat homo.

309 *Resp.*

Respondeo, hypostasem, & personam non differre in Deo ex parte proprietatis constituentis, & distinguentis, quam important in recto, sed ex parte naturæ, quam de connotato dicunt, est enim persona rationalis naturæ individua substantia, id est incommunicabilis subsistẽtia, hypostasis autem est subsistens distinctũ in natura substantiali, abstrahendo à rationali, vel irrationali. Ex quo solum sequitur, quod abstracta per intellectum rationali natura, perseuerare possit intellectus hypostasis, nõ autem quod abstracta relatione permaneat, quia non potest manere distincta. Doctrinam istam limitat D. Thomas ad relationem, quæ est personalis proprietas, quæ namque proprietas personalis non est, vt spiratio actiua, personam constitutam supponit, & ideô illa abstracta manet intellectus hypostasis.

Quart infer. tur.

Quarto colligitur, origines passiuas præcedere proprietates relatiuas personales, origines vero actiuæ præcedunt simpliciter relationem non constituentem personam. Respectu autem relationis personalis, origo actiua præintelligitur ad illam

sub

sub munere referentis, illam tamen præsupponit sub munere formæ hypostaticæ. Ita D. Thomas *in præsẽti art.* 4.

Prima pars probatur.

Prima pars corollarij probatur: nam passiua generatio Filij, v. c. est via ad Filiationem sub conceptu formæ hypostaticæ constituentis, & fundamentum eiusdem sub conceptu referentis; sed via terminum præcedit, & fundamentum præintelligitur formæ fundatæ, idemque de passiua processione respectu relationis Spiritus Sancti est dicendum: ergo origines passiuæ simpliciter antecedunt personales relationes, ideſt, antecedunt illas sub omni conceptu, & munere relationis cõ distincto, & condiuiso à munere viæ, & originis.

310 *Secũda pars probatur.*

Deinde secunda pars eiusdem corollarij suadetur: nam tota necessitas præcedendi originem in relatione constituente personam, est, quia est actio personalis præsupponẽs constitutam personam; sed relatio non personalis, v. c. relatio spiratoris non constituit, sed supponit personam constitutam, videlicet Patrem, & Filium per Filiationem, & paternitatem: ergo relatio, vel proprietas non personalis, sub nulla ratione præcedit originem, sed sub omni subsequitur; & consequenter origines præcedunt simpliciter proprietates non personales.

311 *Tertia pars suadetur.*

Denique tertia pars eiusdem corollarij probatur ex dictis; paternitas namque vt relatio, hoc est, sub expresso referentis conceptu, supra generationem fundatur, vt forma autem hypostatica, ideſt, sub conceptu subsistentis, præcedit generationem, vt constat ex disputationis discursu: ergo origo actiua præcedit proprietatem personalem sub vno conceptu, & sub alio supponit illam.

312 *Quinto infertur.*

Quinto ex dictis colligo, personam diuinam non esse communem reali cõmunitate tribus diuinis personis, idemque est dicendum de hypostasi, & diuino supposito. Primũ patet: nam de ratione personæ est vltimo esse terminatam, & incommunicabilem: ergo non stat personam diuinam esse realiter communem tribus diuinis personis. Secundum, & tertium probatur: nam hypostasis suppositum, & persona conueniunt in ratione incommunicabilis, & solũ differunt penes connotatum naturæ; nam persona connotat rationalitatem, à qua hypostasis, & suppositum præscindunt; sed ratione distinctionis, & incommunicabilitatis, quam petit persona, non datur persona in Deo tribus personis communis reali communitate: ergo ob eandem rationem, non datur hypostasis communis, nec commune suppositum communitate reali.

313 *Sextum corollarium.*

Sexto colligitur, rationem personæ diuinæ esse aliqua ratione communẽ tribus personis communitate rationis, non tamen communitate vniuoca, sed tantum analoga. Primum patet: nam tres diuinæ personæ conueniunt in ratione personæ, & in diffinitione illius; aliàs in illis realiter multiplicatur: ergo est illis aliqua ratio communis. Secundum patet primo: nam ratio communis vniuoca est genus, vel species, si essentialiter, & in *quid* de inferioribus prædicetur; sed communis ratio personæ, essẽtialiter, & in *quid* prædicatur de tribus personis diuinis: ergo si vniuocẽ comparatur ad illas, erit genus, vel species, quod in Deo nequit admitti. Secundo: nam ratio communis vniuoca præscindit perfectẽ à differentijs illam contrahentibus; sed ratio personæ diuinæ, non præscindit perfectẽ à differentijs trium personarum, aliàs cum illis efficeret metaphysicam compositionem, quam repugnare diuinis personis, tenet communis sententia: ergo non est illis communis communitate vniuoca. Ex quo tertia pars corollarij colligitur: nam quod est commune, & non communitate vniuoca, necessario debet esse commune communitate rationis analoga.

Deni-

314 *Vltimũ corollarium.*

Denique infertur, personam diuinam prædicari, nõ denominatiuê, sed quidditatiuê de Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Ita Caietanus *supra quæst.31. art.4.* & frequentius alij Theologi. Et probatur ex dictis: tunc namque vnum de alio prædicatur quidditatiuê quando prædicatum est de intrinseca ratione, aut de quidditate significati formalis subiecti; sed significatum formale huius nominis *persona diuina*, est de intrinseca ratione, & quidditate significati formalis horum nominũ, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*: ergo persona diuina non denominatiuê, sed quidditatiuê prædicatur de Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Probatur minor: prædicatum formale huius nominis *persona diuina*, est subsistentia incommunicabilis & significatum formale horum nominum *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, est paternitas Filiatio, & relatio passiuê spirati; sed subsistentia diuina incommunicabilis, essentialiter imbibitur, & formaliter includitur in paternitate, Filiatione, & relatione spirati, vt constat ex dictis: ergo significatum formale huius nominis *persona diuina*, est de essentia, & quidditate Patris, Filij, & Spiritus Sancti sumpta essentia non pro natura, sed pro realitate, & transcendenti entitate.

315 *Oppositum docuit Vazquez, & prob. 1.*

Contrarium huius docuerunt Vazquez *disp.130. cap.2.* & Suarez *lib.1. de Trinitate cap.3.* Et probari potest primo: nam hæc prædicatio, *Petrus est persona humana*, est denominatiua, & non quidditatiua: ergo pariter ista, *Pater est persona diuina*. Secundo: nam significatum formale Patris est diuina essentia, & natura; sed de quidditate huius non est personalitas: ergo persona diuina, non prædicatur in *quid*, aut quidditatiuê de Patre.

Secũdo.

Tertio.

Tertio: nam persona est individua substantia rationalis naturæ: ergo persona diuina est individua substantia naturæ diuinæ, sed ratio individui non est de quidditate rei, sed illius proprietas, sicut bonum, & vnum sunt proprietates entis, nõ autem de conceptu quidditatiuo illius: ergo persona diuina non est de quidditatê Patris diuini, sed proprietas illius; & consequenter non quidditatiuê, sed denominatiuê prædicatur de Patre.

Confir.

Quod amplius confirmari potest: nam Pater, & Filius sunt eiusdẽ essentiæ, & quidditatis; sed non sunt eadem persona: ergo ratio personæ non prædicatur de illis essentialiter, & quiditatiuê. Patet consequentia: nam variato prædicato quidditatiuo, quidditas etiam variatur; sed variata in Patre, & Filio ratione personæ, non variatur, vel multiplicatur quidditas: ergo ratio personæ, non est de quidditate Patris, & Filij.

316 *Ad 1. resp.*

Hæc tamen argumenta non vrgẽt. Ad primum respondeo negando consequentiam: nam Petrus est nomen naturæ, & quia de essentia naturæ humanæ, non est personalitas, vel subsistentia, ideô persona humana non prædicatur quidditatiuê de Petro. Pater autem est nomen personale de formali relationem importans, & quia in diuina relatione includitur essentialiter ratio subsistentiæ personalis, ideó de Patre diuino essentialiter prædicatur persona diuina. Ex his constat solutio ad secundam negando maiorem; Pater enim de formali non naturam, sed relationem significat, sicut persona significat de formali non naturam, sed personalitatem.

Ad 2.

Ad 3.

Ad tertiam concessa prima cõsequentia, nego minorem subsumptam, nam individuum prout sumitur in diffinitione personæ, nihil aliud est quam subsistens incommunicabiliter, in quo essentia personæ consistit, vt constat ex eius diffinitione. Ad confirmationem dicatur, essentiam sumi tripliciter: primo pro natura, quæ est radix operationum. Secundo pro susceptiuo proximo existentiæ. Tertio pro abstracto entis

sump-

ſumpti tranſcendentaliter : primo, & ſecundo modo tres diuinæ perſonæ ſunt eiuſdem eſſentiæ: tertio autem modo diuerſas eſſentias habent, ideſt diuerſas entitates, hoc ſecundū poteſt abſolutè concedi: ſecus primum: quia eſſentia abſolutè ſumpta ſonat naturam, eſt autem de fide tres diuinas perſonas eiuſdem eſſe naturæ. Et hæc de iſta diſputatione, applicanda litteræ Magiſtri *in* 1. *diſt.* 26. §. 2. illis verbis : *Iam de proprietatibus perſonarum, &c.* Et *diſtinct.* 27. §. 2. illis verbis : *Semper vero Pater eſt ; quia ſemper genuit Filium.* Hæc etiam de iſto Tractatu.

M. Set.

CIRCA *quæſtionem* 41. *in qua agit Diuus Thomas de actibus notionalibus, videnda ſunt quæ ſupra diſp.* 71. *&* 72. *docuimus agendo de proceſsionibus, & de principijs illarum. Ex quibus habetur actus notionales in recto, non in relationibus, ſed in abſoluto conſtituere connotata relatione: generatio, v.c. conſiſtit in actu intellectus, non abſolute, ſed prout modificato relatione paternitatis; cum enim actus notionales idem ſint quod proceſsiones, quod ibi de proceſsionibus docuimus, dicendum etiam eſt de actibus notionalibus. Ex ibi etiam dictis colligitur, potentiam generatiuam, de qua Diuus Thomas agit quæſt.* 41. *art.* 1. *non in relatione, ſed in abſoluto conſiſtere in recto, ingrediente de connotato, & in obliquo relatione paternitatis. Vt enim diſp.* 72. *docuimus, principium generationis conſiſtit in diuino intellectu vt in Patre, potentia autem generatiua nihil aliud eſt, quam proximum generationis principium; & conſequenter conſiſtit in intellectu diuino vt in Patre, intellectu ingrediente illius conſtitutionem in recto, & paternitate in obliquo. Cui doctrinæ non opponitur id quod docet D. Thomas art.* 5. *in corpore, nempe, quod potentia generandi principaliter diuinā eſſentiam ſignificat; cum*

enim in nostris principijs diuina essentia, & diuinus intellectus virtualiter distinguantur, consequens esse videtur vt non consistat potentia generatiua in intellectu vt in Patre. Non inquam nostræ doctrinæ aduersatur. Tũ, quia D. Thomas dum ait potentiam generatiuam principaliter significare essentiam, explicari potest de essentia, vt contraponitur relationi, non vero vt importat naturam virtualiter ab attributis distinctam. Tum etiam, nam si loquitur de essentia vt virtualiter ab attributis distincta, accipiẽdus & explicãdus est, quod loquatur de potẽtia generatiua in radice, hoc est de principio quo radicali generandi, nõ autẽ de principio quo proximo, & hoc est quod Nos asserimus consistere in intellectu vt in Patre.

Circa articulum secundum in solutione ad 3. dubitari poterat, an Spiritus Sanctus libere à Patre, & Filio procedat, & an illius processio sit libera. Affirmat Scotus, & ipsum sequuntur omnes eius discipuli contra D. Thomam solutione ad 3. relata. Cuius doctrina non est accipienda de libertate contingentiæ, aliàs taliter Spiritus Sanctus procederet, quod potuisset non procedere, & cum habet esse per processionem, sequeretur taliter esse, quod posset non esse, quod absurdum, & hæreticum est, & a mente Scoti alienum. Sed de libertate essentiali, in quo sensu liberum idem est quod voluntarium, censet enim Scotus voluntatem adæquatè, & in omni suo actu esse liberam, & quod licet possit necessario velle, non tamen potest velle per modum naturæ. Cuius sententiam disput. 74. s. 1. impugnauimus, & ideò in præsenti ab istius discussione abstinemus.

Circa eandem solutionem est aduertendum, Diuum Thomam concedere Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio vt amorem, & per modum voluntatis, negat autem procedere voluntariè, cuius ratio esse videtur: nam voluntariè procedere, est taliter se habere, quod potuerit non

pro-

procedere. Quod testatur communis modus loquendi, iuxta quem id dicimur voluntariè facere, quod ita facimus, vt in nostra sit situm potestate ab illius efficientia cessare. Vnde cum Spiritus Sanctus non ita à Patre, & Filio procedat, quod procedere non potuerit, nec ita vt in illorum voluntate sit positum, quod ab illis non procedat; sit consequens, vt quamuis procedat vt amor, & iste amor voluntarius sit, nõ tamen asserendum est, quod voluntariè procedat.

Ex eadem solutione infertur, & ex doctrina D. Thomę in corpore articuli, quod licet Pater, & Filius per volũtatem producant Spiritum Sanctum, non tamen est absolutè asserendum, quod voluntate Spiritum Sanctum producunt, *sed cum addito, scilicet per modum naturę. Et ratio est: nam licet voluntas, & libera, & natura sit, & possit vtroque modo operari, id tamẽ per quod expressius à principio naturaliter agente distinguitur, est indifferentia ad vtrumlibet, in quo libertas consistit. Et ideò* operari, aut producere voluntate vt priori principio *absolutè loquendo denotat indifferentiam in operando, & quia Pater, & Filius non producunt Spiritum Sanctum cum indifferentia ad non producendum, sed cum determinatione ad vnum; sit consequens, vt quamuis Spiritum Sanctũ per voluntatem producant, non tamen est asserendum, quod Spiritus Sanctus voluntate producatur absolutè, sed addendo per modum naturæ.*



TRACTATVS DECIMVS QVARTVS.

DE ÆQVALITATE, ET MISSIONE DIVINARVM PERSONARVM.

DE quo Diuus Thomas in 1. sententiarum distinct. 19. vbi agit de æqualitate; & distinctione 15. & 16. vbi de Missione diuinarum personarum. Ad Annibaldum eisdem distinctionibus Lib. 4. Cõtra Gentes cap. 11. & cap. 23. In hac 1. p. q. 42. & q. 43. Quæstionem 42. in qua agit de æqualitate diuinarũ personarum, diuidit in sex articulos. In primo inquirit: *Vtrum æqualitas locum habeat in diuinis?* Respondet conclusione affirmatiua, quam probat in argumento *sed contra* ex Athanasio in Symbolo fidei, illis verbis: *Tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Deinde in corpore articuli probat eandem veritatem ratione: *Quia æquale dicitur quasi per negationem maioris, & minoris; sed in diuinis personis non est ponere maius, & minus: ergo est inter diuinas personas æqualitas.* Maiorem probat D. Thomas auctoritate

Philosophi 9. *Metaphysicæ textu* 16. & 17. nec indiget probari ratione; est enim notissima loquendo de negatione excessus fundata supra quantitatē molis, seu virtutis, quam esse in Deo, probat D. Th. *solut. ad* 1. Minorē probat primo ex Boetio *lib. de Trinit. paulò à principio.* Secūdo ratione: *Quia inæqualiū non potest esse vna quātitas numero, sed essentia, quę sola habet rationē quantitatis in Deo, est vna numero in diuinis personis; alias tres personas non essent vnus Deus: ergo inter personas diuinas non est inęqualitas; & consequenter non est in illis ponere maius, & minus.*

Solutione ad 1. docet D. Th. æqualitatem fundari supra quantitatem molis, aut virtutis, quę idem est, quod perfectio, & quia hæc reperitur in Deo, est in illo fundamentum æqualitatis. Vbi autem æqualitas attenditur secundum quantitatem virtualem, æqualitas includit similitudinē, & addit exclusionem excessus, vt docet solut. ad 2. In solut. ad 3. docet, æqualitatem significatā per nomina, mutuo dici de Patre, & Filio: secus autē vt significatur per verba: vnde Filius dicitur æqualis Patri, & Pater æqualis Filio: dicitur autem Fili' coæquari Patri, nō autē dicitur Pater coæquari Filio, & hoc ideô: *Quia verba significant ęqualitatem cum motu, & licet motus non sit in diuinis, est tamē ibi* accipere; *& quia Filius accipit à Patre id in quo est illi ęqualis, Pater autē à Filio non accipit, ideò Filius coęquatur Patri, & non è conuerso.* Solutione ad 4. docet relationem æqualitatis inter diuinas personas non esse realem, sed rationis.

In 2. articulo inquirit: *Vtrū persona procedēs sit coęterna suo principio vt Filius Patri?* Respondet conclusione affirmatiua, quā probat in argum. *sed contra* ex Symbolo Athanasij, illis verbis: *Totę tres personę coęternę sibi sunt, & coæquales.* In corpore articuli probat eandem veritatem ratione: *Quod enim terminus ab ali-*

quo

quo agente productus, sit posterior suo principio, prouenit, aut ex libertate in agendo, aut ex imperfectione virtutis, vel ex successione actionis; sed Pater non generat Filium voluntate, sed natura, vt ostensum est quæstione præcedenti articulo 2. & natura Patris ab æterno perfecta fuit, & actio, qua Pater producit Filium, non est successiua, aliàs Filius Dei successiue generatus esset: & eius generatio materialis, & cum motu esset, quod est impossibile: ergo Filius fuit quandocumque fuit Pater, & sic Filius est coæternus Patri, & similiter Spiritus Sanctus vtrique.

Si opponas primo: *In omni modo quo aliquid est ex alio deest æqualitas naturæ, aut æqualitas durationis; si igitur Filius est à Patre, oportet dicere, vel eum esse minorẽ Patre, aut posteriorẽ, aut vtrũque.* Respõdet D. Th. verũ esse antecedens in omni modo processionis creaturarum, ex quo non licet colligere, idem est dicendum de diuina generatione, vt enim Augustinus dicit sermone 8. de verbis domini: *Nullus modus processionis alicuius creaturæ perfectè repræsentat diuinã generationẽ, vnde oportet ex multis modis colligere similitudinem,* sumendo, nempe, ex quouis modo, quod perfectionis est, & relinquendo illius imperfectiones: *inter omnia tamen,* inquit D. Thom. *expressius repræsentat processio Verbi ab intellectu, quod quidem non est posterius eo à quo procedit, nisi sit talis intellectus, qui exeat de potentia ad actum, quod in Deo dici non potest.* Ex quibus verbis noua ratio pro eadẽ veritate desumitur, ad hanc formã redacta: Verbũ productũ ab intellectu, qui nõ exit de potẽtia ad actum, non est posterius duratione intellectu producẽte; sed Filius est Verbũ productũ âPatre per intellectũ, qui vtpotê summê, actualis non exit de potentia in actum: ergo nõ est posterior duratione Patre producente; & consequenter erit illi coæternus.

Si opponas ſecundo: *Omne, quod eſt ex altero habet principium; ſed nullum æternum habet principium: ergo Filius procedens à Patre non eſt æternus, neque Spiritus Sanctus.* Reſpondet D. Thomas: *quod æternitas excludit principium durationis, ſed non principium originis,* & reducendo ad formam ſolutionem D. Thomæ reſpondetur, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: æternitas excludit principium durationis, concedo minorem: principium originis, nego minorem, & conſequentiam. Ex eo namque, quod Filius procedat â Patre, non ſequitur habere principium durationis, quod excludit æternitas, ſed ſolum quod habeat principium originis, quod æternitas non excludit; ac proinde non ſequitur, quod æternus non ſit, nec quod Patri non ſit coæternus.

Sed dices: non ſtat, quod Filius procedat â Patre, & quod non habeat ſuæ durationis principium; ſed æternitas excludit durationis principium: ergo etiam excludit proceſsionem â Patre; & conſequentêr eo ipſo, quod Filius procedat â Patre nõ eſt illi æternus. Probatur maior: non ſtat, quod Filius procedat â Patre, & quod non accipiat durationem ab illo; ſed habere durationem ab alio eſt habere durationis principium, ſicut accipere filiationem ab alio, eſt habere principiũ filiationis: ergo non ſtat, quod Filius â Patre procedat, & quod non habeat ſuæ durationis principium.

Reſpondeo negando maiorem: ad probationem conceſſa maiori, nego minorem: nam habere principium durationis, eſt habere eſſe poſt nõ eſſe, Filius autem licet accipiat â Patre durationem, ſicut accipit ab illo naturam, & omnes perfectiones diuinas, non tamen habet eſſe poſt non eſſe; taliter enim eſt, quod ſemper fuit, iuxta illud Ioannis 1. capitulo: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus*

erat Verbum. Vnde etsi habeat durationem â Patre communicatam, non habet durationis principium: & hoc ideo, quia sicut accipit â Patre naturam, non diuersam, sed eandem, ita accipit durationem, nõ diuersam, sed eandem cum duratione Patris, Pater autem taliter est, quod semper fuit; & consequenter Filius etiam, taliter est, quod fuit semper; cum quo non stat habere esse post nõ esse, in quo consistit principiũ durationis habere. Et ideô ait D. Thomas in solutione ad quartum argumentum: *Ad significandum præsentialitatem, & permanẽtiam æternitatis potest dici de Filio, quod semper nascitur, vt Origines dicit, sed vt Gregorius, & Augustinus dicunt, melius est, quod dicatur semper natus, vt ly* semper *designet permanentiam æternitatis, & ly* natus *perfectionem geniti: sic ergo Filius non imperfectus est, nec erat quando non erat, vt dixit Arrius.*

Vbi aduertendum est D. Tho. non reprobare loquutionem Originis, sed illam posponere modo loquendi Augustini, & Gregorij, & hoc ideô, quia ly *nascitur* ex modo significãdi importat natiuitatem Verbi vt in fieri, ly *natus* significat illam vt completam, & terminatam. Et ob hanc rationem ad significandam perfectionem, geniti melius dicitur de Filio *semper natus*, quam *semper nascitur*, quamuis quia ly *nascitur* nõ importat imperfectionẽ ex parte rei significatæ, possit etiam absolutê dici de Filio Diuino, semper nascitur, vt Origines dicit.

In tertio articulo inquirit, vtrum in diuinis personis sit ordo naturæ? Respondet conclusione affirmatiua, quam probat in argumento, sed contra: *Nam vbicumque est pluralitas sine ordine, ibi est confusio; sed in diuinis personis nõ est confusio, vt Athanasi⁹ dicit in Symbolo, & aliàs est inter illas pluralitas: ergo est ibi ordo.* Dein-

de in corpore articuli probat ratione: *Nam ordo dicitur per comparationem ad aliquod principium; ſed in diuinis perſonis datur principium ſecundum originem abſque prioritate, vt dictum eſt ſupra quæſt. 33. art. 1. ad 3. ergo inter diuinas perſonas eſt ordo originis abſque prioritate, qui vocatur ordo naturæ ſecundum Auguſtinum, non quo alter ſit prius altero, ſed quo alter eſt ex altero.*

Solutione ad ſecundum docet D. Thomas, vnam perſonam non eſſe alia priorem. Et probat: *nam perſona conſtituitur relatione, & natura; ſed natura eſt eadem in tribus perſonis; & conſequentèr natura vnius perſonæ non eſt prior natura alterius, relationes autem ſunt ſimul intellectu, & natura: ergo vna perſona nõ eſt prior alia, licet ſit principiũ illius.* Quæ doctrina intellecta de prioritate inſtantis in *quo*, & de prioritate â *quo* naturæ, certiſsima eſt: ſunt enim coæternæ perſonæ diuinæ; & cõſequentêr vna nõ eſt prior alia duratione, quæ eſt prioritas in *quo*. Et licet vna perſona ſit principiũ alterius, non tamen eſt cauſa illius; & conſequenter nõ eſt prior illa prioritate â *quo* naturæ, quæ eſt prioritas cauſalitatis. Ex quo ſequitur non eſſe abſolutê dicendum, quod vna perſona diuina ſit prior alia. Tum, quia Auguſtinus verbis ſupra relatis abſolutê negat prioritatem inter diuinas perſonas; & conſequenter non eſt affirmãda inter diuinas perſonas prioritas abſolutê. Tum etiã: nam prioritas abſolutê prolata importat prioritatem in *quo*, vel â *quo* naturæ, & cauſalitatis, quarũ vtraque repugnat perſonis diuinis.

An autem concedi poſsit, quod vna perſona eſt prior alia cum addito, nempê, prioritate originis, non eſt vna Theologorum ſententia, Scotus affirmat; alij negant, ſed vt Caietanus aduertit, quæſtio eſt de nomine, & vt docet Bañez ſine periculo poteſt affirmari. Nec D. Thomas id negat, ſed ſolum quod ſit dicenda

vna persona prior alia absolutè, quod verissimum est, & in Symbolo Athanasij contentum, illis verbis: *Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*, per coæternitatē excludendo prioritatem durationis, & per coæqualitatē excludendo prioritatem â *quo*, & causalitatis, causa nāque potior est suo effectu; & consequenter inter omnimodè æquales causalitas dari non potest. Ex quibus verbis Athanasij colligitur prioritatem absolutè dictā supponere pro prioritate temporis, aut causalitatis. Quod patet, docet enim Athanasius in Trinitate nihil esse prius, aut posterius, & probat, quia tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales; sed si prioritas, dicta absolutè, non staret pro aliqua ex dictis prioritatibus, non bene probaret ex coæternitate, & æqualitate personarum, prius, & posterius in Trinitate non dari: ergo prioritas dicta absolutè stat pro prioritate temporis, vel causalitatis, quarum prima, coæternitatem excludit, & secunda, æqualitatem. Ex eo autem, quod Diuus Thomas negauerit prioritatem absolutè, non sequitur negasse prioritatem originis, quæ non est absolutè prioritas, sed solum cum addito. Imò hanc prioritatē possumus ex illius doctrina probare: nam D. Thomas, etsi neget vnam personā esse causam alterius, docet vnā personā esse alterius principiū: ergo etsi neget prioritatem â quo naturæ, quæ est prioritas causalitatis, non negat, sed admittit vnam personam esse alia priorem prioritate originis, absque omni causalitate. Deinde: nam simultas naturæ inter relationes diuinas, ex qua probat D. Thomas non esse prioritatem in Deo, etsi excludat causalitatem vnius personæ in aliam, nō excludit, quod vna persona sit principium alterius: ergo licet excludat prioritatem causalitatis; non tamē excludit prioritatem originis.

Si opponas, absolutê dicitur Pater persona prima Trinitatis, Filius secunda persona, & Spiritus Sanctus tertia: ergo absolu ê dicitur Pater prior Filio, & Pater, & Filius priores Spiritu Sancto. Probatur consequẽtia: nam primum respectus secundi dicit ordinem prioritatis ad ipsum: ergo si Pater dicitur prima persona absolutè per comparationem ad Filium, dici potest, & debet absolutê prior illo. Respondeo negando consequentiam: nam prima, secunda, & tertia persona in Trinitate, & si dicantur non solum numero numerante, aliâs posset Filius dici prima persona, & Pater secunda, sed ex natura rei; hæc tamen numeratio non fundatur in prioritate absolutê tali, sed vel in prioritate cũ addito, nempè originis, vel in ordine originis sine prioritate. Et quidẽ si esse primum exprimeret esse prius, vt vult Vazquez *disp.* 167. *cap.* 2. sicut absolutê dicitur Pater prima persona, & Filius secunda, absolutè diceretur Pater prior Filio, & Filius Patre posterior, cuius cõtrarium ostendimus, & admittit Vazquez *disputatione allegata in fine disputationis*, vbi expressê docet, quod licet ordo inter diuinas personas, sit prioris, & posterioris secundum rem, non tamen licet absolutè appellare vnam personam priorem alia secundum rem, nisi cũ additamento *secundum originem*; si namque prior sine additamento asseratur, videtur significari prius aliquod duratione, quæ prioritas personis repugnat.

Quæ doctrina verissima est, cæterum ex illa sic infero: absolutê dicitur in Trinitate prima, & secunda persona; & tamen non dicitur absolutê prius, & posterius secundum rem, nec vna persona dicitur absolutè prior alia: ergo primum, & secundum non exprimũt prioritatem, nec posterioritatem, nec in prioritate, nec in posterioritate consistunt, sed tantum in ordine; & consequenter ex eo quod in Trinitate detur prima, se-

cun-

cunda, & tertia persona, non sequitur dari in Trinitate prioritatẽ secundum rem.

Solutione ad secundum argumentum docet Diuus Thomas, *quod ordo naturæ dicitur, non quia ipsa natura ordinetur, sed quia ordo in diuinis personis attenditur secundum naturalem originem.* Quod explicans Caietanus ait, in titulo ly *naturæ* non est obliquus determinatus per ly *ordo*, sed contra, determinans ipsum ordinem, ita quod non est sensus, *vtrum sit ordo naturæ, tãquam rei ordinatæ, sed vtrum sit ordo naturæ?* ideſt, naturalis, vt naturale contra voluntarium distinguitur.

Solutione ad quartum docet, ideô ordinem originis inter diuinas personas melius nominari ordinẽ naturæ, quam ordinem essentiæ; *quia natura quodammodo importat rationem principij, non autem essentia*, subsumendum est; sed ordo originis est ordo principij: ergo melius dicitur ordo naturæ, quam ordo essentiæ.

In quarto articulo docet, Filium esse æqualem Patri secundum magnitudinem. Quod probat in argumento sed contra ex illo ad Philippẽses secundo: *Nõ rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Et in corpore articuli hac ratione: *Magnitudo enim Dei non est aliud, quam perfectio naturę ipsius; sed Filius est ęqualis Patri in natura: ergo est Patri ęqualis in magnitudine. Minorem probat: est enim de ratione paternitatis, & filiationis, quod Filius per generationem pertingat ad habendam perfectionem naturę Patris, vel statim, vel successiuè, nisi aliter eueniat propter defectum principij generationis; sed in diuinis est propriè paternitas, & filiatio, vt constat ex dictis* quæst. 33. art. 1. & 2. *Nec potest dici, quod virtus Dei Patris fuerit defectiua in generando, neque quod Dei Filius successiuè ad perfectionem peruenerit: ergo ab ęterno*

accepit perfectè naturã Patris; & cõsequẽter ab ęterno fuit ęqualis Patri in natura.

Si opponas, magnitudo in Deo idem est, quod perfectio, vt constat ex dictis *supra disp.* 78. sed perfectio Dei non est idem, quod natura diuina, sed transcendit omnia attributa, vt ibi docuimus, & communiter docetur â Theologis: ergo magnitudo Dei non est idem quod natura diuina; & consequenter ex eo, quod Filius adæquetur Patri in natura, nõ rectè infertur, esse æqualem Patri secundum magnitudinem. Respondeo, concessis maiori, & minori, & prima consequentia, negando secundam, quæ sub infertur; cum enim omnia attributa radicentur in essentia, & ad illam consequantur, probata æqualitate Filij cũ Patre in natura, in eiusque magnitudine, per euidentem consequentiam infertur æqualitas Filij cum Patre in omni alia perfectione.

Articulus quintus: *Virùm Filius sit in Patre, & è conuerso?* Conclusio est affirmatiua, quã probat in argumento *sed contra* ex illo Ioannis 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Deinde illam probat in corpore articuli: *Tria namque est considerare in Filio, scilicet essentiam, relationem, & originem, & secundum quodlibet istorum, Filius est in Patre, & è conuerso.* Secundum primum probat: *Nam Pater est sua essentia; sed essentia est in Filio: ergo Pater est in Filio, & similiter, Filius est sua essentia; sed hæc est in Patre: ergo Filius est in Patre.* Secundum probat: *Nam vnum relatiuum est de intellectu alterius, & è conuerso: ergo vnum relatiuum est secundum intellectum in alio, & è conuerso.* Tertium probat: *Nam terminus actionis immanẽtis manet in principio, sed Verbum est terminus actionis immanẽtis, procedit enim à Patre per intellectum: ergo Filius est in Patre secundum originem.*

Si opponas, sequitur ex ratione D. Thomæ, nõ solum Patrem esse in Filio, & Filium in Patre, sed etiam paternitatem esse in filiatione, & hanc in paternitate; consequens est falsum: ergo ratio D. Thomæ firma nõ est. Sequela patet: nam inde probat D. Thomas Patrẽ esse in Filio, quia Pater est sua essentia, quæ est in Filio; sed etiam paternitas est diuina essentia, quæ est in filiatione, & filiatio est essentia, quæ est in paternitate: ergo ex vi rationis D. Thomæ, non solum Pater est in Filio, & ê conuerso, sed etiam paternitas est in filiatione, & filiatio in paternitate. Minor autem probatur: nam paternitas, & filiatio realiter distinguuntur, & relatiuè opponuntur; sed quia paternitas, & filiatio in creatis distinguuntur realiter, & relatiuê opponuntur, vna nõ est in alia: ergo paternitas diuina non est in filiatione, nec filiatio diuina in paternitate. Quod amplius vrgetur: si paternitas esset in filiatione, quia essentia, cui idẽtificatur est in illa, etiam hæc esset vera: paternitas est filiatio; sed hoc dici non potest, aliâs realiter distinctæ non essent: ergo nec est dicendum, quod paternitas diuina est in filiatione. Probatur sequela: dicitur de paternitate, quod est in filiatione, quia essentia diuina, cum qua identificatur paternitas, est in filiatione; sed non solum est verum, quod essentia diuina est in filiatione, sed etiam quod est filiatio: ergo etiam erit verum dicere, quod paternitas est filiatio, & quod filiatio est paternitas.

Respondeo concedendo sequelam, & negando minorem, vt enim docet D. Thomas in hoc articulo solutione ad 3. *Pater, & Filius opponuntur secundum relationem, non autem secundum essentiam, & tamen oppositum relatione vnum est in altero*; quæ doctrina etiam tenet in paternitate, & filiatione, cum includant essentiam, cum qua identificantur. Vnde in forma ad pro-

ba-

bationem minoris, distinguo maiorem: distinguũtur realiter adæquatê, nego maiorem: inadæquatê, concedo maiorem, & sub eadẽ distinctione minoris, nego consequentiam: nam paternitas, & filiatio in creaturis adæquatê realiter distinguuntur, id est, taliter distinguuntur, quod nullatenus identificantur, & ideô vna non est in alia ratione identitatis; licet vna in intellectu alterius includatur ratione oppositionis relatiuæ. Paternitas autẽ, & filiatio diuina, taliter distinguuntur, quod etiam idẽtificantur secundum essentiam, quam implicitê includunt. Et ideô vna est in alia secundum essentiam, & non solum vna est de intellectu alterius ratione oppositionis relatiuæ. Est etiam aliud discrimen: nam filiatio creata non terminat actionem immanentem, sed transeuntem, vnde Filius creatus non est in Patre secundum originem; filiatio autem diuina constituit terminum per actionem immanentem productum. Vnde sicut Filius est in Patre secundum originem, quia est terminus per actionem immanentẽ productus: ita filiatio constituens terminum productum per actionem immanentem, est in paternitate constituente principium per actionem immanẽtem producens.

Ad confirmationem, nego sequelã: ad cuius probationem, nego consequẽtiam: ratio autem discriminis est: nam hæc propositio, *Paternitas est filiatio*, dicit omnimodam identitatem filiationis cum paternitate, & quia licet in essentia identificentur, non tamen omnino identificantur, ideô dicta propositio non est absolutè concedenda. Hæc autem propositio, *filiatio est in paternitate*, dicit identitatem cum distinctione, & quia taliter distinguuntur, quod etiam identificantur, ideô ista propositio absolutè conceditur. Et quidem tã argumentum, quam illius confirmatio, non solum mi-

litant loquendo de paternitate,& filiatione,sed etiam militant contra inexistentiam Filij in Patre, & Patris in Filio, vt consideranti constabit.

Articulus sextus,*an Filius sit æqualis Patri secundum potentiam?* Conclusio est affirmatiua, quam probat in argumento *sed contra*, ex illo, quod dicitur Ioānis 5. *Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*. Et in corpore articuli hac ratione : *Potentia enim agendi consequitur perfectionem naturæ ; sed Filius est æqualis Patri in natura: ergo est æqualis Patri in potentia, & eadem ratio est*, inquit D. Thomas, *de Spiritu Sancto respectu vtriusque*, quæ est demonstratio Theologica procedens ex minori de fide, & ex maiori naturaliter demonstrabili.

Si opponas: adæquari producenti in natura est proprium Filio. Tum, quia probat D. Thomas *artic. 1. huius quæstionis* ex ratione filiationis, & paternitatis, quod Filius sit æqualis Patri in natura. Tum etiam, quia est Filio proprium, in similitudinē naturæ procedere : ergo falsum est, quod ait D. Thomas, nēpē rationē istā, qua probatur æqualitas Filij cum Patre in potentia, probare etiam æqualitatem Spiritus Sancti in potentia.

Respondeo negando antecedens: nam licet sit Filio proprium esse Patri similem, & æqualem in natura ex vi processionis; & consequenter hoc nō conueniat Spiritui Sancto, similitudo autem in natura, & æqualitas in illa cum principio producente, non habita ex vi processionis, sed vel ex vi processionis, vel identicē per processionem, non est propria Filio, sed etiam est Spiritui Sancto communis. Et licet identitas in natura cum Patre vt habita ex vi processionis formaliter, cōueniat secundæ personæ, quia per intellectum procedit, quod autem sit eiusdem naturæ cum Patre absolu-

tè, non conuenit illi, quia per intellectum procedit, sed quia actio, per quam procedit, est idem cũ natura diuina. Quæ ratio militat in Spiritu Sancto procedente per voluntatem, quæ identicê est natura diuina, vt constat ex doctrina D. Thomæ *quæst. 27. art. 2. & 4.* ac proinde ratio, qua probat D. Thomas Filium esse æqualẽ Patri in potentia, quia est illi æqualis in natura, id ipsum de Spiritu Sancto conuincit. Nec oppositum prima antecedentis probatio suadet; cum enim D. Thomas probauit æqualitatem Filij cum Patre in natura ex ratione filiationis, & paternitatis vsus est hac ratione vt sufficiẽte ad probandam prædictam æqualitatem, nõ tamen vt vnica, & adæquata, restat enim alia, id ipsum in Spiritu Sancto conuincens, vt vidimus.

Quæstionem quadragesimam tertiam diuidit in octo articulos, inquirens in primo: *Vtrùm alicui personę diuinæ conueniat mitti?* Respondet cõclusione affirmatiua, quam probat in argumento *sed contra* ex illo Ioannis 8. *Non sum ego solus, sed ego, & qui misit me Pater.* Deinde id probat in corpore articuli: *Duo enim in missione importantur: nempè habitudo missi ad terminum ad quem mittitur, vt aliquomodo ibi incipiat esse, vel quia prius ibi omnino non erat, vel quia incipit ibi aliquo modo esse, quo antea non erat, & exitus missi à mittente, vel secundum imperium, vel secundum consilium, vel secundum originem; sed in diuinis vna persona procedit ab alia, & potest incipere aliquo modo esse, quo antea nõ erat: ergo potest vna persona ab altera mitti.*

Si opponas: missus est minor mittente, separatur ab illo, & ab aliquo loco discedit; sed vna persona diuina non est minor alia, nec ab illa potest separari, nec potest ab vno loco discedere, & ad aliũ accedere: ergo non potest vni personæ conuenire quod mittatur ab alia. Respondet D. Thomas, minorationem conue-

nire ei, qui mittitur per imperiũ, vel cõsilium, qualiter mitti personæ diuinæ nõ cõuenit, sed secundũ originẽ, quæ est secundũ omnimodã æqualitatẽ. Separatio etiã â mittẽte, & ab aliquo loco discedere, cõuenit ei, quod sic mittitur vt incipiat esse, vbi prius nullo modo erat, qualiter persona diuina nõ mittitur, sed incipiendo esse aliquomodo, quomodo prius ibi non erat. Vnde sicut non incipit per missionẽ esse, vbi prius non fuerat; ita non desinit esse vbi fuerat. Mutatio etiã loci solũ cõuenit misso per motum localem, qualiter persona diuina non mittitur.

In secũdo inquirit: *Vtrũ missio sit ęterna, vel tẽporalis?* Conclusio est, *non esse æternam, sed tẽporalem*, quã probat in argum. *sed cõtra*, ex illo Pauli ad Galatas 4. *Cũ venit plenitudo temporis misit Deus Filiũ suũ.* Deinde illã probat in corp. artic. *Quia in his, quæ important originẽ diuinarum personarũ, quædã in sui significatione importãt solam habitudinem ad principium, vt processio, & exitus; quædã vero cũ habitudine ad principium determinãt processionis terminum ęternũ, vt generatio, & spiratio; quodã vero cum habitudine ad principium important terminum tẽporalẽ, sicut missio, & datio; mittitur enim aliquid ad hoc, quod sit in aliquo, & datur ad hoc, quod habeatur. Personam autẽ diuinam haberi ab aliqua creatura, vel esse nouo modo existendi in ea, est quoddam temporale*, subsumenda est; sed quæ determinant terminum æternum, æternaliter solum dicuntur; quæ vero non determinãt terminum temporalẽ, nec æternum, & vtrũque possũt denotare, dicuntur æternaliter, & tẽporaliter; quæ autẽ terminum tẽporalem determinant, temporaliter solũ dicuntur: *Ergo missio, & datio in diuinis dicuntur tẽporaliter tantũ; generatio autẽ, & spiratio solum ab æterno; processio autem, & exitus dicuntur in diuinis æternaliter, & tẽporaliter: nã Filius ab ęterno processit, vt sit Deus:*

tẽporaliter autẽ vt etiã sit homo secundũ missionẽ visibilẽ, vel etiam vt sit in homine secundum inuisibilem missionẽ. Ratio autem minoris â nobis subsumptæ, & â D. Thoma subintellectæ est: nam ad existentiam alicuius cõstantis ex pluribus, vtriusque existentia requiritur, & per inceptionem cuiuslibet incipit esse; sed importans processionem æternam, & connotans terminum tẽporalem, ex vtroque coalescit, & hoc secundum ab æterno non est, sed in tempore incipit esse: ergo importans processionem æternam determinando terminum tẽporalem non est æternum, sed temporale, nec æternaliter dici potest, sed tantum temporaliter.

Si opponas: quod solum importat ordinẽ ad principium, nihil connotat temporale, sed totum, quod importat, est æternum; sed solum ratione connotationis termini temporalis possunt dici tẽporaliter ea, quæ in diuinis important originem: ergo quod solũ importat ordinem ad principium, non potest dici tẽporaliter in Deo, sed solum potest dici ab æterno; & consequenter processio, & exitus, quæ iuxta D Tho. solum important ordinem ad principium, non possunt dici temporaliter, sed æternaliter solum dicũtur. Respõdeo distinguendo maiorem: quod solum importat ordinem ad principium, ly *solum* accepto positiuê tantũ, nego maiorem: ly *solum* accepto positiuê, & exclusiuê, cõcedo maiorem, & concessa minori, distinguo primum consequens distinctione maioris, & nego secundã cõsequẽtiã: nã processio, & exitus, etsi positiuê solũ importent ordinem ad principium, non tamẽ excludunt connotationẽ termini, sed illã permittũt, & quia possunt cõnotare terminũ æternũ, dicendo Verbũ procedit in natura diuina, & terminũ tẽporalem, dicẽdo Verbũ procedit vt sit homo; fit cõsequẽs, vt processio, idẽque de exitu est dicẽdũ, possit dici tẽporaliter, & æternaliter.

In 3. artic. inquirit: *Vtrũ missio inuisibilis diuinæ personæ sit solum secundũ dona gratiæ gratum facientis*: Conclusio est affirmatiua, quam probat in argumento *sed contra* authoritate Augustini, & in corpore articuli duplici ratione, quas inferius explicabimus.

In 4. inquirit: *Vtrũ Patri conueniat mitti?* Et respondet conclusione negatiua, quam probat in argumento *sed contra*, ex Augustino *lib. 2. de Trinit. cap. 5.* vbi ait, *quod solus Pater nũquam dicitur missus.* Et ratio est, qua vtitur in corpore articuli: *Nã missio in sui ratione importat processionẽ ab alio, & in diuinis secundum originem, vt dictum est art. 1. & 2. sed pater non procedit ab alio: ergo Patri nullo modo cõuenit mitti, sed solum Filio, & Spiritui Sancto, quibus conuenit esse ab alio.* Solut ad 1. docet, *quod si dare importet liberalem cõmunicationem alicuius, sic Pater dat seipsum; si vero importet auctoritatẽ dantis respectu eius quod datur, sic non conuenit dari in diuinis, nisi persona, quæ est ab alio, sicut nec mitti.* Ex quibus verbis colligitur missionem, & dationẽ, etsi in connotatione effectus tẽporalis cõueniant, quo circa vtraque solũ temporaliter dicitur; in processione autẽ non conueniunt datio, & missio; hæc nãque sine processione nõ subsistit, bene tamẽ datio, nisi sit datio cũ authoritate. Vnde D. Th. nõ omni dationi, sed solũ illi, quæ denotat authoritatẽ in dante equiparauit missionẽ. Quomodo autẽ cũ hoc cõponatur, quod possit persona procedẽs mitti ab illa â qua non procedit, infra videbimꝰ.

Solutione ad 2. docet, *quod licet effectus gratiæ sit etiã à Patre, qui inhabitat per gratiã, sicut & Filius, & Spiritꝰ Sãctus; quia tamẽ non est ab alio nõ dicitur mitti.* Quã doctrinã cõfirmat authoritate Augustini *lib. 4. de Trinit. cap. 20.* vbi ait: *Quod Pater cũ in tẽpore à quoquã cognoscitur, nõ dicitur missꝰ, nõ enim habet de quo sit, aut à quo procedat.* Et rectẽ D. Th. suam doctrinã prædicta authori-

tate confirmat, docuit enim Augustinus loco allegato: *Tunc inuisibiliter Filiũ cuiquam mitti, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur*; quia nempè Filius est persona procedens ab alio. Et de Patre docet, quod licet cognoscatur, non mittitur, quia â nullo procedit: ergo quãuis mittatur Filius, cũ per gratiã inhabitat, non colligitur mitti Patrẽ, quãuis etiam inhabitet, ob eandẽ rationẽ: quia nẽpè Filius inhabitat animã, & ab alio procedit, Pater autẽ, etsi etiam inhabitet, â nullo procedit.

In 5. artic. inquirit: *Vtrùm Filio conueniat inuisibiliter mitti?* Et respondet conclusione affirmatiua, quã probat in argum. *sed contra*, ex illo Sapientiæ 9. vbi de Sapientia diuina dicitur: *Mitte illam de Cęlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ.* Et in corp. artic. ratione ad hanc formã redacta: *Mitti personã diuinam ad aliquẽ per inuisibilem gratiam, significat nouum modum inhabitandi illius personæ, & originem eius ab alia, sed Filio conuenit inhabitare per gratiam*: nam de tota Trinitate dicitur Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eũ faciemus, & etiam illi conuenit esse ab alio: ergo illi conuenit inuisibiliter mitti*, & etiam Spiritui Sancto, qui ab alio procedit, & per gratiam inhabitat. *Patri autem*, inquit D. Thomas, *licet conueniat inhabitare per gratiam, non tamen sibi cõuenit ab alio esse, & percõsequẽs nec mitti.*

Solutione ad 1. & 2. docet, secundum dona pertinẽtia ad intellectum attendi missionem Filij; & secũdum dona pertinentia ad voluntatem missionem Spiritus Sancti. Quæ doctrina non est secundum proprietatem accipienda, sed per appropriationem, sicut enim prædicata absoluta tribus personis quoad proprietatẽ communia, appropriãtur singulis personis, potẽtia Patri, sapientia Filio, & amor Spiritui Sãcto; ita quãuis secundũ omnia dona gratię gratũ facientis, Filius, & Spiritus Sãctus mittantur, missio tamẽ secundũ dona intellectus

appro-

appropriatur Filio, & missio secundū dona voluntatis appropriatur Spiritui Sancto. Notat autē D. Tho. solutione ad 2. non mitti Filium secundum quamlibet perfectionem intellectus, sed solum secundum talem instructionem, qua prorumpat in affectum amoris.

Solutione ad 3. docet, missionē inuisibilē Filij, quantū ad originē distingui realiter â missione Spiritꝰ Sācti, sicut generatio distinguitur â processione; at vero quātū ad effectū gratiæ conueniūt duę missiones in radice gratiæ, nēpē in gratia habituali, ratione cuius vtraque persona inhabitat animā iusti; differunt autem in effectibus gratiæ, qui sunt illuminatio intellectus, & inflāmatio affectus. Quæ doctrina nō sic accipienda est, vt illuminatio intellectꝰ â solo Filio proueniat, & inflāmatio â solo Spiritu Sancto, sed quia quāuis vtraque perfectio a b vtraque persona causetur, prima tamen appropriatur Filio, quia procedit per intellectum, & secunda Spiritui Sancto, quia procedit per voluntatem.

In 6. artic. inquirit: *Vtrū missio inuisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ?* Cōclusio est affirmatiua, quā probat in argum. *sed cōtra:* nā *iuxta Augustinū lib. 3. de Trinit. cap. 4. Missio inuisibilis fit ad sanctificandā creaturam; sed omnis creatura habens gratiam sāctificatur: ergo ad omnē creaturā huiusmodi, fit missio inuisibilis.* Deinde illam probat in corp. artic. *Nā missio vt attribuitur diuinis personis importat, vt persona quę mittitur incipiat esse, vbi prius fuit, sed quodā nouo modo: ergo in eo, ad quē fit missio, oportet considerare duo, scilicet inhabitationem gratię, & innouationem quandam per gratiam: ad omnes ergo fit missio inuisibilis, in quibus hæc duo inueniuntur.* Vbi est aduertendum, aliud esse loqui de missione absolutè, & aliud de noua missione, missio absolutê fit ad omnes habentes gratiam sanctificantem, & hoc probat Diuus Thomas ex Augustino in argu-

mento *ſed contra* : miſsio autem noua in habente gratiam, non fit, niſi innouatio gratiæ intercedat, & hoc probat Diuus Thomas in corpore articuli ratione, quæ poteſt ad hanc formam reduci: miſsio namque inuiſibilis diuinæ perſonæ importat in habitationẽ per gratiam iuſtificantem : ergo noua miſsio importat nouitatẽ gratiæ, & nouitas gratiæ nouam arguit miſsionẽ.

Hinc ſolutione ad primum docet Angelicus Doctor, ad Patres veteris teſtamenti fuiſſe factam inuiſibilem miſsionem, cum fuerint iuſtificati per gratiam. Et illud Ioannis 7. *Nondum erat ſpiritus datus, quia nõdum erat Ieſus glorificatus*, explicat de illa datione cũ ſigno viſibili, quæ facta eſt in die Pentecoſtes, ſic enim Spiritus Sanctus non fuit antiquis Patribus datus, interi⁹ tamen datus fuit illis per gratiam iuſtificantem.

Solutione ad 2. docet, ſecundum profectum virtutis, vel augmentum gratiæ fieri inuiſibilem miſsionẽ. Et ſolutione ad 3. docet miſsionem inuiſibilẽ eſſe factam in ipſo principio beatitudinis, poſtmodum autẽ non fieri ſecundum gratiæ intenſionem, ſed ſecũdum quod aliqua miſteria eis reuelantur de nouo. Quæ nouitas cum in Chriſto non fuerit, fuit ei facta miſsio inuiſibilis in primo ſuæ conceptionis inſtanti, non autem poſtea. Solutione ad 4. docet, non fieri ad Sacramenta miſsionem inuiſibilem, ſed ad eos, qui per ſacramenta gratiam ſuſcipiunt, eo quod in ſacramentis non eſt vt in ſubiecto, ſed ſolum inſtrumentaliter.

In articulo ſeptimo inquirit: *Vtrùm Spiritui Sancto conueniat viſibilis miſsio?* Cõcluſio eſt affirmatiua, quã probat in argumento *ſed contra*, ex illo, quod dicitur Matthæi 3. *Quod Spiritus Sanctus deſcendit ſuper dominũ baptizatum in ſpecie columbæ.* Deinde in corpore articuli illam probat ratione: *Deus enim prouidet omnibus ſecundum vniuſcuiuſque modum; ſed modus conna-*

tu-

turalis hominis est, vt per visibilia ad inuisibilia manuducatur, vt dictum est supra quæst. 12. art. 12. ergo oportuit inuisibilia, homini per visibilia manifestari; sed ob hanc causam Deus se ipsum, & processiones æternas personarum per creaturas visibiles secundum aliqua indicia hominibus quodammodo demonstrauit: ergo etiam conueniẽs fuit vt inuisibiles missiones diuinarum personarum secundum aliquas visibiles manifestarentur, in quo visibilis missio consistit. Notat autem D. Thomas hoc discrimen inter missionem visibilem Filij, & missiones visibiles Spiritus Sancti, *quod Spiritui Sancto in quantum procedit vt amor, competit esse sanctificationis donum, Filio autem inquantum est Spiritus Sancti principium, competit esse sanctificationis huius Authorem. Et ideò Filius visibiliter missus est, tãquam sanctificationis Author, sed Spiritus Sanctus, tanquam sanctificationis indicium.*

Ex quo infert solutione ad 1. oportuisse vt Filio creaturam visibilem, in qua apparuit, assumpserit in vnitatem personæ. Et solut. ad 4. quod creatura assũpta fuerit rationalis, eo quod cum persona Filij fuerit declarata vt Author sãctificationis, oportuit vt natura assumpta fuerit rationalis, cui est agere, mereri, & sãctificari; Spiritus autẽ Sãctus apparuit vt sanctificationẽ indicaret. Et quia creatura quælibet nõ assũpta in vnitatẽ personę potest esse sãctificationis indicium, ideô nõ oportuit vt creatura in qua apparuit, esset rationalis, nec quod ab Spiritu Sãcto assumeretur in vnitatem personę.

Si opponas: Spiritus Sãctus simul cũ Patre, & Filio est Author gratiæ, cuius efficientia, vt potè opus ad extra, est toti Trinitati cõmunis: ergo quoad hoc nulla est differentia inter Filium, & Spiritum Sanctum; & consequenter vterque declarari oportuit vt Author sanctificationis. Cũ enim sanctificatio præstetur â gratia, qui est Author gratiæ, est etiam Author sanctificationis.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Spiritus Sanctus eſt Author gratiæ per phyſicam efficientiam, cõcedo antecedens: per efficientiam moralem meritoriam, & ſatisfactoriam, nego antecedens, & conſequentiam: nam licet Spiritus Sanctus, & Filius conueniant in efficientia phyſica gratiæ, & ſanctificationis præſtitæ ab illa, non tamen conueniunt in efficientia morali meritoria, & ſatisfactoria, ſed hanc ſolus Filius exercuit, & vt Author eſſet noſtræ ſanctificationis per ſatisfactionem, & meritum, aſſumpſit rationalem naturam in vnitatem perſonæ; Deus enim in ſe ipſo non eſt capax merendi, & ideô vt ſatisfaceret neceſſarium fuit naturæ libertatis participi; & conſequenter, quæ rationalis eſſet vniri. Ratio autem, qua vtitur Diuus Thomas, vt oportuerit Filium declarari vt Authorem ſanctificationis, hoc modo, non autem Spiritus Sanctus; quia nempè Filius eſt principium Spiritus Sancti, & Spiritus Sanctus eſt donũ per amorem â Patre, & â Filio productum, non eſt ratio demonſtratiua, ſed tantum congruentia quædam. Potuit enim, Deo id decernente, Spiritus Sanctus naturam rationalem aſſumere, & in illa humanum genus per meritum, & ſatisfactionem redimere; de facto tamen non Spiritus Sanctus, ſed Filius fuit ad hoc munus electus, vt eſſet ſanctificationis Auctor per meritum, & ſatisfactionem. Et ratio congruentiæ eſt, quam aſsignat Diuus Thomas; quia nempê Filius eſt Spiritus Sancti principium; & Spiritus Sanctus eſt donum â Patre, & Filio per amorem productus. Nec inferas ex hac ratione, oportuiſſe Patrem, non autem Filium humanitatem ſuſcipere, vt in illa nos redimeret, eſt enim Filij principium; & conſequenter ſi quia Filius eſt principium Spiritus Sancti, oportuit vt Filius præ Spiritu Sancto eſſet ſanctificationis Author per ſa-

tisfactionem, & meritum, videtur Patrem ad hoc munus oportuisse Filio præferre, vtpotè principium Filij.

Non inquam infertur: nam comparatio Diui Thomæ est inter personas procedentes, Pater autem est principium sine principio, ideôque non potest mitti, nec oportuit vt munus redemptoris subiret; cum enim redemptio exercenda esset per actus subiectionis, humilitatis, & obedientiæ, præcepris; & hæc congruentius exerceantur â persona procedente, quam ab illa, quæ non habet principium; fit consequens, vt non oportuerit, quod Pater carnem assumeret, & illa mediante genus humanum redimeret, quamuis sit principium Filij; quia est principium sine principio, oportuit tamen, quod Filius præ Spiritu Sancto esset Author sanctificationis per satisfactionem, & meritum, quia est principium Spiritus Sancti, & est persona procedens.

In articulo octauo inquirit: *Vtrùm aliqua persona diuina mittatur, nisi ab ea à qua procedit ęternaliter?* Vbi aduertendum est titulum esse mendosum, & legendũ esse: *Vtrum nulla persona diuina possit mitti, &c.* Quod patet primo, quia particula illa, *nisi ab ea à qua procedit*, non congruit bene cum titulo, vt est propositus dicendo: vtrum aliqua persona diuina, &c. Secundo cõstat ex verbis D. Thomæ, antequam argumenta proponat, ibi: *Videtur, quod nulla persona diuina mittatur, nisi ab ea à qua procedit ęternaliter*, quibus verbis titulum articuli resũmit vt argumenta proponat: sic ergo legendum est.

Et relatis duobus modis loquendi oppositis inter se quorundã asserentiũ, personam diuinam non mitti, nisi ab eo, â quo æternalitêr procedit, & aliorum asserentium, quod licet mitti non conueniat, cuilibet diui-

næ personæ, sed solum personæ ab alio existenti; mittere autem cuilibet personæ competere. Docet Diuus Thomas vtrumque modum loquendi habere aliquo modo veritatem: *Nam si mittens designetur vt principium personæ, quę mittitur; sic nō qualibet persona mittit, sed solum illa, à qua persona missa procedit. Si vero persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam, non autem propter hoc, inquit Diuus Thomas, homo dat Spiritum Sanctum, quia nec effectum gratiæ potest causare.*

(5)

DISPVTATIO NONAGESIMA SEPTIMA.

An identitas similitudo, & æqualitas diuinarum personarum sint relationes reales?

§. I.

Statuitur Catholica veritas.

Nu. 1. *Identitas personarũ in essentia est de fide.*

ANTEQVAM ad id, quod inter Doctores catholicos controuersiam habet, explicandum accedamus, oportet initio disputationis veritatem catholicã breuiter statuere. Primo ergo extra cõtroversiam est apud Theologos, & fidei certitudine certum, personas diuinas esse idem in essentia, quod quidem hæretici sequuti Eunomium, & alij Arrium sequentes negabant; illi quidem Filium omnino dissimilem Patri asserentes, isti vero similimum Patri asserendo, non absolutè, sed inter entia creata. Vnde omnes in neganda personarum identitate, & consubstantialitate conspirabant. Contra quos omnes firmiter est asserẽdũ tres personas diuinas esse idẽ in essentia. Cõstatq; *ex Symbolo Athan.* in illis verbis: *Et vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda sit.* Et ibi: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, non tres Dij, sed vnus est Deus.* Deinde ex omnibus locis Scripturæ, in quibus diuinitas Trium personarum adstruitur, Deitati namque multiplicatio omnis repugnat, vt pluribus demonstrat D. Thomas 1. *Contra Gentes cap.* 42. *& in hac* 1. *p. quæst.* 11. *art.* 3. Ac denique: nam quæ sunt vnius essen-

tiæ,

tiæ, idem sunt in essentia; sed Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnius, & eiusdem essentiæ, vt probat Diuus Thomas *in hac 1. p. quæst. 39. art. 2.* constatque ex illo Ioannis 14. *Ego, & Pater vnum sumus*, quod de vnitate consubstantialitatis, summæque identitatis in essentia, communi Ecclesiæ, & Patrum consensu est acceptum: ergo tres personæ diuinę idem sunt in essentia.

2 *Nō obstat dictū Hilarij.*

Nec obstat illud Hilarij in lib. de Synodis cap. 1. *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt quidem per substantiam tria, per consonantiam vero vnum*: substantia autem idem est quod essentia: non ergo sūt vnum in essentia, & consequenter nō sunt in essentia vnum. Nam respondetur cum D. Thoma *vbi proximè ad 1.* Hilarium ibi sumpsisse substātiam, non pro essentia, sed pro hypostasi. Sic autem sūpta substantia non sunt vnum secundum substantiam, bene tamen sumpta substantia pro essentia, quæ acceptio frequentior est apud Theologos, & Patres.

3 *Sūt etiā perfectissimè similes.*

Secundo certum est, personas diuinas esse perfectissimè similes. Quod patet primo *ex Symbolo Athanasij*, illis verbis: *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sāctus*; sed vnum esse tale, quale est aliud, est esse simile illi: ergo personæ diuinæ sunt similes. Secundo: nam de ratione imaginis, perfectæ naturalis, est esse similem suo exemplari in essentia, & natura, vt docet D. Thomas *in hac 1. p. quæst. 35. art. 2. in corpore*; sed Verbum est imago naturalis perfectissima Patris, vt docet D. Thomas *ibi art. 2.* & fatentur omnes Theologi: ergo est illi perfectissimè similis. Tertio: nam de ratione geniti, & Filij est, esse similem generanti in natura, vt constat ex diffinitione generationis viuentiū, de qua D. Thomas *quæst. 27. art. 2.* sed Verbum est genitus, & Filius, vt fides docet: ergo est similis Patri generāti in natura.

4 *Prob. ratione*

Denique probatur: nam licet similitudo nō petat identitatem, sed possit sine illa subsistere, illam tamen permittit, nec ex identitate extremorum in forma destruitur, sed potius perficitur, & in ratione similitudinis perfectissimæ constituitur; sed tres personæ diuinæ sunt vnius, & eiusdem essentiæ, & sunt in essentia idem, vt proximè vidimus: ergo sunt perfectissimè similes. Minor cū cōsequentia tenet. Maior autem probatur: de ratione generationis viuentium est habere terminum similē generanti in natura, vt constat ex illius diffinitione; sed ex productione termini identificati cum principio in natura non destruitur generationis conceptus; sed perfectissima generatio consurgit, vt constat in processione Verbi, cuius terminus est idem generanti in natura; & tamen non amittit rationem generationis, sed est perfectissima generatio: ergo ex identitate aliquorum in forma nō destruitur ratio similitudinis, sed potius ex illa cōsurgit perfectissima similitudo.

5 *Non obstat loquutio PP.*

Nec obstat Patres tempore Concilij Nizeni, durante Arrianorum errore, negasse illas voces, quæ similitudinem personarum significant, admittentes solas illas, quæ consubstātialitatem, & identitatē important, vt constat ex Basilio *epistola 82.* Epiphanio *hæresi 73.* Et Thodoreto *lib. 2. historiæ cap. 6.* Loquebantur nāque de similitudine excludente identitatem in natura, quam Arriani admittebant, & quia hæretici illis vocibus abutebantur, vt identitatē excluderent, ideō Patres illius temporis illas voces vitarunt. Ex quo non infertur similitudinem personarum negandam, qualiter similitudo à Catholicis accipitur, scilicet pro similitudine perfectissima, non excludente, sed potius includente identitatē, quam cum Augustino *lib. 7. de Trinitate cap. vltimo*, & D. Thoma *supra q 31. art. 2.* omnes Theologi fatentur.

6 *Obijcies.*

Sed dices: similitudo, in vnitate qualitatis fundatur, vt constat ex Aristotele *5. metaphysicæ cap. 15.*

illis

illis verbis: *Eadem sunt, quorum vna est substantia; similia, quorum vna est qualitas: & æqualia quorum quantitas vna*, ex quibus cõmunis metaphysicorum doctrina fuit sumpta, nimirum vnitatem in substantia facere vnum, in quantate simile, in quantitate æquale; sed in Deo non est qualitas; vtpote accidens, sed omnia ad Deum translata transeunt in rationem substantiæ, vt omnibus est manifestum: ergo similitudo excludenda est à Deo, & consequenter quamuis personæ diuinæ sint idem in essentia, in illa similes dicendæ non sunt.

7 *Scotis. solutio excludi-tur 1.*

Respondent Scoti discipuli, in Deo naturam obtinere locũ substantiæ, attributa vero modũ qualitatis sortiri, & magnitudinem quantitatem esse virtutis. Vnde personæ in essentia sunt idem, in attributis similes, & in magnitudine æquales.

Sed non placet hæc solutio primo: quia vt docet D. Thomas *quæst. 42. art. 1. ad 2.* æqualitas in quantitate virtuali fundata includit similitudinem, & aliquid addit: ergo æqualitas, & similitudo supra idem fundantur. Et vt *docet solutione ad 1.* personæ sunt æquales in essentia, in duratione, & in vi operatiua: ergo similitudo personarum, non solum saluatur in attributis, sed etiam in essentia, & natura.

8 *Secũdo.*

Deinde: nam de ratione geniti, & Filij est assimilari generanti in natura, & essentia sub conceptu essentiæ, & naturæ, vt constat ex illius diffinitione; sed Verbum diuinum est Filius, & genitus: ergo est simile Patri, non solum in attributis, sed etiã in natura sub primo conceptu naturæ.

Tertio.

Tertio: nam licet in Deo attributa sint substantia, quia tamen significantur ad modum formæ, fundãt relationem similitudinis; sed etiam diuina essentia significatur ad modum formæ constituentis Deum. ergo esto sit substantia fundabit relationem similitudinis.

Quarto

Quarto: nam diuinæ personæ nõ solum sunt idem in essentia, sed etiã in attributis, & etiam in magnitudine: ergo deficit solutionis doctrina. Probatur antecedens; ideò sunt idẽ in essentia, quia in illis eadem essentia inuenitur, sed etiam eadem attributa, eademque magnitudo illis cõpetunt: ergo sunt idem etiam in attributis.

Denique;

Denique: nam duæ albedines eiusdem speciei quamuis dissimilis intensionis, referuntur relatione idẽtitatis, & similiter duæ quantitates inæqualis extensionis: ergo relatio identitatis non est alligata vnitati substantiali, sed alijs generibus conuenit, & super illorum vnitate fundatur.

9 *Occurritur arg.*

Vnde ad argumentum respondeo, substantiam, quantitatem, & qualitatem sumi dupliciter; primo stricte, & sic constituunt diuersa prædicamenta, & quod illis prout sic cõuenit, non est alijs prædicamentis commune. Secundo, accipiuntur substantia pro essentia, qualitas pro forma, & quantitas pro extensione abstrahente ab extensione molis consistente in extensione partium extra partes & ab extensione virtutis; & quia essentia est alijs prædicamentis communis, ratio etiam formæ, seu intensiuæ perfectionis inuenitur in illis, & virtualis extensio, seu quantitas perfectionis; fit consequens, quod relationes identitatis, æqualitatis, & similitudinis fundentur in illis: conuenit ergo diuinis personis relatio identitatis ratione vnitatis in diuina essentia, relatio similitudinis, quia in vna forma communicãt, vt docet D. Thomas *quæst 42. art. 1. ad 2.* & relatio æqualitatis, quia conueniunt in vna quantitate virtutis, scilicet in vna magnitudine essentiæ, in vna duratione, & in vna potestate, vt docet D. Thomas *solutione ad 1.*

10 *Sunt etiãomnino æquales.*

Tertio, certum est, & extra omnem controuersiam inter Doctores Catholicos, personas diuinas esse inter se omnino æquales. Quod esse de fide constat ex Symbolo Athana-

ſij illis verbis: *Coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Et de Filio: *Æqualis Patri ſecundum diuinitatem.* Et ad Phylippēſes 3. *de Filio*, ait Paulus: *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualē Deo.* Et de tribus perſonis *in Concilio 2. Lateranenſi cap. firmiter de ſumma Trinitate*, dicitur: *Quo æquales, eo omnipotentes, & coæterni.* Tradunt eandem veritatem Clemens *epiſtola* 1. Anacletus *epiſtola* 2. Cyprianus *epoſtola* 45. Concilium Conſtantinopolitanū 1. Lateranenſe 2. Toletanum 1. 6. & 11. Ex Patribus Auguſtinus *lib. 6. de Trinitate cap. vltimo, & lib. de quantitate animæ cap. 9* Chriſoſtomus *homilia* 48. & 49. in Ioannem, Cyrilus *lib.* 2. ſuper Ioannem *cap.* 141. Theofilatus in Ioannem *cap.* 17. Euthimius *Ioannis* 6. Et D. Thomas 4. *Contra-Gentes cap.* 6. & 7. & *in hac* 1. *p. quæſt.* 42. *art.* 1. & ſequentibus.

11 *Nec obſtat teſtimonium Ioannis*

Nec obſtat Ioannis 14. Chriſtū de ipſo dixiſſe: *Et Pater maior me eſt*, & Paulus 1. ad Corinthios 15. dicit: *Filium Patri eſſe ſubiectum*; non autem ſtat æqualitas inter Patrem, & Filium cum maioritate Patris, & cum ſubiectione Filij: nam æqualitas dicit negationem omnis exceſſus: ergo inter Patrem, & Filium æqualitas eſſe non poteſt.

Explicatio 1.

Non inquam obſtat. Tum, quia vt explicat Diuus Thomas *libro quarto Contra-Gentes cap.* 8. verba illa intelliguntur de Patre ſecundum humanitatem, non ſecundū diuinitatem, ſecundum quam eſt omnino Patri æqualis. Qualiter iila explicuit Athanaſius *in Synbolo* ibi: *Æqualis Patri ſecunaum diuinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem*, ſecundnm quam non ſolum eſt minor Patre, ſed etiam ab Angelis minoratus dicitur ab Apoſtolo ad Hebræos 2. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis.* Et eadem ratione dicitur Patri ſubiectus, non vt Deus, ſed vt homo, & vt ſic fuit Patri obediens, Dei ſeruus, & obtēperans eius præceptis.

Tum etiam: nam licet de Filio vt Deo prædicta verba accipiantur, prout illa accipit Hilarius *lib. 9. de Trinitate*, æqualitati Patris non obſtant. Vt enim ex Hilario tradit D. Thomas *quæſt.* 42. *art.* 4. *ad* 1. Pater maior dicitur donantis auctoritate, quia tamen Filio vnum, & idē eſſe, hoc eſt vnam, & eandem ſui naturam Pater generando dedit, minor Filius, aut inæqualis Patri eſſe nequit, ſed æqualis omnino, cum naturæ namque identitate, inæqualitas eſſe non poteſt. Nec item ſubiectio Filij, quamuis de illo vt Deo cū Hilario accipiatur, inæqualitatem inducit, vt enim docet D. Thomas vbi proximè ad primum, ſubiectio Filij ad Patrem eſt recognitio authoritatis paternæ; cumque hæc auctoritas in ratione principij originis poſita ſit, recognitio authoritatis paternæ eſt à Patre procedere tāquam à principio originis, ex quo nulla inæqualitas inter Patrem, & Filium infertur, bene tamen creaturarum ſubiectio ad Deum, quia vt ex Hilario refert ibi D. Thomas, eſt *creationis infirmitas*, ex qua infinita diſtantia creaturarum à creatore colligitur: maneat ergo firmum tres perſonas diuinas eſſe idem in eſſentia, eſſeque perfectè ſimiles, & omnimodè æquales.

12 *Secūda explicatio.*

Quod etiam ratione D. Thomæ conuincitur ad hanc formam redacta: vt enim docet Ariſtoteles 10. metaphyſicæ textu 13. 16. & 17. *Æquale dicitur per negationem exceſſus*, nempè maioris, & minoris, fundatam ſupra quantitatem molis, aut virtutis: ſed in diuinis perſonis eſt negatio exceſſus, maioris, & minoris, fundata in quantitate virtutis: ergo eſt omnimoda æqualitas. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur: cum vnitate numerica quantitatis, ſiuè molis, ſiuè virtutis, non ſtat maioritas, & minoritas, vt per ſe eſt manifeſtum; ſed in perſonis diuinis eſt vna numero quātitas virtutis, nēpè vna numero eſſētia, & vna numero magnitudo, aliàs

13 *Ratione D. Th. probat perſonarū æqualitas.*

vnus

vnus Deus non essent : ergo in illis non potest inueniri maioritas, & minoritas.

14 *Si opponas. 1.*

Si opponas primo : cum eadem numero qualitate stat maioritas, & minoritas, vt constat in qualitate intensa, & remissa, quæ numero non variatur; & tamen transit de minori ad maiorem, hoc est, de minus ad magis intensam: ergo cum eadem numero quantitate virtutis stare poterit excessus penes magis, & minus; & consequenter ex eo quod personæ diuinæ sint eiusdem numero essentiæ, & eandem numero quantitatem habeant virtutis, perperam à D. Thoma colligitur negatio excessus maioris, & minoris in illis.

Resp.

Respondeo negando consequentiam ; qualitas namque essentialiter invariata, capax est incrementi intensiui : vnde vna numero manente potest dari in illa transitus de minori, & ad maiorem intensionem; quantitas autem virtutis conueniens diuinis personis in perfectione diuinæ essentiæ, & in eius magnitudine consistens, capax incrementi non est, sed in indiuisibili consistit ; ac proinde cum conuenientia in eadem numero essentia, excessus esse non potest.

15 *Secũdo.*

Si opponas secundo : si Filius v.g. est æqualis Patri, Pater etiam est æqualis Filio. Tum, quia æquale ad coæquale refertur. Tum etiam, quia est relatio æquiparantiæ, hoc est eiusdem rationis, & denominationis in vtroque extremo; sed non potest dici Pater æqualis Filio : ergo nec Filius æqualis Patri esse potest. Probatur minor: si Pater esset æqualis Filio, coæquaretur illi. Tum, quia nulla esse potest ratio discriminis inter esse alteri æquale, & coæquari illi. Tum etiam : nam Filius dicitur coæquari Patri, quia æqualis est illi, sed Pater non coæquatur Filio, vt enim docet Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. 10. *Imago si perfectè implet illud cuius est imago, ipsa coæquatur ei non illud imagini*, id est imago perfecta coæquatur exemplari suo, exemplar autem non coæquatur imagini. Filius autem est imago Patris perfecta; & consequenter Pater illi non coæquatur : ergo non est illi æqualis.

16 *Resp.*

Respondeo, concessa maiori negando minorem : ad probationem respondet D. Thomas *quæst. 42. articulo 1. ad 3.* æqualitatem significari posse dupliciter, scilicet, per nomina, & per verba, & priori modo significatam dici mutuo in diuinis, eo quod eadem est ratio ex parte vtriusque extremi: Filius namque dicitur æqualis, & similis Patri, quia habet in se essentiam, & magnitudinem Patris, Pater autem etiam in se habet essentiam, & magnitudinem Filij, atque adeò dicitur æqualis, & similis Filio. Prout autem æqualitas, aut similitudo significatur per verba, nempe coæquari, aut assimilari, non dicuntur mutuo de personis diuinis, eo quod verba significant æqualitatem cum motu, idest prout in fieri. Et licet in diuinis non detur motus, aut fieri, loco motus datur processio, & accipere. Vnde Filius dicitur coæquari, & assimilari Patri, quia per processionẽ accipit essentiam, & magnitudinem Patris, in qua illi similis est, & æqualis, & quia hæc ratio non concurrit in Patre; habet enim à se essentiam, & magnitudinem per exclusionem, non solum causæ, sed etiam principij, ideſt, non acceptam ab alio; fit consequẽs, quod licet Filio dicatur similis, & æqualis, non tamen dicatur coæquari, & assimilari Filio. Iuxta quam doctrinam ad probationem maioris, neganda est maior, & ex illa ad probationes maioris constat solutio.

17 *Obijcies 1.*

Sed contra hanc doctrinam obijciet aliquis, Augustinum primo, loco in argumento adducto, peculiariter loqui de imagine, quando perfecta est, vt constat ex illis verbis: *Imago si perfectè implet illud, cuius est imago, &c.* Sed doctrina solutionis, non solum est vera de imagine perfecta, sed etiã de imperfecta; quã

uis enim imago imperfecta ſit, ipſa ab exemplari accipit ſimilitudinem, non autē exemplar ab illa: ergo nec non bene explicatur ab Angelico Doctore.

18 *Secūdo.* Secundo: nam ſequitur ex tradita ſolutione, nihil per verba poſſe enunciari de Patre, conſequens eſt falſum: ergo & illud ex quo ſequitur. Falſitas conſequentis eſt nota: nam omnes iſtæ propoſitiones ſunt veræ: Pater ab æterno exiſtit, & in æternum exiſtet; ab æterno, & in æternum intelligit, ab æterno amat, & in æternum amabit. Sequela autē probatur: nullum prædicatum conuenit Patri acceptum ab alio per proceſsionem: ergo ęqualitas, & ſimilitudo vt ſignificata per verba non dicuntur de Patre, quia conueniunt illi à ſe, & non ab alio, nullum prædicatum, vt ſignificatum per Verbum poterit enunciari de illo.

19 *Reſp. Ad 1. replicam.* Reſpondeo ad primam replicam conceſſa maiori, negando minorem: nam licet etiam verum ſit quandoque exemplar, vel prototypum nō coæquari imagini, imperfectæ; cū nempē talis eſt conditionis, vt à nullo naturam acceperit: imago vero imperfecta non coæquatur exemplari, & hoc eſt quod Auguſtinus peculiare in imagine perfecta cenſuit, quod nempe ſuo exemplari coæquatur.

Ad 2. Ad ſecundam nego ſequelam. Ad probationem conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: nam licet verum ſit omne Verbum ſignificare per tempus, & cum motu ex parte modi ſignificandi, non tamen omne Verbum importat motum, fieri, vel recipere ex parte rei ſignificatæ, ſed tantum aliqua. Vnde hæc conceditur: *Pater eſt Deus*, & hæc: *Pater erit Deus*; hæc tamen negantur: *Deus præterijt*, *vel præteribit*, quia ex parte obiecti præteritionem important. Hæc autem verba coæquari aſsimilari idem ſonant, quod æqualem, aut ſimilem fieri; & cum æquale fieri acceptionem ex parte obiecti denotet, & importet, ſolum poſſunt applicari perſonæ accipienti, vel per motum, vel per originem.

20 *Si deniqueoppo nas.* Si denique obijcias: æqualitas ſupra quantitatem fundatur, vt conſtat ex Ariſtotele 5. *metaphyſicæ capitulo* 15 verbis ſuperius adductis; ſed in Deo non eſt quantitas, vt omnibus eſt conſpicuum: ergo æqualitas in illo non eſt, & conſequenter, perſonæ diuinæ non ſunt æquales in eſſentia. *Reſpondet D. Thom. quæſt. 42. art. 1. ad 1.* æqualitatem fundari ſupra quantitatem molis, vel ſupra quantitatem virtutis, primum conſiſtit in extenſione dimenſiua partium extra partes, ad quam ſequitur impenetrabilitas, & diuerſi loci exigentia. Secundum conſiſtit in perfectione, vel magnitudine, quæ ſicut ſufficit fundare maius, & minus, iuxta illud Auguſtini lib. 6. de Trinitate capitulo 8. *In his, quæ non mole magna ſunt, hoc eſt maius eſſe, quod melius eſſe*, vbi *melius* dicitur quod perfectius eſt, ita ſufficit æqualitatem fundare; licet autem in Deo quantitas molis non ſit, eſt in eo quantitas virtutis, magnitudinis, & perfectionis, ac proinde æqualitas in illo inuenitur.

Reſp D. Thom.

21 *Contra ſolutionem obſtat grauis difficultas.* Sed contra hanc ſolutionem obſtat grauiter doctrina Angelici Præceptoris *ſupra quæſt. 28. art. 4. in corpore*, vbi vt probet in Deo ſolū eſſe quatuor relationes reales, ſic ait: *Dicendum, quod ſecundum Philoſophum 5. metaphyſicæ relatio omnis fundatur, vel ſupra quantitatem, vt auplum, & dimidium; vel ſupra actionem, & paſsionem, vt faciens, & factum, Pater, & Filius, Dominus, & ſeruus; cum autem quantitas non ſit in Deo, eſt enim ſine quātitate magnus, relinquitur quod realis relatio in Deo eſſe non poſsit niſi ſuper actionem fundata, &c.* Ex quibus verbis tale argumentum conficitur contra ſolutionem nuper traditam. Quia in Deo quantitas non eſt, infert D. Thomas, nullam relationem realem eſſe in Deo, præter illam, quæ ſupra actionem fundatur,

quia

quia omnis alia quantitatem pro fundamento ſupponit; ſed ſi æqualitas poſſet ſupra quantitatem virtutis fundari, diſcurſus D. Thomæ deficeret: ergo æqualitas ſolum ſupra quantitatem dimenſiuam fundatur. Probatur minor, ſi æqualitas poſſet ſupra quantitatem virtutis fundari, vt excluderetur à Deo, deberet remoueri ab ipſo, non ſolum quantitas molis, ſed etiam quantitas virtutis, quam negare non potuit; ſed ſolum ex negatione quantitatis dimenſiuæ intulit negationem relationis realis æqualitatis in Deo: ergo ſi æqualitas ſupra quantitatem perfectionis poſſet fundari, diſcurſus D. Thomæ deficeret.

22 Reſpondeo, D. Thomam loqui de relatione reali æqualitatis, hæc autem fundatur, vel ſupra quantitatem molis, vel ſupra quantitatem virtutis, vel perfectionis habentem modum quantitatis molis quoad diſtinctionem realem vnius quantitatis ab alia. Quam realem diſtinctionem pro fundanda reali æqualitatis relatione requiri, ſupponit D. Thomas ibi, & probauit *quæſt.* 42. *art.* 1. & quia quantitas molis non inuenitur in Deo, nec quantitas virtutis habẽs modum quantitatis modis quoad diſtinctionem vnius quãtitatis ab alia, eſt enim in tribus perſonis vna indiuiſibilis magnitudo, in qua illius quantitas virtutis conſiſtit, recte D. Thomas excluſit à Deo omnem relationem ſupra quantitatem fundatam. Cum quo recte cohæret veritas noſtræ ſuppoſitionis, qua aſſerimus eſſe inter diuinas perſonas omnimodam æqualitatem ſumptã pro vnitate eſſentiæ, & perfectionis, cum negatione exceſſus, & pro relatione rationis, vt infra explicabimus.

✠

§. II.

Referuntur ſententiæ, & prima reijcitur.

HIS igitur ita ſuppoſitis, in quibus nihil diſidij inter Catholicos eſſe, aut verſari poteſt: reſtat vt examinemus, an relatio identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis diuinarum perſonarum realis ſit, an rationis? In quo prima ſententia docet, nec realem, nec rationis eſſe, ſed abſolute tantum dici æquales. Hanc tenuit Aureolus *in* 1. *diſtinct.* 31. *art.* 3. docens contra Scotum *propoſitione* 1. ſimilitudinem, & æqualitatem inter diuinas perſonas non eſſe relationes reales actu exiſtentes ante operationem intellectus, & in *ſecunda* contra D. Thomam non eſſe relationes rationis. Ex quibus *propoſitione* 3. concludit, quod ſimilitudo, & æqualitas in Deo non important relationem realem, nec rationis, licet appellatio ſit relatiua, ſed tantum vnitatem abſolutam, & in diſtinctionem magnitudinis virtualis, & quantitatis eſſentialis. Quam ſententiam iam ſepultam, à ſomno ſuſcitauit Martinon *diſput.* 31. *de Trinitate ſect.* 2. addens, id etiam eſſe verum de æqualitate, quæ in creaturis inuenitur, cuius contrarium docuit Aureolus vbi proximè articulo 2. vbi ait, æqualitatem in creaturis, non eſſe relationem realem exiſtentem ante operationem intellectus, ſed ad actum per intellectus operationem reduci, & nihilominus realem eſſe dicendam.

23 *Prima ſẽtẽtia.*

24 *Secũda ſẽtẽtia.*

Secunda per extremum affirmat huiuſmodi relationes eſſe reales in Deo, inter ſe diſtinctas ex natura rei, & à ſibi coopoſitis realiter. Vnde in qualibet perſona duas relationes ſimilitudinis, duas æqualitatis, & duas identitatis conſtituit, quarum vna ad vnam perſonam, & altera ad aliam refertur, ex quibus reſultant decem, & octo relationes reales æqualitatis, identitatis, & ſimilitudinis, & adiunctæ quatuor originis reſultant viginti duæ relationes. Ita Scotus *in* 1. *diſtinct.* 31. *quæſtione vnica, & inquodlibetis quæſt.* 6. Scotum ſequuntur Rada 1. *p. cõtrouerſia* 26. *art.* 3. Smiſing *diſp.* 2. *de Trinitate quæſt.* 3. *num.* 65. Franciſcus Felix *cap.* 9. *de Trinitate diſſic.* 2. Referens Fabrum *in* 1. *diſp.* 47. Piloſum *diſp.* 68. *art.* 2. & alios Scotiſtas.

Scotus. Rada. Smiſing Felix. Faber. Piloſus.

Tertia.

Tertia ſententia docet, relationem æqualitatis, quæ conuenit perſonis ratione eſſentiæ, eſſe relationẽ rationis, quæ autem illis conuenit ratione proprietatum relatiuarum, eſſe relationem realem diſtinctam virtualiter à relationibus originis. Hanc tenet Raphael de Auerſa *q.* 42. *ſectione* 1. & Lugo *lib.* 2. *de Deo Trino diſp.* 9. *cap.* 3. *num.* 9.

Lugo. Auerſa.

25 *Quarta*

Quarta, & vera ſententia, nullã relationem realem agnoſcit in Deo, præter quatuor relationes originis. Vnde relationem identitatis, ſimilitudinis, & æqualitas inter diuinas perſonas, aſſerit eſſe rationis. Ita D. Thomas *in* 1. *diſt.* 31. *q.* 1. *art.* 1. *ad Annibaldum eadem diſtinctione q. vnica art.* 4. *quæſt.* 7. *de potentia art.* 11. *ad* 3. *quæſt.* 8. *art.* 1. *in corpore*, non lõgè à principio, & *ſolutione ad* 2. *In hac* 1. *p. q.* 28. *art.* 4. *in corpore*, & *ſolutione ad* 4. & *quæſt.* 42. *art.* 1. *ad* 4. Vbi Caietanus in commentario articuli. Bañez *dubio vnico.* Zumel *diſp.* 1. & 2. Nazarius *controuerſia vnica*, Illuſtriſsimus Araujo *dub. vnico.* Serra *circa ſolutionem ad* 4. Salmãticenſes *Tractatu* 6. *de Trinitate diſputatione* 8. *dub.* 2. §. 1. & 2. Reuerendiſsimus Sancto Thoma *diſputatione* 16. *articulo* 4. *numero* 16. Tenent etiam Antiquiores Scholaſtici cum Magiſtro *in* 1. *diſtinctione* 19. & *diſtinct.* 31. Albertus Magnus *articulo* 3. Bonauentura *parte prima qnæſtione* 2. Durandus *quæſtione* 1. Capreolus *quæſt.* 1. *articulo* 1. & 2. Hiſpalenſis *quæſt.* 1. *art.* 3. & 4. Baſolus *quæſtione* 1. *articulo* 4. & communiter Scholaſtici. Tenẽt etiam ex Patribus Societatis Molina *quæſtione* 42. *articulo* 2. *diſputatione* 2. Vazquez *diſp.* 166. *capitulo* 2. & *ſequentibus.* Suarez *libro* 4. *de Trinitate capitulo* 15. *num.* 8. Granadus *Tract.* 14. *de Trinitate diſp.* 1. Tanerus *diſp.* 4. *de Trinitate q.* 1. *dub.* 8. Albertinus *corollario* 7. *q.* 7. Hurtado Complutenſis *diſput.* 9. *dif.* 1. Amicus *diſp.* 9. *de Trinitate capitulo* 16. Quos cæteri Recentiores ſequuntur. Eidem ſententiæ ferè omnes Theologi adhærent præter diſcipulos Scoti. Pro cuius explicatione ſit

Caiet. Bañez. Zumel. Nazar. Araujo. Serra. Salm. S. Tho. Albert.

Bonau. Duran. Capr. Hiſpal. Baſolus Molina. Vazq. Suarez. Gran. Taner. Albert. Hurt. Amicus

26 *Prima cõcluſio*

Prima concluſio: *Æquale ſimile, & idem formaliter ſumpta, non in abſoluto, ſed in relatione cõſiſtunt, prout de perſonis diuinis dicuntur.* Ita omnes Theologi præter Aureolum, & Recentiorem, quẽ pro illius ſententia retulimus. Et probatur: æqualitas in creaturis, etſi pro fundamento vnitatem qnantitatis importet, formaliter tamen conſiſtit in relatione, qua vnum ad aliud vt æquale refertur: ergo pariter æqualitas diuinarum perſonarum, etſi pro fundamento importet aliquid abſolutum, nempe vnam illarum eſſentiã, & vnam magnitudinem, formaliter tamen conſiſtit in relatione, qua vna perſona alteram reſpicit vt ſibi æqualem. Patet conſequentia à paritate rationis. Tum etiam, quia namque dominus in creaturis relatiuè dicitur, & de formali relationẽ importat etiam vt de Deo dicitnr, non in abſoluto, ſed in relatiuo conſiſtit. Et quia Pater in creaturis formaliter conſiſtit in relatione ad Filium, in diuinis etiam Pater de for-

Prob. apparitate.

mali relationem importat: ergo si æquale in creaturis de formali relationem significat, quatenus prædicatur de Deo, aut de diuinis personis, de formali relationem importat. Tum denique, non enim alia ratione æquale in creaturis de formali relationem significat, nisi quia æquale dicitur æquali æquale, & ê contra, & quia vnum vt æquale nequit intelligi, altero non cointellecto, & ê contra; sed etiam æquale vt in Deo, dicitur æquali æquale, nec potest æquale intelligi, quin coæquale cointelligatur, & ê conuerso: ergo si in creaturis æqualitas de formali in relatione consistit, in Deo etiam æqualitas relationem importat.

27 *Recentioris solutio reijcitur 1.*

Quod si ob hæc respondeatur cum recẽtiori allegato, negando antecedẽs, quod nempe æquale in creaturis relatiuê dicatur, & de formali relationem importet, eo quod duæ quantitates palmares de se habent vt sint æqnales: ita vt prorsus impossibile sit æquales non esse. Quod autẽ alicui de se conuenit non habetur per supervenientem rationem, ac proinde omni respectu secluso, conuenit æqualitas quantitatibus creatis. In contrarium obstat primo. nã vel loquitur de necessaria cõueniẽtia æqualitatis quantibus palmaribus seclusso respectu, vel de necessaria conuenientia absolutẽ. Si primum, petitur in solutione principium. Si secundum, argumentum non soluitur: ergo solutio tradita nequit subsistere. Minor pro secunda parte constat: nã si æqualitas consistat in relatione formaliter, nulli enti creato conuenit secluso respectu, sed ratione illius vt formæ: ergo probare non consistere in relatione, quia entibus creatis necessario conuenit secluso respectu, est negatio, & petitio principij. Pro secunda parte probatur: nam ex eo quod duæ quantitates palmares necessario sint equales, solum sequitur formam dantem æqualitatem illis necessario competere; sed non repugnat relationi, illis necessario conuenire: ergo ex eo quod æquales esse, illis necessario conueniat, non excluditur relatio à ratione æqualitatis.

28 *Secũdo.*

Secundo reijcitur: nam ex solutione tradita sequitur prædicamẽtum relationis non esse; consequens aduersatur Philosopho; & omnibus metaphysicis: ergo solutio tradita non subsistit. Probatur sequela: implicat existere hominem qui genuit alium, & hominem genitum, & non existere Patrem, & Filium: ergo si duæ quantitates palmares per suas entitates absolutas dicuntur æquales, & ideo æqualitas relatio non est, sed in absoluto consistit, quia implicat existere, & æquales non esse: pariter etiam Pater, & Filius per aliquid absolutum constituẽtur. Cũque idem argumentum possit confici in omnibus relatiuis, prædicamentum relationis negatur. Denique: nam æquale, simile, & idem in creaturis dici relatiuê, est omnium Logicorum, & metaphysicorum sententia, à qua non licet recedere, nec Aureolus recessit, vt vidimus.

29 *Arg. Aureoli.*

Contra istam conclusionem arguit Aureolus: æqualitas in Deo nõ est relatio realis, nec relatio rationis: ergo non est relatio; & consequenter dicitur absolute, & idem de similitudine diuinarum personarum est dicendum. Vtraque consequentia tenet. Antecedens pro prima parte ex dicendis constabit. Pro secunda probatur primo: si namque est relatio rationis, ideo est, quia ad actum reducetur per operationem intellectus, sed nihil Dei potest ad actum reduci per operationem intellectꝰ, aliàs esset de se incompletũ vtpote per intellectum complebile, & ab illo complementum accipiẽs, esset etiam de se potentiale, vtpote reducibile ad actum per intellectus operationem, quæ sunt imperfectiones, omnino repugnantes Deo: ergo relatio rationis non est.

Antec. 2. parte prob. 1.

30 *Secũdo prob.*

Secundo probatur: etenim relatio rationis nulli enti re ali conuenit necessario; sed æqualitas necessario conuenit diuinis personis, non enim pos-

ſunt à noſtro intellectu cognoſci, & non concipi vt æquales : ergo relatio rationis non eſt. Tertio : nam relatio rationis, non petit extrema realia inter ſe diſtincta realiter. Tũ, quia huiuſmodi exigentia eſt conditio relationis realis. Tum etiam, nam relatio omnimodæ identitatis, quia rationis eſt, huiuſmodi conditionem non petit; ſed æqualitas diuinis perſonis competens, realem extremorum diſtinctionem expoſcit, vt enim docet D. Thomas quæſt. 42. art. 1. *Æqualitas duo importat in Deo, nempe, vnitatem magnitudinis, diſtinctionemque perſonarum* : ergo relatio rationis non eſt.

31 *Ad 1. antecedentis probationẽ*

Reſpondeo negando antecedẽs pro ſecunda parte. Ad primam probationem conceſſa maiori diſtinguo minorem: nihil Dei reale intrinſecũ, concedo minorem : nihil Dei quod rationis ſit, vel extrinſecum, nego minorem, & conſequentiam: nam æqualitas relatiuè ſumpta, non realis, ſed rationis eſt. Licet autem prædicatum Deo intrinſecum, & reale, nequeat ab alio compleri, vel ad actũ reduci; quod vero prædicatũ, quod ens rationis eſt, ab extrinſeco agente compleatur, & ad actum reducatur, nullum inconueniens eſt; ſed neceſſario aſſerendum in relatione dominij, & in alijs relationibus, quibus reſpicit creaturas; cum reſpectum realem ad illas non poſsit dicer, in communi Theologorum ſententia, nec ex hoc ſequitur incompletio, aut potentialitas intrinſeca Deo, ſed ſolum incompletio, & potentialitas in reſpectu rationis, quem intellectus noſter confingit, illique exiſtentiam tribuit.

32 *Ad 2.*

Ad ſecundam probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Nec obſtat, non poſſe ab intellectu noſtro in hoc ſtatu perſonas diuinas cognoſci, & non concipi vt æquales relatiuè, hoc enim non prouenit ab exigentia intrinſeca obiecti, ſed ex noſtra imperfectione, ob quam non valemus diuina aliter cognoſcere, quã ad inſtar, & modum ſimilium rerum creaturarum. Vnde ſicut ob hanc cauſam non poteſt à nobis omnipotentia cognoſci ſine reſpectu ad creaturas, quin ex hoc liceat colligere reſpectum à nobis factum, neceſſario omnipotentiæ eſſe annexum : ita ex eo quod nequeant perſonæ diuinæ cognoſci ab intellectu noſtro pro hoc ſtatu vt eiuſdem magnitudinis ſine reſpectu vnius perſonæ ad aliã, non ſequitur talem reſpectum, illis neceſſario cõpetere. Aliàs nec Deus poſſet perſonas diuinas ſine tali reſpectu cognoſcere; cum id, quod alicui rei ab intrinſeco neceſſario conuenit, inſit illi per ordinem ad quemcumque intellectum eam vere, & adæquate concipientem. Quod tamen falſum eſt : nam licet Deus, & beati per beatificam viſionem non poſsint diuinas perſonas, vt inæquales concipere, ſed vt eiuſdem magnitudinis illas neceſſario cognoſcant, vt tamẽ relatiuè æquales, nec à Deo, nec ab intellectu beati cognoſcuntur, nec poſsunt cognoſci, niſi per ordinem ad intellectum noſtrum, relationem æqualitatis fingentem inter diuinas perſonas.

33 *Ad 3.*

Ad tertiam, diſtinguo maiorẽ: ex conceptu communi omni relationi rationis, concedo maiorem : ex cõceptu particulari, nego maiorem, & prætermiſſa minori, nego conſequentiam : nam licet relatio rationis vt ſic non petat realem extremorum diſtinctionem, nec illorum exiſtentiã, poteſt aliqua relatio rationis tali exigentia gaudere, vt conſtat in relatione dominij, quam eſſe rationis in Deo, docet communis ſententia; & tamen extrema realia realiter diſtincta, & exiſtentia petit. Nec obſtat huiuſcemodi exigentiam eſſe vnam ex conditionibus ad relationem realẽ neceſſarijs : nam licet ſit neceſſaria conditio, non tamen eſt conditio ad realem relationem ſufficiens, ſed aliæ deſiderantur. Vnde quamuis illa adſit; ſi tamen alia deficiant, non erit realis, ſed rationis relatio.


Sed

34 *Instat Aureolus.*

Sed instat Aureolus: relatio æqualitatis inter diuinas personas nõ aliũ de potest à realitate deficere, & rationis esse, nisi quia est eiusdẽ ad se ipsum, vel ad modum relationis, quo idem ad se ipsum refertur; sed eo ipso quod sit huius conditionis, vel modi, non potest exigere extrema realiter distincta, nihil enim ad se ipsum potest referri relatione exigente inter extrema realiter distincta versari, vt ex terminis est notum: ergo si petit extrema distincta realiter, non est relatio rationis.

35 *Resp.*

Respondeo negando maiorem: nam quod relatio aliqua, non realis, sed rationis sit, potest ex multiplici capite oriri. Primo ex eo quod nullum extremum relatum sit actu in rerum natura, vt relatio, quæ versatur inter futura, & præterita. Vel quia licet extrema in rerum natura sint, non sunt realiter distincta, vt relatio, qua Petrus vt idem ad se ipsum refertur. Vel quia licet extrema sint realia, & actu existentia, actuque distincta, sunt tamen incapacia vt in se realem relationem suscipiant, vt sunt duæ relationes. Vel quia fundamenta realiter non distinguuntur. Vnde maior, quam assumit Aureolus, adæquata non est: ex quo autem capite relatio æqualitatis in Deo realitate deficiat, ex dicendis cõstabit.



§. III.

Reijcitur secunda sententia, & varia motiua expendun-- tur.

SEcunda conclusio sit: *Relatio æqualitatis inter diuinas personas in magnitudine essent ia fundata, non est realis, sed rationis.* Ita Auctores, quos pro quarta sententia retulimus, licet autem omnes in sententia conueniant, in ratione probatiua discordant. Quidam apud Durandum *vbi supra num. 6.* sic arguunt pro communi sententia: nam de ratione relationis realis est, quod per eam dicatur aliquid ad aliud realiter se habere; sed secundum æqualitatem vna persona diuina non se habet ad aliam secundum rem; persona enim dicitur æqualis personæ secundum quantitatem essentiæ, vna autem persona est eadem alteri quoad essentiam: ergo æqualitas in essentia fundata, relatio realis non est. Quæ ratio displicuit Durando, eo quod licet relatio realis petat inter extrema realiter distincta versari, fundamenta vero realiter distincta non petit, aliàs nulla relatio realis posset reperiri in Deo, cum omnis super essentiã fundetur, quæ vna est in tribus personis diuinis. Hæc tamẽ impugnatio non vrget, vt ex dicendis constabit, restat tamen sic arguentibus necessitatem distinctionis realis fundamentorum ad realitatẽ relationis probare.

36 *Expenditur prima ratio.*

Alij apud ipsum *num. 8.* sic arguunt: nam licet de ratione relationis realis non sit distinctio fundamẽtorum, necessarium tamen est quod extrema prout extrema realiter di-

37 *Secũdo alij apud Durandũ sic arguunt.*

ſtincta ſint; ſed perſonæ diuinæ prout extrema relationis æqualitatis formaliter, non ſunt realiter diſtincta, bene tamen vt extrema relationum originis: ergo relatio æqualitatis in magnitudine eſſentiæ fundata, non eſt realis. Probant minorem. perſonæ diuinæ ſunt ſecundum ſe extrema relationum originis, non ſic relationis æqualitatis, ſed prout quantæ ſunt, aut quales; æqualitas enim eſt relatio duorum quantorum, & ſimilitudo eſt relatio duorum qualiũ; at perſonæ vt quantæ, vel quales nõ sũt realiter diſtinctæ, bene autem ſecundum ſe, ſunt enim quantæ, & quales ratione eſſentiæ, quæ eſt eadem numero in illis: ergo vt extrema relationum originis realiter inter ſe diſtinguuntur, non autem vt extrema relationum æqualitatis, & ſimilitudinis.

38 *Inconſequentiæ indoctrina notãtur Durandus, & M. Zumel,*

Cui rationi non multum fidit Durandus, licet illam non reiecerit, placuit tamen Hiſpalenſi *vbi ſupra notabili* 4. eamque amplexatus eſt Zumel parum cõſequens in propria doctrina. Quod etiam videtur accidiſſe Durando. Quod probo: nam extrema relationis quatenus extrema diſtingui, eſt quod diſtinguantur rationes, quibus conſtituuntur in ratione extremorum; ſed ratio, qua extremum in ratione extremi conſtituitur, eſt fundamentum: ergo ſi vt relatio ſit realis exigitur diſtinctio extremorum realis, quatenus extrema ſunt; requiritur etiam realis fundamentorum diſtinctio; & conſequẽter Zumel hanc neceſsitatem refutans, parum conſequenter ad extremorum diſtinctionem prout extrema ſunt, recurrit, & Durandus eam reijciens, deberet etiam neceſsitatẽ diſtinctionis extremorum prout sũt extrema refellere.

39 *Tertio arguit Durandus pro noſtra sẽtentia.*

Tertio arguit Durandus: nam licet relatio realis non petat, quod fundamenta realiter inter ſe diſtinguantur, neceſſarium tamen eſt quod extremorum diſtinctio à fundamento exigatur; ſed eſſentia Dei vt fundans æqualitatem non petit realem perſonarum diſtinctionem, bene tamen vt fundat relationes originis: ergo æqualitas perſonarum realis relatio non eſt, bene tamen relationes originis. Maiorem à ſe probatam ſupponit, minorem probat: nam diuina eſſentia non petit realem diſtinctionem perſonarum vt vna, ſed quatenus eſt fœcunda; ſed fundat æqualitatem vt vna, relationes vero originis fundat vt fœcunda eſt: ergo prout fundat æqualitatem non petit realem diſtinctionem perſonarum, bene tamen vt fundat relationes originis; & conſequenter æqualitas diuinarum perſonarum realis relatio non eſt, relationes vero originis reales relationes ſunt.

40 *Reijcitur ex principijs Durandi.*

Cæterum hoc argumentum etſi veram contineat doctrinam, non poteſt vrgere iuxta principia Durandi, vt enim docet *quæſt. 1. allegata numero* 5. æqualitas perſonarum non eſt relatio omnimodæ identitatis, qua idem ad ſe ipſum refertur, ſed relatio diſtinctorum, prout ſunt in eſſentia idem, ex quo euidenter colligitur, non fundari in diuina eſſentia prout vna eſt abſolutẽ, ſed quatenus vna in pluribus; ſed licet demus eſſentiam diuinam prout abſolutẽ vnam non petere diſtinctionem realem perſonarum: prout tamen vna eſt in pluribus, illam neceſſario exigit: ergo vt fundat æqualitatem petit realem extremorum diſtinctionem: & conſequenter iuxta doctrinam Durandi non bene ex iſto principio realitas æqualitatis diuinarũ perſonarum excluditur.

41 *Secũdo reijcitur etiã ad hominem.*

Secundo reijcitur, etiam ad hominem: nam ex inde probat Durandꝰ relationes originis fundari ſupra eſſentiam diuinam, quæ eſt vna numero in tribus; quia in Deo non ſunt niſi duo prædicamenta, nempẽ ſubſtantia, & relatio, hæc autem non poteſt ſupra relationem fundari, aliàs daretur proceſſus in infinitum; & conſequenter relationes originis habent ſupra eſſentiam vt abſolutum fundari; ſed ex hac doctrina infertur non fundari ſupra eſſentiam vt fœcundã:

ergo

ergo si solum vt sic petit realem distinctionem personarum, non petit hanc distinctionem, prout fundat relationes originis. Probo minorē: essentia vt fęcunda, necessario relationem importat: ergo si relatio diuina sub nulla cōsideratione potest relationem fundare, nec in essentia vt fęcunda potest fundari relatio. Probatur maior: quod nō conuenit omnibus personis diuinis, non potest in perfectione absoluta, absolutē sūpta consistere, sed necessario relationem includit, cum omnis perfectio absoluta, sumpta absolutē, tribus personis conueniat, vt compertum est apud omnes; sed essentia diuina vt fœcunda realiter ad intra, non conuenit omnibus diuinis personis, aliàs Spiritus Sanctus esset realiter fœcūdus ad intra; & consequenter esset realiter productiuus alicuius personæ diuinæ, quod Catholicæ doctrinæ non congruit: ergo essentia diuina vt fœcunda non consistit adæquatē in perfectione absoluta, sed necessario relationem includit.

42 *Quarto alij sic arguūt.*

Quarto alij sic arguunt: vt relatio realis sit, non solum extremorum, sed etiam fundamentorū, realis distinctio requiritur; sed fundamētum æqualitatis diuinarum personarum est idem, nempē magnitudo essentiæ, quæ est vna numero in illis: ergo quamuis realiter distinguantur personæ, non tamen referuntur relatione reali qualitatis, & idem est de relatione similitudinis, & identitatis dicendum. Ita arguunt Capreolus vbi supra, Frrrara 4. Contra-Gētes cap. 11. circa 12. conclusionem, versu, *ad euidentiam autem huius conclusionis.* Et Ioannes de Portugal Episcopus de Viseo *lib. 3. de relatione Spiritus Sācti cap. 22. parte prima num. 6. & sequētibus*, vbi maiorem, in qua est difficultas, probat primo ab inductione ex omnib⁹ relationibus, in quibus si reales sunt, non solum extrema, sed etiam fundamenta realiter distincta inueniuntur. Secundo: nam relatio, tam à fundamento pendet, quam à subiecto, imò magis: ergo non minus in fundamēto, quā in subiecto realē distinctionē exigit. Tertio: nam relatio fundamento adhæret, quasi subiecto: ergo hoc ipso, quod postulat subiecta distincta, petit etiam distincta fundamenta. Quarto: nam fundamentum vnius relationis, est alterius relationis terminus, saltim materialis, vt omnium consensione probatur; sed termini relationum petunt realiter distingui: ergo etiam fundamenta. Quod amplius cōfirmat primo: nā in sentētia satis probabili, relatio nō differt realiter à fundamento, sed solū distinctione formali, quam vocāt ex natura rei; sed relationes coopositæ necessario sunt res distinctæ: ergo necessario petunt fundamenta re ipsa distincta. Confirmat secundo: quia aliàs extrema conuenirent in eo ipso, in quo opponuntur, quia conuenirent in vna forma, quæ est causa oppositionis realis relatiuæ.

Denique probat maiorem: nam relationes æquiparantiæ, quales sunt æqualitas, & similitudo fundantur in vnitate duorum, vt docet Aristoteles 5. *metaphysicæ cap.* 17. ergo fundātur in vnitate duarum formarum, v. c. duorum candorum, duarum albedinum, & duarum quantitatum: & consequenter petunt realem distinctionem, non solum in extremis, sed etiam in fundamentis.

43 *Fertur de hac ratione iudiciū.*

Licet autem ratio ista probabiliter possit defendi, prout à Capreolo, & Ferrariensi proponitur; plura vero, quæ in probationem maioris congerit Episcopus de Viseo, nullius roboris sunt. Et in primis prior probatio ab inductione, est primū, quod ab Scotistis negatur, imò contrariū ab inductione suadent. Deinde falsum est, quod omnis relatio inhæreat fundamento vt subiecto, vt constat in relatione paternitatis, quæ vel in generatione, vel in potentia generatiua fuddatur, & nulli illarum inhæret, tanquam subiecto. Præterea falsum est, fundamentum vnius relationis esse terminum materialem alterius vniuersaliter intellectum: gene-

ratio namque paſsiua fundamentum eſt filiationis in ſententia valdè probabili,& tamen non eſt terminus materialis paternitatis, nec in nobis, nec in Deo. Potentia etiam generatiua paternitatem fundat, vt alij probabiliter docent; & tamen, nec in Deo, nec in nobis eſt terminus materialis filiationis: ſolum ergo petitur à fundamento, quod terminum materialem conſtituat, & quod ſit terminus materialis vt *quo*. Ad quod neceſſarium non eſt in ſententia Scotiſtarum, quod relatio diſtinguatur à relatione, quam terminat: ſicut nec principium *quo* petit à termino producto diſtingui ex ratione communi; in Deo namque potentia generatiua, quæ eſt principium *quo* diuinæ generationis, non diſtinguitur diſtinctione reali à genito, nec terminus *quo* diuinæ generationis realiter diſtinguitur à principio vt *quod* generante.

44 *Cõfirm. non vrgent.*

Denique confirmationes non vrgent: prima namque inſtatur in paternitate ſupra generationem fundata, quæ tamen realiter ab illa diſtinguitur, cum paternitas intrinſecè inhæreat Patri; generatio autem in frequentiori ſententia in termino recipiatur. Secunda etiam falſo nititur principio, quod nempè relatiua in fundamento opponantur, ſolũ enim opponuntur relationibus, quibus inuicem ſe terminant. Quod maximè verum eſt in illis, quæ ſupra vnitatem, aut conuenientiam fundantur; ac proinde ex eo, quod fundamentum idem ſit, non ſequitur conuenire in eo ipſo, in quo opponũtur. Solum ergo ſtandum eſt ſecũdæ probationi maioris, qua vtũtur Capreolus, & Ferrara. Quod ſi vltima probatio alicuius roboris eſt, fundatur in eo, quod non ſolum extrema relationis identitatis, ſed etiam ipſa fundamenta referuntur, de quo infra. Cui tamen doctrinæ non acquieuit prædictus Magiſter.

45 *Arguit Smiſing*

Sed contra rationem iſtam arguit Theodorus Smiſing *vbi ſupra num.* 71. nam fundamentum Paternitatis increatis, vel eſt actualis generatio, vel potentia generatiua, vel ex vtraque componitur; ſed nec potentia generatiua, nec generatio actualis in Patre, & Filio realitèr multiplicantur, non enim generatio, & potentia actiua, quæ ſoli Patri cõueniunt, nec generatio, & potentia paſsiua, quæ conueniunt ſoli Filio: ergo ad realem relationem non eſt neceſſaria realis fundamenti multiplicatio. Quod amplius confirmat: nam relationes diuerſitatis non petunt fundamenta realiter multiplicata in extremis: ergo multo minus id petunt relationes in vnitate fundatæ. Conſequentia tenet à paritate rationis, imo tenet à fortiori: nam ſi relationes fundatæ in multitudine, diſtinctionem fundamentorum non petunt, multo minus id expoſcent relationes in vnitate fundatæ. Antecedens autem probat: nam fundamentum diuerſitatis inter album, & nigrum, eſt albedo, & nigredo; ſed nec albedo, nec nigredo multiplicatur in illis: ergo non multiplicatur fundamentum diſsimilitudinis.

46 *Arg. nõ vrget.*

Hoc tamen argumentum leuiſſimum eſt, & ex non penetrata doctrina, nec mente authorum prædictæ rationis procedit. Ipſi enim nuſquam docuerunt in relationibus mutuis fundamentum cuiuſvis ex illis debere in vtroque extremo realitèr multiplicari, ſed quod fundamentũ vnius realitèr debeat à fundamento alterius diſtingui: v.g. potentia actiua paternitatem fundans, à potentia paſsiua fundante filiationem, vel actio, ſi fundat paternitatem, à paſsiua generatione, ſupra quam filiatio fundatur. Ex qua doctrina facilè argumento facto occurritur, conceſsis maiori, & minori, negando conſequentiam; ſolum enim infertur non multiplicari realiter in Patre, & Filio fundamentum paternitatis, non autem quod non multiplicetur fundamentum in paternitate, & filiatione.

47 *Nec confirm.*

Et ex his ad confirmationem reſpondetur negando antecedens.

Ad

Ad probationem distinguo maiorẽ: vtraque qualitate fundante vtramque relationem, nego maiorem: vna fundante vnam relationem, & altera aliam, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam licet non multiplicetur albedo, nec similiter nigredo in extremis; albedo tamen fundans vnam rationem, & nigredo fundans aliam, realiter inter se distinguuntur. Et quidem eodem argumento posset prædictus auctor probare extrema dissimilitudinis nõ petere multiplicari, in hunc modum: extrema dissimilitudinis sũt album, & nigrum; sed nec multiplicatur album, nec multiplicatur nigrum: ergo extrema dissimilitudinis nõ sunt realiter distincta.

48 *Secũdo arguit idem auctor.*

Secundo, & vrgentius arguit: Paternitas, & filiatio sunt relationes reales in Deo; & tamen fundamentũ Paternitatis non differt realitêr à fundamento filiationis: ergo de cõceptu relationis realis non est, fundamentum vnius realitêr à fundamento alterius distingui. Consequntio tenet. Maior est de fide. Minor autem probatur: nam fundamentum paternitatis est, vel diuina essentia, vel intellectus diuinus; fundamentũ autẽ filiationis est essentia prout in Filio; sed nec diuinus intellectus, nec diuina essentia multiplicãtur realitêr in Patre, & Filio, vt fides docet: ergo fundamentum paternitatis non distinguitur realitêr à fundamento filiationis.

49 *Augetur difficultas ex Durando.*

Et augetur difficultas argumento Durandi: in Deo namque non dãtur nisi substantia, & relatio; sed relationes originis non fundantur supra relationem, alias daretur processus in infinitum, cum illius relationis deberet fundamentum dari, & sic de alijs: ergo fundantur in substantia, in essentia, vel in aliquo prædicato absoluto; sed nulla formalitas absoluta multiplicatur realitêr in Deo: ergo fundamenta relationum originis non sunt realitêr distincta.

50

Huic argumento respondet Capreolus *vbi supra art. 2. ad 2.* ex argumentis Scoti, relationes originis nõ fundari in diuina essentia præcisê; sed fundantur incommunicatione, & acceptione essentiæ, hoc est, in processione actiua, & passiua, quæ realitêr distinguuntur. Nec obstat confirmatio ex Durando: nam relationes originis considerantur triplicitêr, primo sub ratione hypostasis, secundo sub ratione actionis, tertio sub expresso conceptu referentis: sub hac vltima consideratione petũt fundamentum, quod est ipsa relatio sub ratione originis considerata, vel actionis, quæ prout sic fundamentum non exigit, ac proinde vitatur processus in infinitum.

Solutio Capreoli.

Si dicas: fundamenta relationũ si distingui debent, non debet esse per ipsas relationes, sed præuiè ad illas; sed origines non distinguuntur nisi relatiuè: ergo non possunt fundare relationum distinctionem. Respõdet Capreolus, quod vbi fundamenta relationum aliter distinguuntur quã relatiuè, distinctæ relationes petunt fundamenta prius, & alitêr distincta quam per relationes. Vbi autẽ fundamenta relationum non sunt aliud à relationibus, nec distinguũtur nisi relatiue, fundamenta relationum nõ oportet prius natura distingui, quã relationes distinguantur, sed ipsæ relationes distinguunt sua fundamenta. Quam solutionem deducit ex D. Thoma de potentia Dei *quæst. 8. art. 3. ad 12. & in hac 1. p. quæst. 40. art. 2. ad 4.* vbi docet, *quod quãdo relatio est accidens præsupponit distinctionem fundamentorum, vbi autem est subsistens non præsupponit distinctionem, sed eam secumfert.*

51 *Si dicas*

Sed clarius responderi potest distinguendo maiorem: non debet esse per ipsas relationes sub expresso cõceptu referentium, qua ratione fundamentum supponunt, concedo maiorem: sub alio conceptu, qui licet relatiuus sit, conceptum referendi non exprimit, nego maiorem, & sub eadam distinctione minoris, nego

52 *Aliter huic replicæ occurritur.*

con-

conſequentiam: nam in paternitate v. c. reperitur triplex conceptus, vel ex modo ſignificandi, vel obiectiuè inadæquatè diſtinctus, ſcilicet, formæ hypoſtaticæ originis, & referentis, & ſub quouis illorum diſtinguit. Primo ſub munere formæ hypoſtaticæ, ſecundo ſub munere originis, vltimo ſub expreſſo referentis conceptu; ac proinde ſub ea ratione, qua fundatur, non diſtinguit fundamentum, ſed illius diſtinctionẽ ſupponit. Quæ ſolutio non eſt alia ab ea, quem tradit Capreolus, ſed illius explicatio.

53 *Contra obijcitur.*

Sed contra illam ſic, vel alitér explicatam obſtat grauis difficultas, vt enim *diſp.* 71. cum communi Thomiſtarum ſententia docuimus; origo actiua generatio v. c. non conſiſtit in relatione paternitatis, ſed in aliquo abſoluto, nempè in actu intellectus quamuis de connotato relationem importet. Et origo paſsiua Filij, in paſsiuo intelligi connotata filiatione; ſed actualis intellectio non diſtinguitur realitér à paſsiuo intelligi Filij: ergo fundamenta paternitatis, & filiationis non ſunt realitér diſtincta.

Si reſp.

Si reſpondeatur, intellectionem abſolutam, non præcisè vt abſolutè ſumptam, ſed vt connotantem paternitatẽ ſub munere, & conceptu originis fundare paternitatem, & paſsiuum intelligi, nõ abſolutè, ſed prout connotans filiationem, ſub munere originis paſsiuæ fundare filiationem, prout ſic autem realiter diſtinguuntur, & ſi non pro eo, quod dicunt in recto, benè tamen pro eo, quod de connotato, & in obliquo dicũt. Vnde iam ſaluatur realis fundamentorum diſtinctio.

54 *In contrariũ obſtat.*

In contrarium obſtat: nam iuxta hanc ſolutionem neceſſarium nõ eſt fundamenta relationum realium realitér diſtingui pro eo, quod important in recto, ſed ſufficere diſtingui realitér pro connotato in obliquo; ſed hæc diſtinctio inuenitur in eſſentia diuina vt fundat relationem æqualitatis, & ſimilitudinis: ergo ad eſt quidquid requiritur vt tales relationes ſint reales. Probatur minor, in qua videtur poſita difficultas: eſſentia diuina non fundat æqualitatem Patris ad Filium ſumpta abſolutè, ſed prout in Patre, & ſimilitér non fundat æqualitatem Filij ad Patrem eſſentia abſolutè ſumpta, ſed prout in Filio; ſed eſſentia prout in Patre realiter diſtinguitur ab eſſentia, prout in Filio, pro illo quod de connotato importat, vt eſt manifeſtum: ergo diſtinctio realis ſecundum id, quod de connotato, & in obliquo importatur, conuenit diuinæ eſſentiæ vt fundat relationem æqualitatis; & conſequenter talis relatio eſt realis, & idem dicendum eſt de relatione identitatis, & ſimiltudinis.

55 *Reſp.*

Reſpondeo ſuſtinendo ſolutionem traditam inter arguendum. Ad impugnationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad illius probationem diſtinguo maiorem: paternitate exacta ab eſſentia formalitèr vt fundante æqualitatem, nego maiorem: exacta ab eſſentia ſolum entitatiuè, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam; quia licet diſtinctio illa conueniat diuinæ eſſentiæ, non conuenit illi formalitèr vt fundanti relationem æqualitatis, quod manifeſtè patet; ſi namque ei, vt fundamentũ eſt relationis æqualitatis, formaliter conueniret paternitas vt diſtincta à filiatione, relatio fundata, non æquiparantiæ, ſed diſquiparantiæ eſſet, vt conſtat in paternitate, quæ quia fundatur in eſſentia vt in Patre, paternitate exacta ab eadem eſſentia vt fundante, diſquiparantiæ eſt, non æquiparãtiæ relatio, æqualitas autè eſt relatio æquiparantiæ, hoc eſt, eiuſdem rationis, & denominationis in vtroque extremo: ergo diſtinctio extremorum, ſcilicet Patris, & Filij per paternitatem, & filiationem nõ exigitur per ſe ab eſſentia vt fundante relationem æqualitatis. Et idem dicendum eſt de ſimilitudine, & identitate; ac proinde nulla ex his relationibus realis eſt. Vnde nos Durãdũ

supra non absolutè, sed ad hominem impugnauim⁹, vt per hoc tacitæ obiectioni occurratur.

56 *Deriq; contra istam rationem arg.*

Denique contra istam rationem arguitur: paternitas, & filiatio in creaturis sunt relationes reales; sed fundamentum paternitatis nō distinguitur realiter à fundamento filiationis: ergo vt relationes sint reales, non est necessaria realis fundamentorum distinctio. Maior cum consequentia tenet, minor autem probatur: fundamentum paternitatis est generatio actiua, fundamentū filiationis est passiua generatio; sed actio, & passio realiter non distinguūtur: ergo fundamentum paternitatis creatæ non est realiter distinctum fundamento filiationis.

57 *Resp. 1.*

Huic argumento responderi potest primo, concessa maiori, negādo minorem: ad probationem, negādo maiorem: fundamenta enim paternitatis, & filiationis nō sunt generatio actiua, & passiua, sed potentia generatiua, & generabilitas passiua, quæ in creatis realiter distinguuntur. Generatio autem actiua, & passiua sūt, vel rationes fundandi vel intrinsecæ conditiones exactæ, non ad esse, & conseruari prędictarum relationum, sed tantū ad fieri. Quæ doctrina verisimilis fit primo: nam cum fundamenta sint causæ efficientes relationum, & etiam illarum subiecta vt *quo*, petunt durare quandiu relationes durāt; generatio autē actiua, & passiua transeunt, & permanēt relationes. Secundo: nam fundamentum debet esse in eodem subiecto, in quo relatio fundata, cum sit ratio suscipiendi illam; generatio autem actiua nō in Patre, sed in Filio subiectatur in sententia satis probabili, ex quo deducitur fundamentum paternitatis non esse.

58 *Secūdo.*

Vel secundo responderi potest admisso prædictas relationes supra actionem, & passionem fundari, negando minorem, quod nempē realiter non distinguantur. Vt enim plures satis probabiliter docent, actio transiens non in passo, sed in agente recipitur, iuxta quam sententiā realiter à passione distinguitur.

Tertio.

Vel tertio eadem sententia admissa potest adhuc responderi, actionem, & passionem distingui ex natura rei, quod sufficit vt possint relationes realiter diuersas fundari, licet enim distinctio fundamētorū ad realitatem relationis exigatur, non tamen tanta debet esse in fundamentis distinctio, quanta in relationib⁹ fundatis, vt constat in generatione actiua, & passiua, quæ in diuinis nō sunt realiter distinctæ pro eo, quod dicūt in recto, sed tātum secundū id, quod important in obliquo, & tamē paternitas, & filiatio fundatæ realiter distinguuntur in recto,

59 *Instauratur ratio Capreoli.*

Ex quibus omnibus potest argumentum Capreoli instaurari in hunc modū: vt aliqua relatio sit realis, necessario requiritur, non solum realis extremorū distinctio, sed etiā distinctio fundamentorum, vel realis entitatiua, vel realis formalis, vel secundum id, quod fundamenta important in recto, vel saltim pro eo, quod dicunt de connotato in obliquo; sed in fundamento relationis identitatis, similitudinis, & æqualitatis diuinarum personarum, nullo ex his modis realis inuenitur distinctio: ergo relatio ista realis non est, sed rationis. Maior constat inductione, & insuper hac ratione: nam fundamentū vnius relationis estō non sit extremum vt *quod* relatum; est tamen extremum *quo*, hoc est, ratio per quam constituitur extremum; sed in extremo *quo* relationis aliqua ex his distinctionibus, est necessaria ab alio sibi coextremo, sicut in termino *quo* generationis, vel actionis productiuæ à principio *quo* eiusdem, aliqua ex his distinctionibus est necessaria, vt constat ex dictis principia processionum diuinarum tractantes: ergo fundamenta relationum realium aliquo ex prædictis modis debēt realiter distingui.

60 *Minor principalis suadetur.*

Deinde minor principalis suadetur: fundamentum æqualitatis diuinarum personarum in magnitudi-

ne eſſentiæ, fundatum eſt diuina eſſentia communis tribus perſonis, vel alia perfectio abſoluta, illis ſimili modo communis; ſed eſſentia Patris nullo ex aſsignatis modis ab eſſentia Filij, aut Spiritus Sancti differt realiter entitatiue, vel ſaltim formaliter realiter, quorum vtrumque eſt hæreticum. Deiude nō adeſt realis, vel formalis diſtinctio pro cōnotato in obliquo ab eſſentia, prout fundante. Quod probo: quia ſi huiuſmodi diſtinctio daretur, relatio fundata non eſſet æquiparantiæ, ſed diſquiparantiæ relatio, vt conſtat in paternitate, quæ relatio diſquiparātiæ eſt propter realem diſtinctionē, quæ in illius fundamento pro connotato inuenitur: ergo in fundamento æqualitatis diuinarum perſonarū nullus modus diſtinctionis inuenitur ex his, qui requiruntur vt aliqua relatio ſit realis; & conſequenter realis relatio non eſt.

§. IV.

Tribus alijs argumentis noſtra concluſio ſuadetur.

61 *Vlteriꝰ prob. cō cluſio.*

QVamuis ratione Capreoli, prout àncbis vltimo expēſa maneat corroborata efficaciter noſtra, & communis ſententia, vlterius tamen probatur: ſi namque æqualitas diuinarum perſonarum eſſet relatio realis, ſequeretur dari in Deo plures relationes reales, quam quatuor; conſequens eſt falſum: ergo & contraria ſententia. Falſitas conſequentis conſtat ex communi Thomiſtarum, & Scholaſticorum doctrina, ſolas quatuor relationes reales admittentium in Deo. Sequela autē probatur: nam relatio æqualitatis eſt realis in ſententia contraria, & diſtinguitur formaliter, vel ad minus virtualiter à paternitate, & filiatione, ab ſpiratione actiua, & paſsiua, vt contrarij auctores fatentur: ergo dantur in Deo plures relationes reales quam quatuor, imo vt dicebamus referentes Scoti ſententiam vigeſimæ duæ relationes reales in Deo eſſent conſtituendæ: imo vlterius iuxta numerum attributorum, quæ in ſententia Scoti ex natura rei differūt inter ſe, & ab eſſentia, relationes reales ſimilitudinis deberent multiplicari. Quæ omnia, inquit Vazquez *vbi ſup. num. 9.* friuola ſunt, & contra communem Scholaſticorum doctrinam, qui ſolum quatuor relationes reales concedunt in Deo.

62 *Solutio contrariorum.*

Huic argumento occurrunt cōtrarij Authores, concedendo ſequelam, & negando minorem. Nec obſtat Scholaſticorum authoritas in contrarium obiecta, loquuntur enim de relationibus originum, de quibus verum eſt eſſe quatuor, & non plures, non autem de relationibus, quæ ſunt tribus perſonis commune, qualis eſt relatio æqualitatis, vel ſimilitudinis, vel identitatis, quas numerum quatuor excedere docent graues Theologi, quales ſunt Scoti diſcipuli, quos fas non eſt ſingularitatis, aut temeritatis notare.

63 *Rejicitur.*

Sed contra hanc euaſionem in hunc modum inſurgo: nam ex illa ſaltim ſequitur, cum primo Doctor ſubtilis hanc dictauit ſententiam debuiſſe temeritatis notari; conſequēs non admittent: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Probatur ſequela: ſententia docens quatuor tantum eſſe relationes reales in Deo ante Scotū erat Scholaſticorum omnium: ergo Scotus primo ſententiam contrariā docens, dicēduseſt tunc temporis in temerariam incidiſſe ſententiā. Conſequentia videtur bona: illa enim ſententia temeritatis nota cenſetur, quæ opponitur communi Scholaſti-

corum consensui in re Theologica, & graui. Antecedens autem probatur: nullus enim ante Scotum relationem aliquam realem, præter quatuor originis, concesit in Deo.

64 *Resp.* Respondebunt; Scholasticos Scoto antiquiores quatuor tantum relationes statuentes in Deo, non excludere omnem aliam relationem realem, sed tantum relationem realem originis. Vnde Scotus non se opposuit communi Scholasticorum consensui, sed rem ab illis silentio præteritam explicuit, & in Scholas induxit.

Sed contra. Sed contra: si hæc propositio: *In Deo tantum sunt quatuor relationes reales*, ab Ecclesia diffinita fuisset, vel in scripturis expressa, qui, relationem aliquam realem præter quatuor, admitteret, scripturæ, & Ecclesiæ se opponeret, etiam si talis relatio non esset relatio originis, sed omnibus personis cõmunis; sed prædicta propositio erat omnium Scholasticorum tunc temporis: ergo admittens relationem aliquam realem non originis, sed communem supra quatuor relationes, etsi Ecclesiæ non contradixerit, cõmuni tamen Scholasticorum consensui videtur cõtradixisse.

65 *Si fortè dicatur* Si fortè vlterius respondeatur, vnicum Subtilissimum Scotum pro decem milibus computandũ ob magnam authoritatem, & ingenij eximiam subtilitatem. In contrarium obsta bit, ex hac solutione deduci nõ potuisse Scotum temeritatis notari, quid quid cõtra omnes Scholasticos singulariter induceret, quandoquidem pro illo staret semper ingenij subtilitas, & maxima, quam fateor, authoritas. Hæc disputationis gratia sint dicta, nõ vt in contrariam sẽtentiã, cui fauet grauissima Doctoris Subtilis Schola, notam aliquam inijciamus.

66 *Deinde principaliter suadetur cõc.* Deinde suadetur conclusio: nam ex sententia opposita sequitur dari in Deo prædicata solo numero distincta; consequens est falsum: ergo & opposita sententia. Patet sequela, relatio æqualitatis, qua Pater respicit Filium, solo numero distinguitur, ab altera relatione, qua Filius respicit Patrem, sicut relationes similitudinis, quibus Petrus, & Paulus ad inuicem referuntur, distinguuntur solo numero: ergo si relationes illæ sunt reales, dantur in Deo formalitates, & prædicata realia solo numero distincta.

67 *Minor prob. 1.* Falsitas autem consequentis ostenditur primo: vt enim D. Thomas docet pluribus in locis, distinctio solum numerica sumitur à materia, in Deo autem materia nõ est: ergo nec distinctio solum numerica.

Secũdo. Secundo: nam quæ solo numero differunt, sunt composita compositione metaphysica ex actu, & potẽtia, sed in Deo talis compositio repugnat, vt cum D. Thoma *supra q. 3. art. 5.* docent Theologi communiter: ergo est incapax distinctionis solum numericæ.

68 *Tertio.* Tertio: nam singularitas est de essentia cuiusvis prædicati diuini ex ratione entis à se, cui sicut conuenit existentia essentialiter, ita etiam singularitas, quam existentia supponit; sed cui essentialis est singularitas, repugnat multiplicatio numerica, quo circa Deum numero multiplicari est omnino implicatorium, quia essentialiter est singularis: ergo implicat esse in Deo duo prædicata realia solo numero distincta.

69 *Quarto* Quarto: nam prædicatum numero multiplicari, ex limitatione pronenit, ratione cuius non cõtinet, quidquid pertinet ad speciem. Vnde Petrus, quia numericẽ à Paulo, & Francisco differt, limitate rationem speciei participat; sed limitatio repugnat omni prædicato Dei: ergo multiplicatio solum numerica repugnat omni formalitati diuinæ.

70 *Deniq; prob. minor.* Denique probatur: nam omnis Dei formalitas est per se ipsam indiuidua, & singularis; sed quod per se ipsum est indiuiduum, non potest multiplicari: ergo nulla Dei formalitas potest numero multiplicari.

Con-

Conſequentia cum minori tenet: maior autem probatur, quod per ſe ipſum indiuiduum non eſt, indiuiduatur per aliud; ſed nulla Dei formalitas poteſt per aliud indiuiduari, aliàs reſultaret compoſitio, cum omne ex alio, & alio coaleſcens, neceſſario ſit compoſitum: ergo omnis Dei formalitas, & omne aliud prædicatum diuinum, indiuiduum eſt per ſe ipſum. Quo argumẽto vſus eſt D. Thomas 1. *Contra-Gentes cap. 42. ratione 11* vt probet Deum eſſe vnum.

71 *Si opponas.* Si opponas: quamuis prædicatis Dei abſolutis repugnet numero multiplicari, non tamen repugnat formalitatibus relatiuis; ſed æqualitas perſonarum eſt formalitas relatiua: ergo non repugnat illi numero multiplicari. Minor cum conſequentia tenet: maior autem probatur: etſi abſolutis prædicatis Dei repugnet multiplicatio ſpecifica, non tamen repugnat formalitatibus relatiuis: ergo idem eſt dicendum de multiplicitate numerica. Conſequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem cõſtat in paternitate, & filiatione diuinis, quæ ſpecificè diſtinguuntur.

72 *Reſp.* Reſpondeo negando maiorem: ad probationem, nego antecedens: nam quæ diſtinguuntur ſpecie, conueniunt in genere, nulla autem formalitas Deo intrinſeca ſub genere continetur, aliàs compoſita eſſet ex genere, & differentia. Quod repugnare diuinis formalitatibus docet D. Thomas *ſupra q. 3. art. 5.* Vnde paternitas, & filiatio in Deo nõ differunt diſtinctione ſpecifica, ſed in eſſentia ſunt idem; prout vero ab eſſentia diſtinctæ, & in linea relatiua, ſe totis differunt, & primo diuerſæ ſunt, ſicut rerum differentiæ.

73 *Inſtabis primo.* Sed inſtabis primo: non minus conueniunt paternitas, & filiatio diuina in ratione relationis, quam paternitas, & filiatio creata; ſed quia iſtæ conueniunt in genere relationis non ſunt ſe totis diuerſæ, ſed ſpecificè diſtinctæ: ergo paternitas, & filiatio diuina non diſtinguuntur ſe totis, ſed diſtinctione ſpecifica.

Secũdo. Inſtabis ſecundo: nam ſaltim non repugnat relatiuis formalitatibus diuinis eſſentialiter diſtingui, vt conſtat in paternitate, & filiatione diuina, quæ cum ſint ſe totis diuerſæ, prout in linea relatiua non poſſunt non diſtingui eſſentialiter: ergo pariter non repugnabit formalitates relatiuas diuinas ſolo numero diſtingui. Patet conſequentia: prædicatis abſolutis non minus repugnat multiplicatio eſſentialis, quam multiplicatio numerica: ergo ſi formalitatibus relatiuis non repugnat eſſentialis, nec numerica repugnabit.

74 *Et confirm.* Confirmabis: realis entitatiua diſtinctio competens perfectionibus abſolutis limitationem in illis argueret, & tamen formalitates relatiuæ realiter diſtinguntur in Deo, quin ex hoc in illis limitatio colligatur: ergo pariter, quamuis multiplicatio ſolum numerica argumentum ſit limitationis in perfectionibus abſolutis, & repugnet formalitatibus abſolutis Dei ratione illimitationis, poterit formalitatibus relatiuis competere, quin ex hoc illarum limitatio inferatur, vel illimitatio excludatur.

75 *Reſp. ad 1. replicam.* Reſpondeo ad primam replicam, negando maiorem: nam conuenientia ſecunda eſt vniuoca in relatione vt in genere, prima autem eſt analoga in ratione relationis; quia nihil poteſt vt genus, vel vt prædicatum vniuocum de Deo, & creaturis prædicari, nec de ipſis prædicatis diuinis comparatis inter ſe. Primũ prouenit ex dependentia creaturarum à Deo. De quo D. Tho. *ſupra quæſt. 3. art. 5.* Secundum ratione tranſcendentiæ: omne enim, quod enunciatur de Deo, vel de illius formalitatibus, tranſcendit ipſas formalitates, nec ab eis poteſt preſcindere, aliàs eſſet potentiale, & ideo tam ratio perſonæ, vt de tribus perſonis diuinis enunciatur, quam ratio relationis, analogicè dicuntur.

76 *Ad 2.* Ad ſecundam, conceſſo antece-

dent, nego consequentiã, ratio differentiæ est duplex. Prima, quia essentialis distinctio non petit conuenientiam vniuocam, nec genericam in aliquo prædicato communi, vt constat in decẽ prædicamentis essentialiter inter se differentibus, absque eo quod in aliquo prædicato communi conueniant vniuocẽ, & ideó formalitatibus relatiuis diuinis non repugnat essentialis distinctio: quæ vero solum numericẽ distinguuntur, necessario debent conuenire vniuocẽ in prædicato specifico, quod cum transcendentia prædicatorum nequit componi; ac proinde cum omne prædicatum, quod de formalitatibus diuinis dicitur, necessario illas transcendat, non stat inter diuinas formalitates sola distinctio numerica.

77 *Alia ratio discriminis.*

Secunda ratio discriminis est; quia omni Dei formalitati debet existentia essentialiter conuenire, eo autem ipso, quod existentia sit essentialis, indiuiduatio etiam essentialitẽr conuenit, quæ ad existentiam supponitur, cum quo non compatitur multiplicatio numerica, vt per se est manifestum: quod enim essentialitẽr est indiuiduum, repugnat numero multiplicari, essentialis autem distinctio duorum rectẽ compatitur cum hoc, quod cuivis illorum essentialis sit existentia, & ideo possunt formalitates relatiuæ diuinæ essentialiter distingui; quod autem solo numero distinguantur repugnat.

78 *Ad confirm.*

Et ex his ad confirmationem constat solutio: nam id, cui existentia non est essentialis, necessario est potentiale, & limitatum: cum ergo vt formalitas aliqua solo numero multiplicetur, requiratur quod extra illius essentiã sit existẽtia, necessario petitur limitatio, quæ omni formalitati diuinæ, siuẽ absolutæ, siue relatiuæ, repugnat. Realis autem distinctio cum conuenientia essentiali existentiæ compatitur, & ideo non affert secũ indispensabilitẽr limitationem in distinctis realiter entitatiue; ac proinde potest formalitatibus relatiuis diuinis competere. Et prædicatis Dei absolutis aliunde repugnat; quia nempẽ in linea absoluta non inuenitur aliud caput distinctionis realis, nisi limitatio. Ex quo illud commune Theologorum axioma emanauit: *In diuinis omnia sũt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.*

79 *Arg. cõtra 1. rationẽ discriminis.*

Duo tamen contra doctrinam istam obstare videntur: primo: nam duo indiuidua entis solo numero distinguuntur, v.c. Petrus vt hoc ens, & Paulus vt hoc ens, aliàs inter indiuidua eiusdem naturæ esset differẽtia essentialis, quod nullus metaphysicorum docuit; & tamen hoc, & illud ens non conueniunt vniuocè in ente: ergo absque vniuoca, & specifica conuenientia saluatur distinctio solum numerica; ac proinde prima ratio discriminis ruit.

80 *Contra 2. obstat*

Secundo: nam personalitati diuinæ vt communi tribus diuinis personalitatibus non conuenit existentia essentialiter: ergo falsum est omni formalitati diuinæ existentiam esse essentialem, & consequenter deficit secunda ratio discriminis. Consequentia tenet ex dictis: antecedens autem probatur: si personalitati diuinæ in communi esset existentia essentialis, etiam indiuiduatio conueniret illi essentialitẽr, vt constat ex dictis; sed personalitati sub illo conceptu communi non conuenit essentialiter indiuiduatio: ergo nec existentia. Probatur minor: id quod de se est indiuiduum, non solum non potest solo numero multiplicari, sed nec etiam specificè, nec essentialiter multiplicari potest, vt de se est manifestum, sed personalitas diuina essentialiter multiplicatur: nam tres diuinæ personalitates essentialiter distinguuntur; & consequenter cõceptum illum communem essentialiter multiplicant, vel distinguunt: ergo ratio illa communis, se ipsa indiuidua non est, nec indiuiduatio illi conuenit essentialiter.

81 *Resp. ad 1. replicam.*

Respondeo ad primam instantiam, negando maiorem: nam licet

Petrus,& Paulus v.c.in genere ſubſtantiæ viuentis,animalis, & intra ſpeciem hominis,non differant eſſẽtialitẽr, eo quod differentia indiuidualis extra conceptus genericos,& ſpecificos eſt,nec illos formaliter diuidit,ſed ſolum materialiter contrahit, comparata vero cum ente ſub reduplicatione modorum indiuidualium,eſſentialiter diſtinguuntur, & primo diuerſi ſunt: nam ens ad omnia prædicata, ad omnes formalitates, & ad omnes modos formaliter comparatur, & omnia tranſcendit. Quæ doctrina metaphyſicis aduerſari,non poteſt, ſicut nec poteſt illis aduerſari,quod Petrus albus,& Paulus niger abſolutẽ ſolu differant accidentaliter prædicabiliter, & prædicamentaliter, ſub reduplicatione tamen prædicatorum accidentalium eſſentialiter diſtinguuntur in linea accidentis.

82 *Ad 2.* Ad ſecundam, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: omni formalitati diuinæ ſumptæ,quaſi genericẽ, vel communiter, concedo conſequentiam: ſumptæ complete, veluti ſpecificẽ,vt per vltimam quaſi differentiam contractæ, nego conſequentiam. Itaque diuinæ formalitates dupliciter poſſunt conſiderari, primo ſecundum conceptus analogicẽ communes, vel ipſis, vel ſimilibus perfectionibus creatis: vel vt vltimo conſtitutæ per ſuas, quaſi differentias vltimas,v.c.paternitas diuina conſideratur ſub ratione entis, & relationis,quæ communes ſunt ipſi,& paternitati creatæ,& ſub ratione relationis diuinæ,quæ communis eſt ipſi filiationi,& ſpirationi, & ſub conceptu,quaſi ſpecifico paternitatis diuinæ.Sub prima conſideratione non dicit exiſtentiam exercitam vt ſibi eſſentialem, aliàs omni enti creato,& omni relationi creatæ eſſet exiſtentia eſſentialis Sub ſecũda etiam non importat exiſtentiã exercitam vt ſibi eſſentialem; aliàs contrahi non poſſet,nec realiter multiplicari. Prout autem vltimo conſtituta per ſuam,quaſi differentiã ſpecificã, illam eſſentialiter dicit;aliàs ſi illi vt ſic eſſentialis non eſſet,accidentaliter exiſteret,ac proinde poſſet non exiſtere, quod ſine ingenti abſurdo dici non poteſt. Ex quo vlterius fit,vt ſingularitas,illi ſit eſſentialis;exiſtentia namque non niſi rei ſingulari,& indiuiduæ cõpetere poteſt.

83 *Tacitæ obiectioni occurritur.* Nec eſt eadem ratio de conceptu cõmuni relationis, aut perſonalitatis diuinæ,ac de conceptu talis relationis,aut perſonalitatis,vt ſit,vel non ſit exiſtentia eſſentialis. Tum, quia exiſtentia non debetur conceptibus genericis, aut cõmunibus, bene tamen formalitatibus vt vltimo iam contractis; ac proinde non importare eſſentialiter exiſtentiam, nõ arguit potẽtialitatem in rationibus communibus, dummodo implicitẽ includant differentias contractiuas, & ex conſequenti exiſtentiam. Tum etiam: nam quamuis rationibus illis analogicis non conueniat ratione illius,quod exprimunt, & actu eſſentialitẽr importãt,exiſtentia vt exercita: reſtant autem in eadem linea alia prædicata inferiora,ratione quorum exiſtentia eſſentialiter conueniat.Si autem paternitati,v.c. diuinæ ratione ſuæ vltimæ differẽtiæ,vel quaſi differentiæ non conueniret exiſtentia eſſentialiter,nõ extaret aliud prædicatum ratione cuius eſſentialiter cõueniret: nam quod additur vltimæ differentiæ,accidentale eſt; & conſequenter maneret exiſtentia in linea prædicatorum accidentalium. Quod de formalitatibus diuinis dici non poteſt.

84 *Denique; prob. cõcluſio.* Denique probatur concluſio: vt relatio æqualitatis, vel ſimilitudinis ſit realis,requiritur realis diſtinctio, non ſolum extremorum, ſed etiam fundamentorũ ſed fundamẽta æqualitatis,& ſimilitudinis diuinarũ perſonarum,realiter non diſtinguũtur: ergo æqualitas,aut ſimilitudo inter diuinas perſonas, relatio realis non eſt. Conſequẽtia tenet:minor eſt certa: nam æqualitas,de qua in hac cõcluſione loquimur, cõuenit perſonis

ratio-

ratione diuinæ eſſentiæ, quæ ſecundum fidem eſt vna. Maior autẽ probatur: vt relatio ſit realis, requiritur realis diſtinctio ſubiectorum, quæ primo referuntur per illam; ſed ſubiecta primo relata relatione æqualitatis, & ſimilitudinis ſunt fundamenta: ergo vt æqualitas, aut ſimilitudo ſit realis, petitur realis diſtinctio, nõ ſolum extremorum, ſed etiam fundamentorum. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem oſtenditur primo: æqualitas, aut inæqualitas eſt paſsio quãtitatis, ſupra quam relatio æqualitatis fundatur: ergo primo conuenit quantitati, & ratione illius conuenit quanto; ac proinde quantitas eſt, quæ primo relatione æqualitatis refertur. Secundo: nam duo quanta ideô æqualia ſunt, quia habent quantitates æquales: ergo ideô referuntur relationes æqualitatis, quia prius quantitates æqualitatem fundantes inuicem referũtur; & conſequenter ſubiecta primo relata relatione æqualitatis ſunt fundamenta. Qua ratione poſt Caietanum *q.42. art.1.* vtuntur Molina, Suarez, & frequentius Authores noſtræ ſententiæ. Et iuxta illam, eſtô admitteremus ad realitatem relationũ ſecundi, vel tertij generis non exigi realis fundamentorũ diſtinctionem, ad realitatem relationum primi generis, quæ ſupra vnitatem fundãtur, deberet neceſſaria cenſeri.

85 *Reſp. Scotiſtæ*

Sed reſpondent Scotiſtæ, fundamenta relationum æqualitatis, & ſimilitudinis non referri vt *quod*, ſed vt *quo*, non formaliter, hoc enim modo ſola relatio refertur, quæ eſt ratio aliud referendi, ſed fundamentaliter, id eſt ſunt rationes, quibus extrema conſtituuntur ſubiecta referibilia. Et vt referantur vt *quo*, realis fundamentorum diſtinctio neceſſaria non eſt, vt conſtat in actione, & paſsione, quæ fundant relationes ſecundi generis, illiſque referuntur vt *quo*, & tamen realiter non diſtinguuntur.

86 *Solutio*

Hæc tamen ſolutio vim argumẽti non tollit, & reijcitur primo: nam duæ quantitates, non ſolum vt *quo*, ſed etiam vt *quod* ſunt extenſæ, vt *quod* etiam ſunt bicubitæ, vel tricubitæ: ergo non ſolum vt *quo*, ſed etiam vt *quod* ſunt æquales; & conſequenter vt *quod*, & non ſolum vt *quo* referuntur relatione æqualitatis. Idemque argumentũ fit de duabus qualitatibus, quæ vt *quod* ſunt intenſæ, aut remiſſæ; & conſequenter vt *quod* ſunt ſimiles, vel diſſimiles.

reijcitur primo.

Secundo: nam aliter referuntur duæ quantitates palmares v. g. relatione æqualitatis, ac referuntur relatione paternitatis, & filiationis generatio actiua, & paſsiua, aut potentia generatiua, & paſsiua generabilitas; ſed iſtæ referuntur vt *quo* paternitate, & filiatione, cum ſint fundamenta prædictarum relationũ: ergo quãtitates palmares fundantes æqualitatem, non ſolum vt *quo*, ſed etiam vt *quod* referũtur. Maior, in qua eſt poſita difficultas, probatur: aliter duæ quantitates palmares denominantur æquales, ac potentia generatiua, & paſsiua, vel actualis generatio, & actualis natiuitas denominantur Pater, & Filius; cum illæ verê, & propriê æquales denominentur, iſtæ autem denominationem Patris, & Filij abſolutê, & cum proprietate neutiquã ſuſcipiant: ergo aliter duæ quãtitates referuntur relatione æqualitatis, ac potẽtia generatiua, & paſsiua generabilitas relationibus paternitatis, & filiationis.

87 *Secũdo.*

Reſponderi poteſt ſecundo, duas quantitates palmares referri vt *quod* relatione æqualitatis, quia realiter diſtinguuntur, non autem id petiex conceptu fundamẽti relationis æqualitatis, ſed tantum vt *quo* referri: vnde ſaluari poteſt fundamentum relationis realis æqualitatis inter diuinas perſonas, etiam ſi non vt *quod*, ſed tantum vt *quo* referantur, ſicut terminus *quo* generationis creatæ realiter vt *quod* producitur, quia realiter à generante diſtinguitur, nõ tamen id petitur ex conceptu termini vt *quo* terminãtis generationem, & ideô in Verbo diuino ſaluatur ter-

88 *Reſp. poteſt ſecũdo.*

minus *quo* perfectissimæ generationis, quãuis non producatur vt *quod*, sed tantum vt *quo*, quia non distinguitur realiter à principio *quo*, nec à principio *quod* generante.

89 *Sed contra.*

Sed contra: quidquid enim non conuenit fundamento alicuius relationis ex conceptu fundamenti, nec etiam illi conuenit, quamuis realiter distinguatur à fundamento relationis oppositæ, vt constat in potentia generatiua fundante paternitatem, quæ licet realiter distinguatur à fundamento filiationis, vt in creaturis contingit, non refertur tali relatione, nec Pater denominatur, eo quod ex conceptu fundamenti paternitatis, taliter referri, aut denominari non postulat: ergo si relationes primi generis, quæ in vnitate fundantur, primo referunt fundamẽta, cum realiter distinguuntur, ideó est, quia sic referri, petitur ab illarum fundamentis ex conceptu fundamẽti; ac proinde cum realiter referri nõ possint ob defectum realis distinctionis, realis relatio non poterit resultare. Nec exemplum in confirmationem solutionis adductum cõuincit. Tum, quia falsum est, terminum *quo* actionis productiuæ creatæ vniuersaliter per illam produci, vt constat in anima rationali, quæ vt *quo* terminat generationem hominis, & tamen non producitur per illam. Tũ etiam, nam quod terminus *quo* generationis creatæ vt *quod* producatur per illam, prouenit ex limitatione: quia nempẽ non supponitur existens à se. Quod autem fundamentum relationis similitudinis per illam referatur vt *quod* ex limitatione nõ oritur, aliàs omne fundamentum habẽs esse limitatum, referretur vt *quod* per relationem fundatam.

§. V.

Argumentis occurritur.

90 *Contra cõclusionẽ arg.* 1.

COntra istam conclusionem arguitur primo: relatio imaginis in Verbo Diuino est realis; sed talis relatio est relatio similitudinis: ergo relatio similitudinis diuinarum personarum est realis, idemque erit de relatione æqualitatis, & identitatis dicendum. Tum, quia eadem ratio est de illis: tum etiam, quia relatio imaginis, quæ reperitur in Verbo, etiam est æqualitatis, & etiam identitatis. Consequentia tenet. Maior est certa. Tũ, quia à nullo Theologorum negatur: tum, quia est eadem cum relatione Filij, quam realẽ esse est de fide. Minor autem probatur: nam relatio similitudinis est illa, quæ in vnitate formæ fundatur; sed relatio imaginis in Verbo, fundatur in vnitate naturæ; imago enim ex conceptu communi est similitudo ab alio expressa, & deducta, & cum perfectissima est, qualiter conuenit Verbo, est perfectissima similitudo in natura, quæ pertingit ad naturæ identitatem: ergo relatio imaginis est relatio similitudinis.

91 *Resp.* 1.

Respondeo, concessa maiori negando minorem. Ad illius probationem, concessa etiam maiori, nego minorem. Aliud enim est, quod relatio imaginis vnitatem illius cũ exẽplari supponat, aliud vero quod supra talẽ entitatẽ fundetur; primũ est verũ, secúdú autẽ est falsum: nã licet de ratione imaginis sit esse similẽ exẽplari in specie, vel in signo speciei, nõ tamen super vnitatẽ, illius relatio fundatur, sed supra originem, vel expressionẽ, qua ab exẽplari procedit.

Quod patet: nam relatio similitudinis supra vnitatem fundata pertinet ad primum relationis genus,& est relatio æquiparantiæ, hoc est eiusdem denominationis in vtroque extremo Relatio autem imaginis, æquiparantiæ non est,nec ad primum genus pertinet,sed ad secundum: non ergo est relatio similitudinis,nec supra vnitatem fundatur,sed supra originem, vel processionem,vel naturæ communicationem.

92 *Potest resp. 2.* Vel secundo respondeti potest, cõcessa maiori,distinguẽdo minorẽ: est relatio similitudinis æquiparantiæ,nego minorem: d æquiparantiæ, transeat minor, & distinguo consequens: relatio similitudinis æquiparantiæ diuinarum personarũ est realis,nego consequentiam: relatio similitudinis disquiparantiæ, transeat consequens,& de prima, nostra, & communis sententia procedit.

93 *Secũdo arg.* Secundo arguitur: relatio ante operationem intellectus confingentis existens, est realis; sed æqualitas conuenit diuinis personis ante operationem intellectus: ergo est relatio realis.

Minor ostenditur 1. Maior cum consequentia tenet. Minor autẽ ostenditur primo. Quod Verbo conuenit ex vi suæ processionis,existit ante omnem operationem intellectus fingentis;sed Verbo cõuenit esse æquale Patri ex vi processionis,cum ex vi illius sit Patri simile perfectissima similitudine, quæ ad æqualitatem pertingit: ergo æqualitas Verbi cum Patre existit ante operationem intellectus fingentis.

Secũdo Secundo: nam Arrius,& sequaces damnantur,quia negauerũt personarum æqualitatem;sed ridiculum est dicere, ita acritẽr damnari ab Ecclesia, ob negatam relationem ab intellectu nostro confictam, & ante illius fictionem non existentem: ergo existit relatio æqualitatis ante intellectus nostri fictionem.

Tertio. Tertio: nam quod adoratur adoratione latriæ,nõ expectat intellect' fictionem vt sit,nec ab illa in existendo dependet: ens enim à nostro intellectu fictum, adorationis capax non est; sed æqualitas personarum adoratur adoratione latriæ, vt constat ex illo, quod cauit Ecclesia: *Vt in essentia vnitas, & in personis adoretur æqualitas*: ergo æqualitas personarum non expectat confictionem nostram vt sit, sed existit antecedenter ad illam.

94 *Deniq; prob.* Denique: nam personæ diuinæ ab æterno sunt æquales,& prout tales intellectui diuino obijciuntur; sed nostri intellectus fictio non existit ab æterno: ergo forma, per quam constituuntur æquales non dependet ab intellectus nostri fictione, sed existit independenter ab illa. Patet consequentia: nam à quo non dependet effectus formalis formæ,nec ipsa forma dependet; sed effectus, vel quasi effectus formalis relationis æqualitatis non dependet ab intellectu nostro fingente,cum existat ante illum, effectus autem non possit antecedere existentiam suæ causæ efficientis: ergo forma præbens talem effectum, vel quasi effectum, ab intellectus fictione non dependet, sed existit antecedenter ad illam.

95 *Solutio P. Molinæ.* Ad hoc argumentum Molina *vbi supra solutione ad* 4. sequutus Canariensem,respondet,relationem æqualitatis ab æterno conuenire personis diuinis, nec ideô ens rationis dici,quia eo modo,quo potest existere, non existat ante intellectus fictionem; hoc enim solum verificatur de secundis intentionibus, quæ ab operatione intellectus dependent, vt à fundamento, vel ratione fundandi. Sed ideô æqualitas, aliæque relationes, quorum fundamenta existunt à parte rei, entia rationis dicuntur; quia cum modi reales non sint, sunt tamen modi habentes fundamentum in re, qui per intellectum apprehendi possunt; & hac de causa entia rationis dicuntur. Quem modum dicendi,à se in libris Physicorũ traditum docet, gaudens eo quod Canariensi placuerit.

96 *Reijcitur* 1.

Hæc tamen doctrina nobis placere non poteſt, eſt enim contra cõmunem metaphyſicorum ſentẽtiam, & breuiter reijcitur primo: nam ens rationis eſt illud, quod ſolum habet eſſe obiectiue in intellectu; ſed quod exiſtit antecedenter ad intellectus operationem, non habet eſſe ſolum obiectiuê in intellectu: ergo ens rationis non eſt.

Secũdo.

Secundo: nam poſſe ab intellectu apprehendi, nec conſtituit ens rationis, nec illud ab ente reali diſtinguit; cum etiam ens reale capax ſit exiſtendi in intellectu, terminandique illius apprehenſionem, aliàs cognoſcibile non eſſet: ergo quod æqualitas diuinarum perſouarũ poſſit ab intellectu apprehendi, ſi aliàs ante illius apprehenſionem exiſtat, non probat eſſe ens rationis.

97 *Euaſio excluditur* 1.

Dices: non eſt hoc ſolum principio, ſed inſuper, quia modus realis non eſt, deduci à prædicto Authore, quod æqualitas ſit ens rationis. Sed contra: ergo probat eſſe ens rationis; quia non eſt entitas, nec modus realis; ſed hoc eſt principium petere, & nugatoriê probare: ergo Molina ſic arguens nugatoriê procedit.

Secũdo.

Deinde: nam inquiram à Molina, cur æqualitas diuinarum perſonarũ non eſt entitas, nec modus realis? Si reſpondeat, quia poteſt ab intellectu apprehẽdi, reijcitur ex iã dictis; hoc enim ad negandum entis realitatem non ſufficit; cum enti reali conueniat poſſe ab intellectu apprehendi. Si aſſerat, ideo eſſe, quia nõ aliter exiſtit, quam obiectiuè in intellectu, nõ poteſt in ſua ſolutione perſiſtere: quod enim ſolum eſt obiectiuê in intellectu, non exiſtit ante eius apprehenſionem, cuius contrarium docet Molina in prædicta ſolutione.

98 *Deniq; reijcitur.*

Denique: nam quod realiter exiſtit, neceſſario eſt entitas realis; ſed iuxta ſolutionis doctrinam relatio æqualitatis exiſtit realiter: ergo falſum eſt, quod modus, vel entitas realis non ſit. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur primo: nam exiſtere realitêr nihil aliud eſt, quam exiſtere ante intellectus apprehenſionem; ſed vt prædictus Author fatetur, relatio æqualitatis ante intellectus apprehenſionem exiſtit: ergo realiter exiſtit.

Secũdo; nam quod habet exiſtere à ſe, vel ex vi realis actionis, realiterque productiuæ, verê, & realiter exiſtit; ſed eo ipſo, quod relatio æqualitatis diuinarum perſonarum exiſtat ante operationem intellect⁹, vt tradita ſolutione fatetur, vel debet exiſtere à ſe, qualiter Pater diuin⁹ exiſtit, vel ex vi actionis realis, & realiter productiuæ, qualiter exiſtunt ſecunda, & tertia perſona: ergo ex eo ipſo, quod exiſtat ante apprehenſionem intellectus, verê, & realiter exiſtit; & conſequenter falſum eſt de illa aſſerere, quod entitas, vel modus realis non ſit, poſsit tamen ab intellectu apprehẽdi, ex quo deducebat Molina eſſe entitatẽ rationis.

99 *Secũdo reſp. alij.*

Aliorum ſolutio eſt, ens rationis dupliciter poſſe exiſtere, primo exiſtentia ſui fundamenti, ſecundo exiſtentia ſibi propria, priori modo exiſtit ante intellectus apprehenſionem: ſecundo autem modo non niſi poſt illam, & dependẽter ab illa, & vt perſonæ diuinæ ab æterno ſint, & dicantur æquales, ſufficit, quod relatio æqualitatis ab æterno exiſtat primo illo modo exiſtendi.

100 *Hæc ſolutio reijcitur primo.*

Sed nec placet hæc ſolutio, & reijcitur primo: nam ſi æqualitas diuinarum perſonarum exiſteret exiſtentia ſui fundamenti, etiam relatio rationis fundata ſupra aliquid creatũ per illius exiſtentiam exiſteret; ſed hoc implicat: ergo, & primum. Maior cõſtat: Authores enim huius ſolutionis vniuerſaliter de omni relatione rationis loquuntur, habente proximũ fundamentum in re. Minor autem probatur, vt enim à Thomiſtis docetur *3. p. quæſt. 3. artic. 1.* Nosque ibi late oſtendimus, repugnat ſubſiſtentiæ creatæ alienam terminare naturã: ergo etiã exiſtentiæ creatæ repugnat alienã actuare naturã;

cum

cum eadem vtriusque sit ratio; sed natura fundamenti distincta est à natura relationis rationis: ergo existentia fundamenti non potest relationem actuare; & consequenter nequit per illam existere.

101 *Secũdo:* Secundo: non enim minus, imo multo magis distat ens rationis ab ente reali, quam accidens à substantia; sed repugnat accidenti existere per existẽtiã substantiæ, vt communiter docent Philosophi, vno, vel altero excepto: ergo etiam repugnat enti rationis per existentiam entis realis existere.

Tertio. Tertio: nam existentia realis non potest reddere, nisi realiter existens; sed ens rationis non potest existere realiter: ergo non potest per existentiam realem existere.

Deniq; Denique: nam ens rationis est illud, quod solum habet esse obiectiue in intellectu; sed si existeret per existentiam fundamenti, nõ haberet esse solum obiectiuè in intellectu; cũ præter istum modum existendi, alius illi conueniret: ergo non est capax prædicti modi existendi.

102 *Aliorũ solutio excluditur.* Tertio alij respondent, ab æterno existere relationem aqualitatis, non in vi actionis intellectus creati, sed per esse obiectiuum in intellectu diuino, cui entia rationis efficere nõ repugnat, sicut de respectibus idealib⁹ docẽt plures ex Thomistis. Hæc tamen doctrina est falsa, vt ostendimus in Logica, & *supra tom. 2. disput. 34.* cũ nim ens rationis petat effici per actionem intellectus rem aliter, ac est contemplantis, qui modus concipiendi intellectui diuino repugnat, omnia concipienti vt sũt; fit consequens, quod ens rationis à Deo formari non possit.

103 *Vera solutio defenditur.* Vnde omissis his solutionibus, ad argumentum respondeo cõcessa maiori, negando minorem: ad primam probationem dicatur, æquale sumi dupliciter: primo fundamentaliter pro vnitate quantitatis cum negatione excessus. Secundo formaliter, quaratione relationẽ importat; primo modo cõuenit æqualitas Verbo ex vi processionis, ex vi cuius eãdem accipit Patris naturam, & hoc Arriani negabant, Filium creaturã esse asserentes; & consequenter diuersæ naturæ à Patre, illique inferiorẽ, & ob hoc ab Ecclesia damnantur, & æqualitas sic sumpta, adoratur adoratione latriæ, & ab æterno diuinis personis cõuenit, de illisque prædicatur. In secũda vero acceptione, nempẽ relatiua, & formali, nec cõuenit ex vi processionis Verbo, nisi tantum fundamentalitẽr, nec adoratur adoratione latriæ, nec existit ab æterno, sed de nouo in tempore incipit ex vi actionis intellectus creati, nec de æqualitate sic sumpta controuersia cum Arrianis agitabatur.

104 *Doctrina solutionis fundatur exẽplis.* Quod autem, vt de personis absolutẽ ab æterno prædicatur æqualitas, sufficiat pro fundamento, illis ab æterno conuenire, patet: nam ide sumptum formaliter relationem rationis importat, quæ ab æterno non existit, & tamen ab æterno Deus est, & dicitur idem sibi: relatio etiam dominij, non realis est, sed rationis, quod non inficiatur Scotus, & tamen ante omnẽ intellectus fictionem, Deus est, & dicitur dominus, quia illi conuenit fundamentum relationis dominij, nullo intellectu fingente. Relatio etiam filiationis Christi ad Matrem, non est realis, sed rationis, vt docet D. Thomas *3. p. q. 35. art. 5.* & tamen, quia fundamentum dictæ relationis conuenit Christo ante intellectus fictionem, dicitur Filius Virginis realitẽr, etiam si nullus intellectus fingat relationem filiationis: pariter ergo in præsenti, personæ diuinę realiter dicũtur æquales, quia fundamentũ æqualitatis est reale, ab æterno etiã æquales sunt, & dicũtur, quia ab æterno illis conuenit fundamẽtũ æqualitatis, quãuis relatio per quã æquales relatiuè dicũtur, nõ realis sit, sed rationis, nec illis ab æterno, sed in tempore conueniat. Ita occurrũt post Caietanũ huic argumento, omnes, qui nostræ adhærent sentẽtię. Sumiturq; tota argum. solutio ex D. Th. *in 1. dist. 31. q. 1. a. 1. ad 2.* ibi:

Ad ſecundum dicendum, quod quãuis æqualitas ſit ſecundum rationem relatio, tamen habet aliquid in re reſpondens, ratione cuius dicitur hæreticus, qui æqualitatem negat, ſicut & qui negaret Deum eſſe Dominum, quamuis illa relatio nihil ſecundum rem ponat in Deo. En vbi D. Th. damnat negantes æqualitatẽ, nõ propter relationẽ relationis negatam, ſed quia fundamentum negant, & eodem exemplo, quo nos vſi ſumus doctrinam confirmat. Id ipsũ docet ad Anibaldum *in 1. diſt. 31. q. vnica art. 4. ad 2.*

105 *Contra iſtam ſolutionẽ obijciũt Scotiſtæ primo.*

Sed contra iſtam ſolutiouem obijciunt Scotiſtæ primo: nam ex illa ſequitur de homine vt à parte rei exiſtit prædicari, quod ſit ſpecies, & genus de animali, vt à parte rei exiſtente prædicari; conſequens eſt falſum: ergo & ſolutio tradita. Patet ſequela: nam homini à parte rei cõuenit fundamentum relationis ſpeciei, & animali fundamentum relationis generis: ergo ſi perſonæ dicũtur æquales à parte rei, quia illis vt à parte rei exiſtentibus, cõuenit fundamẽtum relationis æqualitatis, de homine vt à parte rei exiſtente prædicabitur eſſe ſpeciem, & de animali eſſe genus.

106 *Secũdo.*

Secundo: quia iuxta noſtram doctrinam nõ conuenit diuinis perſonis vt à parte rei exiſtentibus fundamentum relationis æqualitatis: ergo de illis vt ſic non poteſt dici eſſe æquales. Conſequẽtia tenet ex dictis: antecedens autem probatur: fundamentum relationis æqualitatis non eſt ſolum vnitas quantitatis cũ negatione exceſſus, niſi adiuncta diſtinctione vnius quantitatis ab alia; ſed huiuſmodi diſtinctio non conuenit diuinis perſonis vt à parte rei exiſtentibus: nam licet realiter inter ſe diſtinguantur proprietatibus relatiuis, eſſentia tamen vnius, ſupra quam æqualitas iſta fundatur, non eſt à parte rei diſtincta ab eſſentia alterius: ergo perſonis diuinis, vt à parte rei exiſtentibus, non conuenit fundamentum proximum relationis æqualitatis.

107 *Tertio.*

Tertio: nam effectus formalis ſine forma exiſtere nequit; ſed eſſe æquale eſt effectus formalis relationis æqualitatis: ergo non ſtat eſſe aliquid alteri æquale ſine relatione æqualitatis.

Quarto

Quarto: nam ſi perſonæ ab æterno ſunt, & dicuntur æquales, nulla relatione exiſtente, ſuperfluit omnino æqualitatis relatio; hoc autem non eſt admittendum: ergo idem quod prius.

Deniq;

Denique arguere poſſumus ex communi logicorum axiomate aſſerente, poſito fundamento, & termino ſtatim relationem conſurgere; ſed ab æterno exiſtit fundamentu æqualitatis vnius perſonæ ad aliam, & terminus etiam exiſtit: ergo ab æterno conſurgit relatio; vel ſi non conſurgit, talis relatio non datur, quod Aureolus aſſeruit.

108 *Reſp. ad 1. replicam.*

Reſpondeo ad primam replicam, negando ſequelam: ratio autem diſcriminis eſt: nam fundamentum proximum relationis ſpeciei non cõuenit homini à parte rei, ſed tantum remotum: vt autem denominatio nominis relatiui ſubiecto conueniat, requiritur fundamentum proximum ipſi competere, qualiter in præſenti contingit: nam fundamentũ proximum relatiouis æqualitatis eſt vnitas quantitatis cum negatione exceſſus, quod diuinis perſonis conuenit à parte rei. Et inſtatur argumentum in relatione dominij, quæ non niſi per intellectum conuenit Deo, cum ſit relatio rationis, vt fatentur Scotiſtæ; & tamen Deus dicitur realiter dominus, quia fundamẽtum prædictæ relationis Deo realiter conuenit. Ex quo non ſequitur idem dicendum de denominatione ſpeciei.

109 *Ad 2.*

Ad ſecundam, nego antecedens: ad probationem, diſtinguo maiorẽ: ita vt diſtinctio vnius quãtitatis ab alia ſit fundamentum, vel ratio fundãdi, nego maiorẽ: diſtinctione vt cõditione tantũ ſe tenẽte, & vnitate per modũ rationis formalis, cõcedo ma-

iorem,

iorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: nam ſolum ſequitur non conuenire diuinis perſonis à parte rei conditionem requiſitam vt reſultet relatio æqualitatis, non autem quod fundamentum talis relationis, illis realiter non conueniat.

110 *Ad 3.* Ad tertiam, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: eſſe æquale formaliter eſt effectus formalis relationis æqualitatis, concedo minorem: eſſe æquale fundamentaliter, nego minorem, & conſequentiam, vel diſtinguo conſequens diſtinctione minoris. Solum enim ſequitur non ſtare aliquid eſſe alteri æquale formaliter ſine relatione æqualitatis, non autem quod æquale fundamentaliter non ſtet ſine illa formaliter habita, & inſtatur in denominatione domini. Nec ſequitur ante relationem rationis ſolum dicendas eſſe perſonas æquales cum addito, nempè addendo *fundamentaliter*, non vero ſine addito, & abſolutè: nam licet non poſsint dici relatiuè æquales abſolutè, ſed cum addito, nempè *fundamentaliter*, æquales tamen abſolutè ſunt, & dicuntur. Cum enim nomen relatiuum ſignificat relationem habentem fundamentum proximum à parte rei, abſolutè, & ſine addito de ſubiecto prædicatur, & ſi relatio formaliter non exiſtat, vt conſtat in adductis exemplis. Conſtat etiam in ſigno, quod licet in ſententia probabili non abſoluto, ſed relatiuo conſtituatur formaliter, abſolutè prædicatur de imagine, prototypo non exiſtēte, quamuis tunc non exiſtat relatio.

111 *Ad 4.* Ad quartam, nego ſequelam: nā licet relatio æqualitatis à noſtro intellectu confícta, neceſſaria nō ſit ad eſſe diuinarum perſonarum, nec ad illarum vnitatem in eſſentia, neceſſaria tamen eſt vt ab intellectu noſtro pro hoc ſtatu concipiātur æquales; non enim aliter illas poſſumus viatores æquales concipere, niſi ad modum, quo res creatæ conſtituuntur æquales; ac proinde non niſi relatiuè, relatione conſequuta ad noſtram apprehenſionem. Vnde dicta relatio non eſt omnino ſuperflua, ſicut nec relatio dominij noſtram ſubſequens apprehenſionem in Deo, ſuperflua dicenda eſt, quamuis ad eſſe Dei, nullatenus requiratur, nec vt realiter dominus ſit.

112 *Ad vlt.* Ad vltimam obiectionem dicatur, axioma illud logicorum verum eſſe loquendo de relationibus realibus, quæ conſequuntur realiter ad fundamentum ex vi actionis primo ad ipſam terminatæ, exiſtentia termini pro conditione ſuppoſita: non autem de relationibus rationis, qualis eſt relatio æqualitatis; cum enim relatio rationis incapax ſit terminandi, etiam ſecundario actionem realiter productiuam, & ſolum poſsit exiſtere ex vi actionis intellectus confingentis, quamuis fundamentum ſit, & terminus etiam exiſtat, nondum poteſt relatio conſurgere, vſque dum apprehenſio intellectus aduenìat, à qua efficienter dependet.

113 *Arg. 3.* Tertio arguitur: ſi æqualitas perſonarum realis relatio non eſſet, maximè, quia eſſentia illam fundans vna eſt in tribus perſonis; ſed hæc ratio nulla eſt: ergo æqualitas eſt realis relatio. Maior conſtat ex dictis, conſequentia tenet, & minor probatur: ſi eadem quantitas conſtituatur in diſtinctis ſubiectis, ſe reſpicient relatione realis æqualitatis, & tamen fundamentum in tali caſu erit vnum numero in illis: ergo vnitas eſſentiæ in tribus diuinis perſonis non obſtat, quo minus relatione reali æqualitatis inuicem referātur. Illatio cum minori conſtat: maior autem probatur: ſi quantitates eſſent diuerſæ numero, relatio æqualitatis eſſet realis: ergo in caſu vnius quantitatis in diſtinctis ſubiectis, etiam erit realis. Patet conſequentia: nam duo quanta referuntur relatione æqualitatis propter vnitatem magnitudinis; ſed in caſu vnius quantitatis maior eſt vnitas: ergo ſi cum diſtinctis numero quantitatibus, realiter referuntur, cum vna numero quantitate, realiter referentur.

Huic argumento Canarienſis vbi ſupra, reſpondet concedendo duo quanta ab vna numero quantitate, realiter relatiuè eſſe æqualia, & negando idem eſſe dicendum in perſonis diuinis, & diſparitatem reddit: nam in duobus corporibus quantis eiuſdem numero quantitatis, etſi ex parte fundamenti nequeant realiter referri, quia eſt vnũ numero in illis, extrema tamen, quia diſtincta ſunt, & abſoluta, poſſunt relationem realem æqualitatis ſuſcipere: perſonæ autem diuinæ, in eſſentia ſunt idem, ac proinde quoad eſſentiam nequeũt relationem realem ſuſcipere. Pro eo autem, quod ſuperaddunt eſſentiæ, quamuis realiter diſtinguantur, nequeunt realiter referri relatione ſuperaddita, quia quod addunt eſt relatio, hæc autem incapax eſt vlterioris relationis, vt docet D. Thomas *quæſt.* 42. *art.* 1. *ad* 4. & ideo æqualitas perſonarum realis relatio eſſe nequit.

114 *Reſp. Canarienſis.*

Verum hæc ſolutio nobis placere non poteſt, & frequenter diſplicet authoribus noſtræ ſententiæ, & reijcitur primo: vt enim ex dictis cõſtat, vt relatio realis ſit, non ſufficit realis extremorum diſtinctio, ſed etiam requiritur diſtinctio fundamẽtorũ; ſed in caſu admiſſo, etſi extrema realitêr diſtinguantur, fundamẽtũ tamen eſt idem, nempê eadem numero quantitas: ergo æqualitas in illa fundata relatio realis non eſt.

115 *Reijcitur* 1.

Secundo: nam licet relationes diuinæ nequeant referri relationibus diſtinctis, nec eſſentia ad ſe ipſam poſſit realiter referri; concretum tamen ex relatione, & eſſentia reſultans, nempê diuina perſona, capax eſt vt referatur relatione virtualiter diſtincta: ergo ſi vnitas fundamenti non obeſt realitati relationis fundatæ, vt Canarienſis admittit, nihil eſt quod obſtet vt perſonæ referantur relatione reali æqualitatis. Conſequentia patet, & antecedens probatur: nam Pater, & Filius referuntur ad Spiritum Sanctum relatione ſpiratoris, quæ realis eſt, & virtualitêr à paternitate, & filiatione diſtincta: ergo perſona diuina capax eſt vlterioris relationis.

116 *Secũdo.*

Denique reijcitur: nam ex oppoſito fieret, Petrum v. c. referri realiter relatione in Paulo exiſtente, & ê contra; conſequens nequit admitti: nam cor relatiua ſe reſpiciunt relationibus oppoſitis: ergo neque illud ex quo ſequitur. Probatur ſequela: relatio, vel ſolum ex natura rei à fundamento diſtinguitur, vt plures probabiliter docent, vel diſtinctione modali diſtinctione modi à re; ſed modus alicuius rei non poteſt non eſſe in ſubiecto eiuſdem rei: ergo cum quantitas eadem eſſet in vtroque ſubiecto, relatio ab illa ex natura rei differens, vel tanquam mod⁹ à re, eſſet in vtroq; ſubiecto; & conſequenter relatio, qua in illo caſu Petrus reſpiceret Paulum, ſubiectiuê eſſet in Paulo, & huius relatio in Petro, quod admittendum non eſt.

117 *Deniq;*

Secundo alij reſpondent, aliud ſtatuendo diſcrimen: nam licet quãtitas in caſu admiſſo ſit vna, vnio tamẽ, qua vni ſubiecto vnitur, diuerſa eſt ab vnione, qua alteri ſubiecto inhæret, & ideò quantitas vt ſtat ſub vna vnione, poteſt vnam relationem fundare, & vt ſtat ſub alia fundare relationem diuerſam. Eſſentia tamẽ diuina eſt vna numero in tribus diuinis perſonis, & aliàs non conuenit illis per aliquam diſtinctam vnionem, & ideò non eſt vnde poſſit relationes realiter diſtinctas fundare.

118 *Alior ũ ſolutio.*

Sed nec iſta ſolutio eſt ſufficiens, primo: nam quantitas vt ſub vna vnione exiſtens, non poteſt realiter ad ſe ipſam ſub alia vnione relatione æqualitatis referri; cum nõ vnio, ſed quãtitas ipſa ſit, quæ relatione æqualitatis refertur, quæ vna numero in caſu dato ſupponitur; ſed vt §. 4. mõſtrauimus, non poſſunt ſubiecta quãta, relatione æqualitatis referri, niſi fundamenta æqualitatis realiter vt *quod* referantur: ergo licet demus vniones eſſe diuerſas, dummodo quãtitas vna ſit in diuerſis ſubiectis, non

119 *Reijcitur* 1.

poſſint

possunt referri realiter relatione æqualitatis.

120 *Secũdo.* Secundo: quia vt plures non improbabiliter docent, quantitas se ipsa, absque modo vnionis realiter ab illa distincto inhæret, & vnitur subiecto: ergo si quantitas vna est, nõ sunt vniones distinctæ.

Tertio. Tertio: nam estõ in prædicto casu vniones, quibus subiecta eidem quantitati vniuntur, essent numero diuersæ, vnio tamen quantitatis cum illis non esset diuersa numero, sed distinctio vnionum se habentiũ ex parte subiectorum, non sufficit vt relatio æqualitatis sit realis: ergo in illo casu, relatio realis non est. Consequentia tenet: minor cõstat, vt enim relatio sit realis non sufficit distinctio extremorum, si fundamẽtum sit vnum, vt Authores traditæ solutionis fatentur, vt constat in æqualitate diuinarum personarum, quæ nõ realis, sed rationis supponitur; & tamen extrema realiter distincta sunt: ergo nec etiam sufficit distinctio realis vnionum cum eodem fundamento ex parte subiectorum se tenens. Tenet consequentia; tum à paritate rationis: tum etiam: nam vnio subiecti cum fundamento nõ est fundamentũ relationis æqualitatis. Maior autẽ sic probatur: vnio, qua vnitur quantitas cum subiecto vt *quod*, in quantitate subijcitur: ergo quamuis vniones distinctorum subiectorũ cum illa, numero diuersæ sint, vnio quantitatis cum illis vnica numero erit.

121 *Traditur vera solutio.* Vnde ad argumentum respondeo, concessa maiori, negando minorem: ad probationem nego maiorẽ. Ad illius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad cuius probationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam: nam fundamentum relationis æqualitatis est vnitas duarum quantitatum, & non solum duorum quantorum Vnde vt realis sit, requiritur realis vnitas cum reali distinctione quantitatum; ac proinde cum vnitas tãta est vt realem quantitatum distinctionẽ excludat, non potest realis relatio æqualitatis consurgere. Quæ solutio ex dicendis magis constabit.

122 *In fauorem primæ solutionis contra nostram arg.* Videtur tamen primæ solutioni fauere, & nostræ aduersari D. Th. *q. 42. art. 1. ad 4.* vbi ex eo quod in personis non inueniatur, nisi vna essentia, & distinctio relationum, infert æqualitatem diuinarum personarum non esse relationem realem: *Quia idem ad se ipsum nõ refertur aliqua relatione reali, nec vna relatio refertur ad aliam per aliquã aliã relationem*: ergo videntur D. Thomas sentire, quod si personæ nõ per relationes distinguerentur, sed per formalitates absolutas, quamuis essentia esset vna numero in illis, possent relatione reali æqualitatis referri. Ex quo vlterius sequitur discrimen primæ solutione traditũ subsistere, & duo quãta vna numero quãtitate, realem æqualitatis relationẽ suscipere, quãdoquidem realiter distinguuntur per distinctiua absoluta.

123 *Resp.* Respondeo negando assumptum: ad probationem admissa D. Thomæ doctrina, distinguo consequens: possent tunc casus relatione reali æqualitatis referri fundata in essentia ipsis communi, nego consequentiam: relatione æqualitatis fundata in proprietatibus absolutis distinctis, concedo consequentiam, vt hanc secundam relationem realem æqualitatis inter personas diuinas fundatam in relationibus, etiam D. Thomas excluderet, confugit ad conceptum relatiuum, cui fundare vlteriorem relationem repugnat, vt ex dicendis constabit, non vero vt distinctionem realem æqualitatis diuinarum personarum excludat fundatam in magnitudine essentiæ tribus personis communi, hoc namque adæquatê excluditur ex identitate reali magnitudinis essentiæ. Vnde non illorum solutioni, sed nostræ doctrinæ fauet Angelicus Doctor.

(?)

§.VI.

§. VI.

Vltimum argumentum diluitur.

124 *Deniq; objiciũt Scotiſtæ*

DEnique obijciunt : relatio æqualitatis diuinarum perſonarum habet quidquid requiritur vt ſit realis: ergo eſt relatio realis. Probatur antecedens: vt aliqua relatio ſit realis, ſufficit fundamentum reale, & quod extrema ſint realia, realiter diſtincta, & realiter exiſtentia ; ſed fundamentum æqualitatis inter diuinas perſonas eſt reale, nempè magnitudo eſſentiæ, extrema ſunt realia, realiter diſtincta, & realiter exiſtentia: nam perſonæ diuinæ, quæ ſunt extrema relationis æqualitatis, realia ſunt, realiter exiſtunt, & realiter diſtinguuntur: ergo prædicta relatio habet omnia requiſita vt relatio realis ſit.

125 *Reſp.*

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem nego maiorem : nam præter realitatem fundamenti, & exiſtentiam realem, & realem extremorum diſtinctionem, requiritur in relatione æqualitatis vt realis relatio ſit, quod fundamenta realiter diſtinguantur, vt conſtat ex dictis. Quamuis autem magnitudo eſſentiæ ſit realis, non tamen diſtinguitur realiter magnitudo eſſentiæ Patris, à magnitudine eſſentiæ aliarum perſonarum, & ideò relatio realis non eſt.

126 *Contra iſtam ſolut. inſtant* 1.

Sed contra hanc ſolutionem multipliciter inſurgunt. Primo: nam paternitas creata eſt relatio realis; & tamen actualis generatio illam fundans non diſtinguitur realiter à generatione paſsiua, ſupra quam fundatur filiatio: ergo realis fundamentorum diſtinctio ad realitatem relationis fundatæ, neceſſaria non eſt.

Secũdo.

Secundo: nam æqualitas fundatur in vnitate quantitatis: ergo in maiori vnitate perfectior fundatur æqualitas; ſed quando quantitas eſt vna numero in duobus extremis, maior eſt vnitas: ergo perfectior æqualitas, quam vbi quantitas numero multiplicatur in illis; ſed cum quantitas numero multiplicatur, relatio fundata eſt realis: ergo etiam realis eſt, quando eſt vna numero quantitas. Patet conſequentia: nam æqualitas realis perfectior eſt æqualitate rationis.

127 *Tertio.*

Tertio : nam cum fundamenta relationum æqualitatis realiter diſtinguuntur, non fundant quatenus diſtincta, ſed quatenus vnum ſunt: ergo quando non multiplicantur, fundant relationem realem. Patet conſequentia: nam poſita cauſa, ponitur etiam effectus : ergo ſi cauſa realitatis relationis eſt vnitas quantitatis, & vnius ab alio diſtinctio materialiter ſe habet, poſita vnitate, & ſemota diſtinctione reali, conſurgit relatio.

Antec. preb. 1.

Antecedens autem oſtenditur primo; ſi namque vt diſtincta fundarent, non eſſet vnitas, fundamentum æqualitatis, ſed potius diſtinctio, & diuerſitas ; ſed fundamentum æqualitatis eſt vnitas cum negatione exceſſus : ergo quantitates diſtinctæ non fundant æqualitatem, quatenus diſtinctæ ſunt.

Secũdo.

Secundo : nam prout diſtinctæ fundant relationem diuerſitatis ; ſed relatio æqualitatis diſtincta eſt à relatione diuerſitatis: ergo non fundatur in quantitatibus, quatenus diſtinctis. Patet conſequentia : nam relationes diſtinctæ petunt fundamenta diuerſa: ergo ſi relatio diuerſitatis fundatur in quantitatibus, quatenus diſtinctæ ſunt, prout ſic, non fundant æqualitatem.

128 *Conf.* 1.

Confirmatur primo : ſi perſonæ

diui-

diuinæ essent inæqualis magnitudinis, relatio inæqualitatis esset realis: ergo relatio æqualitatis de facto illis conueniens, est realis. Patet consequentia: nam iuxta Philosophum æqualitas est perfectior inæqualitate; sed relatio rationis non est perfectior relatione reali: ergo si inæqualitas personarum foret realis, æqualitas etiam non est relatio rationis, sed vera, & realis relatio.

Conf.2.

Confirmatur, & vrgetur secundo, sicut namque perfectiones, & formalitates creatæ exemplantur à similibus existentibus in Deo, vt constat in scientia creata, quæ exemplatur à diuina, & in paternitate, & Filiatione creatis, quæ exemplantur à paternitate, & filiatione diuina: ita æqualitas creata exemplari debet ab æqualitate diuina; sed si æqualitas in Deo esset relatio rationis, non posset esse exemplar æqualitatis creatæ: ergo æqualitas personarum diuinarum relatio rationis non est. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: entitas rationis non potest esse exemplar entitatis realis: nam exemplar, exemplatum excedit in perfectione, entitas autem rationis, entitatem realem excedere nequit; sed æqualitas creata, vt supponitur, est realis relatio: ergo si æqualitas diuina est relatio rationis, nequit esse exemplar æqualitatis creatæ.

129 *Conf.3.*

Confirmatur, & vrgetur tertio, vt enim docet D. Thomas *supra q. 13. art.5.* nomen omne dictum de Deo, & creaturis, analogicè enuntiatur prius, & principaliter de Deo, & minus principaliter de creaturis; sed æquale dicitur de Deo, & creaturis: ergo analogicè dicitur, & prius, principaliusque de Deo quam de creaturis dicitur; sed si æqualitas in Deo esset relatio rationis, non posset prius, & principalius dici de Deo, quam de creaturis, sed potius è contra: ergo æqualitas in Deo non rationis, sed realem relationem importat. Minor probatur: quod prædicatur de ente reali, & rationis, prius de ente reali, quam de ente rationis dicitur, vt omnes metaphysici docent; sed æqualitas creata est vera, & realis relatio: ergo si diuina æqualitas non est realis, sed rationis, æquale vt dicitur de creato, & increato, prius, & principalius de æquali creato dicetur.

130 *Resp.ad 1. impugnationē*

Respondeo ad argumentum sustinendo solutionem traditam. Ad primam impugnationem responderi potest primo iuxta dicta §.4. *ad 3. argumentum*, contra rationem Capreoli: vel negando, generationē fundare paternitatem: vel hoc admisso, negando non distingui realiter à generatione passiua fundante Filiationem. Vel denique sufficere, quod distinguatur ab illa distinctione reali formali. Cur autem in fundamento relationis æqualitatis, realis requiratur distinctio, ex dicendis cō stabit. Secundo respondeo prætermissis maiori, & minori negando cō sequentiam, vel distinguendo consequens: non est necessaria realis fundamentorum distinctio ad relationem realem ex conceptu relationis realis vt sic, transeat consequens: ex conceptu relationis primi generis, quæ in vnitate fundatur, nego consequentiam. Et ratio discriminis est: nam in hoc genere relationum, subiecta primo relata, sunt fundamenta secus in alijs, & ideō fundamentorū realis distinctio necessaria est ad realitatem relationum primi generis, esto ad alia genera relationis non requiratur.

131 *Ad 2.*

Ad secundam impugnationem distinguo antecedens: in vnitate quantitatis singularis, nego antecedens: plurium quantitatum, concedo antecedens, & distinguo consequens: quo maior fuerit vnitas duarum quantitatum, concedo consequentiam: vnius singularis quantitatis, nego consequentiam: & sub eadem distinctione minoris subsumptæ, nego cōsequētiā: æqualitas enim non est per se primo inter subiecta quātitatis, sed inter quātitates. Vnde petit fundari supra vnitatē nō quā

torum, sed quantitatum; ac proinde requirit vnitatem cum distinctione ipsarum quantitatum. Ex quo sequitur, vt ad realitatē relationis æqualitatis sit necessaria distinctio realis quantitatum, illaque deficiente, realitas relationis æqualitatis deficiat. Sicut relatio identitatis fundata in substantia petit pro fundamento vnitatem substantiarum, & ideò vt realis sit, petit realem distinctionem substantiarum, & hac deficiente non cōsurgit relatio realis identitatis, sed relatio rationis. Et sicut eiusdem ad se ipsum est perfectior identitas, sūpta identitate pro negatione distinctionis, quam inter duas substantias, non autem sumpta identitate relatiuē, cum eiusdem ad se ipsum sit relatio rationis, inter duas autem substantias sit realis: ita vnitas numerica quantitatis perfectiorem præstat æqualitatem, sumpta æqualitate pro negatione excessus, quam vnitas duarum quantitatum, non autem sumpta æqualitate relatiuē: nā inter duas quantitates realis relatio innenitur: secus vero, cum vnitas quantitatis omnimoda est, & numerica.

132 *Ad 3.* Ad tertiam distinguo antecedens: non fundant quatenus distincta, ly *quatenus* dicente rationem formalem fundandi, concedo antecedens: ly *quatenus* dicente conditionem necessariam, nego antecedens, & consequentiam: nam licet distinctio quantitatum nō sit ratio formalis fundandi relationem æqualitatis, est tamen necessaria conditio. Vt autem relatio realis consurgat, non solum exigitur ratio formalis fundādi, sed etiam debet existere, quod vt conditio, requiritur: sicut etiam in extremis relationum, distinctio non est ratio formalis, sed tantum conditio, & tamen deficiente reali distinctione extremorum, non consurgit realis relatio. Nec obstat distinctionem quantitatum fundare relationē diuersitatis: nam ad istam relationem, distinctio est ratio formalis fundans, bene autem potest quod est ratio formalis fundandi vnam relationem, ad aliam comparari vt necessaria conditio. Ex quibus ad vtrāque antecedentis probationem constat solutio.

Ad primam confirmationem, 133 *Ad 1. cō firm.* concesso antecedenti, nego consequentiam: & ratio discriminis est, nā in casu inæqualitatis non esset vnitas magnitudinis inter diuinas personas, quæ sola obstat realitati relationis. Æqualitas autem vnitatem essentiæ, & magnitudinis personarū supponit, cum qua stare nequit realitas relationis fundatæ. Nec obstat doctrina Aristotelis: nam intelligendus est de æqualitate, & inæqualitate sumptis pro fundamento, non autem relatiuē formaliter. Ita Caietanus ad argumenta Scoti.

Ad secundam dicatur, veram 134 *Ad 2.* esse maiorem loquendo de æqualitate creata, & diuina sumptis pro fundamento, falsam autem sumptis formaliter prout in linea relatiua; sic enim necessarium nō est, quod æqualitas creata ab æqualitate diuina exē plariter causetur; sicut dominium creatum à diuino exemplatur fundamentaliter: secus autem formaliter de dominio loquendo: cum Deus relatiuē sit dominus per relationem rationis, relatio autem dominij in creaturis sit realis. Imo iuxta Scoti principia, nulla relatio creata potest à diuina relatione exemplari, cum doceat relationes diuinas prout in linea relatiua non dicere perfectionē, quod enim perfectionem non dicit, non potest causare exemplariter id, quod perfectionem importat: relatio autem creata perfectionem relatiuam dicit in sententia plurium; & consequenter à diuina relatione exē plari non potest.

Ad tertiam confirmationem 135 *Ad 3.* respondeo, veram esse maiorem de realibus prædicatis, falsam autem de prædicatis rationis, vel abstrahentibus: æqualitas autem, sumpta relatiue, non est prædicatum reale, sed abstrahens à reali, & rationis, & in creaturis est reale, in Deo autē quid rationis. Vnde necessarium non est,

quod

quod prius de Deo, quam de creaturis dicatur sumendo æquale prout in linea relatiua formaliter. Si vero de æquali pro fundamento loquamur, verum est prius dici de Deo, quam de creaturis. Et ratio est manifesta: nam prioritas prædicationis in prioritate causalitatis fundatur, omne autem prædicatum reale deriuatur à Deo in creaturis, & ab illo causatur vt à causa eminentissima super excedente infinitè omnem creaturã possibilem, & ideo omne nomen, realem perfectionem significans, Deo & creaturis commune, prius dicitur de Deo, quam de creaturis. Secus autem nomen importans entitatem rationis, vel à reali, & rationis abstrahentem; hoc namque, si in Deo entitatem rationis importet, & in creaturis realem, non dicitur prius de Deo, sed posterius, quã de creaturis, quia secundum id, quod importat in Deo, non est causa illius, quod importat in creaturis, sed potius é contra: cum entitas rationis non sit causa nec efficiens, nec exemplaris, entitatis realis, sed potius ab illa exemplariter saltim causatur. Et insto, in hoc nomine *Dominus*, quod licet pro fundamento prius de Deo, quam de creaturis dicatur, formaliter tamen prout dicitur relatiue non prius ad Deum quam ad creaturas comparatur, sed prius dicitur de creaturis, quam de Deo; cum relatio dominij in creaturis realis sit, in Deo autem quid rationis; & consequenter nequit quod in Deo importatur esse causa illius, quod in creaturis importat, sed potius é contra.

136 *Si opponas 1.* Si opponas primo: argumentũ hoc contendere, quod nempè nihil Deo, & creaturis commune, possit realem entitatem in creaturis importare, & in Deo entitatem rationis, eo quod quidquid est Deo, & creaturis commune prius debet dici de Deo, quam de creaturis: ergo nostra solutio, per oppositum affirmans posse aliquid de Deo dici posterius, quam de creaturis, videtur petitio principij. *Oppones 2.* Secundo; nam relatio ad fundamentum consequitur, termino posito, & ex vi eiusdẽ actionis, qua ponitur fundamentum: ergo si fundamentum æqualitatis creatæ exemplatur à fundamento æqualitatis diuinæ, etiam relatio creata exemplati debet à diuina æqualitate.

Respondeo ad primam instantiam negando consequentiam. Tũ, 137 *Resp. 1.* quia iam rationem dedimus, cur relatio æqualitatis inter creaturas sit realis, non autem relatio æqualitatis in Deo; quia nempè in creaturis adsunt omnia ad realitatem relationis exacta, in Deo autem non ita: deficit enim realis fundamentorum distinctio, quam ad realitatem æqualitatis requiri monstranimus; ac proinde principium non petimus. Tum etiam: nam aliquid Deo, & creaturis commune, in creaturis dici realiter, & in Deo per rationem, non potest ab aduersarijs negari; cum fateantur nomen *Dominij* Deo, & creaturis esse commune, & in Deo relationem importare rationis, in creaturis realem.

Ad secundam respondeo, verum esse antecedens de relationibus 138 *Resp. 2.* realibus: istæ namque non terminant propriam actionem, sed resultant ex vi actionis terminatæ ad fundamentum primario: vnde ab eodem exemplariter dependent, à quo fundamentum exemplariter causatur. Relationes autem rationis, non resultant realiter ad fundamentum, sed illo, & termino positis, & in rerum natura existentibus, fiunt per actionem intellectus concipientis, quod non est, ac si esset, & ad instar entis realis. Vnde non ab illo, à quo fundamentum, exemplantur, sed ab eo ad cuius instar ab intellectu confinguntur.

Duo tamen obstant contra solutionem, qua occurrimus argumento, & eius impugnationibus. Primo, 139 *Contra nostram solutionem obstat 1.* nam falsum est quantitates distinctas fundare, vt sic, realem æqualitatis relationem, distinctione vt conditione se habente: ergo solutio tradita tertia impugnationi est nulla.

Pro-

Probatur antecedens, vt enim §. 3. inſtaurantes rationem Capreoli aſſe ruimus: ſi eſſentia diuina in Patre paternitatem exigeret prout fundat æqualitatem, non eſſet relatio æquiparantiæ, eo quod fundaretur in eſſentia vt modificata paternitate, quæ realiter à Filiatione diſtinguitur; ſed paternitas modificãs, ſolum vt conditio ad fundandam æqualitatem ſe haberet: ergo ſi diſtinctio realis vnius quantitatis ab alia, cõditio eſt ad fundandam relationem realem æqualitatis, relatio fundata, æquiparantiæ non erit: cum ergo ſit non diſquiparantiæ, ſed æquiparantiæ relatio, fundatur in quantitate creata ratione ſolius vnitatis, diſtinctione, nec vt conditione ſe habente; & conſequenter exiſtente vnitate quantitatis abſque reali diſtinctione, realis cõſurgit, vel exiſtit relatio, quod tertia impugnatio intendebat.

140 *Obſtat ſecũdo.* Secundum, quod obſtat eſt: nam tota ratio diſcriminis à nobis conſtituta inter relationes primi generis ab alijs aliorum generum, eſt, quod ſubiecta primo relata relatione primi generis ſunt fundamenta, ſecus in alijs generibus, ſed hoc diſcrimen eſt falſum: ergo ruit noſtra doctrina. Probatur minor: fundamenta relationum primi generis, ſolum referuntur vt *quo*, non formaliter, ſed ſubiectiuè; ſed etiam fundamenta relationum pertinentium ad alia genera, referuntur vt *quo* ſubiectiuè, hoc eſt, ſunt rationes, quibus ſubiecta conſtituuntur referibilia: ergo nullum eſt diſcrimen inter relationes primi generis, & aliorum, quo ad hoc quod eſt relationibus referri. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur: de facto eſſentia diuina in Patre fundat relationẽ æqualitatis ad Filium, quam Nos dicimus eſſe relationem rationis; & tamen eſſentia diuina Patris non refertur vt *quod* ad eſſentiam prout in Filio per prædictam relationem: ergo fundamenta relationum primi generis non petunt referri vt *quod*, ſed tantum vt *quo* per relationes fundatas. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur: quod non eſt æquale alteri vt *quod*, non refertur ad illud vt *quod* relatione æqualitatis; ſed eſſentia diuina Patris non eſt æqualis vt *quod* eſſentiæ diuinæ Filij: ergo non refertur ad illam vt *quod* relatione æqualitatis. Conſequentia tenet. Maior conſtat: nam inde Nos aſſeruimus, quantitatem fundantem æqualitatem, ad aliam vt *quod* referri; quia eſt vt *quod* illi æqualis. Minor autem oſtẽditur primo: nam iuxta Hylarium 3. de Trinitate: *Similitudo ſibi ipſi non eſt*: ergo nec idem poteſt dici, & eſſe ſibi æquale; ac proinde eſſentia Patris non eſt, nec dicitur æqualis eſſentiæ Filij.

141 *Secũdo prob.* Secundo: nam iuxta Auguſtinum *lib. 6. de Trinitate cap. 9.* prima æqualitas eſt in Filio, ſed ſi eſſentia diuina poſſet dici ſibi æqualis, æqualitas Filij ad Patrem, prima æqualitas non eſſet; cum eſſet prior æqualitas eſſentiæ ad ſe ipſam: ergo eſſentia Filij non eſt vt quod æqualis eſſentiæ Patris; & conſequenter, nec eſſentia Patris vt *quod* poteſt eſſe æqualis eſſentiæ Filij.

Tertio. Tertio ex D. Thoma *quæſt. 42. art. 1. ad 4.* vbi ſic ait: *Æqualitas importat diſtinctionem perſonarum, quia nihil ſibi ipſi dicitur æquale, & vnitatem eſſentiæ*: ergo iuxta D. Thomam, æqualitas vt proprie dicatur, quatenus ab identitate diſtinguitur, petit diſtinctionem realem extremorum, quæ vt *quod* æqualia dicuntur; ſed eſſentia Patris non eſt realiter ab eſſentia Filij diſtincta: ergo licet proprie ſit idem cum eſſentia Filij, nõ tamen eſt illi proprie æqualis vt *quod*.

142 *Si reſp.* Si fortè dicatur, æqualitatem in Deo de facto importare vnitatẽ eſſentiæ, & diſtinctionem realem perſonarum, non tamen vtrumque ex proprio conceptu exigere; ac proinde, proprie poſſe dici eſſentiam Patris æqualem eſſentiæ Filij, quam-

uis

uis realiter ab illa non distinguatur.

In contrarium obstat 1.

In contrarium obstat primo: nam D. Thomas probat æqualitatẽ vtrumque importare in Deo; quia nihil sibi ipsi dicitur æquale: ergo sentit æqualitatẽ in suo essentiali cõceptu exigere distinctionem illorũ, quæ dicuntur æqualia.

Secũdo.

Secundo: nã quod est de intellectu alicuius, illi conuenit per se; cũ absque illis, quæ sunt de essentia rei, optimè possit intelligi; sed vt docet Diuus Thomas: *Æqualitas, & similitudo in diuinis personis in suo intellectu includit, & relationes distinguentes personas, & essentiæ vnitatem*: ergo vtrumque per se exigunt, & ex sua ratione formali.

143 *Ad 1. difficultatem occurritur 1.*

Ad primam difficultatem respondeo negando antecedens. Ad probationem responderi potest dupliciter. Primo, concessis maiori, & minori negando consequentiam: ratio autem discriminis est: nam distinctio vnius quantitatis ab alia est eiusdem rationis in vtraque; ac proinde quod se habeat vt conditio fundandi relationem æqualitatis, non potest obstare identitati denominationis in vtroque extremo: paternitas autem diuersæ rationis est à Filiatione, & distinctio ab vtraque præstita eiusdem rationis non est; ac proinde relatio Patrem denominans, petens illum vt constitutum, & distinctum per paternitatem, vt à Filiatione distinctam, non potest esse eiusdẽ rationis, nec eiusdem denominationis in vtroque.

144 *Resp. 2.*

Secundo responderi potest, fundamenta relationum primi generis, duplex munus exercere respectu relationum, quas fundant, nempe fundamenti, qua ratione referuntur vt *quo*, & subiecti, vel extremi, qua ratione referuntur vt *quod*, non autem exigunt distinctionem ex titulo fundamenti, sed qua ratione extrema, & subiecta primo referenda sunt; & ideò illorum distinctio non facit, quod disquiparantiæ sint relationes fundatæ super ista: nam distinctio realis requisita inter extrema, non sufficit vt relationes fundatæ non sint eiusdẽ rationis, & denominationis in vtroque extremo, alias omnis relatio esset relatio disquiparantiæ, cũ distinctio realis extremorũ sit omni relationi reali communis. Nostra autem impugnatio ex distinctione petita à fundamento desumitur, quo sensu doctrina impugnata procedebat, vt considerati aduersariorum doctrinam, & argumentum constabit.

145 *Ad 2.*

Ad secundam, prætermissa solutione assignata inter arguendum, respondeo concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, nego maiorem. Ad probationem distinguo maiorem: quod non est æquale vt *quod* æqualitate reali, aut æqualitate concepta, non potest referri vt *quod* relatione æqualitatis, concedo maiorem: quod non est æquale vt *quod*, æqualitate reali, non potest referri vt *quod* relatione æqualitatis, subdistinguo maiorem: relatione reali æqualitatis, concedo maiorem: relatione rationis, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet essentia Filij, non sit realiter æqualis essentiæ Patris ob rationem traditam à D. Thoma; quia nempe nihil sibi æquale dicitur, est tamen æqualis essentiæ Patris æqualitate cõcepta, bis enim ab intellectu concipitur, & vt in Patre, & vt in Filio, & vt sic concipitur vt æqualis, ad quã conceptionem relatio rationis æqualitatis consequitur, primo referens essentiam vt in vna persona ad essentiam prout in alia, & duas personas ratione essentiæ.

146 *Nec obstat 1. probatio minoris.*

Nec obstat contra hanc doctrinam prima probatio minoris sumpta ex Hylario. Tum, quia explicari poterat de similitudine ab altero expressa, & deducta, vt constat ex illis verbis: *Imago sola non est, & similitudo sibi non est*, quibus videtur loqui de similitudine imaginis, quæ est similitudo ab alio communicata, huiusmodi autem similitudo certũ

est

eſt, quod eiuſdem ad ſe ipſum non ſit, cum quo compon poterat, quod ſimilitudo identitatem includens, ab altero non deducta poſſet eſſe eiuſdem ad ſe ipſum. Tum etiam: nam eſto loquatur de ſimilitudine abſolute, ſolum excludit ſimilitudinem realem, non autem ſimilitudinem cõceptam, ſupra quam conceptionem fundari poſsit relatio rationis ſimilitudinis.

147 *Nec ſecunda.*

Nec ſimiliter obſtat ſecunda probatio minoris, ſumpta ex Parente Auguſtino. Tum, quia vbi refertur, non dicit primam æqualitatem eſſe, quæ inter Patrem, & Filium verſatur, ſed tantum quod æqualitas Trinitatis ſit ſumma. Ex quo non infertur eſſentiam Filij non eſſe æqualem eſſentiæ Patris, ſed ſolum æqualitatem eſſentiæ, non eſſe maiorem æqualitate diuinarum perſonarum. Quod optimè ſtat, cum hoc, quod eſſentia Filij ſit æqualis eſſentiæ Patris, & perſonæ ſint æquales inter ſe ratione magnitudinis eſſentiæ. Vbi namque fundamentum æqualitatis eſt idem, quamuis ſint extrema diuerſa, non extat exceſſus æqualitatis. Tum etiam, quia licet aſſereret æqualitatẽ Filij ad Patrem eſſe primam, ex hoc non excluderetur æqualitas eſſentiæ ad eſſentiam, vt enim prima, & ſecunda æqualitas eſſent, deberent duæ intercedere æqualitates. Æqualitas autem eſſentiæ nõ eſt diſtincta ab æqualitate perſonarum ratione magnitudinis eiuſdem eſſentiæ; & conſequẽter quamuis eſſentia Filij eſſet realiter æqualis eſſentiæ Patris, non toleretur, quod æqualitas Filij cum Patre eſſet prima. Tum denique: nã ad ſummum colligi poteſt ex verbis Auguſtini, eſſentiam Filij non eſſe realiter æqualem eſſentiæ Patris dicendam, non autem non eſſe æqualem æqualitate concepta, conceptione fundante relationem æqualitatis rationis.

148 *Non obſtãt verba D. T.*

Nec denique doctrinæ, & diſtinctioni traditæ obſtant verba D. Th. adducta in probationem minoris. nã accipiendus eſt D. Thomas de æqualitate reali, quæ fundamentum eſt relationis, ſic namque verum eſt, quod in ſuo intellectu includit diſtinctionem perſonarum, & vnitatem, eſſentiæ. Ex quo tantum ſequitur eſſentiam Filij non eſſe æqualem realiter eſſentiæ Patris dicendam, non autem quod non ſit æqualis æqualitate concepta, conceptione fundante relationem æqualitatis rationis: nam intellectus noſter concipit eſſentiam Filij, ac ſi eſſet diſtincta ab eſſentia Patris, & cum negatione exceſſus: ſupra quã conceptionem fundatur prædicta relatio.

149 *Adhuc reſtat difficultas*

Sed adhuc difficultas ſupereſt: nã Filius eſt, & dicitur realiter æqualis Patri, eſſentia autem Filij non dicitur, nec eſt realiter æqualis Patri: ergo poteſt Filius referri relatione reali æqualitatis ad Patrem, quin eſſentia relationem fundans, realiter referatur. Patet conſequentia: nam relatio quoad eſſe, & denominationem, quam tribuit ſubiecto, ſequitur conditiones fundamenti: ergo ſi poteſt Filius eſſe, & dici realiter æqualis Patri, ſumpta æqualitate fundamentaliter, quin eſſentia æqualis realiter dicatur, poterit etiam realiter referri relatione æqualitatis, quin eſſentia realiter vt *quod* referatur.

150 *Reſp.*

Reſpõdeo diſtinguendo ſecũdam partem antecedentis: eſſentia Filij non dicitur realiter æqualis eſſentiæ Patris, ſumpta æqualitate adæquat, econcedo antecedens: inadæquate, nego antecedens, & diſtinguo conſequens: poteſt Filius referri quin eſſentia referatur ſecundum adæquatum effectum, vel quaſi effectum relationis æqualitatis, cõcedo conſequentiam: ſecundum inadæquatum effectum, vel inadæquatam denominationem, nego conſequentiam. Vt enim docet Diuus Thomas *quæſtione* 42. *art.* 1. *ad* 4. æqualitas duo dicit, nempe diſtinctionem perſonarum, & vnitatem eſſentiæ, licet autem in eſſentia Filij comparata, cum eſſentia Patris non importetur diſtinctio, importatur tamẽ vni-

tas;

tas ; ac proinde æqualitas ſecundum id, quod inadæquatè ab æqualitate importatur. Ex quo tantum ſequitur vt poſsit Filius referri relatione reali æqualitatis, quin eſſentia Filij ad eſſentiam Patris referatur ſecundum adæquatam denominationem relationis æqualitatis, nempe, diſtinctionis, & vnitatis, non autem quin referatur per talem relationem ſuſcipiendo aliquam denominationem ab illa, nempe identitatis ; & quia vt quod referri non poteſt relatione reali abſque reali diſtinctione ; fit conſequens, vt non poſsit realis eſſe prædicta relatio.

151 *Inſtabis*

Sed dices : relatio æqualitatis diſtincta eſt à relatione identitatis : ergo ſi vt Filius referatur relatione æqualitatis, ſolum eſt neceſſarium, quod eſſentia Filij referatur ad eſſentiam Patris relatione vnitatis, & identitatis, non requiritur quod per eandem relationem referatur, & conſequenter poterit relatio æqualitatis, qua Filius refertur eſſe realis, quamuis relatio, qua eſſentia refertur, realis non ſit. Reſpondeo diſtinguendo antecedens : relatio æqualitatis diſtincta eſt à relatione identitatis eiuſdem, ad omnino idem, concedo antecedens : à relatione identitatis extremorum diſtinctorum inter ſe, eiuſdem tamen eſſentiæ, nego antecedens, & conſequentiam. Nam relatio identitatis, qua debet eſſentia Filij ad eſſentiam Patris referri, vt Filius referatur relatione æqualitatis, non eſt relatio eiuſdem omnino ad ſe ipſum, ſed relatio diſtinctorum habentium eandem eſſentiam, quæ relatio non eſt diſtincta à relatione perfectiſsimæ æqualitatis. Hæc enim in ſui perfectiſsimo analogato, vel inferiori, ad identitatem iſtam pertingit, & illam includit, ſicut perfectiſsima ſimilitudo includit æqualitatem, & identitatem. Et licet eſſentia capax non ſit relationis identitatis diſtinctorum ſecundum adæquatum, quod dicit, eſt tamen capax eiuſdem, ſecundum inadæquatam rationem; & vt ſubiectum ſit prædictæ relationis, non eſt neceſſaria capacitas ad omnem illius effectum, ſed ſufficit capacitas ad effectum aliquem, præſtandum à tali relatione; forma enim duo ſubiecta afficiens cum aliquo ordine, non debet omnem ſuam denominationem vtrique præbere, ſed ſufficit vt cuiuis illorú aliquam præſtet, vt conſtat in generatione, quæ in toto recepta, & in materia, materiali toti dat denominationem geniti, materiæ autem non præbet iſtam denominationem, ſed tranſmutatæ per illam.

152 *Vrgebis*

Sed vrgebis adhuc : nam ſequitur ex doctrina tradita poſſe eſſentiam Filij ad eſſentiam Patris referri relatione reali æqualitatis, etiam ſi realiter ab illa non diſtinguatur. Ex quo vlterius fit, poſſe abſque diſtinctione reali magnitudinis eſſentiæ, Filium ad Patrem referri relatione reali æqualitatis, cuius contrarium aſſeruimus. Probatur ſequela, vt Filius referatur relatione reali æqualitatis, non requiritur vt eſſentia eadem relatione referatur ſecundum adæquatam denominationem talis relationis, nempe, relatione diſtinctorum eiuſdem eſſentiæ ; ſed ſufficit, quod recipiat ab illa denominationem, vel quaſi effectum inadæquatum, ſcilicet, relatione vnitatis, & identitatis ; ſed vt referatur hoc modo non requiritur realis diſtinctio, aliàs adæquatum effectum, vel quaſi effectum recipiet : ergo abſque reali diſtinctione magnitudinis eſſentiæ, poterit Filius ad Patrem realiter referri relatione æqualitatis.

153 *Reſp.*

Reſpondeo negando ſequelam : nam licet ex conceptu communi recipiendi formam aliquam, non requiratur recipere omnem talis formæ effectum ; ac proinde ex hac ſola conſideratione, poſſet eſſen

tia referri per prædictam relationem abſque diſtinctione ſui ab eſſentia terminante: Quia tamen, vt Filius realiter referatur, eſt neceſſarium etiam eſſentiam referri, & realiter referri repugnat abſque diſtinctione reali inter extrema relata; fit conſequens, vt non poſsit Filius ad Patrem referri per relationem æqualitatis, quin eſſentia Filij ab eſſentia Patris realiter diſtinguatur. Et quia huius realis diſtinctionis eſt incapax, non poteſt realiter referri per illam; & conſequenter nec Filius realem relationem æqualitatis habere. Ex quibus ad probationem ſequelæ conſtat ſolutio.

§. VII.

Statuitur tertia concluſio, & examinantur aliquorum motiua.

154 *Ex indiſtinctione reali fundamẽti, nõ poteſt iſta concluſio probari*

SIt Tertia Concluſio: *Non datur in perſonis diuinis relatio realis æqualitatis diſtincta à relationibus originis, fundata in proprietatibus perſonalibus.* Ita Auctores quartæ ſententiæ, & quidem ex reali indiſtinctione fundamentorum, ex qua hucuſque proceſsimus ad excludendam à diuinis perſonis relationem realem æqualitatis ratione magnitudinis eſſentiæ, non poteſt noſtra concluſio probari: nam proprietates perſonales realiter inter ſe diſtinguuntur: ergo ſi ratione illius, quod eſſentiæ ſuperaddunt, poſſunt æqualitatem fundare, adeſt realis fundamentorum diſtinctio; ac proinde ex iſto capite non repugnat realis æqualitatis relatio competens perſonis diuinis ratione proprietatum perſonalium. In aſsignando autem capite repugnantiæ diſsidium, non modi cum inter Auctores noſtræ ſententiæ verſatur.

155 Ratio P. Suarez.

Suarez *vbi ſupra num. 9.* quẽ ſequitur Albertinus, inde probat: quia æqualitas diuinarum perſonarum ratione relationum non fundatur in vnitate, vel conuenientia formali, ſed in quadam proportionali æſtimatione, ſeu quantitate. Vt autem realis relatio eſſet, deberet in vnitate formali fundari. Quod autem relatio ſimilitudinis, quæ eſt inter diuinas perſonas in ratione relationis, vel perſonæ, non ſit realis, ex eo principio deducit; quia non eſt per conuenientiam in tota vnitate formali talium perſonarum, quod neceſſum erat, vt ſimilitudo fundata, realis relatio eſſe poſſet.

156 Impugnatur 1.

Hæc tamen ratio non vrget, & reijcitur primo; vt enim docet ipſe Suarez *Tomo ſecundo metaphyſicæ diſputatione* 48. *ſectione* 11. *numero octauo*, non ſola vnitas ſpecifica, vel generica, ſed etiam vnitas analoga, analogia vnius conceptus fundat realem relationem ſimilitudinis, vel identitatis; ſed perſonalitates diuinæ prout ab eſſentia diſtinctæ habent vnitatem, vel conuenientiam analogam, analogia vnius conceptus in ratione relationis, & perſonalitatis: ergo fundare poſſunt relationem realem ſimilitudinis, ſi aliud caput repugnantiæ non aſsignatur.

157 Secũdo.

Deinde: nam relationes diuinæ prout ab eſſentia diſtinctæ, ſunt perfectæ perfectione relatiua in ſententia iſtius Doctoris, quam tradit *libro tertio de Trinitate capitulo*

10. & consequenter sunt quantæ, non quantitate molis, sed virtutis, quæ in perfectione consistit, iuxta illud Augustini : *In his quæ non mole magna sunt, idem est maius esse, quod perfectius esse* ; & aliàs inter diuinas personalitates, excessus non inuenitur, vt prædictus Auctor docet, sed quantitas virtutis cũ negatione excessus est fundamentum æqualitatis: ergo si personalitatibus diuinis ex alio capite non repugnet, defectus vnitatis non obstat, quominus referri possint relatione reali æqualitatis.

Conf. Quod amplius vrgetur, vt enim docet Suarez *vbi nuper num.* 11. relationes diuinæ in suis proprijs perfectionibus sunt, & dicũtur æquales, quia omnes habent fundamentũ, & terminũ æquè perfectũ; sed si defectus vnitatis nõ obstat vt verè æquales dicãtur, nõest vnde obstare possit vt referantur relatione æqualitatis: ergo ex prædicto defectu perperam ab illis excluditur relatio realis æqualitatis.

158 *Aliorũ ratio reijcitur* 1. Alij ducuntur ex eo, quod sola vnitas substantiæ fundat relationem identitatis, sola vnitas qualitatis relationem similitudinis, & sola vnitas quantitatis relationem æqualitatis, relatio autem ad nullum ex his generibus spectat, & consequenter vnitas relationum non potest aliquam relationem fundare. Sed nec vrget hoc argumentum, & inefficaciæ conuincitur primo: nam vnitas essentialis, quæ inter duas quantitates versatur, fundat aliquam relationem, vel illam vnitas, & conuenientia inter duas substantias non fundat, non enim potest vlla, vel apparens discriminis ratio assignari; sed hæc relatio, æqualitatis non est : possunt enim duæ quantitates inæqualis extensionis, specifice conuenire, vt omnibus est conspicuum : ergo vel est relatio identitatis, vel similitudinis, cum relatio supra vnitatem fundata adæquatè diuidatur in relationem identitatis, æqualitatis, & similitudinis ; & consequenter ratio illa ex principio falso procedit.

159 *Secũdo.* Secundo: nam quantitas, supra quam relatio æqualitatis fundatur, non est molis, sed virtutis, quod idem est ac perfectio, iuxta illud sæpe ex Augustino repetitum : *In his, quæ non mole magna sunt, idem est maius esse, quod perfectius esse* ; sed relatio creata perfectionem dicit : ergo fundare potest relationem æqualitatis, si illi ex alio capite non repugnat, & relationes diuinæ si pro eo quod addunt perfectionibus absolutis, perfectiones relatiuas important, & aliàs vna aliam non excedit, fundare poterunt, & fundabunt de facto relationem æqualitatis.

160 *Tertio.* Tertio : si diuinæ relationes importarent perfectiones, quarum vna esset alteri inferior, fundarent relationem inæqualitatis: ergo si dicunt perfectionem, & adest negatio excessus, fundabunt relationem æqualitatis. Patet consequentia : sicut enim æqualitas supra quantitatem fundatur: ita etiam inæqualitas : ergo si inferioritas vnius perfectionis ad aliam fundat inæqualitatem, adæquatio vnius perfectionis, cum alia fundabit æqualitatem.

161 *Molina deficit in probatione maioris.* Molina vbi supra ante solutionem argumentorum, sic arguit : nam relatio, quæ habet pro fundamento aliam relationem, non potest esse realis, sed rationis ; sed proprietates personales in Deo sunt relationes: ergo relatio æqualitatis, vel oppositionis, & distinctionis, aut quæuis alia diuinis personis conueniens ratione proprietatum personalium, & super illas fundata, realis non est, sed rationis. Qui discursus certus est, cæterum in illo desideratur probatio maioris, in qua tota difficultas consistit.

162 *Vazq. illam probat.* Pater Vazquez *disp. allegata cap. 4. num. 9.* probat maioris assumptum, nempe relationem non

poſſe alia relatione referri, relatio enim eſt quaſi actus,& via,qua vnũ ad aliud refertur; ſed quia actio eſt via,qua aliquid fit, actionis non datur actio, & quia habitus eſt quaſi actus & via inter habentem, & rem habitam vnius habitus,alius habitus non datur: ergo nec vnius relationis poteſt dari alia relatio;& conſequenter ſupra relationem nequit realis relatio fundari. Quod alij confirmant; modi namque non datur alius modus, vnionis etiam vnio non datur,quia ſe ipſa eſt eſſentialiter vnio; ſed relatio eſt modus, & à ſe ipſa eſſentialiter refertur: ergo relationis non datur relatio.

163 *Reijcitur primo.*

Sed argumentum non vrget, & plus probat,quam arguens intendit. Primum probo: nam licet forma nõ poſsit ab alio habere effectum formalem, quem illa præſtat ſubiecto, alium tamen,vel diuerſi generis,vel diuerſæ ſpeciei optime poteſt ab alia forma accipere,nam ſolum eſt ratio formalis in ordine ad effectum, quẽ præſtat,non vero in ordine ad alios: ergo quamuis paternitas v. c. ſe ipſa referatur ad Filiationem,vt Filiatio eſt, quia Patri præbet iſtum effectũ formalem, nempe reſpicere Filium, & vt Filium reſpiciat alia relatione non egeat,nec illam poſsit recipere, vt autem Filiationem reſpiciat relatione æqualitatis, ſimilitudinis, vel diſtinctionis, alia relatione indigebit,& illius erit capax. Patet conſequentia: nam paternitas non eſt ratio reſpiciendi Filiationẽ vt æqualem,ſed tantum vt Filiatio eſt, nec eſt ratio reſpiciẽdi relatione conuenientiæ alteram paternitatem: ſed ſolum eſt incapax recipiendi ab alia forma,id quod habet ratione ſui: ergo quamuis incapax ſit Filiationem reſpiciendi,vt Filiatio, per relationem diſtinctam,non tamen eſt incapax reſpiciendi alteram paternitatem per diſtinctam relationem. Ex quibus conſtat diſcrimen, quod inter relationem, & exempla adducta verſatur: nam reſpectu actionis non eſt dabilis actio diuerſæ rationis,nec reſpectu habitus,alius habitus diuerſæ rationis eſt dabilis, & cum alias ad effectum eiuſdem rationis ab altero recipiendum non ſit in forma capacitas,fit conſequens,vt actionis actio non detur,nec habitus per habitum diuerſum habeatur.

164 *Secũdo.*

Secundum, quod nempe plus probet, quam intendit, probatur: nam habitus non ſolum per alium habitum non habetur, ſed nec etiam per ſe ipſum,nam licet habeamus veſtem,habitum tamen quo habetur veſtis non dicitur proprie habere:ergo ſi ab exemplo habitus argumentum ad relationem eſt efficax, probat nõ ſolum relationem non referri per alteram relationem,verum etiam per ſe ipſam non reſpicere relationem ſibi oppoſitam. Quod falſum eſt,nec Vazquez id poteſt negare,cum omnibus ſit compertum,relationem nõ ſolum dare ſubiecto vt reſpiciat, & referatur ad terminum, ſed etiam ipſam reſpicere oppoſitam relationẽ. Deinde; nam actionis,& habitus,nõ ſolum non datur alia actio, & alius habitus realis, ſed nec etiam dantur alia actio, & alius habitus rationis: ergo ſi argumentum ab exemplis deſumptum efficax ad relationem habetur,non ſolum inferri debet relationis aliam relationem realem non dari,ſed nec etiam poſſe per aliam relationem rationis in ipſa fundatam referri.

165 *Reijcitur confirmatio*

Ex his, confirmationis inefficacia cognoſcitur: nam licet modi nõ detur modus eiuſdem rationis, modus tamen diuerſæ rationis optime alterum modum poteſt afficere, & vnionis alia vnio in ordine ad diuerſum extremum datur: ergo licet relationis non detur, nec poſsit dari relatio eiuſdem rationis, capax tamen erit relationis diuerſæ rationis, vel denominationis, niſi aliunde repugnantia oſtendatur. Conſequentia tenet. Antecedens autem probo: exiſtentia namque eſt modus; & tamen per vnionem ab ipſa diſtinctã, quæ etiam modus eſt vnitur: ſubſiſtentia etiam eſt modus; & tamen

exiſtit

existit per existentiam distinctam, quæ existentia modus est: vbicatio etiam, & relatio sunt modi; & tamen vt existant, indigent existentia realiter ab illis distincta, quæ existentia modus est. Vnio etiam, qua vnitur materia, & forma, ex quibus natura resultat, per vnionem à se ipsa distinctam vnitur vt inclusa in natura, cũ subsistentia, ex qua simul, & natura resultat suppositum, & persona: ergo licet modi non detur modus eiusdem rationis, modus tamen diuersæ rationis datur, & licet vnionis non detur vnio in ordine ad idem extremum respectu cuius est vnio, in ordine tamen ad diuersum extremum potest dari vnio, ipsam vnionem vniens.

166 *Aliorũ ratio ex dictis excluditur.*

Ex his etiam inefficax deprehenditur aliud argumentum, quo ex Caietano nonnulli Recentiores vtũtur; quia nempe, Paternitas, v.c. cũ se ipsa ratio referendi sit per se ipsam nullo alio superaddito, est alteri simili, & dissimilis, relationeque similitudinis, & dissimilitudinis per se ipsam refertur: ergo est incapax vlterioris relationis; realiter, aut virtualiter ab illa distinctæ.

Quæ ratio ex dictis reijcitur: paternitas namque non est ratio referendi Patrem ad Filium relatione dissimilitudinis: ergo nec ipsa per se ipsã refertur relatione similitudinis, nec dissimilitudinis ad Filiationẽ. Cõsequẽtia patet: nã forma, etsi possit sibi præbere effectũ, quẽ præstat subiecto, vt cõstat in quãtitate, quæ nõ solum extensit subiectum, sed etiam se ipsam, & in relatione, quæ non solũ subiectum, sed etiam se ipsam refert, non tamen potest sibi dare effectum, quem non præstat subiecto: ergo si paternitas non est Patri ratio respiciendi terminum vt similem, vel dissimilem, sibi hunc modum respiciendi non præstat. Antecedens autem probatur: vt enim paternitas Patrẽ ad Filium referret relatione similitudinis, & Pater per illam respiceret Filium vt similem, deberet supra vnitatem fundari, est enim vnitas fundamentum, relationis similitudinis; sed paternitas non fundatur supra vnitatem, sed supra actionem, vel potentiam generatiuam, aliàs non pertineret ad secundum genus relationis, sed ad primum: vel ad vtrumque spectaret si supra vnitatem, & simul supra actionem, vel potentiam fundaretur, quod est confundere, & euertere diuisionem relationis per tria genera; ex diuersis fundamentis sumptam: ergo paternitas non est Patri ratio respiciendi Filium vt similem, nec dissimilem, sed tantum vt Filium, & genitum. Et augetur difficultas: paternitas non est ratio respiciendi aliam paternitatem, sed solum est ratio respiciendi Filium; sed non respicit nisi tantum illum terminum ad quem est ratio respiciendi, vt ex terminis est per se notum: ergo per se ipsam non respicit paternitatem; & consequenter non refertur ratione sui ad illam vt similis.

167 *Si resp.*

Si fortẽ dicatur, argumentum nostrum efficaciter probare in paternitate creata, quæ quia finita, & limitata est, nõ potest se ipsa respicere Filiationẽ vt similẽ, vel dissimilẽ, sed tãtũ vt Filiatio est, nõ autẽ in paternitate diuina, quæ quia infinita est, se ipsa absque aliquo virtualiter distincto, & superaddito, respicit Filiationem, non solum vt Filiatio est, sed etiam vt sibi similem in ratione relationis, vt sibi dissimilem ex ratione talis relationis, & vt illi æqualis est ratione summæ perfectionis, cum negatione excessus. In contrarium obstat primo Diuum Thomam *quæstione 42. articulo primo ad quartum*, negasse relationi posse per vlteriorem relationem referri, non ex conceptu diuinæ, sed ex communi relationis conceptu: ergo id tribuere paternitati diuinæ ex capite infinitatis, est rationem deserere D. Thomæ.

Deinde.

Deinde: nam paternitas diuina solum est infinita formaliter in linea paternitatis, & in alijs lineis identicẽ; sed huic infinitati non obstat per

relationem ab ipſa virtualiter diſtin ctã referri ad aliud vt ſimile, vel diſſimile: ergo ex eo quod infinita ſit, non infertur nõ poſſe referri per relationem virtualiter diſtinctam.

Tertio. Tertio, & explicatur magis: quamuis paternitas ſit infinita, non tollitur, quin Pater relatione ſpiratoris virtualiter à paternitate diſtincta reſpiciat Spiritum Sanctum: ergo infinitati paternitatis non obſtat per aliam relationem virtualiter diſtinctam referri.

168 *Reſp.* Reſpondebis negando conſequentiam: nam Spiritus Sanctus eſt terminus diſtinctus à Filio, quem paternitas reſpicit, & ratione ſuæ infinitatis ſolum petit per ſe ipſam, abſque aliquo virtualiter etiam diſtincto, proprium terminum reſpicere ſub omni ratione poſsibili.

Contra primo. Sed contra primo: nam licet Filius vt genitus, qua ratione eſt terminus paternitatis, non differat realiter ab ipſo vt ſimili, vel æquali, qua ratione terminat ſimilitudinem, vel æqualitatem, differt tamen à ſe ipſo ſub alijs conſiderationibus formaliter, aut virtualiter: ergo ſicut infinitati paternitatis non obeſt reſpicere terminum realiter à Filio diſtinctum per relationem virtualiter diſtinctam ab ipſa: ita etiam nõ obſtabit, quod Filium, vt ſimilem, vel æqualẽ relatione à ſe virtualiter diſtincta reſpiciat.

169 *Secũdo.* Præterea: nam paternitas, quamuis ſit infinita in linea paternitatis, non eſt Patri ratio reſpiciendi Filium vt ſibi ſimilem, vel æqualem: ergo etiam ſi infinita ſit, non reſpicit filiationem per ſe ipſam reſpectu æqualitatis, vel ſimilitudinis. Conſequentia tenet ex dictis: forma namque finita, & limitata non dat ſibi effectum finitum, & limitatum, niſi illam ſubiecto præſtet: ergo forma infinita non præſtabit ſibi ipſi effectum, vel quaſi effectum infinitum, quæ nõ dat proprio ſubiecto, aut quaſi ſubiecto.

Antec. prob. 1. Antecedens autem probatur primo: nam ſi paternitas referret Patrem ad Filium relatione ſimilitudinis, & æqualitatis, cum ipſa ſit realis relatio, concedendum eſſet relationem ſimilitudinis, & æqualitatis diuinarum perſonarum, eſſe relationem realem, quamuis indiſtinctam à relationibus originis; hoc non admittũt traditæ ſolutionis Authores: ergo nec poſſunt concedere paternitatem eſſe Patri rationem reſpiciendi Filiũ, vt ſibi ſimilẽ, aut æqualem.

Secũdo. Secundo: nam relatio ſimilitudinis, aut æqualitatis ſupra vnitatem fundatur; ſed paternitas diuina, quamuis infinita ſit in linea paternitatis, non ſupra vnitatem, ſed ſupra generationem infinitam fundatur; hoc enim, & non aliud ſufficit, & requiritur, vt ſit in linea paternitatis infinita: ergo non obſtãte quod infinita ſit, non eſt Patri ratio reſpiciendi Filium, vt ſibi æqualem, vel ſimilem.

170 *Recẽtiorum ratio explicatur.* Denique alij recentiores ex eo ducuntur, vt negent relationem realem æqualitatis, ſimilitudinis, vel diſtinctionis virtualiter diſtinctam à relationibus originis, quia relatio ſic diſtincta deberet per reſultantiam exiſtere; ſed habere eſſe per reſultantiam repugnat omni formalitati diuinæ, quod enim per reſultantiam fit, vel exiſtit; præter intentionem exiſtit, vel fit, quod eſt ingens imperfectio: ergo nõ datur in Deo aliqua relatio realis identitatis diſtinctionis, vel ſimilitudinis, vel æqualitatis virtualiter diſtincta à relationibus originis.

171 *Reijcitur 1.* Sed non capio huius argumenti vim, & refellitur primo: eſſe namque, vel fieri virtualiter per virtualem dimanationẽ non repugnat perfectionibus diuinis: ergo nõ eſt cur repugnet diuinis formalitatibus reſultãtia virtualis. Antecedens cõſtat in attributis diuinis, quæ virtualiter dimanare à natura, in eaque virtualiter radicari, docet frequentior ſentẽtia. Conſequentia autẽ probatur primo: nã in reali formali dimanatione non minor imperfectio inuenitur, quã in

reſul-

resultantia reali formali : ergo si per hoc, quod dimanatio non formalis, sed virtualis sit, omnis imperfectio vitatur, pariter per hoc, quod resultantia non formalis, sed virtualis sit, omnis imperfectio excludetur. Secunda : nam quod virtualiter ab alio dimanat, est, vel fit virtualiter præter intentionem primariam non autem præter omnem intentionem, & ideo in virtuali dimanatione nulla involuitur imperfectio; sed quod fit, vel est per resultantiam, non formalem, sed virtualem, quamuis debeat esse præter intentionem primariam, non est cur debeat esse præter omnem intentionem : ergo in hoc, quod est fieri, vel existere virtuali resultantia, nulla imperfectio importatur ; ac proinde ex hoc principio non rectè deducitur repugnantia relationis realis in Deo virtualiter distinctæ à relationionibus originis.

172 *Secũdo reijcitur.*

Secundo reijcitur: nam relatio spiratoris competit primæ, & secundæ personæ per resultantiam virtualem: ergo virtualis resultantia non repugnat diuinis formalitatibus. Cõsequentia probatione non indiget. Antecedens autem probatur : non enim alia de causa æqualitas, similitudo, vel relatio distinctionis, si realis esset, per resultantiam existeret, nisi quia non pertineret ad primam personarum constitutionem, sed illas constitutas supponeret, & ideô ad illas vt constitutas, virtualiter resultaret ; sed relatio spiratoris, quæ Patri, & Filio est communis, non pertinet ad primam constitutionem Patris, & Filij in ratione personarum, sed illa personaliter constitutos supponit : ergo existit per resultantiam.

173 *Resp. 1.*

Respondebis primo, relationem spirationis actiuæ non esse per resultantiam, quia relatio passiuæ spirationis, per quam persona constituitur in ratione personæ, per se producitur per actionem spiratiuam.

Vel secũdo resp.

Vel secundo respondebis non existere per resultantiam, quia patrem, & Filium ab Spiritu Sancto realiter distinguit : ac proinde non supponit illos adæquatè personaliter constitutos, sed per originem actiuam distinguuntur vialiter à Spiritu Sancto, & per relationem spiratoris, tanquam per terminum viæ. Ita Albertinus, cuius fundamentum reijcimus *vbi supra num.* 12.

174 *Contra 1. solut. facit.*

Sed neutra solutio est sufficiens, non prima, quod enim relatio spirationis passiuæ per se terminet productionem, non tollit quod relatio spiratoris per resultantiam existat : ergo existit per resultantiam virtualem; & consequenter in illa nulla imperfectio reperitur repugnans diuinis formalitatibus. Probo antecedens : relatio non minus sequitur ad fundamentum, quam ad terminum; sed quod fundamentum per se existat, vel per se producatur, non tollit, quo minus relatio ad illud sequuta per resultantiam existat, vel fiat : ergo pariter, quod terminus relationis per se terminet productionem, non facit, quod relatio alterius extremi terminata ad illum terminum, per resultãtiam non sit.

175 *Contra 2. facit primo.*

Deinde contra secundam facit primo, originem actiuam supponere constitutum principiũ, & à termino realiter distinctum; sed relatio spiratoris originem actiuam supponit, & super illam fundatur: ergo supponit constitutum principiũ Spiritus Sancti, & ab illo distinctum ; ac proinde relatio spiratoris non distinguit primam, & secundam personam à tertia.

Secũdo.

Secundo: nam filiatio v. c. adæquatè constituit Filium in ratione personæ : ergo adæquatè illum personaliter distinguit ; & consequenter Filius per filiationem, non solum à Patre distinguitur, sed etiam ab Spiritu Sancto. Ex quo vlterius fit relationem spiratoris supponere Filium adæquatè personaliter cõstitutum.

Denique: nam cõstitutiuum per-

ſonaliter adæquatè, eſt etiã adæquatè diſtinctiuum, ſed ſpiratio actiua eſt extra adæquatum conſtitutiuum Filij in ratione perſonæ: ergo eſt extra adæquatum primarium diſtinctiuum Filij; & conſequenter illum ab Spiritu Sancto non diſtinguit per ſe primo, ſed diſtinctum ſupponit. Probatur minor: cõſtitutiuum adæquatum Filij in ratione perſonæ eſt illi proprium; ſed relatio ſpiratoris non eſt propria Filij, ſed illi, & Patri cõmunis: ergo eſt extra adæquatũ conſtitutiuum perſonale Filij. Sed de his plura *ſupra q.* 35.

Deniq; facit.

§. VIII.

Alijs argumentis noſtra cõcluſio probatur, & contrarij diluuntur.

176 *Suadetur concluſio primo.*

HIs igitur argumentis omiſsis, ſuadetur concluſio primo: nam ſecundum relationes non attẽditur in diuinis perſonis æqualitas, vel inæqualitas, ſimilitudo, aut diſſimilitudo: ergo in proprietatibus relatiuis non fundatur relatio æqualitatis, aut ſimilitudinis; & conſequẽter non datur inter diuinas perſonas relatio realis æqualitatis, vel ſimilitudinis, ratione proprietatũ perſonalium. Vtraque conſequentia ex antecedenti euidenter colligitur: nã id ſecundum quod non attenditur æqualitas, vel ſimilitudo, non poteſt relationem æqualitatis, aut ſimilitudinis fundare; ac proinde ex illo nequit relatio realis conſurgere.

177 *Antec eſt D. Tho. & prob. 1.*

Antecedens autem eſt expreſſum D. Thomæ *in 1. diſtinct. 28. q. 2. art. 3. in corpore; & quæſt. 36. art. 4. ad 3.* Et probatur primo ex Auguſtino *lib. 6. de Trinitate cap. 41. in fine*, illis verbis: *Nunc ſatis eſt videre nullo modo Filium æqualem eſſe Patri, ſi in aliquo, ſcilicet, quod pertineat ad ſignificandã eius ſubſtantiam inæqualis inuenitur.* Hæc Auguſtinus, quibus manifeſtè docet, æqualitatem Filij cum Patre ſolum attẽdi in illis, quę Patris ſubſtãtiam ſignificãt, quod idem eſt, atque attendi ſolum in formalitatibus abſolutis. Id ipſum docet *lib. 5. de Trinitate cap. 6. ad finem*, vbi de Filio loquens, ſic ait: *Reſtat vt ſecundum id æqualis ſit, quod ad ſe dicitur, quidquid autem ad ſe dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur: reſtat ergo vt ſecundum ſubſtantiã ſit æqualis.* Ergo iuxta Auguſtinum æqualitas diuinarum perſonarum nõ attenditur ſecundum relationem, ſed tantum ſecundum abſoluta.

178 *Secũdo prob.*

Secundo probatur: ſi namque perſonarum ſimilitudo non ſolũ attenderetur ſecundum perfectiones abſolutas, ſed etiam ſecundum proprietates relatiuas, ſequeretur Filiũ eſſe magis ſimilem Patri, quam Spiritus Sanctus; conſequens derogat fidei: ergo perſonarum ſimilitudo, aut æqualitas non attenditur ſecundum proprietates relatiuas. Conſequutio cum minori tenet, ſequela probatur: Filius namque aſsimilaretur Patri in relatione ſpiratoris, in qua tertia perſona aſsimilari non poteſt Patri, cum illi non cõpetat: ergo eſſet Patri ſimilior. Sicut quia ſimilitudo perſonarum penſatur ſecundum omnem perfectionem abſolutam, ſi aliqua Patri, & Filio cõueniret, & de Spiritu Sancto negaretur, abſque dubio, Filius in ſimilitudine cum Patre, Spiritum Sanctum excederet. Quo argumento ab incõuenienti ſumpto vſus eſt D. Thomas locis ſuperius relatis.

179 *Euasio præcluditur.*

Nec difficultas euaditur asserendo, spirationem passiuam tantam esse, quanta est spiratio actiua: vnde quamuis hæc Spiritui Sancto desit, nihil deest assimilationis cum Patre, nec est minus illi, quam Filius similis. Tum, quia in spiratione passiua non assimilatur Spiritus Sanctus Patri, cum id, inquo inter duo extrema pẽsatur similitudo, debeat esse vtrique commune, spiratio autem passiua non reperiatur in Patre, sed soli tertiæ personæ conueniat. Tum etiam, quia aliàs posset æqualitas personarum subsistere, & æqualis inter se omnium similitudo, quamuis aliqua perfectio absoluta duabus personis cõpetens, alteri non conueniret, nempè asserendo alias perfectiones diuinas, quæ illi alteri personæ competerent, esse tantæ æstimationis, intensiuæque perfectionis, quantæ est illa, quæ duabus competens, tertiæ personæ deficeret; consequens nequit admitti: ergo nec effugium traditum.

180 *Diniq; 1. antecedens prob.*

Denique primum antecedens probatur: nam æqualitas supra quãtitatem molis, aut virtutis fundatur, similitudo autem supra qualitatem prædicamentalem, vel supra qualitatem quoad modum, nempe supra formam vt dantem aliquã perfectionem; sed magnitudo, quæ est quantitas virtutis, & perfectio, quæ obtinet rationem qualitatis quoad modum, in Deo solum absolute dicuntur; nec diuinis personis ratione relationum conueniunt, vt ex Augustino *lib. 5. de Trinitate c. 8. & 9.* & ex D. Thoma *quæst. 42. art. 4. ad 2.* & ratione ostendimus *supra q. 28. disp. 78.* ergo æqualitas, & similitudo diuinarum personarum, non attenditur secundum proprietates relatiuas, sed solum secundum perfectiones absolutas; & consequenter ratione proprietatum personalium non conuenit personis diuinis relatio realis similitudinis, vel æqualitatis.

181 *Restat*

Hac via facile intelligitur, ac defenditur nostræ conclusionis veritas. Solũ supereſt difficultas de relatione distinctionis inter paternitatẽ, & filiationem, cum enim realiter distinguatur ab illa, etiam ad illam refertur relatione distinctionis; sed nõ per se ipsam formaliter: ergo per superadditam relationem, quæ si realis sit, iam dabitur relatio realis in Deo distincta à relationibus originis, quod à nobis inconueniens censetur. Si autem sit relatio rationis, idem poterit affirmari de relationibus æqualitatis, & similitudinis, quod nempè sint relationes rationis; ac proinde recursus, quo vti sumus, negando perfectiones relatiuas, ad rẽ, de qua in præsenti agimus, superfluus est; cum eadem ratione, qua à nobis ostensum fuerit relationem istam esse rationis, id ipsum conuincatur de prædictis relationibus.

contra hoc difficultas

182 *Expeditur 1.*

Huic difficultati dupliciter potest occurri. Primo asserendo, relationem distinctionis inter paternitatem, & filiationem esse realem, indistinctam tamen etiam virtualiter à paternitate, & filiatione, quæ est sententia Caietani *q. 42. articulo 1. §. ad euidentiam*, eamque satis apertè indicat Angelicus Doctor *solutione ad 4.* ibi: *Cum enim dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem, & filiationem.* Quibus verbis clarè indicat oppositionem relatiuam, quæ est inter paternitatem, & filiationem, & esse relationem, & non distingui à filiatione, & paternitate. Primum patet: non enim negat esse relationem absolutè, sed esse relationem mediã: ergo sentit esse relationem. Secũdum etiam constat: nam si esset relatio distincta à paternitate, & filiatione, siue realis, siue rationis esset, inter vtramque mediaret, vt est per se notum; sed negat esse relationem mediam inrer paternitatem, & filiationem: ergo sentit esse relationem realem indistinctam à paternitate, & filiatione.

183 *Assignatur ratio doctrinæ.*

Et ratio esse potest: nam oppositio paternitatis cum filiatione, est oppositio relatiua: ergo paterni-

tas

tas vt oppoſita filiationi, illam reſpicit vt ſibi oppoſitam;& conſequẽter illam reſpicit vt à ſe diſtinctã;ſed paternitas ſe ipſa, abſque aliquo ſuperaddito opponitur filiationi,& ab illa diſtinguitur: ergo per ſe ipſam, abſque aliquo ſuperaddito,etiã virtualiter diſtincto reſpicit filiationẽ vt ſibi oppoſitam,& à ſe realiter diſtinctam;& conſequenter relatio diſtinctionis,quæ inter paternitatem, & filiationem verſatur, non diſtinguitur ab illis , etiam virtuali diſtinctione.

184 *Contra iſtam ſolutionẽ obſtat primo.*

Duo tamen obſtant contra iſtam ſolutionem. Primum eſt : nam relatio diſtinctionis fundatur ſupra numerum,& multitudinẽ, pertinetque ad primum relationis genus , cuius fundamentum eſt vnitas , vel multitudo: ſed paternitas ſupra actionem fundatur, vt ſpectat ad ſecundũ genus relationis : ergo relatio diſtinctionis,quæ inter paternitatem;& filiationem verſatur,diſtincta eſt à paternitate,& filiatione.

Secũdo.

Secundum quod obſtat eſt : nã relatio diſtinctionis paternitatis à filiatione,eſt relatio æquiparantiæ, vtpotê eiuſdem denominationis in vtroque extremo. Paternitas autẽ, & filiatio ſunt relationes diſquiparantiæ, & diuerſæ denominationis; ſed vna ex diuiſionibus relationis, eſt in relationem æquiparantiæ , & diſquiparantiæ;& conſequenter nequit vtraque ratio in eadem relatione coincidere coincidentia formali : ergo relatio diſtinctionis non poteſt re,& ratione cum paternitate, & filiatione identificari.

Cõfirm.

Quod amplius vrgetur : quia namque relatio ſimilitudinis ſupra vnitatem fundatur , pertinetque ad primum genus,& eſt relatio æquiparantiæ,neceſſario diſtinguitur realiter,aut virtualiter à paternitate , & filiatione ad ſecundum genus ſpectãtes , ſupra actionem , & paſsionem fundatas,& quæ ſunt relationes diſquiparantiæ , & diuerſæ denominationis; ſed eadem ratio militat in relatione diſtinctionis : ergo non poteſt eſſe virtualitêr indiſtincta à paternitate,& filiatione.

185 *Nec D. Tho. fauet.*

Nec D. Thomas fauet prædictæ ſolutioni,ſolum enim negat relationem oppoſitionis eſſe relationem realem mediam inter paternitatem, & filiationem , non autem negat quod ſit relatio rationis. Nam id ſufficiebat intento Angelici Præceptoris, quod erat vitare proceſſum in infinitum in reſultantia relationum, qui ſufficienter vitatur,negato eſſe relationem mediam realem , quamuis concedatur eſſe relationem rationis;cum enim relatio rationis, nõ neceſſario ad fundamentum requatur,nec ex illa neceſſario noua relatio conſurgat,ex eo quod adſtruatur media inter paternitatem,& filiationem,non ſequitur proceſſus in infinitum.

186 *Nec ratio conuincit.*

Nec ratio in fauorem dictæ ſolutionis facta conuincit: aliud enim eſt paternitatem relatiuê opponi filiationi,& ab illa realiter diſtingui, aliud autem illam reſpicere relatione oppoſitionis,& diſtinctionis,ſicut aliud eſt albedinem contrariê opponi nigredini,& aliud illam reſpicere relatione contrariæ oppoſitionis. Primum conuenit paternitati ratione ſui: ſecus autem ſecundum,ob rationes aſsignatas.

187 *Melius reſp.2.*

Quare melius reſponderi poteſt ſecundo , quod ſicut relationes reales æqualitatis, ſimilitudinis , & identitatis petunt ſupra vnitatem perfectionis fundari,prima ſupra vnitatem quantitatis cum negatione exceſſus : ſecunda ſupra vnitatẽ qualitatis:& tertia ſupra vnitatem ſubſtantiæ: ita relationes inæqualitatis, diſsimilitudinis,& diſtinctionis,non ſupra quamlibet multitudinem , ſed ſolum ſupra multitudinem perfectionum fundari petunt,& poſſunt. Tũ, quia contrariorum eadem eſt ratio: tum etiam: nam quod perfectionem non dicit,ſicut caret actualitate: ita actualitatis eſt expers,quã tamen habere deberet vt realem relationem fundaret; ac proinde eo ipſo,quod à relationibꝰ diuinis excludãtur mag-

nitudo,& perfectio,ſicut conſequẽter excluduntur relationes reales ſimilitudinis, & æqualitatis ſuper illas fundatæ:ita & relatio realis diſſimilitudinis,inæqualitatis,aut diſtinctionis cenſetur excluſa.

188 *Si opponas 1.* Si opponas primo : quia duæ entitates abſolutæ, verè , & realiter diſtinguuntur,fundant veram , realemque diſtinctionis relationem;ſed paternitas,& filiatio,eſtô perfectionem non dicant,diſtinguuntur verè, & realiter: ergo fundant relationem realem diſtinctionis.

Secũdo. Secundo: eſtô relationes perfectionem non dicãt,& conſequenter, nec actualitatem , gaudent tamen actiuitate radicatiua proprietatum, vel reali radicatione,vel virtuali radicatione: ergo pariter gaudere poterunt actiuitate fundamentali,vt reſultet ex illis realis, & vera relatio, quamuis nec perfectionẽ, nec actualitatem importent.

Tertio. Tertio : nam licet actiuitas reſpectu entitatis dicentis perfectionẽ, ſupra perfectionem , & actualitatem fundari petat,actiuitas autem in ordine ad entitatem perfectionem non dicentem,nõ eſt cur ſupra perfectionem,& actualitatem fundetur ; ſed ſi paternitas perfectionem relatiuam non dicit,relatio diſtinctionis perfectionem , & actualitatem propriam non exprimet : ergo actiuitas reſpectu illius, poterit paternitati competere, eſtô perfectionem,& actualitatem non dicat.

189 *Reſp. ad 1.* Reſpondeo ad primam replicam,diſtinguendo maiorem:ex præciſo capite diſtinctionis, nego maioremex conceptu talis diſtinctionis,nempê inter entitates abſolutas, concedo maiorem,& conceſſa minori,nego conſequentiam,ratio diſparitatis iam eſt aſsignata.

Ad 2. Ad ſecundam, conceſſo antecedenti,nego conſequentiam , & ratio diſcriminis eſt : nam radicatio proprietatum fundatur in connexione eſſentiæ cum illis,quæ communis eſt omni eſſentiæ, ſiuê actualitatem , & perfectionem exprimat,ſiue illam nõ dicat: actiuitas autem fundatiua relationis,non fundatur in connexione prædicatorum , aliàs relatio eſſet propria paſsio ſubiecti, vel fundamenti ; & conſequenter poſſet demonſtrari de illo demonſtratione ſcientifica : vnde non eſt cur omni entitati debeat eſſe communis;quod ſi alicui deneganda eſt,maxime entitati relatiuæ. Tum,quia minima eſt inter omnes entitates. Tum etiam, quia in Deo perfectionem non importat,nec exprimit propriã actualitatem.

Ad 3. Ad tertiam,nego maiorem:nam licet entitas cauſata perfectionem non dicat, hoc quod eſt illam effectiuê cauſare , perfectionis eſt; ac proinde perfectionem , & actualitatem in efficiente ſupponit Non enim alia ratione materia prima expers eſt omnis actiuitatis, niſi quia omni caret actualitate,& pura potẽtia eſt.Ex quo non ſolum redditur impotens cauſandi entitatem actualem , ſed etiam entitatẽ expertem omnis actualitatis.

190 *Inſtabis* Sed dices : paternitas diuina v. c. non ſolum ſub conceptu expreſſo referendi,perfectionem ad eſſentiam non addit, ſed nec etiam ſub conceptu originis vllam explicat perfectionem,& tamen ſub conceptu originis fundat ſe ipſam ſub conceptu expreſſo referentis : ergo ratio fundamenti relationis,in fundante,perfectionem non prærequirit ; ac proinde ex eo quod relatio diuina perfectionem relatiuam non dicat,perperam à nobis colligitur non poſſe vlteriorem relationem fundare.

191 *Reſp.* Reſpondeo , conceſſa maiori, diſtinguendo minorem : fundat ſub conceptu originis formaliter, nego minorem: completiuê tantum,concedo minorem , & nego conſequentiam , vt enim *diſp.* 71. docuimus, origo actiua non eſt in recto relatio, ſed in abſoluta perfectione in recto conſiſtit , ingrediente relatione de connotato,& in obliquo : vnde ex eo quod origo actiua fundet paternitatem ſub conceptu referentis, nõ

sequitur paternitatem sub alio conceptu proprio, & relatiuo esse sui ipsius fundamentum sub conceptu explicito referentis, sed solum quod sit aliquid de connotato ingrediens in fundamento, vel per modum conditionis intrinsecæ, ad quod perfectio, & actualitas necessariæ nõ sunt. Hac via, vt supra dicebam, facilè defenditur nostræ conclusionis veritas; quia tamen sententia est probabilis, adhuc inter nostros Thomistas, quod diuinæ relationes perfectionem relatiuã importãt, siue plures, siue vnã, de quo nõ est conuenientia inter eius Authores, ideô abstrahendo ab hac sententia suadetur conclusio.

192 *Secũdo suadetur conclusio.*

Secundo: nam supposito, quod relationes diuinæ relationes relatiuas relatiuê oppositas, & realiter distinctas importent, ideô æqualis perfectionis sunt, quia includunt diuinam essentiam, cum qua non potest inæqualitas perfectionis subsistere: ergo fundamentum æqualitatis diuinarum personarum est diuina essentia inclusa; sed hæc est vna numero in illis: ergo æqualitas fundata relatio realis non est, vt enim ex dictis constat cum vnitate numerica fundamẽti, non stat realitas relationis æqualitatis.

193 *Tertio prob.*

Tertio probatur: nam ex oppositio fieret dari in Deo relationes aliquas reales supra quatuor relationes originis: consequens aduersatur saniori sententiæ, quam præter Scoti discipulos, omnes Theologi tuentur: ergo relatio realis æqualitatis competens diuinis personis ratione proprietatum personalium admittenda non est. Sequela probatur: nam æqualitas fundata supra paternitatem, à paternitate distinguitur virtualiter, & similiter æqualitas fundata supra filiationem, virtualiter ab illa distinguitur, vt fatentur Authores huius sententiæ; sed quia relatio spiratoris actiuæ est virtualiter distincta à paternitate, & filiatione, & realiter ab spiratione passiua, auget numerum relationum realium originis: ergo si æqualitas cõpetens diuinis personis ratione proprietatum personalium adstruitur realis relatio, auget numerum relationum realium supra quatuor relationes originis; & consequenter supra illas dantur relationes reales in Deo.

194 *Resp.*

Respondebis negando sequelã, & ad probationem, negando causalem minoris vt adæquatam, ratio enim, cur relatio spiratoris constituit numerum quaternarium relationum in Deo, non est solum quia virtualiter à paternitate, & filiatione distinguitur, sed insuper, quia habet terminum realiter distinctum ab illis, quos paternitas, & filiatio respiciunt: nam paternitas terminatur ad filiationem, hæc ad paternitatẽ, & spiratio actiua ad passiuam spirationem, quæ realiter à paternitate, & filiatione distinguitur. Et ideô ex paternitate, filiatione, spiratione passiua, & actiua, quatuor relationes reales consurgũt: æqualitas autem, qua pater respicit Filium, etsi virtualiter à paternitate constituatur distincta, terminum realiter distinctum non habet, & ideô ex illa, & paternitate non consurgit numerus duarum relationum realium, idemque de æqualitate supra alias proprietates personales fundata est dicendum.

195 *Contra primo.*

Sed contra primo: nam quidquid sit quæstionis de nomine, an dicendæ plures relationes reales absolutê? negari tamen non potest esse plures relationes reales virtualiter, supposito quod æqualitas, realis adstruatur relatio, sed hoc est, quod Theologi negant, nempê dari plures relationes prædicamentales virtualiter distinctas supra quatuor relationes originis: ergo prædicta euasione non vitatur inconueniens de re, quidquid sit quoad quæstionem de nomine.

Contra 2.

Secundo: nam Pater vnica relatione numero paternitatis respicit Filium, & Spiritum Sanctum, quatenus sibi æquales, paternitate autẽ solum respicit Filium; sed conflatum

ex

ex Spiritu Sancto, & Filio realitêr à Filio distinguitur : ergo terminus relationis æqualitatis realiter distinguitur à termino, quem paternitas respicit, & consequentêr, nec vitatur inconueniens quoad quæstionem de nomine. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur : nam ad respiciendos duos, vel plures terminos eiusdem rationis in terminando, in vno subiecto vna sufficit relatio, quo circa subiectum album omnia alba sibi similia vna respicit relatione similitudinis, & Pater plures Filios vna respicit filiatione, vt cum Aristotele, & D. Thoma tenet frequentior sententia in logica *cap. de relatione*; sed Filius, & Spiritus sunt termini eiusdem rationis in terminando relationem æqualitatis : ergo vna relatio sufficit, vt Pater respiciat Filium, & Spiritum Sanctum, quatenus sibi æquales.

196 *Quarto prob. cõclusio.*

Quarto probatur conclusio : nã ex oppositio fieret dari in personis diuinis formalitates solo numero distinctas; consequens est falsum : ergo & contraria sententia. Minorem pluribus ostendimus supra. Sequela vero probatur : nam æqualitas Patris ad Filium nõ distinguitur plusquam numero ab æqualitate, qua Filius respicit Patrem, sicut æqualitas, qua vna quantitas creata aliam quãtitatem respicit, à relatione æqualitatis in alio extremo existente, solo numero distinguitur : ergo si æqualitas personarum ratione proprietatum personalium est realis relatio, dantur in diuinis personis plures formalitates reales solo numero distinctæ, cuius contrarium pluribus ostẽdimus *supra* §. 4. loquendo de æqualitate conueniente personis diuinis ratione magnitudinis essentiæ.

§. IX.

Ratione D. Thomæ probatur nostra conclusio.

197 *Deniq; suadetur.*

DEnique probatur conclusio: vna enim relatio non potest aliam realem relationem fundare; sed proprietates personales sũr formaliter relationes : ergo super illas non potest fundari relatio realis æqualitatis, similitudinis, vel distinctionis. Consequentia tenet. Minor supponitur ex communi Theologorum sententia, asserentium, personas diuinas non modis absolutis, sed relatiuis constitui in ratione personæ, & personaliter distingui. Maior autem est expressa D. Thomæ *in 1. distinct. 31. q. 1. art. 1. in corpore*. Ad Anibaldum *in eadem distinct. quæst. vnica art. 4. in corpore, & solutione ad 1. quæst. 3. de potentia art. 3. ad 2. quæst. 7. artic. 9. ad 2. In hac 1. p. q. 42. art. 1. ad 4.* ibi: *Nec vna relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem.*

198 *Maior prob. ratione ab inconuenienti.*

Et probatur ratione, qua vsus est D. Thomas ab inconuenienti sumpta: si nãque relatio posset aliam relationem à se distinctam fundare, v. c. paternitas relationem similitudinis, sequeretur resultare actu infinitas relationes; consequens est impossibile: ergo etiam impossibile est quod relatio supra relationem fundetur, & quod vna relatio per aliam distinctam à se referatur. Consequẽtia tenet. Minor est certa. Tũ, quia infinitum in actu implicatorium videtur, iuxta ferê omnium Philoso-

pho-

phorum ſententiã. Tũ etiam, quia inter ſubordinata per ſe nõ poteſt dari proceſſus in infinitum. Ex quo inferunt Philoſophi inter cauſas efficiẽtes non poſſe dari proceſſum in infinitum, ſed tandem ſiſtendum eſſe in cauſa aliqua incauſata, & in aliquo mouente, quod ab alio non moueatur; relatio autem per ſe à fundamẽto dependet: ergo non poteſt dari in relationibus, quarum vna in alia fundetur proceſſus in infinitum. Sequela autem probatur: nam paternitas ſi fundat relationẽ realẽ ſimilitudinis cum alia paternitate, ſimilitudo fundata, fundabit aliam relationem, & hæc rurſus aliam relationem fundabit; ac proinde ſimul reſultabunt, & in rerum natura exiſtent actu relationes infinitæ.

199 *Reſp. 1.* Reſpondebis primo, hoc inconueniens non ſequi: nam paternitas indiget relatione ſimilitudinis, & per illam refertur, quia ſimilitudo eſt relatio diuerſæ rationis, & denominationis à relatione paternitatis, & referri vt ſimile eſt diuerſus effectꝰ ab hoc, quod eſt Patrem ad Filium vt ad genitum referri; ac proinde non poteſt à paternitate præſtari, cæterũ ſimilitudo fundata, ſicut eſt ratio ſubiecto, vt referatur vt ſimile: ita ipſa per ſe ipſam, abſque vllo ſuperaddito ad aliam relationem, vt illi ſimilis refertur; ac proinde noua relatione, vt referatur, non indiget, vnde vitatur proceſſus in infinitum.

200 *Reſp. 2.* Vel ſecundo reſpondebis, in minimis entitatibus, quales ſunt relationes relatiuæ, inconueniens nullum eſſe, quod actu infinitę in rerum natura exiſtant; imó neceſſario eſſe admittendum: nam partes proportionales, ex quibus continuum componitur, actu ſunt infinitæ; ſed quælibet illarum refertur relatione partis ad totum, non minus, quam partes aliquotæ: ergo actu exiſtũt infinitæ relationes.

201 *Deniq; reſp.* Vel denique reſpondebis, eſtô hoc in relationibus creatis inconueniens reputetur, in Deo non debere pro inconuenienti cenſeri: nam relatio fundata, à relatione fundante, non eſt realiter diſtincta, ſed virtualiter ſolum, quod autem dentur in Deo formalitates actu infinitæ virtualiter ſolum diſtinctæ, non eſt cur pro inconuenienti habeatur; ac proinde ex hoc principio, quamuis ſufficienter probetur, non poſſe vnam relationem creatam, relationem realem à ſe diſtinctam fundare, id non probatur in diuinis relationibus.

Sed nulla ex his ſolutionibus vis argumenti eneruatur, & prima reijcitur primo: nam relatio ſimilitudinis referri poteſt relatione effectus ad cauſam; ſed relatio effectus non eſt eiuſdem rationis: ergo relatione à ſe diſtincta indigeret: rurſus hæc relatio eſt ſimilis alteri relationi effectus ad cauſam; & conſequenter poſſet referri ad illam relatione ſimilitudinis; & hac poſſet relatione effectus referri: ergo non vitatur proceſſus in infinitum.

202 *Contra ſolut. ſacit primo.*

Secundo: nam relatio ſimilitudinis eſſet diſſimilis relationi diſſimilitudinis; & conſequẽter ad illam vt diſſimilis referretur; ſed non per ſe ipſam, cum terminus ſit diuerſus, effectus formalis diſtinctus, & denominatio, non eiuſdem, ſed diuerſæ rationis ab illa, quam ipſa præbet ſubiecto, cui inhæret: ergo referretur relatione diſtincta, de qua idem argumentum reſtat ſoluendum: ac proinde non vitatur proceſſus in infinitum,

203 *Secũdo.*

Deinde ſecunda ſolutio reijcitur: omnia enim argumenta, quæ probant repugnãtiam infinitæ multitudinis actu in ſubſtantijs, qualitatibus, & alijs generibus, pari efficacia militant in genere relationis: ergo vel dicendum eſt non implicare in alijs generibus multitudinem actu infinitam, vel repugnare in hoc genere. Nec inſtantia in oppoſitum vrget: non enim quælibet pars proportionalis relatione diſtincta refertur ad totum, ſed vna relatio in parte aliquota recepta, compoſita ex pluribus relationibus partialibus: ſufficit vt partes proportionales re-

204 *Secũda ſolutio impugnatur.*

ferau-

ferantur ad totum. Ex quo non sequitur multitudo relationum actu infinita, sed tantum numerus infinitus partiũ proportionalium relationis, qui sicut conceditur in partibus cõtinui, potest etiam absque inconuenienti admitti in partibus relationis.

205 *Tertia reijcitur* 1.

Denique tertia solutio reijcitur primo: quod enim conuenit relationi diuinæ, conuenit etiam relationi creatæ, nisi talis sit conditionis vt ex suo conceptu exigat infinitatem; sed fundare relationem non est cur talis sit conditionis: ergo si conuenit relationi diuinæ, conuenit etiam creatæ, & ab opposito consequentis arguendo, si relationi creatæ non competit relationem fundare, denegandum est relationi diuinæ; ac proinde si ab inconuenienti multitudinis actu infinitæ probatur relationẽ creatam, non posse relationem fundare, per mediatam consequentiam infertur id ipsum de diuinis relationibus; maximè cum si rationem à priori attendamus, fortius vrgeat in diuinis, quæ pro eo quod superaddũt essentiæ non important perfectionem, quam in relatione creata, quæ vt plures docent, perfectionem dicit relatiuam, cum enim hoc, quod est fundare relationem sit agere, & in conceptu agendi perfectio importetur, ac proinde formalem perfectionem non dicenti nequeat competere.

206 *Secũdo.*

Deinde: nam si in entitatibus repugnat multitudo actu infinita, nõ est cur non repugnet in formalitatibus, etiam si solum virtualiter distinguantur, etsi inter entitates entitatiuê distinctas, & per se realiter subordinatas, processus in infinitum impossibilis, & implicatorius videtur, non est cur non implicet inter formalitates per se virtualiter subordinatas: ergo si ab inconuenienti multitudinis actu infinitæ, & ex implicatione processus in infinitum, sufficiẽter probatur non posse relationem creatam, realiter relationem fundare, asserendum etiam est, non posse relationem diuinam fundare aliam virtualiter.

207 *Prima ratio probatiua à priori reijcitur.*

In reddenda autem ratione à priori, cur relationi repugnet aliam relationem fundare, maxima est difficultas. Aliqui probant eo, quod totum esse relationis est ad aliud se habere, id est respicere terminum; sed si præter hoc haberet relationem fundare, totum esse illius non esset respicere terminum: ergo repugnat illi fundare aliam rationem. Sed cõtra: nam ex hoc sequeretur, nõ posse relationem ab intellectu cognosci, cum terminare cognitionem distinctum sit ab hoc, quod est respicere terminum. Sequeretur etiam non posse subiectum respicere respectu transcendẽtali, nec terminare actionem causæ efficientis, & nec posse relationem diuinam, naturam reddere subsistentem, quæ omnia falsa sunt. Et ratio est: nam communis illa doctrina sic intelligitur, quod nempè respectu termini nullum aliud munus exercet, nisi respiciendi illum, cum quo rectè stat, quod alia munera valeat in ordine ad alia exercere.

208 *Aliorũ ratio impugnatur.*

Alij probant, quia relatio ex sua natura ad correlatiuum ordinatur: ergo non potest per vlteriorem relationem ad alium terminum ordinari, aliàs ordo à natura relationi præfixus inuerteretur. Sed contra: nam actio ita essentialitêr ordinatur ad terminum productum, sicut relatio ad relationem oppositam; & tamen actio vt cum alia actione conueniens fundat prædicamẽtalem relationem, per quam ad illam refertur, & ratione dependentiæ fundat relationem prædicamentalem effectus ad causam, quin ex hoc ordo naturæ inuertatur: ergo quamuis relatio per se oppositam relationem respiciat, & ad hoc à natura ordinetur, poterit absque inversione ordinis constituti à natura, fundare vlteriorem relationem, per quam alium terminum respiciet, vel relatione identitatis in vnitate fundata, vel relatione effectus fundata in dependentia, quam habet à sua causa.

209 *Tertio prob. ab aliis*

Tertio aliĩ probant, quia relatio minimæ entitatis eſt; & conſequenter incapax actiuitatis, fundare autem relationem eſt aliquomodo agere: ergo non poteſt relatio aliã relationem fundare. Si dicas: motus inferioris entitatis eſt, quam relatio, cum motus non pertineat ad prædicamentum, ſed inter poſt prædicamenta numeretur; relatio autẽ proprium prædicamentum in linea accidentis à cæteris diſtinctum conſtituat; & tamen poteſt motus relationem fundare, & ad alium motum eiuſdem ſpeciei, vel generis relatione ſimilitudinis referri, ad motus diuerſæ ſpeciei, relatione diuerſitatis, aut diſſimilitudinis, & ad cauſam, relatione effectus: ergo relationi, quia minimæ entitatis eſt, non repugnat relationem realem fundare.

Sic cõtra iſtam rationem opponas

210 *Reſp. poteſt 1.*

Reſponderi poteſt primo, conceſſa maiori, negando minorem: non enim poteſt vrgenti aliquo argumẽto conuinci ſupra motum relationẽ fundari, imo oppoſitum efficaciter videtur ſuaderi, eo quod cauſa æquiuoca in perfectione excedit effectũ; ſed fundamentum eſt cauſa æquiuoca relationis: ergo illam in perfectione excedere debet: motus autem ob rationem in argumento aſsignatam à relatione exceditur in entitate, & perfectione: non ergo poteſt ſupra motũ relatio realis fundari: vnde vnitas vnius motus cum alio, & diuerſitas vnius motus ab alio, fundare poterunt relationes rationis identitaris, vel diuerſitatis, non autem relationes reales. Et idem dicẽdũ eſt de dependentia motus à cauſa efficienti, vel finali, quod nempé ſupra illam fundatur relatio rationis, non autem relatio realis.

211 *Prima ratio diſcriminis aſsignatur.*

Secundo reſponderi poteſt, conceſſa maiori, & permiſſa minori, negando conſequentiam ob duplicem rationem diſcriminis. Prima, quia motus, eſtô minimê entitatis ſit, pertinet ad lineam actiuam, tanquam medius inter actionem, & paſsionẽ. Vnde non eſt cur, quamuis minoris ſit entitatis, quam relatio, omni actiuitate priuetur; relatio autem minimæ entitatis eſt, & aliàs ad lineam actiuam non pertinet, & ideô omnis actiuitas illi negatur.

Secũda.

Secundo: nam relatio nõ ſolum quoad entitatem, & eſſentiam relatiuam, ſed etiam quoad ſui exiſtentiam, quæ non relatiua, ſed abſoluta eſt, à fundamento efficitur, & cauſatur; quod autem abſolutum eſt, non poteſt à relatiuo efficienter cauſari, bene tamen ab alio abſoluto, & ideô minima ratio entitatis relationis arguit in illa impotentiam aliam relationem fundãdi: ſecus autẽ in motu, cuius entitas eſtô minor ſit entitate relationis, abſoluta tamen eſt.

212 *Hæc ratio diſcriminis aſsignatur.*

Cæterum hæc ratio diſcriminis exinde eneruari videtur: ſi namque exiſtentia relationis non poſſet ſupra relationem fundari, ideo eſt, quia fundatum non poteſt fundamentum excedere, abſolutum autem ſuperat relatiuum; ſed hoc non poteſt ſubſiſtere, conceſſo poſſe fundari relationem ſupra motum: nam relatio motum excedit, & tamen ſuper illũ fundatur: ergo hoc cõceſſo ratio aſsignata diſcriminis nequit ſubſiſtere. Præterea: nã exiſtentia, vtpotê modus eſſentiæ, quamuis poſsit illam in aliquo excedere, non tamẽ poteſt excedere illam exceſſu tali ſimpliciter: ergo exiſtentia relationis non excedit ſimpliciter relationis eſſentiam, ſedê contra ab illa exceditur; ſed fundamentum ſolum exigere poteſt excedere exceſſu ſimpliciter relationem fundatam: ergo exceſſus exiſtentiæ relationis non vrgebit, quod nô poſsit ab alia relatione cauſari fundamentaliter. Quare ſuſtinendo hãc rationem, ſtandũ arbitror primæ ſolutioni, qua huic obiectioni occurrimus.

213 *Vrgetur prædicta ratio*

Et ratio facta poteſt in hũc modum vrgeri: non enim implicat aliqua entitas incapax relationẽ fundare, vel implicatio aſsignetur, quod difficile erit, ſed hoc ſemel conceſſo id attribuendum eſt relationi, aliàs dabitur proceſſus in infinitum: ergo aſſerendum eſt relationem talis con-

di-

ditionis esse, vt non possit supra se fundare aliam relationem.

§. X.

Obiectionibus occurritur.

214 *Contra cõclusionẽ arg.*

CONtra conclusionem arguitur: relatio æqualitatis, qua paternitas ad filiationẽ refertur fundata in perfectione relatiua, habet quidquid requiritur vt sit realis: ergo datur inter diuinas personas relatio realis æqualitatis ratione perfectionis, aut magnitudinis relatiuæ. Consequentia tenet, & antecedens probatur: nam extrema sunt realia, realiter distincta, & realiter existentia; fundamentum etiam est reale, & realiter distinctum à fundamento relationis, qua Filius ad Patrẽ refertur: nam perfectio relatiua Filij realiter distinguitur à perfectione relatiua Patris; sed nihil aliud requiritur vt aliqua relatio sit realis, vt cõstat ex dictis: ergo prædicta relatio habet omne requisitum vt realis relatio sit.

215 *Resp. 1.*

Huic argumento occurri potest tripliciter consequenter ad dicta inter probandam nostram sententiam. Primo negando suppositum; cũ enim in veriori sententia relationes diuinæ ratione illius, quod addunt ad essentiam non importent, vel explicent perfectionem, sed solum implicitè perfectionem essentiæ; fit consequens, vt solum ratione essentiæ possint æqualitatem fundare. Quæ obstant contra hanc solutionem, diluimus primam rationem pro conclusione explicantes. Secundo respõderi potest, admisso perfectionem relatiuam ad essentiam superaddere, non fundare ratione illius, quod addunt relationem æqualitatis, sed solum ratione essentiæ inclusæ, quia solum ex hac inclusione constituuntur quales, iuxta dicta in secunda probatione conclusionis.

Secũdo.

216 *Tertiò.*

Tertio abstrahendo ab his sententijs, ad argumentum respondeo negando antecedens. Ad probationem, concessa maiori, nego minorẽ: nã præter illa vt relatio sit realis, requiritur fundamenta esse absoluta, eo quod relatio ex proprio conceptu est incapax faciendi aliam relationem, & vt referatur per illam, vt constat ex dictis. Vnde quamuis perfectio personalis Patris realiter distincta sit à perfectionibus personalibus Filij, & Spiritus Sancti; quia tamen relatiua est, non potest relationem realem fundare, nec per relationem realem à se distinctam referri. Quæ solutio est D. Thomæ 1. *ad Anibaldum distinct.* 31. *q. vnica art.* 4. *ad* 1. illis verbis: *Ad primum dicendum, quod creaturæ ab inuicem distinguuntur per aliquid absolutum, nec cõueniunt res causatæ, vel similes in vna magnitudine, vel forma numero, sed specie, sicut est in Deo, & ideò non est simile.* Quibus verbis ex duplici principio excludit à diuinis personis relationem realem æqualitatis, vel similitudinis. Primum est identitas eiusdem numero magnitudinis. Secundum, quia non distinguntur per aliquid absolutum, sed proprietatibus relatiuis: & secundum caput militat, estò relationes diuinæ perfectiones relatiuas ad essentiam superaddant; ac proinde, adhuc concessa hac sentẽtia, admittenda non est inter diuinas personas relatio realis æqualitatis, vel similitudinis supra proprietates personales fundata.

217 *Sed obijcies primo.*

Sed contra hanc solutionem replicabit aliquis primo: estò relatio creata non possit esse terminus pri-

marius actionis productiuæ, relatio tamen diuina, quia ſubſtãtialis eſt, & ſubſiſtẽs, per ſe primo illã terminat: nam termini producti proceſsionibus diuinis, non ſunt abſoluti, ſed relatiui: ergo quamuis relatio creata non poſsit aliam relationem fundare, id tamen poteſt relationibus diuinis competere.

218 *Secũdo.* Secundo: nam licet rationibus creatis repugnet, quod ſint agendi principia, non repugnat relationibus diuinis: nam principium *quod* generationis diuinæ eſt Pater vt cõſtitutus proprietate relatiua: ergo quamuis fundare aliam relationem, quod eſt aliquomodo agere, non poſsit relationibus creatis competere, conuenire poterit diuinis.

219 *Tertio.* Denique: nam Pater, & Filius in ratione perſonæ conſtituuntur proprietatibus relatiuis; & tamen vt ſic conſtituti referuntur ad Spiritum Sanctum relatione ſpiratoris virtualitèr diſtincta à paternitate, & filiatione: ergo relatio diuina capax eſt vt referatur per relationem realem à ſe virtualiter diſtinctam.

220 *Reſp. ad primam inſtãtiã* Reſpondeo ad primam replicã, filiationem v.c. quæ eſt generationis terminus, ſumptam in abſtracto, non terminare generationem diuinam vt *quo* per modum rationis formalis terminandi, ſed tantum vt complementum termini *quo*: non enim paternitas eſt terminus *quo* diuinæ generationis, ſed diuina eſſentia vt in Filio, filiatione de connotato, & in obliquo ingrediente, in concreto autem prout idem eſt, quod perſona Filij, terminat generationem vt *quod*, ad quam terminationem natura eſt ratio formalis, perſonalitas conditio; ſicut enim ad agendum ſubſiſtentia eſt conditio, & eſſentia eſt principium *quo* per modum rationis formalis: ita in ordine ad terminandam actionem productiuam, ſubſiſtentia, aut perſonalitas, vt conditio comparatur, eſſentia vt terminus *quo* per modum rationis formalis.

221 Ex quo tantum ſequitur, relationem diuinam, quatenus ſubſiſtentem, & concretiuè ſumptam, quod idem eſt ac perſona, poſſe vt *quod* vlteriori relatione referri, & in abſtracto ſumptam poſſe ad fundandam relationem ingredi completiuê. Quorum primum ex dicendis ad tertiam obiectionem conſtabit, & ſecundum ſupra conceſsimus: nam generatio actiua ſupra quam paternitas ſub conceptu referentis fundatur, in recto aliquid abſolutum importat, & de connotato relationem, non ſub expreſſo conceptu referentis, ſed ſub alio, nempê originis, vt §. 4. explicuimus.

Relatio diuina cõcretiuè sũptapoteſt per aliã relationem referri.

Et ex his ad ſecundam replicam conſtat ſolutio: paternitas enim ſub conceptu expreſſo referentis, non eſt principium generationis diuinæ, ſed eam ſupponit, & ſuper illam fundatur: ſub conceptu autem hypoſtaſis ſubſiſtentis, non vt principiũ *quo*, ſed vt connotatũ ab illo, & conditio generantis vt *quod*.

Ex his conſtat ad 2.

Ad tertiam conceſsis maiori, & minori diſtinguo conſequens: relatio ſumpta in abſtracto, nego conſequentiam: ſumpta in concreto, prout idem eſt, quod perſona, concedo conſequẽtiam. Sicut enim perſona Patris, quamuis relatione conſtituta in ratione perſonæ, eſt principium *quod* generationis, & refertur vt *quod* per paternitatem vt referentem: ita Pater, & Filius ſuis relationibus conſtituti ſunt principium *quod* proceſsionis Spiritus Sancti, & referuntur vt *quod* relatione ſpiratoris; hæc tamen relatio non fundatur in paternitate, & filiatione, ſed in proceſsione vtrique communi. Ex quo tantum ſequitur, relationem diuinam concretiuê ſumptam, qua ratione idem eſt, quod perſona eſſe capacem vt referatur vt *quod*, relatione, non in ipſa, ſed in proceſsione fundata, quod libenter fatemur, non autem quod poſsit eſſe fundamentum vlterioris relationis, per quam ipſa vt *quod* referatur ſumpta in abſtracto.

222 *Ad 3.*

Sed

223 *Instabis*

Sed instabis: ergo poterit diuina relatio, v. c. paternitas, sumpta in concreto, vt subsistens personaliter, referri vt *quod* relatione reali æqualitatis, fundata in perfectione relatiua; & consequenter dabitur inter diuinas personas relatio realis æqualitatis ratione perfectionis, & magnitudinis relatiuæ. Probatur consequentia; licet paternitas sub conceptu referentis, & in abstracto sumpta non possit referri vt *quod* relatione reali originis, potest vt *quod* tali relatione referri sumpta in concreto vt subsistens personaliter: ergo quamuis sub conceptu referentis, & in abstracto nequeat referri vt *quod* relatione reali æqualitatis, poterit tamen hac relatione referri sumpta in concreto vt subsistens personaliter.

224 *Resp.*

Respondeo negando consequentiam: nam licet verum sit, quod Pater v. g. vt subsistens referatur relatione rationis æqualitatis. Tum ratione magnitudinis essentiæ. Tum etiam ratione perfectionis, & magnitudinis relatiuæ; nulla tamen ex his relationibus potest esse realis ob rationem sæpè traditam; quia nempè relatione primi generis primum relatum est fundamentum. Vnde vt Pater referatur relatione æqualitatis fundata in magnitudine essentiæ, debet primo vt *quod* diuina essentia referri, & vt referatur relatione æqualitatis fundata in perfectione relatiua, debet primo vt *quod* relatio fundans referri. Quorum vtrunque repugnat, primum ratione identitatis essentiæ, secundum, quia relatio incapax est vt referatur relatione reali à se virtualiter distincta. Et ex his constat disparitas inter relationem æqualitatis, & relationem spiratoris: nam vt Pater, & Filius referantur hac relatione, necessariò non est, quod essentia vt *quod* referatur, nec quod relationes paternitatis, & filiationis referantur vt *quod*, relationes namque super actionem fundatæ non referunt fundamenta, sed solum subiecta.

Sed vrgebis adhuc: licet paternitas, sub conceptu expresso referentis, non possit vt *quod* referri relatione reali virtualiter ab illa distincta, potest tamen sic referri sub conceptu formæ hypostaticæ: ergo sub hoc conceptu fundare poterit relationem realem æqualitatis, qua Pater referatur ad Filium. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens autē probatur: licet relarioni creatæ non solum sumptæ in abstracto, sed etiam sumptæ in concreto, repugnet vt *quod* referri relatione reali distincta, relatio diuina sumpta in concreto vt subsistēs, capax est referri vt *quod*, relatione reali virtualiter ab illa distincta: ergo pariter, quamuis relationi creatæ in abstracto sub omni conceptu repugnet vt *quod* referri per relationem realem distinctam, nō repugnabit diuinæ relationi in abstracto sub conceptu formæ hypostaticæ. Patet consequentia: nam primum ideō conceditur, quia relatio diuina eo quod substantia est, habet constituere personam, relatio autem creata, quia accidens est, non potest personam constituere: ergo sicut ob hanc causam datur inter diuinam, & creatam relationem discrimen quoad hoc, quod est in concreto vt *quod* referri relatione reali distincta, ob eandem rationem poterūt discriminari quoad referri vt *quod* in abstracto; & consequenter, qnamuis relatio diuina sub conceptu referentis, non possit referri per aliam relationem vt *quod*, poterit referri sub conceptu formæ hypostaticæ, etiam in abstracto sumpta.

225 *Vrgebis*

226 *Resp.*

Respondeo negando antecedēs; cum enim, quamuis substantialis sit, & subsistens, maneat in linea relatiua formaliter; & relationi, quia relatio est repugnet aliam relationem fundare, & per illam vt *quod* referri ratione sui; fit consequēs, vt relationi diuinæ, etiam repugnet. Ad antecedentis probationem, concesso antecedenti, nego cōsequentiam, ratio autem discriminis est: nam ad hoc,

quod eſt referri vt *quod* in concreto relatio diuina ſubſiſtẽs ſolum vt cõditio cõcurrit præbendo realem diſtinctionem requiſitam neceſſario in extremo vt *quod* referendo, non autem dando ratione ſui capacitatem per modum rationis formalis, quod non poteſt negari relationi diuinæ, eo ipſo, quod ſubſtantialis ſit, & ſubſiſtens: nam hoc ipſo habet cõſtituere perſonam; & conſequenter habet illam ab omni alio diſtinguere ſubſtantialiter. Vt autem referretur vt *quod* in abſtracto ſumpta, deberet rationem ſui capacitatem habere, & ſibi eſſe ratio formalis prædictæ capacitatis, ad quod illi concedendum, etiam vt formæ hypoſtaticæ, nullum fundamentum eſt, cum etiam ſub prædicto conceptu ſit in linea relatiua formaliter; ac proinde incapax fundare, ratione ſui vlteriorem relationem, ne detur proceſſus in infinitum.

§. XI.

Primum corollarium ex dictis.

227 *Perſonæ diuinæ ſunt æquales in dignitate.*

EX dictis in diſcurſu diſputationis colligitur primo, perſonas diuinas eſſe in dignitate æquales. Quod patet: nam dignitas, vel eſt idem cum magnitudine, vel ſuper illam fundatur; ſed perſonæ diuinæ ſunt in magnitudine æquales, cum ſint eiuſdem eſſentiæ; ac proinde eiuſdem magnitudinis, cum quo, exceſſus non compatitur: ergo ſunt æquales in dignitate.

228 *Obijcies*

Oppones, cui deficit aliqua dignitas alteri competens, non poteſt illum adæquare in dignitate, ſed Filio deeſt dignitas aliqua Patri conueniens: ergo non eſt æqualis Patri in dignitate. Maior cum conſequentia tenet, minor autem probatur: Paternitas eſt aliqua dignitas; ſed paternitas conuenit Patri, & non conuenit Filio: ergo aliqua dignitas competens Patri, Filio non conuenit.

229 *Prima ſolutio.*

Huic argumento, qui cenſent relationes diuinas dicere perfectionem relatiuam, non tamen illã multiplicare, ſed eſſe vnam, & eandẽ perfectionem in ratione perfectionis. Reſpondent, Filio nullam perfectionem deeſſe; & conſequenter, nec dignitatem, quamuis illi non conueniat paternitas. Et ad probationem in contrarium diſtinguunt maiorem: paternitas eſt aliqua dignitas diſtincta à dignitate filiationis, negant maiorem: eadem cum dignitate filiationis, concedunt maiorem, & conceſſa minori, negant conſequentiam: nam licet paternitas ſub expreſſo paternitatis conceptu, ſub quo realiter à filiatione diſtinguitur, non conueniat Filio, conuenit tamen illi dignitas paternitatis, ſicut & illius perfectio, quia in ratione dignitatis, & perfectionis, non diſtinguitur realiter à filiatione.

230 *Reijcitur 1.*

Sed in hoc modo dicendi illud mihi difficile ſemper eſt viſum, quod paternitas in propria linea, prout ab eſſentia diſtinguitur, & pro eo quod ſuperaddit ad lineam abſolutam, perfectionem importet relatiuam; & quod perfectio, & dignitas paternitatis non ſit realiter diſtincta à perfectione, & dignitate filiationis. Tum, quia non alia ratione realitas paternitatis eſt diſtincta realiter à realitate filiationis, niſi quia paternitas realitatem relatiuam ſuperaddit eſſentiæ: ergo ſi ſuperaddit ad eſſentiam perfectionem, & dignitatem, perfectio, aut dignitas paternitatis diſtincta realiter erit à perfectione, & dignitate paternitatis.

Tum

231 *Secũdo.* Tum etiam, quia quamuis paternitas in ratione formæ hypostaticæ non explicet respectum ad terminum, quia tamen conceptus ille relatiuus est, realiter multiplicatur in paternitate, & filiatione: ergo si conceptus perfectionis in paternitate relatiuus est, quamuis ordinem ad correlatiuum non explicet, realiter in paternitate, & filiatione distinguitur.

232 *Tertio.* Tertio: vt enim conceptus perfectionis relatiuus sit, necessario requiritur, quod licet respectum ad relatiuum nõ explicet, illum tamẽ implicet, & cum illo conuertibiliter connectatur; sed hac sola ratione cõceptus formæ hypostaticê subsistentis, realiter in filiatione, & paternitate distinguitur: ergo si cõceptus perfectionis relatiuus est, non potest nõ esse realiter distinctus in illis.

233 *Præterea.* Præterea, quia namque attributa ratione propriæ entitatis superaddunt perfectionem ad essentiam, & ratione illius virtualiter inter se distinguuntur, etiam distinguuntur virtualiter in ratione perfectionis; sed paternitas, & filiatio realiter distinguuntur in ratione entitatis: ergo si ratione illius superaddunt perfectionem relatiuam essentiæ, realiter distinguuntur in ratione perfectionis.

234 *Deniq;* Denique: nam D. Thomas *quæst.* 42. *artic.* 4. *ad* 2. vt saluet æqualitatem diuinarum personarum in ratione magnitudinis, ea ducitur ratione, quia dignitas, & magnitudo est absoluta, & pertinet ad essentiam: ergo sentit, quod si dignitas, & magnitudo relatiua sit in personis, non potest rectê defendi æqualitas personarum in ratione dignitatis, & magnitudinis.

235 *Refertur triplex solutio.* Qui vero existimant relationes addere supra essentiam perfectiones relatiuas realiter distinctas in ratione perfectionis, occurrunt argumento facto tripliciter. Primo asserendo, quod licet dignitas paternitatis nõ conueniat Filio formaliter, quia illius, in esse formali, est incapax, conuenit tamen Filio in radice, nempê in essentia omnibus personis communi; ac proinde subsistit æqualitas.

Secundo respondent, quod licet dignitas paternitatis non conueniat Filio in se ipsa, conuenit tamen illi æquiualenter, hoc est, in alia relatione, nempê in filiatione, quæ æqualis perfectionis, & dignitatis est ac paternitas, vt autem inæquales essent, necessarium erat, quod aliqua dignitas vni competeret, quæ nec formaliter, nec æquiualenter alteri conueniret.

Tertio respondent, Filium esse in Patre, & Patrem in Filio per circuminsessionem; ac proinde nulla est dignitas in Patre, quæ in Filio non reperiatur, & è contra.

236 *Contra omnes militat auctoritas D. Tho. & prima reijcitur.* Sed omnes istæ solutiones difficiles sunt, & contra omnes militat authoritas Diui Thomæ nuper adducta, qui, vt argumentum factum dilueret, & personarum æqualitatem in magnitudine, dignitate, & perfectione defenderet, necessarium censuit asserere, dignitatem, & magnitudinem esse aliquid absolutum. Et prima reijcitur: nam licet essentia Patris, quæ est radix paternitatis, reperiatur in Filio, non tamen illi conuenit, prout radix paternitatis formaliter, aliàs illam radicaret in Filio; & consequenter paternitas de Filio prædicaretur: ergo dignitas paternitatis, si est relatiua, non solum non conuenit Filio secundum esse formale, sed nec etiam in radice, formaliter de radice loquendo; ac proinde hac via non rectê æqualitas personarum defenditur.

237 *Contra 2. arguitur.* Contra secundam obstat grauis difficultas: non enim stare potest cum diuersitate essentiali, perfectionis æqualitas, vt enim ferê omnes metaphysici, non tam probant, quam supponunt, non stat specifica diuersitas, absque excessu vnius speciei comparatæ cum alia. Vnde Aristoteles 10. *meta-*

phyſicæ textu 5. ait: *Species eſſe ſicut numeros*, in quibus non poteſt diuerſitas cum æqualitate ſubſiſtere. Et ibidem docet, duas ſpecies ſub eodem genere ſic comparari, vt vna vt priuatio ſe habeat ad aliam, quia illa eſt imperfectior: ergo ſi paternitas, & Filiatio diſtinguuntur eſſentialiter in ratione perfectionis, non poteſt vna alteram adæquare; & conſequenter defectus paternitatis non poteſt per æquiualentiam Filiationis reſarciri, vt Filius ratione illius ſit Patri in perfectione æqualis. Nec ſufficit reſpondere doctrinam Ariſtotelis veram eſſe in ſpeciebus abſolutis, nõ autem in relatiuis, non inquam ſufficit; non enim poteſt ratio aliqua diſcriminis reddi, cur in linea abſoluta non ſtet diuerſitas ſpecifica abſque exceſſu vuius ſpeciei ad aliam, & in linea relatiua cum differentia eſſentiali componatur æqualitas.

238 *Si reſp. ſecũdo.*

Si reſpondeas ſecundo, doctrinam illam communem, veram eſſe inter ſpecies, & formalitates creatas, non autem extendi ad formalitates, & prædicata diuina; cum enim terminus, fundamentumque paternitatis, tam perfecta ſint, ac terminus, & fundamentum Filiationis; fit conſequens, vt licet eſſentialiter differant, non tamen in perfectione ſe excedãt.

In contrarium obſtat 1.

Sed contra primo: non enim poteſt ratio diſcriminis dari, cur in creaturis diuerſitas eſſentialis neceſſario inducat exceſſum, & in formalitatibus diuinis poſsit diuerſitas cum æqualitate ſubſiſtere.

239 *Secũdo.*

Deinde; nam ſequitur non poſſe naturali ratione probari, quod repugnẽt plures Dij habentes naturas eſſentialiter differentes; conſequens eſt falſum, & contra communem ſententiam docentem, Deum vt vnum, naturali ratione cognoſci: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela; ſtat enim iuxta ſolutionis doctrinam in perfectionibus increatis omnimoda æqualitas cum differentia eſſentiali; ſed eo ipſo quod natura aliqua adæquet naturam diuinam, habẽs talem naturam eſt Deus: ergo ſtare poterit, eſſe duos Deos habẽtes duas naturas diuinas eſſentialiter diſtinctas.

240 *Deniq;*

Denique: nam ex ſolutione data ſequitur eſſe etiam poſsibiles ſpecies creatas diſtinctas, & æquales; conſequens eſt falſum: ergo & ſolutio tradita. Probatur ſequela: eſt enim poſsibile in ſententia plurium Auctorum vnam perſonam videri ſine alia; ſed admiſſo perſonalitates diſtingui eſſentialiter, & eſſe æquales, viſio vnius ſpecie diſtingueretur à viſione alterius, & illam in perfectione adæquaret: ergo admiſſa diſtinctione eſſentiali perſonalitatum in ratione perfectionis ſimul cum æqualitate, ſequitur poſsibilitas perfectionum creatarum, quæ ſpecificê diſtinguantur, & tamen æquales ſint.

241 *Sed arguunt ſolutionis Authores.*

Nec refert quod in ſui fauorem Auctores iſtius ſolutionis expendũt, nempe, relationes diuinas eſſentialiter diſtingui in ratione realitatis, & entitatis; & tamen in ratione entitatis, & realitatis ſunt æquales inter ſe: non ergo repugnat eſſentialis diſtinctio aliquorum cum omnimoda æqualitate; ac proinde quamuis dentur perfectiones relatiuæ eſſentialiter diſtinctæ, ſtare poterit perſonalitatum omnimoda æqualitas.

242 *Reſp.*

Non inquam refert: nam æqualitas, & inæqualitas ſupra perfectionẽ fundatur; ac proinde cum diuinæ relationes ratione ſui prout ab eſſentia diſtinctæ, perfectionem relatiuã non dicant, ſed ſolum ratione eſſentiæ; fit conſequens, vt ratione illius quod eſſentiæ ſuperaddunt, nec ſint æquales, nec inæquales, ſed ad ſummum dici poterunt eſſe æquales negatiué, hoc eſt, non inæquales. Si autem ratione ſui perfectiones relatiuas important, ratione ſui debent comparari in ratione æqualis, vel inæqualis, & cum eſſe nequeant æquales, ob rationem aſsignatam, inæquales erunt dicendæ, & ſic Pater, aut erit perfectior Filio, aut imperfectior illo dicendus, quorum vtrumque eſt abſurdum.

243 *Objicies*

Sed dices: admissa essentiali distinctione relationum in ratione realitatis, debet admitti possibilis multitudo specifica creata cum æqualitate specierum; sed hoc admisso poterit etiam admitti distinctio essentialis in perfectionibus relatiuis diuinis cum omnimoda æqualitate: ergo data distinctione essentiali personalitatum diuinarū in ratione realitatis, per mediatas consequentias infertur distinctio illarum essentialis in ratione perfectionis. Maior probatur; potest in sententia probabili vna persona videri sine alia; sed admissa distinctione essentiali personalitatum in ratione realitatis, & entitatis, visio vnius essentialiter à visione alterius distinguitur, & alias adæquantur: ergo admissa distinctione essentiali personalitatum in ratione realitatis, sequitur possibilis multitudo specifica creata cum æqualitate specierum. Maior cum consequentia tenet. Minor pro secunda parte constat: non enim est assignabilis excessus ex parte vnius visionis, magis quam ex parte alterius. Pro prima probatur: vna enim persona vt sine altera vissa est obiectum essentialiter ab alia distinctum in ratione cognoscibilis, cum cognoscibilitas entitatem sequatur: & personalitas vnius ab alia supponatur distincta in ratione realitatis, & entitatis: ergo visio vnius esset ab alia essentialiter distincta: nam distinctio actuum sumitur ex distinctione obiectorum.

244 *Resp.*

Respondeo negando maiorem, Ad probationem permissa maiori, nego minorem pro prima parte. Ad cuius probationem dicatur, quod licet personalitates diuinæ essentialiter distinguantur in ratione realitatis, non distinguantur essentialiter in ratione obiecti cognoscibilis: nam cognoscibilitas non sequitur realitatem, sed actualitatem, licet autem personalitates diuinæ distinguantur in realitate, sunt tamen eiusdem omnimodæ actualitatis; ac proinde non distinguuntur essentialiter in ratione cognoscibilis. Vnde visio vnius personæ à visione alterius non distinguitur essentialiter in ratione cognitionis.

245 *Tertia solutio reijcitur.*

Tandem vltima solutio reijcitur; vt enim explicat Diuus Thomas *quæst.* 42. *art.* 5. cui consentiunt communiter Theologi, existentia vnius personæ per circumincessionem in alia, est ratione eiusdem essentiæ, qualiter Filius est in Patre, non secundum relationem, sed secundū essentiam, & e conuerso: & secundū relationem: quia nempe vnum correlatiuum est in intellectu alterius, quia vnum sine altero cognosci non potest, qualiter Filius est de intellectu Patris, & Pater de intellectu Filij. Et secundum originem, qua ratione Pater est in Filio, vt principiū illius, & Filius in Patre, vt terminus in principio; sed nullo ex his modis saluatur, quod Pater sit perfectus formaliter perfectione Filiationis, nec Filius perfectione paternitatis: ergo ex eo quod vna persona sit per circumincessionem in alia; non vitatur quod vna altera perfectior sit, semel concesso inter ipsas relationes excessu. Consequentia tenet, maior est certa, & minor probatur: in primis, ex eo quod Filius sit in Patre secundum essentiam, solum sequitur quod Pater sit perfectus essentia Filij, non autem ipsa Filiatione. Deinde, ex eo quod vnum correlatiuum sit de intellectu alterius, non sequitur, nisi quod extrinsecè terminatiue comparetur ad ipsum, non vero intrinsecè informatiuè, aut constitutiuè. Ac denique, eo quod Filius sit in Patre, vt terminus in principio, non sequitur Patrem per Filiationem formaliter actuari; ac proinde nec sequitur per illam formaliter perfici: ergo ex modo essendi vnius personæ per circumincessionem in alia; non colligitur, quod Pater sit perfectus formaliter perfectione Filiationis, nec Filius perfectione paternitatis.

246 *Solutio D. Tho. explicatur.*

Quare verior, planiorque huius argumenti ſolutio eſt, quam tradit D. Thomas *q. 42. art. 4. ad 2.* vbi docet, perfectionem, magnitudinem, & dignitatem non dici relatiuè, ſed abſolutè tantum in Deo. Vnde perfectio, magnitudo, & dignitas paternitatis non eſt diſtincta, ſed omnino eadem cum magnitudine, perfectione, & dignitate filiationis; ac proinde, licet Filio non conueniat paternitas, conuenit tamen Filio magnitudo, perfectio, & dignitas paternitatis. Et ê conuerſo, quamuis Patri non conueniat filiatio, conuenit tamen illi magnitudo dignitas, & perfectio filiationis. Ex quo vlterius fit, vt cum diſtinctione, oppoſitioneque relationum, ſubſiſtat omnimoda perſonarum æqualitas in magnitudine, & dignitate. Nec ſequitur: paternitas eſt aliqua dignitas; ſed paternitas conuenit Patri, & non Filio: ergo aliqua dignitas conueniẽs Patri, non conuenit Filio: vt enim docet D. Thomas *loco allegato*, mutatur ad aliquid in quid, id eſt, ex negatione relationis infertur negatio alicuius abſoluti; quia licet paternitas, relatio, & dignitas ſit, non eſt dignitas relatiua, ſed abſoluta. Vnde ſicut iſta conſequentia non valet: *Paternitas eſt eſſentia Patris; ſed paternitas conuenit Patri, & non conuenit Filio: ergo eſſentia conuenit Patri, & non conuenit Filio*, quia eſſentia Patris abſoluta eſt, & paternitas relatio: ita conſequentia facta nõ tenet propter eundem defectum. Plura, quæ huic reſolutioni aduerſantur diluimus ſupra diſputatione 78.

247 *Contra illã obſtat primo.*

Duo tamen contra illam obſtare videntur, primo: nam perſonas eſſe æquales, eſt veritas fidei, quod autem relationes diuinæ perfectionem relatiuam non dicant, ſolum eſt ſententia probabilis; ſed veritas fidei debet in omni ſententia defendi: ergo malê à nobis reſtringitur vni probabili tantum ſententiæ.

Secũdo.

Secundo: nam exigentia identitatis cum natura diuina, formaliter eſt perfectio; ſed diuinæ relationes ratione illius, quod addunt eſſentiæ, exigunt identificari cum illa: ergo ratione ſuperadditi ad eſſentiam perfectionem important: & cõſequenter perfectionem exprimunt relatiuam. Conſequẽtia tenet, minor eſt certa: nam identitatem cũ eſſentia non petunt ratione ipſius eſſentiæ, quæ eſt identitatis extremum: ergo exigunt prædictam identitatem ratione illius, quod addunt ad eſſentiam.

248 *Maior prob. triplici ter.*

Maior autem oſtenditur primo: nam oppoſitio cum imperfectione ſolum poteſt ratione perfectionis cõpetere; ſed ratione exigentiæ identitatis cum eſſentia diuina, opponitur diuina relatio cum imperfectione: nam prædicta exigentia non poteſt enti imperfecto competere: ergo exigentia identitatis cũ eſſentia diuina formaliter eſt perfectio. Secundo probatur: nam ratione iſtius exigẽtiæ repugnat diuinis relationibus cauſam habere, non exiſtere, & in nihilum redigi; ſed non poſſe habere cauſam eſſendi, non poſſe non exiſtere, & in nihilum redigi, perfectiones formaliter ſunt: ergo exigentia idẽtitatis cum eſſentia diuina, formaliter eſt perfectio. Tertio probatur: exigentia identitatis cum natura rationali, cum viſione beatifica, & cum actu charitatis, eſt formaliter perfectio: ergo exigentia identitatis cum diuina natura, eſt etiam perfectio formaliter.

249 *Reſp.*

Reſpondeo ad primam replicam, conceſſa maiori, & minori, diſtinguẽ do conſequens: ſi reſtringatur vni ſententiæ probabili vt medio vnico, & neceſſario ad illius defenſionem, concedo conſequentiam: vt medio aptiori, & magis accommodato ad defenſionem veritatis fidei, nego conſequentiam, & hoc ſecundo modo à nobis noſtra ſententia reſtringitur, non quia ſit ſimpliciter, & omnino neceſſaria vt defendatur æqualitas perſonarum, ſed quia iuxta illam clarius, & facilius defenditur.

250 *Ad 2. replicam.*

Ad secundam, nego maiorem; exigentia namque identitatis cum perfectione, formalitêr perfectio nõ est, sed tantum exactiuê, & connexiuê, sicut exigentia identitatis cum perfectione absoluta, non est absoluta perfectio formalitêr in sententia contraria, & exigentia identitatis cum sanctitate formali, non est sanctitas formalitêr, relationes namque diuinæ ratione sui exigunt identitatem cum natura diuina, quæ est sanctitas formalis, & tamen, ratione sui, sanctitates formales non sunt.

251 *Ad primã probationẽ maioris*

Ad primam maioris probationem, distinguo maiorem: oppositio immediata formalis, concedo maiorem: oppositio mediata, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam diuinæ relationes ratione illius quod addunt essentiæ, non opponuntur cum imperfectione oppositione immediata formali, sed tantum mediata, quia nempê exigunt essentiam vt sibi identificatam, cum qua nulla est composibilis imperfectio, sicut etiã cum peccato non pugnant per oppositionem immediatam, sed tantum mediatam, & ideo formaliter non sanctificant, vt fusê ostendimus *tomo primo in tertiã partem tractatu* 5.

252 *Ad 2.*

Et ex his ad secundam maioris probationem constat solutio, vt enim omnes illæ repugnantiæ relationibus diuinis conueniant, sufficit esse perfectiones identicê, nec requiritur perfectionem explicare, nec importare formaliter; eo enim ipso, quod necessario identificentur cum diuina natura, cui repugnat causam habere, non existere, & in nihilum redigi, hæc omnia relationibus diuinis repugnant per oppositionem immediatam diuinæ essentiæ cum illis, & mediatam relationum.

253 *Ad 3.*

Ad tertiam probationem dicatur, exigentiam identitatis cum natura rationali non esse perfectionem formalitêr: nam formalitas potentiæ peccandi ratione sui exigit identitatem cum natura rationali, & tamen ratione sui formalitêr perfectio non est, cum nõ causetur à Deo, iuxta veriorem sententiam. Deformitas peccati commissionis, quæ in probabiliori sententia in aliquo positiuo consistit, ratione sui exigit idẽtitatem cum actu rationalis naturæ, & tamen ratione sui formalitêr perfectionem non dicit, cum non dicat bonitatem, nec possit causari à Deo: non ergo est perfectio formalitêr exigentia identitatis cum natura rationali; nec similiter perfectio formaliter est exigentia identitatis cum visione beata, vel cum actu charitatis. Quod autem identificari non possint cum aliquo non perfecto formaliter, non inde prouenit, quia exigentia identitatis cum illis formalitêr sit perfectio, sed quia talis sunt conditionis, vt excludant deformitatem moralem; cumque aliàs ob suam limitationem non possint alia genera sibi identificare, fit vt nihil perfectionem non dicens, possit in illorum identitatem venire: natura autem diuina ob suam infinitatem petit identificari cum linea absoluta, & relatiua, & quia hæc perfectionem non explicat, fit, vt identificari possit cũ aliquo non dicente, nec explicante ratione sui perfectionem.

§. XII.

Examinatur Recentiorum ſententia.

254 *Recẽtiorum ſententia.*

REcentiores quidã ſequuti Ruizium *tomo de Trinitate diſput. 29. & 30.* ſentientes relationes diuinas dicere perfectiones relatiuas diſtinctas pertinentes ad integritatem Deitatis, ita vt ſine illis, nec Deitas eſſet perfecta, nec Pater ſine omnibus eſſet perfectus, nec integer Deus ; vt cum hac ſententia componant æqualitatem perſonarũ, & Patrem eſſe tantum , quanta eſt tota Trinitas, & ſic de alijs perſonis diuinis, docent omnes relationes eſſe in qualibet perſona diuina , ideoque ex diſtinctione relationum in ratione perfectionis , non ſequi alicui ex perſonis aliquam perfectionẽ deeſſe, nec eſſe inter ſe inæquales.

255 *Si opponatur.*

Si opponas commune argumentum: filiatio, prout diſtincta à paternitate non eſt in Patre; ſed iuxta hãc ſentẽtiam, filiatio eſt perfectio à paternitate diſtincta: ergo aliqua perfectio non eſt in Patre , & aliàs hæc perfectio conuenit Filio : ergo in illa non poteſt Pater Filio adæquari, nec Pater eſt tantus, quanta eſt tota Trinitas.

Reſp.

Reſpondent diſtinguendo maiorem: filiatio non eſt in Patre perficiendo Patrem, nego maiorem; non eſt in Patre conſtituendo Patrem, concedo maiorem , & conceſſa minori, nego conſequentiam : vt enim nulla perfectio ſit in Deo , quæ non ſit in Patre, ſufficit, quod filiatio ſit in Patre perficiendo ipſum, etſi non ſit in Patre, illum conſtituendo in ratione Patris , nec in ratione Filij. Idemque dicendum eſt de paternitate reſpectu Filij, & de paternitate, filiationeque reſpectu Spiritus Sancti; quod nempè paternitas eſt in Filio, non conſtituendo, ſed perficiẽdo Filium, & paternitas, & filiatio ſunt in Spiritu Sancto, non ipſum conſtituendo, ſed perficiendo.

256 *Si obijcias.*

Reſp. Ruizi°.

Si opponas: filiatio vt conſtituens Filium eſt perfectio relatiua; ſed iſta vt conſtituens non eſt in Patre : ergo aliqua perfectio deeſt Patri. Reſpondebunt diſtinguendo minorem: vt conſtituens Filium non eſt in Patre conſtitutiuè, hoc eſt, conſtituẽdo Patrem in ratione Filij, concedo minorem: vt conſtituens Filium nõ eſt in Patre, perfectiuè, hoc eſt, perficiẽdo Patrem, nego minorem, & nego conſequentiam ; imò ſi in Patre eſſet conſtitutiuè non perficeret, ſed deſtrueret Patrem: nã perfectio Patris eſt habere Filium in ſe ipſo , & intra ſe ipſum, de ratione autem Filij eſt diſtingui realiter à Patre, quæ diſtinctio ſtare non poſſet, ſi filiatio in Patre eſſet conſtitiuè, hoc eſt , illum in ratione Filij conſtituendo; ac proinde ex eo quod Patri conſtitutiuè conueniret, non perficeret, ſed deſtrueret Patrẽ. Ita Ruiz *diſp. 30. ſect. 8. n. 3.*

257 *Si in cõtrariũ opponas*

Reſp. poteſt.

Si in contrarium obijcias: forma eſſentialiter alicui repugnãs, nullum effectum poteſt illi præſtare; ſed filiatio eſſentialiter repugnat Patri: ergo non poteſt illi aliquam effectum præbere; & conſequenter non poteſt illum perfectum conſtituere.

Reſpondebunt diſtinguendo minorem: repugnat Patri ſubſtantiuè, nego minorem: repugnat Patri relatiuè, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque filiatio eo modo Patri repugnat , quo ab illo diſtinguitur, non autem diſtinguitur à Patre ſubſtantiuè, aliàs eſſet aliud à Patre, ſed tantum relatiuè , quo circa Filius eſt alius à Patre , atque adeò ſubſtantiuè non repugnat , imò eſt idem cum Patre, iuxta illud: *Ego*,

&

& *Pater vnũ ſumus*, & ideô, quãuis non poſsit Patri relatiué cõpetere, nec ipſum relatum conſtituere, poteſt Patri conuenire ſubſtantiuê, illumque ſubſtantiué perficere.

258 *Si inſtes.* Si opponas: filiationem eſſe ſubſtantiuê paternitatem, eſt eſſe paternitatem ſecundum eſſentiam, & ratione eſſentiæ abſolutæ; at hoc non ſufficit vt filiatio, quatenus virtualitêr diſtincta ab eſſentia ſit paternitas etiam ſubſtantiuê: ergo non ſufficit vt filiatio paternitatem perficiat, & ſit in Patre vt perficiens Patrem. Probatur minor: filiatio vt virtualiter diſtincta ab eſſentia realirer diſtinguitur à paternitate: ergo vt ſic repugnat paternitati, & non identificatur cum illa.

Reſp. poteſt. Reſpondebunt negando minorem: ad probationem, diſtinguo antecedens: diſtinguitur à paternitate ſubſtantiuê, nego antecedens: relatiuê, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens eodem modo, ſolum enim ſequitur filiationem vt virtualiter diſtinctam à paternitate diſtingui relatiuê realiter ab illa, non autem ſubſtantiuê: nam de filiatiatione etiam virtualiter diſtincta ab eſſentia, non eſt verum dicere, quod ſit aliud à paternitate: ergo eſt verum, quod eſt idem, & vnum cum illa; & conſequenter etiam vt ſic diſtincta eſt ſubſtantiuê paternitas, quamuis nõ ſit verum, quod eſt paternitas relatiuê. Et hoc ideô, quia quãuis virtualiter diſtinguatur ab eſſentia, nõ diſtinguitur realiter ab illa; ac proinde etiam vt ſic diſtincta, eſt realiter eſſentia, & realiter filiatio ratione eſſentiæ.

259 *Si adhuc inſiſtas.* Si inſtens, filiatio quatenus virtualiter ab eſſentia diſtincta, nullum effectum cõmunicare poteſt paternitati, vel Patri: ergo vt ſic diſtincta non poteſt perficere Patrem. Probatur antecedens: cui repugnat effectus primarius alicuius formæ, repugnat etiam omnis effectus talis formæ, cum ſecundarij effectus primarium neceſſario ſupponant; ſed primarius effectus filiationis, prout virtualiter ab eſſentia diſtinctæ eſt relatiuus effectus, quem repugnat communicari Patri: ergo repugnat Patri primarius effectus filiationis, prout virtualitêr ab eſſentia diſtinctæ.

260 *Huic inſtantiæ reſp. poteſt* 1. Hunc modum dicêdi alijs patrocinando, defendens, inſtantiæ factæ reſpondebam negando antecedens. Ad illius probãtionem dupliciter occurrebam. Primo diſtinguendo maiorem: ſi effectus primarius adæquatus repugnet, concedo maiorem: ſi inadæquatus, nego maiorem, & ſub eãdem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam effectus, vel quaſi effectus adæquatus filiationis, non eſt conſtituere Filium relatum ad Patrem, ſed etiam illum intra patrem conſtituere, & terminare illius relationem tanquam terminus immanens in Patre. Vnde etſi repugnet Patri Filiatio vt illum conſtituens relatum, non tamen alius quaſi effectus repugnat, nempê ipſum conſtituere intrinſicê terminatum, & ornatum, ſuo termino intra ipſum immanente, ſicut enim arbor ornatur floribus, & intellectus noſter ornatur verbo mentis in ipſo immanente: ita Pater perficitur Filio tanquam fructu ſuo, & Verbo manente in ſe ipſo, & ſi Filio, & Verbo intra ipſum manente careret, eſſet imperfectus vtpotè Filio orbatus, & mutus.

261 *Poteſt forma cõmunicari nõ præſtando effectũ adæquatum* Quod autem forma poſsit alicui ſubiecto communicare inadæquatũ effectum, vel quaſi effectum, quamuis tali ſubiecto adæquatus effectus repugnet, patet in perſonalitate Verbi, quam poſſe vniri naturæ irrationali, tenet communis ſententia, & tamen non perſonaret illam, ſed tantum ſuppoſitaret, quia ad hoc ſecundum eſt in natura irrationali capacitas: ſecus ad primum; cum tamen adæquatus effectus perſonalitatis ſit perſonare, conſtat etiam in perſonalitate Verbi diuini humanitati vnita, quam non conſtituit relatam, ſed tantum perſonatam, cum tamen adæquatus effectus primarius illius ſit perſonare, & referre. Conſtat de-

nique in eadem Filiatione Verbi, quæ eſſentiam diuinam perficit, quia illam perſonat, & tamen illam non refert, nec relatam conſtituit: poteſt ergo forma perficere, effectumque ali cui ſubiecto præbere, cui tamẽ adæquatus formæ effectus repugnet. Idẽ ergo dicimus in Filiatione, illam ſcilicet perficere Patrem modo explicato, non tamen ipſum relatum conſtituere, quia ad primum eſt in Patre capacitas, non ad ſecundum.

262 *Poteſt reſp. 2.*

Secundo reſpondi, diſtinguendo maiorem: cui repugnat effectus primarius formæ ſecundum omnem modum communicabilitatis illius, concedo maiorem: effectus primarius formæ, ſolum ſecundum vnum modum communicabilitatis, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam conſtituere relatum, eſtõ ſit effectus primarius Filiationis diuinæ vt per modum formæ communicatæ, non tamen eſt effectus primarius illius vt communicatæ per modum termini immanentis, qualiter ſolum Filiatio in Patre inuenitur modo explicato, & ideo quamuis Patrem non conſtituat relatum, nec in illo ſit relatiuẽ, & cõſtitutiue, erit in illo vt perficiẽs. Et quidẽ natura diuina vnita humanitati Chriſti, illã reddit infinite ſanctã, eique præſtat ſanctificationis effectum, & non conſtituit illam viuentem vita Dei, nec actuali, nec radicali, non obſtante quod effectus, vel quaſi effectus deitatis primarius non ſit ſanctificare, ſed viuentem conſtituere aliquo ex prædictis modis: & hoc ideõ, quia viuere eſt effectus primarius deitatis vt per identitatem communicatæ, non autem eſt effectus primarius talis formæ, vt potentis per vnionem communicari extraneæ naturæ: pariter ergo in præſenti modo explicato contingit.

263 *In contrariũ inſtatur*

Sed contra inſtabatur: nulla forma poteſt aliquod ſubiectum perficere intrinſecẽ, niſi illud in aliquo eſſe intrinſeco conſtituendo, vt patet diſcurrendo per omnes formas eſſentialiter, vel accidentaliter perficientes, quæ neceſſario, vel in eſſe primario eſſentiali, vel in eſſe ſecundario accidentali, ſubiecta quæ perficiunt conſtituunt, humanitas perficit eſſentialiter hominem; quia illum eſſentialiter conſtituit, intellectio perficit accidentaliter intellectum, illum conſtituendo intelligentem in actu ſecundo; albedo perficit corpus; quia illud conſtituit album; ſed Filiatio non conſtituit Patrem in aliquo eſſe intrinſeco: ergo non perficit Patrem intrinſece. Minor probatur primo, quia non apparet, nec eſt explicabile in quo eſſe Patrẽ conſtituat. Secundo, quia eſſe Filiationis eſt eſſe relatiuum; at non conſtituit Patrem relatum: ergo in nullo eſſe intrinſeco Patrem conſtituit. Tertio: nam ſi conſtitueret Patrem in aliquo eſſe intrinſeco, cõſtitueret Patrem relatum; non conſtituit Patrem relatum: ergo in nullo eſſe intrinſeco. Probatur maior: ſi non cõſtitueret Patrem relatum, ideõ eſſet, quia aduenit Patri iam conſtituto; at hoc non obſtat: ergo ſi conſtituit Patrem in aliquo eſſe, conſtituit illum relatum. Probatur minor: relatio ſpiratoris aduenit Patri, & Filio iam conſtitutis; & tamen quia vt in illis, & Patrem, & Filium perficit, conſtituit illos relatos ad Spiritum Sanctum: ergo quod Filiatio Patri aduenit iam conſtituto non obſtat, ſi ſemel Patrem in aliquo eſſe conſtituit, quod conſtituat illum relatum.

264 *Reſp. poteſt.*

Reſpondebam, conceſſa maiori, negando minorem. Ad primam probationem conſtat ex dictis: nam licet non conſtituat Patrem in ratione Patris, nec in ratione Filij, conſtituit tamen illum in ratione perfecti Patris, habentis intra ſe Filium, & in ratione terminati intrinſeci. Ad ſecundam dicatur, eſſe quod præbet eſſe relatiuum, non tamen eſſe relatum: nam adæquatus effectus Filiationis eſtõ relatiuus ſit, non eſt eſſe relatum, vt conſtat in Paternitate, quæ etiam ſub conceptu formæ hypoſtaticæ eſt relatiua, & tamẽ ſub mu-

nere formæ hypoſtaticæ non refert Patrem ad Filium, ſed illum ſubſiſtẽtem incommunicabiliter conſtituit: ita in præſenti dicimus, Filiationem eſſe in Patre vt formam perficientem, & illum conſtituere terminatũ intrinſecè, quod eſſe terminatum relatiuum eſt, non tamen eſt eſſe relatum, ſicut nec munus terminandi paternitatem, Filiationi conueniens, nec munus conſtituendi Filium terminum immanentem in Patre eſt munus referendi.

265 *Ad 3. minoris prob.* Ad tertiam nego maiorem. Ad illius probationem diſtinguo maiorem dupliciter, primo: quia aduenit Patri iam conſtituto præciſe, nego maiorem: quia aduenit Patri in capaci, vt per Filiationem referatur, concedo maiorem, & ſub hac diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Contra quam ſolutionem non obſtat probatio minoris: nam relatio ſpiratoris ſupponit in Patre, & in Filio capacitatem vt referantur ad Spiritum Sanctum, ideôque illos ad Spiritum Sanctum refert, in Patre autem non eſt capacitas vt referatur relatione Filiationis, aliàs poſſet ad ſe ipſum referri, quod implicat, & aliàs per Filiationem nõ poteſt reſpicere Filium, quia Filiatio non eſt ratio referendi ad Filium, ſed ad Patrem. Secundo diſtinguo maiorem: præciſe quia aduenit Patri, nego maiorem: quia taliter aduenit, nempe non vt forma, ſed vt terminus immanens in Patre, concedo maiorem, & nego minorẽ: nam ex iſto modo adueniendi, nempe vt terminus manens in Patre, nõ autem vt forma, rectè infertur, quod Patrem non referat, quia vt referret deberet vt forma aduenire. Vnde Filiatio, quia non vt forma, ſed vt terminus humanitati vnitur, non refert humanitatem. Ex quibus conſtat diſparitas ad exemplum in probationem adductum: nam relatio ſpiratoris vt forma aduenit Patri, & Filio, ideoque illos ad Spiritum Sanctum refert.

266 Inſtabis: ſequitur ex hac doctrina, quod licet Filiatio non conſtituat Patrem relatum, illum tamen conſtituat incommunicabiliter ſubſiſtentem; conſequens eſt falſum: ergo & doctrina tradita. Minor conſtat: ſi namque Filiatio Patrem conſtitueret incommunicabiliter ſubſiſtentem, conſtitueret illum ſubſiſtentem; & conſequenter Pater ſubſiſteret ſubſiſtentia perſonali Filij, quod falſum eſt, & à nemine dictum. Sequela probatur: vt Filiatio det ſubſiſtere incommunicabiliter, non requiritur quod vt forma conueniat, vt conſtat in filiatione Verbi, quæ humanitatem conſtituit perſonatam; & conſequenter illam reddit incommunicabiliter ſubſiſtentem, quin ei vniatur vt forma, ſed tantum vt terminus: ergo ſi Filiatio perficit Patrem, quãuis ei vniatur vt terminus, & non vt forma, conſtituet Patrem ſubſiſtentem incommunicabiliter. *Inſtabis*

267 *Reſp.* Reſpondetur negando ſequelam. Ad probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt: nam Filiatio perficit Patrem vt terminus immanens productus ab ipſo, terminus autem productus ſupponit principium producens incommunicabiliter ſubſiſtens, ſicut etiam illud exiſtens ſupponit. Vnde ſicut repugnat, quod principium producens, per ſuũ terminum exiſtat: ita repugnat quod ſubſiſtat per illum; Filiatio autem Verbi, etſi non vniatur humanitati vt forma, ſed tantum vt terminus, quia informare eſt imperfectio repugnans diuinis formalitatibus, nõ tamen eſt terminus ab humanitate productus, ideoque illam ſubſiſtentẽ conſtituit.

268 *Contra iſtũ modũ dicendi arg.* 1. Cæterum contra hanc doctrinam, modumque defendendi æqualitatem diuinarum perſonarum ãrgumentor primo: ſi Pater intrinſece perficeretur Filiatione, perficeretur per aliquid à ſe realiter diſtinctum; ſed hoc repugnat: ergo implicat perfici Filiatione. Maior conſtat; nam Filiatio realiter diſtinguitur à paternitate: ergo ſi perficit Patrem Filia-

tio, vt filiatio, quatenus ab eſſentia virtualiter diſtincta, Pater perficitur per aliquid à ſe realiter diſtinctum.

Minor prob. triplici ter.

Minor autē probatur: perfici per aliquid diſtinctum à perfectibili realiter, dicit imperfectionem: ergo repugnat Patri. Secundo: nam realitēr perfectibile eſt in potentia reali ad perfectiuum realitēr diſtinctum à ſe, ſed eſſe in potentia reali ad aliquā perfectionem repugnat Patri: ergo repugnat perfici per aliquid realiter à ſe diſtinctum. Tertio: nam ex perfectibili, & perfectione diſtinctis realitēr, realis compoſitio reſultat, quo circa ſi relationes eſſent à diuina eſſentia realiter diſtinctæ, realiter cum illa componerent, realiſque ex illis reſultaret compoſitio, vt fatentur omnes Theologi, ſententiam Gilberti ex hoc inconuenienti impugnantes; ſed realis compoſitio non poteſt in Deo admitti: ergo nec eſt admittēdum, Patrem poſſe perfici realiter per aliquid realiter à ſe diſtinctum.

269 *Reſp. poteſt.*

Reſponderi poteſt, conceſſa maiori negando minorem. Ad primam probationem dicendo, quod licet perfici per aliquid realiter diſtinctum, quod ſit diuerſæ naturæ imperfectio ſit, in Deo non admittenda, perfici tamen aliquo diſtincto realiter relatiuē, non tamen realiter ſubſtantiuē, quia non eſt diuerſæ, ſed omnino eiuſdem naturæ, nullam dicit imperfectionem. Et quia filiatio, quamuis relatiuē diſtinguatur à Patre, non tamen ab illo diſtinguitur adæquatē, & ſubſtantiuē, non enim eſt aliud à paternitate, vel Patre, ſed idem cum illo ratione eiuſdem naturæ, quam eſſentialiter claudit, vel cum qua realiter eſt identificata; fit conſequens, vt Patrem per illam perfici, etſi realiter diſtinctam, nullam dicat imperfectionem.

270 *Et inſtatur arg.*

Et quidem procedere ab alio alietate ſubſtantiua, hoc eſt, à principio diuerſæ eſſentiæ, & naturæ, indigentiam, dependentiam, & imperfectionem dicit, & rationem effectus, & cauſæ. Procedere tamen ab alio, non ſubſtantiua, ſed relatiua alietate, à principioque eiuſdem eſſentiæ, & naturæ cum termino procedente, nec indigentiam, nec dependentiam, nec imperfectionem dicit, nec rationem cauſæ, & effectus. Vnde Filius à Patre procedens nullam notam imperfectionis induit; quia Pater, & Filius ſunt idem ſubſtantiuē, vniuſque eſſentiæ, & naturæ: pariter ergo, etſi perfici aliquo diſtincto in natura, imperfectionem maximam Deo repugnantem dicat, perfici tamē aliquo realiter relatiuē diſtincto, eiuſdem omnino naturæ, ab omni imperfectione eſt immune.

271 *Ad 2. prob. minoris.*

Et ex his ad ſecundam probationem habetur ſolutio: ſicut namque realiter producibile ab alio diſtinctæ naturæ dicit potētialitatem: ſecus autem eſſe realiter producibile ab aliquo eiuſdem naturæ, quia eo ipſo, quod natura eadem diuina termino communicetur, cum hæc omnem realem potentialitatem excludat, terminus ſic producibilis nullā potentialitatem incurrit: ita etſi perfectibile aliquo realiter diſtincto in natura ſit realiter potentiale, perfectibile tamen aliquo realiter à ſe diſtincto relatiuē, & non ſubſtantiuē, quia eſt eiuſdem naturæ cū eo, quod per ipſum perficitur, potētiale realiter non eſt.

272 *Ad 3.*

Et ex his etiam ad tertiam probationem conſtat ſolutio, diſtinguēdo maiorem; ex perfectione, & perfectibili realiter ſubſtantiue diſtinctis, realis compoſito reſultat, concedo maiorem: diſtinctis realiter relatiue, non ſubſtantiue, quia ſunt eiuſdem naturæ, nego maiorem, & conceſſa minori, neganda eſt conſequentia, vel diſtinguendū conſequens, diſtinctione maioris. Solum enim ſequitur, non poſſe Patrem perfici perfectione à ſe diſtincta realiter ſubſtātiuē, non autem quod perfici Filiatione non poſsit, quæ ſubſtantiuē eſt idem cum Patre, & ſolum realiter relatiuē diſtincta. Si autem relationes realiter diſtinguerentur ab

eſſen-

essentia non essent eiusdem naturæ, cum essentia, nec inter se cõparatæ, ex quo recte infertur ex essentia, & relationibus, & ex illis inter se, si vna alteram perficeret, realem compositionem futuram. Et quidem negari non potest totum Filium esse in Patre, & totum Patrem in Filio, ille in Patre, vt terminus immanens, & Pater in Filio vt principium in termino immanente: ergo tota entitas Filij est in Patre, quidquid sit an illum perficiat; & tamen ex Filio vt termino immanente in Patre, & ex Patre vt principio, in quo immanet Filius, non resultat compositio realis, quia sunt eiusdem essentiæ, & naturæ: idé ergo est asserendum quamuis Filius sit in Patre vt perfectio ipsum perficiens, & ex eadem ratione.

273 *Contra istam resolutionẽ obstat 1.*

Sed contra hanc resolutionem obstat primo: nam esse actuabile realiter actu realiter distincto non potest ab imperfectione, & potentialitate reali, & reali compositione præscindi, vel separari: ergo pariter esse perfectibile realiter non potest absque his imperfectionibus reperiri. Consequentia videtur bona à paritate rationis, & insuper; quia non est minus de ratione summi perfecti realiter, identitas realis cum perfectione, quam de ratione realiter summe actualis, identitas cum suo actu: ergo si non stat cum realiter summe actuali, esse actuabile actu realiter distincto, non stabit cum summe perfecto realiter, esse perfectibile aliquo realiter à se distincto.

274 *Antec. prob. 1.*

Antecedens autem probatur primo: vt enim ex Augustino docetur ab omnibus Theologis, Pater non est sapiens sapientia genita, nec potest Verbo à se producto intelligere; at hoc non alia ratione, nisi quia sapientia, & intellectio actualis, est actus intelligentis, & repugnat Deum actuari actu realiter distincto: ergo esse realiter actuabile actu realiter distincto, non potest præscindi ab illis imperfectionibus.

Secũdo prob.

Secundo: vt enim tenet communis sententia, origo actiua, v.c. generatio non potest realiter à potentia generatiua distingui, nec Pater constitui generans in actu secundo per actionem adæquatè identificatam cum generatione passiua, & cũ relatione Filij; at si esse realiter actuabile actu realiter distincto posset ab imperfectione, & à potentialitate præscindi, nulla esset repugnantia in hoc, quod Pater, generans constitueretur actu realiter identificato cum relatione Filij: ergo esse realiter actuabile non potest ab imperfectione præscindi.

275 *Explicatur, & vrgetur.*

Explicatur, & vrgetur: esse realiter actuabile, actu realiter distincto non potest ab imperfectione excludi, per hoc quod actus etsi realiter distinctus, substantiuè non distinguatur à suo actuabile, sed sit eiusdẽ naturæ cum illo: ergo pariter esse realiter perfectibile, non potest præscindi ab imperfectione per hoc quod perficiens realiter non distinguatur à perfectibili substantiuè, sed sit eiusdem naturæ cum illo. Consequentia tenet à paritate rationis, antecedens autem probatur; nam si posset, non esset cur repugnaret Patrem esse sapientem, & intelligentẽ sapientia genita à se, videlicet Verbo producto, quod non substantiuè realiter, sed tantum relatiuè distinguitur, & est eiusdem naturæ cum illo. Nec esset ratio cur Pater non possit constitui generans actu identificato adæquatè cum filiatione producta, quæ etiam est eiusdem essentiæ, & naturæ, & non realiter substãtiue, sed tantum relatiuè à Patre distinguitur; at primum, omnium Theologorum sententiæ aduersatur, & secũdum omnium Theologorum doctrinæ: ergo esse realiter actuabile non potest ab imperfectione, potentialitate, & compositione præscindi per identitatem substantiuam actus cũ subiecto realiter actuabili, & reali distinctione relatiua.

276 *Obstat secundo*

Secundo contra eandem resolutionem arguitur: Pater pro priori originis ad Filium est perfectus, & integer Deus; & tamen pro illo prio

ri Filius in Patre non eſt; ſed pro poſteriori ſigno originis : ergo Pater non habet quod ſit integer,& perfectus Deus ex Filio immanente in ipſo.

Dices. Dices,pro illo priori intelligi integrum Deum integritate naturæ, non autem omni integritate,modali etiam deitatis,ex quo ſolum ſequitur Filiationem non ſpectare ad integritatem deitatis per modum naturæ , non autem quod non ſpectet ad integritatem eius modalem , & per modum modi naturæ. Sed contra, Pater pro priori originis intelligitur principium perfectum Filij : ergo intelligitur continens formali, aut eminentiali continentia totam Filij perfectionem; & conſequenter non poteſt ex immanentia Filij aliqua ratione perfici.

277 *Deniq; arg.* Denique arguitur: hæc eſt vera propoſitio, *Pater eſt integer Deus*; ſed hæc eſt falſa : *Pater eſt realiter Filius* : ergo tota integra Deitas ſine Filiatione ſaluatur ; & conſequẽter vt Pater ſit ſumme perfectus , nõ eſt neceſſariũ quod ſit in Patre Filiatio vt ipſum perficiens. Reſpondebis diſtinguendo minorem : hæc eſt falſa, *Pater eſt Filius*, realiter relatiuẽ,concedo minorem: realiter ſubſtantiuẽ,nego minorem,& conſequẽtiam . Sed contra ; hæc eſt abſoluẽ vera , *Pater eſt integer Deus,& integra Deitas* , hæc autem abſolutẽ eſt falſa : *Pater eſt Filius* , vel *Pater eſt Trinus*, vel *Pater eſt Trinitas* , quæ propoſitiones abſolute falſæ,& hæreticæ ſunt: ergo paternitas de integritate Deitatis non eſt.

Reſp. ex dictis.

Sed contra.

Quod amplius vrgetur,vt enim Auctores contrarij docent, ſi Filiatio eſt de eſſentia Deitatis,hæc eſt falſa: *Pater eſt Deus* , quo argumento conuincuntur vt aſſerant relationes de conceptu eſſentiali deitatis non eſſe;quia aliàs prædicari omnes deberent, de omni eo de quo eſſentialiter Deitas prædicaretur: ergo ſi Filiatio eſt de eſſentia deitatis vt integræ,non poteſt integra Deitas prædicari de Patre,quin de illo prædicetur Filiatio;& conſequenter in nullo ſẽſu Catholico poterit prædicari de Patre quod ſit perfectus , & integer Deus,in quo non prædicetur de Patre Filiatio;at hoc eſt falſum:hæc nãque *Pater eſt perfectus Deus* , eſt abſolutẽ catholica propoſitio, hæc autem : *Pater eſt Filius* , abſolute hæretica, & ſimiliter iſta : *Pater eſt Trinitas* : ergo Filiatio, aliæque relationes non integrant Deitatem ; & conſequenter, non ſunt de integritate illius.

278 *Confir.*

§. XIII.

Infertur ſecundo ex dictis æqualitas perſonarum, in potentia.

279 SEcundo ex dictis colligitur,perſonas diuinas eſſe æquales in potentia. De quo D.Thom. *in 1. diſt. 20.q.1.art.1.ad Annibaldum in eadem diſt. quæſt.vnica art.1.q.2. de potentia art.5. 4. Contra-Gentes cap.13 & in præſenti q.42. art.6.* Conſtatque ex Symbolo Athanaſij, illis verbis : *Omnipotens Pater,omnipotens Filius , &c. Non tres omnipotẽtes, ſed vnus omnipotens.* Ex illo Ioannis 5. *Quæcumque Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit*: & demonſtratur ratione D.Thomæ locis citatis:virtus namque naturam conſequitur,& commenſuratur cum illa;ſed perſonæ ſunt vnius,& eiuſdẽ naturæ: ergo ſunt vnius , & eiuſdem virtutis ; & conſequenter æquales in virtute,& potentia.

280 *Difficilis obiectio.*

Sed contra hanc veritatem obstat obiectio difficilis: cui non conuenit aliqua potentia alterius, non est illi in potentia æqualis; sed Filio deest potentia aliqua Patris: ergo æqualis non est Patri in potentia. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: Filio non conuenit potentia generandi, aliàs posset generare se ipsum, vel alium Filium, quod implicat ex vtraque parte, ex prima, quia nullus potest se ipsum producere, ex secunda, quia alius Filius implicat in diuinis; sed hæc potentia conuenit Patri, cui competit generatio actualis: ergo Filio non conuenit aliqua potentia Patris.

281 *Respõd. Vazq.*

Huic difficultati variè occurrit à Theologis. Vazquez *disp.65. cap.2.* alijs refutatis respondet, potentiam generatiuam sub omnipotentia non contineri, quæ solum dicitur per respectum ad creaturas. Vnde ex eo quod Filio non conueniat potentia generatiua, non sequitur quod illi non conueniat omnipotentia; ac proinde non tollitur æqualitas Filij cum Patre in virtute, & potentia. Quem modum dicendi sequuntur Philippus Faber *in 1.disp. 46. cap.2.* Smising *de Trinit.disp. 3.n.59. & n.201.* & Franciscus Felix *c.9.de Trinitate difficultate 1. n.6.* ex Scoto *quodlib.7.§.ad 1. argumentum.*

282 *Non satisfacit & reijcitur 1.*

Sed nõ satisfacit difficultati proposita, & reijcitur primo: nam quidquid sit, an potentia generatiua ad omnipotẽtiã pertineat, vel nõ, negari tamen nõ potest quod sit potẽtia productiua; sed æqualitas duorum in potẽtia exigit vt nulla potentia vni cõpetat, quæ alteri non cõueniat: ergo si Patri cõuenit potẽtia generatiua, & nõ cõuenit Filio, nó sũt in potẽtia æquales, esto potẽtia generatiua nõ pertineat ad omnipotentiam.

Secũdo.

Deinde: nã potẽtiã generatiuã sub omnipotẽtia comprehẽdi docet D. Th. *q.2.de potentia art.5. & 6.* cõstatq; ex Aug. *lib.3.cõtra Maximinũ c.7.18. & 23.* vbi ait: *Si Pater non potest generare Filiũ sibi æqualem, vbi est eius omnipotentia?* Sed defectus omnipotẽtiæ nõ colligitur ex defectu alicuius non pertinentis ad illã: ergo cũ ex eo quod Pater nõ possit generare Filium sibi æqualem, inferat Aug. Patrẽ omnipotẽtẽ nõ fore dicendũ, est potentiã generatiuã ad omnipotẽtiã spectare, & sub illa contineri; ac proinde male ex principio oppositio colligit Vazqz, Filiũ esse omnipotẽtẽ, & Patri in potẽtia æqualem, quamuis illi non conueniat potentia generatiua.

282 *Respõd. Vazq.*

Respondet Vazquez, Augustinũ nomine omnipotẽtiæ, cuius negationem intulit in Patre, ex eo quod generare nõ posset, nõ intellexisse attributum omnipotẽtiæ, sed plenã; & perfectã fęcũditatẽ generatiuã. Sed contra, vel hæc plena fęcũditas sub omnipotentia continetur, vel non? Si primum, habetur intentum. Si secundum: ergo Augustinus illam nomine omnipotentiæ significans, improprie loquutus fuit, quod si Vazquez inconueniens nõ reputat, à nobis inconueniens censetur, non sine magna necessitate in Augustino admittendum.

284 *Mouetur 1.*

Sed arguit Vazquez: nam Deus eodem modo dicitur omnipotens modô, quo omnipotens dicebatur ante reuelatum mysterium Trinitatis; sed tunc solum dicebatur omnipotens respectu creaturarum: ergo modó solum per comparationem ad creaturas omnipotens dicitur.

Secũdo.

Deinde: nam si omnipotentia comprehendat sub se potentiam generandi, Filius non potest omnipotens dici; consequens est contra fidẽ: ergo omnipotẽtia nõ dicitur per comparationem ad actus notionales, nec sub se potentiam continet generandi.

285 *Resp.ad 1.*

Hæc tamen non vrgent, ad primum respondeo: eodem modo formaliter, concedo: eodem modo quãtum ad extensionẽ veluti materialẽ, nego maiorẽ, & cõcessa minori, nego consequentiã: Deus nãque modô, & tunc omnipotens dicitur, quia potest

teſt omne poſsibile, ſed ante reuelatum myſterium non cognoſcebatur poſsibilis perſona diuina producta, & ideò non cognoſcebatur extenſio omnipotentiæ ad illam, modo tamẽ reuelata poſsibilitate perſonæ diuinæ productæ, cognoſcitur extenſio omnipotentiæ ad illius productionẽ; ſicut ante reuelata myſteria ſupernaturalia non cognoſcebatur Deus vt potens ad illa efficienda, & poſt reuelationem myſteriorum ſupernaturaliũ, Deus, vt potens ad illa, cognoſcitur, quin ex hoc denominatio omnipotentis varietur formaliter, ſed ſolum quoad veluti materialem extenſionem.

286 *Ad 2.* Ad ſecundam reſpondeo diſtinguendo maiorem: ſi omnipotentia ſumpta abſolutè comprehendat potentiam notionalem, concedo maiorem: ſi non abſolute, ſed prout determinata per relationem, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens: omnipotentia ſumpta abſolutè, concedo conſequentiam: vt modificata per relationes, nego conſequentiam, vt enim Filius vere, & proprie dicatur omnipotens, ſufficit, quod illi cõueniat quidquid pertinet ad omnipotentiã abſolutè, nec requiritur, quod habeat quæ pertinent ad omnipotentiam prout in Patre, generare autẽ non ſpectat ad omnipotentiam abſolute ſumptam, ſed ad illam prout in Patre, & ideo Filius omnipotens dicitur quamuis generare nõ poſsit.

287 *Si dicas* Si dicas: quod Filius generare non poſsit, non detrahit aliquid omnipotentiæ: ergo ex eo quod Pater generare non poſſet, non ideo non eſſet omnipotens, quod enim impotentiam, aut negationem non infert in Filio, nec eſt cur in Patre inferat impotentiam, aut omnipotentiæ negationem.

Reſp. Reſpondeo conceſſo antecedenti negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt: nam potentia ad generandum conflatur ex potentia in recto, & relatione in obliquo, & de connotato. Vnde non poſſe generare, poteſt prouenire, vel ex defectu virtutis, vel ex defectu relationis: cum ergo prima perſonalitas, quæ de connotato importatur Patri conueniat, ſi generare non poſſet, ex defectu virtutis procederet; ac per conſequens non eſſet omnipotens. In Filio autem, cui non conuenit prima perſonalis proprietas, non poſſe generare, non prouenit ex defectu virtutis, ſed ex defectu relationis in obliquo importatæ, & ideo non poſſe generare inferret impotentiam in Patre, & quod non eſſet omnipotens: ſecus autem in Filio. Ita D. Thomas *in primo diſtinctione trigeſima prima quæſtione prima articulo* 1. *ad vltimum.*

288 *Replic.* Sed dices: ſequitur in Filio eſſe virtutem ad generandum; conſequens eſt falſum: ergo prædicta ſolutio. Minor conſtat: nam ſi in illo eſt virtus ad generandum, eſt in illo potentia generatiua, quæ nihil aliud eſt quam virtus ad generandum ſufficiens; & conſequenter eſt potens generare ſe ipſum, vel alium Filium: nam iſte eſt effectus formalis potentiæ generatiuæ. Sequela probatur: vt enim ſolutione data dicitur, quod Filius generare non poſsit, non eſt ex defectu virtutis: ergo in illo eſt virtus ad generandum.

289 *Reſp.* Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo antecedens: non eſt ex defectu virtutis pro eo quod virtus ad generandum ſufficiens dicit in recto, ſcilicet perfectio abſoluta, concedo antecedens: non eſt ex defectu virtutis ſecundum id quod potentia generandi importat in obliqno, nego antecedens, & conſequentiam: vt enim abſolutè ſit verum eſſe in Filio virtutem ad generandum, vtrumque requiritur, nempe infinita perfectio abſoluta, & relatio connotata, vnde quolibet deficiente, deficit potentia generatiua, quæ ex vtroq; cõflatur: quãdo ergo aſſerimus non poſſe generare, nõ prouenire in Filio ex defectu virtutis, in

telligimus non prouenire ex defectu perfectionis, quam virtus ad generandum importat in recto. Ex quo tantum sequitur esse in Filio quidquid perfectionis à potentia generatiua importatur, non autem sequitur, quod in illo sit virtus ad generandum sufficiens, ad quam præter perfectionem, importatã in recto, de connotato relatio paternitatis requiritur, quæ non conuenit Filio.

290 *Contra doctrinam D. Thom. arg.*

Possumus tamen contra doctrinam Angelici Præceptoris arguere: nam omnipotentia est attributum ab intellectu, & voluntate distinctũ, vt colligitur ex doctrina D. Thom. *in hac 1. p. quæst. 25. art. 1. ad 4.* & probabiliter docent aliqui Thomistæ; sed potentia generatiua est intellectus prout in Patre, & potentia spiratiua voluntas prout in Patre, & Filio: ergo posse generare non continetur sub omnipotentia, nec ad ipsam prout in Patre pertinet generatio actualis.

291 *Confir.*

Et vrgetur amplius: nam si posse generare pertineret ad omnipotentiam Patris, posse spirare spectaret ad omnipotentiam Patris, & Filij; sed hoc est falsum: ergo posse generare, ad omnipotentiam Patris non spectat. Consequentia constat. Maior patet à paritate rationis, & minor probatur: nam in frequentiori Thomistarum sententia fundata in doctrina D. Thomæ vbi proximè in solutione quarti argumenti, omnipotentia non est atributum distinctum ab intellectu, sed idem cum illo, sed potentia spiratiua est voluntas prout in Patre, & Filio: ergo posse spirare ad omnipotentiam nõ pertinet, nec spirare est actus omnipotentiæ.

292 *Resp. argumẽto*

Respondeo prætermissa maiori, & concessa minori distinguendo consequens: non pertinet ad omnipotentiam Patris sumptam pro potentia proxima exequutiua, transeat consequens: sumptam pro potentia radicali, nego consequentiam; sicut enim in creaturis dantur potentiæ proxime operatiuæ realiter distinctæ à natura, & natura ipsa, quæ est vniuersale principiũ omniũ operationũ per modum radicis: ita in Deo dantur potentiæ proximæ virtualitèr à natura distinctæ, & natura, quæ est radix omnium operationum in Deo: admissa ergo prædicta sententia, quæ probabilis est inter discipulos Angelici Præceptoris, asserendum est consequenter, omnipotentiam prout dicit virtutem proximam operandi ad extra, esse virtualiter distinctam à potentia proximè generatiua; ac proinde diuinam generationem actum omnipotentiæ Patris sic sumptæ non esse, prout vero omnipotentia dicit facultatem radicaliter operatiuam, eadem est cum principio radicaliter generandi, nempè essentia diuina, quæ est principium vniuersale omnis operationis in Deo; & consequenter actualis generatio est actus omnipotentiæ radicalis Patris, non autem omnipotentiæ proximæ.

Et ex his ad confirmationẽ constat solutio: nam licet voluntas vt dicit potentiam proximam volendi sit virtualiter ab intellectu distincta in Deo, & in nobis realiter; principium tamen radicale volitiuum, nec in nobis, nec in Deo distinguitur virtualiter adhuc, à principio radicali intellectiuo: vnde si omnipotentia ab intellectu non distinguitur virtualiter, actualis spiratio nõ spectabit ad omnipotẽtiã prout dicit potentiã proximã operandi, sed ad omnipotentiã sumptam pro radice operationum.

293 *Ex his soluitur confir.*

An autem omnipotẽtia sumpta pro virtute proxima sit distincta virtualiter à potentia generatiua, & à potentia spiratiua, dependet ab ea quæstione, in quo omnipotentia consistat: nam si potentia proxima exequutiua Dei est attributum distinctũ ab intellectu, & voluntate, vt aliqui volunt, omnipotentia erit virtualiter distincta ab vtraque potentia notionali tã pro recto, quam pro obliquo. Si consistat in diuina essentia, quæ est radix attributorum, etiã erit

294 *An omnipotentia sit distincta à potentia generatiua.*

virtualiter diſtincta ab vtraque potentia. Si conſiſtat in potentia intellectiua Dei, diſtinguetur, virtualiter à potentia ſpiratiua proxima, nõ tamen à potentia proxima generandi pro recto, cum hæc etiam, in diuino intellectu, in recto conſiſtat. Si autem omnipotentia ſit virtualiter diuina voluntas, erit indiſtincta virtualiter à potentia proxima ſpiratiua pro eo, quod importat in recto, diſtinguetur autem virtualiter à potentia proxima generandi, quæ in recto conſiſtit in intellectu diuino. Si autem in intellectu, & voluntate conſiſtat omnipotentia, diſtinguetur virtualiter à potentia generandi, & à potentia ſpirandi ſeorſim, diſtinctione includentis ab incluſo, non tamen ab vtraque ſimul. Et in omni modo dicendi, omnipotentia prout eſt omnibus perſonis communis, & de omnibus abſolutê enunciatur, diſtinguitur virtualiter à potentijs notionalibus pro eo quod prædictæ potentiæ important de cõnotato, cũ de cõnotato importẽt determinatas relationes, omnipotẽtia autẽ ſic sũpta adęquatẽ in aliquo abſoluto cõſiſtat.

295 *Omnipotentia eſt indiſtincta, à potentia generatiua pro eo, quod dicit in recto.*

Vnde conſequenter ad ea, quæ docui tractatu de ſcientia, vbi omni potentiam indiſtinctam virtualiter à diuino intellectu defendi, dicendum eſt eſſe indiſtinctam virtualiter à potentia generatiua pro eo quod importat in recto, & virtualiter à potentia ſpiratiua etiam pro recto diſtingui. Quod patet: nam in Deo non datur duplex intellectus virtualiter diſtinctus, ſed vnus, & idem; ſed potentia generatiua in recto in diuino intellectu conſiſtit: ergo omni potentia, quæ etiam eſt intellectus diuinus, non diſtinguitur virtualiter à potentia generatiua ſecundum id, quod importat in recto, bene tamen à potentia ſpiratiua, cum hæc in voluntate Dei in recto conſiſtat, & voluntas ſit attributum virtualiter diſtinctum ab intellectu.

296 *Aliorũ*

Secundo alij obiectioni principali reſpondent, Filium eſſe æqualem Patri in omnipotentia, quamuis illi generare repugnet; & conſequenter potentiam generandi non habeat, Pater autem poſsit generare, quia omnipotentia conſiſtit in potentia ad id, quod non implicat; & quia Filium generare ſe ipſum, vel alium Filium, eſt omnino implicatorium; quod autem Pater generet, implicatorium non eſt; fit conſequens, vt Filius omnipotens ſit, quamuis generare non poſsit, & æqualis in omnipotentia cum Patre potente generare. Pro hoc modo dicendi refert Vazquez *vbi ſupra capitulo primo numero tertio*, Thomam de Argentina, & Ægidium de Romanis.

ſolutio ad principale arg.

Quos bene reijcit ex Durando; eo quod omnipotentia non dicitur per reſpectum ad non implicans reſpectiue ad ſubiectum, ſed ad non implicans abſolutẽ; ſed generatio Filij abſolute non implicat, cum Patri conueniat: ergo Filius generare non potens, non erit omnipotens. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem eſt D. Thomæ *ſupra quæſtione 25. articulo 3. in corpore*, & conſtat manifeſte. Primo: nam ſi omnipotentia diceretur per reſpectum ad non implicantia reſpectiuẽ ad ſubiectum, quod dicitur potens, tunc Deus ideo eſſet omnipotens, quia poſſet omnia, quæ ipſi non implicant; hoc autem dicendum non eſt: nam committitur circulus, cum idem ſit poſſe Deum omnia illius potentiæ non implicantia, quod poſſe omnia, quæ poteſt, in quo circulus committitur: ergo omnipotentia non dicitur per reſpectum ad non implicans comparatiuẽ ad ſubiectum, ſed per reſpectum ad non implicans ex terminis. Deinde, quia aliàs homo veré eſſet, & diceretur omnipotens, cum vere homo poſsit omnia, quæ ipſi non implicãt; conſequens eſt falſum: ergo & ſolutio, ex qua ſequitur.

297 *Reijcitur hæc ſolutio.*

Videtur tamen huic modo dicendi fauere D. Thomas 1. *ad Annibaldum diſtinct. 20. quæſt. vnica articulo 1. ad 3.* quod tale erat:

298 *Videtur D. Tho. fauere*

Sub

solutioni Argentinæ.

Sub vniuersalitate entium continentur relatiua; sed cum dico omnipotentia, fit distributio pro vniuersalitate entium: ergo pro relatiuis, qui ergo non potest omnes actus relatiuos, non potest omnia; & consequenter Filius non erit omnipotens. Cui argumento respondet: *Ad tertium sub vniuersalitate entium, &c. dicendum, cum dico omni potens non fit distributio vniuersaliter pro omnibus entibus, sed pro his, ad quæ posse est potentiæ in eo, qui dicitur omnipotens; vel pro omnibus possibilibus, alioquin cum Pater non possit esse Filius, non esset omnipotens*: ergo sentit D. Thom. de tatione omnipotentiæ, nõ esse respectum ad omne posſibile absolute, sed tãtum ad omne posſibile illi, qui omnipotens dicitur. Et ideo Filium esse omnipotentem, quamuis genera re non posſit, quia hoc quamuis sit absolute posſibi le, non tamen est posſibile Filio, quæ est sententia Argentinæ, & Ægidij de Romanis.

299 *Explicatur D. Tho.*

Respondeo negando consequentiam: nam D. Thomas non docet omnipotentiam dici, quia posſit omnia non implicantia subiecto, aliàs circulũ committeret, vt ex ipso proximè dicebamus, sed sub distributione *omni* non comprehendi omne ens absolutum, & relatiuum, quod verum est: aliàs Pater non esset omnipotens, cum non posſit esse Filius; sed tantum fieri distributionem pro omnibus, ad quæ posse est potentiæ in eo, qui omnipotens dicitur, quæ vt statim explicat D. Thomas sunt omnia posſibilia, ideſt, omnia non implicantia ex terminis absoluta, vt intelligere, & velle, & creare, & omnia alia, quæ relationem non connotant ex parte subiecti, vt explicat D. Thomas vbi proximè *art. 2. in corpore*; quia hæc posse, virtutis est, & ideò posse ad illa, in omnipotente exigitur, & sine tali posse non est omnipotens. Non autem omnia non implicantia ex terminis, quæ posse est potentiæ, & relationis simul, illius in recto, & istius de cõnotato in obliquo: & quia generatio in Deo huius condicionis est, illius posse non est tantũ potentiæ, sed potentiæ vt connotantis peculiarem relationem, scilicet paternitatem; & ideò quamuis implicet Filio, & non implicet Patri, non ideo Filius non est omnipotens.

300 *Aliorũ solutio excluditur.*

Tertio alij respondent, Filio conuenire potentiam generatiuam quoad ea, quæ essentialiter importat in Deo: vnde æqualis est in omnipotentia Patri. Nec obstat, quod Filius non generet: nam hoc non prouenit ex defectu potentiæ generatiuæ quoad essentialia illius, sed ex defectu cõditionis requisitæ ad generandum. Sed displicet hæc doctrina, & reijcitur: cui namque repugnat effectus primarius formæ, nõ potest forma adæquate quod essentiam conuenire; sed posse generare, quod est effectus primarius potentiæ generatiuæ repugnat essentialiter Filio: ergo potentia generatiua non conuenit illi quoad essentiam adæquate. Consequentia tenet. Maior est certa: nam effectus formalis primarius alicuius formæ est ipsa forma subiecto communicata: ergo non stat capacitas formæ in subiecto, cum incapacitate ad eius effectum formalem. Minor autem probatur: nam cui essentialiter repugnat actus, non potest conuenire posse proximum, imo nec remotum ad illum; cum non repugnantia actus essentialiter exigatur ad posse in ordine ad illum; sed Filio repugnat essentialiter actualis generatio: ergo non est potens proximè, nec remote generare. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: nam Filio essentialiter repugnat generare se ipsum, vt ex terminis constat: repugnat etiam illi essentialiter alium Filium generare, cum alius Filius essentialiter repugnet in Deo; & consequenter essentialiter etiam repugnet generatio alterius Filij: ergo repugnat Filio essentialiter actualis generatio; & consequenter, non habet potentiam generatiuam quoad essentiam adæquatè.

301 *Solutio D.Tho.*

Relictis ergo his ſolutionibus, ad argumentum reſpondeo conceſſa maiori negando minorem. Ad probationem diſtinguo maiorem: Filio non conuenit potentia generandi ſumpta generatione actiue, concedo maiorem: ſumpta paſsiuê, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: nam eadem potentia eſt in Patre, & in Filio; in Patre vt actiue generet, in Filio vt paſsiuê generetur; ac proinde nulla potentia conuenit Patri, quæ non competat Filio, etſi non conueniat vtrique ſub eodem reſpectu, ſed ſub diuerſo. Ita D. Thomas *in 1. diſtinct. 31. quæſtione 1. articulo 1. in corpore, & ſolutione ad 2. 4. Contra-Gentes capitulo 13. & in hac 1. parte quæſtione 41. articulo 6. ad primum, & quæſtione 42. art. 6. ad 3.*

302 *Contra illãarg. 1.*

Sed contra hanc ſolutionem obſtat primo: nam ſaltim ſequitur eſſe in Patre aliquã potentiá actiuã, quæ non ſit in Filio, & conſequentêr quod in potentia actiua non ſint æquales. Probatur ſequela: potentia generandi, ſumpta actiuê generatione, eſt aliqua potentia actiua; ſed hæc conuenit Patri, & non conuenit Filio: ergo aliqua potentia actiua conuenit Patri, quæ non eſt in Filio.

303 *Secũdo.*

Secundo: nam ſaltim ſequitur, Spiritum Sanctum non eſſe æqualé Patri in potentia, vel in omnipotentia; conſequens eſt contra fidem: ergo ſolutio inſufficiens. Probatur ſequela: potentia generandi eſt in Patre, & non in Spiritu Sancto, nec actiue ſumpta generatione, nec paſſiuê ſumpta, cũ nec generare, nec generari poſsit: ergo ſi ex hoc principio Pater, & Filius æquales ſunt in potentia, quia potentia generandi, quæ in Patre eſt vt generet, & in Filio vt generetur, Spiritus Sanctus nõ erit æqualis Patri in potentia.

304 *Tertio.*

Tertio: nam potentia generandi actiua diſtincta eſt à potentia generandi generatione accepta paſsiuê: ergo ex eo quod Filius generari poſsit, non ſequitur eádem potentiam, quæ conuenit Patri, eſſe in Filio. Probatur antecedens: plus differunt actio, & paſsio, quam duę actiones; ſed ad duas actiones duplex potentia requiritur: ergo ad actionem, & paſsionem, eadem potentia non eſt, & conſequenter potentia ad generandum actiuê non eſt eadem cum potentia ad generationem ſumptam paſsiuê,

305 *Confir.*

Quod amplius confirmari poteſt: nam potentia generandi eſt intellectus prout in Patre; ſed potentia vt Filius generetur, non eſt intellectus prout in Filio: ergo non eſt eadem potentia generandi actiuê, & paſsiuê. Maior eſt doctrina Diui Thomæ à nobis tradita *ſupra diſp. 72.* conſequentia tenet, & minor probatur: Potentia vt filius generetur, eſt potentia vt intelligatur: vt enim ibidem docuimus generatio paſsiua eſt paſsiuum intelligi vt in Filio; ſed poſſe intelligi eſt paſsiua intelligibilitas, quæ virtualiter ab intellectu diſtinguitur: ergo potentia vt Filius generetur non eſt intellectus.

306 *Reſp. a 1. obie d ctionem-*

Reſpondeo ad primam replicã, negando ſequelam. Ad probationẽ diſtinguo maiorem: eſt aliqua potẽtia actiua, ſumpta abſolutê, nego maiorem: eſt aliqua potentia actiua, vt modificata paternitate, concedo maiorem: & conceſſa minori, vel nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens: aliqua potentia actiua ſumpta abſolutê non eſt in Filio, nego conſequentiam: vt modificata tali reſpectu, concedo conſequentiam: nam potentia generatiua, non eſt potentia diſtincta in ratione potentiæ ab omnipotentia, vel intellectu Patris, ſed eſt omnipotentia, vel intellectus prout in Patre. Vnde vt potentia generandi actiue non cõueniat Filio, ſufficit quod illi nõ cõpetat reſpectus paternitatis; ac proinde cum ex negatione potentiæ generandi actiuæ, infertur negatio alicuius potentiæ actiuæ. Vel neganda eſt conſequẽtia, quia mutatur quid in ad aliquid, & ex negatione

re-

relationis infertur negatio alicuius abſoluti. Vel claritatis gratia poteſt conſequens data diſtinctione diſtingui. Ita colligitur ex doctrina Diui Thomæ *q.42.art.6.ad 3.*

307 *Replicabis.* Sed dices, aliqua operatio conuenit Patri, quæ repugnat Filio, ſed cui conuenit operatio, conuenit potentia operatiua, & cui operatio repugnat, non conuenit potẽtia operatiua: ergo aliqua potentia productiua conuenit Patri, quæ Filio non conuenit. Minor cum conſequentia tenet: maior autem probatur: generatio ſumpta actiuè eſt aliqua operatio; ſed generatio ſic ſumpta conuenit Patri, & repugnat Filio: ergo aliqua operatio cõuenit Patri, quæ Filio repugnat.

308 *Reſp.* Reſpondeo negando maiorem, ad probationem, diſtinguo maiorem: generatio ſumpta actiuè eſt aliqua operatio abſolutè, nego maiorem: eſt aliqua operatio vt modificata relatione paternitatis, concedo maiorem, & conceſſa minori, vel nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens: ergo aliqua operatio conuenit Patri, quæ Filio repugnat ſub conceptu actualitatis, & operationis ſumptæ abſolutè, nego conſequentiam: quæ Filio repugnat vt modificata reſpectu paternitatis, concedo conſequentiam. Quæ diſtinctio, & doctrina conſtat *ex dictis in ſolutione obiectionis*, traditurque à D. Thoma *in 1. diſtinctione 31. quæſt. 1. art. 1. ad 1.* illis verbis: *Ad primum dicendum, quod generatio ſignificat relationem per modum operationis, & etiam eſt operatio aliqua diuinæ naturæ, & quamuis generatio non conueniat Filio, non ſequitur, quod aliqua operatio conueniat Patri, quæ non conueniat Filio: vna enim, & eadẽ generatione Pater generat, & Filius naſcitur, ſed hæc operatio eſt in Patre, & Filio ſecundum aliam, & aliam relationem.*

309 *Inſtabis* Sed inſtabis: ad minus ſequitur conuenire Patri potentiam aliquam productiuam ad intra, quæ Filio nõ conuenit; conſeqnens eſt falſum: ergo & illud ex quo ſequitur. Sequela patet: nam potentia productiua ad intra dicit abſolutum vt modificatum relatione; ſed abſolutum vt modificatum relatione paternitatis nõ conuenit Filio: ergo aliqua potentia productiua ad intra, conenit Patri, & non conoenit Filio. Minor autem probatur. Tũ, quia ſequitur Filium non eſſe æqualem Patri in potentia productiua ad intra: conſequens eſt falſum: ergo. Tum etiam: nam ſequitur non eſſe æqualem Patri in omnipotentia, cum non adæquetur illi in omnipotentia productiua: omnis autem potentia productiua ſub omnipotentia contineatur, vel ſit ipſa omnipotentia; conſequens eſt abſurdum: ergo nulla potentia productiua ad intra poteſt cõuenire Patri, & non Filio, vel æqualis in potentia non ſunt.

310 *Reſp.* Reſpondeo concedendo ſequelam, & negando minorem: nam licet hæc propoſitio concedenda non ſit; *aliqua potentia productiua conuenit Patri, & non Filio*, quia ſub his terminis non importatur relatio, ſed tantum abſoluta perfectio potentiæ, hæc tamen aliqua potentia productiua ad intra conueniens Patri, non conuenit Filio, neceſſario eſt concedenda, valet enim bene: *Potentia generatiua eſt potentia productiua ad intra; hæc conuenit Patri, & non conuenit Filio: ergo aliqua potentia productiua ad intra conueniens Patri, non conuenit Filio*; cum ſine defectu arguatur: nam inconſequenti ſub nomine potentiæ productiuæ ad intra, etiam importatur abſolutum cum reſpectu, ſicut in maiori, & minori, ac proinde non mutatur *quoa* in *ad aliquid*, nõ tamen inde colligitur; ergo aliqua potentia productiua conuenit Patri, & non Filio, quia in hac conſequentia, defectus ille contingit mutationis *quia* in *aliquid*, & ex negatione abſoluti vt modificati relatione, colligitur negatio perfectionis abſolutæ.

311 *Ad 1. prob. minoris.*

Ad primam minoris probationem dicatur: in hoc complexo, *potentia productiua ad intra*, importari abſolutum vt modificatum relatione, in abſoluto comparatur Pater, & Filius, & in hoc adæquantur, in relatiuo non comparantur. Cuius ratio eſt: nam ſolum comparantur in illo, ſecundum quod attenditur ſimilitudo, & æqualitas, vt autem ex D. Thoma vidimus §. 8, perſonarũ ſimilitudo, aut æqualitas non attenditur ſecundum proprietates relatiuas, ſed ſolum ſecundum perfectiones abſolutas, ac proinde in relatiuo, quod de connotato importat hoc complexum, *potentia productiua ad intra*, nec in ipſo complexo ſumpto adæquatê, non comparantur Pater, & Filius.

312 *Ad 2.*

Ad ſecundam probationem nego ſequelam: nã omnipotentia ſumpta abſolutê non importat potentiam productiuam ad intra, ſed tantum potentiam productiuam, ſumpta vero prout in Patre, dicit potentiam generatiuam, & prout in Patre, & Filio, potentiam ſpiratiuam, vt autem ex dictis conſtat, Pater, & Filius non comparantur in relationibus, nec in abſolutis perfectionibus vt modificatis per relationes, & ideo non comparantur in omnipotentia vt productiua ad intra, ſed in omnipotentia vt productiua abſolutê, & in illa vt ſic ſunt æquales.

313 *Secũda obiectioni dilui tur.*

Ad ſecundam obiectionem nego ſequelam. Ad probationem dicatur, generationem ſumptam paſsiuê conſiſtere in paſsiuo intelligi connotata filiatione; licet autem filiatio connotata non conueniat Spiritui Sancto, conuenit tamen illi paſsiuũ intelligi, ac perconſequens illi conuenit generatio paſsiua pro eo quod importat in recto, & quia ſolum id, quod in recto importat, perfectionẽ dicit, conuenit Spiritui Sancto paſsiua generatio quoad omnem ſuam perfectionem; & conſequentêr æqualis eſt Filio: nam defectus connotati non addentis perfectionem, æqualitati non obeſt, vt conſtat ex dictis.

Ad tertiam nego antecedens, loquendo de potentia generandi ſecundum quod importat in recto. Ad probationem, diſtinguo maiorem: actio, & paſsio rigoroſa, concedo maiorem: actio, & paſsio, quæ ſolũ grãmaticaliter paſsio eſt, nego maiorẽ, & prætermiſſa minori, diſtinguo conſequens: ſi paſsio rigorosê paſsio ſit, concedo conſequentiam: ſi ſolum ſit grammaticaliter paſsio, nego conſequentiam. Ratio diſtinctionis eſt: nam patiens paſsione ſtricta, neceſſario diſtinguitur realiter ab agente, nihil enim poteſt agere, & pati ſecũdum idem; ac proinde potentia paſſiua, neceſſario eſt diſtincta ab actiua. Cum vero paſsio ſolum eſt grãmaticaliter talis, idem poterit eſſe agens, & patiens: nam eſt intelligẽs, & intellectum, cum eſſe intelligens, ſit eſſe agens, & intelligi ſit grãmaticaliter pati; ac proinde reſpectu actionis, & paſsionis, quo ſolum eſt grammaticaliter paſsio, poteſt eſſe eadem potentia.

314 *Ad 3.*

Ad confirmationem dicatur: potentiam generandi, tam actiue quam paſsiuê eſſe duplicem, nempê remotam, & proximam. Potentia remota eſt natura diuina, quæ prout in Patre eſt generatiua vt *quo* radicaliter, & prout in Filio eſt intelligibilis radicaliter, & vt *quo* radicaliter generabilis. Et loquendo de hac potentia eadem eſt realiter, & virtualiter in Patre vt generet, & in Filio vt generetur quantum ad id quod importat in recto; cum eadem ſit realiter, & virtualiter Patris, & Filij natura. Potentia autem proxima actiuê generandi, eſt intellectus, prout in Patre, & potẽtia proxima reſpectu generationis paſsiuæ, eſt proxima intelligibilitas, prout in Filio. Vnde ſi hæc à natura Dei, & ab intellectu virtualiter diſtinguatur, vt plures probabiliter docent; potentia proxima generandi pro eo quod dicit in recto; non erit eadem virtualiter, ſed tantum realiter in Patre ad generandum, & in Filio vt generetur. Hæc autem realis identitas

315 *Ad cõf.*

ſuffi-

ſufficit vt ſubſiſtat æqualitas inter Patrem,& Filium: nã eo ipſo,quod ſint realiter formaliter idem,nõ poteſt vna conuenire Filio,& non alia; ſi autem paſsiua intelligibilitas nõ diſtinguitur virtualiter ab intellectu,potentia proxima generandi erit eadẽ,adhuc virtualiter,pro eo quod dicit in recto,in Patre ad generandum,&in Filio vt generetur. Et quia vtrumque eſt in via D.Thomæ probabile,vtroque modo poteſt accipi D.Thomas, cum docet eandem eſſe potentiam in Patre vt generet, & in Filio vt generetur.

§. Vltimus.

Cætera, quæ inferuntur ex dictis.

316 *Æqualitas durationis prob.*

TErtio infertur,perſonas diuinas eſſe in duratione æquales Quod patet primo ex Symbolo Athanaſij,illis verbis: *Æternus Pater, æternus Filius, &c. nõ tamen tres æterni,ſed vnus æternus*, ſed æternitatis vnitas non patitur inæqualitatem durationis: ergo tres perſonæ diuinæ ſunt in duratione æquales. Secundo ex illo Ioannis 1. *In principio erat Verbum*, vbi habetur coæternitas Verbi cum Patre; & conſequenter æqualitas durationis. Tertio: nam duratio immutabilitatem conſequitur,hæc autem actualitatẽ; ſed tres perſonæ ſunt eiuſdem actualitatis,cum ſint eiuſdem eſſentiæ: erſo ſunt eiuſdem immutabilitatis; & conſequenter eiuſdem durationis.

317 *Prob.*

Denique: nam quod terminus non coexiſtat ſuo principio, prouenit, vel ex imperfectione principij, quia nempè non ſtatim à principio eſt perfectum, vt contat in puero, qui ob imperfectionem, & debilitatem virtutis,generare nõ poteſt; vel quia agens liberum eſt,& pro ſua libertate,non ſtatim producit effectũ; vel denique,quia actio per quam terminus producitur eſt ſucceſsiua, ſed nihil horum intercedit in proceſsione diuinarũ perſonarum,Pater enim v.c.non ex electione libera, ſed naturaliter Filium producit, illius natura,ab æterno fuit perfecta,&actio, qua Filius producitur non eſt ſucceſsiua,aliàs generatio diuina materialis eſſet: ergo ab æterno Filium produxit. Idemque argumentum fit de tertia Trinitatis perſona. Licet enim Scotus proceſsionem Spiritus Sancti liberam eſſe defendat,nõ loquitur de libertate contingenti,ſed de libertate eſſentiali;non enim Spiritus Sanctus ita procedit,vt potuerit non procedere, ſed illius proceſsio eſt omnino neceſſaria, & non eſt ſucceſsiua;aliàs cum motu eſſet; & aliàs principium Spiritus Sancti ab æterno fuit perfectum:ergo Spiritus Sanctus fuit ab æterno productus;& conſequenter eſt Patri,& Filio coæternus,& in duratione æqualis. Hac ratione vtitur D. Thomas *in præſenti art.2.* *ratio D. Tho.*

318 *Contra iſtam veritatem arg.*

Sed contra iſtam veritatem oppones: vbi eſt prius,& poſterius,nõ eſt durationis æqualitas; ſed Pater eſt prior Filio,& Filius eſt Pater poſterior:ergo non ſunt æquales in duratione. Maior videtur certa: nam prioritas dicit exceſſum in duratione: ergo cum illa non ſtat durationis æqualitas. Minor autem oſtenditur primo: nam de ratione principij eſt eſſe prius termino per illud producto; ſed Pater eſt principium Filij: ergo eſt prior illo. Secundo: nam quod eſt primum,eſt prius; ſed Pater verè,& realitèr eſt prima Trinitatis perſona,& Filius ſecunda:ergo Pater verè,& realitèr eſt prior, & Filius verè, & realitèr poſterior.

319 *Prima ſolutio.*

Huic obiectioni dupliciter ſolet occurri. Prima ſolutio diſtinguit argumenti maiorem: vbi eſt prius, & poterius prioritate in *quo*, concedit maiorem: prioritate à *quo* originis, negat maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris negat conſequentiã: nam Pater non eſt prior Filio prioritate reali in *quo*, ſed tantum prioritate reali à *quo* originis, ſola autẽ prioritas realis in *quo* eſt quæ obſtare poteſt durationis æqualitati; ac proinde ex eo quod Pater ſit prior Filio, & Filius poſterior Patre, non ſequitur non eſſe coæternos, & in duratione æquales. Ita Scotus *in* 1. *diſtinct.* 28. *quæſt.* 3. §. *ad quæſtionem iſtam, & quodlibeto* 4. *art.* 1. §. *contra iſta arguitur*, vbi docet, Patrem eſſe Filio priorem prioritate reali originis. Scotum prater diſcipulos, ſequuntur Vazquez *diſp.* 167. *cap.* 2. Suarez *lib.* 4. *de Trinitate cap.* 15. *num.* 16. Arrubal *diſp.* 146. *conc.* 2. alijque recentiores.

320 *Secũda*

Aliorum ſolutio eſt, quod licet Pater ſit principium Filij, non tamen eſt prior illo prioritate aliqua rea, quia prioritas dicit exceſſum, & poſterioritas importat defectum, Filius autem in nullo à Patre deficit, nec Peter in aliquo excedit, aliàs non eſſent æquales. Ita Durandus *in* 1. *diſtinct.* 6. *quæſt.* 2. *& diſtinct.* 20. *quæſt.* 2. Molina *quæſt.* 42. *art.* 3. Magiſter Bañez *in eodem articulo.* Nazarius *contrauerſia vnica*, & frequentius recentiores Thomiſtæ.

321 *Vtraq; ſolutio eſt probabilis.*

Vtraque ſolutio eſt ſufficiens, prout attinet ad vim argumenti. An autem inter diuinas perſonas non ſolum concedendus ſit ordo realis, ſed etiam prioritas realis originis, quæſtio tantum de nomine eſt, vt aduertit Caietanus *quæſt.* 42. *art.* 3. Certum enim eſt inter diuinas perſonas non dari prioritatem durationis, dignitatis, nec cauſalitatis, quæ vocatur prioritas naturæ, prima namque, & ſecunda repugnant cũ ſumma perſonarum æqualitate, & tertia cũ ſumma independentia, ſolum enim datur prioritas naturæ inter cauſam, & effectum; licet autem vna perſona ſit principium, & alia terminus productus, non tamen ſunt cauſa, & effectus, quia perſona procedens accipit eãdẽ naturam, quæ eſt in principio producente.

322 *An ſit concedẽda prioritas realis?*

An autem ſicut ratio principij amplius patet quam ratio cauſæ, & ideo in Deo ſaluatur reſpectu perſonarum ad intra: ita prioritas realis abſtrahat à prioritate naturæ, qua cauſa præcedit effectum, & à prioritate originis, qua principium non cauſans præcedat terminum productum? Scotus, & alij relati pro prima ſolutione docent prioritatẽ realem abſtrahere à prioritate cauſæ, & principij, & ideò Patrem non ſolum eſſe verè, & realiter principium Filij, ſed etiam realiter illo priorem, & Filium realiter poſteriorem, non abſoluté, ſed cũ addito, ſcilicet, prioritate, & poſterioritate originis. Authores vero ſecundæ ſolutionis hoc negant, ſentientes prioritatem realem, ſolum cauſæ reſpectu effectus cõpetere. Vnde Pater non eſt dicendus prior realiter reſpectu Filij, nec Filius realiter Patre poſterior prioritate realis originis.

323 *Prob.*

Ducti primo, quia D. Thomas *in præſenti art.* 3. concedit inter perſonas ordinem, & negat prioritatem; ſed ſolum concedit ordinẽ originis: ergo prioritatem realem etiã originis negat, aliàs nullum eſſet inter ordinem, & prioritatem diſcrimen. Tum etiam: nam id expreſſe docet Auguſt. *lib.* 3. *cõtra Maximinum cap.* 4. illis verbis: *Non genitorem ab eo, quem genuit, ſed genitũ à genitore mitti oportebat, verum hoc non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ, nõ quod alter prior eſt altero, ſed quod alter eſt ab altero*, vbi, vt clarè conſtat, docet Auguſtinus, & concedit ordinem, negat autem prioritatem. Nec ſufficit communis euaſio, nempè Auguſtinum, & D. Tho. negare inter diuinas perſonas prioritatẽ abſolute, non autem prioritatem realem cum addito, ſcilicet prioritatem realem originis.

324 *Communis euasio excluditur 1.*

Nam contra illã facit primo: Augustinum, & D. Thomam in eo sẽsu negare prioritatem, in quo ordinẽ concedunt, & non concedũt inter diuinas personas ordinem durationis, aut dignitatis, sed tantũ principij originis: ergo negant prioritatem realem, non solum dignitatis, & durationis, sed etiam originis.

Secũdo.

Deinde: nam contrarij Authores inde mouentur ad statuendam prioritatem realem, quia est ordo realis, principium reale, & vna persona verè, & realiter est prima, & alia secunda; ordo autem, principium, & primitas realem prioritatem important; sed negata prioritate reali absolutè, corruit huius argumenti efficacia: ergo neganda est prioritas realis cum addito, scilicet originis. Probatur minor, absolutè conceditur ordo realis inter diuinas personas, absolutè etiam conceditur Patrem esse principium reale Filij, & esse primam personam, & Filium esse secundam; sed negatur absolutè realis prioritas: ergo diuersa est ratio prioritatis, & ordinis, principij primi, & secundi, & consequenter eo quod inter diuinas personas sit ordo realis, & vna sit realiter principium alterius, & vna sit prima, & alia secũda, nõ sequitur realis prioritas.

325 *Tertio.*

Tertio: nam quia ratio principij abstrahit à principio causante, & originante, absolutè conceditur Patrem esse principium reale Filij: ergo si absolutè non conceditur esse priorem Filio prioritate reali, est, quia prioritas realis non abstrahit à prioritate causæ, & principij originis, sed prioritas principij causalitatem importat; & consequenter, sicut hæc propositio, *Pater est causa Filij*, à Latinis non conceditur, nec absolutè, nec cum addito, scilicet, causa originis; ita hæc propositio, *Pater est prior realiter Filio*, nec absolutè, nec cum addito est concedenda.

326 *Cõfirm.*

Facit etiam vt modus iste loquendi debeat præponi, quod Athanasius in Symbolo docet: *Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*, vbi sicut negat maioritatem, ita negat prioritatem, sed maioritatem taliter negat, vt excludat maioritatem etiam originis: ergo prioritatem taliter negat vt excludat, non solum prioritatem absolutè, sed etiã prioritatem realem originis.

327 *Explicantur PP.*

Quod si aliquando Patres prioritatem concedunt, explicandi sunt de prioritate rationis, aut reali virtuali, non de prioritate reali formali. Ex dictis constat non valere argumentum ab ordine reali, nec à reali principio ad realem prioritatem. Constat etiam ex eo quod non solũ numero numerante, sed etiam à parte rei Pater sit prima persona, & Filius secunda, non sequi Patrem esse realitèr priorem, & Filium realitèr posteriorem Patre, quia ad hoc sufficit realis origo absque reali prioritate, vt expresè docet D. Thom. *in 1. distinct. 20. quæst. vnica art. 3. ad 5.* illis verbis: *Ad quintum dicendum, quod ordo originis sufficit vt confusio non ponatur, & ad hoc, quod Spiritus Sanctus dicatur tertia persona.*

328

Huic modo dicendi vt probabiliori, olim assensum præbebã, modo tamen ab illo recedo, hac ductus ratione: nam pertinens ad aliquem ordinem, & non simul realiter cum alio in illo ordine, est realiter illo in tali ordine posterior; sed Filius pertinet ad ordinem originis, & in hoc ordine non est simul realiter cum Patre: ergo est realitèr illo posterior posterioritate ordinis, & originis. Consequentia tenet. Minor videtur certa: nam id solum est simul simultate originis cum principio, quod se tenet ex parte principij originis; sed Filius non se tenet ex parte principij generationis, aliàs generaret se ipsum: ergo non est simul realiter cũ Patre simultate originis. Maior autem probatur: nam inter esse simul realiter simultate ordinis, & realiter

posterius posterioritate ordinis, non datur medium in spectante ad ordinem: ergo quod ad ordinem spectat, & non est simul simultate reali ordinis, est posterius reali posterioritate.

329 *Non vrget motiua in cõtrariũ.*

Nec motiua in oppositum vrgẽt: nam Augustinus, & D. Tho. solum negant prioritatẽ inter diuinas personas dictam absolutê, non autem prioritatem cũ addito, scilicet, prioritatem originis, quam non posse negari, constat argumento facto *num.* 228. Nec obstat primum, quod contra istam interpretationẽ obijcitur; stat enim differentia inter ordinem, & prioritatem, quod ordo absolutê conceditur; secus autẽ prioritas, sed solum cum addito. Secundum, quod ibi obijcitur, nobis nõ aduersatur, argumentũ enim illud, quo vtitur Vazquez inefficax reputauim⁹ supra explicando litterã *artic. 3. quæstionis quadragesimæ secundæ.*

330 *Tertia obiectio & cõfirmatio diluuntur.*

Ad tertiam dicatur, principium vt absolute enunciatum subtrahere à causa reali, & à principio originis sine vlla causalitate, & ideo absolutê conceditur inter diuinas personas. Prioritas autem non abstrahit vt dicta absolutê; & ideo non est absolutê concedenda: & ratio istius differẽtiæ non potest aliunde sumi, quam ex modo loquendi PP. concedentiũ absolutê principiũ, & prioritatem absolutê negantiũ. Et ex his ad confirmationem constat solutio: maioritas namque in communi PP. vsu superioritatum, & excessum perfectionis importat; ideoque, nec absolutê, nec cũ addito est concedendum Patrem esse maiorem Filio. Prioritas autem, etsi absolutê dicta importat excessum, dicta cum addito solum importat esse principium originis. Præterquamquod D. Tho. *q. 42. art. 4. ad 1.* concedit ex Hilario, Patrem esse maiorem Filio donãtis authoritate, quod videtur esse concedere Patri respectu Filij maioritatem cum addito, nempê maioritatê originis.

331 *Denique;*

Denique infertur ex dictis, relationem similitudinis vnius personæ ad aliam non esse diuersam à relatione æqualitatis, & identitatis, qua vna ad aliam refertur. Constat primo ex D. Thoma *quæst. 42. art. 1. ad 2.* ibi: *Dicendum, quod vbi attenditur æqualitas secundum quantitatem virtualem, æqualitas includit in se similitudinem, & aliquid plus, &c.* ergo æqualitas, qua Pater ad Filium refertur, est formalitêr similitudo. Deinde probatur: nam Filius v. c. assimilatur Patri in natura, & attributis; sed in eisdem prædicatis Patri adæquatur: ergo idê est fundamentũ relationis æqualitatis, & identitatis; & consequenter eadem est relatio, qua personæ referuntur vt similes, vt æquales, & vt idem. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 1. distinct. 7. §. 1.* ad illa verba: *Non enim non peterit; & distinctione 20. §. 2.* ad illa verba: *Nihil, inquit Patre, habet minus, &c.* & *distinct. 31. §. 1.* ad illa verba:

Præterea considerari oportet.

M. Set.





DISPVTATIO NONAGESIMA OCTAVA.

In quo missio Diuinarum Personarum consistat, & quotuplex sit?

§. I.

Prima pars disputationis resoluitur.

Nu. 1. *Missionis existētia est de fide.*

EXISTENTIAM missionis diuinarum personarū, vt fide certam supponim⁹, constatque ex illis testimonijs Scripturæ, in quibus personæ dicūtur missæ. Ad Galatas 4. *Misit Deus Filium suum.* Ioannis 14. de Spiritu Sancto dicitur: *Quē Pater mittet in nomine meo.* Et Ioannis 16. *Si abiero, mittam eum ad vos,* & alibi sæpē; cum enim personā mitti sit effectus, vel quasi effectus formalis missionis, eo ipso, quod de fide sit personas diuinas mitti est de fide missionem personarum existere.

Cum autem, vt inquit D. Thomas in 1. distinct. 15. quæst. 1. art. 1. in corpore: *Missio ratione suæ significationis dicat exitum alicuius, vt missi ab aliquo, sicut à mittente, & ad aliquem terminum, duo in ratione missionis importantur,* inquit D. Thomas in hac quæstione art. 1. in corpore, *vnum est habitudo missi ad eū a quo mittitur; aliud est habitudo missi ad terminum ad quem mittitur*; & consequenter vt missio diuinarum personarum subsistat, vtraque ista habitudo subsistere debet in persona, quæ dicitur missa.

2 *Duplex habitudo est de ratione missionis.*

Vt autem à missione diuinarū personarum omnis imperfectio excludatur, animadvertendum est ex D. Thoma *in præsenti art.* 1. processionem, vel exitum missi à mittēte, tripliciter posse contingere, nempē, *secundum imperium, sicut dominus mittit seruum*; *vel secundum consilium, vt consilarius mittere dicitur regem ad bellandum: vel secundum originē, vt si dicatur, quod flos emittitur ab arbore.* Habitudo etiam missi ad terminum ad quē mittitur, vt aliquomodo ibi esse incipiat, dupliciter contingere potest,

3 *Tripliciter cō tingit exitus, vnius ab alio.*

vel

vel quia prius ibi omnino non erat quo mittitur, vel quia incipit ibi aliquomodo eſſe, quo prius non erat.

4 *Miſsio perſonarũ ſolũ importare poteſt exitum ſecundum originẽ.*

Miſsio igitur diuinarum perſonarum non importat exitum ſecundum imperium, quia ad hoc ſubiectio requiritur, & inferioritas miſſi ad mittentem; vna autem perſona diuina alteri ſubiecta eſſe nequit, nec illi inferior; cum omnino æquales ſint. Nec ſecundũ conſilium, hoc enim ignorantiam in conſiliato ſupponit, quæ imperfectio maxima eſt repugnans perſonis diuinis. Vnde ſolum importare poteſt exitum ſecũdum originem, in qua nulla imperfectio inuenitur.

5 *Illiº habitudo ad terminum explicatur.*

Cum habitudine ad terminũ incipiendo eſſe, non vbi prius omnino non erat, hoc enim mutationem localem importat, quæ immenſitati perſonarum repugnat, ratione cuius omnis diuina perſona omni loco præſens eſt, & omnem occupat locum, ſed incipiendo eſſe in termino modo aliquo, quo prius ibi non erat, non ratione mutationis perſonæ, quæ mitti dicitur, ſed ratione mutationis illius ad quem fit miſsio, in quo nulla imperfectio inuenitur. Vnde rectẽ D. Thomas ſic concludit corpus articuli: *Miſsio igitur, diuinæ perſonæ conuenire poteſt ſecundum quod importat ex vna parte proceſsionem originis à mittente, & ſecundum quod importat ex alia parte nouum modum exiſtendi in alio, ſicut Filius dicitur miſſus à Patre in mundum, ſecundum quod incepit in mundo eſſe per carnẽ aſſumptam, & tamen antea in mundo erat, vt dicitur Ioannis primo.*

6 *Prima ſententia*

Hoc ita ſuppoſito inquirimus, in qua iſtarum habitudinum cõſiſtat eſſentialiter miſsio, prout diuinis perſonis tribuitur. Prima ſententia defendit, miſsionem adæquatẽ ſaluari in habitudine originis, hoc eſt, in proceſsione vnius perſonæ ab alia. Ita quidam, quos ſine nomine refert Magiſter Sententiarum *in* 1. *diſt.* 15. §. 10.

Secunda per oppoſitum docet, adæquatẽ conſiſtere in effectu temporali, vel in habitudine ad illum. Hæc tribuitur Magiſtro vbi proximẽ, falſo tamen Magiſtro attribuitur. Tũ, quia ſolum docet in miſsione importari temporalem effectum, ex quo non ſequitur ſentire quod adæquatẽ importetur, niſi velimus omnibus Tehologis illam ſententiã tribuere. Tum etiam, quia expreſſe negat Magiſter, quod Pater diuinus mittatur, & quod mitti poſsit, quod tamen negare non poſſet, ſi miſsio adæquatẽ in effectu temporali conſiſteret.

7 *Secũda ſẽtẽtia, falſo Magiſtro attributa*

Tertia, & vera ſententia defendit, vtramque habitudinem eſſe de ratione miſsionis diuinarum perſonarum. Ita communiter Scholaſtici cum Magiſtro *in* 1. *diſtinct.* 15. Et Theologi cum D. Thoma *in hac quæſtione artic.* 1. & *ſequentibus*, vbi Caietanus, Bañez, Zumel, Magiſter Sancto Thoma, Patres Salmãticenſes, & alij Recentiores Thomiſtæ. Ex alienis Molina *in præſenti art.* 1. & 2. Vazquez *diſp.* 170. Suarez *lib.* 12. *de Trinitate cap.* 1. Granados *tract.* 15. *diſp.* 1. alijque Recentiores ex eadem familia. In qua autem ex his habitudinibus principaliter miſsio conſiſtat, non conueniunt Authores huius ſentẽtiæ, quibuſdã aſſerentibus principaliter cõſiſtere in proceſsione æterna, & de connotato in effectu temporali. Ita ex noſtris Magiſter Sancto Thoma, & ex Patribus Societatis, Vazquez *diſp.* 170. *cap.* 2. Alijs ẽ cõtra aſſerentibus, principaliter importari in miſsione habitudinem liberam ad effectum temporalem, & minus principaliter proceſsionem. Hæc tribuitur Bonauenturæ *in* 1. *diſtinct.* 15. *prima parte diſtinctionis quæſt.* 3. & 4. Scoto, & Gabrieli *in* 1. *diſtinct.* 14. Idque expreſsẽ tenet Durandus *in* 1. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 2. *n.* 8. quos ex noſtris ſequuntur Patres Salmanticenſes *in præſenti art.* 1. *dub.* 1.

8 *Tertia, & vera ſententia.*

D. Tho. Caieta. Bañez. Zumel: S. Tho. Salmãt. Molina. Vazq. Suarez. Grana.

Sit prima concluſio: *De ratione miſsionis diuinarum perſonarum*

9 *Prima*

eſt

pars oſtenditur primo.

eſt proceſsio, & habitudo ad effectũ temporalem. Prima pars concluſionis oſtenditur primo: nam de ratione miſsionis vt ſic, eſt exitus miſsi à mittente, vel per imperium, vel per conſilium, vel per originem; & conſequenter debet miſsioni diuinarum perſonarum conuenire; ſed exitus per imperium, aut conſilium repugnat perſonis diuinis, cum primum ſubiectionem importet, & ſecundũ, ignorantiam, aut defectum ſcientiæ ſupponat, quæ perſonis diuinis repugnant; exitus autem per originem nullam dicit imperfectionem: ergo exitus per originem in proceſsione conſiſtens, eſt de ratione miſsionis diuinarum perſonarum.

10 *Secũdo prob.*

Secundo: nam de ratione miſsionis eſt, quod perſona miſſa non habeat à ſe authoritatem, ſed illam ab alio accipiat; ſed vna perſona diuina non poteſt ab alia accipere authoritatem, niſi tantum per proceſsionem ab illa: ergo de ratione miſsionis diuinarum perſonarũ, eſt proceſsio perſonæ miſſæ, ſaltim ab aliqua perſona mittente.

11 *Deniq; prob.*

Denique probatur: ſi namque de ratione miſsionis non eſſet habitudo proceſsionis, ſed adæquatè in habitudine ad effectum temporalem conſiſteret, ſequeretur, non ſolum Filium, & Spiritum Sanctum mitti, ſed etiam Patrem diuinum, conſequens eſt falſum, vtpotè contra Auguſtinum, quẽ in hoc puncto omnes Theologi ſequuntur: ergo proceſsio eſt de ratione miſsionis. Sequela probatur primo: ſi proceſsio vnius perſonæ ab alia non eſſet de ratione miſsionis, non diſtingueretur miſsio ab aduentu perſonarum; ſed aduentus conuenit Patri, vt conſtat ex illo Ioannis: *Si quis diligit me, ſermonẽ meũ ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &c.* ergo ſi proceſsio non eſſet de ratione miſsionis, non ſolum Filio, & Spiritui Sancto, ſed etiam Patri competeret. Secundo: nam ſi de ratione miſsionis non eſſet proceſsio, miſsio non eſſet prædicatum notionale, ſed prædicatum commune; ſed prædicata non notionalia, omnibus perſonis conueniunt: ergo conueniret Patri, & non ſolum Spiritui Sancto, & Filio.

12 *Secũda pars cõcluſionis probatur ex Aug.*

Secunda pars concluſionis conſtat primo ex Auguſtino *lib. 4. de Trinitate cap. 20.* illis verbis: *Non eo ipſo, quod de Patre natus eſt, miſſus dicitur Filius, ſed eo ipſo, quod apparuit huic mundo Verbum caro factum, vel ex eo quod in tempore mente cuiuſque percipitur, ſicut dictum eſt, mitte illam vt mecũ ſit, & mecum laboret*; ſed ſi miſsio adæquatè conſiſteret in proceſsione æterna, eo ipſo, quod de Patre eſſet natus, diceretur Filius miſſus, cum eo ipſo illi conueniret adæquata eſſentia miſsionis: ergo iuxta Auguſtinũ miſsio Filij non conſiſtit adæquatè in æterna proceſsione.

13 *Secũdo prob.*

Secundo probatur: nam proceſsio vnius perſonæ ab alia eſt æterna; miſsio autem diuinæ perſonæ nõ æterna, ſed temporalis eſt, vt docet D. Thomas *art. 2.* & cum illo omnes Theologi, conſtatque ex Paulo *ad Galatas 4.* illis verbis: *Quando venit plenitudo temporis, miſsit Deus Filium ſuum*: ergo miſsio perſonæ diuinæ non conſiſtit adæquatè in proceſsione æterna, ſed in illa, & habitudine ad effectum temporalẽ. Patet conſequentia: nam temporale dicitur, vel eſt, quod vel ſecundum ſe totum, vel ſaltim ſecundum aliquid ſui non exiſtit ab æterno, ſed in tempore incipit: ergo ſi miſsio temporalis eſt, non exiſtit adæquatè ab æterno, ſed ſaltim ſecundum aliquid ſui in tempore incipit, at ſi adæquatè in proceſsione vnius perſonæ ab alia conſiſteret, ſecundum nihil ſui in tempore inciperet miſsio: ergo ſi miſsio temporalis eſt, non conſiſtit adæquatè in æterna proceſsione, ſed aliquid illi addit, nempè habitudinem ad temporalem effectum.

14 *Deniq; prob.*

Præterea probatur: nam miſsio perſonæ diuinæ non eſt neceſſaria, ſed libera, alias Pater mittens Filiũ, charitatem ſuam in homines non cõ-

mendaret, contra illud Ioannis: *Sic Deus dilexit mũdũ, vt Filium ſuũ vnigenitum daret*; ſed proceſsio vnius perſonæ ab alia, omnino neceſsaria eſt: ergo in illa non poteſt cõſiſtere adæquatè miſsio diuinæ perſonæ, ſed aliquid, ab æterna proceſsione diſtinctum, debet ingredi conſtitutionem miſsionis, quod perſonæ miſſæ potuerit non conuenire, quod nihil aliud eſſe poteſt, niſi vel temporalis effectus, vel habitudo, & connotatio illius: quid autem iſtorum ſit, explicabimus inferius.

§. II.

Argumentis contra primam partem concluſionis occurritur.

15 *Contra 1.p. cõcluſionis arg. primo.*

COntra primam partem cõcluſionis arguitur primo: nã miſsio non dat eſſe perſonæ miſſæ, ſed illam productam ſupponit; at proceſsio æterna non ſupponit productas perſonas, ſed per illã eſſe accipiunt, & in eſſe producuntur: ergo proceſsio æterna eſt extra eſſentiam miſsionis diuinarum perſonarũ. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem oſtenditur primo ex D. Thoma *in 1. ſententiarum diſtinct. 15. quæſt. 1. art. 2. in corpore. Et ad Anibaldum in eadem diſtinct. quæſt. vnica art. 2. in corpore*, ibi: *Miſsio non ponit de ſe exitum miſſi à mittente ſecundum eſſe, ſicut patet de ſeruo miſſo à domino*: ergo iuxta D. Thomam, miſsio non dat eſſe perſonæ miſſæ, ſed illam exiſtentem ſuppo nit. Secundo probatur: nam miſsio in creatis nõ dat eſſe perſonæ miſſæ, ſed illam exiſtentem ſupponit, vt conſtat in ſeruo miſſo à domino, qui ab illo non accipit eſſe, ſed exiſtens ad miſsionem ſupponitur; ſed nomẽ miſsionis translatum eſt ex miſsione creata ad ſignificandum miſsionem diuinam: ergo ex vi miſsionis non accipit perſona miſſa eſſe à perſona mittente, ſed ad illam præſupponitur exiſtens.

16 *Reſp. argum.*

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: miſsio accepta terminatiuè, concedo maiorem: ſumpta adæquatè, ſubdiſtinguo maiorem: miſsio ex communi conceptu, concedo maiorem: ex conceptu talis miſsionis, nego maiorem, & conceſſa minori nego conſequentiam. Itaque miſsio terminatiue ſumpta non dat eſſe perſonæ miſſæ, ſemper enim miſsio terminatur ad aliquid à perſona miſſa diſtinctum, nec poteſt dici aliquid mitti ad exiſtendum. Sumpta vero adæquatè, etſi ex communi conceptu non petat dare eſſe perſonæ, quæ mittitur, aliàs in omni inferiori id haberet, permittit in aliquo ſibi inferiori dare eſſe perſonæ, quæ mittitur, quamuis ſub conceptu miſsionis non ſiſtat in illo eſſe, ſed ad vlteriorem terminum tranſeat, & in miſsione diuinarum perſonarum hoc inuenitur.

17 *Explicatur D. Tho.*

Ad primam maioris probationem dicatur, D. Thomam non negare quod aliqua miſsio poſsit perſonæ miſſæ communicare eſſe, ſed quod miſsio de ſe, ideſt, ex communi miſsionis conceptu id petat.

Ad 2.

Ad ſecundam, conceſsis maiori, & minori, nego conſequentiam: cum enim nomen miſsionis ſic ex miſsione creata ad diuinam transferatur, quod debeat à miſsione diuina omnis imperfectio excludi, & non poſsit miſsio diuina omnem imperfectionem excludere, niſi conſtituatur in exitu per proceſsionẽ vnius perſonæ ab alia; fit conſequens, vt quamuis in miſsione creata perſo-

na

na missa supponatur ad illam existens,non possit hæc præsuppositio missioni diuinæ conuenire.

18 *Secũdo arg.*

Secundo arguitur : ex vi exitus,qui est de ratione missionis,determinari debet aliquomodo voluntas missi in ordine ad terminum missionis;sed voluntas personæ diuinæ procedentis non determinatur ex vi processionis ad missionis terminum,nempè,vt incipiat nouo modo esse in creatura per gratiam sanctificantem,in quo terminus missionis consistit : ergo processio æterna non est de ratione missionis diuinarum personarum.Consequentia tenet. Minor videtur certa:nam processio personarum est omnino necessaria;determinatio autem personæ diuinæ ad terminum missionis est libera: ergo processio non est cum illa connexa ; & consequenter voluntas personæ procedentis non determinatur ex vi processionis ad terminum.Deinde: nam persona Filij v.c. processione suppositа , manet omnino indifferens vt veniat, aut non veniat ad nos per gratiam sanctificantem , aut per carnis assumptionem : ergo ex vi processionis nullo modo determinatur voluntas Filij ad terminũ,ad quẽ mittitur.

19 *Maior prob. 1.*

Maior autem probatur : etenim nisi vnus homo aliquomodo ab alio determinetur,& ab illo aliquomodo determinationem voluntatis accipiat in ordine ad aliquem terminum,non dicitur mitti ab illo : ergo hæc determinatio est de ratione missionis , prout in humanis contingit ; sed nomen missionis est translatum ex missione creata ad diuinam: ergo est etiam de ratioue missionis diuinæ , & de ratione missionis , creatæ & increatæ communis.

Secũdo.

Secundo probatur ; quod enim de ratione missionis vt sic sit exitus missi à mittente,non aliunde probatur,nisi quia exitus missi à mittente est de ratione missionis vnius hominis ab alio;sed de ratione missionis vnius hominis ab alio est exitus cum aliqua determinatione voluntatis in ordine ad missionis terminum: ergo exitus missi à mittente cum hac determinatione,est de ratione missionis vt sic; & consequenter est de ratione missionis diuinarum personarum.Ex quo vlterius sequitur, quod processio æterna,ex vi cuius nullatenus determinatur voluntas personæ procedentis ad terminum ad quem mittitur,sit extra rationẽ missionis vnius personæ ab alia.

20 *Communis solutio.*

Huic argumento communiter respondetur , negando maiorem; cum enim determinatio voluntatis ad terminum missionis ex vi exitus missi à mittente,non possit absque imperfectione saluari , & missio ex communi conceptu imperfectionem non dicat,aliàs non posset personis diuinis conuenire,quibus omnis imperfectio repugnat; fit consequens, vt prædicta determinatio non sit de ratione missionis vt sic , & ex conceptu missionis , Deo & creaturis communi , sed solum in creaturis reperiatur,eo quod illis non repugnat imperfectio , quæ in tali determinatione inuenitur ; non enim repugnat , quod vnus homo alterius imperio , aut consilio subordinetur , ex vi quorum illius voluntas aliquomodo determinetur ad exequendum id, quod alius præcipit, vel consiliatur. Et ex his ad primam probationem maioris, concesso antecedenti , & prima consequentia , & minori subsumpta,neganda est consequentia ; etenim nomen missionis taliter transferri debet ex missione humana ad diuinam, vt omnis imperfectio excludatur , quod non potest fieri si missio diuina significet exitum cum prædicta determinatione.

21 *Ad 2. prob. minoris.*

Ad secundam maioris probationem , nego maiorem : si namque solum inde probatur , inferretur etiam de ratione missionis vt sic esse exitum liberum missi à mittente, & exitum per imperium, vel consilium, & quod de ratione mittentis esset authoritas præceptiua,

aut conſiliatiua in miſſum ; cum hæc omnia in miſsione vnius hominis ab alio inueniantur: ergo quod de ratione miſsionis ſit exitus,non ſolum illo argumento probatur, ſed addendum aliquid eſt ; nempê,quod in exitu , prout abſtrahit ab exitu per imperium , per conſilium , & per originem, nulla imperfectio importetur; & conſequenter exitus miſsi à mittente aliquo ex prædictis modis eſt de ratione miſsionis , vt eſt Deo, & creaturis communis. Probatur etiam , ex eo quod eſt de ratione miſsi habere authoritatem, vel poteſtatem ab alio , quod ſine exitu,aliquo ex prædictis modis non poteſt verificari, & in perſonis diuinis ſaluatur per hoc , quod vna ab alia procedat : nam eo ipſo recipit per proceſsionê potentiã,qua termi num miſsionis producit, & per quã incipit nouo modo eſſe increatura.

22 *Contra communẽ ſolutionem arg.*

Sed contra doctrinam iſtam arguitur : vt enim aliqua perſona mittatur , non ſufficit tendentia ad aliquem terminum per virtutem acceptam ab alio,niſi determinatio voluntatis miſsi intercedat : ergo per hoc , quod perſona diuina procedens,nouo modo incipiat eſſe in creatura,in quo terminus miſsionis conſiſtit,per virtutem ab alia perſona per proceſsionem acceptam abſque vlla determinatione voluntatis, non ſubſiſtit vera , & propria ratio miſsionis vnius perſonæ ab alia. Probatur antecedens primo : homo namque à Deo recipit virtutem eundi quocumque vadit ; & tamen non mittitur quocumque vadit à Deo,niſi imperium intercedat : ergo ad rationem miſsionis non ſufficit incipere eſſe alicubi nouo modo per virtutem acceptam ab alio, niſi determinatio aliqua voluntatis miſsi intercedat. Secundo: nam Pater creatus per generationem imprimit Filio virtutem eundi ; & tamen ſi non det voluntatem eundi , illamque per conſilium , vel imperium determinet , non dicitur mittere Filium ; aliàs quocumque iret Filius diceretur miſſus à Patre : ergo vt vnus mittatur ab alio non ſufficit tendentia ad aliquem terminum per virtutem acceptam ab illo,ſed neceſſario exigitur,quod ab eo voluntatem accipiat , & voluntatis determinationem.

23 *Reſp.*

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : non ſufficit tendentia in terminum per virtutem acceptam ab alio cum dependentia, aut connexione per ſe,non ſolum in fieri, ſed etiam in conſeruari , nego antecedens : ſine tali perfeitate , concedo antecedens,& nego conſequentiam: quod enim perſona diuina procedẽs à perſona , à qua procedit recipiat omnem virtutem, non per accidens, ſed per ſe illi conuenit,non ſolum in primo veluti fieri,ſed etiam in veluti conſeruari ; Filius enim ſemper gignitur , & Spiritus Sanctus ſemper à Patre,& Filio procedit , & per ſe accipiunt à ſuis principijs omnẽ, quam habent virtutem cum dependentia per ſe ab illis in eſſe , non formali,ſed virtuali,quod ſufficit vt Filius à Patre , & Spiritus Sanctus à Patre,& Filio mittantur.

Ratio diſtinctionis traditur.

Ratio autem diſtinctionis , & doctrinæ traditæ eſt : nam ad rationem miſsionis exigitur , quod effectus à perſona miſſa cauſatus per ſe attribuatur mittenti,vel phyſicé,vel moralitér , & quod miſſus in virtute mittentis operetur effectum, ad quẽ per miſsionem ordinatur, quod euenit ſi acceptio virtutis ſit cum dependentia per ſe formali , vel virtuali. Vnde Pater non ſolum per ſe immediatê,ſed etiam per Filium ſpirat Spiritum Sanctum,vt docet D. Thomas *ſupra quæſt. 36. art. 3.* eo quod Filius à Patre per ſe accipit ſpirandi virtutem ; ſi vero acceptio virtutis non ſit cum dependentia per ſe, formali,vel virtuali,in fieri , & conſeruari,ſed ſolum per dependentiam in fieri , & non per ſe,non ſufficit vt effectus , quem cauſat ille , qui virtutem accipit , imprimenti virtutem attribuatur per ſe , nec phy-

ſi-

ficè, nec moraliter, vt constat in Filio creato, cuius effectus non attribuuntur per se Parenti ipsum generanti, quia ab ipso non dependet per se in fieri, & conseruari, & ideò tendentia ad terminum per virtutem per se acceptam cum dependentia per se, formali, vel virtuali, sufficit ad missionis rationem: secus autem per virtutem acceptam sine tali dependentia.

24 *Ex hac doctrina vtraque probatio antec. diluitur.*

Et ex his ad vtramque probationem antecedentis constat solutio. Ad primam concessa maiori, negando minorem: homo enim per se dependet à Deo in fieri, & conseruari, tanquam à dante, & conseruante virtutem, per quam in quemcumque locum tendit; ac proinde quocúque vadit, id præstat missus à Deo, nisi vadat ad peccandum, non quidem missione morali, quæ fit per imperium, vel consilium, bene autem missione physica: Quæ doctrina vera est, etiam si ad missioné præter impressionem virtutis determinatio volútatis personæ missæ exigatur: Deus namque in sententia Diui Thomæ, & discipulorum eius ad omnem actum voluntatis creatæ, & ad omnem motum, & actionem creaturæ concurrit, non solum dando, & conseruando esse, & virtutem operatiuam, & cum illa simul concurrendo, sed etiam præuiè physicè determinando; & consequenter homo ad quemcumque locum tendit, vadit cum dependentia à Deo, non solum vt dante, & conseruante virtutem loco motiuam, sed etiam vt à determinante hominis voluntatem vt vadat, per physicam prædeterminationem, quæ magis cum actu voluntatis connectitur, quam præceptum, vel consilium: ergo si Deus præcipiens homini tendentiam in aliquem locum, dicitur illum ad prædictum locum mittere missione morali, quia per præceptum aliquomodo determinat eius voluntatem vt vadat. Deus prædeterminans hominis voluntatem vt pergat ad aliquem locum, dicetur illum ad prædictum locum mittere, quamuis sola acceptio virtutis non sufficiat ad missionem, sed vlterius determinatio personæ missæ exigatur.

15 *Secúda prob. diluitur.*

Ad secundam antecedentis probationem, concessis maiori & minori, distinguo consequens: non sufficit acceptio virtutis cum dependentia per se formali, vel virtuali, nego consequentiam: sine tali dependentia, concedo consequentiam, quæ distinctio constat ex dictis; Filius enim in creatis non dependet à Patre per se in fieri, & conseruari, sed solum dependet ab illo in fieri. Vnde semel iam exitus, nullatenus à Patre in operari dependet, nec in virtute Patris operatur, nec effectus à Filio causati attribuuntur illius parẽti; & ideó quod à Patre virtutẽ eundi acceperit, non sufficit vt quocumque vadat dicatur missus ab illo, cuius oppositum in personis diuinis opposita de causa inuenitur: Filius enim, etsi non dependeat per se à Patre dependentia formali, dependet tamen ab illo per se dependentia virtuali, non solum in suo veluti fieri, sed etiam in veluti conseruari. Et ideô effectus, missionis exequutiuus, illo mediante, æterno Patri attribuitur; quia illum Filius exequitur per virtutem acceptam à Patre cum dependentia per se, non formali, sed virtuali.

26 *Aliter occurritur arg.*

Hæc dicta sint sequendo communiorem sententiam docentem, nec Filium procedere per se ex scientia libera Patris, nec Spiritum Sanctum ex amore libero creaturarum procedere. Nam iuxta quod *supra disp. 91.* docuimus: nempè, Verbum prout liberé repræsentat creaturas per se ex libera cognitione illarum prout in Patre procedere, & Spiritum Sanctum ex libero illarum amore, facilius argumento facto occurritur, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius primam probationem dicatur, quod licet processio Verbi à Patre, Verbo entitatiue accepto, sit omnino necessaria; & con-

ſequentêr cum determinatione libera voluntatis Verbi inconnexa; proceſsio tamen Verbi vt repræſentantis creaturas futuras,& vt liberé decernẽtis,nõ eſt neceſſaria, ſed libera, &prout ſic cum libera determinatione connexa.

27 *Ad 2. prob. antec.*

Et ex his ad ſecundam probationem dicatur,verum eſſe antecedens loquendo de proceſsione Verbi ſecundum ſuam intrinſecam entitatem, & ſecundum prædicata intrinſeca,&neceſſaria. Illis enim prout ſic ſuppoſitis,manet Verbum indifferẽs, vt veniat, & non veniat ad nos per gratiam ſanctificantem,aut per carnis aſſumptionem. Falſum autem loquendo de proceſsione Verbi ſecundum terminationem liberam ; cum enim Verbum ſub hac conſideratione procedat ex cognitione Patris, vt liberê terminata ad creaturas, & decreta libera prius origine in Patre ſupponat, Verbum prout ſic procedens,non eſt indifferens indifferentia ſuſpenſionis ad veniendum,&non veniendum ad nos, ſed determinatum per decretum liberum acceptum à Patre ad veniendum,tametſi indifferens ſit indifferentia libertatis, quæ neceſsitati, & determinationi naturali opponitur. Quæ contra ſolutionem iſtam opponi poſſunt,loco proximê allegato diluimus : quomodo etiam libertati Filij, aut Spiritus Sancti non opponatur, quod prius origine Pater decernat, quam Filius;& Pater,& Filius prius origine decernant,quam Spiritus Sanctus,fusê ibidem explicuimus.

✠

§. III.

Occaſione vltimi argumenti explicatur,an perſona diuina mittatur ab ea à qua non procedit?

28 *Arg. 3.*

TErtio arguitur : nam ſequitur ex noſtra ſententia, perſonam diuinam non mitti niſi ab ea, à qua procedit; conſequens eſt falſum: ergo de ratione miſsionis diuinarum perſonarum non eſt æterna proceſsio. Falſitas conſequentis conſtare videtur ex illo Iſaiæ 6.capite: *Spiritus Domini ſuper me,eo quod vnxerit me, ad euangelizandum pauperibus miſsit me*, quod de ſe ipſo Chriſtus explicuit Lucæ 4. & Iſaiæ cap. 8. *Nunc Dominus miſsit me,& Spiritus eius*, quod de Chriſto Domino dictum eſſe declarat Ambroſius *libro ſecundo de Fide ad Gratianum cap.4.Et Concilium Toletanum 11.in conſeſsione Fidei*, illis verbis: *Filius miſſus, non ſolum à Patre,ſed à Spiritu Sancto credẽdus eſt, eo quod per Prophetam dicitur,& nunc Deus miſsit me, & Spiritus eius*; ſed Chriſtus non procedit à Spiritu Sãcto: ergo perſona diuina mitti dicitur ab ea, à qua non procedit.

29 *Sequela prob. dupliciter.*

Sequela autem oſtenditur primo : nam ſi de ratione miſsionis eſt proceſsio, eſt de ratione miſsi procedere;ſed miſſum,& mittens di-

cun-

cuntur correlatiuê: ergo de ratione mittentis est, quod ab illo missũ procedat. Secundo: nã missio actiuê, & passiuê sumpta significant idem cũ diuersitate pendes actiuam, & passiuam: ergo si missio passiua dicit passiuam processionem, missio actiuê sumpta dicit processionem actiuam; & consequenter, sicut persona mitti non potest nisi procedat: ita mittere non poterit, nisi sit processionis principium. Ex quo euidenter sequitur, non posse personam diuinam mitti, nisi ab ea, à qua procedit.

30 *Prima argum. solutio.*

Huic argumento responderi solet primo, concedendo sequelam, & negando minorem. Ad cuius probationẽ occurritur explicãdo Isaiæ testimonium, & Concilium Toletanum, de Christo, quatenus homine, qua ratione missus est ad prædicandum, & sic à Spiritu Sancto est missus, & etiam à se ipso missus est. Cum enim, quatenus homo, sibi vt Deo, & Spiritui Sancto subijciatur, & à se, & Spiritu Sancto operatio, qua fuit homo factus processerit à se, & Spiritu Sancto mittitur, quatenus homo. Loquendo autem de missione Filij in carnem, & de illius missione inuisibili in mentem, Filius, nec à se, nec à Spiritu Sancto mittitur, nec mitti potest; quia nec à se, nec à Spiritu Sancto procedit, sed solum mittitur à Patre, à quo generatur, & procedit. Ita quidam, quos sine nomine refert Diuus Thomas *in primo distinctione* 15. *quæstione tertia articulo primo, & secundo*; quos sequuntur Pater Vazquez *disputatione* 170. *capite secundo*. Suarez *libro* 12. *de Trinitate capite tertio*, quibus recentiores Societatis frequentius adhærent.

31 *Secũda.*

Secundo respondetur ab alijs, concedendo sequelam de missione proprie dicta, & illam negando de missione accepta largê, & impropriê, videlicet pro datione, quæ impropriê dicitur missio, sic enim missione accepta, Filius mittitur à se, & etiam à Spiritu Sancto: nam Filius se nobis dat, & Spiritus Sanctus dat Filium. Ita Præpositiuus, & Altisiodorensis relati à D. Thoma *in primo distinctione* 15. *quæstione tertia articulo primo in corpore*. Quibus adhæsit Durandus *in eadem distinctione quæst.* 3. *num.* 11. Et plures Recentiores eidem sententiæ adhæret, quæ, vt ait D. Thomas, parum à prima discedit. Nec enim primæ solutionis Authores negabunt, missione sic accepta Filium à se ipso, & à Spiritu Sancto mitti, cum negare nequeant, quod Filius se ipsum det, & quod Spiritus Sanctus det Filium.

32 *Tertia.*

Et quidem in hac sententia plures, graueque difficultates vitantur, qua propter illi esset standum, nisi in contrarium obstaret authoritas Augustini, & modus quo alij Patres loquuntur, vt ait Diuus Thomas *in primo distinctione* 15. *quæstione tertia articulo primo in corpore*. Et ideô alij, quos suppresso nomine refert Diuus Thomas, vbi proximê, docuere Filium, non solum ratione humanitatis, sed etiam vt est persona diuina, propriê mitti ab Spiritu Sancto, etsi ab illo non procedat, & etiam mitti à se ipso, quibus standum esse docuit ibi Angelicus Doctor, motus præcipuê authoritate Augustini. Quam sententiam tenet Magister Sententiarum *in primo distinctione* 15. Bonauentura *ibidem p.* 1. *quæstione secunda, & quarta*. Scotus *distinctione* 14. *quæstione prima*. Et Gabriel *quæstione prima*, Capreolus *quæstione prima art.* 2. Ferrara 4. *Contragentes cap.* 23. Eandê sententiam tenet Angelicus Doctor *in hac q. a.* 8. vbi Caietanus, Bañez, Serra, & Patres Salmanticenses *tract.* 6. *disp.* 19. *dub.* 2.

M. Sẽt. Bona. Scotus. Gabriel Capre. Ferrara

D. Tho. Caiet. Bañez. Serra. Salman.

33 *Explicatio Caietani.*

Hanc sententiam explicat Caietanus, duplicem significationem huius nominis *missio* distinguens, vnã primariã, secundũ quã significat processionẽ missi à mittente secũdũ se, & secundũ nouum modũ essendi; aliam secundariam, secundum quam

ſignificat proceſsionem miſsi ſecundum ſe ab aliquo, & ſecundum nouum modum eſſendi à mittente. Iuxta primam ſignificationem, quæ potior eſt, & proprijſsima, nulla perſona mittitur niſi ab ea, a qua procedit, iuxta ſecundam, quæ minus præcipua eſt, etſi propria, mittitur perſona diuina ab ea, à qua non procedit; & ſic Filius dicitur à Spiritu Sancto miſſus, & etiam ſe ipſum mittere. Quam doctrinam ſequutus eſt Ferrara 4. Contra-Gentes cap. 23. verſu, *ſed occurrit dubium*, addens, quod mitti in ſecunda acceptione non includit, produci formaliter, & in recto, ſed materialiter, & in obliquo, non enim ſic mitti, formaliter eſt produci, ſed perſonam ab alio productam, aliquo nouo modo fieri, & ideò iſta conſequentia non valet: *Mitti includit produci: ergo mittere includit producere; & conſequenter oportet vt perſona mittens producat perſonam miſſam*, quia vt conſequentia facta eſſet bona, oportebat vt mitti formaliter importaret produci, & in illo conſiſteret. Et quia mitti in ſecunda acceptione non conſiſtit formaliter, & in recto in produci, ſed in hoc, quod perſona producta fiat aliquo modo nouo; fit conſequens, quod perſona producta mitti poſsit ab ea, à qua ſecundum ſe non procedit, ſed ſolum ſecundum effectum ratione cuius acquirit nouum illum modum eſſendi.

35 *Fundamẽtũ Caietæ. & Ferrariæ eſtmodus loquendi PP.*

Quod ſi Caietano, & Ferrarienſi obijciatur duplicem iſtam ſignificationem miſsionis, ſine fundamento confingi. Reſpondebunt negando antecedens, ſed cum fundamento vrgenti; cum enim nominum ſignificatio ex vſu ſapientium, & præcipuè Patrum habeatur, & Patres, iuxta Diuum Thomam ſupra, communiter aſſerant Filium à Spiritu Sancto mitti, quod ſubſiſtere non poteſt, ſi miſsio ſolum ſignificet proceſsionem miſsi à mittente, & nouum modum eſſendi; fit conſequens, vt miſsioni ſit attribuenda alia ſignificatio, ſecundum quam doctrina Patrum poſsit verificari.

36 *Standũ eſſe huic modo dicendi, prob. 1.*

Et quidem ſtandum eſſe huic tertio modo dicendi, vt monet Diuus Thomas *loco vbi ſupra allegato*, probatur teſtimonijs adductis, quæ licet poſsint de Chriſto ratione humanitatis explicari, poſſe tamen, & debere etiam explicari de Chriſto, quatenus perſona diuina, probo primo: nam Diuus Thomas loco ex ſententiarijs relato docet, Patres ita communiter loqui, nempè aſſerendo, quod Filius vt perſona diuina mittitur à Spiritu Sancto, de qua propoſitioue loquebatur D. Thomas; ſed modus iſte communis loquendi Patrum, in illis teſtimonijs fundatur: ergo iuxta D. Thomam, Patres iſta teſtimonia accipiunt de Chriſto vt perſona diuina.

37 *Secũdo.*

Secundo: nam Auguſtinus explicat illa teſtimonia de miſsione Filij in carnem; ſed hæc miſsio non eſt Chriſti vt hominis; cum ſit miſſus vt eſſet homo; ſed Chriſti vt eſt diuina perſona: ergo iuxta Auguſtinum accipienda ſunt de miſsione Chriſti, prout eſt perſona diuina. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur ex Auguſtino *libro ſecundo de Trinitate capite 5.* vbi explicans verba Pauli ad Galatas 4. *Miſsit Deus Filium ſuũ factum ex muliere*, hæc verba ſubiecit: *Cum itaque ait, miſsit Deus Filium ſuum factum ex muliere, ſatis oſtendit, eo ipſo miſſum Filium, quo factus eſt ex muliere: quod ergo de Deo natus eſt, in hoc mundo erat, quod autem de MARIA natus eſt, in hunc mundum miſſus aduenit; proinde mitti à Patre, ſine Spiritu ſuo non potuit, non ſolum quia intelligitur Pater, cum eum miſsit, ideſt, fecit ex fœmina, non vtique ſine Spiritu ſuo feciſſe.* Et ſtatim ſubiunxit: *Quamquam, & apud Iſaiam cap. 48. ipſe Chriſtus intelligitur de aduentu ſuo futuro dicere: & nũc Dominus miſsit me, & Spiritus eius.*

Et

Et addit, *fortasse aliquis cogat, vt dicamus etiam à se ipso missum esse Filium, quia ille MARIÆ cõceptus, & partus, operatio Trinitatis est, qua creante, omnia creantur*: ergo iuxta Augustinum, verba assignata Isaiæ accipienda, sunt de missione Christi vt sit homo, quæ non conuenit illi ratione humanitatis, sed vt persona diuina, & de hac missione ait, non solum à Patre mitti, sed etiam à se ipso, & à Spiritu Sancto; eo quod MARIÆ conceptus, & partus, in quo hæc missio consistit, à tota Trinitate causatur. Ex quo discursu patet, ita argumentatum esse Augustinum: eo ipso missus est Filius, quo factus est ex muliere; sed nõ solum à Patre, sed etiam à se, & à Spiritu Sancto factus est ex muliere: *Nam MARIÆ conceptus, & partus operatio Trinitatis est, qua creante, omnia creantur*: ergo est missus non solum à Patre, sed etiam à se ipso, & à Spiritu Sancto. Quæ ratio est ipsissima, quam tradit Diuus Thomas *in 1. dist. 15. quæst. 3. art. 1. in corpore.*

38 *Ratio Aug. & D. Tho.*

Et ad hanc formam reducitur: faciens missionem personæ, propriè dicitur mittere illam; sed non solum Pater, sed etiam Spiritus Sanctus, & Filius, faciunt missionem Filij: ergo non solum Pater, sed etiam Spiritus Sanctus, & Filius dicuntur propriè mittere Filium. Consequentia est bona, minor videtur certa: nam mittere aliquam personam est facere illam vt missam; sed facere missionem personæ, est facere personam vt missam, sicut facere in corpore albedinem, est facere corpus album: ergo faciens missionem personæ, propriè dicitur mittere illam. Minor autem probatur: vt enim coniunctum ex pluribus, propriè ab aliquo efficiatur, non est necessarium quod efficiat omnia, ex quibus coniunctum constat, etsi omnia existere debeant, vt tale coniunctum existat, vt constat in coniuncto ex albedine, & corpore, ad cuius existentiam, corporis, & albedinis existentia requiritur; vt tamen propriè ab aliquo agente fiat, non est necessarium quod ab illo fiat corpus, sed sufficit quod faciat albedinem.

Constat etiam in homine, ad cuius existentiam requiritur, quod existant materia, forma & vnio, & tamen vnus homo propriè generatur ab alio, à quo, nec materia, nec forma, sed solum illarum vnio causatur; sed missio personæ diuinæ non consistit adæquatè in processione, qua ab alia persona procedit, sed in coniuncto ex illa, & ex nouo modo essendi, vt fatentur communiter Theologi, & ex dicendis amplius constabit: ergo vt ista missio fiat ab alia persona, non est necessarium, quod processio sit ab illa, sed sufficit, quod efficiat nouum modum essendi in creatura; sed licet processio Filij non sit à se, nec ab Spiritu Sancto, nouus tamen modus essendi, vel in humanitate per incarnationem, vel in anima iusti per gratiam, à Filio, & Spiritu Sancto effectiuè procedit: ergo non solus Pater, à quo Filius generatur, sed etiam Filius, & Spiritus Sanctus faciunt missionem, qua Filius mittitur vt persona diuina; & consequenter propriè dicitur Spiritum Sanctũ mittere Filium, & quod Filius mittat se ipsum, licet nec à se, nec à Spiritu Sancto procedat.

39 *Alio exemplo comprobatur.*

Et ex his ad tertium argumentum respondeo negando sequelam. Ad primam probationem dicatur, quod sicut de ratione missionis est processio, ita de ratione missi esse, quod procedat; processio autem non est de ratione missionis vt illam adæquatè constituens, sed solum inadæquatè, simul cum illa ingrediente nouo modo essendi in creatura; ac proinde missum non consistit adæquatè in hoc, quod ab alio procedat, sed in coniuncto ex processione ab alio, & nouo modo essendi. Et quia hoc coniunctum potest ratione vni' partis effici à persona, à qua

40 *Resp. 3. arg. negando sequelam Ad 1. prob. occurritur.*

miſſam non procedit, quod ſufficit vt totum coniunctum efficiatur; fit conſequens, vt quamuis ſit de ratione perſonæ miſſæ procedere, mitti poſsit ab ea, à qua non procedit.

41 *Non obſtat, quod mittẽs, & miſsũ dicãtur correlatiuè.*

Nec obſtat huic doctrinæ, quod mittens, & miſſum dicantur correlatiuè, vt enim docet D. Thomas in 1. diſtinct. 15. q. 3. artic. 1. in corpore: *Quando aliquod compoſitum prædicatur de aliquo ſecundum fieri, diuerſimodè ſe habet in faciẽte, & in facto, quia ex parte facti, oportet, quod vtrumque prædicetur ſecundum eſſe; etſi non vtrumque ſecundum fieri, vt ſi dicam, iſte eſt factus homo albus, oportet enim eſſe hominem, & eſſe album, non autem oportet, quod fiat homo, ſed ſufficit, quod fiat album. Ex parte autem facientis; quia faciens non refertur ad factum, niſi ſecundũ id, quod fit in ipſo, ſufficit, quod faciens dicatur facere alterum tantum*: quia ergo in Filio, v. c. miſſo facit Spiritus Sanctus nouum modum eſſendi in creatura rationali per gratiam, ex quo ſimul cum proceſsione à Patre, illius miſsio conſtat; fit conſequens, vt dicatur mittens illum, quãuis vt miſſus ſit, requiratur vtrũque, & non vtrumque, ſed vnum tantum à Spiritu Sancto ſit, nec ſecundũ vtrũque ad Spiritum Sanctum refertur, ſed ſolum ſecundum vnum illorum, ex quibus conſtat vt miſſus.

42 *Ad 2. prob.*

Ad ſecundam, diſtinguo antecedens: ſignificant idem adæquatè, nego antecedens: adæquatè, vel inadæquatè, concedo antecedens, & nego conſequentiam: miſsio namque paſsiua ſignificat totum, quod eſt de ratione illius quoad eſſe; ad eſſe autem miſsionis vtrumque requiritur; proceſsio nempè ab aliquo, & nouus modus eſſendi, & ideò vtrumque ſignificat. miſsio autem actiua cum conſtituat mittens, & mittens ſignificetur vt efficiens miſsionẽ, non refertur ad miſsionem paſsiuam, niſi ſecundum id, quod amittente fit in illa, & quia Spiritus Sanctus nõ principiat perſonam Filij, ſed ſolum effectum: fit cõſequens, vt miſsio actiua Spiritus Sancti nou ſignificet actiuam proceſsionem Filij, ſed ſolum efficientiam actiuam noui modi eſſendi Filij in creatura, ex quo ſimul cum proceſsione à Patre illius miſsio paſsiua conſurgit. Miſsio autem actiua, qua Pater mittit Filium, quia per illam perſona Filij producitur, & etiam nouus modus eſſendi, ad vtrumque refertur, & ſignificat adæquatè idem, quod ſignificat miſsio paſsiua Filij, cum differentia ſolum penès actiuè, & paſsiuè; hoc autem non eſt de ratione miſsionis vt ſic, quia non eſt de ratione illius vt efficiat totum, quod eſt de ratione miſsionis paſsiuæ quoad eſſe, ſed ſufficit, quod efficiat aliquid ingrediens ad illius conſtitutionem.

43 *Contra iſtã reſolutionẽ opponit Durandus primo.*

Sed contra hanc reſolutionem opponit Durandus primo: miſſum ſub ratione miſsi importat originẽ paſsiuam; ſed miſſum vt miſſum non ſe habet paſsiuè, niſi admittẽtem: ergo miſſum in diuinis trahit à mittẽte originem; & conſequenter nõ poteſt perſona diuina mitti, niſi ab ea, à qua procedit. Quod amplius confirmat: non enim poteſt pertinere ad miſsionem, quod miſſum ſit ab alio, niſi ſit ab aliquo pertinente ad miſsionem, ſed illud à quo eſt perſona miſſa, non eſt creatura, ad quam mittitur, nec effectus in ea cauſatus, nec ipſa perſona miſſa; quia non eſt à ſe ipſa: præterea hæc autem non eſt aliquid, niſi mittens: ergo oportet perſonam miſſam eſſe à perſona mittente.

44 *Secũdo.*

Secundo ſic arguit, iſta eſt bona conſequentia ſecundum omnes: *Perſona diuina mittitur: ergo ipſa originatur*: miſsio namque non poteſt ſaluari ſine ratione originis. Vnde ſecundum Auguſtinum lib. 2. de Trinitate cap. 5. *Solus Pater nunquam legitur miſſus*, quia non originatur: ergo ſimiliter bona conſequẽtia eſt: *Perſona mittit: ergo ipſa aliã ex ſe originat*, ſicut enim mitti reſpicit illum à quo eſt: ita mittere reſ-

picit

picit illum, qui est ab eo; sed Spiritus Sanctus non originat ex se aliquam personam diuinam: ergo nec illam potest mittere, & eadē ratione nulla diuina persona potest mittere se ipsam, quia nulla potest se ipsam originare.

45 *Tertio.* Tertio: nam de ratione missi in creaturis, & in Deo est authoritate, aut virtute alterius aliquid dicere, vel facere; sed in creaturis missū non habet authoritatem, vel virtutem, nisi à mittente: ergo nec in diuinis; sed nihil in diuinis recipitur, nisi per originem: ergo oportet personam missam originatam esse à mittente.

Deniq; Denique: nam missio, & processio temporalis sunt penitus idē; sed nulli personæ diuinæ competit procedere à se temporaliter: ergo nec mitti.

46 *Resp. ad 1.* Respondeo ad primam, concessis maiori, & minori distinguendo consequens: ab aliquo mittente, cōcedo consequentiam: ab omni mittente, nego consequentiam; cū enim præter originem inadæquatè constituentem personam missam, in ratione missæ, ingrediatur illius constitutionem, esse in aliquo, nouo modo, & vt coniunctum fiat, sufficiat fieri secundum aliquam partem; fit consequens, vt quamuis missum debeat originari ab aliquo mittente, non tamē oporteat vt ab omni mittente originetur, sed possit mitti ab eo à quo non procedit secundum esse, per hoc, quod ab illo efficiatur secundū nouum modum essendi.

47 *Ad cōf.* Et ex his ad confirmationem constat solutio, concessis maiori, & minori distinguendo consequens: oportet personam missam esse ab aliqua persona mittente, concedo consequentiam: oportet, quod sit secundum suum esse ab omni persona mittente, nego consequentiam; cū enim missum non constituatur per originem adæquatè, sed insuper cōstituatur per nouum modum essendi, licet persona, à qua missum procedit ad missionem pertineat, non tamen illa sola, sed etiam pertinet ad missionē persona, à qua efficitur nouus modus essendi, etsi ab illa non procedat persona secundum suum esse.

48 *Ad 2.* Ad secundam, concesso antecedenti nego consequentiam, ob rationem supra ex D. Thoma assignata: quia nempē ad missionem, quoad esse requiruntur duo, scilicet processio, & nouus modus essendi, & consequentēr vt persona mittatur, vtrūque debeat illi competere, vt tamen missio fieri dicatur ab aliquo, nō requiritur, quod vtrumque ab eo fiat, sed sufficit ab illo effici secundum vnum illorum. Mittens autem significatur vt efficiēs missionem; ac proinde vt aliquis mittens dicatur, non est necessarium vt ab illo sit processio missi secundum se, sed sufficit, quod sit ab illo secundum nouū modum essendi.

49 *Ad 3.* Ad tertiam, concessa prima consequentia, & minori subsumpta, distinguo consequens distinctione iam data: oportet personam missam originatam esse ab omni persona mittēte, nego consequentiam: ab aliqua persona mittente, concedo consequentiam. Et ratio habetur ex dictis; quia nempē licet requiratur in misso accipere auctoritatem ab aliquo, non tamen consistit in hoc adæquatē, esse missum, sed insuperadditur nouus modus essendi; & quia illum potest causare ille, qui non dat authoritatem misso; fit vt illū mittere possit, qui non dat authoritatem, etsi ab aliquo mittente illam accipere, oporteat.

50 *Ad vlt.* Ad vltimam prætermissa maiori, nego minorem, vt enim docet D. Thomas in 1. distinct. 15. quæst. 3. art. 1. in corpore ad finem: *Quia processio temporalis ponit nouam habitudinem ad naturam, ad quam procedit, & omnis nouitas pertinet ad aliquam factionem, ideo etiā secundum processionem temporalem Spiritus Sanctus ens ab alio est, & existens nouo modo in aliquo, & sic sub eodem sensu concedetur, quod Spiritus Sanctus procedat à se tem-*

poraliter. Notat autem D. Thomas minus proprie dici, Spiritum Sanctum procedere à ſe, quam mitti à ſe, cuius ratio eſt: nam proceſsio non dicit poſitiuè nouitatem eſſendi, nec poſitiuè deſignat terminum temporalem, bene tamen miſsio, qua de cauſa proceſsio dicitur in diuinis, & æternaliter, & temporaliter, miſsio autem ſolum dicitur temporaliter.

51 *Contra dicta obijcies 1.*

Sed contra hucuſque dicta obijciet aliquis primo: nam ex illis ſequitur, Filium diuinum ab æterno mitti à Patre; conſequens eſt falſum: ergo & doctrina à Nobis tradita. Probatur ſequela: diximus namque cum Angelico Doctore, coniunctum aliquod effici à quocumque efficiente aliquam illius partem, & quia miſsio Filij eſt coniunctum conſtans ex proceſsione æterna, & ex nouo modo eſſendi in creatura, & hoc ſecundum ab Spiritu Sancto efficitur, fieri ab illo miſsionem Filij; ac proinde mitti ab illo: ergo efficiens, aut principians partem coniuncti ab æterno, efficit, vel principiat ab æterno coniunctum; ſed Pater ab æterno principiat proceſsionem Filij, ex qua, & ex nouo modo eſſendi in creatura miſsio Filij conſtituitur: ergo Pater ab æterno mittit Filium, ſi vera ſunt, quæ docuimus.

Secũdo.

Secundo, quia nomen miſsionis trãslatum eſt ex humanis ad diuina; ſed vnus homo non mittitur niſi ab eo à quo moraliter exit per imperiũ, vel conſilium: ergo vna perſona diuina non mittitur niſi ab ea, à qua exit phyſicè per æternam proceſsionem.

52 *Conf. 1.*

Quod amplius vrgetur primo: quod enim de ratione miſsionis diuinarum perſonarum ſit proceſsio perſonæ, quæ mittitur, non aliunde probatur, niſi quia de ratione miſsionis eſt exitus, & hoc ideo, quia in humanis miſsio importat exitum miſſi à mittente per imperium, vel conſilium; ſed miſsio in humanis taliter conſiſtit in exitu miſſi à mittente, quod vnus homo nou mittitur, niſi ſolum ab eo, à quo moraliter exit per imperium, vel conſilium: ergo miſsio diuinarum perſonarum talitèr debet in proceſsione perſonæ miſſæ conſiſtere, quod perſona, quæ mittitur ſolũ ab ea, à qua procedit, mittatur.

53 *Secũdo.*

Confirmatur, & vrgetur ſecundo: nam ſequitur ex doctrina à Nobis tradita, ſeruum mittere ſe ipſum, & non ſolum mitti à Domino; ſed hoc eſt falſum, & nũquam ab aliquo aſſertum: ergo doctrina tradita eſt falſa. Probatur ſequela: ideo namque aſſeruimus, Filium mittere ſe ipſum, quia licet à ſe non procedat, cauſat tamen effectum temporalem, ex quo, & proceſsione à Patre, illius miſsio conſurgit; ſed quamuis ſeruus non exeat à ſe per imperium, cauſat tamen motum, & terminum, ex quibus, & exitu à Domino, illius miſsio componitur: ergo ex doctrina tradita ſequitur, ſeruum mittere ſe ipſum, cum Domini mandatum exequitur.

54 *Reſp. ad 1. repliram.*

Reſpondeo ad primam replicam negando ſequelam. Ad illius probationem diſtinguo antecedens: coniunctum efficitur ab efficiente aliquam illius partem vt alteri parti coniunctam, concedo antecedens: ſine tali coniunctione, nego antecedens, & ſub eadem diſtinctione primi conſequentis, & minoris ſubſumptæ, nego ſecundam conſequentiam; Pater namque non principiat ab æterno Filium, nec illius proceſsionem paſsiuam, illam ab æterno coniungẽdo cum effectu temporali, & exequutiua productione illius, ex qua, & proceſsione Filij miſsio paſsiua Filij conflatur. Et ideo non dicitur ab æterno Filium mittere; quia ad hoc erat neceſſarium vt proceſsionem Filij principiaret ab æterno, & ab æterno illam cum nouo modo eſſendi coniungeret.

55 *Ad 2.*

Ad ſecundam conceſsis maiori, & minori, nego conſequentiam, ſicut illa conſequentia non tenet: *Nomen miſsionis translatum eſt ex humanis ad diuina; ſed in humanis*

miſſus non accipit eſſe à mittente: ergo in Deo perſona miſſa non accipit eſſe à mittente. Et ſimiliter iſta conſequentia non valet: *Nomẽ miſsionis tranſlatum eſt ex humanis ad diuina; ſed in humanis ex vi exitus miſsi à mittente determinatur miſſus ad terminum miſſionis: ergo in diuinis perſona miſſa ex vi proceſsionis determinatur ad nouum modum eſſendi in creatura, in quo terminus miſsionis conſiſtit.* Et ratio omnium eſt; quia licet nomen miſsionis tranſlatum ſit ex humanis ad diuina, miſsio tamen diuinarum perſonarum diuerſæ rationis eſt à miſsione vnius hominis ab alio.

56 *Ad 1. cõ firm.* Et ex his ad primam confirmationem, conceſsis maiori, & minori, nego conſequentiam: nam licet ad probandum ea, quæ ingrediuntur cõſtitutionem miſsionis diuinarum perſonarum ex miſsione inter creaturas argumentum ſumamus; quia tamen miſsio diuinarum perſonarũ diuerſæ rationis eſt à miſsione exercita inter creaturas; ideò ex eo quod aliquid repugnet miſsioni vnius hominis ab alio, non licet argumentari, id etiam repugnare miſsioni vnius perſonæ diuinæ ab alia. Vnde vt ſuperius inſtabam, ex eo quod miſsioni vni⁹ hominis ab alio repugnet, quod per aliquid ingrediens illius conſtitutionem, homo miſſus accipiat eſſe à mittente, non licet argumentari, id etiam repugnare miſsioni vnius perſonæ ab alia perſona; cum de facto generatio, per quam Filius accipit naturam à Patre, & omnem ſuam perfectionem, ſit de intrinſeca conſtitutione miſsionis, qua Filius à Patre mittitur.

57 *Ad 2.* Ad ſecundam confirmationem, nego ſequelam. Ad illius probationem dicatur, de ratione mittentis eſſe Auctoritatem, vel ſupra perſonã, quæ mittitur, vel ſaltim ſuper effectũ connotatum à miſsione. Licet autem perſona diuina à qua non procedit alia, non habeat auctoritatem ſupra perſonam, quæ mittitur, habet tamen auctoritatem perfectam ſuper effectum, in ordine ad quem omnino æqualiter ſe habẽt; & ideo omnes perſonæ, mittẽtes denominãtur. Seruus autẽ non habet auctoritatem ſupra ſe, nec ſuper effectum in illius miſsione importatum, cauſat enim illum vt ſubordinatus domino, & nomine illius, ideoque licet efficiat effectum importatum in miſsione, nõ dicitur mittere ſe.

58 *Quod ſi hæc non placuerint: aliter reſponderi poteſt.* Quod ſi hæc ob ſui difficultatem non placuerint, poterimus cum Auctoribus ſecundæ, & tertiæ ſententiæ occurrere tertio argumento, concedendo ſequelam, & negando minorem, & teſtimonia Scripturæ, Auguſtinumque explicare de miſsione large accepta pro efficientia vnius ex ingredientibus miſsionis conſtitutionem, explicareque D. Thomam aſſerendo, fuiſſe vt commentatorem Magiſtri loquutum, eiuſque ſententiam explicando. Quæſtione autem 43. *art.* 8. vbi D. Thomas loquitur ex propria ſententia, non docet perſonam diuinam mitti, proprie accepta miſsione, ab ea à qua non procedit, ſed aliquo modo veritatem habere, poſſeque aliquomodo dici, ad quod ſufficit, quod dicatur large, & inadæquatẽ accepta miſsione.

59 *Rationi à nobis formatæ occurritur.* Ad rationem autem, qua tertiũ modum dicendi ſuadebamus, reſpondere poſſumus, efficientiam vnius partis ex ingredientibus miſsionis conſtitutionem ſufficere vt perſona illam efficiens, dicatur miſsionem efficere, non autem ſufficit vt perſona illam efficiens dicatur cum proprietate mittens; quia denominatio mittentis vltra efficientiam miſsionis denotat ſpecialem modum efficiendi, nempe cum auctoritate, & quia inter diuinas perſonas non eſt alia Auctoritas niſi principij originantis; fit cõ ſequens, vt quamuis omnes perſonæ dicantur efficientes miſsionem, non omnes dicantur propriè mittentes, ſed ſolum ille à quibus aliæ procedunt; ac proinde ſolus Pater dicatur propriè mittere Filium, & ſolus Pater, & Filius dicuntur cum pro-

prietate mittere Spiritum Sanctum; sicut Deus efficiens omnes formalitates actus meritorij creati, non dicitur merens; quia denominatio merētis præter efficientiam meriti denotat concursum subiectiuum in meritum, qui concursus non conuenit Deo.

60 *Si obijcias.* Si obijcias, testimonium Isaiæ accipitur ab Augustino de missione Christi in carnem; & consequentēr de missione Christi prout est persona diuina; sed testimonia Scripturæ accipienda sunt in rigore, & proprietate sermonis: ergo Christus vt persona diuina proprie mittitur à Spiritu Sancto, à quo prout sic non procedit.

Resp. Respondendum est consequenter ad istum modum dicendi, minorem esse veram, nisi ex proprietate sermonis aliquod inconueniens sequatur, ex eo autē quod verba Isaiæ accipiantur in rigore de Christo vt persona diuina, sequi magnum incōueniens, quod nempè Filius à Spiritu Sancto procedat, & ideo loquendo de Christo vt Deo, non posse accipi in rigore, & proprietate sermonis.

§. IV.

Argumentis contra secundam partem conclusionis occurritur.

61 *Primū arg. contra secūdā partem conclusionis.* COntra secundam partem conclusionis arguitur primo ex Gregorio *homilia 26. in Euangelia super caput 20.* Ioannis ad illa verba: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, vbi postquā prædicta verba explicuit de missione Christi in carnem, aliam explicationem subiecit, sic dicens: *Quamuis mitti etiam iuxta naturam diuinitatis possit intelligi, eo enim ipso à Patre Filius mitti dicitur, quo à Patre generatur: nam Sanctum quoque Spiritum, qui cum sit æqualis Patri, & Filio, non tamen incarnatus est, eisdem se Filius mittere perhibet dicens: cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre; si enim mitti, solummodo incarnari, deberet intelligi, Sanctus procul dubio Spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est, sed eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit, & Filio: sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit: ita & Filius non incongrue mitti dicitur, quia generatur*: ergo ex mente Gregorij, licet missio Filij in carnem nō consistat adæquate in generatione æterna, ratio tamē missionis abstrahit ab æterna, & temporali, & sic sumpta adæquatē in processione Filij à Patre saluatur. Probatur consequentia primo: nam docet, mitti Filium, nō debere restringi ad hoc quod est incarnari, sed etiam posse accipi pro æterna generatione; eo quod etiam Spiritus Sanctus dicitur mitti, qui tamen incarnatus non est: ergo sentit missionem Filij dupliciter accipi posse, nempe pro missione Filij in carnem, quæ tēporalis est, & pro generatione æterna, qua mittitur secundum diuinitatem, & hanc adæquate in processione æterna consistere. Secundo: nam de missione Spiritus Sancti ait, *quod eius missio ipsa processio est*, quæ verba satis indicant, missionem Spiritus Sancti in processione æterna solum consistere. Ex quo infert: *Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit, ita Filius non incongruè mitti dicitur, quia gene-*

ratur: ergo sentit Gregorius missionem Filij dupliciter accipi, scilicet pro incarnatione ex tempore, & pro generatione à Patre ab æterno, & in hac secunda acceptione ad æquate consistere in processione.

62 *Explicatur Gregorius.*

Respondeo, verba illa Gregorij: *Eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo à Patre generatur*, intelligenda esse non de missione actuali, sed de missione possibili, ita vt fiat iste sensus: *Eo ipso Filius missibilis à Patre constituitur, quo à Patre generatur*, vt explicat D. Thomas *quæst.43. art.2. ad 1.* illis verbis: *Quia ex hoc ipso Filius habet quod possit mitti, quod ab æterno genitus est*, quam explicationem tradidit secundo D. Thomas; quia primæ explicationi, quod nempe loquebatur Gregorius, *de temporali Filij generatione, non à Patre, sed à Matre*, non multum fidit.

63 *Prob. menti Gregorij congruere.*

Et quidem explicationem traditam menti Gregorij congruere, ex eo mihi suadetur: mens enim Gregorij erat, Filium non solum per incarnationem mitti, & incarnationē etsi ad missionem Filij sufficiat, non tamen esse necessariam vt missio Filij saluetur. Quod probat: *si enim mitti solummodo incarnari deberet intelligi, procul dubio Spiritus Sanctus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est.* Quod autem incarnatio necessaria non sit, vt Filius mittatur, probat ex eo quod, *eo ipso à Patre Filius mitti dicitur*, quo à Patre generatur, ac si ita argumentaretur Gregorius: Filius eo ipso missibilis à Patre redditur, quo à patre generatur; sed ex vi generationis æternæ non determinatur ad incarnationem, sed potest alios effectus causare, quibus illius processio à Patre manifestetur, in quo Filium mitti consistit: ergo Filium mitti non est solum incarnari, sed potest alijs modis, & medijs alijs effectibus cōtingere. Et sic explicata auctoritate Gregorij, neganda est consequentia, constatque ad vtramque probationem solutio.

64 *Secūda probatio consequentiæ confirmat nostram explicationem.*

Imo secunda probatio explicationem nostram confirmat, quod probo: ait enim: *Sicut Spiritus mitti dicitur, quia procedit, ita Filius mitti dicitur, quia generatur*; sed verba ista non possunt accipi de actuali missione Spiritus Sāncti, sed de missibilitate, ita vt sensus fiat: *Spiritus Sanctus est missibilis, quia procedit*: ergo pariter Filius non constituitur, ex mente Gregorij, actu missus per æternam generationem, sed solum missibilis, quia nē pe ex illa habet quod possit mitti. Probatur minor: loquitur enim Gregorius de missione Spiritus Sancti, quam probat ex illis verbis Christi ad discipulos suos: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre*; sed hæc missio temporalis est; & consequenter non potest in processione æterna adæquatē consistere; nec potest dici Spiritus Sanctus hac missione mitti actu, quia procedit, sed solum quod missibilis æterna processione constituatur: ergo cum docet Gregorius mitti Spiritum Sanctum, quia procedit, non loquitur de missione actuali, sed de missione possibili; ita vt sēsus sit, Spiritum Sanctum missibilē per processionem æternam constitui, non autem quod per illam missus actu constituatur.

65 *Arg. 2.*

Secundo arguitur: nam Diuus Thomas *quæst.43. art.1. in corpore*, præmissis tribus modis processionis, vel exitus missi à mittente, videlicet, per imperium, sicut dominus mittit seruum, per consilium, & secūdum originem, vt si dicatur, quod flos mittatur ab arbore, docet personis diuinis solum hoc modo vltimo conuenire exitum à persona mittente, videlicet per originem, sed emissio florum ab arbore adæquate consistit in emanatione, aut productione floris ab illo: ergo iuxta D. Th. missio diuinarum personarum adæquatē in processione consistit.

Res-

66 *Reſp.* Reſpondeo, conceſſa maiori, & minori, negando conſequêntiam: nã D. Thomas duo in miſsione diſtinxit, nempê exitum à mittente, & tendentiam ad aliquem terminum. Miſſionem diuinarum perſonarum non comparauit emiſsioni floris ab arbore quantum ad vtrunque, ſed ſolum quantum ad modũ exitus, quia perſona miſſa in diuinis non exit moralitêr à perſona mittente, ſed phyſicê ab illa procedit; ac proinde ex eo quod emiſsio floris ab arbore adæquatê in exitu ab illa conſiſtat, non licet inferre miſsionem diuinarum perſonarum adæquatê conſiſtere in proceſsione.

67 *Si obijcias.* Si dicas: productio floris ab arbore eſt miſsio, & tamen adæquate in productione floris conſiſtit: ergo etiam miſsio diuinarum perſonarum adæquatê in illarum productione conſiſtit. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur: ſi namque exitus floris ab arbore miſsio non eſſet, ineptê D. Thomas exẽplo miſsionis floris ab arbore vteretur ad explicandum exitum, in quo miſsio perſonarum conſiſtit; ſed hoc aſſerendum non eſt: ergo nec eſt negandum in exitu florum ab arbore rationem miſsionis ſaluari.

68 *Reſp.* Reſpondeo negando maiorem: miſsio namque reſpicit tria, ſcilicet perſonam mittentem, perſonam miſſam, & nouum aliquem terminum. In exitu autem florum ab arbore, ſolum dantur arbor emittens, & flores emiſſæ; ac proinde non eſt miſsio. Vnde D. Tomas non miſsionem, ſed emiſsionem illum exitum appellat; emiſsio namque ſolum dicit ordinẽ ad principium emittens, & effectum emiſſum, quæ in emanatione florum ab arbore reperiuntur, miſsio autem præter hæc addit ordinem ad nouũ terminum mediante miſsione acquiſitum. Nec ſequitur D. Thomam inepto exemplo vſum fuiſſe ad explicandam miſsionem diuinarum perſonarum; non enim vſus fuit illo ad explicandam adæquatam rationem miſsionis, ſed ſolum rationem inadæquatam, nempe modum exitus, miſsioni diuinarum perſonarum conuenientem, qui non eſt per imperium, vel conſilium, ſed per originem. Ad hoc autem explicandum accõmodatiſsimo exemplo vſus fuit: flores enim verê exeunt ab arbore, quamuis non moralitêr, ſed phyſicê exeãt ab illa; nec ex defectu exitus emanatio florum deficit à ratione miſsionis, ſed ex alijs capitibus. Vt ergo D. Thomas explicaret quomodo perſona diuina miſſa, exeat à perſona mittente ſine imperio, & ſine conſilio, per hoc ſolum quod ab illa procedat, accommodatiſsimo exemplo fuit vſus.

69 *Deniq; arg.* Denique arguitur: nam miſsio diuinarum perſonarum eſt aliquid reale, vtpotê realitêr in rerum natura exiſtens, & realem effectum cauſans; ſed habitudo perſonæ diuinæ ad terminum de nouo acquiſitum nõ eſt realis, ſed rationis; Deus enim ad creaturas non poteſt reali relatione referri, vt docet D. Thomas *in hac 1. p. ſupra quæſt. 13. art. 7.* & cum illo Theologi communiter: ergo miſsio diuinarum perſonarum non poteſt in habitudine prædicta conſiſtere; & conſequenter adæquatê conſiſtit in æterna proceſsione.

70 *Aliquorũ ſolutio reijcitur.* Huic argumento, qui docent ideas diuinas per reſpectus ideales, qui ſunt aliquid rationis compleri, & ratione illorũ ideas diuinas multiplicari, non recuſabunt, id etiam de miſsione diuinarum perſonarum docere; ſi namque realitas idearũ non obſtat, vt per reſpectus rationis cõpleãtur, & per illas multiplicentur: nec realitas miſsionis obſtabit, vt per habitudinem rationis compleatur, vel conſtituatur. Nos autem non poſſumus huic exiſtimationi aſſentiri cum *tomo 2. diſp. 43.* ſentẽtiam illam de conſtitutione idearum per reſpectũ rationis, falſam reputauerimus, ſicut aliam ſententiam ſimilem de conſtitutione decreti liberi Dei per reſpectum rationis in eodem tomo *diſp. 48.* falſam cenſuimus, & vt talem fusê reijcimus. Et exinde à pa-

ritate probatur: non poſſe miſsionē diuinarum perſonarum in habitudine rationis ad nouum terminum conſiſtere, nec per illam conſtitui, aut compleri: ſi namque diuinis ideis, & diuino decreto repugnat conſtitui, aut compleri per entitatem, aut reſpectum rationis, vt locis allegatis monſtrauimus, repugnat etiam miſsioni diuinarum perſonarum compleri, aut conſtitui per rationis habitudinem.

71 *Si reſp.* Si fortè aliquis reſpondeat, diſparem eſſe rationem: nam ideæ, & decreta libera conueniunt Deo ab æterno, & quia intellectus creatus, qui ſol⁹ poteſt entia rationis formare, ab æterno nō exiſtit, fit vt nō poſſint per reſpectus rationis conſtitui, nec per illos compleri. Miſsio autē diuinarum perſonarum eſt temporalis, ideoque non repugnat per habitudinem rationis formandam per intellectum humanum in tempore exiſtentem compleri. Obſtat contra hanc euaſionem: nam licet miſsio temporalis ſit, ac proinde ex iſto capite non repugnet illi conſtitui per reſpectum dependentem ab intellectu creato, non ab æterno, ſed in tempore exiſtente, repugnat tamen ex alio; quia nempe, vt perſona diuina mittatur, non dependet à conſideratione noſtri intellectus; ſed nō ſtat perſonam diuinam mitti non exiſtente miſsione: ergo exiſtentia miſsionis non poteſt dependere à conſideratione noſtri intellectus; & conſequenter nec poteſt per habitudinem rationis ab illo dependentem conſtitui.

Contra

72 *Traditur vera ſolutio.* Quare aliter eſt argumento facto occurrendum: nomine habitudinis non accipere Diuum Thomam reſpectum rationis ſecundum eſſe formale qualiter ab intellectu noſtro vt illam confingente dependet, ſed pro fundamento illius, quod in ſe eſt entitas realis abſoluta, à Nobis tamen adinſtar habitudinis concipitur, qualiter *Tomo 2. diſp. 43.* explicuimus Angelicum Præceptorem docentem, ideas diuinas compleri per reſpectum imitabilitatis à creaturis. Et *diſp. 48.* eodem modo explicuimus aliquos ex Antiquis Thomiſtis aſſerentes, decretum liberum Dei conſtitui per reſpectum rationis. In explicando autem fundamēto habitudinis rationis, quam miſsio ad terminum creatum importat, nō eſt vna omnium ſententia. Quidam dicunt eſſe diuinum decretum. Alij eſſe effectum de nouo cauſatū à Deo in creatura, ad quam perſona diuina mittitur.

Sed neutrum ſubſiſtere poteſt. Non primum: nam decretum Dei eſt æternum, Deumque ab æterno decernentem denominat. Miſsio autem eſt temporalis, & in tempore denominat perſonam diuinam miſſam: ergo fundamentum habitudinis rationis, in quo miſsio diuinarum perſonarum conſiſtit, non eſt liberum decretum. Quod autem in effectu in creatura cauſato non conſiſtat fundamētum prædictæ habitudinis probatur: nam perſona diuina mittitur quatenus in nobis cauſat donum gratiæ habitualis, ratione cuius in nobis dicitur inhabitare, & à nobis dicitur haberi; & conſequenter miſsio conſtituit perſonam miſſam cauſantem prædictum donum, quod eſt terminus miſsionis; ſed cauſa in ratione cauſantis, non poteſt per effectum à ſe cauſatum conſtitui, cum ſit prior illo; aliàs effectus à ſe ipſo cauſaretur, quod implicat: ergo fundamentum habitudinis rationis, quam ad terminum in creatura cauſatum importat miſsio diuinarum perſonarum, non eſt effectus, vel terminus de nouo in creatura productus, ſed eſt actio Dei exequutiua formaliter immanens, & virtualiter tranſiens, per quam effectum illum perſona diuina producit, quæ licet ſit ab æterno entitatiue, non tamen eſt denominatiuē ab æterno, ſed in tempore perſonam diuinam denominat actu cauſantem. In quo autem actio Dei exequutiua conſiſtat, an ſcilicet in actu intellectus, an in actu voluntatis, an in actu virtualiter diſtincto ab

73 *Fundamētum reſpect⁹ non eſt decretū æternū, nec effectus cauſat⁹ in tempore.*

74 *Explicatur fundamentū.*

acti-

actibus intellectus,& voluntatis,explicuimus *ſupra tom.1.tract.3 diſput.32.§.vltimo*, vbi eſſe indiſtinctum virtualiter ab actu ſcientiæ practicæ Dei verius cenſuimus.Conſiſtit ergo miſsio diuinarum perſonarum in proceſsione æterna,& actione exequutiua , per quam donum creatum à perſona miſſa cauſatur. Et quia hæc actio,quamuis in re ſit abſoluta , à Nobis tamen vt reſpectiua cognoſcitur,ideo per habitudinem ad terminum temporalem adiunctam proceſsioni æternæ , miſsio diuinarum perſonarum à D.Thoma explicatur,& diffinitur.

§. V.

Explicatur modus , quo iſtæ habitudines ingrediuntur conſtitutionem miſsionis.

75 *Prima pars cõcluſionis probatur 1.*

SEcunda Concluſio : *Vtraque habitudo directè importatur in miſsione , & vtraque magis, aut minus principaliter ſecundum diuerſas conſiderationes.* Prima pars concluſionis probatur primo ex D.Thoma *in præſenti q.43. a.2.in corp.* illis verbis: *In his,quæ importãt originẽ aiuinarũ perſonarũ , eſt quædam differentia attendenda , quædam enim in ſui ſignificatione important ſolum habitudinem ad principium,vt proceſsio,& exitus. Quædam vero cum habitudine ad principium determinant proceſsionis terminum : quorum quædam determinant terminum æternum,ſicut generatio, & ſpiratio : quædam vero cum habitudine ad principium determinant terminum temporalem , ſicut miſsio , & datio.* Ex quibus verbis tale argumentum formatur: iuxta D.Thom. ſicut ſpiratio,& generatio dicunt habitudinem ad principium, & ad terminum æternum: ita miſsio cum habitudine ad principium importat habitudinem ad terminum temporalẽ; ſed generatio,& ſpiratio directè important vtramque habitudinem, vt ex mox dicendis cõſtabit: ergo vtraque habitudo importatur directè in miſsione.

76 *Confir.*

Quod inſinuari videtur Ioannis 16. illis verbis: *Exiui ad Patrẽ, & veni in mundum*, quibus Chriſtus ſuam miſsionem explicuit per exitum æternum à Patre , & aduentum temporalem in mundum , vtrũque ſua propoſitione directè explicando. Confirmatur ex D.Thom. *in præſenti quæſtione 43. art.5. in corpore* , illis verbis : *Mitti perſonam diuinam ad aliquem per inuiſibilem gratiam,ſignificat nouum modum in habitandi illius perſonæ, & originem eius ab alia.* Quibus verbis vtraque habitudo directè explicatur : ergo vtraque ſignificatur directe hoc nomine *miſsio perſonæ diuinæ*, & conſequenter vtraque directe ingreditur conſtitutionem miſſionis.

77 *Prob.2.*

Secundo probatur: nam miſsio ſumitur,vel actiue , vel paſsiuè ; ſed vtroque modo ſumpta importat directè vtramque habitudinem : ergo vtraque iſta habitudo importatur directe in miſsione. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur: actio namque directè reſpicit principium,& terminum,etſi à principio ſpeciem ſumat quatenus actio; paſsio etiam directè reſpicit terminum,& principium,quamuis ſpecificetur à termino,vel ſubiecto;ſed miſſio actiuè ſumpta, ſignificatur vt actio, & paſsiuè accepta ſignificatur

vt passio: ergo in nomine missionis importatur vtraque habitudo directe. Quod amplius vrgetur: missionamque significatur, vt motus *quo* persona missa egreditur à mittente in ordine ad aliquem terminum; sed licet motᵘˢ specificetur à termino *ad quem*, directè respicit terminum *à quo*: ergo missio directè respicit principium *à quo* exit, & terminū ad quem tendit.

78 *Secūda pars cō clusio-nis pro-batur.*

Secundam conclusionis partē probo hac ratione: nam id, quod importatur vt differentia determinans, constituens, & distinguens, principalius importatur, eo quod ingreditur vt materia determinabilis: sed istæ habitudines sic comparantur, vt vtraque sit determinans, & distinguens & vtraque est per alteram determinabilis: ergo vtraque magis principaliter, & vtraque minus principaliter importatur in missione secundum diuersas considerationes. Consequentia est bona. Maior videtur certa: nam differentia constituēs, & distinguens gerit munus formæ: determinabile autem vt materia se habet: ergo quod importatur vt determinans, & distinguens principalius importatur, eo quod ingreditur vt determinabile, & distinguibile. Minor autem probatur: nam missio Filij, v.c. est quid distinctum ab illius æterna generatione, cū hæc æterna sit, missio autem sit temporalis; distinguitur etiam ad aduentu diuinæ personæ, cum Patri aduentus cō ueniat, cui tamen non conuenit missio; sed à generatione distinguitur per habitudinem ad terminum, & ab aduentu solum distinguitur per habitudinem exitus, processionisque à principio: ergo hæc habitudo determinat habitudinem ad effectum, & illam ab aduentu distinguit, & in ratione missionis constituit. Et similiter habitudo ad terminum temporalem, determinat habitudinē ad principium, illam à generatione distinguit, & constituit in ratione missionis; & consequenter vtraque principalius importatur, & minus principaliter secundū diuersas cōsiderationes.

79 *Conf.* 1.

Quod amplius vrgetur ad hominē cōtra Durandū, qui *in* 1. *dist.* 15. *q.* 2. *n.* 8. probat id, quod est in missione essentiale principalius importari, illo quod est notionale, quia hoc per id, quod est essentiale completur in ratione missionis. Ex quo infert se habere vt formale id, quod essētiale est, notionale autē vt materiale. Quod autē notionale per essentiale cōpleatur, probat ex Parēte Augustin. 10. de Trinitate, asserēte, quod Filiᵘˢ nō eo quod genitus, est à Patre missus, sed vel ex eo quod visibilis apparuit, vel ex eo quod mētē alicuius sanctificat, sanctificatio autē mentis est quoddā essētiale, cū sit à tota Trinitate. Tūc sic; sed Filiᵘˢ nō eo solū dicitur missus, quia mētē sanctificat, in quo importatur habitudo ad terminū, cū Pater mētē sanctificet, & tamē missus nō sit, sed quia taliter sanctificat, nēpe vt ab alio procedēs, in quo importatur habitudo ad principiū: ergo notionale in habitudine ad principiū cōsistens, cōplet, & determinat essentiale cōsistens in habitudine ad terminū; & cōsequenter si essentiale, quia notionale determinat, principalius importatur, habitudo etiam ad principium, quæ notionalis est, principalius debet importari.

80 *Conf.* 2.

Confirmatur, & vrgetur secundo ad hominem contra quosdam Recentiores Thomistas asserentes, principalius importari in missione effectum temporalem, vel habitudinem ad illum, quam processio, & habitudo ad principium; idque probantes, ex eo quod missio personarum est libera; processio autem personarum est necessaria, sed missio personarum est notionalis, cum non sit communis tribus personis, non enim conuenit Patri: temporalis autē effectus, & habitudo ad illum non sunt aliquid notionale, cum tribus personis conueniant; omnes enim veniunt ad nos cū infunditur gratia iustificans, eo quod ab omnibus vna indiuisibili operatione causatur: ergo process-

ſio,quæ notionalis eſt, principalius in miſsione importatur. Maior continet Recentiorũ doctrinam. Minor eſt certa,& conſequentia patet à paritate rationis: nam ſi quia miſsio eſt libera,formalitas libera,quæ inuenitur in illa,illamque conſtituens liberam,principalius importatur in illa quam proceſsio,quæ non libera, ſed neceſſaria eſt, cur ex eo quod miſsio notionalis ſit,non debet principaliº importare prædicatum notionale, per quod notionalis conſtituitur, quam prædicatum commune, quod notionale non eſt?

§. VI.

Argumentis in contrarium occurritur.

81 *Arg.* 1. *contra vtramque partem.*

COntra vtramque partem noſtræ concluſionis videtur ſtare Angelicus Præceptor *in* 1.*diſtinct*.15.*q.vnica art*.2.*in corpore*, illis verbis : *Quidam dicunt,quod miſsio in diuinis ſignificat,quod notionale eſt. Alij autem dicunt,quod principalius ſignificat, quod eſſentiale eſt, & hoc videtur verius, quia miſsio non ponit exitum miſi à mittente ſecundum eſſe,vt patet de ſeruo miſſo à Domino; ſed importat ſolum quantum ad aliquem effectum auctoritatem mittentis reſpectu miſsi; ſed quia in diuinis non poteſt auctoritas in mittente eſſe, niſi quatenus miſſus procedit ab eo,ideo ex conſequenti ſignificat,quod notionale eſt.* Ex quibus verbis cõtra vtrãq; noſtræ cõcluſionis partem arguitur: etenim habitudo, quam miſsio dicit ad principiũ, eſt notionalis: habitudo autẽ miſsionis ad terminum eſt eſſentialis,ideſt cõmunis; ſed iuxta D. Thom.id quod eſſentiale eſt principalius in miſsione importatur, eo quod eſt notionale,& hoc ex conſequenti in miſsione importatur: ergo falſum eſt,quod in prima parte concluſionis aſſerimus,nempe vtramque habitudinẽ directe importari in miſsione. Et quod in ſecunda parte eiuſdẽ cõcluſionis aſſerimus, nẽpe vtramque habitudinem principalius importari ſecũdũ diuerſas cõſiderationes.

82 *Reſp.*1.

Reſpõdeo primo ex ſupra dictis *n.* 34.ex Caietano,& Ferrara,*miſsionẽ* duplicem ſignificationẽ habere, vnã per ſe primo intentam, aliam ſecũdariam,& minus principalem,iuxta primam ſignificat directe proceſsionẽ perſonæ miſſæ,& habitudinẽ ad effectum temporalem,& iuxta illam proceſsit noſtra concluſio. Verba autem D.Thomæ in contrarium adducta accipienda ſunt de miſsione in ſecunda, & minus principali ſignificatione: ſic enim accepta non ſignificat de formali proceſsionem perſonæ miſſæ à mittente, nec habitudinem ad principium, ſed nouum modum eſſendi,vel habitudinem ad illum ſignificat de formali,& directê: proceſsionem autem ſecundum eſſe perſonæ miſſæ à mittente indirectê, in obliquo, & materialiter. Ideò autem D.Thom. loco allegato primariæ ſignificationis non meminit, ſed ſignificationis ſecundariæ, & minus principalis, quia hæc intento Diui Thomæ ſeruiebat, quod erat explicare ſententiam Magiſtri aſſerentis, perſonam procedentem mitti ab ea, à qua non procedit.

83 *Obijcies*

Sed dices : D. Thomas verbis allegatis ſe opponit auctoribus aſſerentibus, miſsionem principalius ſignificare,id quod notionale,eſt nẽpe habitudinem procedentis ad principium à quo procedit, verius iudicans,quod alij aſſerebant, nempe ſignificare principalius,id quod eſſẽtiale eſt,nẽpe nouũ modũ eſſendi in creatura,& habitudinẽ ad effectũ tẽporalẽ;at ſi attẽta prima ſignificatione importatur principaliº, vel æquê principaliter notionale,non deberet acquieſcere Authoribus ſecundæ ſẽtentiæ,illam iudicans veriorem, ſed potius Authoribus primam ſententiam

tiam tenentibus; cum de nominibus absolutè sit loquendum iuxta primã, & præcipuam significationem, qua attenta, verum est, quod Authores primæ sententiæ asserebant: ergo nostra interpretatio menti D. Thomæ aduersatur.

84 *Resp.* Respondeo, Authores primæ sententiæ, quibus D. Thomas se opponit, non docuisse *missionem* solum in præcipua significatione importare principalius notionale, quam essentiale, & commune, sed in omni significatione non admittentes aliam significationem, iuxta quam de formali, & magis principaliter importatur in missione id, quod essentiale est. Et in hoc sensu illorum sententiã vt minus veram impugnauit D. Th. præferens, & veriorem iudicans secũdam sententiam, in qua illa duplex significatio distinguitur, in quarum vna habitudo ad effectum temporalem, quæ communis est, de formali, directè, & magis principaliter importatur in missione.

85 *Secũdo resp. primo arg.* Respondeo secundo, loqui D. Th. de eo, quod essentiale est in missione cõsiderato, prout determinat notionale, illudque in ratione missionis constituit, & à nõ missione distinguit; sic autem verum est in missione principalius importari, quam notionale, quod in hac consideratione vt materiale importatur. Per hoc autẽ non excluditur, quod notionale sumptũ vt determinat essentiale, illudque trahit ad esse missionis, & à nõ missione distinguit, principalius importetur, quã illud, quod est essentiale: imõ potius hoc ex illo infertur; si nãq; quod essentiale est, principali⁹ importatur, quia determinat notionale, & illud in ratione missionis constituit, cum notionale etiã determinet id, quod essẽtiale est, & in ratione missionis constituat, consequenter est asserendũ in hac consideratione principalius importari.

86 *Nõ processit di* Nec sequitur, D. Thomã debuisse vtrumque explicare; & consequenter diminutè processisse mentionem faciens vnius cõsiderationis, in qua essentiale præfertur notionali, & aliã considerationem omitendo, in qua notionale principalius importatur. Tum, quia prima consideratio ad intentũ D. Th. faciebat, quod erat explicare, & defendere mentem Magistri asserentis, personam diuinã mitti ab ea, à qua non procedit. Alia autẽ consideratio ad hoc necessaria non erat, ideoque D. Th. hanc considerationem omitẽs diminutè nõ processit. Tum etiam, quia ex eo quod D. Th. docuit de essentiali cõparato cũ notionali in prædicta consideratione, facilè erat, quid dicendum sit de notionali comparato cum essentiali, vt illud determinante, deducere. Et hoc sufficit, vt D. Thomas considerationem illã prædicati notionalis nõ explicans, non processerit diminutè.

minutè D. Tho.

87 *Tertio resp.* Tertio, & melius respõdetur, loqui D. Th. de missione personarum attẽta ratione cõmuni missionis, sic autẽ verum est principalius importare nouum modum essendi, & habitudinem ad illum; nouum enim terminum petit missio ex cõceptu cõmuni. Quod autem missus à mittente secundũ suũ esse procedat, ex hoc conceptu non petit, sed tantum permittit in aliquo sibi inferiori, nempè in missione diuinarum personarũ; principalius autẽ importatur id, quod positiuè petitur, eo quod tantum permissiuè importatur. Cum quo stat, quod attẽta missione personarum secundum vltimam differentiam, vel quasi differentiam, etiam importet principaliter processionem missi à mittente secundum esse, & habitudinẽ ad principiũ, à quo persona missa procedit.

88 *Obiiecies.* Sed dices: iuxta D. Th. loco allegato, in missione diuinarum personarũ principalius importatur id, quod est essentiale, notionale autem ex consequenti importatur; sed importari ex consequenti, idem est atque importari in obliquo, de cõnotato, & indirectè: ergo notionale, quod est in missione, non ingreditur directè constitutionem missionis diuinarum personarum.

Resp. Respondeo, negando minorem:

ly *namque ex conſequenti* non accipitur à D. Thoma pro hoc, quod eſt de connotato importari, ſed prout denotat illationem vnius propoſitionis ex alia. Ex eo enim, quod de ratione miſsionis vt ſic, eſt authoritas mittentis ſuper miſſum: & inter diuinas perſonas alia authoritas vnius ſuper aliam dari non poteſt, quam principij, & procedẽtis à principio; infert D. Thomas proceſsionem eſſe de ratione miſsionis diuinarum perſonarum. Vnde ly *ex conſequenti*, quo vtitur Angelicus Doctor, non denotat, quod proceſsio importatur in obliquo, ſed denotat, bene inferri, quod proceſsio ſit de ratione miſsionis vnius perſonæ ab alia, ex eo quod de ratione miſsionis eſt authoritas mittentis ſupra miſſum, & inter perſonas diuinas, alia authoritas intercedere nõ poteſt, quam principij proceſsionis.

89 *Secũdo. arg. contra 1. p. conc.*

Secundo arguitur ex D. Thoma *quæſt. 43. art. 2.* vbi docet, *quod miſsio conuenit perſonæ diuinæ ſecundum quod importat proceſsionẽ originis à mittente in aliquem effectum.* Et artic. 2. ad 1. illis verbis: *Hoc ipſo Filius habet, quod poſsit mitti, quod eſt ab æterno genitus.* Et ſolutione 3. illis verbis: *Miſsio includit proceſsionem æternam, & aliquid addit, ſcilicet temporalem effectum*: ergo iuxta D. Thomam, miſsio diuinarum perſonarum conſiſtit in recto in origine vnius ab alia, connotato effectu temporali; & conſequenter habitudo ad principium conſtituit miſsionem in recto, & habitudo ad temporaleu effectum ſolum de connotato, & in obliquo.

90 *Reſp.*

Sic arguunt nonnulli ex noſtris Thomiſtis, vt probent ſolam proceſsionem importari in recto à miſsione, & in illa principaliter cõſiſtere. Sed certẽ non video quomodo ex verbis D. Thomæ inferatur. Ex quibus ſolum habetur, miſsionẽ nõ conſiſtere adæquatẽ in nouo modo eſſendi in creatura, ſed inſuper includere proceſsionem miſsi à mittẽte. Quod autem hæc ingrediatur in recto, habitudo autem ad effectum temporalẽ in obliquo ſolũ, nullatenus ex prædictis verbis infertur. Quod enim prius proceſsionẽ expreſſerit, & poſteà nouũ modũ eſſendi, nõ probat, quod ſola proceſsio ingrediatur in recto; ſicut ex eo quod homo diffiniatur per *animal rationale*, in qua diffinitione prius ponitur *animal*, & poſtea *rationale*, non probatur hominẽ conſtitui per ſolam rationem animalis in recto, aut quod formaliter conſtituatur per illam, quin potius inferri debebat oppoſitum: quod enim prius ponitur, importatur vt determinabile, quod autẽ poſterius ponitur, importatur vt determinans: determinans autem principalius eſt in alicuius conſtitutione, eo quod ab alio determinatur. Et quidem D. Th. q. 43. art. 3. ſic ait: *Dicẽdum, quod diuinæ perſonæ conuenit mitti, ſecundum quod nouo modo exiſtit in aliquo.* Quibus verbis explicat perſonarum miſsionẽ per habitudinem ad effectũ temporalem in recto: ergo ſi ex eo quod per proceſsionem in recto importatam explicat D. Th. miſsionẽ, prout conuenit perſonis diuinis infertur ex mẽte illius, quod proceſsio importetur in recto, id ipſum aſſerẽdum eſt de habitudine ad effectum temporalem.

91 *Tertio arg.*

Tertio arguitur: per proceſsionem æternam, connotato effectu temporali, ſufficienter conſtituitur miſsio perſonæ diuinæ: ergo ſola æterna proceſsio; & conſequenter ſola habitudo ad principium importatur directẽ in miſsione. Conſequentia eſt bona. Antecedens autem oſtenditur primo: per hoc ſolum, quod effectus tẽporalis de connotato importetur, ſufficienter diſtinguitur miſsio ab æterna proceſsione accepta ſecundũ ſe: ergo ſufficiẽter conſtituitur in ratione miſsionis. Secũdo: nã id ſolum ſufficit vt miſsio, tẽporalis, & libera ſit, proceſsio autẽ neceſſaria, & æterna: ergo ſufficit etiã ad cõſtitutionẽ miſsionis. Tertio: vt enim *ſupra diſput. 72.* docuimus, intellectus prout in Patre, intellectu ingrediente in

recto,

recto,& paternitate in obliquo, & de connotato,sufficienter constituit potentiam generatiuam: ergo pariter processio vt connotans tempora lem effectum sufficienter constituit missionem: Denique;vt enim *disp.* 71. docuimus, intellectio prout in Patre paternitate de connotato ingrediente,sufficienter constituit generationem actiuam: ergo pariter processio vt connotans nouum modum essendi in creatura, sufficienter constituit missionem. Quod amplius vrgetur: vt enim potentia generatiua,& generatio actualis actiua,affirmentur de Patre, & de Filio non affirmentur, sufficit quod paternitas,in obliquo, & de connotato ingrediatur vtriusque constitutionē: ergo pariter vt affirmetur missionē esse temporalem,& liberam,& vtrūque de generatione Filij negetur,sufficit quod effectus temporalis,vel habitudo ad illum ingrediatur in obliquo constitutionem missionis, processione sola,vel habitudine ad principium in recto ingrediente.

92 *Resp.* Respondeo negando antecedens. Ad primam probationē distinguo antecedens: sufficienter distinguit,& debito modo,nego antecedens: modo indebito,concedo antecedens,& nego consequentiam. Et quidem per rationem animalis in recto,connotata rationalitate, distingueretur sufficiēter homo ab æquo, cui rationalitatis connotatio repugnat; & tamen ex hoc no licet inferre rationalitatem,solum de cōnotato ingredi constitutionem hominis;& ratio est,quia est debita homini,non vt cōnotata,sed vt in recto illius constitutionem ingrediens. Ita in præsenti est dicendum, quod licet habitudo ad effectum temporalem vt connotata sufficienter distingueret;quia tamen missioni vt in recto ingrediens debetur,non infertur per illam vt in obliquo,& de connotato ingredientem constitui.

93 *Ad 2. antecedentis probationē* Ad secundam,concesso antecedenti, neganda est consequentia: Nos enim non probamus habitudinem ad effectum temporalem importari directè, quia ex illa habet missio,quod temporalis,& libera sit, sed qua significatur vt actio, passio, vel motus,in quibus ordo ad terminum importatur in recto. Ad tertiam probationem concesso antecedenti,nego consequentiam; ratio autem cur in potentia generatiua non ingreditur in recto paternitas,sed solum vt connotata, est, quia in principio *quo* radicali,& proximo diuinæ generationis,constituenda est sūma vnitas possibilis cum termino geniro,vt *disp.*72. monstrauimus;hæc autem maior est, ingrediente in recto eo,quod absolutum est;& in obliquo, & de connotato paternitate, quam si hæc in recto ingrediatur. Quam identitatem etiā in actione generatiua intercedere debere,*disp.* 71. probauimus,quæ ratio accōmodari non potest,vt probetur missionē personarū per solā processionē in recto ingredientē constitui. Ad confirmationē, constat ex dictis ad primā antecedentis probationem.

94 *Retorquetur arg.* Et quidem argumentum hoc potest pro absoluto,quod est in missione formari; vt probetur absolutum connotata processione constituere missionem,eo quod processio vt de connotato ingrediens. sufficit ad distinguendum absolutū prout in persona procedēte ab eodem absoluto, quatenus in Patre inuenitur, & ad hoc quod vt conuenit personæ procedenti rationē missionis sortitur,quā in Patre non sortitur. Ad quod suadendū fortius vrgent tertia,& quarta probatio antecedentis, quam ad probandum de notionali,connotata habitudine. Si namque intellectus prout in Patre constituit potentiam generatiuam,& intellectio prout in Patre constituit actualem generationem,ingrediente Paternitate solum de connotato,& in obliquo. Cur absolutū, quod in missione inuenitur, nēpe habitudo ad nouū modū essendi in creatura,prout in persona procedente, processione de connotato, & in obliquo importata, non suffi-

ciet conſtituere miſsionem: ſicut ergo ſic formatum argumentum non conuincit, ſolum id quod abſolutũ eſt in miſsione, ingredi illius conſtitutionem in recto: ita nec prout formatur ad ſuadendum ſolum notionale in recto conſtituere miſsionem, efficax debet cenſeri. Et ratio eſt iam aſsignata; quia nempe motiuũ, quo ſuadetur, ſolum prædicatum abſolutum importari in recto à potentia generatiua, & à generatione actuali, nempe ſumma identitas principij, & actualis generationis cum termino, non militat in miſsione, quæ cum ad effectum creatum terminetur, hanc identitatem non petit.

95 *Alia ratio diſcriminis.* Et inſuper alia ratio diſcriminis: nempe, abſolutum, quod in recto conſtituit potentiam generatiuam, & actualem generationem, ab intrinſeco connecti cum paternitate, quam de connotato importat. Et ideo prout ſic connotans paternitatem poteſt vt ratio formalis conſtituere principium *quo* generandi, & actualem generationem, paternitate ſolũ vt conditione velut complemento ingrediente ad talem conſtitutionẽ. Proceſsio autem, non eſt ab intrinſeco connexa cum habitudine ad nouũ modũ eſsẽdi, nec habitudo iſta eſt ab intrinſeco cõnexa cũ proceſsione, nec ſe ad inuicẽ cõnotãt ab intrinſeco, & id circo vt quauis ex illis intelligatur vt miſsionem conſtituens, & à non miſsione diſtinguens, debet illarum quælibet alteram determinare, & vt ſic determinata ingredi vt ratio formalis ad cõſtituẽdã miſsionẽ.

96 *Arg. Durãdi cõtra 2. partem concluſionis.* Deinde contra ſecundam partẽ noſtræ concluſionis arguitur argumento Durandi in hunc modũ: quando duo includuntur in aliquo, & vnũ eſt quaſi ratio completiua, & formalis reſpectu alterius, & aliud quaſi materiale præſuppoſitũ, illud quod eſt formale, eſt principalius; ſed in miſsione illud, quod eſt eſſentiale, nẽpe effectus temporalis, vel habitudo ad illum eſt quaſi completiuum, & formale reſpectu eius, quod eſt notionale, & hoc ad eſſentiale ſupponitur: ergo in miſsione principalius includitur eſſentiale quam notionale. Maior, inquit Durandus, de ſe patet, & minorem probat ex Auguſtino 10. de Trinitate, vbi ait: *Quod Filius, non eo quod Filius, eſt à Patre miſſus, ſed vel ex eo quod viſsibilis apparuit, vel ex eo quod mentem cuiuſcumque ſanctificat*; ſed ſanctificatio mentis noſtræ eſt quid eſſentiale, cum ſit à tota Trinitate: ergo formale, & completiuum in miſsione aſt aliquid eſſentiale.

97 *Reſp.* Hoc argumentum prout probat abſolutum, quod eſt in miſsione, & à Durando eſſentiale vocatur, non quia ſit prædicatum neceſſarium in Deo, ſed quia eſt tribus perſonis cõmune, ſecundum aliam conſiderationem principalius importari, pro Nobis eſt. Prout tamen à Durando formatur ad ſuadendum ſolum hoc prædicatum in miſsione principalius importari, non conuincit. Et ad illud reſpondetur diſtinguendo maiorẽ: ſi ſolum ſit ratio completiua, & formalis, concedo maiorem: ſi non ſolum ſit ratio completiua, & formalis, ſed etiam ratio complebilis, & formabilis, per illud quod præſupponitur, ſubdiſtinguo maiorem: importatur principalius ſub omni conſideratione, nego maiorem: principalius ſub vna conſideratione, & ſub alia minus principaliter, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: eſſentiale prædicatum eſt ratio completiua, & formalis, & ſimul ratio complebilis, & formabilis per prædicatum notionale, concedo minorem: eſt ſolũ ratio cõpletiua, & formalis, nego minorẽ, & diſtinguo conſequens, diſtinctione maioris; ſolũ enim ſequitur abſolutũ quod eſt in miſsione ſub aliqua conſideratione principali in illa importari, non autẽ quod ſub omni conſideratione principalius importetur. Quæ doctrina conſtat ex ratione, qua ſecundam partem noſtræ concluſionis moſtrauimus.

98 *Replic. 1.* Sed obijcies contra iſtam ſolutionem primo: paternitas diuina determinat intellectum, illumque com-

plet

plet in ratione potentiæ generatiuæ; & tamen ſub nulla conſideratione principalius importatur in potentia generatiua, cum ſolum in obliquo,& de connotato importetur,vt docuimus *diſp.72.* ergo ex eo quod proceſsio determinet prædicatum abſolutum, & illud compleat in ratione miſsionis,non probatur principalius importari in miſsione.

99 *Secũdo.* Secundo : nam materia prima diſtinguit hominem ab Angelo, & tamen ſub nulla ratione principalius quam anima importatur in homine: ergo ex eo quod proceſsio diſtinguat abſolutum,quod in miſsione inuenitur ab eodem abſoluto prout reperitur in Patre, & in ratione miſsionis conſtituat, non ſequitur ſub aliqua conſideratione principalius in miſsione importari.

100 *Tertio.* Tertio: inde namque probauimus vtrãque habitudinẽ directe importari in miſsione; quia in actione, & paſsione directe importatur, habitudo ad principium, & ad terminum,vel ſubiectum,& in motu habitudo ad terminum *à quo*, & ad terminum ad *quem*; miſsio autem ſignificatur vt actio,paſsio, vel motus; ſed licet vtraque habitudo in actione,paſsione,& motu importetur directe, in nullo tamen illorum vtraque ingreditur principaliter; ſed in actione habitudo ad principium, in paſsione habitudo ad terminum,vel ſubiectum, & in motu habitudo ad terminum ad *quem* importatur principalius, & aliæ habitudines minus principaliter ingrediuntur: ergo licet vtraque habitudo directé in miſsione importetur, non tamen vtraque principaliter, aut principalius ſecundum diuerſas conſiderationes.

101 *Ad 1.replicãreſpõdetur 1.* Reſpondeo ad primam replicam primo,conceſſa maiori, negando minorem. Nec obſtat, quod paternitas in obliquo importetur,cum enim,quamuis ſic ingrediatur, compleat tamen intellectum diuinum,vt rationem potentiæ generatiuæ ſortiatur, quam non ſortitur in Filio, comparata cum intellectu diuino vt complebili per illam, principalius importatur. Vnde Durandus poſtquam oſtenderat,eſſentiale quod eſt in miſsione principalius importari, hæc verba ſubiecit : *Dico autem principalius, non quia prædicetur in recto de miſsione, ſed quia complet rationem miſsionis reſpectu notionalis, quod eſt præſuppoſitũ, & materiale.* Ex quibus apertè conſtat,iuxta Durandum,ſtare quod aliquid,non in recto,ſed de connotato,& in obliquo de aliquo prædicatum,principalius in illo importetur. Nec eſt cur nos pigeat Durandum in hoc modo loquendi imitari,cuius celebre, & mirum ingenium merito poteſt cum celebratiſsimis cuiuſuis ſæculi comparari.

102 *Reſp.2.* Secundo reſpondeo, conceſsis maiori,& minori, negando conſequentiam: noſtra enim doctrina proced it de prædicatis, quæ in aliquo directè importantur, quorum ſi vnũ determinet aliud, & ab illo non determinetur, ſolum principalius importatur;ſi autem inuicem ſe determinent ſub diuerſis conſiderationibus,quodlibet illorum prout determinans principalius importatur, alio prout determinabili. Vt autem in prima parte concluſionis docuimus habitudo ad principium,& habitudo ad terminum importantur directè in miſsione,& illarum quælibet determinat aliam ; ac proinde vtraque principalius,& minus principaliter ſub diuerſis conſiderationibus importatur. Paternitas autem non ingreditur directe conſtitutionem potentiæ generatiuæ,ſed tantũ indirectè in obliquo,& de connotato,vt docuimus *diſp.72.* & ibidẽ probauimus. Et ideò ex eo quod intellectum determinet vt ſortitur rationem potentiæ generatiuæ,non ſequitur principalius, quam intellectus in illa importari.

103 *Tertio.* Tertio reſponderi poteſt,conceſsis maiori & minori,negando cõſequentiam,ob aliam rationem diſcriminis, nempè, quod paternitas

determinat intellectum diuinum vt modus, non vero vt ratio formalis, adhuc partialis principij generandi *quo*, & ideò quamuis determinet, nõ petit principalius importari in potentia generatiua. Notionale autem, quod in miſsione inuenitur, determinat id, quod eſt eſſentiale vt ratio formalis partialis cauſatiua miſsionis: & è cõtra, id quod eſſentiale eſt, determinat notionale vt ratio formalis inadæquata miſsionis. Sicut enim ratio cauſæ ſecundæ conſtituitur ex habitudine ad effectum, & habitudine ſubordinationis ad cauſam primam, vt ex duplici ratione inadæquata formali: ita miſsio conſtituitur inadæquatê partialiter ex habitudine ad principium mittens, & ex habitudine ad effectum. Et cũ aliàs inter iſtas habitudines detur mutua determinatio, recte colligitur vtramque importari principalius, & minus principaliter ſub diuerſis conſiderationibus iam explicatis.

104 *Ad 2. replicã reſp.* Ad ſecundam reſpondetur conceſsis maiori, & minori negando cõſequentiam: materia namque diſtinguit hominem phyſicê ab Angelo vt ſubiectum recipiens animam, & cum illa hominem componens, non autem determinat animam rationalẽ, ſed ipſa de ſe, & ab intrinſeco determinata eſt ad hominem conſtituẽdum. Vnde materia ſub nulla conſideratione rationem formæ ſortitur, & ideò ſub nulla cõſideratione principalius importatur: in miſsione autem vtraque habitudo eſt de ſe indifferens ad conſtituendam, & nõ conſtituendam miſsionem, & ex vtriuſque coniunctione reſultat miſsio; ac proinde vtraque ſubinduit rationem determinantis, & rationem determinabilis, quod eſt idem, atque rationem materiæ, & rationem formæ ad inuicem exercere, ex quo ſequitur principalius, & minus principaliter importari.

105 *Ad 3.* Ad tertiam conceſsis maiori, & minori, negando conſequentiam: ratio autem diſcriminis eſt: nam habitudo actionis ad principium non eſt de ſe indifferens, ſed determinata ad illud; ideoque etſi importet ordinem ad terminum, non importat illum vt determinantem ordinem ad principium, idemque de ordine paſsionis ad terminum, vel ſubiectum, & de habitudine motus ad terminum eſt dicendum, non enim habitudo paſsionis ad terminum determinatur per ordinem ad principium, ſed de ſe eſt determinata; nec ordo motus ad terminum *ad quẽ* determinatur ab ordine ad terminum *à quo*. Et ideò in actione, ſolus ordo ad principium, in paſsione ſolus ordo ad ſubiectum, vel terminum, & in motu ſolus ordo ad terminũ *ad quẽ*, principalius in omni conſideratione importantur; in miſsione autẽ vtraque habitudo eſt indifferens de ſe, vt proximè dicebamus, & inter illas datur mutua determinatio, & ideò etiam datur in illarum qualibet duplex conſideratio, ſecundum quarum vnam determinat alia; & conſequenter principalius importatur, & ſecundum aliam determinatur; ac proinde importatur minus principaliter reſpectu illius, à qua determinatur.

106 *Deniq; arg.* Denique arguitur: miſsio non eſt formaliter exitus miſsi à mittente ſecundum eſſe, vt conſtat in ſeruo miſſo à domino, qui ab illo nõ accipit eſſe; ſed in vi proceſsionis æternæ, Filius, & Spiritus Sanctus accipiunt eſſe: ergo miſsio perſonarum non eſt formaliter proceſsio æterna; & conſequenter proceſsio nõ importatur principaliter in miſsione. Cõfirmatur primo: miſsio importat formaliter habitudinem ad effectum temporalem, & ad nouum modum eſſendi; ſed iſtam habitudinem v. g. ad incarnationem in tempore nõ dicit miſsio Filij in vi generationis æternæ, cum hæc ſit neceſſaria, & formaliter, & virtualiter immanens, habitudo autem ad incarnationem ſit actio libera, & virtualiter tranſiens: ergo miſsio temporalis Filij non poteſt formaliter, & in recto in æterna

illius generatione consistere. Confirmatur secundo: nam missio temporalis est formaliter libera, sed processio æterna Filij est omnino necessaria: ergo missio non potest in processione formaliter, & in recto consistere, sed in aliquo libero conueniente Filio, vt à Patre procedenti, ingrediente processione de connotato, & in obliquo.

107 *Retorquetur argum.*

Sic arguunt quidam Recentiores, vt probent missionem personarum formaliter, & in recto consistere in habitudine ad effectum temporalem, processione solum de connotato, & de materiali ingrediente. Cũ tamen si argumentum aliquid probat, conuincat, adæquatê consistere in effectu temporali, vel in habitudine ad illum, processione nullatenus ingrediente ad constituendam missionem. Quod patet; inde nãque probant non cõsistere formaliter in processione; quia missio in humanis non consistit formaliter in exitu missi à mittente secundum esse, vt constat in seruo misso à domino, à quo non accipit esse; sed missio in humanis nõ solum pro eo quod in recto formaliter dicit, sed etiam adæquatê saluatur sine exitu missi à mittente secundum esse, adhuc de connotato, & in obliquo ingrediente: ergo si argumentum aliquid probat, conuincit missionem personarũ adæquatê consistere in effectu tẽporali, vel habitudine ad illum, processione æterna, nullatenus ingrediente illius constitutionem.

108 *Resp. arg.*

Ad illud respondeo distinguendo maiorem: missio non est formaliter adæquatê exitus missi à mittẽte secundum esse, concedo maiorem: formaliter inadæquatê, subdistinguo maiorem; ex cõmuni conceptu missionis, concedo maiorem: ex cõceptu talis missionis, nego maiorem, & cõcessa minori, distinguo consequẽs distinctione maioris. Solum enim sequitur missionem personarum non consistere adæquatê in processione æterna, quod libenter fatemur: non autem quod in illa non consistat inadæquatê formaliter simul cum processione æterna, ingrediente habitudine ad terminum temporalem, ad quem missio vltimatê ordinatur. Et retorqueo argumentum: nam exitus in missione vnius hominis ab alio formaliter, & in recto importatur: ergo in missione vt sic ingreditur formaliter exitus, vel argumentum factum nullius est efficaciæ: ergo vel inter personas diuinas non saluatur ratio missionis, vel illarum missio, in recto, & formaliter consistit in exitu; sed vna persona non potest ab alia exire aliter quam processione: ergo missio personæ diuinæ est formaliter, & in recto processio.

109 *Ad 1. conf.*

Ad primam confirmationem concessis maiori, & minori distinguo consequens: non potest consistere formaliter adæquatê in æterna generatione, concedo consequentiã: formaliter inadæquatê, nego consequentiam. Si namque habitudo ad nouum modum essendi conueniret Filio in vi generationis æternæ, in illa adæquatê missio Filij consisteret. Vnde ex eo quod ista habitudo non conueniat Filio in vi æternæ generationis, solum infertur, non consistere in generatione æterna adæquatê: non autem quod in illa non consistat inadæquatê formaliter, simul cum illa ingrediente ad constituendam missionem habitudine ad nouum modum essendi, etsi hæc habitudo non conueniat Filio ex vi generationis æternæ vt cum illa necessario connexa.

110 *Ad 2.*

Ad secundam confirmationem concessis maiori, & minori distinguo consequens: formaliter in recto adæquatê, concedo consequentiam: inadæquatê, nego consequentiam. Sicut enim vt missio sit temporalis, sufficit ex vna formalitate temporali conflari, etsi alia sit æterna: ita vt missio sit libera sufficit vnum ex ingredientibus illius constitutionem, liberum esse, quamuis aliud ex quo componitur sit necessarium. Et sicut ad hoc, quod missio sit notionalis, & nou communis tribus personis,

ſufficit vnum ex conſtituentibus eſſe notionale, quamuis aliud ſit commune. Vnde ſicut iſta conſequentia in ſententia recentiorum arguentiũ non valet: *Miſsio eſt notionalis formaliter; ſed habitudo ad nouum modum eſſendi eſt communis: ergo miſſio non conſiſtit in illa formaliter*: ita conſequentia ab illis facta, non valet ad excludendam proceſsionem æternam ab inadæquata formali cõſtitutione miſsionis, bene tamen vt inferatur, miſsionem non conſiſtere in æterna proceſsione formalitêr adæquate.

§. VII.

Secunda pars diſputationis reſoluitur.

111 *Prima diuiſio miſsionis.*

CIrca ſecundum, quod in hac diſputatione examinandũ propoſuimus, parum, aut nihil diſidij inter Theologos verſatur. Primo certum eſſe debet, miſsionem diuidi in actiuam, & paſsiuam: miſsio actiua, eſt actiua proceſsio cum ordine ad effectum temporalem, ſeu nouum modum eſſendi, ad quẽ miſsio paſsiua ordinatur. Miſsio paſsiua, eſt paſsiua proceſsio cum ordine ad eũdem terminum. Quæ diuiſio vt ſuſtineri poſsit cum ſententia, quam *ſupra* §. 3. vt probabilẽ defendimus, aſſerente, poſſe perſonam procedentem mitti ab ea, à qua non procedit, poſſeque ſe ipſam mittere: neceſſario eſt aſſerendum, miſsionem actiuẽ ſumptam conſiſtere in proceſsione actiua perſonæ miſſæ à mittente, vel ſecundum ſuum eſſe, vel ſecundũ effectum temporalem, ad quem miſsio paſsiua ordinatur.

112 *Secũda.*

Secundo ex parte proceſsionis, quam in miſsione paſsiua adæquatê ſumpta includi §. 1. docuimus, diuiditur miſsio perſonæ diuinæ in miſsionem Filij, & miſsionem Spiritus Sancti. Cum enim proceſsio ſit de ratione miſsionis, multiplicata proceſsione, neceſſarium eſt miſsionem multiplicari, illaque diuiſa diuidi; ſed proceſsio paſsiua Filij, eſt realiter diſtincta à proceſsione paſsiua Spiritus Sancti: ergo miſsio vnius perſonæ realiter à miſsione alterius diſtinguitur. An autem ex parte termini ad quem miſsio paſsiua ordinatur, realiter inter ſe diſtinguantur, & inter ſe ſint neceſſario connexæ, ex dicendis conſtabit.

113 *Tertia.*

Tertio ex parte effectus, vel modi diuiditur miſsio perſonæ diuinæ in viſibilem, & in inuiſibilem. Quæ diuiſio indubitata debet eſſe apud Theologos, cũ vtraque in Scriptura exprimatur: inuiſibilis ad Galatas 4. illis verbis: *Quoniam autem eſtis Filij, miſsit Deus Spiritũ Filij ſui in corda veſtra clamantem Abbà pater.* Et Ioannis 10. *Si quis diligit me, ſermonem meũ ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Quæ verba de aduentu triũ perſonarum in animam iuſti per gratiam iuſtificantem, qui reſpectu perſonarum procedentium, miſsio inuiſibilis eſt, interpretantur Patres, & Doctores communiter.

114 *De miſsione viſibili.*

Viſibilis miſsio habetur ad Galatas 4. illis verbis: *Quando venit plenitudo temporis, miſsit Deus Filium ſuum factum ex muliere.* Et de Spiritu Sancto Ioannis 1. illis verbis: *Vidi Spiritum Sanctum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum.* Et Lucæ 3. illis verbis: *Et deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie quaſi colũbæ in ipsũ, & vox de Cælo facta eſt, &c.* Quas miſsiones eſſe viſibiles, conſtat; miſsio namque Verbi fuit facta in natura creata ſenſibili. Miſ-

sio autem Spiritus Sancti sub signis sensibilibus, ipsum manifestantibus.

115 *Diffinitur vtraque missio.*

Missio inuisibilis est, cuius terminus non est sensibilis, nec aliquo signo exteriori manifestatur. In qua, duo importantur, nempé aliquis positiuus effectus, ratione cuius persona diuina esse incipiat nouo modo in creatura, & aliquid negatiuum, scilicet, carentia signi illum manifestantis, aut sensibilem constituentis. Missio visibilis est, cuius terminus sensibilis est, aut exteriori signo manifestatur.

Infertur diuisionem adæquatam.

Ex quo infertur dictam diuisionem esse adæquatam, datur enim per differentias contradictoriè oppositas, inter quas non datur medium. Sicut diuisio substantiæ in immaterialem, & materialem adæquata est, quia inter materiale, & immateriale non datur medium. Et diuisio animalis per rationale, & irrationale est adæquata, quia nō datur medium inter rationale, & irrationale.

116 *Si opponas.*

Si opponas: est dabilis missio puré inuisibilis, vt est illa qua infunditur gratia iustificans, nullo signo manifestata, vt in iustificatione peccatoris communiter accidit. Et missio purè visibilis, qualis est illa, qua missus fuit in specie columbæ Spiritus Sanctus ad Christum. Cum enim anima Christi in primo conceptionis instanti à Deo plena gratiæ extiterit, vt nullum incrementum toto tempore vitæ Christi susceperit, núquam fuit missus missione inuisibili Spiritus Sanctus ad Christum, præterquam in primo conceptionis instanti; & consequenter descensus in specie columbæ Spiritus Sancti super caput Christi in Iordane, fuit missio purè visibilis. Est etiā dabilis missio mixta ex visibili, & inuisibili, vt fuit illa, qua Spiritus Sanctus descēdit super Apostolos in linguis igneis in die Pentecostes: tunc enim non solum Spiritus Sanctus visibiliter apparuit, sed etiam intus Apostolorum corda diuina gratia repleuit. Vnde de Apostolis dicitur: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cæperunt loqui*; & consequēter fuit illa missio composita ex visibili, & inuisibili: ergo addendum est diuisioni à Nobis factæ tertium mēbrum, videlicet vt missio mixta; & consequenter adæquata non est.

117 *Resp.*

Respondeo prætermissa tota antecedentis doctrina, de qua infra, negando consequentiam: missio enim mixta ex visibili, & inuisibili, absolutè est missio visibilis, sicut substantia composita ex materia corporali, & forma spirituali, vt est homo, absolutè est substantia materialis. Vnde sicut dari substantiam per se spiritualem, & substantiam per se materialē, & substantiam compositam ex corpore, & spiritu, non arguit diuisionē substantiæ in materialem, & immaterialem non esse adæquatā: ita quod detur missio purè inuisibilis, & missio purè visibilis, & missio ex vtraque mixta, non arguit diuisionem missionis in visibilem, & inuisibilem, nō esse adæquatam. Et ratio est: nam sicut immaterialitas in substantia dicit omnimodā negationē materiæ physicæ, & ideò eo ipso, quod materia ingrediatur alicuius constitutionem, compositum ex illa resultans immateriale non est; & consequenter est materiale: ita inuisibilitas in missione dicit omnimodam negationē manifestationis; & consequenter eo ipso, quod talis negatio non detur, inuisibilis missio non dicitur, ac proinde dicitur visibilis.

118 *Subdiuisio missionis in uisibilis*

Sicut autem substantia materialis potest rectè subdiuidi in substantiam purè materialem, & substātiam compositam ex materia corporali, & anima spirituali: ita doctrina antecedentis admissa poterit missio visibilis diuidi in missionem purè visibilem, & missionem mixtam ex visibili, & inuisibili, quod adæquationi diuisionis à nobis factæ nō obstat, vt ex eodē exemplo colligitur. Non enim obstat vt diuisio substātiæ in materialem, & immaterialem sit adæquata, quod substantia materialis subdiuidatur in substantiam adæquatè materialem, & substantiam ex

materia, & forma ſpirituali compoſitam.

119 *Contra diuiſionẽ arg. 1.*

Contra iſtam diuiſionem obijciet aliquis primo: miſsio inuiſibilis perſonarum diuinarum non eſt cum proprietate miſsio: ergo connumeranda non eſt vt membrum miſsionẽ diuidens; & conſequentêr eſt aſſerendum, ſolum dari miſsionem viſibilem. Probatur antecedens: derogat enim proprietati miſsionis, quod mittens, & miſſus in termino miſsionis conueniant, & ad eundem terminum pergant, vt conſtat in miſsione vnius hominis ab alio, in qua mittens non pergit ad terminum, ad quem miſſus ordinatur, nec in termino cum illo communicat; ſed in miſsione inuiſibili per gratiam iuſtificantem omnes diuinæ perſonæ veniunt ad miſsionis terminum, vt conſtat ex illo Ioannis. 14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; & conſequenter Pater mittens Filium, & Spiritum Sanctum, cum illis in termino miſsionis communicat: ergo miſsio inuiſibilis non eſt cum proprietate miſsio.

120 *Recẽtiorum ſententia reijcitur.*

Hoc argumento conuictum fuiſſe Zuñigam *diſp.* 18. *dub.* 4. ad aſſerendum, miſsionem inuiſibilem nõ eſſe propriê miſsionem, ſed ſolum miſsionem viſibilem, rationem miſſionis obtinere cum proprietate, refert Martinus Perez *tract. de Deo trino diſp.* 19. *ſect.* 4. Pro quo modo dicendi refert alios ſine nomine. Leni tamen fundamento conuincuntur iſti recentiores ad explicanda in acceptione impropria teſtimonia Scripturæ, in quibus miſsio inviſibilis diuinarum perſonarum exprimitur, vt eſt illud Pauli ad Galatas 4. *Miſit Deus Filium ſuum in corda veſtra clamantem, Abbà Pater.* Et quidem miſsio in humanis importat minoritatem in eo, qui mittitur cõparato cum mittente, importat etiã ſeparationem miſſi à mittente, & mutationem localem in miſſo, quorum nihil importatur in miſsione perſonarum diuinarum, vt fides docet, explicatque D. Thomas *in hac quæſtione art.* 1. *ad* 1. 2. *&* 3. *argumentum*; & tamen vt recentiores fatentur, miſsio viſibilis diuinarum perſonarum eſt cum proprietate miſſio: ergo ex eo quod in miſsione, prout in humanis contingit, mittens non communicet in termino cũ miſſo, nec ad eundem terminũ pergant, male inferunt, id eſſe de ratione miſsionis in communi vt propriê acceptæ. Et quod miſsio inuiſibilis perſonarum à proprietate miſsionis deficiat ex eo quod perſona mittens, & miſſa, in termino miſsionis communicant, & ad eundem terminum tendunt.

121 *Secũdo reijcitur,*

Deinde: nam in miſsione viſibili Verbi ad humanitatem, iuxta allegatos recentiores, ratio miſsionis cum proprietate ſaluatur, vt refert Martinus Perez; & tamen in termino illius communicat Pater mittens cũ perſona Verbi miſſa: ergo ex eo quod in miſsione inuiſibili, mittens cum miſſo in termino miſsionis cõmunicet, perperam infertur à prædictis recentioribus non ſortiri propriam rationem miſsionis. Minor continet recentiorum doctrinam, conſequentia eſt bona, & maior probatur: nam ideô in termino miſsionis inuiſibilis communicant tres perſonæ, quia gratia iuſtificans, quæ eſt terminus prædictæ miſsionis, à tribus perſonis procedit, & ratione illius veniunt ad animam iuſti; ſed etiam vnio Verbi ad humanitatem à tribus perſonis cauſatur, & ratione illius tres perſonæ veniunt ad huminitatẽ, & animam Chriſti inhabitant: ergo in termino iſtius miſsionis communicat Pater mittens cum perſona Verbi miſſa.

122 *Reſp.*

Reſpondebis fortê, Patrem communicare cum Filio in termino materiali, non autem in termino illius miſsionis formali, vel communicare materialitêr, non autem formalitêr in termino iſtius miſsionis: Verbum enim vnitur humanitati vt ſuppoſitum, illam ſuſtentans, Pater autem, & Spiritus Sanctus, ſolum vniuntur humanitati vt cauſa efficiens

ciens vnionem. Vnde Spiritus Sanctus non dicitur missus in carnem quamuis vnionem efficiat, Filius autem missus dicitur vt esset homo, non quia efficienter causet vnionem, sed quia vnitur vt suppositum sustentans humanitatem, & in humanitate subsistens; ac proinde conuenientia Patris cum Filio in termino illius missionis, non formalis, sed materialis est, quod proprietati missionis non obstat. In termino autem missionis inuisibilis communicant tres personæ formaliter, cum ab illis eodem modo efficiatur, & omnes eodem modo veniant ad animam iusti, & hoc est quod derogat proprietati missionis.

123 *Sed contra.* Sed contra; quod enim deroget proprietati missionis conuenientia in eius termino, & communicatio in illo mittentis cum eo, qui mittitur, inferunt prætati Authores ex eo quod in missione humana contingit; quia nempe in illa mittens non pergit ad terminum missionis cum misso, nec cum illo in termino missionis cõmunicat; sed in missione vnius hominis ab alio, non solum non cõmunicat formaliter mittens cum misso, sed nec etiam materialiter in termino missionis cum illo communicet: ergo si hoc non obstante saluatur propria ratio missionis vnius personæ ab alia cum communicatione materiali in termino missionis personæ mittentis, poterit etiã proprietas missionis saluari cum conuenientia, & communicatione formali personæ mittentis cum persona missa in termino inuisibilis missionis.

124 *Cõfirm.* Explicatur, & vrgetur: in missione vnius hominis ab alio, mittens, non solum non tendit ad eundem terminum formaliter, ad quem missus ordinatur, sed nec etiam necessario tendit ad eundem terminum materialiter; sed ex hoc non licet inferre pertinere ad proprietatem missionis, quod mittens non tendat ad eũdem terminum materialiter, ad quẽ missus ordinatur, aliàs missio visibilis non obtineret propriam rationem missionis: ergo nec licet inferre tendentiam mittentis cum misso ad eundem terminum formaliter obstare proprietati missionis; & cõsequenter, quamuis in missione inuisibili omnes personæ diuinæ tendant ad eumdem terminum, poterit obtinere rationem propriam missionis.

125 *Diluitur argum.* Ad argumentum respondeo, negando antecedens. Ad illius probationem, nego maiorem, quam non probari ab exemplo missionis, quæ in creaturis exercetur, constat ex dictis. Et ex illis asserendũ est, quod sicut missum separari à mittente, & localiter moueri conuenit missioni, quæ fit secundum motum localem, quin ex hoc arguatur esse de ratione missionis vt sic, propriè acceptæ: ita non communicare mittentem cum misso in termino, ad quem missio ordinatur, cõuenit missioni creatæ ob imperfectionem suam. Et quia mittens, & missus infinitæ virtutis operatiuæ non sunt, ratione cuius petant efficientiam vniuersalem omnis effectus causabilis: nec immensi, ob quod non petunt omnem locum occupare. Personæ autem diuinæ ratione suę immensitatis nõ possunt separari loco, & ratione suæ infinitæ virtutis, non possunt in operatione separari. Et ideô non licet colligere missionem vnius personæ ab alia communicante cum illa in termino, ad quem missio ordinatur, à ratione missionis propriæ deficere; cum in illa saluetur esse exitum missi à mittente in ordine ad aliquem terminum, quod sufficit ad proprietatem missionis.

126 *Secũdo arg.* Secundo contra eandem diuisionem arguitur: missio visibilis ad nihil est necessaria: ergo nõ est astruẽda: & consequenter missio diuidenda non est in visibilem; & in inuisibilem. Probatur antecedens: missio personarum ordinatur ad nostram salutem; sed hæc sufficienter habetur per gratiam iustificantem, per illius augmẽtum, & gloriam, ad quæ om-

nia

nia conſequenda ſufficit miſsio inviſibilis: ergo miſsio viſibilis ad nihil eſt neceſſaria.

127 *Reſp.* Reſpondeo negando antecedẽs, & relicta pro nunc miſsione Verbi viſibili, de cuius neceſsitate agitur 3.*p.q.*1. *tractatu de Incarnatione*: miſsio viſibilis Spiritus Sãcti fuit neceſſaria, vt per illam manifeſtaretur hominibus miſsio inviſibilis: *Cũ enim Deus prouideat omnibus ſecundum vniuscuiuſque modum, modus autem connaturalis hominis ſit, vt per viſibilia ad inviſibilia manuducatur oportuit*, inquit D.Tho. in hac quæſt. art.7. in corpore: *Inuiſibilia Dei homini per viſibilia manifeſtari, ſicut igitur ſe ipſum Deus, & proceſsiones æternas perſonarum, per creaturas viſibiles ſecundum aliqua inditia hominibus quodammodo demonſtrauit: ita conueniens fuit vt etiam inviſibiles miſsiones diuinarum perſonarum ſecundum aliquas viſibiles creaturas manifeſtarentur.* Hæc D. Thomas: ex quibus habetur, quod licet miſsio viſibilis non fuerit neceſſaria ſimpliciter ad finem noſtræ ſalutis, fuit tamen conueniens, & vtilis, vt nempe miſsio inviſibilis per ſigna viſibilia manifeſtaretur hominibus, cuius conuenientia, & vtilitas ex proxime dicendis conſtabit.

128 *Replicabis* 1. Sed obijcies primo: quod conuenit miſsioni viſibili Spiritus Sancti, non eſt negandum miſsioni Verbi viſibili; ſed manifeſtare miſsionem inviſibilem non conuenit miſsioni viſibili Verbi: ergo nec miſsioni viſibili Spiritus Sancti; & conſequenter vtilitas miſsionis viſibilis non conſiſtit in eo quod per illam manifeſtetur miſsio inviſibilis. Maior cum cõſequentia tenet. Minor autem probatur: vt enim miſsio viſibilis manifeſtet inviſibilem, debet dari duplex miſsio, nempe inviſibilis manifeſtata, & viſibilis manifeſtans, & ad cuius manifeſtationem viſibilis miſsio ordinetur; ſed in humanitate aſſumpta hoc non datur, licet enim præter ſanctitatem ſubſtantialem detur gratia habitualis terminans miſsionem inviſibilem diſtinctam à miſsione viſibili, non tamen manifeſtatur per iſtam; cum gratia habitualis ſit poſterior vnione humanitatis ad Verbum, nec eſt cum illa eſſentialiter connexa, nec vnio Verbi ad humanitatem ad illius manifeſtationem ordinatur. Sanctitas autem ſubſtantialis non terminat actionem diſtinctam ab illa, qua humanitas Verbo vnitur, ſed in vi eiuſdem actionis vnitur Verbum humanitati vt illam ſuppoſitans, & vt illam ſanctificans: ergo miſsio Verbi viſibilis non manifeſtat miſsionem inviſibilem factam ad humanitatem.

129 *Secũdo.* Obijcies ſecundo: potuit enim perſona diuina vniri ſubſtantialiter naturæ irrationali, loquendo de potentia abſoluta; ſed tunc daretur miſsio viſibilis, cum terminus per miſsionem cauſatus eſſet ſenſibilis, non minus, quam terminus cauſatus per miſsionem Verbi ad humanitatẽ, & non manifeſtaret miſsionem inuiſibilem, cum hæc, abſque ſanctitate non detur; natura autem irrationalis capax ſanctitatis non eſt: ergo nõ eſt de ratione miſsionis viſibilis manifeſtare inuiſibilem.

130 *Tertio.* Tertio: ſi namque couuenientia miſsionis viſibilis eſſet, vt per illam manifeſtaretur miſsio inuiſibilis, ſequeretur, quod ad omnes, ad quos miſsio inuiſibilis facta eſt, fieret etiã miſsio viſibilis, vt per illam prima manifeſtaretur; conſequens autẽ eſt falſum: ergo vtilitas miſsionis viſibilis, minus bene ex prædicto fine probatur.

131 *Deniq;* Denique: nam ad Patres antiquos fuit facta miſsio inuiſibilis, cũ ſanctificati fuerint per gratiam iuſtificantem, quæ eſt terminus ad quẽ miſsio inuiſibilis ordinatur; & tamen non fuit ad illos miſsio viſibilis facta, vt ex Auguſtino docet D. Thomas *in hac quæſt. art.*7. ergo nec in lege gratiæ oportuit, vt miſsio viſibilis fieret pro manifeſtanda inuiſibili.

132 Prima ex his obiectionibus cõ-

uin-

Sententia Patris Suarez.

uictus Suarez *lib. 12. de Trinitate cap. 3.* asseruit, non esse de ratione missionis visibilis manifestare inuisibilem; sed solum id esse de ratione missionis visibilis, quam vocat repræsentatiuam, quales fuerunt Spiritus Sancti missiones, de cuius ratione est, quod repræsentet missionē inuisibilem, vel simul factam, vel saltim quæ aliquando facta fuerit, & in suo termino perseueret; missio autem Verbi ad humanitatem est missio visibilis quoad esse, & ideo necessarium non est, quod inuisibilem missionem manifestet.

133 *Prædicta sententia impugnatur.*

Cæterum, licet verum sit, missionem visibilem Verbi non esse per se primo ordinatam vt manifestet missionem inuisibilem; quod autem missio inuisibilis non manifestetur per illam, falsum est, & contra D. Thomā *in 1. distinct. 16. quæst. 1. art. 1. ad 1.* illis verbis: *Ad primum dicendum, quod illa visibilis creatura, secundum quam missio dicitur visibilis, aliter se habet in missione visibili Filij, & in missione visibili Spiritus Sancti: quia in missione Filij se habet, nō solum vt per quod, vel in quo ostenditur missio, sed etiā vt ad quod fit missio; quia naturā humanam visibilem assumpsit in vnitatem personæ, secundum quam assumptionem visibiliter in carnem mitti dicitur, & ideò in ipsa natura visibili quodam nouo modo existit, scilicet, per vnionem, non tātum in anima, sed etiam in corpore, &c.* Sentit ergo D. Thomas per carnem, quæ est visibilis, manifestari missionem Verbi ad animam, & sanctificationem illius; sed vnio Verbi cū anima vt illam sanctificantis est aliquid per se inuisibile; & consequenter missio Verbi, prout ad sanctificationem animæ terminatur, per se inuisibilis est: ergo missio visibilis Verbi, prout terminatur ad vnionem cum carne visibili, manifestat missionem Verbi vt sanctificantis animam, quæ ex hac terminatione inuisibilis est.

134 *Ad 1.*

Vnde ad primam obiectionem respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationē, nego maiorem, quod nempe necessarium sit dari duplicem missionem, sed sufficit vna, & eadem cum diuersis terminationibus, quarum vna inuisibilis sit, alia autem visibilis, & quod hæc illam demonstret: quod in missione Verbi inuenitur; datur enim aliquid visibile, scilicet, caro, & aliquid inuisibile, scilicet anima, & sanctificatio illius, & sicut caro reddit visibilem animam: ita caro assumpta à Verbo reddit visibilem sanctificationem animæ, & personam Verbi, vt illam sanctificantem.

obiectionē resp.

135 *Ad 2. resp. 1.*

Ad secundam obiectionem responderi potest primo, concessa maiori, distinguendo minorem: daretur missio visibilis personæ diuinæ formaliter sub conceptu personæ, nego minorem: materialiter sub conceptu personæ, & formaliter sub conceptu hypostasis, & suppositi, concedo minorem, & distinguo consequens per eandem distinctionem. Solū enim sequitur, nō esse de ratione missionis visibilis personæ diuinæ, vt hypostasis, manifestare missionem inuisibilem, non autem quod hæc manifestatio non sit de ratione missionis inuisibilis personæ, vt personæ formaliter. In casu namque, quod Verbum assumeret naturam irrationalem, non mitteretur formaliter vt persona, sed vt hypostasis; cum ea ratione mittatur, qua naturæ sensibili vnitur, tunc autem non vniretur formaliter vt persona, cum non personaret naturam irrationalem, sed vt hypostasis, & vt suppositum illam terminatam, & suppositatam constituens.

136 *Secūdo resp.*

Secundo responderi potest, concessis maiori, & minori, distinguēdo cōsequens: non est de ratione missionis de potentia absoluta possibilis, trāseat consequens: non est de ratione missionis possibilis de lege ordinaria, nego consequentiam: cum enim, quamuis sit possibilis de potentia absoluta, vnio diuinæ personæ cum natura irrationali, non tamen sit possibilis de lege ordinaria, nec congrua iudicetur à Theologis, sed solū hoc

mo-

modo poſsibilis ſit vnio cum natura rationali, & iſtam vnire ſibi hypoſtaticè non poſsit, quin illam infinite ſanctificet, & hæc ſanctitas nõ poſſit non reddi viſibilis per corpus aſſumptum; fit conſequens, vt quamuis manifeſtare inviſibilem miſsionẽ, nõ ſit de ratione miſsionis viſibilis, poſsibilis de potentia abſoluta, id tamen ſit de ratione miſsionis viſibilis, poſsibilis de lege ordinaria. An autem, ſicut eſt poſsibilis de potentia abſoluta, miſsio viſibilis perſonæ diuinæ per vnionem ſubſtantialem cum natura ſenſibili, non manifeſtãs inuiſibilem miſsionem; ſit etiã poſsibilis de potentia abſoluta miſsio viſibilis perſonæ diuinæ ſub ſignis ſenſibilibus, quæ vocatur miſsio repræſentatiua, quæ non manifeſtet miſsionem inuiſibilem? ex dicendis conſtabit.

137 *Ad 3.* Ad tertiam, nego ſequelam: miſsio enim viſibilis non ordinatur ad manifeſtandam miſsionem inuiſibilẽ terminatam ad gratiam purè perſonalem, ſed miſsionem inviſibilẽ terminatam ad gratiam redundantem in alios: per illam enim manifeſtatur, quod in eo, cui fit miſsio, ſit gratia, vt potẽs in alios redundare per doctrinam, miniſterium, & prædicationẽ. Et ideo Chriſto prius, & poſtmodum Apoſtolis, viſibilis miſsio Spiritus Sancti facta eſt, quia per eos gratia erat diffundenda in alios, & Eccleſia plantanda; cum enim fides ſit de his, quæ ſuperant rationem humanam, & tranſcendunt naturalem rationem, vt prædicantibus fidem, crederetur, expediens fuit, quod illorum doctrina, & authoritas dicendi confirmaretur per aliquid rationem naturalem tranſcendens, quod factum eſt per miſsionem viſibilem; ideoque vtilis fuit, quaſi quoddam argumẽtum confirmans doctrinam fidei. Et quia hæc ratio non militat in gratia purè perſonali; fit conſequens, quod miſsio viſibilis ad illam manifeſtandam non fiat.

138 *Ad vlt.* Et ex his ad vltimam obiectionem, reſpondeo negando ſequelam: licet enim in pluribus ex antiquis Patribus, gratia pleniſsima fuerit, fuit tamen perſonalis, non autem in alios redundans miniſterio, & prædicatione. Ita D. Thomas *in* 1. *diſtinct.* 16. *q.* 1. *artic.* 2. *ad* 1. *Et in* 1. *ad Anibaldum q. vnica art.* 2. *ad* 1. illis verbis: *Ad primum de Patribus veteris teſtamenti, dicendum, quod quamuis plenitudinem gratiæ habuerint, non autem ſecundũ illum ſtatum in alios redundabat, quia non erat tempus ſpiritualis propagationis per ſemẽ Verbi Dei, ſed cultus diuinus carnali propagatione à Patribus in Filios procedebat.* Plenitudo autem gratiæ Chriſti, & Apoſtolorum in alios redundauit, & ideò ad Chriſtum, & Apoſtolos eſt facta miſsio viſibilis Spiritus Sancti; ſecus autem ad Patres veteris teſtamenti.

139 *Sed dices.* Sed dices: ſequi ex doctrina ſolutionis, expedire vt miſsio viſibilis fiat ad Prælatos Eccleſiæ, nũc exiſtẽtes; conſequens eſt falſum: ergo ſolutio inſufficiens. Probatur ſequela, vt enim proximè dicebamus, Apoſtolis, & alijs de primitiua Eccleſia facta eſt miſsio viſibilis propter manifeſtandam plenitudinem gratiæ redundantem in allios; ſed modo eſt tempus plenitudinis gratiæ, & Prælatis Eccleſiæ, nũc exiſtentibus confertur, vt illorum miniſterio, & prædicatione redundet in alios: ergo eſt illis facienda miſsio viſibilis, vt illorum gratia in alios redundans manifeſta fiat.

140 *Reſp.* Reſpondeo negando ſequelam ob duplicem rationem diſcriminis, quam aſsignat D. Thomas 1. *ad Anibaldum art. citato ad* 2. illis verbis: *Ad ſecundum de modernis fidelibus dicendum, quod non eſt ſimile, quia per Apoſtolos Eccleſia erat plantanda, & ideò redundantia plenitudinis gratiæ erat per ſigna viſibilia alijs manifeſtanda; ſed Eccleſia iam plantata eſt, & in fide Chriſti confirmata, & ideò miſſio viſibilis neceſſaria non eſt: vel dicendum, quod in primitiua Eccle-*

ſia

sia conuersi ad Fidem rudes erant, & credebant multum signis visibilibus, nunc autem fideles proiecti sunt, & ideò non sic indigent visibilibus signis. Et in 1.sententiarum *distinct.16.q.1.artic.2.ad 3.* aliam addidit rationem discriminis: *Quia nempè signa illa, & visibiles missiones fuerunt, quasi argumentum confirmans fidei veritatem, illius autem, cuius probatio semel perfectè facta est, non oportet probationē iterari, sed ex suppositione prioris probationis procedere; & ideò non oportet, quod per noua signa, modo fides probetur, sed per ea, quæ tunc facta sunt.*

141 *Obiicies.* Sed dicas, Martyres patiendo pro Christo, Fidem testificantur, & illam confirmant, miracula etiam ad fidei confirmationem ordinantur; & tamen Martyres, & miracula nó fuerunt solũ in primitiua Ecclesia, sed etiam modô pro Christo plures sustinent martyrium, & à Sanctis in vita, in morte, & post mortem, plurima miracula fiunt: ergo ex eo quod missiones visibiles fuerint, quasi argumentum confirmans fidei veritatẽ, & hæc fuerit perfectê probata, minus bene infertur à D.Tho. nõ oportere vt modo per missiones visibiles probatio iteretur.

142 *Resp.* Respondeo, Martyres esse testes particulares veritatis fidei, non de nouo illam probãtes, sed sufficiẽt esse probatã ab Apostolis supponẽtes, illamque testificantes; cõgruum autem est, quod etiam modo testes fidei multiplicentur, non autem est congruũ, quod per noua signa probetur, sed per ea, quæ tunc facta sũt. Vel dicatur, quod licet martyrium veritatem nostræ fidei confirmet, nõ tamen ad hoc principaliter ordinatur, sed ad hoc, quod Martyr, illud sustinens pro Christo, ab illo in Cœlo coronetur. Et ideó, quamuis ad fidem confirmandam necessarium non sit, ob alium tamen finẽ Martyres multiplicantur, & non solum in primitiua Ecclesia, sed etiam modó plures sustinent Martyrium.

Et ex his ad illud de miraculis constat solutio: hæc namque, etsi veritatem fidei nostræ confirment, non tamen ad hoc vnicê, aut principaliter ordinantur à Deo, sed ad testificandam Sanctorum, à quibus fiunt virtutem, & sanctitatem, & vt Deus glorificetur in illis. Vnde etsi modo necessaria non sint ad veritatem fidei probandam, ex alio fine plura miracula nostris temporibus fiunt. Et quidem si miracula solũ ad veritatem fidei confirmandam ederentur, vt quid inter Catholicos, & præcipuê in nostra Hispania in cuius corde fides adeô inconcussa, Deo fauẽte, subsistit, fierent tanta miracula? Missiones autem visibiles vnicê, & principaliter ad veritatẽ fidei probandam ordinabãtur, & quia per illas, quæ in primitiua Ecclesia sunt factæ, perfectê fuerit veritas fidei probata, rectê docet Diuus Thomas non oportere his temporibus, *probationem per signa visibilia iterari, sed ex suppositione prioris probationis procedere.*

143 *De miraculis.*

§. VIII.

Tres difficultates incidẽtes enodantur.

144 *Prima difficultas.* PRima difficultas est: vtrum missiones Filij, & Spiritus Sãcti ex parte termini, realiter distinguãtur? Distingui realiter ex parte principij, & ex parte processionis, quæ est de conceptu missionis, supra vidimus, nec potest negari; cum autem

tem in miſsione, præter ordinem ad principium, ordo ad terminum importetur, inquirimus, an ex parte termini, etiam diſtinguantur realiter? Nec procedit difficultas de miſſionibus viſibilibus, in his namque certum eſt creaturas viſibiles, aut ſenſibiles, per quas manifeſtãtur perſonæ Filij, & Spiritus Sancti, & per miſsiones productas, eſſe realiter diſtinctas. Natura namque Verbum conſtituens viſibile eſt humanitas; Spiritus autem Sanctus fuit manifeſtatus in ſpecie columbæ, in ſpecie flatus, aut ignis, quæ naturæ, aut entitates, pluſquam realiter diſtinguũtur. Vnde ad ſolam inuiſibilem miſſionem deducitur difficultas. Quam fieri ſolum per dona gratiæ gratum facientis, modo ſupponimus, & diſputatione ſequenti probabimus.

145 *Prima ſentẽtia & illi' fundamẽtum.* Prima ſententia affirmans eſt, quam tenet Durandus *in* 1. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 4. *n.* 7. vbi id planum eſſe docet, & probat: nam donum intellectum perficiens, nempê ſapientia, realiter diſtinguitur à dono perficiente voluntatem, nempé charitate; ſed ſecundum dona perficientia intellectum attenditur miſsio Filij, & ſecundum charitatem, quâ perficitur voluntas, attenditur miſsio Spiritus Sancti: ergo prædictæ miſſiones differunt realiter ex parte termini, ad quem miſsio ordinatur. Vel aliter poteſt idem argumentum formari: miſsio Filij fit ſolum ſecũdum dona perficientia intellectum, miſſio Spiritus Sancti fit ſolum ſecundum dona perficientia voluntatem; ſed inter dona perficientia intellectum, & dona perficientia voluntatem, interuenit realis diſtinctio: ergo miſsio Filij eſt alia realiter à miſſione inuiſibili Spiritus Sancti, non ſolum ex parte principij, ſed etiã ex parte termini. Cui ſententiæ fauet D. Thomas *in* 1. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 4. *art.* 2. *& in hac quæſt. art.* 5. *ad* 3.

146 *Extrema ſententia.* Alij per oppoſitum negant; aſſerentes, Filium, & Spiritum Sanctũ mitti ſecundum omnia dona gratiæ gratum facientis; & conſequenter miſsionem Filij non eſſe aliam realiter ex parte termini à miſsione Spiritus Sancti.

147 *Vera eligitur.* Aſſerendum tamen eſt, miſsione accepta appropriatiuê, miſsionem Filij diſtingui realiter ex parte termini à miſsione Spiritus Sancti: ſecus autem propriê accepta.

Priorem partem conuincit argumentum Durandi. Ante cuius probationem notandũ eſt primo ex doctrina D. Thomæ *ſupra q.* 39. *art.* 7. & 8. nomina eſſentialia, & tribus perſonis communia, appropriari perſonis diuinis in ſingulari, ad illas manifeſtandas per viam ſimilitudinis, aut diſsimilitudinis, vt potentia appropriatur Patri, ſapientia Filio, & amor Spiritui Sancto. Secundo eſt notandum, & conſequitur ad primũ, quod ſicut eſſentialia attributa, quamuis ſint tribus perſonis communia, appropriantur perſonis in ſingulari: ita formæ creatæ participantes formaliter attributa, quãuis propriê à tribus perſonis cauſentur, per appropriationem tamen perſonis in particulari accõmodari. Vnde quia ſapientia diuina appropriatur Filio, donum ſapientiæ, quod diuinam ſapientiam participat, per appropriationem attribuitur Filio, & charitas, quæ eſt participatio diuini amoris, per appropriationem Spiritui Sãcto attribuitur.

148 *Prima pars probatur.* Quibus poſitis ſic probatur prima pars noſtræ ſententiæ: quamuis dona perficientia intellectum, & dona perficientia voluntatem, à tota Trinitate efficiantur; illa tamẽ, quæ intellectum perficiunt, appropriãtur Filio, & quæ perficiunt voluntatem appropriantur Spiritui Sancto: ergo quamuis miſsio ſecundum prædicta dona ſit perſonis procedentibus communis, miſsio tamen per dona perficientia intellectũ, appropriatur Filio, & miſsio per dona perficientia voluntatem appropriatur Spiritui Sancto; ſed inter dona prædicta interuenit realis diſtinctio: ergo miſsione appropriatiuê sũpta, miſsio Filij, & miſsio Spiritus Sãcti ex

par-

parte termini realiter distinguũtur. Vel aliter potest idem argumentum formari: missio vt appropriata Filio attenditur secundum dona perficiẽtia intellectum, prout tamen appropriatur Spiritui Sancto, attenditur secundum dona perficientia voluntatem; sed dona perficientia intellectũ realiter distinguuntur à donis perficientibus voluntatem: ergo missio vt appropriata Filio, est alia realiter à missione vt appropriata Spiritui Sancto, nõ solum ex parte principij, sed etiam ex parte termini.

149 *Secũda pars prob.*

Deinde secunda pars nostræ assertionis probatur: missione propriè accepta, non solum mittitur Filius secundum dona perficientia intellectũ, sed etiam secundum dona perficiẽtia voluntatem, idemque de Spiritu Sãcto est dicendũ: ergo sic sumpta missione, nõ distinguitur realiter ex parte termini missio Filij à missione Spiritus Sancti. Consequentia probatione non indiget: antecedens autem probo: missio namque propriè accepta, solum addit supra æternam processionem ordinẽ ad effectũ temporalem, ratione cuius persona ab alia procedens inhabitat animam iusti; sed non solum per dona perficientia intellectum, sed etiam per dona perficientia voluntatem persona Filij in anima iusti inhabitat: ergo sic accepta missione per vtraque dona mittitur persona Filij, idemque de Spiritu Sancto eadem ratione est dicendum. Maior supponitur modo, sequẽti disputatione probanda. Minor autẽ ostenditur primo: inhabitatio personarum in anima iusti fundatur supra efficientiam donorum gratiæ gratum facientis; sed omnia illa dona propriè efficiuntur à Filio, & ab Spiritu Sancto: ergo ratione omnium, Filius & Spiritus Sanctus inhabitant in anima iusti.

Minor autẽ ostẽditur primo.

Secũdo.

Secundo: nam ratione eiusdem fit inhabitatio personarum, ratione cuius donãtur; sed ratione omnium donorum donantur Filius, & Spiritus Sanctus: ergo ratione omnium inhabitant.

Tertio: nam ab eodem prouenit inhabitatio personarum in animabus iustorum, à quo prouenit illarum aduentus ad nos; sed ratione omnium donorum adueniunt ad nos tres personæ diuinæ: ergo ratione omnium tres personæ inhabitant animam iusti. Maior cum consequentia tenet, minor autem probatur: si ratione donorum pertinentium ad voluntatem non veniret ad nos Filius, & Spiritus Sanctus ad nos non veniret ratione donorum perficientium intellectum: ideò esset, quia dona perficientia voluntatẽ appropriãtur Spiritui Sancto, & dona perficiẽtia intellectum appropriantur Filio; sed hæc ratio est nulla: ergo venit ad nos Filius ratione donorum perficiẽtium voluntatem: & Spiritus Sãctus ratione donorum perficientium intellectum; & consequenter ratione omnium donorum gratiæ gratum facientis veniunt ad nos tres personæ.

150 *Tertio.*

Minor, in qua sola potest esse difficultas, probatur: vt enim docet D. Thomas in 1. distinct. 15. q. 2. artic. vnico ad 3. *Potentia, quæ appropriatur Patri non habet rationem vt pertineat ad reditum in finem, sed magis pertinet ad exitum à principio; dicit enim potentia rationem principij, & ideò non pertinet ad missionem, quæ fit ad reuocandam rationalem creaturam in Deum.* Hæc Diuus Thomas: ex quibus cum argumento collatis, manifestè colligitur, nullum donum ex his, quæ pertinent ad gratiam gratum facientem attribui appropriatiuè Patri; & tamen non solum Filius, & Spiritus Sanctus, sed etiam Pater venit ad nos per gratiam gratum facientem: ergo vt saluetur aduentus alicuius personæ diuinæ ratione alicuius doni, non requiritur, quod illi approprietur donum; & consequenter ex eo quod dona perficientia voluntatem, non sint Filij appropriatiuè, non colligitur, quod ratione illorum non dicatur venire ad nos; & conse-

151 *Minor prob.*

quentêr non obstat vt ratione illorú mittatur, accepta missione non appropriatiuè, sed proprie.

152 *Confir.* Et ex his confirmatur, & vrgetur ratio præcedens: missio namque supra aduentum personæ diuinæ, solum addit processionem. Vnde iuxta Augustinum lib. 2. de Trinitate cap. 5. *Solus Pater numquam legitur missus, quia à nullo procedit.* Et Iuxta D. Thomam in hac quæst. art. 4. ad 2. *Licet effectus gratiæ sit etiam à Patre, qui inhabitat per gratiam, sicut & Filius, & Spiritus Sanctus, quia tamen non est ab alio, non dicitur mitti: & hoc est,* inquit D. Thomas, *quod dicit Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 20. quod Pater cum in tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus: non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat.* Ex quibus appertê colligitur, quod si Pater ab alio procederet, illius aduentus ad nos sortiretur rationem missionis; sed Filius ratione donorum perficientium voluntatem venit ad iustorum animas; cum rationi aduentus nõ obstet quod talia dona non sint illius per appropriationem, vt proximê ostendimus: ergo ratione illorum mittitur Filius, & ratione donorum perficientiũ intellectum mittitur Spiritus Sanctus; & consequentêr missione accepta non appropriatiuê, sed proprié, missio Filij non est alia realitêr à missione Spiritus Sancti ex parte termini, ad quem missio ordinatur. Vnde sicut sapientia, etsi sit cõmunis tribus personis, appropriatur tamen Filio, quia per intellectũ procedit, & amor, etsi omnibus personis conueniat, appropriatur Spiritui Sancto, quia procedit per voluntatem: ita missio per dona participantia sapientiam, etsi sit communis personis procedentibus, appropriatur Filio, & missio per dona participantia amorem, etsi communis sit illis, appropriatur Spiritui Sancto.

153 Quod amplius vrgetur secundo: si Pater esset persona procedens, mitteretur per dona perficientia intellectum, & voluntatem; & tamen nullum ex prædictis donis Patri appropriaretur, sicut nec modo appropriatur: ergo quamuis Filio non approprientur dona perficientia voluntatem, nec Spiritui Sancto dona perficientia intellectum speciali appropriatione, mittentur ratione illorum. Consequentia tenet à paritate rationis: antecedens autem probatur, quod modo, etsi ad nos veniat per gratiam gratum facientem, ad nos tamen non mittatur, probatur ab Augustino, & Angelico Doctore, quia non est persona procedens; sed in prædicta hypothesi veniret ad nos per dona perficientia intellectum, & voluntatem, & aliàs esset persona procedens: ergo mitteretur per illa, & illius aduentus haberet rationem missionis.

Cõf. & vrgetur 2.

154 *Soluitur arg. Durandi.* Et ex his ad argumentum Durandi, respondeo concessa maiori distinguendo minorem: secundum dona perficientia intellectum attenditur missio Filij, quatenus ipsi appropriata, concedo maiorem: missio Filij accepta propriê, subdistinguo minorẽ: solum secundum dona perficientia intellectum, nego maiorẽ: secundum illa, & etiam secundũ dona perficientia voluntatem, cõcedo minorem: & sub eadem distinctione secundæ partis minoris, distinguo cõsequens: missio vt appropriata Filio distinguitur realiter ex parte termini à missione vt appropriata Spiritui Sancto, concedo cõsequentiã: accepta vtraque missione, non appropriatiuê, sed proprié, nego consequentiã. Et eodem modo occurritur argumẽto, prout aliter à nobis formato.

155 *Explicatur mẽs D. Th.* Sic etiam accipiendus, & interpretandus est D. Thomas *in 1. distinct. 15. quæst. 4. art. 2.* cum docet, missionem Filij esse aliam secundum rem à missione Spiritus Sancti, non solum secundum rationem exitus à principio, sed etiam secundum effectum, ratione cuius dicitur nouo modo esse in creatura, eo quod

missio Filij est per sapientiam, & missio Spiritus Sancti per amorem. Loquitur enim D. Thomas de missione Filij, & Spiritus Sancti secundum quod vtrique appropriata, non autem de illis secundum propriam acceptionem missionis.

156 *Replicabis*

Sed contra istam interpretationem obstare videtur doctrina D. Thomæ *quæst. proximè citata art.* 1. vbi probat, Filium mitti per donũ sapientiæ, quia in illo repræsentatur relatio propria Filij, eo quod sapientia creata exemplata est à propria Filij ratione; sed in amore nõ repræsentatur propria Filij relatio vt in exemplato ab illa: ergo in amore nullatenus mittitur Filius.

Resp.

Respondeo, loqui D. Thomam de missione vt appropriata Filio, nõ autem quatenus proprie illi potest conuenire: quod patet: nam eodem modo loquendum est de missione, quo de dono creato ad quod terminatur missio; sed quod donum sapiẽtiæ exemplariter causetur à relatione Filij, solum est verum per appropriationem, eo quod exemplariter causatur à sapientia diuina, quæ licet sit tribus personis communis, tamen per appropriationẽ attribuitur Filio: ergo quod Filius solum mittatur per donum sapientiæ, accipiendũ est de missione vt appropriatiuè dicitur de Filio, non autem de missione proprie; sic enim non tantum per donum sapientiæ mittitur, sed etiam per alia dona.

157 *Interpretatio probatur.*

Quod præter illa, quibus id ostẽdimus, patet ex D. Thoma *in 1. dist. 15. quæst. 2. art. vnico ad 4.* quod ita procedebat: *Vbicumque est Filius, & Spiritus Sanctus, est & Pater; sed Spiritus Sanctus, vel Filius dicuntur mitti, quia nouo modo existunt in aliqua creatura: ergo videtur, quod simul cũ eis Pater mittatur.* Cui argumento respondet D. Th. negando consequẽtiam, quia Pater non procedit, & ideò quamuis ad nos veniat simul cum Filio, & Spiritu Sancto, nõ mittitur: verba D. Th. sunt: *Et ideò aduẽtus, vel inhabitatio conuenit toti Trinitati, quæ nõ dicuntur, nisi ratione effectus, quãuis ille effectus ratione appropriationis possit ducere magis in vnã personam, quã in aliã; sed missio super hoc addit authoritatẽ alicuius respectu personæ, quæ mitti dicitur, & ideò non potest conuenire, nisi personæ, quæ est ab alio principio.* Sẽtit ergo D. Th. primo, solum ratione appropriationis dona creata ducere magis in vnã personam, quã in aliã. Secundo hanc appropriationem nõ obstare vt ratione illorum veniãt ad nos omnes diuinę personæ. Tertio ratione illorũ, quamuis magis ducant in vnam, quam in aliam personam, vtrãque ex procedentibus mitti; quãdoquidem, quod Pater non mittatur per illa, solum probat D. Tho. quia non procedit ab alio principio.

158 *Explicantur alia verba D. Th.*

Cum autem docet D. Tho. *Quod missio diuinæ personæ intelligitur in quantũ propria relatio ipsi⁹ personæ diuinæ repræsẽtatur in anima per aliquã similitudinem receptam, quæ est exẽplata, & originata ab ipsa proprietate relationis æternæ.* Accipiẽdus, & intelligẽdus est de proprietate personali, non ratione sui secundũ id quod explicat, sed ratione prædicati absoluti appropriati personæ: sapientia enim, quæ Filio appropriatur, non causatur exemplariter à proprietate relatiua Verbi ratione sui, sed ratione diuinæ sapientiæ Verbo appropriatæ. Deus enim exẽplariter causat perfectiones creatas, quatenus est illarum idea; est autẽ creaturarũ omniũ idea secundũ perfectiones absolutas, vt latè monstrauim⁹ *supra tract. 5. disp. 43.* & consequẽter secundum prædicata absoluta exemplariter causat omnem perfectionem creatã. Vnde cũ docet donũ sapiẽtiæ exẽplari à propria relatione Verbi, intelligitur de propria relatione, non ratione proprietatis, sed ratione sapientiæ diuinæ Verbo appropriatæ.

159 *Secũda difficultas. Prob. 1. ex D. T.*

Secunda difficultas est. An missio Filij, & Spiritus Sancti connexæ sint, ita vt non possit vna persona mitti sine alia? Affirmatiua senten-

tia eſt communis, loquendo, vt loquimur, de miſsione inuiſibili. Et oſtenditur primo: vt enim docet D. Thomas in 1. diſtinct. 15. quæſt. 2. art. vnico ad 4. *Cum Pater ſit in Filio, & Filius in Patre, & vterque in Spiritu Sancto, quando Filius mittitur, ſimul & venit Pater, & Spiritus Sanctus*: ergo eadem ratione quando mittitur Spiritus Sanctus, ſimul, & veniunt Pater, & Filius; ſed aduentus in nos perſonæ procedentis eſt miſsio: ergo ſemper atque mittitur Filius, mittitur Spiritus Sanctus, & ê conuerſo, ſemper ac mittitur Spiritus Sanctus, mittitur etiam, & Filius; & conſequentêr miſsio inuiſibilis Filij connexa eſt cum miſſione inuiſibili Spiritus Sancti.

160 *Miſsio neaccepta propriè, prob. cõnexio*

Et quidem loquendo de miſsione accepta proprie, facili ratione ſuadetur; ſic enim ſumpta miſsione, miſsio Filij, & miſsio Spiritus Sancti conueniunt in termino ad quẽ miſsio ordinatur, vt difficultate præcedenti monſtrauimus, & licet realiter diſtinguantur ex parte principij; proceſsio tamen vnius perſonæ eſsẽtialitêr cum alterius proceſsione cõnectitur: ergo miſsione ſic ſumpta, miſsio vnius perſonæ cum alterius miſsione eſt connexa. Explicatur, & vrgetur quod Filius, & Spiritus Sãctus miſsione ſic ſumpta mittantur, fundatur in efficientia donorũ gratiæ gratum facientis; ſed in iſta efficientia inſeparabiles ſunt: ergo etiã in miſsione ſic ſumpta.

161 *De miſſione appropriatiuè, prob. à Durando.*

Quod autem miſsio vt appropriata Filio connexa ſit cum miſsione vt appropriata Spiritui Sancto, & ê conuerſo hæc cum illa cõnectatur, probat Durandus *in 1. diſtinct. 15. quæſt. 4. num. 8. & 9.* quia amor perfectus ſupponit perfectam notitiam: ergo dona amoris ſecundum quæ attenditur miſsio Spiritus Sancti, ſupponunt dona notitiæ ſecundũ quæ mittitur Filius: numquam ergo mittitur Spiritus Sanctus ſine Filio. Item notitia boni perfecti, in quo nulla eſt ratio mali, ex neceſsitate ducit in amorem perfectum; ſed dona ſecundũ quæ mittitur Filius pertinent ad notitiam boni perfecti, in quo nulla eſt ratio mali: ergo ipſa inducunt in amorem perfectũ, qui non eſt ſine donis ſecundum quæ mittitur Spiritus Sanctus; & conſequenter Filius ſine Spiritu Sancto nõ mittitur.

162 *Nõ placet ratio Durandi.*

Hæc ratio quoad primã partẽ coincidit cum ratione D. Tho. infra adducenda. Quoad ſecundam partẽ non placet; notitia enim boni perfecti, in quo nulla eſt ratio mali, niſi clara, & intuitiua ſit, non neceſsitat voluntatem creatam ad amorem, vt cõmunitêr docetur à Theologis; ſed notitia Dei, quam viatores habemus, non eſt clara, & intuitiua, ſed obſcura, & abſtractiua: ergo non iuducit de neceſsitate amorem; & conſequẽtêr miſsio Filij ſecundum notitiam perfectam non eſt neceſſario cõnexa cum miſsione Spiritus Sancti, vel ſaltim ex prædicto principio, male à Durando probatur.

163 *Prob. 1. ratione D. Tho.*

Vnde alitêr probanda eſt prædicta connexio; primo ratione facta à D. Th. *in hac quæſt. art. 5. ad 3.* illis verbis: *Ad tertium dicendũ, quod cum miſsio importet originem perſonæ miſſæ, & inhabitationem per gratiam: ſi loquamur de miſsione quantum ad originem, ſic miſsio Filij diſtinguitur à miſsione Spiritus Sancti, ſicut & generatio à proceſsione: ſi autem quantum ad effectum gratiæ, ſic communicant duæ miſsiones in radice gratiæ, ſed diſtinguuntur in effectibus gratiæ, qui ſunt illuminatio intellectus, & inflãmatio affectus, & ſic manifeſtum eſt, quod vna non poteſt eſſe ſine alia; quia neutra eſt ſine gratia gratum faciente, nec vna perſona ſeparatur ab alia.* Ex quibus verbis deducitur prima ratio ad hanc formam redacta. Licet effectus gratiæ ſecundum quos miſsio Filio, & Spiritui Sancto appropriatur, realiter diſtinguãtur; conueniunt tamen in eadem radice, nempe in gratia ſanctificante, quæ vtrique perſonæ attribuitur, & ſecũdum quã vtraque perſona mittitur, & aliàs proceſsio vnius perſonæ inſe-

para-

parabilis est à processione alterius: ergo missio vnius nō potest sine missione alterius existere.

164 *Effugiū excludi tur.*

Si dicas hoc argumento probari, non posse missionem vnius personæ separari à missione alterius, accepta missione proprie, non autem quod missiones prout personis appropriatæ separabiles non sint; gratia namque, in qua communicant, nulli personæ appropriatur; & consequenter neutra persona ratione illius mittitur appropriatiuè. Ex quo vlterius sequitur, vt ex conuenientia in illa non inferatur cōnexio missionum Filij, & Spiritus Sancti, prout personis appropriantur. In contrarium obstat: nam gratia sanctificans, etsi entitatiue sit vtrique personæ cō munis, prout tamen radicat notitiā appropriatiuè Filio attribuitur, & prout radicat amorem appropriatur Spiritui Sancto: ergo ex reali conuenientia in radice, rectè probatur inseparabilitas, & connexio missionis Filij à missione Spiritus Sancti, nō solum accepta missione propriè, sed etiam approprietatiuè.

165 *Secūda ratio ex D.Tho. sumpta.*

Secūda ratio sumitur ex D.Th. *in 1. dist. 15. q. 4. art. 2.* vbi postquā præmiserat, quod de distinctione missionū Filij, & Spiritus Sāncti tripliciter loqui contingit, nempè quantum ad illarum realem diuersitatem, aut quātum ad rationem missionis, aut quātum ad earum separationem, sic concludit corpus articuli: *Si autem tertio modo*, nempè quoad separationē, *tunc dico, quod vna missio nō est sine alia: quia amor sequitur notitiam, notitia perfecta secūdum quā est missio Filij, semper inducit in amorem, & ideò simul infundūtur, & simul augmentantur.* Ex quibus verbis talis deducitur ratio: amor, sequitur notitiam, illamque necessario supponit, notitia autem perfecta semper inducit amorem; sed missio Filij attenditur secundum notitiam perfectam, & missio Spiritus Sancti attenditur secundum amorem: ergo missio Spiritus Sāncti supponit missionem Filij, & missio Filij infert missionem Spiritus Sāncti, & consequenter numquam separantur.

166 *Prima difficultas contra rationem D.Tho.*

Contra hanc tamen rationē duplex difficultas occurit. Prima est: notitia quā amor necessario supponit, non est notitia habita per donū sapientiæ, sed notitia habita per fidē; at secundum hanc notitiam non mittitur Filius: ergo missio Spiritus Sāncti non supponit necessario missionē Filij. Consequentia est bona in se, & ad hominē contra D.Th. inde probantem, missionē Spiritus Sancti necessario supponere missionem Filij, quia amor secundum quem mittitur Spiritus Sanctus, necessario præsupponit notitiam. Quod argumentum omnino ineffi cax est, nisi notitia, quā amor necessario præsupponit, sit talis, vt secundum illam Filius mittatur. Minor est D. Th. *in hac quæst. art. 5. ad 2.* illis verbis: *Non igitur secundum quamlibet perfectionem intellectus mittitur Filius, sed secundum talem institutionē, vel instructionem intellectus, qua prorūpat in affectum amoris, vt dicitur Ioannis 6. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Et in Psalmis: In meditatione mea exardescet ignis. Et ideò signanter dicit Augustinus: quod Filius mittitur cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur, perceptio autem experimentalem quandam notitiam significat. Et hæc propriè dicitur sapientia, quasi sapida scientia.* Id ipsum docuit Diuus Thomas *in primo distinctione 15. quæst. 3. articulo vnico ad 5. Et quæst. 4. artic. 1. ad 3.* ergo iuxta Diuum Thomam cognitio, vel notitia, secundum quā mittitur Filius appropriatiuè, non est actus fidei, sed doni sapietiæ.

167 *Maior ostenditur 1.*

Maior autem constat primo: nam Fides in ordine ad charitatē facit in via, quod lumen gloriæ in patria; sed actus charitatis in patria, sufficienter regulatur per actū luminis gloriæ: ergo actus charitatis viatoris, sufficienter regulatur per actū fidei.

Secũdo prob.

Secundo, vt enim docet D. Thomas 1.2.*q.*68. & cum illo communiter Theologi diſtinguẽtes dona Spiritus Sancti à virtutibus, dona ordinãtur ad actus extraordinarios, vel ad operandum iuxta inſtinctum Spiritus Sãcti ſupra regulas communes rationis, etiam eleuatæ per gratiam; ſed actus charitatis hac regulatione non indiget, ſed ſufficienter regulatur ratione vt per gratiã eleuata: ergo notitia, quam neceſſario præſupponit, non eſt actus doni ſapiẽtiæ, ſed fidei.

168 *Tertio.*

Præterea, vt enim docet D. Thomas 2.2.*quæſt.*45.*artic.*2.*&* 4. donum ſapientiæ ſupponit charitatem, eo quod iudicat de diuinis ex cõnaturalitate ad illa, & ex vnione cum illis, quæ vnio, & connaturalitas fit per charitatem: ergo licet poſsit aliquis actus charitatis ſupponere actum doni ſapientiæ, non tamen omnis actus à charitate elicitus poteſt actum ſapientiæ neceſſario ſupponere: ſicut quia intellectus prior eſt volũtate, nõ omnis actus intellectus actum volũtatis ſupponit. Denique: vt enim docet D. Thomas *in* 1.*diſtinct.* 15.*q.* 4.*artic.*1.*ad* 3. notitia ad quam ſequitur amor, eſt illa, qua intellectus verum accipit, non ſolum vt verũ, *ſed vt conueniens, & bonum, ex quo*, inquit D. Thomas, *niſi ſit aliqua reſiſtentia ſequitur amor, & delectatio*; ſed Fides tendit in Deũ, non ſolum vt verum, ſed etiam verũ diuinum accipit vt conueniens, & bonum, illudque vt conueniens voluntati proponit: ergo notitia elicita à fide, ſufficiẽter regulatur amor, quin neceſſario ab amore ſupponatur notitia habita per donũ ſapientiæ.

169 *Secũda obiectio*

Secunda difficultas procedit contra ſecundam partem maioris: nulla enim eſt notitia, quantumcũque perfecta in hac vita, quæ neceſsitet voluntatem ad amorem quoad exercitium actus, ſed ſolum à Deo clarè viſio poteſt ſic neceſsitari, vt docet D. Thomas 1.2.*quæſt.*4. *art.*1. *& quæſt.*10.*art.*2. ergo notitia perfecta ſecundum quam mittitur Filius, non eſt neceſſario connexa cum amore ſecundum quem mittitur Spiritus Sanctus; & conſequentẽr miſsio Filij non infert miſsionem Spiritus Sãcti, nec cum illa neceſſario connectitur. His obiectionibus ex doctrina *diſp. ſequenti* tradenda occurretur.

170 *Contra cõc. obijcies.*

Contra concluſionem obijcies: poteſt vna perſona mitti viſibiliter ſine alia viſibiliter miſſa, & de facto Spiritus Sanctus fuit viſibiliter miſſus, non miſſo viſibiliter Filio: ergo etiam inuiſibiliter vna perſona poteſt mitti ſine alia inuiſibiliter miſſa. Probatur conſequentia: ratio namque cur vna perſona non poteſt mitti ſine alia, eſt, quia gratia gratum faciens ſecundum quam fit miſsio inuiſibilis, eſt effectus, tribus perſonis communis, nec poteſt ab vna perſona ex procedẽtibus ſine alia perſona procedente cauſari; ſed hæc ratio inſtatur doctrina antecedentis admiſſa: ergo admiſſo, quod miſsione viſibili poſsit vna perſona mitti ſine alia, id ipſum eſt dicendum loquendo de miſsione inuiſibili. Probatur minor: creatura ſecundum quam exercetur miſsio viſibilis, eſt effectus tribus perſonis communis, vt omnibus eſt inconfeſſo; & tamen ſecundum illam, & in illa, poteſt vna perſona mitti ſine alia: ergo admiſſo perſonas procedentes non connecti quantum ad miſsionem viſibilem, inſtatur ratio, qua probatur connexio neceſſaria perſonarum procedentiũ in miſsione inuiſibili.

171 *Reſp.*

Reſpondeo conceſſo antecedẽti, negando conſequentiam. Ad illius probationem, diſtinguo maiorem; & quia in prædicta efficientia fundatur inhabitatio per gratiam, in qua, adiuncta proceſsione, cõſiſtit miſsio inuiſibilis, concedo maiorem: ex ſola ratione communis cauſalitatis, nego maiorem, & nego minorẽ, quod prædicta ratio inſtetur in miſsione viſibili; hæc namque, etſi præſupponat efficientiam toti Trinitati communem creaturæ ſecundum quam fit, nõ

ta-

tamen in hac efficientia consistit, nec in repræsentatione supra istam efficientiã fundatur, quæ non magis ad vnam personam, quam ad aliam terminatur: sed cõsistit in hoc, quod persona visibiliter missa per creaturam visibilem repræsentetur vt inhabitans per gratiam in illo, ad quẽ missio fit, quæ repræsentatio non conuenit creaturæ secundũ quam fit missio, ex ratione effectus Dei, alias non magis vnam, quam aliam personam manifestaret. Sed quia talis creatura facta est ad demonstrandum specialiter hanc, vel illam personam, v.g. columba, in qua Spiritus Sanctus ad Christum fuit visibiliter missus, ad hoc à Deo facta fuit, vt specialiter demonstraret personam Spiritus Sãcti, vt in humanitate Christi inhabitantem per gratiam.

172 *A D. Tho. optimè explicatur.*

Quomodo autem possit vna persona specialiter manifestari, explicat optimè D. Thomas *in hac quæst. artic. 7. ad 3.* illis verbis: *Dicendum, quod licet illas creaturas visibiles tota Trinitas operata sit, tamẽ factæ sunt ad demonstrandum specialiter hanc, vel illam personam: sicut enim diuersis nominibus significãtur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: ita etiam diuersis rebus significari poterunt, quamuis inter eos nulla sit separatio, aut diuersitas.* Ex quibus apertè colligitur, in creaturis secundum quas fuit missus visibiliter Spiritus Sanctus duas habitudines signi inueniri, vnã signi naturalis supra dependentiam fundatam, & hæc ad Deum vt vnus est, terminatur, & est Trinitati communis, cæterum in illa non consistit missio visibilis; non enim repræsentat Deum vt inhabitantem per gratiam: aliam signi ex beneplacito Dei ordinati ad demonstrandum specialiter Spiritum Sanctum, quam habitudinem solus Spiritus Sanctus terminat, & ideò solus visibiliter mittitur, etsi talis creatura à tribus personis efficiatur.

173 *Replica bis.*

Sed dices: sequi ex ista solutione, illis quibus reuelatum non est beneplacitum diuinum ordinans creaturas visibiles ad manifestandam inuisibilem missionem, non fuisse manifestatam personam Spiritus Sancti vt inhabitantem in Christo, & in Apostolis, ad quos facta fuit missio visibilis; consequens est falsum: ergo & tradita solutio insufficiens. Sequela constat: nam ignoranti impositionem vocis ad significandum, vox imposita nihil significat, quia ex impositione habet vox, quod significatiua sit; sed creaturæ inuisibiles habẽt vim manifestandi inuisibilem missionem ex diuino beneplacito, illas ad hoc ordinante, vt ex D. Thoma in nostra solutione docuimus: ergo cui tale beneplacitum reuelatum nõ fuerit, nihil manifestabunt illæ creaturæ. Minor autem probatur: nã si hoc ita esset, frustraretur finis missionis visibilis, in illis, quibus institutio diuina creaturarum visibilium reuelata non esset; hoc admittendum non est: ergo nec tradita solutio. Probatur sequela: finis missionis visibilis Spiritus Sancti ad Christum, fuit, vt homines videntes Spiritum Sanctum in ipso inhabitantem per gratiam, fidem doctrinæ Christi præberent, & per hoc fides diffunderetur; sed illi, quibus Dei beneplacitum reuelatum non est, non cognoscerent Spiritum Sanctum, vt inhabitantem in Christo: ergo isti fidem doctrinæ Christi non præberent; & consequenter in illis frustraretur finis visibilis missionis Spiritus Sancti ad Christum, idemque in missione visibili ad Apostolos contingeret.

174 *Resp.*

Respondeo concedendo sequelam, & negando minorem. Ad illius probationem, nego sequelã: ad hoc enim vt missio visibilis vtilis sit eis, quibus diuina ordinatio reuelata nõ est, sufficit, vt inquit D. Thomas in 1. distinct. 16. quæst. 1. artic. 1. ad 6. *Quod quamuis creatura visibilis non sufficiat ad hoc, quod ducat in cognitionem inuisibilis missionis, tamen ex sua nouitate excitat videntes in admirationem, & inquisitionem, & tunc inquirentibus per*

gra-

gratiam inuiſsibilem, & doctrinam prædicatoris exterius, poteſt miſsio inuiſsibilis deſignata edoceri.

175 *Prima ſententia circa 3. difficultatem.*

Tertia difficultas eſt, an miſsio viſibilis ex æquo ab inuiſibili diſtinguatur? An vero ſolum diſtinguatur ab illa vt includens ab incluſo, ita vt miſsio viſibilis ſit miſsio ratione effectus inuiſibilis, ſigno viſibili manifeſtata? Prima ſententia docet ex æquo diſtingui, imo & poſſe, & quandoque dari miſsionem viſibilem ſine miſsione inuiſibili. Hanc tenet Suarez *lib. 12. de Trinitate cap. 4. num. 6.* quem plures Recentiores ſequuntur.

176 *Secũda*

Secunda ſententia docet, diſtingui vnam miſsionem ab alia vt includens ab incluſo, ita vt miſsio inuiſibilis ſit exitus perſonæ à perſona ad inhabitandum per gratiam ſine aliquo ſigno viſibili. Miſsio autem viſibilis eſt exitus perſonæ à perſona ad inhabitandum per gratiam ſigno viſibili manifeſtata. Hanc tenet Durandus *in 1. diſt. 16. quæſt. 1. num. 6.* Granadus *Tract. 15. de Trinitate diſp. vltima num. 3.* Pro illa referens Valentiam *in conſectario 2. punct. 4.* & Magiſtrũ Zumel *ad articulũ 7. iſtius quæſtionis in cõmentario illius, notabili 3.* Tenent etiam Patres Salmanticenſes *Tract. 6. diſp. 19. dubio tertio numero decimoſeptimo.*

177 *Prob. ex D. Thom.*

Et probatur aperto teſtimonio D. Thomæ *in 1. diſt. 16. q. 1. art. 1. in corpore*, illis verbis: *Dicendum, quod ſicut proceſsio temporalis non eſt alia quam proceſsio æterna eſſentialiter, ſed addit aliquem reſpectum ad effectum temporalem: ita etiam miſsio viſsibilis non eſt alia ab inuiſsibili miſsione eſſentialiter, ſed addit rationem manifeſtationis per viſsibile ſignum.* Id ipſum docuit *ad Annibaldum in eadem diſtinct. quæſt. vnica articulo 1. in corpore, & ſolutione ad 3.* ſed proceſsio temporalis Spiritus Sancti non diſtinguitur ex æquo à proceſsione æterna, ſed includit intrinſicè illam addendo reſpectum ad effectum temporalem: ergo miſsio viſsibilis iuxta D. Thomam non diſtinguitur ex æquo à miſsione inuiſibili, ſed intrinſicè illam includit, ſupperaddẽdo manifeſtationem per viſsibile ſignum.

178 *Cõf. ex eodẽ D. Thom.*

Quod amplius vrgetur ex doctra D. Thomæ *vbi proximè ſolutione ad 3.* ibi: *Ad tertium de apparitione dicendum, quod miſsio viſsibilis eſt miſsio apparens, & ideo ſupra apparitionem addit rationem miſsionis, quæ importat originem vnius perſonæ ab alia, & inhabitationem per gratiam, apparitio autem ſolam cognitionem. Vnde apparitio poteſt conuenire Patri, non autem viſsibilis miſsio*: ergo iuxta D. Thomam tota ratio miſsionis in miſsione inuiſsibili inuenta conſiſtit in origine vnius perſonæ ab alia, & in habitatione per gratiam; & conſequenter miſsio viſsibilis includit miſsionem inuiſsibilem, & addit manifeſtationem per ſignum viſibile.

179 *Secũdo prob.*

Secundo probatur ad hominem contra Suarez: docet enim *vbi ſupra cap. 4. num. 13.* quando miſsio inuiſsibilis ſimul fit, cum miſsione viſsibili, quod regulariter ſentit contingere, non eſſe duas miſsiones, ſed vnam compoſitam ex miſsione inuiſsibili, & ſigno exteriori illam manifeſtante; ſed ſi in miſsione viſibili ratione ſui abſque incluſione miſsionis inuiſibilis ſaluaretur ratio miſsionis, etiam ſi vtraque ſimul concurreret, vna ab alia ex æquo diſtingueretur, cum ex coincidẽtia miſsionis inuiſsibilis non auferantur à miſsione viſsibili ea, quæ ſunt de ratione illius intrinſeca: ergo ſi vtraque concurrẽte miſsione, miſsio viſsibilis includit miſsionem inuiſibilem, & ex illa componitur, ideo eſt, quia miſsio viſibilis abſque incluſione miſsionis inuiſibilis non habet rationem miſsionis.

180 *Confir.*

Confirmatur, & vrgetur, vt enim docet *cap. citato num. 11.* miſsio viſibilis, & miſsio inuiſibilis com-

pa-

parantur sufficienter vt res, & signum rei, quæ inter se condistinguuntur, licet signum dicat habitudinem ad rem significatam; sed hæc comparatio ex vtriusque coincidentia non tollitur: ergo si ex illa comparatione condistinguuntur ex æquo, etiam si ambæ coincidant, perseuerant ex æquo distinctæ; & consequenter non erit vnica missio includens missionem internam, cum externa illius demonstratione, sed duæ, ita ex æquo distinctæ, ac si non fierent simul, etsi vtraque concurrēte, non distinguuntur ex æquo, ideò est quia in missione visibili non saluatur ratio missionis absque intrinseca inclusione missionis internæ inuisibilis.

181 *Tertio.* Tertio probatur ex alia doctrina Patris Suarez *lib.12. de Trinitate cap.15.num.10.* vbi ait, per nouum modum essendi Dei in nobis vt obiectum cognitum, & amatum, non saluari missionem diuinarum personarum; quia esse cognitum, & amatum obiectiuè est denominatio extrinseca præstita à cognitione, & amore; sed esse in signo visibili est esse repræsentatiuum, & extrinseca denominatio à signo manifestante: ergo esse in illo non sufficit ad rationem missionis, nec ex vi solius apparitionis, & manifestationis per signum visibile mittitur persona diuina.

182 *Resp.* Respondebis negando consequentiam, & reddes rationem discriminis: nam cognitio, & amor viæ nō terminatur ad Deum vt præsentē, nec vt inhabitantem in anima iusti per gratiā, & ideò ex vi huius quod est Deum cognosci, & amari, non fit Deus præsens, nisi obiectiuè tantum, non realiter; ac per consequens non sufficit vt personæ diuinæ mittantur. Signum autem visibile, in quo Spiritus Sanctus dicitur missus, repræsentat illum vt præsentem, & vt per gratiam inhabitantem, & ideo quamuis esse in tali signo sit denominatio extrinseca, sufficit, vt Spiritus Sanctus mittatur.

183 Sed contra: nam licet signum visibile terminetur ad Spiritum Sanctum vt inhabitantē per gratiam, & vt realiter nouo modo præsentem ratione gratiæ, ex vi tamen illius nō fit Spiritus Sanctus vt inhabitās per gratiam, nec vt ratione gratiæ realiter præsens, sed solum hoc fit per missionem internam, & inuisibilem; sed in sententia Patris Suarez, loco allegato, vt saluetur ratio missionis personæ diuinæ, requiritur vt nouo modo fiat realiter præsens: ergo ex vi sola signi visibilis manifestantis præsentiam Spiritus Sancti, non dicitur propriè mitti, sed ratione inhabitationis per gratiam; & consequenter, vt in missione visibili saluetur ratio missionis, debet accipi vt includens inuisibilem missionē, & addens manifestationem per signum exterius visibile: ita vt ratio missionis consistat solum in origine vnius personæ ab alia, & inhabitatione per gratiam, & apparitio in manifestatione per signum visibile, vt docuit D. Thomas *1. ad Annibaldum distinct.16.q.vnica art.1.ad 3.* vers bis superius relatis. *Sed contra,*

184 *Deniq; prob.* Et ex his probatur vltimo nostra sententia: de ratione enim missionis est, quod persona missa fit realiter nouo modo in illo, ad quem missio fit, vt ex dicendis disp. sequēti constabit, & fatetur Suarez; sed ex vi signi visibilis manifestantis Spiritum Sanctum, vt nouo modo præsentem ratione gratiæ sanctificantis, non fit nouo modo præsens, sed præsentia realis illi competens ratione gratiæ manifestatur: manifestari nāque nouitatem, non est nouitatem fieri, sicut manifestari hominem, non est hominem fieri: ergo ex vi solius aparitionis per signum visibile, non mittitur persona diuina, sed apparet, & manifestatur missio illius; & cōsequenter vt missio visibilis sortiatur rationem missionis, debet accipi vt includens inuisibilem missionem, illique superaddens exteriorem manifestationem.

185 *Cōf. & vrgetur* Quod amplius vrgetur; quia namque aduentus per gratiam nisi

ſit perſonæ procedentis, non obtinet rationem miſsionis, intulimus ſupra, & inferunt communiter Theologi, proceſsionem vnius perſonæ ab alia includi intrinſecè in ratione miſsionis; ſed apparitio perſonæ procedentis non eſt miſsio viſibilis niſi ſit perſonæ procedentis vt inhabitantis per gratiam: ergo inhabitatio per gratiam includitur intrinſecè in miſsione viſibili. Conſequentia tenet à paritate rationis, & minor probatur: vt enim docet Auguſtinus *lib. 4. de Trinitate*: Filius, & Spiritus Sanctus licet in veteri teſtamento apparuerint, numquam tamen leguntur viſibiliter mitti; ſed non alia ratione, niſi quia non fuerunt manifeſtatæ perſonæ vt inhabitantes per gratiam: ergo apparitio perſonæ procedentis, niſi ſit vt inhabitantis per gratiam, non eſt miſsio viſibilis.

186 *In contrariũ arguit Suarez*

In contrarium arguit Suarez: quæ namque ſeparari poſſunt, non includitur vnum in alio; ſed dari poteſt, & de facto extitit miſsio viſibilis Spiritus Sancti ſine miſsione inuiſibili: ergo hæc in illa non includitur; & conſequenter nec differunt diſtinctione includentis ab incluſo. Probatur minor: nam in Iordane Baptizato Domino, fuit Spiritus Sãctus ad illum viſibiliter miſſus; ſed tunc non fuit miſſus inuiſibiliter Spiritus Sanctus ad Chriſtum. Quod autem ad alios facta fuerit tunc miſsio inuiſibilis, per accidens eſt reſpectu miſsionis viſibilis Spiritus Sancti ad ipſum: ergo eſt dabilis, & de facto extitit miſsio viſibilis, ſine miſsione inuiſibili; & conſequenter hæc in illa non includitur.

187 *Reſp.*

Reſpondeo, omiſsis alijs ſolutionibus, quas bene impugnat Suarez, conceſſa maiori negando minorem. Ad illius probationem, conceſſis maiori, & minori, diſtinguendo cõſequens: extitit de facto miſsio viſibilis ſine inuiſibili de nouo tunc exiſtente, concedo conſequentiam: ſine miſsione inuiſibili ad Chriſtum tunc conſeruata, nego conſequentiam; licet enim in Iordane non fuerit facta ad Chriſtum miſsio inuiſibilis, nec noua miſsio inuiſibilis Spiritus Sancti vnquam in Chriſto admittatur, eo quod in primo conceptionis inſtãti fuerunt humanitati infuſa omnia dona ſupernaturalia in ſumma intenſione poſsibili; miſsio tamen inuiſibilis, qua in primo conceptionis inſtanti fuit Spiritus Sanctus miſſus ad humanitatem Chriſti, conſeruata ſemper fuit, & tempore miſsionis viſibilis vt conſeruata exiſtebat, quod ſicut ſufficit in ſententia Patris Suarez vt comparentur vt ſignum, & ſignatum: ita in noſtra ſententia ſufficit vt vna includatur in alia, & vt diſtinguantur diſtinctione includentis ab incluſo.

188 *Inſtabis*

Sed inſtabis: tunc extitit noua miſsio viſibilis, & non fuit noua miſsio inuiſibilis: ergo miſsio inuiſibilis nõ includitur in miſsione viſibili. Probatur conſequentia: ſi namque vna includeretur in alia, non ſtaret nouitas vnius ſine nouitate alterius.

Reſp.

Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequẽtiã, & inſto in proceſsione æterna, quæ includitur in miſsione diuinarum perſonarum, & tamen miſsio de nouo in tempore exiſtit, quin de nouo exiſtat proceſsio: ſicut ergo iſta conſequentia non valet: *Miſsio incipit in tempore; proceſsio non incipit: ergo proceſsio nõ includitur in miſsione*: ita conſequentia facta non tenet: nam ad inceptionem, & nouitatem conflati ex duobus, ſufficit inceptio, & nouitas vnius, ex quibus conflatur, abſque inceptione, & nouitate alterius. Vnde ſicut ob hanc cauſam incipit in tempore miſsio, ſine eo quod incipiat proceſsio, quia effectus temporalis ingrediens illius conſtitutionem in tempore incipit: ita ob eandem rationem quamuis miſsio inuiſibilis includatur in miſsione viſibili, poteſt hæc incipere, & eſſe de nouo abſque inceptione, & nouitate miſsionis inuiſibilis per inceptionem ſigni viſibilis, ex quo, & miſsione inuiſibili conflatur viſibilis miſsio.

189 *Arg. 2.*

Secundo arguitur: nam multiplicatur missio visibilis, missione inuisibili manente immultiplicata: ergo missio inuisibilis non clauditur in missione visibili. Consequentia apud Recentiores arguentes est nota. Antecedens autem probant: nam Spiritus Sanctus in die Pentecostes fuit missus super Apostolos in specie aeris vehementis, & in specie linguarum ignis; & consequenter duplici missione visibili, cum multiplicato signo sensibili, missio visibilis necessario multiplicetur; & tamen inuisibilis missio fuit vna, cum gratia per vtramque missionem significata, ad quam terminatur inuisibilis missio, eadem fuerit: ergo multiplicatur missio visibilis, missione inuisibili manente immultiplicata.

190 *Resp.*

Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam: quam arguentes non supponere, sed probare debebant, ratio autem negandi cõsequentiam est; quia vt conflatum ex multis multiplicetur, sufficit multiplicari vnum ex ingredientibus illius constitutionem, etsi aliud ex quo cõponitur, maneat immultiplicatum, hinc fit vt missio inuisibilis multiplicetur, etsi processio, ex qua simul cum nouo effectu conflatur, sit vna ob solam multiplicationem noui effectus ingredientis illius constitutionem. Cum ergo in nostra sententia confletur missio visibilis ex missione inuisibili, & signo illam manifestante; fit consequens, vt multiplicato signo visibili, multiplicetur missio visibilis, quamuis missio inuisibilis, quam includit, immultiplicata subsistat.

191 *Instatur arg.*

Et sicut ista consequentia non tenet: *Missio inuisibilis multiplicatur, processione manente immultiplicata: ergo processio non clauditur in missione visibili*: ita consequentia contra Nos facta non tenet, & ob eandem rationem, quia nempe, vt multiplicetur conflatum ex pluribus, sufficit multiplicari vnũ ex ingredientibus illius constitutionem. Quæ doctrina constans est ob instantiam adductam. Et insuper instatur in missione visibili, intrinsecè includente processionem personæ, quæ mittitur in nostra sententia, & in sententia Recentiorum arguentium; & tamen multiplicatur missio visibilis quin processio multiplicetur. Missio etiam Filij distincta est à missione Spiritus Sancti, quia processiones realiter distinguuntur, quãuis effectus, ad quem vtraque terminatur, & ex qua, & processione missio conflatur, sit idem.

192 *Deniq; arg.*

Denique arguitur: nam missio visibilis, & missio inuisibilis sufficienter comparantur in ratione signi, & signati, & sufficienter per hoc distinguuntur; sed signatum non clauditur intrinsece in signo, sed extrinsece obiectiue comparatur ad illud: ergo missio inuisibilis non clauditur in missione visibili intrinsece, sed extrinsecè comparatur ad illam. *Resp.* Respondeo negando maiorem: ratio autem habetur ex dictis in probatione nostræ sententiæ, quia nempè nisi missio visibilis includat nouum modum essendi personæ diuinæ in illo ad quẽ missio fit, & habitationem in illo, nõ obtinebit rationem missionis proprie: nam significare nouum modum essendi, non est proprie nouus modus essendi, sicut esse signum sanitatis nõ est proprie esse sanum; nisi autem missio visibilis inuisibilem intrinsecè includat, non importat nouum modũ essendi, nisi tantum significatiue; & consequenter vt proprie rationem missionis sortiatur, oportet vt intrinsecè includat missionem inuisibilem, vel vt factam de nouo, vel saltim vt conseruatam.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

193 *Primũ corollarium; prob. ex D. Th.*

EX dictis infertur primo, missionem diuinarum personarum, nõ æternam, sed temporalem esse. Ita D. Thomas *in hac quæst. art.* 2. Quam probat D. Thomas: nam ea, quæ cum ordine ad principium denotant terminum temporalem, temporalitêr solum dicuntur; sed missio cum ordine processionis ad principium connotat, & determinat terminum temporalem: ergo solum temporalitêr dicitur. Ad differentiam generationis, quæ quia cum ordine ad principium importat terminum æternum, solum æternaliter dicitur, & ad differentiam processionis, quæ quia denotare potest terminum temporalem, & æternum, potest æternalitêr, & temporalitêr dici.

194 *Aliter ratio proponitur.*

Quæ ratio potest aliter explicari, conflatum ex duobus, quorum vnum est temporale, nõ potest æternaliter, sed solum temporaliter dici; sed missio personarum conflatur ex processione, & nouo modo essendi personæ missæ in creatura, & hoc secundum est temporale: ergo missio non æterna, sed temporalis est. Consequentia tenet, & minor constat ex dictis, & maior est certa, vt enim existat conflatum ex pluribus, omnium existentiam requirit: ergo si aliquod illorum non existit ab æterno, sed incipit existere in tempore, compositum, nõ æternum, sed temporale est, nec potest æternaliter, sed solum tẽporaliter dici.

195 *Opponens.*

Si opponas, Christus componitur ex persona Verbi, & humanitate; & tamen quamuis humanitas non existat ab æterno, Christus dicitur æternus, iuxta illud Christi ad Iudæos: *Antequam Abraham fieret, ego sum*: ergo vt ab æterno existat conflatum ex pluribus, non est necessariũ quod existat ab æterno omnia ipsum componentia.

Resp.

Respondeo, compositionẽ Christi ex persona Verbi, & humanitate, nõ esse compositionem ex his, sed cum his, vt docuimus *tom. 1. in 3. p. disp.* 10. in composito autem compositione cum his, vnum ex componẽtibus, nempè suppositum de dicto composito prædicatur. Vnde de Christo dicitur esse personam diuinam; & consequẽter de Christo dicitur esse æternũ ratione suppositi æterni, nõ autẽ quia totus Christus æternus sit. Ex quo non sequitur de missione dici posse, quod sit æterna; missio nãq; cõponitur ex processione, & nouo modo essendi in creatura, non compositione cum his, sed ex his. Vnde non supponit pro eterna processione, sed pro conflato ex illa, & habitudine ad nouum modum essendi, ad cuius existentiã vtriusque ex componentibus existentia requiritur; & consequenter vtriusque æternitas ad missionis æternitatem est necessaria.

196 *Replicabis.*

Sed dices: ad existentiam Christi, requiritur existentia humanitatis; & tamen quia suppositum Christi æternum est, dicitur de Christo esse æternum, quamuis humanitas æterna nõ sit: ergo quamuis ad existentiã missionis requiratur existentia processionis, & effectus connotati, quia tamen processio æterna est, dicitur de missione esse æternam, quamuis effectus connotatus non æternus, sed temporalis sit.

Resp.

Respondeo distinguendo maiorem: ad existentiam Christi secundum adæquatam nominis significationem, concedo maiorem: ad existẽtiã Christi pro eo, pro quo nomẽ sup-

po-

ponit,requiritur existentia humanitatis,nego maiorem, & distinguo minorem: quia suppositum Christi est æternum,& quia nomen Christi pro illo supponit,cõcedo minorem:præcisê,quia suppositum Christi æternũ est,nego minorem,& consequentiã: missio namque nõ supponit pro æterna processione,sed pro complexo ex illa,& nouo modo essendi in creatura. Et ideo æternitas processionis non sufficit, vt dicatur de missione quod existat ab æterno.

197 *Instabis*

Instabis : nomen Christi non supponit pro persona Verbi absolutê, sed prout subsistente in humanitate;sed prout sic connotat humanitatem; & cosequenter vt existat,existentiam humanitatis requirit: ergo non solum ad existentiam significati huius nominis *Christus* , sed etiam ad existentiam illius,pro quo nomen *Christus* supponit,necessaria est existentia humanitatis ; & tamen hoc non obstat vt de Christo dicatur, quod ab æterno existit : ergo quamuis ad existentiam missionis secundum id, pro quo nomen *missio* supponit, requiratur existentia alicuius temporalis,poterit dici de missione quod existat ab æterno ratione processionis æternæ,ex qua constat.

198 *Resp.*

Respondeo distinguendo maiorem: pro personaVerbi vt subsistẽte in humanitate tantum, nego maiorem: & simul pro persona Verbi vt subsistente in diuinitate , concedõ maiorem. Et concessa minori,& prima consequentia, distinguo minorẽ: de Christo reduplicatiuê vt subsistẽte in humanitate,nego minorem: reduplicatiuê vt subsistente in diuinitate, & specificatiué,& materialiter vt subsistente in humanitate, concedo minorem , & nego consequentiã. Ratio enim,cur de Christo dicatur, quod ab æterno existit,est, quia subsistit in duabus naturis ; & consequenter dicũtur de illo prædicata vtriusque naturæ,cum hac tamen differentia,quod prædicata vnius naturæ dicuntur de Christo reduplicatiuê vt subsistente in illa, & non nisi specificatiuê,& materialitêr de illo vt subsistente in alia. Vnde de Christo dicitur, quod existit in tempore ratione humanitatis, & quod ab æterno existit vt subsistens in diuinitate. Et quia nomen positum ex parte subiecti stat pro supposito secundum se, nisi reduplicatio, aut appellatio fiat ex parte prædicati supra formale subiecti,& suppositum Christi existit ab æterno,fit vt absolutê dicatur de Christo,quod ab æterno existit , & Christus de se ipso dixerit absoluté: *Antequam Abraham fieret , ego sum.*

199 *Secũdũ corollarium prob.*

Secundo infertur ex dictis,quod licet tota Trinitas veniat ad hominẽ, & ipsum inhabitet per gratiam habitualem,& licet possit visibilitêr tota Trinitas apparere,Pater tamen non mittatur,nec possit mitti, benê tamẽ Filius, & Spiritus Sanctus. Ita D. Thomas *in* 1. *distinct.* 15.*quæst.* 2. *art.vnico. Et in hac quæstione art.* 4. ex Augustino *lib.* 2. *de Trinitate cap.* 2. vbi docet: *Quod solus Pater cum in tempore à quoquam cognoscitur , non dicitur missus , non enim habet de quo sit, aut à quo procedat.* D Thomam in hoc puncto omnes Theologi sequuntur,præter Cordubam , qui , vt recentiores referunt *lib.* 1. *quæstionum Theologicarum quæst.* 41. *ad* 3. cum dubitatione affirmat posse dici Patrem mittere se , vel mitti à se, non tamen mitti absolutê. Cuius sententia displicet communitêr Theologis, & ab omnibus vt singularis reijcitur ; eo quod missio supra aduentum, & apparitionem superaddit processionẽ; sed Pater non procedit ab alio, benê tamen Filius,& Spiritus Sãctus: ergo quamuis tres personæ ad nos veniant,omnesque apparere possint, aliquandoque apparuerint , Pater non mittitur,nec mitti potest, benê tamen Filius,& Spiritus Sanctus.

200 *Si opponas.*

Si opponas:mitti personam diuinam,est ipsam dari , sed Pater dat se ipsum, cum haberi nequeat,nisi se ipso donante:ergo dici potest,quod Pater mittat se ipsum. Respondet

Resp.

D.Tho-

D. Thomas *art.* 4. *ad* 1. negando conſequentiam; dare namque nō dicit neceſſario authoritatem in dante, etſi illam importare poſsit, ſed ſolum dicit liberam communicationē, & quia Pater ſe ipſum liberalitēr cōmunicat creaturæ rationali ad fruēdum, poteſt dici, quod Pater ſe ipſum det, & quod à ſe ipſo detur. Mitti autem determinatē importat proceſsionem miſsi à mittente, & authoritatem mittentis in miſſum, & quia Pater à nullo procedit, & nullus habet authoritatem in ipſum, nō poteſt dici, quod ab alio, nec quod à ſe ipſo mittatur. Quod autē admittendum non ſit, quod Pater mittat ſe ipſum, etiam ſi admittatur Filiū mitti ab Spiritu Sancto, & Filium Sanctum ſe mittere, cōſtat ex dictis *in hac diſputatione* §. 3.

201 *Prima differentia inter miſſionē viſibilē Filij, & Spiritꝰ Sācti.*

Tertio infertur ex dictis qua druplex differentia inter miſsionem viſibilem Filij, & miſsiones viſibiles Spiritus Sācti. Prima eſt, quod miſsio Filij fuit facta in natura rationali: ſecus autem miſsiones Spiritus Sancti. Ita D. Thomas *art.* 7. *ad* 4. & cum illo omnes Theologi. Rationem autem dedit D. Thomas: nam Filius, quia eſt Spiritus Sancti principium, miſsus eſt vt ſanctificationis Author, addendum eſt, per meritū, & ſatisfactionem; & ideo opportuit vt rationalem naturam aſsumeret, in qua, & ratione cuius mereri, & ſatisfacere poſſet. Spiritus autem Sanctus miſsus eſt ad manifeſtandā ſanctificationem illorum ad quos facta fuit miſsio, & quia hæc manifeſtari poteſt per creaturam non rationalē, ideo non oportuit vt in natura rationali appareret.

202 *Secūda differentia.*

Secunda differentia eſt, quod natura in qua Filius apparuit, fuit illi hypoſtaticē vnita, & aſsumpta in vnitatem perſonæ: ſecus autem natura, in qua Spiritus Sanctus apparuit, ſed ſolum fuit illi vnitus vt ſignatum ſigno ſenſibili. Ita omnes Theologi cum D. Thoma *in præſenti art.* 7. *ad* 1. & 4. *argumentū*. Et ratio habetur ex dictis: Filius ramque apparuit vt Author ſanctitatis per meritum, & ſatisfactionem; ſed ratione ſui vt ſubſiſtentis in natura diuina non eſt capax meriti, & ſatisfactionis: ergo oportuit vt in natura creata ſubſiſteret, ratione cuius actiones ſatisfactorias, & meritorias eliceret; & conſequenter oportuit vt natura, in qua apparebat, eſſet illi hypoſtaticē vnita, & aſsumpta in vnitatem perſonæ, aliàs actiones naturæ, Filio non attribuerētur; & conſequentēr per illas, nec mereri, nec ſatisfacere poſſet. Natura autem in qua Spiritus Sanctus apparuit, non fuit ordinata vt eſſet principium merendi, aut ſatisfaciendi, ſed vt eſſet ſanctificationis inditium, ad quod præſtandum neceſſarium non fuit, quod Spiritui Sancto vniretur hypoſtaticē, nec quod aſsumeretur in vnitatem ſuppoſiti.

203 *Tertia.*

Tetia differentia eſt, quod Filius ratione naturæ, in qua viſibilitēr apparuit, dicitur, & eſt minor Patre, quod de Spiritu Sancto dici non poteſt ratione naturæ in qua eſt miſſus viſibilitēr. Et ratio habetur ex dictis, quia nempē prædicata alicuius naturæ, verē attribuūtur ſuppoſito illam in ſe habenti, & cui hypoſtaticē vnitur, ſicut prædicata accidentis verē ratione illius enunciantur de ſubiecto cui inhæret: ſecus autē prædicata naturæ hypoſtaticē non vnitæ, ſed extrinſicē ſe habentis; ſed natura humana in qua Filius apparuit viſibilis fuit illi hypoſtaticē vnita: ſecus autem natura in qua Spiritus Sanctus apparuit, quæ omnino extrinſicē comparatur ad illum: ergo Filius ratione naturæ humanæ dicitur, & eſt minor Patre, ſecus autem Spiritus Sanctus ratione naturæ, in qua apparuit. Et eadem ratione Filius eſt, & dicitur verē homo ratione naturæ humanæ ſibi hypoſtaticē vnitæ, Spiritus autem Sanctus non poteſt dici columba, vel ignis, etſi in ſpecie iginis, & columbæ apparuerit. Quam differentiam aſsignauit Diuus Thomas *articulo ſeptimo ad* 1.

Quar-

204 *Quarta differentia.*

Quarta differentia est, quod in missione visibili Filij, natura in qua apparuit, se habet non solum vt per *quod*, vel in *quo* ostenditur missio, sed etiam vt ad quod fit missio. In missione autem visibili Spiritus Sancti, creatura visibilis non se habet vt ad quod fit missio, sed solum vt ostendens missionem inuisibilē factam in alio. Ita D. Thomas *in* 1. *dist.* 16. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 1. Et ratio est, quia natura humana fuit sanctificata per Verbum, & hoc fuit illi physicē vnitum, & in illa nouo modo existens distincto à modo essendi Dei per immēsitatem in omnibus rebus. Natura autem visibilis, in qua apparuit Spiritus Sanctus, nō fuit sanctificata per ipsum, nec Spiritus illi nouo modo vnitus, sed solum fuit in illa vt in signo manifestante nouum modum essendi Spiritus Sancti per gratiam in illo ad quem missio fuit facta: ergo natura humana se habuit in missione verbi vt id ad quod fuit facta missio: secus autem natura visibilis, in qua Spiritus Sanctus apparuit.

205 *Obiectio diluta.*

Si opponas: ille ad quem fit missio personarum, supponitur ad missionem; sed humanitas non fuit præsuppositа ad vnionem cum Verbo, ratione cuius Verbum fuit missum: ergo non se habuit vt ad quod fuit facta missio, sed solum vt ostendens missionem. Respondeo distinguendo maiorem: prioritate temporis necessario, nego maiorem: prioritate temporis, vel naturæ, concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiā: vt enim *Tomo* 1. *in tertiā partē* latē docuimus, humanitas non fuit facta ex vi actionis assumptiuæ, sed ex vi alterius actionis, per quam anima fuit vnita materiæ, quæ licet tempore non præcesserit actionem, qua fuit assumpta, *natura* tamē præcesit vt subiectum receptiuum vnionis; & consequēter humanitas, licet missionem Verbi ad ipsam non præcesserit tempore, prioritate naturæ præcessit. Quod sufficere vt ad illam missio Verbi facta fuerit, constat in missione inuisibili, quam fuisse ad Angelos factam, est communis Theologorum sententia, & tamen non fuerunt Angeli prius tempore creati, & postea illis gratia infusa, sed in eodem instanti erat Deus condens Angelorum naturam, & illis infundens gratiam: quia tamen natura Angelica fuit prior infusione gratiæ prioritate naturæ, fuit ad illam facta inuisibilis missio per gratiam.

206 *Replica bis.*

Sed dices: ideo in Angelis ita accidit, quia illorum natura præextitit prioritate naturæ ante gratiam; sed humanitas non præextitit prioritate naturæ ad vnionem: ergo missio Verbi per vnionem, aut ratione vnionis non potuit ad humanitatem fieri. Consequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur, vt enim cum Diuo Thoma *tertia parte quæstione decima septima*, docent omnes eius discipuli, humanitas Verbo vnita, non existit existentia creata, sed solum per existentiam Verbi; sed existentia Verbi non fuit illi communicata per actionem, quæ vnionem ad Verbum prioritate naturæ præcesit, sed vi actionis vnitiuæ humanitatis ad Verbum, vt etiam docent omnes discipuli Diui Thomæ vbi proximē: ergo humanitas, non præextitit prioritate naturæ ad vnionem; ac per consequens, non fuit capax vt ad illam fieret missio visibilis Verbi.

207 *Resp.*

Respondeo distinguendo maiorem: Iy *quia* dicente causam sufficientem, concedo maiorem: causam vnicam, & vniuersaliter necessariam in subiecto, cui fit missio, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; nam licet prioritas naturæ, necessaria semper sit, præexistentia tamen non semper est necessaria, sed solum in missione, quæ fit per gtatiam accidentalem, qualis fuit gratia Angelorum; cum enim accidens necessario supponat subiectum complete existens existen

tia ſubſtantiali; fit conſequens, vt miſsio ratione gratiæ, quæ eſt accidens, non ſolum prioritatem naturę, ſed etiam præexiſtentiam ſubiecti, non tempore, ſed natura ſupponat. Sanctitas autē à Verbo præſtita humanitati, non accidentalis, ſed ſubſtantialis eſt, & ideò licet miſsio ratione illius ſupponat humanitatem, vt priorem prioritate naturæ ſecundum actualitatem entitatiuam, non tamen illā vt prioritate naturæ præexiſtentem ſupponit. Quod ſi loquamur de miſsione Spiritus Sancti ad humanitatem ratione gratiæ, & donorum accidentalium, fatendum eſt ſuppoſuiſſe humanitatem, non tēpore, ſed natura, non ſolum ſecundum actualitatem entitatiuam, ſed etiam vt præexiſtentem. Quomodo autem actualitas entitatiua ab exiſtētia diſtinguatur, non eſt noſtrum in præſēti explicare, id fusè traditur à Thomiſtis *lib. 1. Phyſicorum*, agendo de exiſtentia materiæ, Nosque breuiter id explicuimus ſupra tractando de exiſtentia relationum diuinarum.

208 *Quartū corollarium.*

Quarto infertur, oportuiſſe vt fieret miſsio viſibilis Spiritus Sāncti ad Chriſtum. Ita D. Thomas *in 1. diſtinct. 16. q. 1. art. 2. ad vltimum, & art. 3. in corpore. Ad Anibaldum diſt. 16. quæſt. vnica ar. 2. Et in hac quæſt. art. 7. ad 6. argumentum*: eo quod miſsio viſibilis ordinatur ad manifeſtandam abundantiam gratiæ in alios redundantis; gratia autem Chriſti pleniſsima fuit, & abundantiſsimè redundauit in alios, iuxta illud Pauli: *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Tū per meritum, & ſatisfactionem, ad hoc enim venit in mundum, vt Deo pro peccatis noſtris condignam exhiberet ſatisfactionem, & vt Eccleſiæ caput gratiam in membra diffunderet. Tum etiam per vim doctrinæ, venit enim etiam vt vniuerſalis Magiſter, iuxta illud: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*: fuit ergo expediens, vt Spiritus Sanctus viſibiliter mitteretur ad ipſum: *In baptiſmo quidem*, inquit D. Thomas, *in ſpecie columbæ, quod eſt animal fœcundum ad oſtendendum in Chriſto authoritatem donandi gratiam per ſpiritualem generationē: in transfiguratione vero ſub ſpecie nubis lucidæ ad oſtendendam exuberātiam doctrinæ, vnde dictū eſt à Patre, ipſum audite.*

209 *Quintū*

Quinto infertur, oportuiſſe vt ad Apoſtolos fieret miſsio viſibilis, eo quod illorum miniſterio, & doctrina plantanda, & fundanda erat Eccleſia. Vnde vt illorum doctrinæ Fides adhiberetur, oportuit vt per miſsionem viſibilem Spiritus Sancti ad illos, eorum gratia, quæ in alios redūdatura erat, manifeſtaretur. Ita D. Thomas locis vbi proximè adductis. Cū hac tamen differentia, quod miſsio viſibilis Spiritus Sancti ad Chriſtum demonſtrabat miſsionem inuiſibilem, non tunc, ſed conceptionis tempore factam, eo quod ob gratiæ omnimodam plenitudinem, quā in primo ſuæ conceptionis inſtanti recepit; non fuit decurſu temporis facta ad illum miſsio inuiſibilis. Quæ autem facta fuit ad Apoſtolos, demonſtrabat miſsionem inuiſibilem Spiritus Sancti ad illos in eodem tēpore factam. Cum enim illorum gratia eſſet capax augmenti, fuit tunc temporis augmentata: *Vnde ibi dicitur, repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cæperunt loqui*: cum autem Spiritus Sanctus in inſtanti cōceptionis Chriſti fuerit ad illum inuiſibiliter miſſus, tum ratione gratiæ ſubſtantialis, tum etiam ratione gratiæ habitualis, vtraque iſta miſſio fuit manifeſtata per miſsionē Spiritus Sancti viſibilem.

210 *Sexto infertur.*

Sexto infertur, ad Beatiſsimā Virginem non fuiſſe factam miſsionem viſibilem ſpecialem. Ita D. Th. *in 1. diſt. 16. q. 1. art. 2. ad 4.* eo quod licet conſequuta ſit ſingularem gratiæ plenitudinem, illius tamen gratia nō ordinabatur ad plantationem Eccleſiæ per modū doctrinæ, & adminiſtrationis Sacramentorū, ſicut per Apoſtolos factū eſt. Vnde Apoſtolus dicit 1. ad Timothæū 2. *Mulierem in*

Ecclesia loqui non permitto: addit tamē D. Th. ibidem, inter alios, qui fuerunt de primitiua Ecclesia in die Pentecostes, etiam Beatæ Virgini missionem visibilem Spiritus Sancti esse factam, creditur enim fuisse inter Apostolos in die Pentecostes, quando fuit illis missio visibilis facta, & ad ipsam simul cū alijs missionem visibilem factam fuisse.

211 *Obijcies*

Sed dices: ideo ad Beatissimā Virginem non fuit facta missio visibilis in speciali, quia illius gratia personalis fuit, non causalis, hoc est, non ordinata vt in alios redundaret per ministeriū, aut prædicationē; sed hæc ratio æquē probat de missione facta in die Pentecostes, ac de missione visibili ad ipsam facta in speciali: ergo admisso factā fuisse ad Beatissimam Virginem missionē visibilē in die Pētecostes, admitti etiā debet missio specialis ad ipsam. Probatur minor: missio facta in die Pentecostes etiam ordinabatur ad manifestandam gratiā redundātē in alios per doctrinā, & ministerium: ergo eadem ratio est de illa ac de missione facta in speciali; & consequenter ratio facta æquē probat de vtraque missione.

212 *Resp.*

Respondeo concessa maiori, negā do minorē. Ad illius probationē distinguo antecedens: in illis ad quos fiebat sine priuilegio speciali, concedo antecedēs: cū speciali priuilegio, nego antecedens, & consequentiam: nam quod missio visibilis in die Pētecostes facta fuerit ad Beatissimam Virginem, fuit ex priuilegio speciali ob singularem eius gratiam, & proximitatem ad Christum, & ideō non fuit necessarium vt manifestaret gratiam Beatissimæ Virginis redundantem in alios, bene tamen in Apostolis, ad quos sine speciali priuilegio fuit facta. Nec sequitur, etiam ex priuilegio speciali debuisse fieri ad beatissimam Virginem missionem visibilem specialem: nam ratio vt dicamus in die Pentecostes factam fuisse ad Beatam Virginem missionem visibilem Spiritus Sancti, est: creditur enim tunc temporis inter Apostolos extitisse, & non videtur expediens vt Spiritus Sanctus visibiliter veniens super Apostolos præterire Beatissimam Virginem existentem inter ipsos, quæ ratio in speciali missione ad ipsam facienda non militat, & ideo etsi fieri potuerit, non est vnde factā fuisse inferamus, sed potius oppositum.

213 *Deuiq; infertur.*

Denique ex dictis colligitur ad Patres veteris testamenti non fuisse factam missionem visibilem. Ita D. Thomas *in 1. distinct. 16. quæst. 1. a. 2. ad Annib. in eadem distinct. q. vnica art. 2.* Et *in hac q. art. 7. ad 6.* Durandus *distinct. 16. quæst. 2. num. 6.* ex Augustino *lib. 2. de Trinitate cap. 17.* Et *lib. 4. cap. vltimo.* Quod probat D. Tho. primo: *Quia cum Spiritus Sanctus manifestet Filium, sicut Filius Patrem, prius debuit perfici missio visibilis Filij, quam Spiritus Sancti*; missio autē visibilis Filij ante Incarnationem non fuit: ergo Spiritus Sanctus non fuit ad Patres veteris testamenti visibiliter missus. Secundo: nam licet fuerint factæ visibiles apparitiones personarum diuinarum Patribus veteris testamenti, istæ tamen apparitiones missiones visibiles dici non possunt, eo quod iuxta Augusti num loco vbi proximē non fuerunt factæ ad designandam inhabitationem diuinæ personæ per gratiam, quod est de ratione missionis visibilis, sed aliquid aliud manifestandum.

214 *Deniq; prob.*

Denique id probat D. Thomas *in 1. ad Annibaldum distinct. 16. quæst. vnica art. 2. ad 1.* eo quod licet plures ex Antiquis Patribus plenissimam gratiam personalem acceperint: *Illorum tamen gratia secundum illum statum in alios non redundabat, quia non erat tempus spiritualis propagationis per semen Verbi Dei, sed cultus diuinus carnali propagatione à Patribus in Filios procedebat.* Cuius ratio ad hanc formam reducitur: missio visibilis ordinatur ad manifestandā gratiam redundantem in alios per

miniſterium,doctrinam,& prædicationem,vt ratione illius fides doctrinæ illius ad quem miſsio viſibilis fit, exhibeatur; ſed gratia Antiquorum Patrum,etſi in aliquibus pleniſsima fuerit, non tamen redundabat in alios,quia non erat tempus ſpiritualis propagationis per ſemen Verbi Dei,ſed cultus diuinus carnali propagatione à Patribus in Filios procedebat: ergo ad illos miſsio viſibilis perſonarum diuinarum facta non fuit. Ratio autem cur ad Prælatos noſtri temporis miſsio viſibilis Spiritus Sancti non fiat, habetur ex dictis §.7. Et hęc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in* 1. *diſt.*15.*&* *diſt.*16.

DISPVTATIO NONAGESIMA NONA.

Quẽ effectũ connotet miſsio inuiſibilis?

Nu.1. *Miſsio viſibilis Spiritus Sãcti non cõnotat entitatẽ ſupernaturalem.*

DIximus *diſp.præcedẽti*, miſsionem diuinarum perſonarum conſiſtere in æterna proceſsione, & connotatione, vel habitudine ad effectum aliquem temporalem, ratione cuius perſonæ diuinæ incipiant eſſe nouo modo in creatura. Et quidẽ de miſsione viſibili ſecundum id, quod addit ſupra inuiſibilem, certum eſt non connotare effectum entitatiué ſupernaturalem;nam Spiritus Sanctus fuit miſſus viſibiliter in ſpecie columbæ, linguarum ignis,& ventus, quæ omnia entitatiuẽ ſunt naturalia, etſi ex parte modi miraculoſa,& ſupernaturalia fuerint, vt ſua nouitate videntes in admirationem,& inquiſitionẽ excitarent,& inquirentibus per ſuggeſtionem Spiritus Sancti,& exteri⁹ per doctrinam prædicationis de miſsione inuiſibili deſignata poſſent edoceri,vt docet D.Th. 1.*ad Annibaldum diſt.*16.*q.vnica art.*1.*ad* 5.

Miſsio etiam viſibilis Verbi fuit facta in humanitate, quæ entitas eſt naturalis,& eiuſdem ſpeciei cum humanitate noſtra, etſi vnio illius ad Verbum ſupernaturalis ſit,& terminus ex humanitate,& Verbi ſuppoſito reſultans in ſupremo vertice entiũ ſupernaturalium exiſtat. Vnde noſtra diſputatio procedit de miſsione inuiſibili. Et quidem effectum aliquem nouum in creatura cõnotare, extra controuerſiam eſt; cum enim ratione illius Deus incipiat eſſe nouo modo in creatura,& hæc nouitas nõ poſsit ſe tenere ex parte Dei,neceſſario debet eſſe in creatura; & conſequẽter nouus aliquis effectus in creatura debet dari vt perſona diuina mittatur. Reſtat autem inquirendũ, an debeat eſſe forma aliqua in creatura intrinſece exiſtens, an extrinſeca denominatio ſufficiat? Et ſuppoſito,quod intrinſeca ſit,an entitas naturalis ſufficiat, an vero neceſſario debeat eſſe ſupernaturalis? Et an quæuis ſupernaturalis ſufficiat?

2 *Nec miſsio viſibilis Filij*

§. 1.

§. I.

Relatis sententijs statuitur prima conclusio.

3 *Prima sẽtẽtia* Durãd. *Secũda*

PRima sententia docet, missionẽ diuinarum personarum fieri, nõ solum per dona gratiæ, sed etiã secũdũ dona naturæ. Hæc tribuitur Durãdo *in* 1. *dist.* 15. *q.* 3. *n.* 4. Durandus tamẽ nõ exprimit se loqui de propria missione, & expresse docet Spiritũ Sãctum dari quidem, sed imperfectẽ. Secunda sententia docet, vt diuinæ personæ mittantur, non requiri formam intrinsecã, per quã physicẽ creatura immutetur, sed posse personas diuinas de potentia absoluta mitti per beneuolentiã extrinsecam, & extrinsecã acceptationẽ ad gloriam. Hæc tribuitur Gregorio Ariminensi *in* 1. *dist.* 14. *q.* 1. *concl.* 3. aljsque Nominalibus.

Arimin.

4 *Tertia.* Caiet. Arriag.

Tertia sententia docet, personas diuinas mitti non solum per dona gratiæ gratũ faciẽtis, sed etiã per fidẽ informẽ. Hæc tribuitur Caietano *in hac q. art.* 3. sed Caietanus loquitur de missione imperfecta, nõ explicans, an per solã fidẽ proprie mittantur personæ. Tres istas sententias de missione propria diuinarũ personarũ defendit Arriaga *Tract. de Trinitate disp.* 55. *sect.* 4. & 5. vbi docet, attenta diffinitione missionis, mitti proprie personas diuinas per dona purẽ naturalia, per fidẽ informẽ, & per diuinas inspirationes; posseque propriam missionẽ subsistere per extrinsecã denominationẽ absque vllo effectu intrinsece in creatura de nouo recepto. Etsi attento cõmuni modo loquendi Theologorum dicendũ non sit mitti diuinas personas per dona naturæ. Quã limitationẽ etiã addere debebat loquendo de missione per fidẽ informem: Theologi namq; communiter ita loquuntur, vt solum secundum dona gratiæ sanctificantis mittantur diuinæ personæ loquendo absolutẽ.

5 *Quarta & vera sẽtẽtia* Caiet. Bañez, Zumel. Nazar. Araujo. Salm. S. Tho. Vazq. Suarez. Gran.

Quarta & vera sentẽtia defendit, solum per dona gratiæ sanctificãtis, seu gratum facientis proprie mitti personas diuinas. Ita D. Thomas *in* 1. *sententiarum dist.* 14. *q.* 2. *art.* 2. & *dist* 15. *quæst.* 5. *art.* 1. Vbi Capreolus, Hispalensis, & alij Scholastici communiter cum Magistro Sententiarum. Docuit eandem sentẽtiã D. Tho. *ad Annibaldum dist.* 14. *q. vnica art.* 4. & *dist.* 15. *quæst. vnica art.* 6. & *in hac quæstione art.* 3. Vbi Caietanus, Bañez, Zumel, Nazarius, & Illustrissimus Araujo. Patres Salmanticenses *Tract.* 6. *disp.* 19. *dub.* 4. M. S. Thoma *disp.* 17. *art.* 2. Tenent etiam ex Patribus Societatis Molina, & Vazquez *in hac quæstione circa* 3. *articulum.* Suarez *lib.* 12. *de Trinitate cap.* 5. Granadus *Tract.* 15. *de missione diuinarum personarum disp.* 3. Et Recentiores ex eadem familia communiter.

6 *Prima cõclusio prob. à Suarez*

Pro cuius explicatione sit prima conclusio: *Secundum dona naturæ non mittuntur diuinæ personæ.* Ita Theologi cõmuniter, quod probat Suarez *lib* 12. *de Trinitate cap.* 14. *num.* 3. & ex ipso Recentiores: nã missio proprie dicitur in ordine ad rem præexistentem; sed res creatæ non præexistunt ad primam creationem, cum per illam esse accipiant: ergo per primam rerum creationem non mittuntur propriẽ diuinæ personæ. Ex quo vlterius infert non mitti proprie per conseruationem, vel gubernationem ad ordinem naturæ spectantem, hæc namque sunt veluti debita ex vi prioris actionis: ergo ratione illorũ nõ cẽsetur Deꝰ existere nouo modo in rebꝰ; & consequenter non mittuntur personæ, quia vt constat ex diffinitione missionis, ad illam est necessarium vt

incipiãt eſſe nouo modo in creatura.

7 *Hoc argumentum nõ vrget.*

Hoc tamen argumentum parum vrget Durandum: nam licet rectè probet ratione primi *eſſe*, quod res creatæ per creationem accipiunt, & ratione conſeruationis illius nõ mitti propriè perſonas, non tamen probat, quod ratione nullius doni creati ad ordinem naturæ ſpectantis perſonæ propriè mittantur: ſed Durandus non docet per primum eſſe ex vi creationis acceptum, aut per illius conſeruationem mitti diuinas perſonas, ſed quod mittuntur ad creaturã rationalem per aliquod donum naturæ, ſcilicet per cognitionem, & amorem naturalem, & quod ratione illorum Deus dicitur eſſe nouo modo in creatura rationali, hoc eſt, modo diſtincto à modo eſſendi generali Dei in rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: ergo argumẽtum, quo Pater Suarez vtitur contra Durandum non vrget, niſi aliunde iuuetur.

8 *Maior prob.*

Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur: eo probat Suarez non mitti perſonas diuinas per primam rerum creationem, quia non præexiſtunt ad illam, quod ad proprietatem miſsionis requiritur, nec per conſeruationem, aut gubernationem ad ordinem naturæ ſpectantẽ, quia hæc debentur ex vi prioris actionis; ſed ſunt alia dona naturæ, hoc eſt naturalia entitatiuê, quæ res creatas exiſtentes ſupponunt, & quæ illis non debentur ex vi creationis illarũ: Deus enim vt Author naturæ plura gratioſè, naturę rationali largitur, vt 1.2.*q.* 109 communiter docetur à Theologis: ergo licet argumentum probet non mitti perſonas diuinas ratione primi *eſſe*, quod creaturæ per creationem accipiunt, aut ratione conſeruationis illius, & gubernationis generalis, non tamen probat, quod ratione nullius doni naturalis perſonæ diuinæ mittantur, quod tamen neceſſarium erat, vt cõtra Durandum conuinceret.

9 *Cõfirm.*

Explicatur, & vrgetur: dilectio efficax ſuper omnia Dei conditoris naturæ, ſupponit rerum creationem, nec debetur naturæ rationali ex vi illius: ergo ex hoc duplici capite, cui innititur argumentum Suarez, non probatur, quod ratione illius nõ mittantur diuinæ perſonæ ad creaturam rationalem. Conſequẽtia eſt euidẽs. Antecedens pro prima notum. Pro ſecunda probatur. Vt enim tractatu de gratia Dei cum frequentiori sẽtentia docuimus, etſi homo lapſus poſsit efficere aliquod opus bonum morale ſine gratia Dei ſpeciali, non tamen poteſt Deum naturæ Authorẽ ſuper omnia diligere ſine gratia ſpeciali Dei naturæ cõditoris; ſed ſi iſta dilectio eſſet debita naturæ lapſæ ex vi doni creationis, ad illius elicitiã ſpecialis gratia Dei conditoris naturæ neceſſaria non eſſet: ergo dilectio iſta non debetur ex vi creationis naturæ rationali lapſæ. Minor probatur: ideò ad aliquod opus bonũ morale efficiendum ſpecialis Dei gratia conditoris naturæ neceſſaria nõ eſt, quia debetur naturæ, etiã lapſæ, ex vi doni creationis: ergo ſi dilectio efficax naturalis deberetur ex vi creationis, nõ eſſet ad illius elicientiã neceſſaria ſpecialis gratia Dei cõditoris naturæ, cuius contrarium cum communi ſententia loco allegato docuimus.

10 *Si reſp.*

Si fortè dicatur, nomine *donorum naturæ*, intelligi à Patre Suarez, illa, quæ non ſolũ ſunt naturalia entitatiuê, ſed etiã naturæ debita, & hoc ſuo argumento contẽdere; ac proinde vt efficax ſit, non oportet, quod ratione dilectionis efficacis Dei, vt eſt Author naturæ, non mitti perſonas diuinas, hoc argumento conuincat.

In contrariũ obſtat.

In contrarium obſtabit: nã iuxta iſtã intelligentiã, vt efficaciter arguêret, debebat probare, cognitionẽ, & amorem naturalẽ, ſecundũ quę in sẽtentia Durandi, perſonæ diuinæ mittuntur, eſſe dona naturalia, nõ ſolum entitatiuê, ſed etiam naturæ debita; at hoc non probauit, nec probare põtuit Suarez: ergo illius argumẽtum inefficax debet cenſeri, prout cõtra Durandum procedit.

Quare

11 *Prob. 1. cõclusio*

Quare aliter est probanda nostra conclusio primo: nam de missione diuinarum personarum sentiendum est iuxta modum, quo Patres, & Theologi de illa loquuntur; sed iuxta communem modum loquendi Theologorum, & Patrum, solum dicuntur personæ diuinæ ad nos mitti cum dona supernaturalia infunduntur: ergo asserendum est secundum dona naturæ personas diuinas non mitti. Quæ ratio ex infra dicendis magis confirmabitur.

12 *Prob. 2.*

Secundo probatur: solum enim in nos mittuntur diuinæ personæ secundum dona manifestantia propria personarum, & illarum processionẽ; sed dona naturalia non manifestant propria personarum, nec vnius processionem ab alia: ergo secundum illa nullatenus mittuntur personæ. Cõsequentia est bona. Minor certa: nã dona omnia naturalia à Deo vt vno procedunt, & in Deum vt vnum ordinantur: ergo solum manifestare possunt Deum vt vnum; & consequẽter non manifestant, nec manifestare possunt personas diuinas secundum sibi propria, nec processionem vnius personæ ab alia; aliàs lum ne naturæ posset Trinitas personarum euidenter cognosci, cuius contrarium cum communi Theologorum sentẽtia supra docuimus, & fusè monstrauimus. Maior autem est D. Thomæ expressa *in 1. dist. 14. quæst. 2. art. 2. ad 3. & dist. 15. quæst. 4. art. 1. in corpore, & solutione ad 1. & in hac quæst. art. 5. ad 2.*

13 *Maior prob. 1.*

Et probatur primo: nam iuxta Augustinum lib. 4. de Trinitate cap. 20. *Personam diuinam mitti est cognosci quod ab alio sit.* Quod iuxta D. Thom. in 1. dist. 15. quæst. 4. art. 1. ad 1. *Non ita accipiendum est, quod ad missionem personarum requiratur actualis illarum cognitio, sed tantum habitualis in quantum scilicet in dono collato, quod est habitus repræsentatur proprium diuinæ personæ, sicut in similitudine: & ita dicitur, quod mitti est cognosci quod ab alio sit per modum repræsentationis*: ergo iuxta Augustinũ, & D. Thomam missio personarum, fit solum per dona, in quibus propria personarum repræsentantur, & per quæ manifestatur processio vni' personæ ab alia.

14 *Secũdo.*

Secundo probatur: mitti personas diuinas est ad nos secundum sibi propria procedere; sed procedere secundum sibi propria, est secundũ illa manifestari, & in nobis repræsentari: ergo missio personarum, propria illarum manifestat; & consequẽter solum mittentur secundum dona manifestantia propria personarum. Maior constat: nã procedere in nos personas secundum prædicata communia non sufficit ad missionẽ, alias secundum omnem effectum ab illis procedentem mitterentur; & consequenter non solum mitterentur inuisibiliter personæ diuinæ ad naturam rationalem, sed etiam mitti dicerentur ad bruta, ad lapidem, & ad omnem creaturam, quod nullus dixit: ergo vt mittantur debent secundum sibi propria procedere. Minor autem probatur: nam bonitatem diuinam, Deumque vt vnum in creaturas procedere, est in creaturis repræsentari; *eatenus namque*, inquit D. Thomas in 1. distinct. 15. quæst. 4. art. 1. in corpore, *in exitu rerum à principio accipitur bonitas diuina in creaturas procedere, quatenus repræsentatur in creatura per similitudinem bonitas diuina in ipsa recepta*: ergo personas diuinas secundum sibi propria in creaturas procedere, est in illis secundum sibi propria repræsentari; & consequenter missio, quæ in processione temporali personarum consistit, personarũ propria manifestat. Ex quo vlterius fit vt effectus temporalis à missione connotatus repræsentare debeat personas procedentes secundũ propria illarum, & processionem vnius personæ ab alia.

15 *Confir.*

Quod amplius vrgetur: nam personæ solum mittuntur secundum dona, quibus Deo immediatè vnimur, non vt principio efficienti, quæ

vnio est omni effectui à Deo procedenti communis, sed vt obiecto fruibili, vt docet D. Thomas *in* 1. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 2. *in corpore*, & ex infra dicendis constabit; sed dona, quibus Deo vt fini immediatè adhæremus, & vt obiecto fruibili immediate coniungimur, etsi vt effectus Dei in genere causæ efficientis Deum respiciant vt vnum, illumque vt sic manifestent, obiectiuè tamen Deum vt Trinum respiciunt, illumque vt sic repræsentant, quo circa in illis perfectè cognitis, potest Trinitas personarum euidenter cognosci: ergo dona secundum quæ missio personarum attenditur, manifestat propria personarum, & processionem vnius personæ ab alia repræsentant.

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur.

16 *Arg.* 1. CONtra istam conclusionem argumẽtari possumus primo: personæ procedentes mittuntur secundum illa dona, ratione quorum donantur; sed Spiritus Sanctus datur non solum per dona gratiæ, sed etiã secundum dona naturæ: ergo mittitur secundum dona naturæ, idemque de Filio est dicendum. Minor, in qua est difficultas, ostenditur primo: omne donum, quod creaturæ confertur, etiam si sit naturale ex liberalitate diuinę voluntatis procedit; sed ratio conferendi per liberalitatem, est amor, qui etiam est primum donum, quod à liberali confertur: ergo in omni dono à Deo creaturæ collato, etiam si naturale sit, datur amor; & consequenter Spiritus Sanctus.

Minor prob. 1.

17 *Secũdo.* Secundo probatur: dona enim posteriora, non dantur sine dono priori, quod est ratio dandi alia dona; sed Spiritus Sanctus est donum prius, & ratio dandi omne donum, siue naturale sit, siuè gratiæ: ergo in collatione omnis doni datur Spiritus Sanctus.

18 *Tertio.* Tertio: nam eatenus datur Spiritus Sanctus, quatenus nouo modo est in nobis, quo antea nõ erat; sed ratione cuiuscũq; doni nobis de nouo collati, est nouo modo in nobis quo antea non erat: ergo datur ratione omnis doni de nouo nobis collati.

19 *Deniq; prob. minor.* Denique: vt enim docet Diuus Thomas *in* 1. *distinct.* 14. *quæst.* 2. *art.* 1. ideo nobis non solum dantur dona, sed etiam Spiritus Sanctus, quia relatio in nobis resultans fundata in acceptione donorum, non solũ terminatur ad dona, sed etiam ad Spiritum Sanctum; sed hoc non solum est verum de relatione fundata in acceptione donorum gratiæ, sed etiam de illa, quæ in donis naturæ fundatur: ergo etiam secundum ista dona datur nobis Spiritus Sanctus.

20 *Resp. negando minorẽ.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem respondet D. Thomas in 1. distinct. 14. quæst. 2. art. 2. ad 1. *Quod quamuis in collatione donorum naturalium Dei liberalitas attendatur, perfectio tamen liberalitatis attenditur in his, quæ vltimæ perfectioni coniungunt, & ista sunt quæ immediatè non ordinãt in finem, & ideo secundum ista dona præcipuè Spiritus Sancti processio attenditur.* Iuxta quam doctrinam, concessa maiori, distinguenda est minor: ratio conferendi ex liberalitate est amor vt influens, vel vt datus, cõcedo minorẽ: est amor vt datus, subdistinguo minorẽ: ratio cõferẽdi ex liberalitate perfecta, cõcedo minorẽ: ex omni liberalitate, nego minorẽ, & cõsequẽtiã: nã licet ad omne donũ liberaliter colla-

tum amor effectiuè concurrat, vt datus tamen solum concurrit ad illa dona, quæ nos Deo immediate coniungunt, quibus Deo vt fini vltimo immediatè adhæremus, illoque obiectiuè fruimur, vt inferius amplius explicabimus.

21 *Ad 2. probat. minoris*

Ad secundam probationem respondet D. Thomas 1. ad Annibaldum distinct. 14. quæst. vnica artic. 4. ad 1. *Quod dona posteriora dantur per virtutem prioris, possunt tamen dari, sine hoc quod primum donum detur, & sic omnia dona dãtur per virtutem Spiritus Sancti, non tamen oportet quod in omnibus Spiritus Sanctus detur.* Hæc D. Thomas: ex quibus in forma ad secundam minoris probationem respondeo distinguendo maiorem: sine dono priori, vel vt dato, vel vt effectiuè influente, concedo maiorẽ: sine dono priori semper vt dato, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: solum enim sequitur, quod ad omne donum, siue gratiæ, siue naturæ, debeat Spiritus Sanctus efficienter concurrere, non autem quo d ante omne donum, seu per omne donum dari, sed solum per illa quæ nos Deo vt fini tuibili immediate coniungunt ratione inferius tradenda.

22 *Ad 3.*

Ad tertiam respondet D. Thomas loco vbi proxime ad 2. argumentum: *Dicendum, quod obiectio procedit ex falso, non enim per quod libet donum nouo modo est in homine Spiritus Sanctus, vt dictum est,* nempe in corpore articuli, vbi tres modos essendi Dei in homine distinxerat D. Thomas, secundum tres modos quibus creatura vnitur creatori, nempe: *Sicut effectus causæ efficienti, cuius similitudinem gerit, & hic est modus communis prout est in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam. Alio modo sicut obiecto operationis, in quantum creatura cognoscit, & amat creatorem, & sic dicitur esse in sanctis. Tertio modo quantum ad esse in vna persona, & sic dicitur esse in Christo.* Ex quo infert D. Thom. *Illa ergo dona solum, quæ faciunt cognoscere, & diligere Deum, quæ sunt dona gratiæ gratum facientis, faciunt Deum nouo modo esse in nobis, & ideo secundum illa tantum dicuntur Filius, & Spiritus Sanctus in nos procedere, vel mitti ad nos, vel dari nobis: nam secundum omnia alia dona non alio modo est in nobis quam per essentiam, præsentiam, & potentiam.*

Iuxta quam doctrinam ad tertiam probationem minoris respondetur in forma concessa maiori, negando minorem: vel claritatis gratia, distinguo maiorem: nouo modo nouitate formali, idest, non contenta intra generalem modum essendi in rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam, concedo maiorem: noui tate solum materiali, & intra generalem modum existendi in rebus cõtenta, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam.

23 *Instabis*

Sed dices: diffinitio missionis nouitatem istam formalem non petit: ergo cum sola nouitate materiali saluatur, & consequenter quidquid aliud additur, est voluntarium, & sine vllo fundamento. Probatur antecedens: nam missio personæ diuinæ, vt constat ex dictis supra, *est exitus personæ à persona cum nouo modo essendi in creatura*; sed totum hoc saluatur cum nouo modo essendi nouitate materiali: ergo diffinitio missionis, non exigit nouitatem formalem, idest extractam à generali modo essendi in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potẽtiam.

24 *Reijcitur Arriaga.*

Forsan hac consideratione inductus fuit Arriaga vt asseret attenta diffinitione missionis mitti personas diuinas secundum quodcumque donum; quia tamen communiter docent Theologi personas diuinas non mitti in prima rerum creatione, ideo asserendum est, secundum dona naturæ non mitti. Leui tamen fundamento fuit hic Auctor in existimationẽ, ita singularem inductus, & ex his,

quæ

quæ ipſe admittit, poteſt ni fallor falſitatis, & leuitatis conuinci. Vt enim ipſe fatetur, quia communiter Theologi negant diuinas perſonas mitti, quando orbis creatus eſt, aut quando homo primo concipitur, aſſerendum eſt non eſſe vocandam inuiſibilem miſsionem, niſi quæ fit per dona ſupernaturalia. Ex quibus ſic argumentor: ergo omnes Theologi ſentiunt nouum modum eſſendi poſitũ in diffinitione miſsionis eſſe accipiendum de nouo, nouitate nõ contenta intra generalem modum eſſendi Dei in creaturis per eſſentiã, præſentiam, & potentiam. Patet conſequentia; non enim debet aſſeuerare hic Author ſenſum illum Theologorum communem voluntarium eſſe, & omni fundamento carere, ſed niſi nouum modum eſſendi poſitum in diffinitione miſsionis ſentiant accipiendum eſſe de nouitate non contenta intra generalem modum eſſendi, voluntarius erit ſenſus ille Theologorum communis, omnique fundamento carebit: ergo Theologi cõmuniter ſentiũt ſic eſſe accipiendũ. Tunc ſic, ſed diffinitiones rerum accipiendæ ſunt, iuxta communem interpretationem ſapientum, & nõ ex proprio cerebro interpretãdæ, aliàs nihil firmum erit: ergo accepta vt debet diffinitione miſsionis, rectê ex illa infertur perſonas diuinas nõ mitti ſecundum quæcumque dona, ſed ſolum ſecundum illa, quæ vires naturæ excedunt.

25 *Occurritur obiectioni.*

Et ex his ad obiectionem factã reſpondeo negando antecedens. Ad illius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: attento ſonu verborum, tranſeat minor: attento ſenſu verborum, vt debet iuxta communem ſapientium interpretationẽ, nego minorem, & conſequentiam: nam in rerum diffinitionibus, non verborum ſonus, ſed ſenſus attendi debet, ſenſus autem non eſt ex proprio cerebro eruendus, ſed ex communi ſapientum interpretatione venandus. Et quidem diffinitio generationis viuentium, ſolo verborum ſonitu attento, non ſolum proceſsioni Filij, ſed etiam proceſsioni Spiritus Sancti conuenit; quia tamen iuxta verborum ſenſum acceptum ex communi Theologorũ interpretatione, non conuenit proceſsioni Spiritus Sancti, ideò generatio non eſt. Et ſicut ob hanc cauſam nullus audebit aſſerere, quod attenta diffinitione generationis proceſsio Spiritus Sancti ſit generatio, ob eandem aſſerendum non eſt, quod attenta diffinitione miſsionis diuinarum perſonarum mittantur ſecundum quodcumque donum. Nam licet nouitatem modi eſſendi per donũ ſupernaturale, verba diffinitionis materialiter ſumpta non petant, illam tamen expoſcunt accepta vt debent iuxta communem Theologorum interpretationem.

26 *Interpretatio fundatur.*

Quæ interpretatio voluntaria non eſt, ſed ſolida ratione fundata, vt enim arguit Diuus Thomas 1. *ad Anibaldum diſtinct. 14. quæſt. vnica art. 4 ad 3. argumentum*: ſi vt Spiritus detur homini, & ad illũ mittatur, ſufficeret nouo modo eſſe in illo ratione noui modi per eſſentiã, præſentiam, & potentiam: *daretur etiam lapidi, quando fit albus, quia ſimili modo eſt in albedine*, quod pro abſurdo infertur à D. Thoma, & certê adeò abſurdum eſt, vt qui illud deuoraueſit, non arguendus, ſed relinquendus ſit, & ab Scholaſticis diſputationibus reijciendus.

27 *Vltima prob. diluitur.*

Ad vltimam probationem minoris, diſtinguo maiorem: quia relatio non ſiſtit in dono, ſed tranſit ad Spiritum Sanctum vt habitũ ratione doni, concedo maiorem: quia tranſit ad Spiritum Sanctum vt ad cauſam efficientem doni, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam licet ratione cuiuſcumque doni reſultet in nobis relatio, non ſiſtens in dono, ſed tranſiens ad Spiritum Sanctũ, prout eſt cauſa efficiens doni; non tamen ratione cuiuſcumque doni reſultat in nobis relatio tranſiens ad Spiritum Sanctum vt habitum, ſed ſolum ratione illorum donorũ, qui-

bus

bus Deo vnimur vt fini à nobis fruibili, quod solum fit per dona gratiæ, non cuiuslibet, sed gratum faciẽtis. Et ideô non datur Spiritus Sanctus per quodlibet donum creatum, imô nec per quodlibet donum gratiæ, sed solum per dona gratiæ gratũ facientis, vt infra explicabimus. Ita D. Th. *in 1. dist. 15. q. 2. art. 2. ad 2.* Et quidem si præcisè, quia relatio resultãs ex dono non sistit in illo, sed transit ad Deum vt ad causam efficientem, Deus daretur nobis: fieret vt ratione albedinis productæ in lapide, Deus lapidi daretur, & haberetur à lapide, & Spiritus Sanctus lapidi daretur, ab illo haberetur, & mitteretur ad lapidem, quæ omnia inaudita sunt, & absurda. Sed de his inferius plura.

28 *Secũdo arg.* Secundo arguitur argumento Durandi, & instatur cõtra dicta: ideô Spiritus Sanctus datur rationali creaturæ, & ad illam mittitur per dona gratiæ, quia per illa potest in ipsum tendere vt in obiectum cognitũ, & amatum; sed etiam secundum dona naturæ potest in Deum tendere, vt in obiectum cognitum, & amatũ, quamuis non perfectè, sed imperfectè: ergo datur rationali creaturæ Spiritus Sanctus, non solum secundũ dona gratiæ, sed etiam secundum dona naturæ, non perfectè, sed imperfectè. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: Deus namque non solum est à creatura rationali cognoscibilis, & amabilis cognitione supernaturali, & supernaturali amore, sed etiam amore, & cognitione naturali; sed ad hos actus eliciendos sufficiunt dona naturalia entitatiuè: ergo secundum hæc dona potest natura rationalis tendere in Deum vt in obiectum cognitum, & amatum.

29 *Conf. 1.* Quod amplius vrgetur primo: ideô namque per cognitionem, & amorem supernaturalem mittuntur ad nos personæ diuinæ, quia ratione illorum sunt in nobis nouo modo nouitate formali, hoc est extracta à communi modo essendi Dei in rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam, scilicet vt obiectum cognitum, & amatum, sed etiam per cognitionem, & amorem naturalem sunt diuinæ personæ in nobis vt obiectũ cognitum, & amatum, & consequentèr nouo modo nouitate formali, hoc est extracta à modo illo essendi generali: nam ille modus essendi sub illo nõ continentur: ergo per cognitionem, & amorem naturalem mittũtur personæ diuinæ ad creaturam rationalem.

30 *Secũdo.* Confirmatur, & vrgetur secundo: nam ideô iuxta D. Thomam *in 1. distinct. 14. quæst. 2. art. 2. in corpore*, non datur nobis, nec procedit ad nos Spiritus Sanctus, quod idẽ est atque mitti, per primos effectus, quibus à Deo eximus, & in esse naturæ subsistimus, sed per vltimos effectus, videlicet dona gratiæ, quia non est immediata coniunctio ad Deum per primos effectus, quibus eximus à Deo, sed per vltimos, quibus fini adhæremus; sed per amorẽ, & cognitionem naturalem Deo immediatè coniungimur, illique vt fini adhæremus: ergo secundum amorem, & cognitionem naturalem, datur nobis Spiritus Sanctus, in nos procedit, & mittitur.

31 *Si resp. primo.* Si respondeatur primo: amorem Dei naturalem, & idem de cognitione naturali dicendum, esse imperfectum, ideoque ratione illorum est Deus in nobis modo imperfecto, illique imperfectè vnimur: missio autem diuinarum personarum connotat cognitionem perfectam, perfectũ amorem, perfectam vnionem, & nouum modum essendi perfectum, & ideo ratione istorum actuum nõ mittuntur personæ diuinæ.

32 *In contrariũ arg.* In contrarium obstat: nam per amorem supernaturalem mittuntur personæ diuinæ perfectè, quia perfectus est, & ratione illius sunt nouo modo perfecto in creatura rationali; sed ratione amoris, & cognitionis naturalis sunt in creatura rationali nouo modo, licet imperfecto: ergo ratione istorum actuum mittuntur

imperfectê perſonæ diuinæ ad creaturam rationalem.

33 *Cõfirm.* Quod amplius vrgetur: quod perfectius ſint perſonæ diuinæ in creatura rationali per gratiam conſummatam, quam per gratiam viæ, non arguit, quod ſolum per gratiam conſũmatam mittantur, ſed quod mittantur perfectus per illam, quam per gratiam viæ: ergo pariter, quod perſonæ ſint nouo modo perfectius per amorem, & cognitionem ſuper naturalem, quam per amorem, & cognitionem naturalem, non arguit, quod ſolum per actus ſupernaturales mittantur; ſed quod per illos perfectê mittantur perſonæ, per actus autem naturales imperfectê, quod ſolũ intendit Durandus.

34 *Reſp. 2.* Reſpondebis; ideo ſecundum dona gratiæ mitti perſonas diuinas, quia ratione illorum Deus eſt in homine vt obiectum cognitum, & amatum amore amicabili, & ex perfecta amicitia, & quia amicitia petit præſentiam inter amicos, fit Deus illi præſens præſentia ſpeciali, & diſtincta ab ea, qua ratione immenſitatis eſt præſens omnibus rebus. Amor autem naturalis Dei non eſt amicabilis, nec ex perfecta amicitia, & ideo eſſe Deum in homine vt obiectũ cognitum, & amatum per actus naturales, non ſufficit vt Deus ſit illi præſens illa ſpeciali præſentia, nec vt perſonæ diuinæ mittantur.

35 *Sed contra.* Sed contra: nam eſſe poſsibilem amicitiã naturalem inter homines, & Deum, eſt plurium Theologorum ſententia, quam Nos Tractatu de Charitate fusê monſtrauimus: ergo ſi per dona gratiæ Deus fit homini præſens ea ſpeciali præſentia, & perſonæ diuinæ mittuntur, quia per illa Deus amicabilitêr diligitur, etiam per dona naturæ in quibus amicitia naturalis hominis cum Deo cõſiſtit, Deus reddetur illi præſens, & perſonæ diuinæ mittuntur ad ipſum, cum diſcrimine ſtatuto à Durando, nempê, quod per dona gratiæ, quia perfectam amicitiam conſtituunt, mittuntur perſonæ diuinæ perfectê, imperfectê vero ſecundum dona naturæ, eo quod amicitia naturalis, quæ ex illis cum Deo conſurgit, amicitia perfecta non eſt.

36 *Verior ſolutio aſsignatur.* Ad hoc argumentum prætermiſsis his ſolutionibus, & in ſua probabilitate relictis, reſpondeo diſtinguendo maiorem: quia per dona gratiæ poteſt homo tendere in Spiritum Sanctum vt in obiectum cognitum, & amatũ, cognitione, & amore terminatis ad Spiritum Sanctum ſecũdum ſibi propria, & ipſum vt ſic manifeſtantibus, concedo maiorem: terminatis ad ipſum, ſolum ſecundum prædicata abſoluta, & tribus perſonis communia, nego maiorem. Et ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Vt enim ex D. Thoma probando noſtram concluſionem monſtrauimus, vt diuinæ perſonæ mittantur, debent eſſe in homine ſecundum ſibi propria, & non ſolum ſecundum ab ſoluta, & communia, in quibus tres perſonæ ſunt vnũ. Debentque ſecundum ſibi propria in homine repræſentari, illique communicari. Licet autem per amorem naturalem Deus ſit in homine nouo modo, ſcilicet vt obiectum cognitũ, & amatum, perſonæ diuinæ ratione illius amoris non ſunt in homine ſecundum ſibi propria, nec vt ſic repræſentantur ratione huius amoris, & cognitionis ipſum regulantis, ſed ſolum ſecundum quod ſunt vnum in prædicatis communibus. Ideoque ratione huius amoris, nec perfectê, nec imperfectê mittuntur perſonæ diuinæ, benê autem ratione amoris, & cognitionis ſupernaturalis; eo quod huiuſmodi actus terminantur ad perſonas, non ſolum ſecundum prædicata communia, ſed etiam ſecundũ propria, illaque vt ſic repræſentat. Et ratione illorum communicantur homini perſonæ diuinæ nõ ſolum prout vnum ſunt in eſſentia, ſed etiam prout ſunt per propria prædicata perſonalitêr diſtincta, quod vt mittantur requiri ex Diuo Thoma docuimus, & monſtrauimus.

Et

37 *Vtraq; cõfirmatio dilui tur.*

Et ex his ad primam confirmationem constat solutio: nam ratione amoris,& cognitionis supernaturalis sunt personæ diuinæ in nobis nouo modo secundum sibi propria, & ideo mittuntur: secus autẽ per amorem,& cognitionem naturalem:nam ratione istorum actum non sunt in nobis secundum sibi propria,sed solum secundum absoluta, & communia prædicata. Ex his etiam ad secundam confirmationem dicatur, ideo per vltimos effectus, nempẽ supernaturales mitti personas diuinas, quia per illas adhæremus Deo vt fini,non solum vt vnus est, sed etiã quatenus est trinus,&personis,nõ solum secundum prædicata absoluta in quibus sunt vnum,sed etiam secũdum relatiua,& propria secundum quæ distinguuntur,& hoc per cognitionem, & amorem naturalem non fit, ideoque secundum istos actus nõ mittuntur personæ diuinæ.

38 *Instabis primo.*

Sed instabis primo : nam sequitur ex hac solutione, quod licet personæ diuinæ non mittantur ad hominem per cognitionem, & amorem Dei naturalem, Deus tamen, saltim vt Author naturæ, ex vi prædictorum actuum,amicitiæque naturalis, sit in illo nouo modo, & dicatur ad ipsum venire;consequens est falsum, vtpotẽ contra communẽ Theologorum sententiam,iuxta quam solũ secundum dona gratiæ gratum facientis dicitur Deus esse nouo modo in homine,ad illumque venire, ipsumque inhabitare: ergo & tradita solutio.Probatur sequela,ideó solũ,iuxta solutionis doctrinam,non sunt diuinæ personæ in homine nouo modo ratione actuum naturalium cognitionis,& amoris, nec ratione illorũ veniunt,nec mittuntur ad hominẽ, quia ratione illorum non repræsentãtur personæ secũdum sibi propria, nec vt sic homini communicãtur;sed Deus vt vn' cognoscitur,& amatur, quatenus Auctor naturæ per cognitionem,&amorẽ naturalem,& prout sic repræsentatur,& communicatur obiectiuẽ: ergo vt vnus, est ratione istorum actuum in homine nouo modo,& ratione illorum vt vnus venit ad hominem.

39 *Secũdo.*

Instabis secundo : ideô secundum dona naturæ non repræsentantur in nobis personæ secundum sibi propria,nec prout sic communicantur, quia procedunt à Deo,non vt trino, sed vt vno,& ratione vnius virtutis,scilicet omnipotentiæ, quæ est vna in tribus personis. Quo circa,licet Deus per se in esse entis sit trinus,perfectate causæ,& principij creaturarum,nõ trinus,sed vnus est, eo quod dona naturæ vt effectus nõ petunt Trinitatem personarum, sed Deum,quatenus vnum; sed etiam dona supernaturalia procedunt à Deo, non vt trino,sed vt vno,& ratione eiusdem virtutis,scilicet omnipotentiæ,nec vt effectus sunt Dei, per se petunt Trinitatem personarum, sed solum Deum vt vnum : ergo non repræsentãt personas secundum prædicata illis propria,sed solum secundum prædicata absoluta tribus personis communia,& consequenter nõ magis secundum illa, quam secundum dona naturæ mittuntur diuinæ personæ.

40 *Resp.ad primam instãtiã*

Respondeo ad primam instantiã,concedẽdo sequelam,& negando minorem,nec id est contra communem sententiam, Theologi namque negantes Deum ad hominem venire,& nouo modo esse in illo secundum dona naturalia, loquuntur de Deo vt Authore supernaturali, & de aduentu tali simpliciter, & ratione cuius absolutè posit dici Deũ ad hominem venire,quod verum est, nec à Nobis negatur:non enim absolutè est dicendum Deum venire ad hominem ratione cognitionis, & amoris naturalis,aut nouo modo esse in illo,sed cum addito,scilicet vt Author naturæ. Quod asserendum esse suppositâ sententia admittente amicitiam naturalem inter hominem,& Deum efficaciter argumento facto probatur: si nãque ratione amicitiæ supernaturalis Dei vt est Author gratię dicitur venire ad hominẽ,quomodo

docúque aduentus iſte explicetur, nõ eſt cur admiſſa vt poſsibili amicitia naturali inter homines, & Deum vt authorem naturæ, non dicatur ratione illius Deum vt Authorem naturæ venire ad hominem, & nouo modo eſſe in illo. Quia tamen in homine lapſo in peccatum nõ eſt poſsibilis dilectio efficax Dei conditoris naturæ ſine gratia habituali expeditiuè ad prædictum actum concurrẽte, vt docuimus 1.2. *quæſt.* 109. *tract. de gratia Dei*; fit conſequens, vt in homine ſic lapſo non poſsit Dei aduentus ad illum ſaluari ſine gratia habituali.

41 *Ad 2.* Ad ſecundam obiectionem reſpondeo diſtinguendo maiorem: Iy *ideò* cauſam adæquatam dicente, nego maiorem; quia à Deo vt vno procedunt, & non tendunt obiectiuè ad Deum quatenus trinum, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: nam dona ſupernaturalia, etſi prout effectus Dei, ab ipſo vt vno procedant, & prout ſic non petant per ſe Trinitatem perſonarum, nec illam vt ſic repræſentent, nec ratione illorum ſub hac conſideratione homini communicẽtur perſonæ diuinæ ſecundum prædicata propria, obiectiuè tamen in Deum vt trinum tendunt, & per ſe petũt Trinitatem perſonarum, non ſolum ſecundum prædicata abſoluta, & communia, ſed etiam ſecundum prædicata propria, & relatiua: & conſequentêr illa prout ſic repræſentant. Quo circa in illis perfectè cognitis Trinitas perſonarum euidenter cognoſcitur, vt docuimus 3. *p. traci. aeſciẽtia Chriſti*, non quidem ratione habitudinis, qua ad Deum vt effectus referuntur, ſed ratione habitudinis, qua tendunt in Deum vt in obiectũ. Ex quo vlterius ſequitur, vt ratione illorum cõmunicentur homini perſonæ diuinæ ſecundum ſibi propria obiectiuè, quæ à donis naturalibus nequeunt præſtari; quia nec vt effectus Dei per ſe petunt Trinitatem perſonarum, nec illarum diſtinctionẽ obiectiuè reſpiciunt.

Cæterum contra hanc ſolutionem obijciet aliquis primo: ideò dona gratiæ vt effectus, non repræſentant Trinitatem perſonarum, quia à Deo non vt vno, ſed vt trino procedunt; ſed etiam obiectiuè tendunt ad Deum, non vt trinum, ſed vt vnũ: ergo ratione ordinis ad obiectum, & ſecundum tendentiam obiectiuam non repræſentant Trinitatem perſonarum. Minor probatur: tendunt obiectiuè ad Deum vt finem vltimũ; ſed ratio vltimi finis conuenit Deo vt vni, non minus, quam ratio principij effectiui: aliàs Deus vnus non eſſet in ratione vltimi finis: ergo tendunt obiectiuè ad Deum ſolum vt vnum; & conſequentêr ratione huius habitudinis non repræſentant Trinitatem perſonarum, nec manifeſtant perſonas diuinas ſecundum prædicata propria, & relatiua, ſed ſolum ſecundum prædicata abſoluta tribus perſonis communia.

42 *Contra ſolutionẽ replicatur primo.*

Secundo, ideo dona, etſi Deum obiectiuè reſpiciant, non repræſentant prædicata propria perſonarũ, quia Deus vt illorum finis eſt vnus, & vt ſic ab illis reſpicitur obiectiuè; ſed etiam dona gratiæ tendentia obiectiuè ad Deum, illum vt finem reſpiciunt, & Deus vt illorum finis eſt vnus: ergo ratione ordinis quem dicunt ad Deum vt ad obiectum, nõ repræſentant prædicata propria perſonarum.

43 *Secũdo.*

Tertio: nam iuxta D. Thomã, ideo dona gratiæ ſecundum quæ mittuntur perſonæ diuinæ repræſentant propria perſonarum, quia exẽplaritèr cauſantur à perſonis ſecundum prædicata propria, & relatiua; ſed cauſari exemplariter conuenit prædictis donis ſecundum habitudinem effectus ad Deum: ergo iuxta D. Thomam repræſentant propria perſonarum, quatenus comparantur ad illas tanquam effectus, & non ſolum prout Deum vt obiectum reſpiciunt; & conſequentêr doctrina à Nobis tradita menti D. Thomæ nõ congruit, nec iuxta illius mentem miſsionem perſonarum defendimus.

44 *Tertio.*

Vtra-

Vtraque consequentia ex præmissis colligitur. Minor est certa: Deus namque non solum est causa efficiens,& finalis creaturarum,sed etiã est illarum causa exemplaris,vt fatẽtur omnes Theologi *supra quæst.*15. ergo causari exemplaritêr conuenit donis gratiæ secundum habitudinẽ, qua referuntur ad Deum tamquam effectus.

45 *Maior prob.ex D.Tho.*

Maior autem constat ex D. Thoma *in* 1. *distinct.* 15. *quæst.* 4. *art.* 1. *in corpore*,ibi: *Sicut in exitu rerum à principio, dicitur bonitas diuina in creaturas procedere inquantum repræsentatur in creatura per similitudinem bonitas diuina in ipsa recepta: ita in reductione rationalis creaturæ ad Deũ, intelligitur processio diuinæ personæ,quæ & missio dicitur,in quãtum propria relatio ipsius personæ diuinæ repræsentantur in anima per similitudinem aliquam receptam,quæ est exemplata,& originata ab ipsa proprietate rationis æternæ.* Ex quo infert,Filium mitti per donum sapientiæ, & Spiritum Sanctum per amorem,quia donum sapientiæ exemplatur à proprietate Filij,& amor à proprietate Spiritus Sancti;quo circa proprietas Filij repræsentatur in dona sapientiæ, & propria relatio Spiritus Sancti in amore. Quam doctrinam repetit D. Thomas ibi *solutione ad* 1. *&* 1. *ad Anibaldum distinct.*15.*q. vnica art.*6. *& in hac quæst. art.*5.*ad* 2. ergo iuxta D. Thomam,quod dona gratiæ repræsentent propria personarum, fundatur in eo quod exemplariter causantur ab illis secundum prædicata propria,& relatiua.

46 *Resp.ad* 1.*replicam.*

Respondeo ad primam replicam, concessa maiori negando minorem. Ad illius probationem, concessa maiori,&minori,distinguo consequens: tendunt obiectiuè ad Deum solum vt vnum,motiuê,concedo cõsequentiam: terminatiuê, nego consequentiam: nam licet dona gratiæ causentur à Deo, vt vno obiectiuê, & motiuê,& ratio per quam Deus in ratione obiecti motiui illorum constituitur absoluta sit,& tribus personis communis,terminatiuè tamen à Deo vt trino causantur obiectiuê,& Deum vt trinum obiectiuê terminatiuê respiciunt,& per se ratione huius tendentiæ petunt Trinitatẽ personarum secundum prædicata propria,& realatiua,& consequenter ex illa,prout sic repræsentant,v.g.actº fidei,quo credimus Trinitatem personarum,etsi à diuina authoritate, & veracitate moueatur,quæ prædicatum absolutum est, & commune tribus personis, terminatiuè tamen personas respicit vt distinctas, illasque vt sic repræsentat. Quo circa in actu fidei comprehenso, Trinitas personarum euidenter cognoscitur cognitione quoad an est,idemque de lumine gloriæ, quo Deum vt trinum cognoscimus de charitate,qua Deũ vt trinum amamus,& de gratia iustificante,per quam radicalitet Deũ vt trinum credimº,videmus,& amamus,est dicendum. Ideoque in prædictis donis repræsentãtur personæ, non solum secundum prædicata absoluta,& communia, sed etiam secundum prædicata propria,& relatiua. Quare autem per fidem informẽ non mittantur diuinæ personæ propriê,quamuis in illa repræsentẽtur propria personarum,ex infra dicendis constabit.

47 *Ad* 2.

Et ex his ad secundam replicã, respondeo distinguendo maiorem: tam motiuê, quam terminatiuè, cõcedo maiorem:solum motiuê, nego maiorem,& sub eadem distinctione minoris,nego consequentiam: dona enim naturalia non solum motiuè, sed etiam terminatiuê tendũt in Deũ solum vt vnum, ita vt nec terminatiuê per se Trinitatem personarum respiciant,aliàs personarum trinitas in ratione cognoscibilis, supernaturalis non esset, cum posset in donis naturæ vt comprehensis euidenter cognosci, & ideo huiusmodi dona non repræsentant personas secũdum prædicata propria,& relatiua, sed solum secũdum prædicata absoluta,

& communia. Dona autem supernaturalia, etsi motiuè Deum respiciant solum vt vnum, terminatiuè tamen Deum per se respiciunt vt Trinum, & ideo illum vt sic repræsentant, vt proxime dicebamus.

48 *Ad 3.* Ad tertiam replicam, explico, & distinguo maiorem: repræsentatione donis gratiæ conueniente ratione appropriationis, cõcedo maiorem: repræsentatione illis per se conueniente, nego maiorem. Et concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris: solum enim sequitur repręsẽtationẽ ratione appropriationis cõuenientem donis gratiæ, ratione cuius magis vnam, quam aliam personam repræsentant, conuenire illis, quia appropriatiuè ab vna, & non ab alia persona exemplatur; & consequenter, quod ista repræsentatio illis conuenit ex habitudine effectus ad Deum vt causam exẽplarem, non autem quod repræsentatio personarum secundum prædicata propria per se competens donis gratiæ, illis conueniat ex ratione effectus Dei, etiam in genere causæ exemplaris; cum enim Deus exẽplariter causet creaturas, prout est illarum idea, sit autem idea creaturarum ratione essentiæ absolutæ, vt *tom. 2. disp. 43. docuimus*; fit consequens, vt in nulla entitate creata, siue ad ordinem naturæ, siue ad ordinem gratiæ pertineat, sumpta vt est effectus Dei, etiam in genere causæ exemplaris, per se, & præcisa appropriatione Trinitas personarum cognosci, aut repræsentari possit.

49 *Doctrina solutionis prob.* Quod euidenter probatur: idcò namque in creaturis vt sunt effectus Dei in genere causæ efficientis, non repræsentatur, nec cognosci potest Trinitas personarum, quia efficienter causantur à Deo vt vno, sed etiã exemplariter à Deo vt vno causantur, est enim idea creaturarum naturalium, & supernaturalium ratione essentiæ absolutæ: ergo in nulla creatura sumpta vt effectus est Dei in genere causæ exemplaris, potest per se Trinitas repræsentari, aut cognosci. Quia tamen sapientia diuina, etsi communis sit tribus diuinis personis, appropriatur tamẽ Filio, idcó donum sapientiæ exemplarum à diuina sapientia appropriatiuè exemplatur à proprietate Filij, non ratione sui, sed ratione sapientiæ Filio appropriatæ. Et ratione huiꝰ appropriationis repræsentat propria Filij, & non propria Spiritus Sancti, & hanc repræsentationem dono sapientiæ conueniẽtem ratione appropriationis, cõcedimus illi cõpetere ex ratione effectus in genere causæ exẽplaris; quia nẽpe appropriatiuè exẽplatur à Filio secundum sibi propria. Et de hac repræsentatione loquutus est D. Thomas locis adductis in argumento, non autem de repræsentatione Trinitatis personarum per se conueniẽte donis supernaturalibus; hæc namque non conuenit illis ex habitudine, qua Deum vt causam efficiẽtem, aut exemplarem respiciunt, sed ratione habitudinis, qua Deum vt obiectum respiciunt, vt probatum, & explicatum relinquimus.

50 *Explicatio probatur ex D. Tho.* Et quod hæc sit mens D. Thomæ, manifestè probatur ex alia doctrina ipsius in eadem distinctione *q. 2. art. vnico ad 3. argumentum*, ibi: *Et ideo aduẽtus, & inhabitatio conuenit toti Trinitati, quæ non dicuntur, nisi ratione effectus coniungentis ipsi Trinitati, quamuis ille effectus ratione appropriationis possit ducere magis in vnam personam, quam in aliam.* Hæc D. Thomas: ex quibus habentur duo, primũ est adventum conuenire personis diuinis ratione donorum gratiæ, quia hæc dona coniungunt nos Trinitati personarum; sed vt ex D. Thoma vidimus, aduenium ad nos personæ, quia in nobis repræsentantur: ergo sentit dona gratiæ repræsentare personas in nobis, quia nos Trinitati cõiungunt; sed coniungunt nos Trinitati vt obiecto: ergo quod hæc dona tres personas repræsentent, conuenit illis ratione ordinis, quem dicunt obiectiuè ad tres personas. Secundũ quod habetur est, repræsentationẽ

vnius personæ prædicta conuenire donis gratiæ, non per se, sed ratione appropriationis; quia nempè donum sapientiæ, etsi à tota Trinitate exemplariter causetur, appropriatur tamen Filio. Et charitas, etsi á tota Trinitate proueniat effectiuè, & exẽplaritêr, appropriatiuè tamen attribuitur Spiritui Sancto; & consequenter cum docet Angelicus Doctor in his donis personas repræsentari secundum prædicata sibi propria, quia ab illis vt sic exemplantur, loquitur de repræsentatione his donis conueniente ratione appropriationis, & de causalitate exemplari, quæ licet communis sit tribus diuinis personis, & illis conueniens ratione prædicati communis, illis tamen in singulari appropriatur.

51 *Instabis*

Sed instabis: D. Thomas loquitur de repræsentatione personarum secundum sibi propria conueniente donis gratiæ, & repugnante donis naturalibus; sed repræsentare propria personarum ratione appropriationis conuenit naturæ donis: ergo non loquitur de repræsentatione donis gratiæ conueniente ratione appropriationis. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: ideô donum supernaturale sapientiæ appropriatiuè attribuitur Filio, quia est participatio sapientiæ diuinæ; quæ licet sit tribus personis communis, Filio tamen appropriatur; sed etiam sapientia naturalis creata est participatio sapientiæ diuinæ, & ab illa exemplata: ergo licet à tota Trinitate causetur, appropriatiuè tamen soli Filio attribuitur; & consequenter ratione appropriationis, propria Filij repræsentat.

52 *Resp.*

Respondeo concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem dicatur, repræsentationem, quæ per appropriationem conuenit dono creato, supponere in illo repræsentationem illi per se conuenientem alicuius prædicati diuini, quatenus est proprium Dei. Et quia donum supernaturale sapientiæ est formalis participatio sapientiæ diuinæ, quatenus diuina, & propria Dei est; & consequenter per se illam vt Dei propriam repræsentat, ideo appropriatur Filio, & ratione appropriationis propria Filij repræsentat. Idemque in dono infuso charitatis respectu Spiritus Sancti eadem ratione contingit. Sapientia autem naturalis creata non est formalis participatio sapientiæ diuinæ vt diuinæ, & prout est propria Dei, sed secundum rationem intellectiui, Deo, & creaturis communẽ, & ideô nec propriê, nec appropriatiuè repræsentare potest prædicata propria Filij. Vt enim propria Filij appropriatiuè repræsentaret, oportebat vt per se, & præcisa appropriatione repræsentaret prædicatum Deo proprium tribus personis commune. Quomodo autem fiet, quod prædicata Deo propria formaliter participentur à perfectionibus creatis, non est nostrum in præsenti explicare, sed tractatu de gratia Dei, vbi propriam sedem habet.

§. III.

Reijcitur sententia Gregorij.

SEcunda conclusio: *Non possunt mitti personæ diuinæ per solam acceptationem extrinsecã.* Ita 53 *Loquendo de fa-*

communiter Theologi. Et quidem loquendo de facto, & de possibili de lege ordinaria, nec ab ipso Gregorio nostra conclusio negatur, & merito, vt enim conclusione sequenti monstrabimus, non nisi media sanctitate mittuntur diuinæ personæ: homo autem de facto non sanctificatur per acceptionem extrinsecam, vel extrinsecum fauorem, sed per infusionem gratiæ, & donorum, vt constat ex Tridentino *sessione sexta de Iustificatione capite septimo*: ergo de facto, & de possibili de lege ordinaria non mittuntur diuinæ personæ per solam acceptationem extrinsecam, aut extrinsecum fauorem.

Ito non negatur à Gregorio.

54 *Arg. P. Suarez*

Quod autem nec de potentia absoluta mitti possint ad creaturam rationalem sine mutatione intrinseca illius, probat Suarez *libro 12. de Trinitate capite quinto numero tertio*, eo quod diuina persona non potest donari, aut mitti per intrinsecam denominationem suam, sed per extrinsecam: ergo si potest de nouo talis denominatio diuinæ personæ attribui, necessariũ est vt ex aliqua reali mutatione circa creaturam facta resultet. Consequentiam non probat Suarez, sed tamquam notam sine probatione relinquit, cuius alia ratio esse nequit, nisi quia vt noua realis denominatio consurgat, requiritur realis mutatio alicuius; sed ex parte Dei non potest mutatio intrinseca admitti: ergo vt in persona diuina detur ista denominatio de nouo, debet dari realis mutatio intrinseca in creatura: mutatio autem intrinseca non potest rationali creaturæ præstari ab acceptatione extrinseca, vt ex terminis est notum: ergo non potest etiam de potentia absoluta mitti persona diuina per solam acceptionem extrinsecam, aut extrinsecum fauorem.

55 *Redargui-*

Quæ ratio veram continet doctrinam, iudico tamen parum consequentêr ad propriam, illa vti P. Suarez. Quod probo: ipse namque alibi docet, & *capite citato numero quarto* admittit, posse Deum homini peccatum de potentia absoluta remittere sine aliqua forma intrinseca in illo recepta; & consequentêr sine mutatione peccatoris intrinseca. Ex qua doctrina ad hominẽ contra ipsum tale argumentum conficio: Deum homini peccatum dimittere non est denominatio intrinseca, sed extrinseca in Deo in sententia Patris Suarez, aliàs iuxta eius doctrinam non posset Deo de nouo cõuenire sine ipsius intrinseca mutatione; & tamen potest de nouo illa denominatio consurgere in Deo sine mutatione intrinseca reali facta in homine, cui peccatũ remittitur: ergo ex eo quod personam diuinam mitti non sit intrinseca, sed extrinseca denominatio in persona diuina, parum consequẽtêr ad sua principia, & doctrinam infertur à Patre Suarez non posse illam denominationẽ de nouo diuinæ personæ attribui sine reali mutatione creaturæ.

guitur inconsequentiæ in doctrina.

56 *Cõfirm.*

Quod amplius vrgetur: nam in casu remissionis peccati per benevolentiam extrinsecam, daretur de nouo in Deo vera, & realis denominatio, nempê remittentis peccatum; & tamen nec ex parte Dei condonantis peccatum, nec ex parte peccatoris, cui peccatum remitteretur, daretur mutatio intrinseca: ergo principium à nobis assumptum ad probandam consequentiam Suarez, quam ipse sine probatione reliquit, & quod necessarium est vt consequentia probetur, non est consequens ad eius doctrinam, nec iuxta illam est vniuersaliter verum; ac proinde parum consequenter ad suam ipsius doctrinam vsus est prædicta ratione ad probandum non posse personam diuinam mitti sine intrinseca mutatione creaturæ.

57 *Euasio excluditur 1.*

Si fortê dicatur; in casu remissionis peccati per beneuolentiã extrinsecam, etsi ex parte peccatoris non detur mutatio intrinseca physi-

ca,

ca, dari tamen mutationem moralem intrinsecam ; cum transeat de esse peccati quod est quid morale intrinsecum, ad non esse peccati. Et hoc sufficere vt de nouo in Deo resultet denominatio extrinseca condonantis peccatum. In contrarium obstat primo : nam iuxta hanc solutionem vt denominatio extrinseca de nouo resultet in Deo, non requiritur physica mutatio in creatura, sed sufficit intrinseca mutatio moralis: ergo ex eo quod personam diuinam mitti sit donominatio extrinseca in ipsa, male infert Suarez, quod vt de nouo personæ diuinæ attribuatur, necessarium sit vt ex aliqua physica mutatione circa creaturam facta resultet; sed mutatio, quam necessariam censet Suarez factã ex parte creaturæ, non moralis, sed physica est : ergo inconsequentèr ad propriam doctrinam ex illo principio infertur.

58 *Secũdo.* Obstat secundo : nam Gregorius docens posse de potentia absoluta mitti personam diuinam per extrinsecam acceptationem, non negat ex parte creaturæ mutationem moralẽ intrinsecam, sed potius illam vt necessariam admittit : ergo si mutatio moralis intrinseca ex parte creaturæ facta sufficit vt in Deo de nouo resultet denominatio realis extrinseca, ex eo quod mitti sit denominatio extrinseca in persona diuina, male contra Gregorium infertur nõ posse personam diuinam mitti per acceptationem extrinsecam. Consequentia est bona, & antecedens probatur : nam in sententia Gregorij, & aliorum asserentium, posse de potentia absoluta hominem iustificari per acceptationem, & beneuolentiam extrinsecam, etsi ex vi illius acceptationis non detur statim gloria; & consequentêr non mutetur homo mutatione intrinseca physica, ius tamen morale ad gloriam statim ex vi acceptationis ad illam confertur; & consequenter transit statim homo de non esse ad esse iuris ad gloriam : sed licet transitus iste non sit mutatio physica intrinseca, est tamen mutatio intrinseca moralis in sententia Gregorij : ergo cum docet Gregorius posse personam diuinam mitti per acceptationem extrinsecam, non negat ex parte creaturæ mutationem moralem intrinsecam, sed potius illam admittit.

59 *Secũdo redarguitur ex alia doctrina ipsi⁹.* Deinde principale assumptum probatur : nam in sententia Patris Suarez est possibile de potentia absoluta, quod intellectus creatus videat Deum sine lumine gloriæ, & sine omni forma creata perficiente ipsum intrinsicê, & intrinsicê immutante, per solam assistentiam extrinsecam omnipotentiæ diuinæ, qua sententia præsupposita, quæ communis est apud Patres Societatis, principale assumptũ probatur, quod scilicet Pater Suarez inconsequentêr ad propriam doctrinam prædicta ratione vtatur. Etenim in hac sententia, intellectum creatum esse potentem completê ad elicientiam visionis, est denominatio realis extrinseca; & tamen conuenit de nouo intellectui sine alicuius intrinseca mutatione : ergo sine consequentia in propria doctrina, ex eo quod diuinam personam mitti sit extrinseca denominatio in illa, infertur à Patre Suarez, non posse de nouo personæ diuinæ attribui sine intrinseca mutatione creaturæ. Consequentia est bona. Minor certa : nam dicta denominatio cõuenit de nouo intellectui creato in casu illo de potentia absoluta, per hoc solum quod Deus decernat cum illo ad visionem concurrere, absque eo quod in illo ponatur de nouo forma aliqua realis intrinseca ; sed sine forma noua intrinseca non potest dari intrinseca realis mutatio : ergo conuenit intellectui de nouo sine ipsius intrinseca mutatione; & consequenter sine intrinseca mutatione alicuius. Maior autem probatur : nam intellectus de se non est completê potens ad elicientiam visionis beatificæ; sed per assistentiam extrinsecam omnipotentiæ diuinæ redditur

potens completê: ergo eſſe potentê completê ad elicientiam viſionis eſt denominatio extrinſeca, vel ad minus, partim intrinſeca, & partim extrinſeca, quod intẽto noſtro ſufficit: ſi namque denominatio partim extrinſeca poteſt de nouo conſurgere ſine alicuius mutatione intrinſeca, idem erit de denominatione reali adæquatê extrinſeca dicendum, nec poteſt aſsignari ratio aliqua diſcriminis.

60 *Prob. 1. conc.* Quidquid autem de hoc ſit, probatur noſtra, & cõmunis ſententia primo. Vt enim concluſione ſequẽti mõſtrabimus, ſolum per gratiam ſanctifi cantem poſſunt diuinæ perſonæ mitti; ſed nec de lege ordinaria, nec de potentia abſoluta poteſt homo ſanctificari per extrinſecam acceptationem, aut per fauorem extrinſecam: ergo ratione illius non poſſunt mitti diuinæ perſonæ, etiam de potentia abſoluta. Maior concluſione ſequenti conſtabit, nec ſcio, quod à Gregorio negetur. Minor autem eſt cõmunis ſententia, & breuiter hac ratione ſuadetur: nam eſſe ſanctum ſanctitate poſitiua, eſt eſſe obiectum diuinæ dilectionis amicabilis cum potentia ad redamandum; ſed ratione acceptationis extrinſicæ nequit homo reddi potens redamare proximê, vel radicaliter: ergo ratione illius non poteſt homo ſanctificari ſanctitate poſitiua, etiam de potentia abſoluta. De quo videãtur Theologi 1. 2. *q.* 113. *art.* 2. vbi latê difficultas iſta diſcutitur.

61 *Prob. 2. ratione D. Tho.* Secundo probatur ratione inſinuata à D. Th. *in hac quæſt. artic.* 2. *ad* 2. tunc enim perſonæ diuinæ mittuntur ad creaturam rationalem per miſsionem inuiſibilem, cũ nouo modo eſſe incipiunt in illa, id eſt, modo aliquo reali, quo antea in illa non erãt; ſed nõ poſſunt incipere eſſe nouo modo in creatura rationali ſine mutatione intrinſeca illius: ergo nõ poſsũt ad illã mitti, quin intrinſicê mutetur; ſed per acceptationem extrinſecam non poteſt intrinſicê creatura rationalis mutari: mutatio enim intrinſeca eſt tranſitus de non eſſe intrinſeco ad eſſe intrinſecum, acceptatio autẽ extrinſeca eſſe intrinſecum nõ præſtat: ergo ratione illius non poſſunt perſonæ diuinæ mitti. Secunda cõſequẽtia ex prima bene colligitur, prima infertur ex præmiſsis. Maior cõſtat ex diffinitione miſsionis. Et minor probatur; quod enim Deus incipiat eſſe in creatura modo, quo antea non erat, prouenire debet ex intrinſeca mutatione, & intrinſeca nouitate alicuius; ſed ex parte Dei, nec mutatio intrinſeca, nec intrinſeca nouitas poteſt admitti: ergo quod nouo modo incipiat eſſe in creatura, debet prouenire ex intrinſeca mutatione creaturæ, & ex nouitate intrinſeca illius. Secundo probatur minor: nõ poteſt Deus incipere eſſe in creatura abſolutê, niſi creatura abſolutê mutetur, & tranſeat de non eſſe ad eſſe abſolutê: ergo nec poteſt incipere eſſe nouo modo in creatura, quin nouiter mutetur creatura; & conſequenter, quin de nouo formam aliquam intrinſicê immutantẽ recipiat.

62 *Reſp.* Reſpondebis: vt perſona diuina mittatur, ſufficere, quod incipiat eſſe in creatura rationali nouo modo nouitate morali, licet autẽ ex vi acceptationis extrinſicæ non mutetur phyſicê rationalis creatura, nec perſona diuina incipiat in illa eſſe nouo modo nouitate phyſica, mutatur tamen moraliter cum ex vi illius de nouo accipiat ius morale ad gloriã, quod ante acceptationem extrinſecã non habebat; & cõſequenter ex vi illius poteſt perſona diuina incipere eſſe in creatura rationali nouo modo nouitate morali. Ex quo vlterius ſequitur, poſſe mitti ad creaturã rationalem ratione acceptationis extrinſicæ.

63 *Sed contra primo.* Sed contra primo: nam ius illud fundatur adæquatê in acceptatione diuina, quæ eſt omnino extrinſeca rationali creaturæ; ſed moralitas, cuius adæquatum fundamẽtum extrinſecum eſt, non eſt intrinſeca, etiam in eſſe morali: ergo ius illud, etiam in morali cõſideratione eſt extrinſecũ;

& consequenter ratione illius non mutatur intrinsicè, nec physicè, nec moraliter creatura rationalis.

64 *Contra secundo*

Secundo: nam in vi acceptationis extrinsicæ ad gloriam, non pro nunc, sed alio tempore conferendâ, non possunt diuinæ personæ nûc mitti, sed ius resultans ex vi acceptationis extrinsecæ, non est ad gloriam nunc cõferendam, sed suo tempore: ergo ratione prædicti iuris non mittuntur personæ de facto, sed suo tempore mittentur, nempê quando gloria de facto conferatur. Maior cum consequentia tenet. Minor autê probatur: nam si in vi acceptationis extrinsicæ ad gloriam resultat in persona acceptata ius ad illam, etiam in vi æternæ prædestinationis, resultabit in prædestinato ius extrinsecum ad gloriam vt suo tempore conferendâ, quod ius extrinsecum non tollitur per peccatum mortale, sicut nec per illud efficitur, quod prædestinatus non sit; & tamen ratione istius iuris conuenientis prædestinato tempore, quo est in peccato mortali, non mittuntur personæ diuinæ ad illum: ergo ratione iuris nunc conuenientis ad gloriam, non vt nunc, sed suo tẽpore conferendam, non mittuntur nunc personæ diuinæ, sed mittentur pro eo tempore, in quo gloria conferatur.

65 *Tertio suadetur cõc.*

Tertio principaliter suadetur conclusio: vt enim conclusione præcedenti vidimus, & ex D. Th. monstrauimus, tunc procedunt, & mittũtur ad nos personæ diuinæ, cum secundum sibi propria repræsentãtur in nobis ratione suæ similitudinis in nobis receptæ; sed hoc implicat fieri sine mutatione intrinseca physica: ergo implicat personas diuinas mitti sine hac mutatione; & consequenter implicat, quod mittantur per solam acceptationem extrinsecã, vel extrinsecum fauorem.

66 *Minor ostenditur 1.*

Maiorem §. 1. monstrauimus. Consequentia tenet: & minor ostenditur primo: quia namque in exitu creaturarum à Deo procedit bonitas diuina ad illas, quatenus in illis repræsentatur ratione suæ similitudinis in creaturis receptæ, implicat bonitatem diuinam de nouo ad aliquam creaturam procedere sine mutatione intrinseca physica illius, videlicet recipiendo de nouo formam aliquam intrinsecam, per quam bonitas diuina de nouo participetur, & repræsentetur: ergo pariter implicat personas diuinas secundum sibi propria in nobis de nouo repræsentari, in quo illarum missio consistit, sine mutatione intrinseca physica.

Secũdo prob. minor.

Secundo probatur: nam forma repræsentans personas secundum sibi propria, non est moralis, sed physica: ergo implicat personas diuinas secundum sibi propria de nouo repræsentari sine illius receptione; & consequenter sine mutatione intrinseca physica.

67 *Deniq; prob. cõclusio.*

Denique probatur conclusio: vt enim §. 1. vidimus ex D. Thoma, & infra magis constabit: solum possũt mitti personæ diuinæ per dona, quibus Deo vt obiecto vnimur, & vt fini vltimo fruibili coniungimur; sed implicat vnio cum Deo vt obiecto, & coniunctio cum illo vt fruibili sine forma physica intrinseca: ergo implicat personas diuinas mitti per solam acceptationem extrinsecã, vel extrinsecum fauorem. Minor probatur: vniri cum Deo vt obiecto, & cõiungi cum ipso vt fruibili, est posse radicaliter, & proximé Deum in se obiectiuê attingere, & illo vt fine vltimo frui; sed hoc posse implicat haberi, nisi per formas physicas, & intrinsicê physicê inhærentes, vt alibi fusê ostendimus: ergo implicat vnio cum Deo vt obiecto, & cõiunctio cum ipso vt fruibili sine forma intrinseca physica.

§. IV.

Argumentis in contrarium occurritur.

68 *Arg.* 1. ARgumenta, quæ poſſunt fieri in fauorem Gregorij probando poſſe hominem ſanctificari ſanctitate poſitiua per extrinſecã acceptationem abſque aliqua forma intrinſeca, non eſt noſtrum in præſẽti referre: videantur Theologi 1.2. *quæſt.* 113. *art.* 2. vbi prædicta difficultas diſcutitur. Modô contra noſtrã cõcluſionẽ arguitur argumento Gregorij: quod per ſe, & ratione ſui donum eſt, poteſt immediate, & ſeclu ſo omni dono ab illo diſtincto dona ri; ſed Spiritus Sanctus per ſe, & ratione ſui eſt donum: ergo poteſt ratione ſui immediate, & ſecluſo dono ab illo diſtincto donari; & conſequẽter poteſt mitti ad creaturam rationalem ſine illius intrinſeca mutatione. Ex quo vlterius ſequitur poſſe diuinas perſonas mitti per acceptationem extrinſecam, & extrinſecum fauorem. Secunda conſequentia ex prima colligitur, non enim poteſt creatura mutari intrinſecê ſine forma intrinſece in illa recepta: ergo caſu in quo Spiritus Sanctus daretur, & mitteretur ad creaturam rationalem ſine omni dono creato in illo intrinſecê recepto, non mutaretur intrinſecê. Prima conſequentia ex præmiſsis infertur. Minor eſt D. Thomæ *ſupra quæſt.* 38. *art.* 1. & 2. Maior autem probatur: vt enim docet D. Thomas vbi proxime *art.* 1. *ad* 4. donum dicitur *in quantum habet aptitudinem vt poſſit dari.* Ex quo infert D. Thomas, *quod ab æterno diuina perſona dicitur donum, licet ex tempore detur*: ergo quod per ſe, & ratione ſui donum eſt, per ſe, & ratione ſui poteſt donari; & conſequenter donari poteſt ſecluſo omni dono ab illo diſtincto.

69 *Reſp.* Reſpondeo diſtinguendo maiorem: poteſt immediatê donari, ly *immediatè* excludente donum diſtinctum vt præſtans potentiam vt detur, & donabilitatem in actu primo, concedo maiorem: excludente donum diſtinctum vt neceſſarium vt actu detur, nego maiorem: & conceſſa minori, diſtinguo conſequens, diſtinctione maioris. Solum enim ſequitur poſſe Spiritum Sanctum immediatê donari, per excluſionem doni ab illo diſtincti vt dantis Spiritui Sancto aptitudinẽ vt detur, quod veriſsimum eſt; hoc enim habet Spiritus Sanctus ab æterno ex vi ſuæ proceſsionis, quo circa ab æterno eſt donum, quia ab æterno habet quod donabile ſit. Non autem ſequitur quod poſsit ſe ipſo immediatê donari rationali creaturæ per excluſionẽ doni ab ipſo diſtincti vt neceſſarij ad hoc vt creaturæ rationali detur. Et hoc modo aſſerit noſtra concluſio eſſe neceſſarium donum aliquod creatum, vt Spiritus Sanctus detur creaturæ rationali, & ad illam inuiſibiliter mittatur; donum enim gratiæ in creatura rationali receptũ non dat Spiritui Sancto aptitudinẽ vt detur, ſed ſolum eſt neceſſariũ vt de facto detur creaturæ rationali, & ad illam mittatur, eo quod vt de facto detur, neceſſarium eſt, quod creatura ad illum de nouo referatur vt datum, & habitum. Quæ noua habitudo cum non poſsit in mutatione Spiritus Sancti fundari, debet conſequi ad mutationem creaturæ, quæ ſine dono intrinſece in illa recepto nequit intelligi; & conſequenter, nec actualis donatio Spiritus Sancti, ſine prædicto dono ſaluari.

70 *Repl.* Sed dices: ſtat bene, quod creatura mutetur in donatione Spiritus

Sancti sine dono accidentali gratiæ intrinsece in illa recepto: ergo sine tali dono potest consurgere in creatura relatio ad Spiritum Sanctum vt datũ; & consequenter potest sine tali dono Spiritus Sanctus dari rationali creaturæ, & ad illam inuisibiliter mitti. Consequentia tenet ex doctrina solutionis. Antecedens autem probo, vt enim docet D. Thomas *3. p. quæst. 2. art. 7. in corpore*: relatio vniti, qua humanitas ad Verbum refertur, realis est ex parte humanitatis, & illius sequitur mutationem; & tamen vt docet idem D. Thomas *3. p. quæst. 6. art. 6. ad 1. & tertium argumentum*, inter humanitatem, & Verbum nihil datur mediũ, quod de dono accidentali mediante inter humanitatem, & Verbum accipiendum esse docuimus *tom. 1. in 3. p. disp. 11. num. 28.* ergo etiam in donatione Spiritus Sancti poterit creatura mutari mutatione fundante relationem ad Spiritum Sanctum vt datum, siue dono accidentali intrinsece in ipsa recepto, ratione solius vnionis cum Spiritu Sancto vt dato. *Confirmatur*, quia namque Verbum est ratione sui potens terminare humanitatem, fuit cum illa vnitum de facto vt terminus illam terminans, sine dono accidentali prævie in humanitate recepto; sed Spiritus Sãctus vt donũ, est ratione sui donabile rationali creaturæ: ergo potest de facto illi dari, sine dono accidẽtali in creatura rationali recepto.

71 *Resp.* Respondeo ad obiectionem, negando antecedens, loquendo vt loquimur de donatione Spiritus Sancti accidentali. Ad illius probationem concesis maiori, & minori, nego consequentiam: ratio autem discriminis est: nã vnio humanitatis ad Verbum est vnio substantialis in qua ex Verbo, & humanitate vna resultat persona, ideoque inter humanitatem, & Verbum non potest donum accidentale gratiæ mediare, sed solum modus substantialis vnionis, vnio autem naturæ rationalis cum Spiritu Sancto ex vi missionis inuisibilis est vnio accidentalis cum Spiritu Sancto, vt obiecto fruibili, ideoque relatio ad illum vt datum petit necessario fundari in mutatione facta per donum accidentale eleuante naturam rationalem, vt possit in Spiritum Sanctum tendere vt in obiectum fruibile.

72 *Ad obj.* Et ex his ad confirmationem respondeo distinguendo maiorem: præcisè ex illa ratione, nego minorem: & quia vnio Verbi vt terminantis, est vnio substantialis, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Ideo namque in vnione humanitatis cum Verbo excluditur donum accidentale prævie ad prædictam vnionem in humanitate receptum, quia est vnio substantialis inter cuius extrema non potest accidens prędicamentale mediare, vt loco proximè allegato explicuimus, fusiusque prosequuti sumus *tomo 2. in 3. p. disp. 30. §. 2.* vnio autem creaturæ rationalis cum Spiritu Sancto vt dato per missionem invisibilem, non substantialis, sed accidentalis est, vt cum obiecto cognito, & amato amicabiliter, & vt cum fine fruibili. Non autẽ potest sic creatura rationalis vniri cum Spiritu Sãcto, nisi eleuetur per gratiam, quæ est donum accidentale. Et ideo quamuis Spiritui Sancto conueniat ratione sui posse donari, hoc genere donationis, non potest de facto dari sine prævia mutatione facta per donum accidentale, non à quo Spiritus Sanctus constituatur in actu primo donabilis, sed vt sine quo non potest de facto dari. Dixi hoc genere donationis: nam alio genere, nempe per vnionem substantialem, potest Spiritus Sanctus dari sine dono accidentali prævie ad vnionẽ se habente, nempe si vt potuit de potentia absoluta contingere, de facto assumeret naturam rationalem in vnitatem personæ, tunc enim dona accidentalia non prævie, sed consequutiue ad illam vnionem se haberent, sicut de facto se habuerunt ad vnionem humanitatis cum Verbo.

73 *Secũdo arg.*

Secundo arguitur: ſequitur namque ex his, quibus noſtram concluſionem monſtrauimus, Spiritum Sãctum non venire ad humanitatem Chriſti, nec illi donari ex vi vnionis hypoſtaticê præuiê ad dona accidentalia, quibus fuit humanitas Chriſti exornata; conſequens eſt falſum: ergo ea quibus concluſionẽ oſtendimus ſunt inefficacia. Conſequentia eſt bona. Minor certa: nam Spiritus Sanctus venit ad creaturam rationalem per gratiam gratum faciẽtem, quia per illam ſanctificatur, vt ex dicendis conſtabit; ſed humanitas per gratiam vnionis redditur sãcta infinitê, vt fusé oſtendimus *tom. 2. in 3. partem tract. de gratia Chriſti d. ſp. 21.* ergo ex vi illius pro priori ad dona accidentaliter venit Spiritus Sanctus ad humanitatem Chriſti, & illi donatur. Sequela autem probatur: inde namque inter alia probauimus non poſſe Spiritum Sãctum mitti per extrinſecam acceptationem ſine donis gratiæ intrinſicê immutantibus rationalem creaturam; quia eatenus perſonæ mittũtur, quatenus repræſentantur per ſui ſimilitudinem in creatura receptam, quod per extrinſecam acceptationem nequit præſtari; ſed ex vi vnionis hypoſtaticæ non repræſentatur in humanitate Chriſti perſona Spiritus Sancti, cum non ſit ſimilitudo illius, nec ad illam obiectiuê terminetur: ergo ex doctrina, qua concluſionem monſtrauimus, ſequitur Spiritum Sãctum non mitti ad humanitatẽ Chriſti, nec illi donari ex vi vnionis hypoſtaticæ. Quod eſſe falſum probauimus, & eſt contra D. Th. *in 1. diſt. 15. quæſt. 2. art. vnico ad 4.* ibi: *Ad quartum dicendum, quod cum Pater ſit in Filio, & Filius in Patre, & vterque in Spiritu Sancto, quãdo Filius mittitur, ſimul venit, & Pater, & Spiritus Sanctus, ſiue intelligatur de aduentu Filij in carnem, cum ipſe dicat Ioannis 8. & nõ ſum ſolus, ſiue intelligatur de aduẽtu in mentem, cum dicatur Ioannis 14. ad eum veniemus, &c.*

74 *Reſp.*

Reſpondeo negando ſequelam. Ad illius probationem dicatur, cauſalem in maiori adductam eſſe veram loquendo de miſsione perſonarum, quæ fit ad puram creaturam per gratiam accidentalem; ſic namque eatenus mittuntur perſonæ, quatenus repræſentantur per formam illis aſſimilantem, & in eas obiectiuê inclinantem, nec alitêr ratione taliũ donorum poſſunt diuinæ perſonæ eſſe ſpeciali modo in creatura rationali. Humanitas autẽ Chriſti ex vi vnionis hypoſtaticæ non ſanctificatur per participationem ſanctitatis diuinæ, nec per donum aliquod accidentale, quod imitatiuê, & participatiuê ſit ſanctitas increata, ſed per ipſam diuinitatem mediante perſonalitate Verbi illi hypoſtaticê vnitam. Et ideô ex vi talis vnionis venit Spiritus Sanctus ad humanitatem Chriſti, non per præſentiam obiectiuam ratione doni repræſentantis Spiritum Sanctum, & ipſi obiectiuê vniẽtis humanitatem, ſed per realem, & phyſicam præſentiam ratione identitatis, quam Spiritus Sanctus habet cum diuinitate vnita humanitati, & illam ſe ipſa ſanctificante: ſi namque, quia Filius eſt in Patre, & Pater in Filio, & vterque in Spiritu Sancto ratione vnius, & eiuſdem eſſentiæ tribus perſonis communis, cum Filius venit in mentem, veniunt Pater, & Spiritus Sanctus, vt D. Thomas docet loco proximê citato: à fortiori cum Filius venit perſonaliter, qualiter venit ad humanitatem per realem præſentiam cum illa, neceſſariũ eſt, quod veniant Pater, & Spiritus Sanctus ratione identitatis in eſſentia Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Nec ex hoc infertur, Patrem, & Spiritum Sanctum fuiſſe incarnatos: Filius namque non dicitur incarnatus præcisê, quia eſt præſens humanitati, ſed quia eſt præſens vt illam terminans, ſuppoſitans, & perſonatam conſtituens. Quod Patri, & Spiritui Sancto non conuenit: licet enim ſint realiter humanitati præſẽtes ob realem identitatem, quam habent cum

Fi-

Filio in essentia, non tamen terminat humanitatem per proprias personalitates, nec ex illis, & humanitate resultat vna persona, sicut resultat ex Verbo, & humanitate.

§. V.

Explicatur effectus connotatus à missione diuinarum personarum.

75 *Tertia cõclusio*

TErtia conclusio: *Sclũ per gratiam gratum facientem dicuntur diuinæ personæ mitti missione propria, & simpliciter.* Ita, præter authores pro quarta sentẽtia allegatos, docent Beda, Bonauentura, Ricardus, Argentina, Ocham, Gabriel, & Marsilius relati à Salmãticensibus *tract. 6. de Trinitate disp. 19. dub. 4. num. 53.* Et probatur primo ex Augustino *lib. 3. de Trinitate*, relato à D. Thoma *in hac quæst. art. 3. in argumento sed contra*, vbi docet: *Quod Spiritus Sanctus procedit temporaliter ad sanctificandum creaturam*; sed missio Spiritus Sancti est illius temporalis processio: ergo iuxta Augustinum Spiritus Sanctus mittitur, cum creatura rationalis sanctificantur: *Cum igitur*, subsumit D. Thomas, *sanctificatio creaturæ non fit, nisi per gratiam gratum facientem, sequitur, quod missio diuinæ personæ non fit, nisi per gratiam gratum facientem.*

76 *Resp.*

Respondebis, consequentiam istã factam à D. Thoma, & ex Augustino illatam esse nullam: Augustinus enim non docuit Spiritum Sanctum solum procedere temporaliter ad sanctificandum creaturam, sed procedere temporaliter ad creaturam sanctificandam, cum quo rectè compatitur, quod ad aliud præstandum tẽporaliter procedat: ergo D. Thomas inferens ex propositione Augustini, solum mitti Spiritum Sanctum, cum procedit temporaliter ad sanctificandam creaturam; & consequẽter non mitti, nisi per gratiam gratum facientem, malam consequentiã facit, inferens, quod ex dicto Augustini non sequitur.

77 *Sed contra.*

Sed contra: nam propositio Augustini accipienda est in sensu exclusiuo, ita vt sensus fiat, Spiritum Sanctum solum procedere temporaliter, propriè, & absolutè, ad sanctificandam creaturam; sed sic accepta propositione Augustini, rectè ex illa infertur, solum mitti Spiritum Sanctum per gratiam gratum facientẽ: ergo accepta vt debet propositione Augustini, bona est consequentia D. Thomæ.

Maior ostenditur 1.

Maior, in qua sola est posita difficultas, ostenditur primo: nam D. Thomas illam in hoc sensu accepit; sed pro eruẽda mente Augustini, & illius sensu explicando, authoritas D. Thomæ debet iudicari sufficiens, nec melius, aut securius doctrinam Augustini sequemur, quam D. Thomæ inhærendo vestigijs, qui totus fuit in doctrina Augustini explicanda: ergo propositio Augustini est in prædicto sensu accipienda.

78 *Secũdo.*

Sed ne soli authoritati D. Thomæ innitamur. Secundo probatur maior ex alia propositione Augustini *lib. 15. de Trinitate cap. 17.* quod ita concludit: *Deus igitur Spiritus Sanctus, qui procedit ex Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum in dilectione Dei, & proximi, & ipse dilectio est.* Ex quibus sic arguitur: propositio ista Augustini vniuersalis est, & istum sensum facit, sẽper, atque Spiritus Sanctus datus fuerit homini, accendit eum in di-

lectionem Dei,& proximi;aliàs non debuiſſet Auguſtinus aſſerere, *cum datus fuerit homini* abſolutè, ſed cum datus fuerit ſpeciali donatione accendit eum,&c. & conſequenter intelligitur in ſenſu excluſiuo, ita vt numquam datus Spiritus Sanctus abſolutè dicatur,niſi in ordine ad foouendam, vel augendam charitatem Dei,& proximi : ergo etiam propoſitio illa Auguſtini : *Spiritus Sanctus procedit temporaliter ad ſanctificandam creaturam*,eſt in sẽſu excluſiuo accipienda,ita vt ſenſus fiat, non dici abſolutè Spiritum Sãctum temporaliter procedere , niſi ad ſanctificandam creaturam ; cum idem ſit Spiritum Sanctum dari,ac procedere temporaliter, & idem ſit accendi charitatem Dei,& proximi, & creaturam,vel ſanctificari de nouo,vel magis ſanctificari.

79 *Tertio prob.*

Terrio probatur ex alia doctrina Auguſtini *in eodem lib. cap.* 18. *in principio*, vbi de charitate loquẽs ſic ait: *Nullum eſt iſto dono Dei excellẽtius, ſolum eſt quod diuidit inter Filios regni,& Filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum Sanctum munera, ſed ſine charitate nihil proſunt, niſi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus Sanctus,vt eum Dei,& proximi faciat amatorem,à ſiniſtra , non tranſfertur ad dexteram. Nec ſpiritus propriè dicitur donum , niſi propter dilectionem, quam qui non habuerit,ſi linguis hominũ,& Angelorum ſonet , æramentum eſt, & cymbalum tiniens*: & paucis interpoſitis,ita concludit: *Quantum ergo bonum eſt ſine quo ad æternam vitam neminem bona tanta perducunt*, &c. Premenda ſunt illa verba;*nec Spiritus propriè dicitur donum,niſi propter charitatem*, quæ non ſunt accipienda de dono, prout in actu primo donabili,hoc enim ratione ſui conuenit Spiritui Sancto ab æterno,vt ſupra vidimus, docetque D. Thomas *ſupra quæſt.* 38. *artic.* 1. & 2. ſed de dono vt actu dato: ſentit ergo expreſsè Auguſtinus, quod quamuis per Spiritum Sanctũ plura alia munera dentur, ratione illorum non dicitur Spiritus Sãctus dari;ſed tunc ſolum dicitur Spiritus Sanctus propriè dari,cum per illum infunditur charitas : ergo etiam cũ docuit Spiritum Sanctum procedere temporaliter ad ſanctificandam creaturam,etſi ſenſum excluſiuũ non exprimat, eſt tamen in ſenſu excluſiuo accipiendus, ita vt ſenſus fiat, tunc ſolum propriè,& abſolutè dici Spiritum Sanctum procedere temporaliter,cum ad ſanctificandũ creaturam procedit, rectêque D. Thomas propoſitionem Auguſtini in ſenſu excluſiuo accipiens,intulit ex illa,ſolum ſecundum dona gratiæ gratum facientis,propriè mitti perſonas diuinas ad creaturam rationalem.

80 *Cõfirm.*

Et ex his efficaciter noſtræ concluſionis veritas ex Auguſtino deducitur. Tunc enim ſolum propriè mittitur Spiritus Sanctus miſsione inuiſibili ad creaturam rationalem,cum propriè dicitur ipſi dari Spiritum Sanctum ; ſed iuxta Auguſtinum, quamuis plura alia munera dentur per Spiritum Sanctum,vt fides,prophetia,gratia linguarũ,& alia; propriè tamen non dicitur Spiritus Sãctus donum, id eſt, datus rationali creaturæ,niſi propter dilectionẽ,hoc eſt , propter donũ charitatis, quod conſequitur ad gratiam ſanctificantem:ergo ſolum per gratiam,& charitatem dicitur Spiritus propriè temporaliter procedere , & mitti ad creaturam rationalem.

81 *Secũdo principaliter prob.*

Secundo principaliter ſuadetur concluſio:ſolum enim ſecundum illa dona mittuntur propriè perſonæ,ſecundum quæ veniunt ad creaturam rationalem,illamque inhabitant;ſed hoc ſecundum,ſolũ fit per dona gratiæ gratum facientis:ergo ſolum ſecundum illa mittuntur propriè perſonæ.Conſequentia eſt bona. Maior certa: nam miſsio eſt aduentus perſonæ diuinæ ad nos,adiuncta proceſſione: ergo ſolum ſecundum illa dona mittitur perſona procedens , ſe-

cun-

cundum quæ aduenit ad creaturam rationalem, & illam inhabitat. Minor autem probatur ex illis verbis Ioannis 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Vbi aduentus personarū ad manendum in nobis dilectioni attribuitur. Et 1. *ad Corinthios 6.* illis verbis: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis.* Ex quibus habetur Spiritum Sanctum in nobis vt in tẽplo habitare, templum autem Dei per sanctitatem efficimur. Vnde subdit Paulus: *Templum Dei Sanctum est, quod estis vos*: ergo ratione doni nos Sanctificantis habitat Spiritus Sanctus in nobis; & consequenter solum secundum dona gratiæ gratum facientis veniunt personæ diuinæ ad creaturam rationalem, illamque inhabitant.

82 *Resp.* Respondebis, his, & alijs testimonijs probari personas diuinas mitti propriẽ per gratiam gratum facientem, non autem probari, quod sine illa non mittatur, ac proinde nõ probatur exclusiua, quam continet nostra sententia, quod nempẽ solum per gratiam gratum facientem mittantur proprie personæ diuinæ ad creaturam rationalem; imo oppositum alijs testimonijs probatur, quibus dicitur Deum stare ad ostium, pulsare ad conuersionem, hoc enim est ipsum ad ostium cordis venire; & cõsequenter mittitur Spiritus Sãct⁹ per inspirationes supernaturales, quæ infusionem gratiæ præcedunt.

83 *Sed cõtra 1.* Sed contra primo: nam Scriptura dicens personas diuinas ad hominem diligentem venire, & in illo manere, etsi sensum exclusiuum non exprimat, illum tamen implicitẽ importat: ergo ex testimonijs Scripturæ allegatis, non solum sequitur Deũ venire ad nos per gratiam gratum facientem, sed etiam quod personæ diuinæ non veniant ad nos sine illa. Probatur antecedens: nam Scriptura id dicens, & aduentum personarum ad hominem ad manendum in illo dilectioni Dei attribuens, excellentiam dilectionis, & illius necessitatẽ intendit cõmendare; at nisi taliter dilectioni aduentum personarum attribuat, vt alijs donis à charitate distinctis, & cum illa inconnexis non neget personarum aduentum, non commendabit excellentiam dilectionis, & illius necesitatẽ; id enim quod pluribus est commune non commendat vnius pro alio dignitatem: ergo testimonia Scripturæ attestantia per dilectionem personas diuinas venire ad creaturam rationalem, licet sensum exclusiuum non exprimant, illũ tamen implicitẽ continent.

84 *Secũdo.* Contra secundo: nam verba ex Paulo allegata non exprimunt sensum exclusiuum; & tamen illum implicitẽ important: ergo etiam si verba Ioannis sensum exclusiuum non exprimant, illum tamen implicitẽ continent; & consequentẽr non solũ infertur ex testimonijs Scripturæ, quod veniant ad nos personæ diuinæ per gratiam gratum facientem, sed etiam quod non veniant ad nos sine illa. Maior constat: nam hæc propositio: *Templum Dei estis vos, & Spiritus Sanctus habitat in vobis*, est purẽ affirmatiua, nullam exprimens negationem: ergo testimonium Pauli non exprimit sensum exclusiuum, qui cum negatiuus sit, vt exprimatur expressionem negationis requirit. Minor autem probatur: qui namque assereret peccatorem in peccato mortali existentem esse templũ Dei, & in illo habitare Spiritum Sanctũ, testimonio Pauli se opponeret; sed nisi sensum exclusiuum implicitè saltim, contineat, ita vt nõ solum affirmet de homine iusto esse templum Dei, in quo habitat Spiritus Sãctus, sed etiam à ratione templi, in quo habitat Spiritus Sanctus, hominẽ in peccato existentem excludat, qui assereret hominem in peccato mortali existentem esse templum Dei, in quo habitat Spiritus Sanctus, non se opponeret testimonio Pauli: ergo accipi debet in sensu non purè affirmatiuo, sed etiam exclusiuo.

Et

85 *Vrgetur argumẽtũ præcedens.*

Et ex his confirmatur, & vrgetur argumentum præcedens: eteni n Spiritus Sanctus non dicitur propriê mitti, aut propriê venire, niſi ad eum in quo propriê dicitur vt in templo inhabitare; ſed ſolum in homine iuſto dici poteſt proprie Spiritus Sanctus vt in templo habitare: ergo ſolum ad hominem iuſtum dici poteſt propriê mitti, & propriê venire. Conſequentia eſt bona. Maior certa: nam his verbis aduentus, & miſsio Spiritus Sancti explicatur. Minor autem conſtat primo ex verbis ſupra allegatis ex Paulo: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*: ergo exiſtẽs in peccato mortali ſicut Sanctus dici non poteſt, ita nec dici templum Dei, aut Spiritus Sancti. Secundo ex illo ſapientiæ 1. *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum*; quicumque autem caret gratia gratum faciente pro ficto habetur, inquit D. Thomas *in* 1. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 2. *art.* 2. *in argumento* 1. *ſed contra*; & conſequentêr in illo Spiritus Sanctus nõ habitat, nec dici poteſt propriê in illo habitare. Tertio: nam de ſapientia diuina in eodem capitulo dicitur: *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Et Proue biorum 15. *Longe eſt dominus ab impijs*; ſed in illo à quo Deus longe diſtat, & in quo Dei ſapientia non habitat, non poteſt dici Spiritus Sãctus propriê habitare: ergo in homine in peccato mortali exiſtente, non poteſt dici, quod propriê habitet Spiritus Sanctus. Qua ratione vſus eſt D. Thomas loco vbi proxime in argumento ſecundo ſed contra, his verbis: *Spiritus Sanctus non procedit in aliquem, niſi quem inhabitat Deus, ſicut in templo ſuo; quia per Spiritum Sanctum efficitur quis templum Dei, prima Corinthiorum 6. ſed in nullo dicitur inhabitare Deus, niſi per gratiam gratum facientem: ergo ſecundum hoc donum tantum temporalis profeſsio Spiritus Sancti attenaitur.*

86 Nec audiendus eſt Arriaga *vbi ſupra ſec.* 4. *num.* 13. aſſerens, loca Scripturæ allegata accipienda eſſe de donatione, & habitatione completa, non autem de donatione, & habitatione, vera quidem, non tamẽ totali. Non inquam audiendus, nec ſuſtinendus eſt. Primo, quia propoſitio illa, qua dicitur de diuina ſapiẽtia, *quod non habitabit in corpore ſubdito peccatis*, eſt negatiua; & conſequentêr omnem propriam habitationem Dei reſpectu peccatoris excludit. Negatio enim iuxta principia dialecticæ, eſt ſignum vniuerſale: ergo aſſerere Deum in peccatore habitatione aliqua, quæ proprie ſit habitatio, quamuis incompleta ſit habitare, eſt prædictæ propoſitione contradicere.

Arriaga audiendus non eſt, 1.

87 *Secũdo reijcitur.*

Secundo: nam admiſso Deum habitare in homine exiſtente in peccato habitatione propria, licet incõpleta, admittendum etiam eſt hominem in peccato mortali exiſtentem eſſe verum templum Dei in aliqua templi acceptione propria, licet in completa; ſed hoc admitti nõ poteſt: ergo aſſerendum non eſt, Deum habitare in homine exiſtẽte in peccato habitatione incompleta, quæ propria habitatio ſit, in ſenſu in quo Theologi, Dei habitationem accipiunt. Conſequentia eſt bona. Minor certa. Tum, quia peccatorem eſſe verê templum Dei, in quo habitat Spiritus Sanctus, inauditum eſt apud Theologos, & pias aures offendens. Tum etiam, quia vt inquit Paulus 1. Corinthiorum 15. *Templum Dei ſanctum eſt*: ergo qui Sanctus non eſt, templum Dei dici non poteſt in propria templi acceptione, quamuis incompleta ſit, niſi etiam dicatur Sanctus Sanctitate incompleta, quæ propria ſanctitas ſit; & conſequenter ſimul cum peccato mortali admittatur ſanctitas propria incompleta. Maior autem, aut ſequela probatur. Tum à paritate rationis: ſi namque habitatio Dei in homine Theologice proprié accepta, diuiditur in habitationem completam, & incompletam, non eſt cur eſſe templũ Dei

non

non posſit ſimilem diuiſionem admittere,& duas habere acceptiones completam, & incompletam,quarũ vtraque ſit propria. Tum etiam : nã Dei habitatio dicit reſpectum ad templum :ergo ſi habitatio eſt duplex incompleta,nempè, & completa , & vtraque propria,dabitur etiã duplex templum in quo habitet , incomplectum nempè, & completum, & vtrumque propriè acceptum.

88 *Euaſio excludi tur 1.*

Si forte aliquis pro prædicto Authore reſpondeat, ipſum non aſſeruiſſe habitationem Dei in homine peccatore eſſe habitationem propriam,ſed eſſe veram habitationem; ac proindè ex eo quod propria in habitatio Dei in peccatore non detur, nihil contra illum conuinci. In contrarium obſtat primo: nam admiſſa vera Dei habitatione in homine peccatore , admitti etiam debet peccatorem eſſe verum templũ Dei, vt ex dictis facile colligi poteſt ; ſed dicere peccatorem eſſe verum templum Dei, inauditum eſt apud Theologos, & pias aures offendit:ergo admittenda non eſt habitatio Dei in hominè,quæ vera habitatio ſit in eo ſenſu,in quo Theologi de diuina habitatione loquuntur.

89 *Secũdo.*

Secundo:ad hoc enim author iſte illa diſtinctione vtitur,vt ſaluet perſonas diuinas mitti ſine gratia gratũ faciente ad hominem peccato mortali infectum:ſed miſsio perſonarum ad hominem infectum peccato,non ſolum eſt vera, ſed etiam propria in eiuſdem Authoris ſententia : ergo cum docet Deum habitare in homine in peccato mortali exiſtente,loquitur de habitatione, non ſolum vera,ſed propria. Patet conſequentia: nam ſi poſſet miſsio propria perſonarum ſaluari ſine propria habitatione,etiam poſſet miſsio vera , & propria ſubſiſtere ſine vera habitatione:ergo ſi vt ſaluet proprietatem miſsionis cenſet eſſe neceſſariam veram perſonarum inhabitationem in homine peccatore,cenſere debet neceſſarium eſſe,non ſolum veram, ſed etiam propriam inhabitationẽ perſonarum diuinarum in homine peccato mortali infecto.

90 *Tertio prob.*

Tertio principaliter ſuadetur concluſio: ſolum ſecundum illa dona mittuntur proprie ad nos perſonæ diuinæ,quibusDeo vnimur vt obiecto cognito, & amicabiliter ſuper omnia dilecto:ſed hæc vnio non habetur ſine gratia iuſtificante:ergo ſine illa non mittuntur perſonæ diuinæ proprie. Conſequentia eſt bona. Minor certa: vt enim cum communi ſententia docuimus tractatu de charitate, ſine gratia iuſtificãte non ſubſiſtit amicitia hominis cum Deo Authore ſupernaturali;& conſequenter ſine illa non vnimur Deo vt obiecto cognito,& amato amicabiliter.

Maior oſtenditur 1.

Maior autem eſt D. Thomæ *in 1. diſt.14.quæſt.2.art.2.* Et oſtẽditur primo ex alia doctrina Diui Thomæ *articulo citato ad 2. & in hac quæſt.art.5. ad 2.* vbi docet, miſsionem perſonarum attendi ſecundum illa dona , in quibus perfectè aſsimilamur perſonis diuinis in proprijs perſonarum. Quod vt ſupra explicuimus,intelligendum eſt, non de aſsimilatione cum perſonis in proprijs ratione ſui , ſed ratione prædicatorũ, quæ ſunt propria Dei, & appropriantur perſonis , vt donũ ſapientiæ aſsimilatur Filio, quia aſsimilatur ſapientiæ diuinæ,vt eſt propria Dei , & hæc apprropriatur Filio. Et donum charitatis participat amorem diuinum , vt eſt proprium Dei , & appropriatiue attribuitur Spiritui Sancto ; ſed his donis tendimus in Deum vt obiectum cognitum,& ſuper omnia amicabiliter dilectum,illique prout ſic vnimur:ergo miſsio perſonarum attenditur ſecundum dona illa, quibus Deo vnimur, vt obiecto cognito , & amicabiliter ſuper omnia dilecto.

91 *Secũdo.*

Secundo probatur maior : eatenus namque dicuntur perſonæ diuinæ ad nos mitti,quatenus nouo modo dicuntur in nobis exiſtere; Deum autem exiſtere nouo modo in creatura petit fundari in nouo modo vnionis creaturæ cum Deo;ſed nouus iſte

modus exiſtendi in creatura non fundatur in vnione creaturæ cum Deo, tanquam cum principio efficiente: nam ſuper iſtam vnionem fundatur communis modus exiſtendi Dei in rebus per eſſentiã, præſentiã, & potẽtiã: ergo petit fundari in vnione creaturæ rationalis cum Deo vt obiecto cognito, & amato; ſed nõ in vnione cũ Deo cognito, & amato imperfectê: ergo fundatur in vnione cũ Deo vt obiecto cognito amicabiliter ſuper omnia dilecto; & conſequenter miſsio diuinarum perſonarum ſolum attenditur ſecundum illa dona, quibus Deo vnimur vt obiecto ſic cognito, & ſic amato. Minor ſubſumpta probatur: vnio creaturæ cum Deo fundans iſtum nouum modũ exiſtẽdi Dei in ipſa, debet eſſe incompatibilis cum auerſione creaturæ à Deo, tanquam ab vltimo fine; cũ in creatura ſic auerſa non dicatur Deum exiſtere nouo modo, ſed longiſsimê ab illa diſtare. Proberuiorum 15. *Longè eſt Dominus ab impijs*; ſed vnio cũ Deo vt obiecto cognito, & amato imperfectê compati poteſt cũ auerſione à Deo, tanquam ab vltimo fine: ſecus autem vnio cũ Deo vt obiecto cognito, & amicabiliter ſuper omnia dilecto: ergo non illa, ſed iſta eſt, quæ fundat ex parte creaturæ nouum modum exiſtendi Dei in creatura petitum, & connotatum à miſsione perſonarum.

92 *Deniq; prob. cõcluſio.*

Denique probatur concluſio: ſolum enim ſecundũ illa dona mittuntur diuinæ perſonæ propriê ad creaturam rationalem, ſecundũ quæ propriê dantur, & ratione quorum ad Deum refertur vt ad habitum ab ipſa; ſed ſolum dantur propriê ratione donorum gratiæ gratum faciẽtis, & ſolum ratione illorum reſultat relatio ad Deum, tanquam ad habitum: ergo ſolum ſecundum hæc dona mittuntur propriê perſonæ ad creaturam rationalem. Conſequentia eſt bona. Maior certa: & minor oſtenditur primo ex Auguſtino *lib. 15. de Trinit. cap. 18. in principio*, vbi de Spiritu Sãcto loquẽs ſic ait: *Nec Spiritus propriè dicitur donum, niſi propter dilectionem, quam qui non habuerit, ſi linguis hominum loquatur, & Angelorum, ſonans æramentum eſt, & cymbalum tinniẽs.* Quæ verba, vt ſupra explicuimus, nõ ſunt accipiẽda de dono vt in actu primo, ſed de dono in actu ſecundo, prout actualiter dato, & de dilectione pro habitu charitatis, & gratiæ: ergo iuxta Auguſtinum, etſi plura dona, & munera à nobis per Spiritum Sanctum dentur, ſolum tamen ſecũdum donum charitatis, & gratiæ dicitur propriê ipſe Spiritus Sanctus dari.

Minor oſtenditur primo.

93 *Secũdo prob. minor.*

Secundo probatur minor: id enim datur, & habetur à nobis, quo poſſumus vti, vel frui: Deo autem vti non poſſumus: vnde eatenus datur, & habetur à nobis, quatenus illo poſſumus frui fruitione perfecta, vel imperfecta; ſed poſſe frui Deo ſolum conuenit nobis per gratiam gratum facientem: perfectê quidem per gratiam conſũmatam, imperfectê autem per gratiam viæ: ergo ſolum per gratiam gratum facientem dãtur nobis perſonæ diuinæ, & à nobis habẽtur; ac proinde per ſolã huiuſcemodi gratiam mittuntur perſonæ diuinæ propriê. Qua ratione vſus eſt D. Thomas *in hac quæſt. art. 3. Et in 1. diſtinct. 14. q. 2. art. 2.* illis verbis: *Dicendum, quod in proceſsione Spiritus, ſecundum quod hic loquimur, prout ſcilicet claudit in ſe dationẽ Spiritus Sancti, non ſufficit, quod ſit noua relatio qualiſcumque creaturæ ad Deum, ſed oportet, quod referatur ad ipſum, ſicut ad habitum, quia quod datur alicui, habetur aliquomodo ab illo: Perſona autem diuina non poteſt haberi à nobis, niſi vel ad fructum perfectum, & ſic habetur per donum gloriæ, aut ſecundum fructum imperfectum, & ſic habetur per donum gratiæ gratum facientis.* Et in hac 1. p. ſupra quæſt. 38. art. 1.

✠

§. VI.

Argumentis in contrarium occurritur.

94 *Contra conclusionem arg.*

COntra istam conclusionem arguitur primo: personæ diuinæ mittuntur proprie per fidem; sed fides non est donum gratię gratum facientis; cum sine charitate existere possit; & de facto multoties existat; manet enim in peccatore, gratia, & charitate destructis per peccatum mortale: ergo missio propria personarum non fit solum per gratiam gratum facientem. Maior, in qua sola est posita difficultas, ostenditur primo: inde supra contra Durandum ostendimus, non mitti personas diuinas secundum dona naturæ, quia per illa non repræsentantur propria personarum, nec ratione habitudinis ad Deum vt illorum causa, nec ratione habitudinis ad Deum tã quam obiectum; sed per fidem repræsentantur propria personarum ratione ordinis ad Deum tanquam obiectum, ratione cuius per se petit existentiam personarum, non solum vt vnum sunt in essentia, sed etiam prout inter se distinguuntur; & ideò in fide perfectè, & comprehensiuè cognita potest mysterium Trinitatis euidenter cognosci: ergo per illam, vel secundum illam mittuntur personæ diuinæ propriè.

Maior prob. 1.

95 *Secũdo.*

Secundo probatur: eatenus enim mittuntur personæ diuinæ, quatenus sunt in nobis nouo modo non contento intra generalem modum essendi Dei in rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam; sed per fidem sunt in nobis modo non contento intra istum modum generalẽ essendi, nempe, vt obiectum cognitũ à nobis, qui modus distinctus est ab illo generali modo essendi, & intra illum non contentus: ergo per fidem proprie mittuntur.

Tertio.

Tertio: vt enim docet Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 20. *Filius cum ex tempore mente percipitur, mitti dicitur.* Et infra in eodem cap. hæc habet: *Sicut enim natum esse, est Filio à Patre esse, ita mitti, est Filio, cognosci quod ab illo sit. Et sicut Spiritui Sancto donum Dei esse, est à Patre procedere, ita mitti, est cognosci quod ab illo procedat*; sed per fidem vere, & proprie cognoscitur, quod Filius, & Spiritus Sanctus à Patre procedunt: ergo vere, & propriè secundum illam, & ratione illius mittuntur.

96 *Resp. negãdo maiorem.*

Respondeo negando maiorem: loquendo de fide ratione sui, & vt præscindit, aut non includit formationem per gratiam. Ad primam probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam: vt enim probetur per dona naturalia non mitti personas diuinas, sufficit, quod per illa non repręsententur secundum sibi propria, quod necessarium esse vt mittantur, probauimus. Nam ex non conuenientia cuiuscũque requisiti ad missionem, rectè probatur non conuenientia missionis; ex hoc autem nõ probatur, quod cui conuenit personarum repræsentatio secundum illarum propria, conueniat quod per illud mittantur, quia licet requiratur non sufficit, sed aliud est necessarium, & quamuis ad sit vnum requisitum ad missionem, si deest aliud necessarium ad illam, deficit missio. Et quidem ex eo quod aliquid non sit animal, recte infertur nõ esse hominẽ, quia ad esse hominẽ necessariũ est esse animal. Ex eo autem quod de aliquo esse animal vere dicatur, non sequitur de illo dici esse hominem, quia ad esse hominem non sufficit esse animal, sed

aliud requiritur. Ita in præſenti, quia vt perſonæ mittantur, requiritur, quod ſecundum ſibi propria repræſententur, recte infertur non mitti per dona naturæ, quia per illa non repræſentantur propria perſonarum. Quia tamen hæc ſola repræſentatio ad miſsionem propriam perſonarum non ſufficit, fit conſequens, quod ex eo quod per fidem repræſentãtur propria perſonarum, non inferatur quod per fidem proprie mittãtur.

97 *Ad 2. prob. maioris*

Et ex his ad ſecundam probationem, diſtinguo maiorem: ly *eatenus* dicente aliquid requiſitum vt perſonæ diuinæ proprie mittantur, concedo maiorem: dicente omne quod neceſſarium eſt ad propriam perſonarum miſsionem, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam. Ex eo enim quod per fidem habeatur aliquid requiſitum ad miſsionem, non ſequitur quod ratione illius perſonæ proprie mittantur, ſi illi alia requiſita ad proprietatem miſsionis perſonarum non conueniant. Quod autem alia requiſita fidei informi non conueniant, ex proxime dicendis conſtabit.

98 *Ad 3.*

Ad tertiam probationem explico Auguſtinum, & diſtinguo maiorem: Filius mittitur cum mente percipitur cognitione inferente de ſe amorem, concedo maiorem: cognitione amorem non inferente, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nã licet per fidem cognoſcantur Filius, & Spiritus Sanctus, & cognoſcatur Filium, & Spiritum Sanctum à Patre procedere: quia tamen cognitio iſta non eſt ſemper cum amore coniuncta, nec illum infert in voluntate credentis; fit conſequens, vt per ſolam fidem non mittantur proprie Filius, & Spiritus Sanctus.

99 Ita D. Thomas *in hac quæſt. art. 5. ad 2.* ibi: *Filius autem eſt Verbum, non qualecumque, ſed ſpirans amorem. Vnde Auguſtinus dicit libro 9. de Trinitate cap. 10. Verbum autem quod inſinuare intendimus, cum amore notitia eſt; non igitur ſecundum quamlibet intellectus perfectionem mittitur Filius; ſed ſecundum talem inſtitutionem, vel inſtructionem intellectus, qua prorrumpat in affectum amoris, vt dicitur Ioannis 6. omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Et in Pſalmo: In meditatione mea exardeſcet ignis. Et ideo ſignanter dicit Auguſtinus, quod Filius mittitur cum à quoquam cognoſcitur, atque percipitur, perceptio autem experimentalem quandam notitiam ſignificat, & hæc proprie dicitur ſapientia, quaſi ſapida ſcientia, &c.* Hæc D. Thomas, ex quibus habetur, quod vt Filius, & Spiritus Sanctus mittantur, non ſufficit cognoſci quod à Patre procedant, ſed eſt neceſſaria talis cognitio, & talis inſtructio intellectus, qua voluntas inflãmetur, & in amoris affectum prorrumpat. Et quia cognitio fidei informis huius conditionis non eſt; ideò quamuis per illam cognoſcantur perſonæ ſecundum ſibi propria, & illarum proceſsio, non autem mittuntur propriè.

100 *Doctrina ratio aſsignatur.*

Ratio autem cur requiratur ad miſsionem Filij cognitio inferens amorem, inſinuatur hic à D. Thoma; quia nempe Filius eſt Verbum non qualecumque, ſed ſpirans amorem. Et expreſsius traditur à D. Thoma *in 1. diſtinct. 15. quæſt. 4. art. 1. in corpore, & ſolutione ad 1. & 3. argumentum*, ibi: *Dicendũ, quod quando aliquid participatur, non ſecundum ſuum actum perfectum, ſed ſecundum aliquem modum, non dicitur propriè haberi.* Et poſt alia ita ſubſumit: *Conſtat autẽ, quod in proceſsione Verbi æterni eſt cognitio perfecta ſecundum omnem modum, & ideo ex tali notitia procedit amor.* Et infert; *quandocũque igitur habetur cognitio, ex qua non ſequitur amor gratuitus, non habetur ſimilitudo Verbi, ſed aliquid illius; ſed ſolum tunc habetur ſimilitudo Verbi, quando habetur*

betur cognitio talis, ex qua procedit amor, qui coniungit ipsi cognito secundum rationem conuenientis. Et ideo non habet Filium in se inhabitantem, nisi qui recipit talem cognitionem; hoc autem non potest esse sine gratia gratum faciente. Vnde constat, quod simpliciter, & proprie loquendo, Filius nec datur, nec mittitur, nisi in dono gratiæ gratum facientis, sed in alijs donis, quæ pertinent ad cognitionem participatur aliquid de similitudine Verbi.

101 *Replic. 1.* Sed obijcies primo: quando habetur cognitio talis, ex qua procedit amor, mittitur Filius proprie, & perfectè, quia in tali cognitione perfectè participatur similitudo Verbi diuini, de cuius ratione est notitia inferens amorem; sed in cognitione ex qua non procedit amor, participatur similitudo Verbi propriè, licet imperfectè: ergo quando habetur talis cognitio, mittitur Filius proprie, licet imperfectè; & consequenter per fidem informem mittuntur proprie diuinæ personæ. Minor probatur, cognitio ex qua non procedit amor, est participatio propria notitiæ ex qua procedit Verbú in ratione notitiæ, licet non in ratione inferentis amorem: ergo ratione illius, & ratione doni, ex quo talis notitia procedit, habetur propriè similitudo Verbi, non perfectè, sed imperfectè.

102 *Secũdo.* Secundo cognitio creata ex se inferens amorem non participat perfectè similitudinem Verbi diuini; & tamen quando habetur, mittitur Filius propriè: ergo ex eo quod per cognitionem non inferentem amorem non participetur Verbum perfectè, male à D. Thoma infertur, non mitti proprie Filium, cum talis cognitio habetur. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: Verbum diuinum, seu notitia, ex qua procedit, essentialiter infert amorem; sed nulla cognitio creata infert amorem essentialiter: ergo nulla cognitio participat perfectè similitudinem Verbi diuini. Probatur consequentia: cognitio creata non inferens amorem, ideo non participat perfectè similitudinem Verbi diuini, quia non assimilatur illi in prædicato inferendi amorem, conueniente Verbo diuino; sed cognitio creata coniuncta cum amore, licet assimiletur Verbo diuino in prædicato inferendi amorem, non tamen assimilatur in essentialiter inferendo: ergo non participat perfectè similitudinem Verbi.

103 *Tertio.* Tertio: nulla est notitia in hac vita adeo perfecta, vt ad illam amor Dei necessario sequatur; solum enim per claram visionem Dei potest voluntas creata necessitari quoad exercitiũ actº, vt docet D. Th. *1. 2. q. 4. a. 1. & q. 10. art. 2.* sed perfectio Verbi diuini, & notitiæ ex qua procedit, non consistit in hoc, quod est cum amore coniũgi, sed in hoc, quod amorem infert necessario: ergo nulla est notitia in hac vita, illius similitudinem perfectè participans, sed ad súmum id conuenit visioni beatificæ; & consequenter si non mittitur Filius cum habetur cognitio non coniũcta cum amore, quia non participat perfectè similitudinem Verbi, per nullã cognitionem, habitam in hac vita, proprie mittetur.

Quarto Quarto, notitia ex qua Verbum diuinum procedit, est notitia intuitiua; & tamẽ vt habeatur, & propriè mittatur Filius, non requiritur notitia intuitiua Dei, aliàs non mitteretur proprie in hac vita per gratiam viæ, sed solum per gratiam consummatam in Patria: ergo ex eo quod in processione Verbi diuini sit notitia, ex qua procedit amor, non sequitur vt proprie mittatur Filius requiri talẽ notitiam, ex qua amor procedat, & quæ sit cum amore coniuncta.

104 *Denique; replic.* Denique; uam secundum notitiam, quam amor Dei necessario præsupponit, mittitur Filius; sed notitia, quam amor Dei necessario supponit, non est notitia habita per donum sapientiæ, sed per habitum fidei: ergo falsum est, quod docet

Diuus Thomas *in hac quæſt. art. 5. ad 2.* quod ſolum *ſecundum notitiam experimentalem, quæ ſapientia dicitur quaſi ſapida ſcientia*, mittitur Filius. Maior conſtat ex D. Thoma *in 1. diſtinct. 15. quæſt. 4. art. 2. ad finem corporis*, vbi probat miſsionem Spiritus Sancti eſſe connexam cum miſsione Filij, *quia amor ſequitur notitiam*; at niſi ſequatur notitiam, ſecundum quam mittitur Filius, ratio iſta eſt prorſus inefficax: ergo ſecundum notitiam, ad quam ſequitur amor, & neceſſario ſupponit, mittitur Filius. Et ex eodem Diuo Thoma, *in eodem articulo ſolutione ad ſecundum*, vbi docet, conſiderata miſsione *ex parte donorum, in quibus fit miſsio, quia notitia ſimpliciter naturaliter præcedit amorem, ex parte illa miſsionem Filij præcedere miſsionem Spiritus Sancti*; ſed niſi notitia, quæ naturaliter præcedit amorem ſit talis, vt ſecundum illam mittatur Filius, ex hoc quod notitia illa amorem præcedat, non ſequitur miſsionem Filij præcedere miſsionem Spiritus Sancti: ergo ſecundum notitiam, quam neceſſario ſupponit amor, mittitur Filius.

Maior prob. ex D. Tho.

Minor autem oſtenditur primo: nam fides in via præſtat idem reſpectu charitatis, quod lumen gloriæ facit in Patria; ſed charitas Patriæ regulatur viſione beatifica, quæ eſt actus luminis gloriæ: ergo charitas viæ regulatur per actum fidei; & conſequenter ſolus iſte actus neceſſario ad amorem ſupponitur.

106 *Minor prob. 1.*

Secundo: vt enim docet Diuus Thomas 2. 2. *quæſt. ne* 45. *articulo ſecundo, & quarto*, donum ſapientiæ ſupponit charitatem: ergo licet poſsit aliquis actus charitatis regulari per actum doni ſapientiæ, & illum ſupponere, non tamen omnis.

Secũdo.

Tertio, quia vt docet D. Tho. 1. 2. *quæſt. 68.* & communiter Theologi diſtinguẽtes dona à virtutibus, dona ordinantur ad actus extraordinarios, vel ad operandum iuxta inſtinctum Spiritus Sancti, & ſupra omnes regulas rationis etiam eleuatæ per gratiam; ſed actus charitatis vt communiter accidens, hac regulatione non indiget, ſed ſufficienter regulatur ratione vt eleuata per gratiam: ergo notitia, quam neceſſario ſupponit, non eſt actus doni ſapientiæ, ſed fidei. Denique, quia vt docet D. Thomas *in 1. diſtinct. 15. quæſt. 4. art. 1. ad 3.* notitia ad quã ſequitur amor, eſt illa qua intellectus verum accipit, non ſolum vt verum, *ſed vt conueniens, & bonum, ex qua cognitione*, inquit D. Thomas: *Niſi ſit aliqua reſiſtentia, ſequitur amor, & delectatio*; ſed fides tendit in Deum, non ſolum vt verum, ſed etiam vt conueniens, & bonum, vel poteſt vt ſic tendere per aliquem actum, cum non ſolum ſpeculatiua, ſed etiam practica ſit: ergo per notitiam elicitam ab habitu fidei ſufficienter regulatur amor, quin neceſſario ſupponat notitiam habitam per donum ſapientiæ.

107 *Tertio.*

Hæc ideo poſui vt mens D. Th. explicetur, quod in hoc puncto difficultate non caret, quia parum tritũ eſt, & doctrina iſta Angelici Præceptoris à nullo quem viderim tacta. Ad primam obiectionem reſpondeo, cõceſſa maiori, & permiſſa minori, negando conſequentiam: cum namque perfectio ad proprietatem requiritur, ex defectu perfectionis ſequitur defectus proprietatis. Sicut iſta conſequentia non tenet. *Iuſtificatio fit per infuſionem gratiæ; ſed per gratiam in ordine gratiæ perfectam, & propriam, qualis eſt gratia iuſtificans, fit iuſtificatio propria, & perfecta: ergo per gratiam proprie talem, licet imperfectam in ordine gratiæ fiet iuſtificatio propria, licet imperfecta.* Cuius ratio eſt, quia perfectio gratiæ ad proprietatem iuſtificationis requiritur. Et ideô gratia à perfectione gratię deficiens, etſi proprie

108 *Reſp. ad 1. inſtantiam.*

gra-

gratia sit, non potest iustificationem propriam imperfectam præstare. Ita in præsenti dicimus, consequentiam factã non tenere, quia ad proprietatẽ missionis requiritur perfectio participationis Verbi, id est, quod participetur secundum actum perfectum, hoc est, secundum rationem notitiæ, non solum tendentis in verum, qui est primus gradus cognitionis, vt inquit D. Thomas loco ex sententiarijs relato solutione ad 3. argumentum: *Sed verum accipientis vt conueniens, & bonum*, qui est secundus gradus cognitionis, *ex qua nisi sit aliqua resistentia, sequitur amor, & delectatio*, in quo gradu cognitionis est notitia secundum quam Verbum procedit, & húc gradum perfectionis attingere debet notitia intellectus, vt secundum illam Verbum propriè habeatur; & consequenter vt propriè Filius mittatur.

109 *Ad 2.* Ad secundam obiectionem, nego maiorem. Ad illius probationem concessis maiori, & minori, nego cõsequentiam. Ex his namque præmissis solum infertur, nõ assimilari perfectè Verbo diuino, quod verissimũ est; cum enim omnis perfectio creata infinitè distet à diuinis perfectionibus, nulla perfectio creata potest illis perfectè assimilari, non autem cõsequitur, quod cognitio amorem inferens non participet perfectè similitudinem Verbi: ad hoc enim non requiritur, quod assimiletur illi perfectè, sed quod sit similitudo perfecta participata, hoc est, intra lineam participatæ similitudinis perfecta sit, quod cõuenit prædictæ cognitioni, eo quod assimilatur Verbo illud participando secundum actum perfectum, consistentem in notitia inferente amorem, & cum illo coniuncta. Et sicut ista consequentia non valet; gratia iustificans participat perfectè similitudinem cum Deo in natura diuina sub conceptu naturæ: ergo assimilatur perfectè Deo in natura; ita non valet, notitia cum amore coniuncta participat perfectè similitudinem cum Verbo diuino: ergo assimilatur illi perfectè. Et ẽ contra, ex eo quod non assimiletur Verbo diuino perfectè, non sequitur, quod non participet perfectè similitudinem Verbi. Et ratio est: nam ad hoc secundum, solum requiritur perfectio intra lineam similitudinis participatæ. Ad primum autem requiritur similitudo perfecta absolutè.

110 *Ad 3.* Ad tertiam, concessis maiori, & minori, distinguo consequens: nulla est notitia in hac vita, Verbi similitudinẽ perfectè participans omni perfectione absolutè possibili, concedo consequentiam: perfectione possibili in statu puri viatoris, nego consequentiam. Itaque notitia secundum quam Verbum Diuinum procedit, attingit verum diuinum, non solum vt verum, sed etiam vt conueniens, & bonum, in quo, vt docet Diuus Thomas loco ex sententiarijs relato, gradus perfectus cognitionis consistit. Et in hoc illi assimilatur notitia in hac vita habita cum amore coniuncta; habet etiam notitia ex qua Verbum procedit verum diuinum intuitiuè, & clarè cognoscere; ex quo habet necessario amorem inferre. Et quia hoc secundum per nullam notitiam habitam in hac vita participari potest, sed solum per visionem beatificam; consequens fit, vt defectus participationis huius prædicati, quod est necessatio inferre amorem in voluntate, arguat quidem notitiam non inferentem necessario amorem, non participare similitudinem cum Verbo perfectam omni perfectione absolutè possibili; non autem, quod non participet similitudinem cum Verbo perfectam perfectione possibili intra statum viæ.

111 *Ad 4.* Et ex his ad quartam obiectionem respondeo, concessis maiori, & minori, negando consequentiam ob rationem proximè assignatam; quia nempe notitiæ non intuitiuæ Dei habitæ in statu viæ, non deest perfectio assimilationis cum Verbo pos-

ſibilis in hoc ſtatu, ſed ſolum deeſt perfectio abſolute poſsibilis, & extra ſtatum viæ communicabilis; ac proinde ex defectu intuitionis ſolum arguitur defectus miſsionis perfectæ ea perfectione, qua gaudet miſſio facta per gratiam conſummatam, non autem defectus miſsionis propriæ,& perfectæ perfectione poſsibili in via. Notitia autem non attingens verum diuinum vt conueniens, & bonum, cum amoreque non coniuncta,caret perfectione aſsimilationis cum Verbo poſsibili in ſtatu viæ, & ideo ex defectu huius perfectionis infertur defectus miſsionis Verbi propriæ,ideſt,quod ſecundum illam non mittatur proprie Verbum.

112 *Inſtabis*

Sed contra: vt ex defectu perfectionis in notitia arguatur defect⁹ miſsionis propriæ Verbi per illam, aut ſecundum illam,nõ ſufficit quod ſit defectus perfectionis in hac vita poſsibilis, ſed eſt neceſſarium,quod ſit poſsibilis,& debita miſsioni propriæ,& exacta ab illa;ſed non eſt ratio cur à miſsione propria exigatur aſsimilatio notitiæ cum Verbo in coniunctione cum amore,ſemel conceſſo non requiri aſsimilationem notitiæ cum Verbo in ratione intuitionis: ergo hoc conceſſo,concedendum etiam eſt, quod vt Verbum propriê mittatur, non requiritur notitia ſimilis Verbo in coniunctione cũ amore, hoc eſt, notitia cum amore coniuncta.

113 *Reſp.*

Reſpondeo,conceſſa maiori,negando minorem: ratio autem cur perfectio illa aſsimilationis cum Verbo in coniunctione cum amore à miſsione propria exigatur: ſecus autem aſsimilatio cum Verbo in ratione intuitionis, eſt,quia ad miſsionem perſonarum requiritur coniunctio cum Deo vt fine vltimo rationalis creaturæ;& conſequenter,vt per aliquam notitiam perſona Verbi mittatur, requiritur vt talis notitia cum Deo vt fine vltimo ſub ratione conuenientis coniungat. Et quia notitia non aſsimilata Verbo in coniunctione cum amore non coniungit cum vero diuino vt bono, & conueniente;& conſequenter,non coniungit cum Deo vt vltimo fine, fit vt ſecundum talem notitiam non mittatur Verbum,& quod à miſsione Verbi dicta aſsimilatio notitiæ cum illo exigatur, non autem aſsimilatio in ratione intuitionis, quia ſine hac aſsimilatione poteſt notitiæ competere, quod verum diuinum vt conueniens, & bonum percipiat, & cum Deo vt vltimo fine coniungat.

114 *Ad vlt. inſtãtiã*

Ad vltimam obiectionem,diſtinguo maiorem: ſumpta notitia per ſe ab amore ſuppoſita ſecundum ſuam entitatem præcisê, nego maiorem: ſumpta vt formata per gratiam, & & vt connaturaliter elicita, media gratia habituali vt principio radicali,concedo maiorem: & conceſſa minori,nego conſequentiam;cum enim docet D.Thomas ſolum ſecundum inſtructionem talem intellectus vt prorrumpat in amorem, quæ dicitur ſapientia,mitti proprie Filium, non excludit notitiam fidei vt formatam per gratiam, & in illa radicatam ab hoc,quod eſt Filium proprie mitti ſecundum illam, ſed ſolum notitiam fidei ſumptam ſecundum ſuam entitatem præcisê; quia cum ſic ſumpta poſsit eſſe informis, & reperiri in homine exiſtente in peccato, ſecundum illam ſic ſumptam non mittitur Filius; hoc enim ſufficit vt argumentum ſoluatur, quod de fide procedebat informi, vel de fide vt potente exiſtere in homine peccato mortali infecto. Et aliàs,ſic intellecta doctrina Diui Thomæ, ſubſiſtit, quod alibi docet de connexione miſsionis Filij,& miſsione Spiritus Sancti,& de præcedentia vnius miſsionis ad aliam miſsione ſumpta ex parte donorum: quod non poſſe verificari niſi ſecundum notitiam habitam per fidem ſecundum aliquam illius conſiderationem, Filius mittatur, efficaciter conuincitur, quibus minorem obiectionis factæ oſtendimus.

115 *Instabis primo.*

Sed instabis primo: Filius non mittitur secundum notitiam habitã per donum sapientiæ, nisi vt formatam per gratiam: ergo si mittitur secundum notitiam à fide elicitam, vt per gratiam formatam, nullum est discrimen inter vtramque notitiam, quoad hoc, quod est Filium mitti; & consequenter D. Thomas discrimen inter vtramque statuens à veritate discedit.

Secũdo.

Secundo: nam per omnem dilectionem Dei super omnia mittitur Spiritus Sanctus; sed non omnis dilectio supponit pro regula notitiam fidei formatæ, & in gratia radicatæ: dilectio namque vltimo ad iustificationem disponẽs, cum non supponat gratiam ad minus sub conceptu iustificantis, non potest per notitiã fidei, vt per gratiam formatam regulari, nec illam vt sic supponere: ergo per hoc, quod Filius mittatur secundum notitiam fidei, vt per gratiam formatam, non saluatur doctrina D. Thomæ probantis connexionem vtriusque missionis, & quod missio Spiritus Sancti supponit missionem Filij, quia amor naturaliter supponit notitiam.

116 *Resp. ad 1. replicam.*

Respondeo ad primam instantiã, concesso antecedenti, negando consequentiam: nam licet secundum vtramque notitiam vt formatam per gratiam Verbum mittatur, differenter tamen comparatur ad vtramque coniunctio cum gratia: nam ad lumen scientiæ infusæ, & ad illius notitiam comparatur, vt cum illis entitatiuè connexa, & ab eis secũdum suam entitatem exacta, ita vt nõ possint naturaliter, saltim existere siue gratia habituali, qua per peccatum destructa, destruitur donum sapientiæ, sicut charitas, quã supponit quoad suam entitatem destruitur. Fides autem, & notitia ab illa elicita non connectuntur quoad suas entitates connexione intrinseca cum gratia; cum destructa per peccatum gratia, non destruatur fides, sed maneat in peccatore; ac proinde, etsi mittatur Filius secundum vtramque notitiam vt coniunctam cum gratia, saluatur inter vtramque notitiam discrimen à D. Thoma statutum.

117 *Ad 2.*

Ad secundam, nego antecedẽs: nõ enim mittitur Spiritus Sanctus per dilectionem disponentem ad gratiã, & illam antecedẽtem, nisi solum dispositiuè, quatenus disponit ad gratiam vt iustificantem secundum quã veniunt ad nos omnes diuinæ personæ, & personæ procedentes mittuntur. Quod videtur colligi non obscurè ex illis verbis Ioannis 14. cap. *Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; vbi diligenti Deum aduentus personarum promittitur; & consequenter nõ habetur formaliter ex vi illius, sed solum dispositiuè, quatenus disponit ad gratiam, quatenus iustificantem, ratione cuius adueniunt ad nos personæ, & in nobis permanenter inhabitant.

118 *Doctrinæ ratio assignatur.*

Et ratio est, quia personæ eatenus veniunt ad nos, quatenus sunt in nobis vt obiectum cognitum, & amicabiliter dilectum; dilectio autem Dei non est amicabilis, quatenus antecedit gratiam, sed prout illam vt iustificantẽ supponit. Non enim est amicabilis, nisi vt terminatur ad Deum, quatenus nos redamãtem; Deus autem nos redamat secundum gratiam iustificãtem, per quam constituimur obiectum cõgruum diuinæ dilectionis ac proinde per dilectionem, vt antecedentem gratiam vt iustificantem, etsi ab eadẽ gratia vt auxiliante procedat, non veniunt, nec mittũtur personæ diuinæ, nisi solum dispositiuè: qualiter etiam veniunt ratione notitiæ, per quam regulatur dilectio; cum hac tamen differentia, quod notitia regulans non disponit ad gratiam vltimo ratione sui, dilectio autem vltimo ad illam disponit; & consequenter dilectio disponit vltimo ad personarum aduentum, notitia autem illam regulans non disponit vltimo ad illam, nisi ratione dilectionis adiunctæ.

§. VII.

Duplex obiectio ſupra remiſſa diluitur.

119 *Occurritur primæ obiectioni.*

EX dictis in ſolutione iſtius argumenti diluitur prima obiectio, quam *diſp. præcedenti §. 8. n. 166.* oppoſuimus contra rationē D. Thomæ probantis miſsionem Filij, & miſsionem Spiritus Sancti eſſe inter ſe mutuo connexas, ita vt sēper quod mittitur Filius, mittitur Spiritus Sanctus, & ê conuerſo; *eo quod amor ſequitur notitiā, & hæc quando perfecta eſt, ſemper inducit in amorem.* Contra quam rationem obiecimus primo: notitiā, quā neceſſario amor ſupponit, non eſſe ſapientiæ doni, ſed fidei; at ſecūdum notitiam à fide elicitam non mittitur Filius: ergo ex eo quod amor ſecundum quem mittitur Spiritus Sanctus, conſequatur notitiam, & illam neceſſario ſupponat, non probatur miſsionem Spiritus Sancti neceſſario ſupponere miſsionem Filij. Cui obiectioni reſpondetur ex dictis diſtinguendo minorem, illamque negando de notitia fidei vt coniuncta cum gratia, & illa mediante cōnaturaliter elicita, concedendo autem de notitia fidei ratione ſuæ entitatis præcisê. Et primum ſufficit vt ratio D. Thomæ concludat.

120 *Secūda obiectio diluitur*

Ex his etiam fit ſatis ſecundæ difficultati *num. 169.* contra ſecundam partem rationis D. Thomæ propoſitæ, cuius ſolutionem in hunc locum remiſimus. Difficultas erat: nulla enim notitia huius vitæ quātumcūque ſit perfecta, neceſsitat voluntatem quoad exercitium actus: ergo notitia perfecta ſecundum quam Filius mittitur, non eſt neceſſario connexa cum amore ſecundum quem mittitur Spiritus Sanctus; & conſequenter poteſt miſsio Filij ſeparari à miſsione Spiritus Sācti. Cui difficultati occurritur, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens; connexione neceſſaria neceſsitate phyſica, concedo cōſequentiam: neceſſaria neceſsitate morali, nego cōſequentiam. Nec D. Thomas docuit notitiam perfectam eſſe connexam cum amore neceſſario neceſsitate phyſica; ad hoc enim oportebat vt neceſsitaret volūtatem ad amorem, quod iuxta Angelici Præceptoris doctrinam, & communem Theologorum ſententiam, ſolum fit per viſionem beatificam. Vnde D. Thomas non dixit, quod notitia perfecta ſecundum quam mittitur Filius, inducit neceſſario amorem, ſed quod sēper in amorem inducit, quod longê diuerſum eſt, & ſolum denotat inter notitiam perfectam, & amorem connexionem moralem, quæ conſiſtit in hoc, quod licet poſsit oppoſitū euenire, regulariter tamen non accidat. Vnde *in 1. ſententiarum diſtinctione 15. quæſt. 4. art. 1. ad 3. argumentum*, loquēdo de notitia perfecta ſecundum quam Filius mittitur, ait eſſe illam: *Quæ verum accipit vt conueniens, & bonum, & niſi ſit aliqua reſiſtentia, ex tali cognitione ſequitur amor, & delectatio.* Sentit ergo Diuus Thomas poſſe prædictæ notitiæ reſiſti, & conſequenter non neceſsitare voluntatem ad amorem, nec cum illo eſſe neceſſario connexam phyſica neceſsitate.

121 *Obijcies*

Sed dices: ergo licet regulariter non mittatur Filius, quin etiam Spiritus Sanctus mittatur, poterit tamen oppoſitum euenire, & poterit in aliquo caſu mitti Filius ſine Spiritu Sancto; conſequens eſt falſum: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Falſitas conſequentis conſtat

ex

ex doctrina Diui Thomæ *in primo distinctione 15. quæstione 2. articulo vnico*, ibi: *Ad quartum dicendum, quòd cum Pater sit in Filio, & Filius in Patre, & vterque in Spiritu Sancto, quando Filius mittitur, simul & venit Pater, & Spiritus Sanctus, siue intelligatur de aduentu Filij in carnem, siue intelligatur de aduentu in mentem.* Vbi, vt clarè constat, quod vna persona adueniente, simul etiam aliæ veniant, fundat Angelicus Doctor in circũinsessione personarum ad inuicem ratione eiusdẽ essentiæ; sed circũinsessio vniꝰ personę ab alia est omnino necessaria: ergo quod vna persona veniat ad nos sine alia, est omnino implicatorium; & consequenter implicat, quod Filius veniat, & Spiritus Sanctus non veniat; sed aduentus Spiritus Sãcti est missio, cum sit personæ procedẽtis: ergo implicat mitti Filium, & Spiritum Sanctum non mitti.

122 *Sequela prob.* Consequentia, aut sequela probatur: Filius enim mittitur secundum notitiam perfectam, & Spiritus Sanctus per amorem; sed vt in solutione diximus, quamuis notitia perfecta semper, id est, regulariter in amorem inducat, potest tamen non inducere: ergo potest existere notitia perfecta, quin existat amor; & consequẽter potest mitti Filius, quin Spiritus Sanctus mittatur. Prima consequentia est nota. Secunda vero probatur: nam existente effectu connotato à missione Filij, mittitur Filius, & non existente effectu cõnotato à missione Spiritus Sancti, non mittitur Spiritus Sanctus; sed existente notitia perfecta sine amore, existit connotatum à missione Filij, & non existit connotatum à missione Spiritus Sancti: ergo si potest existere sine amore, potest Filius mitti sine eo quod Spiritus Sanctus mittatur.

123 *Resp. 1.* Huic obiectioni responderi potest primo, distinguendo consequẽs, & concedendo consequentiã de missione personarũ accepta appropriatiuè vt facta ratione actuum, negando autem illam de missione accepta propriè, vel accepta appropriatiuè ratione donorum permanentium. Et sub eadem distinctione minoris, negando consequentiã. Itaque vt *disp. præcedenti §. 8. docuimus*, missione accepta propriè, secundum quodcũque donum gratiæ gratum facientis adueniunt ad nos tres personæ, & personæ procedentes mittuntur, siue tale donum pertineat ad intellectũ, siue pertineat ad voluntatem. Vnde sic accepta missione, non potest vna persona mitti sine alia persona procedente, etiam de potẽtia absoluta. Et de illa sic accepta procedit doctrina D. Thomæ adducta in probationem minoris.

124 Potest etiam accipi appropriatiuè, qua ratione Filius mittitur secundum dona pertinentia ad intellectum, & Spiritus Sanctus mittitur secundum dona pertinentia ad voluntatem, quia priora dona, etsi à Trinitate procedant, appropriantur tamen Filio, & posteriora, etsi sint toti Trinitati communia, attribuũtur Spiritui Sancto appropriatiuè. Vnde iuxta connexionem, quæ inter hęc dona inuenitur, est constituẽda connexio inter missionem vt appropriatam Filio, & vt appropriatã Spiritui Sancto. Et quia esse radicaliter intellectiuum, & radicaliter volitiuum in gratia habituali essentialiter connectuntur; dona autem permanentia, & residentia in intellectu physicè connectuntur cum donis habitualibus perficientibus voluntatẽ, sicut potentiæ dimanantes ab anima physicè connectuntur, ita vt naturaliter separari non possint; fit consequens, vt facta appropriatione secundũ gratiam residẽtẽ in anima, secundum illã duplicem considerationem implicet missio vt sic appropriata Filio sine missione vt appropriata Spiritui Sancto. Prout autem appropriatio fit ratione donorum pertinentium ad intellectum, & voluntatem, non implicet separatio, sit tamen impossibilis physicè. Prout

autem appropriatio fit ratione actuũ perficientium intellectum, & voluntatem, quia inter iſtos actus non datur mutua phyſica connexio, nec phyſica inſeparabilitas, ſed tantum moralis, conſiſtens in eo quod licet phyſicè ſint ſeparabiles, numquam tamen ſeparentur, vel ſaltim regulariter non accidat ſeparatio, fit conſequens, vt inter miſsiones Filij, & Spiritus Sancti, prout illis ratione actuum appropriatas, non detur cõnexio, & inſeparabilitas phyſica mutua, ſed tantum moralis. Cum hac tamen differentia, quod Spiritus Sanctus, nec mittatur, nec poſsit mitti per amorem, nõ miſso per notitiam Filio, quia amor non poteſt exiſtere ſine præcedentia notitiæ, Filius autem mitti poterit ſine miſſione Spiritus Sancti per amorem actualem, quia notitia ſecundũ quam Filius mittitur poteſt poſsibilitate phyſica exiſtere ſine amore.

125 *Reſp. 2.* Secundo reſponderi poteſt negando ſequelam, etiam loquendo de miſsione appropriatiuê, appropriatione facta ratione actuum perficiẽtium voluntatem, & intellectum. Ad illius probationem, diſtinguo maiorem: Filius mittitur ſecundum notitiam perfectam vt actu inferentem amorem, & actu illum regulantem, concedo maiorem: ſine hac connotatione, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequẽtiam. Caſu enim in quo notitia perfecta exiſtat, & non ſubſequatur amor, etſi exiſtat entitatiuè notitia, & vt potens in amorem influere, illum regulare, & inferre, non tamen exiſtet vt actu inferens amorem, Filius autem non dicitur appropriatiuè mitti ſecundum notitiam perfectam ſumptam ſecundum ſuam entitatem præciſè, ſed ſumptam, vt de facto inferentem amorem, & conſequenter, quamuis exiſtat notitia, nõ exiſtet miſsio vt appropriata Filio ratione illius.

126 *Redditur ratio doctrinæ.* Ratio autem doctrinæ traditæ eſt: nam appropriatio miſsionis vni perſonæ præ alia, ſupponit requiſita admiſsionem propriè acceptam; ad hanc autem non ſufficit, quod ſint in nobis vt obiectum ſolummodo cognitum, ſed etiam vt obiectum amatum, vel radicaliter, qualiter ſunt in nobis per gratiam iuſtificantem in anima reſidentem, vel habitualiter proximè, qualiter in nobis ſunt per dona perficientia intellectum, & voluntatem, vel actualiter, qualiter in nobis ſunt per notitiam, & amorem: ſicut ergo non mitterentur per gratiam reſidentem in anima, niſi eſſet raditaliter intellectiua, & volitiua; nec per dona habitualia mittuntur propriè perſonæ, niſi ſimul ſumpta, & vt inter ſe connexa: ita non mittuntur propriè perſonæ per noticiam, & amorem ſeorſim, ſed ſimul ſumpta, & coniuncta; ac proiude connotatũ à miſsione appropriata Filio ratione actualis notitiæ, nõ eſt perfecta notitia ſeparatim ſumpta ab amore, ſed vt coniuncta cum illo, & vt actu amorem inferens.

127 Hæc videntur neceſſaria, ſuppoſito quod perſonæ diuinæ mittantur propriè, non ſolum ſecundũ dona permanentia, ſed etiam ſecundum actus donorum, & quod appropriatio miſsionis vni perſonæ præ alia, etiam ſecundum actus penſetur. Poteſt tamen obiectioni factæ *numero* 120. aliter occurri aſſerẽdo; perſonas non mitti propriè per actus, vel ratione illorum, ſed ſolum ratione donorum permanemtium, quod videtur, non obſcurè colligi ex illis verbis Ioannis 14. *Ad eũ veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, quibus aduentus perſonarum, & miſsio vt permanens ſignificatur, & conſequenter ſola dona permanentia importat de connotato; miſsio autem fit ratione effectus, quem connotat: ergo ſolum ſecundum dona permanentia fit miſsio. Deinde: nam miſsio perſonarum fit ad inhabitandum in nobis, & ſecundum illa dona ſecundum quæ nos inhabitant; ſed inhabitatio permanentiam importat; & conſequenter ſolum poteſt conuenire perſonis diuinis ratione

Aliter poteſt occurri.

doni permanentis : ergo ſolum ratione doni permanentis mittuntur.

128 Tertio ex communi modo loquendi Theologorum, qui ad nouã perſonarum miſsionem nouum augmentum gratię ſanctificantis, & donorum ipſam conſequentium requirunt, nec ſine hoc augmento nouam perſonarum miſsionem admittunt; ſi autem mitterentur ratione actuũ, daretur noua perſonarum miſsio ſine augmẽto gratię ſanctificantis; cũ iuxta doctrinam Angelici Præcepto ris, ſolum per actus intenſiores habitu præexiſtente, ſtatim augeatur gratia ; actus autem charitatis multoties repetuntur ſine hoc exceſſu intenſionis: ergo videntur ſentire non mitti propriè perſonas ſecundũ actᵘ donorum, ſed ſolum ſecundum illorum principia, quæ ſunt dona permanentia.

129 *Prob. ex D. Th.* Præterea probatur ex doctrina D. Thomæ *in 1. diſt. 15. q. 4. art. 1. in corpore*, illis verbis : *Vnde ſicut Spiritus Sanctus inuiſibiliter procedit in mentem per donum amoris, ita Filius per donũ ſapientiæ*; quibus miſsio vt appropriata perſonis attribuitur donis ſapientia, & amoris: amor autem, & notitia actualis non ſunt dona ſapientiæ, & amoris, ſed actus donorum. Quod magis explicat *ſolutione ad 1.* vbi vt ſaluet mitti Filium per donum ſapientiæ, docet ſufficere, quod in illo Filius repræſentetur, quamuis actu nõ cognoſcatur : ſentit ergo D. Thomas, miſsionem perſonarum non attendi ſecundum dona actualia. Nec obſtat D. Thomam non loqui excluſiuê, ſed ſolum affirmatiuê, ad quod ſufficit, quod mittantur perſonæ per dona habitualia, licet etiam per actᵘ mittantur propriè. Non inquam obſtat: nam cũ docet D. Thomas mitti Filium per donum ſapientiæ appropriatiuê, Spiritum Sanctum autẽ per donum amoris, in eodem ſenſu accipi debet, in quo accipitur cum docet perſonas diuinas mitti per dona gratiæ gratum facientis; ſed cum hoc docet, loquitur excluſiuê, vt cõſtat *ex artic. 3. huius quæſtionis*, ibi: *Nullus alius effectus poteſt eſſe ratio, quod diuina perſona ſit nouo modo in aliquo, niſi gratia gratum faciens*: ergo etiam cum docet Filium mitti ſecundum dona ſapiẽtiæ per appropriationẽ, loquitur in ſenſu excluſiuo.

130 *Eadem doctrina ab inconueniẽti prob.* Denique probatur : nam ſi per actũ charitatis mitteretur Spiritus Sanctus, etiam daretur per illum; cũ miſsio perſonæ diuinæ eiᵘ dationem includat; ſed Spiritus Sanctus per actum charitatis non datur : ergo per illum non mittitur. Probatur minor: ſi Spiritus Sanctus per actum charitatis daretur, ſequeretur hominem ſibi dare Spiritum Sanctum; conſequens eſt falſum: ergo Spiritus Sanctus per actum charitatis nõ datur. Falſitas conſequentis conſtat ex doctrina D. Thomæ *in 1. diſtinct. 14. quæſt. 3. art. vnico*, ibi : *Dicendum, quod nulla creatura poteſt dare Spiritum Sanctum, niſi ſolus Deus*, vbi D. Thomas docens nullã creaturam poſse dare Spiritum Sãctum, manifeſte ſentit, nec alijs, nec ſibi poſse aliquam creaturam Spiritum Sanctum dare; ſicut quia in eodem articulo docet, nullam creaturam poſſe principaliter gratiã cauſare, intelligitur non ſolũ negare efficientiam principalem gratiæ in extraneo ſubiecto, ſed etiam in ſe ipſa, vt poſsibilem cuilibet creaturæ negaſſe.

131 *Sequela prob.* Sequela autem probatur : inde namque probat D. Thomas nullam creaturam poſſe dare Spiritũ Sanctum, non ſolum ſecũdum quod datio, aut proceſsio temporalis Spiritus Sancti includit proceſsionem æternam, ſub qua conſideratione, *nulli dubium eſt*, vt ibi ait D. Thomas, quod Spiritus Sanctus nõ poſsit ab aliqua creatura procedere, ſed etiã ſecundum effectum temporalẽ, quem datio Spiritus Sancti connotat, eo quod nulla creatura gratiam gratũ facientem, in qua ſola Spiritus Sanctus datur, conferre poteſt. Quod triplici ratione ibi probat, quod idẽ

eſt,

eſt, ac probare nullam creaturã poſſe dare Spiritum Sanctum, quia nulla creatura poteſt gratiam gratũ facientem, in qua Spiritus Sanctus datur, principaliter cauſare; ſed actus charitatis cauſatur à nobis efficienter principaliter mediante habitu charitatis, aut medio auxilio voluntatem eleuante, vt fusè oſtẽdimus *tom. 1. in tractatu de viſione*: ergo ſi in actu charitatis datur Spiritus Sanctus, homo actum charitatis eliciens ſibi dat Spiritum Sanctum loquendo ex parte effectus temporalis, quem connotat datio, & temporalis Spiritus Sancti proceſſio.

132 *Cõfirm.* Quod amplius vrgetur: vt enim ibi docet Angelicus Præceptor, gratiam gratum facientem, in qua ſola datur Spiritus Sanctus, nulla creatura poteſt conferre, hoc eſt, principaliter efficienter cauſare: nam inſtrumentalem, & miniſterialem cauſationem gratiæ concedit D. Thomas Miniſtris Eccleſiæ in ſolutione argumẽtorum; ſed actus charitatis efficientêr principalitet cauſatur à voluntate creata vt eleuata per virtutem ſupernataralem: ergo in illa non datur Spiritus Sanctus; & conſequẽter in actu charitatis, vel ſecundum actum charitatis non mittitur; ſed ſolum datur, vel mittitur ratione gratiæ ſanctificantis, & habitus charitatis; & conſequentêr, nec Filius ſecundum notitiam actualem, quæ eſt actus intellectus datur, vel mittitur, ſed ſecundum dona habitualia intellectum perficientia, & gratiam reſidentem in anima, ad quam dona, & virtutes conſequuntur.

133 *Aliter occurritur dictæ difficultati.* Iuxta quam doctrinam occurritur præcipuæ difficultati *numero* 120. propoſitæ; quod licet notitia actualis, etiam ſi perfecta ſit, poſsit ſine amore exiſtere, habitus autem fidei vt formatus, & radicatus in gratia, à quo elicitur illa notitia, quam amor neceſſario ſupponit, non poteſt exiſtere ſine habitu charitatis, nec habitus charitatis in via exiſtere poteſt ſine habitu fidei, vt formato, & vt radicato in gratia. Cum autem D. Thomas probat, neceſſariam connexionem miſsionis Filij cum miſsione Spiritus Sancti, ex eo quod amor ſupponit notitiam, & hæc infert de ſe amorem, loquitur de notitia, & amore habitualibus, non autem de notitia, & amore pro actibus intelligendi, & amandi; ac proinde, licet notitia perfecta poſsit exiſtere ſine amore, non ſequitur poſſe miſsionem Filij exiſtere ſine eo quod Spiritus Sanctus mittatur, etiam accepta miſsione appropriatiuê. Quæ interpretatio ex verbis D. Thomæ colligitur, ait enim loco allegato: *Si autem tertio modo*, nempê, quãtum ad miſsionum ſeparationẽ, *tunc dico, quod vna miſsio numquam eſt ſine alia, quia amor ſequitur notitiam, notitia perfecta ſecundum quam eſt, & miſsio Filij ſemper inducit in amorem, & ideo ſimul infunduntur, & ſimul augmentantur*; infundi autem non dicitur propriê de actibus, ſed de habitibus: ergo loquitur D. Thomas de amore, & notitia habitualibus. An autem verum ſit ſolum mitti perſonas diuinas ſecundum habitus permanentes? ex infra dicẽdis conſtabit.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

134 *Primũ corollariũ probatur.* EX dictis colligitur primo, ad creaturas irrationales non poſſe fieri miſsionem inuiſibilem perſonarum diuinarum. Ita D. Th.

in

in 1. *distinct.* 15. *quæst.* 5. *art.* 1. *quæstiuncula* 1. *& in hac q. art.* 5. *ad* 4. cui omnes Theologi consentiunt, & patet: missio enim invisibilis fit solum in donis gratiæ gratum facientis, sed creaturæ irrationales sunt istius gratiæ incapaces: ergo ad illas nequit missio inuisibilis fieri. Quod amplius vrgetur: ad illos solos fieri potest missio inuisibilis, qui possunt tendere in Deum, vt in obiectum cognitum, & amatum, & qui possunt Deo frui; sed creaturæ irrationales non possunt sic tendere in Deum, nec Deo obiectiuè frui: ergo incapaces sunt vt ad illas missio inuisibilis fiat.

135 *Si opponas* 1. Si opponas primo: in nullo esse potest gratia, nisi ad illum fiat missio inuisibilis; sed in Sacramentis nouæ legis, quæ sunt irrationales creaturæ, est gratia: ergo ad illa fit missio inuisibilis; & consequenter ad aliquam creaturam irrationalé. Secundo: nam missio inuisibilis fit ad sanctificandum creaturam; sed aliquæ irrationales creaturæ dicuntur sanctificari, vt templum, & vasa sacra: ergo ad illas fit missio inuisibilis. Tertio, quod enim est capax illius, quod maius est, est etiam capax illius, quod est minus; sed creaturę irrationales sunt capaces vnionis substantialis cum Deo, vel cum personis diuinis; cum sint assumptibiles ab ipsis in vnionem suppositalẽ, quæ vnio maior est, quam vnio cum Deo vt obiecto: ergo sunt etiam istius vnionis capaces; & consequenter potest ad illas missio inuisibilis fieri.

136 *Resp. ad* 1. *obiectionẽ.* Ad primam obiectionem respondeo distinguendo maiorem: in nullo esse potest gratia, tanquam in subiecto per illam sanctificato, ad quem non fiat missio inuisibilis, concedo maiorem: vt instrumento, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiã. In Sacramentis enim est gratia vt in causa instrumentali, per quam Deus illam infert, non tamen vt in subiecto ad cuius sanctificationem gratia ordinetur: *Missio autem*, inquit D. Thomas in hac quæst. art. 5. ad 4. *Dicitur fieri respectu termini, vnde non fit ad sacramenta, sed ad eos qui per Sacramenta gratiam suscipiunt.*

137 *Ad* 2. Ad secundam, distinguo maiorem: sanctitate sumpta pro emundatione à peccato per gratiam, vel pro firmitate in bono, vel prout constituit subiectum obiectũ congruum diuinæ dilectionis amicabilis, concedo maiorem: sumpta pro accómodatione ad vsum diuini cultus, quem decet omnis munditia, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: missio enim pèrsonarum solum fit ad sanctificationem creaturæ, sumpta sanctificatione aliquo ex prædictis modis, ad quam sic sumptam, in tẽplis, & vasibus sacris capacitas non inuenitur: non autem ad sanctificationẽ sumptam pro accómodatione ad vsum diuini cultus, qualitẽr solum vasa, & templa dicuntur sanctificari. Ita Diuus Thomas *in* 1. *aistinct.* 15. *quæst.* 5. *articulo* 1. *ad* 1.

138 *Ad* 3. Ad tertiam, distinguo maiorem: quando minus includitur in maiori, aut supponitur ab illo, concedo maiorem: cum nec in maiori includitur, nec ab illo supponitur, nego maiorem, & sub eadem distinctione secundæ partis minoris, nego cõsequentiam. Nam vnio substantialis cum Deo fit per hoc, quod existat creatura illi vnita per existentiam, & subsistentiam diuinam. Et quia omnis creatura existens, & subsistens propria existentia, & subsistẽtia, potest per diuinam subsistentiã, & existentiam existere, quin ad hoc requiratur capacitas ad intelligendum, quæ necessaria est vt natura aliqua possit cum Deo vt obiecto vniri; fit consequens, vt capacitas ad vnionẽ substantialem cum Deo, nec supponat, nec includat in natura sic vnibili capacitatem vnionis cum Deo vt obiecto cognoscibili; ac proinde quod licet sit maior vnio, possit ca-

paciras ad illam sine capacitate ad aliam vnionem inueniri.

139 *Secũdũ corollariũ probatur quoad 1.p.*

Secundo colligitur, ad Patres veteris testamenti factam fuisse inuisibilem missionem, etsi non ita plenã loquendo communitêr, atque post incarnationem. Ita D. Thomas *in 1.distinct.15.quæst.5.art.2.* Prima pars constat ex dictis: missio enim inuisibilis fit in donis gratiæ gratum facientis; ordinaturque ad sanctificationem creaturæ rationalis; sed Patres veteris testamenti fuerint sanctificati per gratiam: ergo ad illos fuit facta inuisibilis missio. Nec obstat, quod dicitur Ioannis 7. *Nondũ erat spiritus datus: id enim intelligitur*, inquit Diuus Thomas in hac quæst. art. 6. ad 1. *de illa datione cũ signo visibili, quæ facta est in die Pẽtecostes*, per hoc autem non excluditur missio inuisibilis Spiritus Sancti ad illos sine signo exteriori manifestante inuisibilem missionem. Vel intelligitur de missione ita plena, sicut per Incarnationem est facta, vt explicat Augustinus *lib.4. de Trinitate cap.20.* vbi explicans prædicta verba Ioannis sic habet: *Quomodo hoc intelligitur, nisi quia illa datio Spiritus, vel missio futura erat, qualis numquam ante fuerat? Non enim antea nulla erat, sed non talis erat.*

140 *Secũda pars probatur.*

Secunda pars probatur à D. Thoma vbi proximê: *Qui enim sunt magis parati ad gratiæ perceptionem, pleniorem gratiam consequũtur, sed per aduentum Christi totum genus humanum factum est paratius ad perceptionem gratiæ, quam ante. Tum propter solutionem pœnæ, & victoriam diaboli. Tum etiã propter doctrinam Christi, per quã clarius innotescunt nobis diuina: ergo loquendo communiter plenius facta est missio per Incarnationem, quam ante.*

141 *Obijcies*

Sed dices: aptitudo ad percipiendam gratiam iustificantem præstatur per gratiam auxiliantem; sed gratia auxilians eadem est respectu antecedentium, & subsequentium Christum: ergo eadem est aptitudo; ac proinde post aduentum Christi non sunt homines magis parati ad perceptionem gratiæ iustificantis, quam ante. Probatur minor: eadem est causa merens gratiam auxiliantẽ antecedentibus, & subsequentibus Christum, nempê eadem merita, & eadem passio Christi: supponimus enim frequentem sententiam Theologorum asserẽtiũ, Christum meruisse antiquis Patribus gratiam, & remissionem peccati. Quam fusê ostẽdimus *Tom.1. in 3.partem disp.13. §.4. & 5.* ergo eadem est gratia auxilians respectu antecedentium, & respectu subsequentium Christum.

142 *Resp.*

Respondeo, concessa maiori distinguendo minorem: est eadem gratia auxilians quantum ad speciẽ gratiæ, concedo minorem: eadem quoad abundantiam, nego minorẽ, & consequentiam. Ad probationem minoris, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, distinguo antecedens: eadem est cum eodem modo existendi, nego antecedens: cum diuerso modo existendi, concedo antecedens, & nego consequentiam. Nã mors Christi causauit antiquorũ Patrum gratiam vt existens in præuisione diuina; subsequentium autem gratiam causauit vt iam præexistẽs. Modus autem connaturalis causæ meritoriæ est causare vt præexistens in re. Vnde antiquorum Patrũ gratiam causauit sine modo existendi debito causæ merenti: gratiam autẽ subsequentium causauit cum modo connaturali debito causæ meritorię, causa autem gaudens modo connaturali, & debito aptior est ad vberiores effectus causandos, quam sub modo essendi non connaturali. Et ideô, etsi fuerit eadẽ causa meritoria gratiæ antecedentium, & subsequẽtium Christum, vberiorem tamẽ gratiam in his, quam in illis causauit.

143 *Solutio est D. Tho.*

Quæ doctrina est expressa Diui Thomæ *quæst.29. de veritate art.4. ad 10.* illis verbis: *Dicendum, quod quia non erat meritum Christi in*

actu, nec satisfactio ante incarnationem, ideò non erat tanta gratiæ plenitudo sicut post; quæ ratio accipienda est vt congruentia ad hoc, quod Deus hominibus succedentibus Christum vberiorem gratiam contulerit, quam illis, qui Christum antecesserunt; nam ratio à priori est voluntas Dei vberiorem gratiã largentis, & voluntas Christi applicantis sua merita pro vberiori gratia largienda his, qui post aduentum Christi extiterunt, quam existentibus ante. Et quidem eadem Christi passione fuerunt antiqui Patres redempti, qua & nos redempti sumus; & tamen ante aduentum Christi non fuit ianua cæli aperta intuitu passionis præuisæ vt futuræ, quæ tamen aperta fuit intuitu eiusdem passionis vt præexistentis in re, & prætij pro peccato iam soluti. Quod licet à priori ex voluntate Dei, & voluntate Christi ortum duxerit; non tamen negari potest aliqua ex parte passionis Christi congruitas ad prædictam differentiam, sumpta ex diuerso modo existendi. Id nos dicimus quoad vberiorem gratiam succedentibus, quam antecedentibus Christum concessam.

144 Addit tamen D. Thomas loco allegato ex sẽtẽtiarijs in fine corporis articuli: *Quod quantum ad aliquas speciales personas est in veteri testamento plenissima facta missio secundum perfectionem virtutis, quod tamen de plenitudine Christi acceperunt in quantum in fide mediatoris saluati sunt secundum Augustinum.* Et solutione ad 2. docet: *Quod Sancti veteris testamenti dupliciter possunt considerari: vel quantum ad gratiam personalem, & sic per gratiam mediatoris consequuti sunt gratiam æquè plenam, his qui sunt in nouo testamento, & multis plus, & multis minus. Vel secundum statum naturæ illius tẽporis, & sic cum adhuc continerentur obnoxij diuinæ sententiæ pro peccato primi parentis, nondum soluto pretio, erat in eis aliquod impedimentum, vt non ad eos ita plenè missio fieret, sicut fit in nouo testamento per traductionem in gloriam, in qua omnis imperfectio naturæ amouetur.* Quæ doctrina intelligenda est non de diuina sententia quantum ad pœnam æternam, hæc enim remissa culpa dimittitur, sed quantũ ad detentionẽ ad ingressum in gloriam, quę pœna tẽporalis erat, & duratura vsque dum per mortem, & merita Christi, & solutionem pretij pro peccato primi parentis in re exhibitam, Cœlorum ianuæ illis, & nobis aperirentur. Et in hac missione personarum, quæ maxima est, & fit per traductionem in gloriam, status naturæ post aduentum Christi, excedit statum naturæ illius temporis, quo durante nullus fuit ad gloriam traductus; & consequenter ad nullum quantumuis Sanctum illius status fuit facta missio personarũ per gratiam consummatam, & traductionem ad gloriam, *in qua omnis imperfectio naturæ amouetur.*

145 *Ad eximiè Sanct s noui testamẽti plenior miss sio facta est.*

Non autem determinat D. Thomas, loquendo de missione personarum secundum gratiam viæ, qui excesserint absolutè in missionis plenitudine. Et videtur consequenter ad illius doctrinã, dicendum, quod licet plures Sancti veteris testamenti excesserint in gratia personali plures Sanctos testamenti noui; & consequenter ad illos plenior facta fuerit personarum missio, facta tamen cõparatione inter viros eximiæ sanctitatis vtriusque status, Sãcti noui testamenti, Sanctos veteris testamenti excesserunt in gratia; & consequenter in plenitudine missionis inuisibilis.

146 *Prob.*

Vnde Chrisostomus *homilia 8. de laudibus Pauli*, illum omnibus veteris testamenti Sanctis præferens, ait: *Cui te, ò Beate Paule, iustorum veteris testamenti, vel noui audeam comparare? Omniũ quippè virtutem, quasi in arca quadã, sed cum multo prorsus cumulo cõdidisti.* Et D. Thomas super illud ad Romanos 8. *Nos primitias spiritus*

habentes, ſic ait: *Apoſtoli præferendi ſunt omnibus ſanctis qualitcunque prærogatiua præfulgeant, ſiue virginitatis, ſiuè doctrinæ, ſiuè martyrij, tamquam abundantius Spiritum Sanctum habentes.* Et ſuper illud ad Epheſios 1. *Secundam diuitias gratiæ eius*, ſic ait: *Ex quo apparet temeritas illorum, ne aicã error, qui aliquos Sanctos præſumunt æquiparare Apoſtolis in gratia, & in gloria.* Et Gloſſa ſuper illud: *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram*, ſic habet: *Beatæ Virgini nulla mulier comparatur, ſicut nec aliquis Sanctus potes Apoſtolis comparari.*

147 *Ratio cõgruentiæ aſſignatur*

Cuius ratio, vel congruentia eſt: quanto enim magis aliquid appropinquat ſuo principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius; Chriſtus autem ratione diuinitatis eſt principium effectiuum gratiæ, & ratione humanitatis vt diuinitati coniunctæ, & ab illa dignificatæ eſt principium meritorium, & origo omnium gratiarum, Ioãnis 1. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*; ſed nullus fuit, præter Virginẽ, huic principio proximior, quam Apoſtolorum Collegium, qui à Chriſto immediatê edocti ſunt, de his quæ ad vitam pertinent ęternam, Ioannis 15. *Vos autem dixi amicos: quia omnia, quæ audiui à Patre nota feci vobis*: nullus ergo, præter Virginem, ita abundantêr, ſicut Apoſtoli de Chriſti plenitudine gratiam accepit.

148 *Quatuor modi plenitudinis*

Vnde Albertus ſuper illud Actuũ Apoſtolorum: *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*, &c. ait: *Quadruplex eſt plenitudo Spiritus Sancti. Prima eſt efficientiæ, quæ ſola fuit in Chriſto, de qua Ioannis 1. de plenitudine eius omnes accepimus. Secũda eſt excellentiæ, quæ ſola fuit in Maria, de qua Lucæ 2. Aue gratia plena. Tertia eſt ſufficientiæ, qua pleni ſunt omnes Sancti, de qua Lucæ 1. & Zacharias Pater eius impletus eſt Spiritu Sancto. Quarta eſt abundantiæ, quæ fuit in Apoſtolis, qui præ cæteris fuerunt pleni. Vnde ex hoc nullus poteſt Apoſtolis æquiparari.*

149 *Monentur Præaicatores.*

Quam doctrinam præ oculis habere deberent Euangelici noſtri tẽporis Oratores, qui ſuo muneri ſatisfacere non cenſent, niſi eum cuius Laudes prædicant, Apoſtolis præferant, Virgini Beatiſsimæ æquiparent, & quod magis eſt cum Chriſto comparare præſumant: propoſitiones ſatis duras, quas præferunt quibuſdam frivolis limitationibus lenientes, qui vt vulgi demulceant aures, & admirationem captent, cenſuram D. Thomæ, non ſine ſapientum nota, incurrere non recuſant.

150 *De plenitudine miſſionis ad Beatiſsimã Virginem.*

Et ex tradita doctrina probatur, Apoſtolos in plenitudine miſsionis perſonarum præferendos eſſe omnibus antiquæ legis Patribus. Plenitudo enim miſsionis perſonarũ diuinarum penſatur penes gratiæ plenitudinem, ſed in hoc exceſſerunt Apoſtoli, omnes Sanctos veteris teſtamenti: ergo etiam exceſſerunt illos in miſsionis plenitudine. Ex quo per bonam conſequentiam infertur, factam fuiſſe ad Beatiſsimam Virginẽ pleniorem perſonarum miſsionem, quam ad omnes Sanctos noui, & veteris teſtamenti, & ad omnes Angelos, non ſolũ diuiſiuê, & ſigillatim, ſed etiam collectiuê, & ſimul ſumptos. Quod ex eadem ratione probatur: plenitudo enim miſsionis perſonarum penſanda eſt penes plenitudinem gratiæ, ſed in plenitudine gratiæ, virtutum, & meritorum exceſsit Beatiſsima Virgo omnes puras creaturas, etiam ſumptas collectiuê, ita vt de illa vt cum omnibus collectim comparata verê dicere poſsimus, quod Chriſoſtomus, præ nimio in Paulum affectu, de illo vt cum ſingulis comparato prædicauit: etiam ſi contra te, ô Beatiſsima Virgo, aliquis, iuſtorum appendat chorum, inueniet trutinam virtutum ponderibus à tua parte depreſſam; id enim poſsibile fuit, & dignitatem Matris decebat: ergo plenior perſonarum

miſsio

missio facta fuit ad Beatissimã Virginem, quam ad omnes homines, & Angelos, non solum diuisiuê, & figillatim, sed etiam collectiuê, & simul sumptos.

151 *Tertiũ corollarium.*

Tertio colligitur, ad humanitatem Christi factam fuisse duplicem missionem personarum in instanti conceptionis: vnam ratione sanctitatis substantialis; aliam ratione accidentalis, postea tamen numquam fuisse factam ad illam, nouam personarum missionem. Et quidem, quod ad humanam Christi naturam facta fuerit missio inuisibilis, docet Diuus Thomas *in* 1. *distinctione* 15. *quæst.* 5. *art.* 1. *quæstiuncula quarta*. Fuit enim illi in primo conceptionis instanti gratia collata in summo perfectionis gradu. Fuit etiam in primo instanti conceptionis collata illi beatitudo. Quod autem humanitas non præcesserit tempore sanctificationem per gratiam, non obstat personarum missioni; præcessit enim illam prioritate naturæ, quod sufficit: ergo ad humanitatem Christi facta est missio inuisibilis in primo cõceptionis instanti.

152 *Duplex missio ad humanitatẽ Christi prob.*

Quod autẽ duplex fuerit; probatur: fuit enim sãctificata per duplicẽ sanctitatem, scilicet, per diuinitatẽ media personalitate Verbi illi vnitam, per quam fuit sancta infinitê: quæ sanctitas, prout animæ conueniens inuisibilis erat de se, vt *disp. præcedenti* §. 8. *explicuimus*. Et per gratiam accidentalẽ, in vi diuersæ actionis ab actione vnitiua humanitatis ad Verbũ infussa, sed ratione vtriusque sanctitatis tres personæ ad humanitatem venerunt; & consequẽter ratione vtriusque personæ procedẽtes sunt missæ: ergo est facta ad humanitatem duplex missio inuisibilis personarum in primo conceptionis instanti. Quod autem postmodũ noua missio personarum ad humanitatem facta non fuerit, probatur: nam ad nouitatem missionis requiritur aliqua innouatio in gratia intensiua, aut extensiua; sed in gratia Christi post primum instans conceptionis nulla inuisibilis fuit facta; accepit enim in primo conceptionis instanti gratiam in summo perfectionis gradum cum omni plenitudine intensiua, & extensiua: ergo post primum instans conceptionis non fuit facta noua missio ad humanitatem Christi.

153 *Opponens primo.*

Si opponas primo: missio semper est ad distans; sed humana natura Christi numquam fuit distans à diuina natura, sed illi à principio conceptionis coniuncta per vnionem substantialem cum Verbo: ergo missio personarum non fuit facta ad humanitatam, nec ad Christum, quatenus hominem. Respondeo distinguẽdo maiorem: ad distans loco, vel tẽpore, nego maiorem: ad distans secũdum conditionem naturæ, & prioritate naturæ præcedens, concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Licet enim humanitas Christi à primo conceptionis instanti fuerit Verbo substantialitêr coniuncta; & consequentêr ab illo, à natura diuina, & ab alijs personis diuinis, loco, & tempore numquam distauerit, semper tamen secundum conditionem naturæ ab illis infinitê distauit, & aliàs vnionem ad Verbum prioritate naturæ præcesit facta per distinctam actionem, & vnita Verbo: præcesit etiam prioritate naturæ gratiam accidentalem infussam per distinctam actionem ab illa, qua fuit vnita. Et hoc sufficit vt ad illam facta fuerit missio inuisibilis personarum. Ita in substantia D. Thomas *quæstiuncula proximè citata in solutione ad* 1.

154 *Secũdo.*

Si opponas secundo, D. Thomã *quæstiuncula citata in solutione ad* 1. vbi de humanitate loquens sic ait: *Ad ipsam fit missio Filij per gratiam vnionis, quæ dicitur missio in carnem. Similiter etiam secundũ quod intelligitur vnita, adhuc est distans à diuina natura secundũ conditionem naturæ, quamuis non secundũ vnitatem personæ, & ideò ad naturam humanam etiam vnitam potest*

fieri

fieri miſsio per gratiam inuiſibilem in mentem, quamuis tempore natura gratiã non præcedat. Vbi D. Thomas duplicem miſsionem diſtinguens, ſolum ſecundam inuiſibilẽ appellauit, primamque docuit dici miſsionem in carnem: ergo contra D. Thomam duas miſsiones inuiſibiles diuinarum perſonarum ſtatuimus in primo conceptionis inſtanti factas ad humanitatem.

155 *Reſp.* Reſpondeo admittendo Angelici Præceptoris doctrinam, negando conſequentiam: ſicut enim ex eo quod in Euangelio *Verbum caro factum eſt* dicatur, ideſt, carni vnitũ, & non dicatur vnitum animæ rationali, vt à parte ignobiliori; quam pro noſtra redemptione ſuſcepit ſuũ amore, ſuamque humilitatẽ oſtenderet, non tollitur, ſed potius includitur vnio illius cum anima rationali: ita ex eo quod miſsio Filij à Diuo Thoma, miſsio in carnem, quæ viſibilis eſt, appelletur, non tollitur, quod etiam ſit miſsio ad animam Chriſti ſanctificandam, ex qua parte inuiſibilis eſt; ac proinde ex verbis D. Thomæ non ſequitur, quod ad humanitatem Chriſti non fuerit facta duplex miſsio inuiſibilis. Ideô autem ſecundam miſsionem inuiſibilem vocauit, primam autem hoc nomine non explicauit, quia ſecunda fit per actionem adæquatê inuiſibilem; eo quod ad terminum viſibilem, nullatenus terminatur, prima autem facta fuit per actionem, quæ non eſt adæquatê terminatiué inuiſibilis, ſed ſolum inadæquatê, licet enim inuiſibilis ſit ſecundum terminationem ad animam, fuit tamen viſibilis ſecũdum terminationem ad carnem, vt *diſp. præcedenti §. 8. explicuimus.*

156 *Oppo-nas 3.* Si opponas tertio: miſsio inuiſibilis perſonarum connotat pro termino gratiam: ergo noua miſsio connotat nouã gratiam; ſed ſuppoſita vnione humanitatis ad Verbum debentur illi ex vi vnionis omnia accidentia ſupernaturalia, animam, & potentias eleuantia ad ordinem ſupernaturalem; & conſequenter in illorum infuſsione non fit noua gratia humanitati: ergo in iſtis accidentibus noua perſonarum miſsio non fit; & conſequenter non datur duplex perſonarum miſsio ad humanitatem facta in primo conceptionis inſtãti.

157 *Reſp.* Reſpondeo, humanitati, nec deberi vnionem cum Verbo, nec gratiam iuſtificantem: vnde compatatione facta ad humanitatem ratione ſui, & ad Chriſtum ratione humanitatis, gratia fit in infuſsione accidẽtium, quibus ſanctificata eſt ſanctitate accidentali, & ad ordinem ſupernaturalem eleuata. Vnde D. Thomas loco vbi proximê, idcircô aſſerit, humanitati Verbo vnitæ poſſe fieri miſsionem inuiſibilem: *Quia adhuc eſt diſtans à diuina natura, ſecundum conditionem naturæ, quamuis non ſecundum vnitatem perſonæ.* Nec obſtat, quod humanitati ſit debita ratione vnionis ad Verbũ, hoc enim non obſtat, quo minus ſit noua gratia nouitate diſtinctionis, quamuis non ſit noua gratia nouitate excludente connexionem, aut nouitate connexionis. Et primum ſufficit, vt ſecundum illam fiat noua miſsio perſonarum.

158 *Replicabis.* Sed dices, ſequi ex iſta ſolutione fieri ad hominem plures miſsiones perſonarum in inſtanti ſuæ iuſtificationis; conſequens falſum eſt, vtpotê à nemine aſſertum: ergo ſolutio tradita eſt inſufficiens. Probatur ſequela, homini in prædicto inſtanti infunduntur ſimul cum gratia in anima reſidẽte, virtutes, & dona, quibus potentiæ eleuantur, inter quæ eſt diſtinctio entitatiua; & conſequenter ſunt nouæ gratiæ nouitate diſtinctionis; ſed quod nõ ſint nouæ gratiæ nouitate connexionis, ſed ratione gratiæ iuſtificantis debeantur, nouitati, & diſtinctioni miſſionis diuinarum perſonarum, non obſtat iuxta ſolutionis noſtræ doctrinã: ergo ſequitur illa fieri nouas, & diſtinctas miſsiones diuinarũ perſonarum ad hominem in inſtanti iuſtificationis.

159 *Resp.* Respondeo negando sequelam. Ad probationem, distinguo maiorẽ: sunt nouæ gratiæ nouitate distinctionis factæ ex vi eiusdem actionis primo terminatæ ad gratiam iustificantem, & ad alia ex consequenti, concedo maiorem: terminantes distinctas actiones, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam ad nouitatem missionis necessaria est nouitas actionis, quæ in infusione gratiæ factæ humanitati Christi intercesit: secus autem in infusione donorum, quæ infunduntur homini in instanti iustificationis. Et ideo in humanitate duplex missio personarum fuit facta; secus autem in nostra iustificatione. Et ex his sumitur ratio cur ratione gratiæ habitualis, & ratione beatudinis non fuerint factæ diuersæ missiones personarum ad humanitatem Christi, cum tamen vt ex proxime dicẽdis constabit in ingressu gloriæ in nobis noua missio personarũ fiat; quia nẽpe non fuit humanitas Christi vna actione sanctificata per gratiam, & alia actione beatificata, sed in vi vnius, & eiusdẽ actionis gratiã cõsumatã, & beatitudinẽ accepit, & vt missiones essent distinctę, necessariũ erat, quod diuersæ intercederẽt actiones.

160 *Prima pars prob.* Quarto colligitur, factã fuisse missionem personarũ ad Angelos in primo suæ creationis instanti, nouãque missionem fieri ad Angelos, & ad homines in instanti glorificationis. Prima pars corollarij probatur: Angeli namque sanctificati fuerunt in primo suæ creationis instanti, vt docet D. Th. *in hac 1. p. infra q. 62. art. 3.* ex Augustino *lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 9.* Et illorum natura præcesserit gratiam prioritate naturæ, etsi tẽpore nõ præcesserit, vt docet D. Th. *ibi solut. ad 1. argum.* sed hæc præcedẽtia sufficit vt illis in dono gratiæ, missæ fuerint personæ diuinæ, vt cõstat ex proxime dictis: ergo fuit facta missio personarũ ad Angelos in primo suæ creationis instanti.

161 *Secũda.* Secunda pars corollarij probatur: nã gratia viæ, & gratia consummata per gloriã fuerunt factæ in Angelis, & hominibus in diuersis durationibus temporis, & per distinctas actiones; sed in infusione gratiæ viæ fuit facta missio ad Angelos, & ad homines: ergo in consũmatione per gloriã, diuersa personarũ missio intercesit. Si opponas, vt enim supra ex Augustino docuimus, Spiritus Sãct⁹ procedit tẽporaliter, in quo eius missio cõsistit, ad sanctificandã creaturã, quam propositionẽ in sensu exclusiuo docuimus esse accipiẽdã, ita vt solum mittatur Spiritus Sanct⁹ ad sanctificationem creaturæ: ergo ad nouam missionẽ, noua creaturæ sanctificatio requiritur; sed in ingressu beatitudinis, nec in Angelis, nec in hominibus noua datur sanctificatio, cũ nõ detur noua gratia, quæ est adęquata, & vnica sanctificationis forma, nec gratia præexistens in instanti glorificationis augeatur, sed omnib⁹ datur gloria iuxta mensuram, & quãtitat ẽ gratię, quam habuerũt in via. Nec ex lumine gloriæ, aut visione beatifica noua sanctificatio præstatur, supponim⁹ enim cũ frequẽtiori sentẽtia nõ esse formas sufficiẽtes ad sãctificãdũ: ergo nõ fit noua personarum missio ad Angelos, vel ad homines in instãti glorificationis.

Si opponas.

162 *Quorundam sententia excluditur.* Hoc argumento quidã recentiores cõuicti docuerũt, cũ homines inducũtur in gloriã nõ fieri nouã missionẽ, eo quod non confertur illis distincta gratia iustificãs, nec augmẽtũ gratiæ præexistentis, quod ad nouã missionem requiritur. Et videtur hoc insinuari à D. Th. in 1. dist. 15. q. 5. art. 1. quæst. 3. ad 1. *Dicẽdum igitur ad 1. quod Angelis facta est missio Filij, & Spiritus Sancti in ipsa collatione gratiæ, &c.* Vbi disiunctiuẽ loquens de missione facta Angelis in collatione gratiæ, & gloriæ, videtur vnã tantũ missionẽ agnoscere in vtriusq; collatione; si nãq; nouã, & distinctã missionẽ esse sentiret, nõ disiunctiuẽ, sed copulatiuẽ illas explicare deberet asserẽdo factã fuisse missionem ad Angelos in collatione gratiæ, & in collatione gloriæ.

163 *Argum. reſp.1.*

Leui tamen fundamento ducũtur. Ad quod reſpondeo primo doctrinã à Nobis traditam, procedere de miſſione perſonarum facta hominibus in via, quæ ſolũ ad ſanctificationẽ creaturæ rationalis, vel ad illius augmentum ordinatur, non autem de omni perſonarum miſsione: ſi namque cũ ſanctificatur creatura mittũtur perſonæ ad illam, à fortiori mittentur, quando in bono confirmatur, & per gloriam beatificatur. Nec D. Th. potuit contrarium ſentire, cum doceat loco allegato ad beatos fieri nouam miſsionem perſonarum, cũ aliquid illis reuelatur de nouo extra Verbũ; ſi nãque noua reuelatio extra Verbũ, ſufficit ad nouam miſsionem, tãta diſtinctio, quãta eſt illa quæ intercedit inter reuelationem obſcuram viæ, & reuelationem claram, & facie ad faciẽ diuinarum perſonarum in patria, non poteſt non ſufficere ad nouitatẽ miſsionis. Et ſi præſentia realis perſonarũ, quã recentiores arguentes ſtatuunt in homine iuſto in via ratione gratiæ habitualis ex conceptu amicitiæ perfectæ, ſufficit vt ratione gratiæ ſint nouo modo in creatura ſufficiente ad rationem miſsionis perſonarum, præſentia earũdem perſonarum in patria requiſita ad rationem notitiæ intuitiuæ diſpoſitiuẽ à lumine gloriæ inducta, & à gratia conſũmata, cur nõ debet iudicari ſufficiẽs vt ratione gratiæ conſummatæ, & ratione luminis gloriæ dicãtur diuinæ perſonæ eſſe nouo modo in creatura ſufficiente ad nouam miſsionem?

164 *Non obſtat realis præſentia præexiſtens.*

Nec obſtat, quod præſentia realis perſonarum ſupponatur per gratiam habitualẽ, ad hoc, quod ratione luminis gloriæ, aut gratiæ cõſummatæ, ratione cuius perſonæ sũt præſentes beatis, noua miſsione mittantur. Non inquam obſtare poteſt: nam etiam ad præſentiam realem per gratiam habitualem inductam ſupponitur Deus per immenſitatem præſens; & tamen quia per gratiam fit nouo titulo præſens dicitur Deus venire ad animam iuſti per gratiam: ergo licet per gratiam viæ conſtituantur realiter præſentes perſonæ diuinæ; quia tamẽ per gloriam nouo, & perfectiori modo, & titulo, conſtituũtur præſentes, ſufficit vt de nouo veniãt tres perſonæ ad animam iuſti in inſtãti glorificationis, & vt de nouo perſonæ procedentes mittantur.

165 *Redarguũtur recẽtiores.*

Quod patet ex alia eorundem recentiorum doctrina, aſſerentium per augmentum intenſiuum gratiæ iuſtificantis mitti de nouo perſonas, quia licet ſupponantur præſentes ratione gratiæ, conſtituuntur per illius intenſionẽ perfectiori modo præſẽtes, ſed dato, quod per gratiã viæ conſtituantur diuinæ perſonæ realiter præſẽtes animæ, per gratiã conſũmatã, & gloriam reddũtur animæ præſentes perfectiori modo, quam ſunt præſentes in via, cum maiori exceſſu inter iſtos modos præſentiæ, quam eſt ille, qui verſatur inter gratiam vt intenſam, & eãdẽ vt remiſſam, vt cuivis tantisper medianti conſtabit: ergo concedentes ſecundũ augmẽtũ gratiæ fieri nouã miſsionẽ, à fortiori tenẽtur admittere nouã perſonarũ miſsionem per gratiam conſummatam, & gloriam.

166 *Reſp.2.*

Reſpondeo ſecundo, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, diſtinguendo minorẽ: nõ datur in inſtãti glorificationis noua ſanctificatio in Angelis, aut hominibus nouitate ſubſtantiali, aut modali intenſiua, cõcedo minorẽ: nouitate modi confirmãtis immobiliter in bono, nego minorẽ, & conſequẽtiã. Vt enim docet D. Th. in 1. diſt. 15. q. 5. art. 1. quæſt. 1. ad 1. *Sanctificari tripliciter dicitur: vno modo ſecundũ quod Sãctũ dicitur mundũ, prout ſanctificatio dicitur emũdatio à peccato per gratiã. Alio modo ſecundũ quod Sãctũ dicitur firmũ, dicitur sãctificatio, & confirmatio in bono per donũ gratiæ, vel gloriæ, &c.* Licet ergo in inſtãti glorificationis non detur noua ſanctificatio ſumpta per emundationẽ à peccato, nec noua, & diſtincta gratia, nec nouus, & diſtinctus modus intenſionis, per quẽ gratia viæ augmentũ intenſiuum in ingreſſu glo

riæ

riæ recipiat, datur tamen noua ſancti ficatio, quia gratia quæ in ſtatu viæ amiſſibiliter habebatur, inamiſſibilis fit per firmitatem, & confirmationem in bono. Tum, quia Sanctũ, iuxta D. Th. dicitur firmum: ergo perfectio, & exceſſus firmitatis erit perfectio, & exceſſus ſanctitatis. Tum etiã, quia confirmatio in bono eſt aliquid intra lineam ſanctificationis prẽſtantius, & æſtimabilius, quam quæuis intẽſio gratiæ conueniẽs amiſſibiliter.

167 *Obijcies 2.* Obijcies ſecundo: quia nãque virtutes, & dona ſunt propriæ paſsiones gratiæ iuſtificantis in anima reſidentis, quamuis diſtinguantur ab illa, nõ fiunt diſtinctę perſonarum miſsiones ratione gratiæ, & donorum; ſed etiã lumen gloriæ comparatur ad gratiã habitualẽ, tanquã propria paſsio illius, vt plures probabiliter docẽt, de quo 1.2.*q.*110. ergo quamuis realiter diſtinguatur à gratia nõ fiet noua perſonarũ miſsio ratione luminis gloriæ; & conſequenter, nec ratione viſionis beatificæ, quæ ad lumen neceſſario conſequitur.

168 *Reſp.*1. Huic argumento reſpõderi poteſt primo, conceſſa maiori, negando minorem: cũ enim lumen gloriæ ſit prẽmiũ, & gratia principium merẽdi, nõ poteſt ad gratiam conſequi per modum propriæ paſsionis; prẽmiũ enim petit fieri per diſtinctam actionẽ ab ea, per quam fit principiũ meriti, propria autem paſsio alicuius fit in vi eiuſdem actionis, in vi cuius fit ſubiectũ, vel forma, cuius eſt paſsio. Iuxta quam ſententiam, quæ ſatis probabilis eſt, ceſſat difficultas argumenti.

169 *Reſp.*2. Quia tamen ſententia docens lumen gloriæ eſſẽ proprietatem gratiæ reſidentis in anima, eſt etiam probabilis, aliter reſpondetur ſecundo, cõceſſa maiori, diſtinguendo minorem: lumen gloriæ eſt paſsio gratiæ iuſtificantis, prout in via, nego minorẽ: eſt paſsio gratiæ, prout perfectæ, & conſũmatæ in inſtanti glorificationis, cõcedo minorẽ, & diſtinguo conſequẽs: non fit noua perſonarum miſsio ratione luminis gloriæ ab illa, quæ fit ratione gratiæ; vt conſũmatæ in inſtanti glorificationis, concedo conſequentiam: noua miſsio ab illa, quæ fit per gratiam vt communicatam in via, nego conſequentiam; itaque lumen gloriæ non poteſt eſſe proprietas conſequuta ad gratiam iuſtificantem ſecundum omnem ſtatum illius, aliàs eſſet gratiæ debita in ſtatu viatoris; & conſequenter, quod gratia in hoc ſtatu exiſteret ſine lumine gloriæ, eſſet miraculum, quod nullus Theologorum aſſeruit, ſicut miraculum eſſet, quod exiſteret anima ſine potentijs, quia illi vt proprietates in omni ſtatu debentur: ſolum ergo vt proprietas comparari poteſt ad gratiam vt conſũmatam. Ex quo ſolum ſequitur, quod ratione gratiæ vt cõſũmatæ, & ratione luminis gloriæ nõ fiant miſsiones diſtinctæ diuinarum perſonarum, non autem quod nõ fiat diſtincta, & noua miſsio perſonarum per lumen gloriæ beatificũ, aut per gratiã conſũmatam, ab ea qua mittũtur perſonæ ſecundũ gratiã viatorũ.

170 *Quid ſit cõſequẽter aſſerendum* Iuxta quam ſententiam conſequenter eſt aſſerendum pro priori ad lumen gloriæ perfici intrinſecẽ gratiam habitualem per aliquem modũ intrinſecum; cum enim non poſsit radix luminis per ipſum lumen conſtitui, ſicut nec cauſa poteſt conſtitui per ſuum effectum in ratione cauſæ, & gratia habitualis ratione ſuæ entitatis præcisẽ non radicet lumẽ gloriæ, aliàs illud radicaret in via; fit cõſequens, vt aliquo à ſe diſtincto debeat cõſtitui in ratione radicis actu radicantis lumen. Alijs etiam modis poſſet argumento facto occurri, iuxta doctrinã à Nobis traditam *tom.*3. *in* 3.*p.tract.*12.*diſp.*51.§.10. agendo de gloria corporis Chriſti, quomodo potuerit ſub illius meritis cõprehendi. *Et tract.*15.*diſp.*52.§.7. agẽdo de modo quo gratia habitualis præſtat filiationem adoptiuam.

171 *Quintũ corollarium.* Quinto colligitur, ad nouã perſonarum miſsionem ſemper eſſe neceſſariam aliquam nouitatem in gratia gratum facientes. Ita D. Th. loco ex ſentẽtiarijs relato, vbi probat ad humanitatem Chriſti poſt inſtans cõ-

ceptionis non fuiſſe factam nouam miſsionem perſonarum, quia in nullo fuit illius gratia innouata, ſed cũ omni plenitudine gratiam, & gloriã in primo inſtanti ſuæ conceptionis ſuſcepit. D. Thomę omnes Theologi cõſentiunt. Et probatur: miſsio enim perſonarum ſolum attenditur ſecundũ dona gratiæ gratum facientis, ratione quorum dicuntur mitti perſonæ, quia ratione illorum nouo modo in anima iuſti exiſtunt: ergo vt de nouo mittantur, debent etiã nouo modo exiſtere ratione ipſorum donorũ; ſed niſi in illis aliqua nouitas detur, non poſſunt ratione illorum de nouo exiſtere perſonæ: ergo ad nouã perſonarum miſsionẽ requiritur aliqua nouitas in gratia gratum faciente.

172 *Cõfirm.* Explicatur, & vrgetur: vt enim ad nos de nouo mittantur perſonæ, neceſſaria eſt nouitas in effectu à miſsione connotato, & ratione cuius mittuntur: ſicut vt primo mittãtur, requiritur in nobis mutatio per effectum connotatum à miſsione; ſed effectus à miſsione connotatus eſt donum aliquod gratiæ gratum facientis: ergo vt diuinæ perſonæ ad nos de nouo mittantur, requiritur aliqua nouitas in gratia gratum faciente.

173 *Obijcies.* Obijcies: vt enim docet D. Th. *in hac q. art. 6. ſolut. ad 2.* Cũ aliquis proficit in gratia miraculorum, aut prophetiæ fit ad illũ noua miſsio perſonarum; ſed gratia miraculorum, & gratia prophetiæ non ſunt dona gratiæ gratum faciẽtis, ſed gratiæ gratis datæ: ergo datur noua perſonarũ miſsio ſine aliqua nouitate in gratia gratum faciẽte. *Reſp.* Reſpondeo ex doctrina D. Th. in hac q. art. 3. ad 4. *Quod operatio miraculorum eſt manifeſtatiua gratiæ gratũ facientis, ſicut & donum prophetiæ, & quælibet gratia gratis data nominatur manifeſtatio Spiritus.* Ex quo infert D. Th. *quod Apoſtolis dicitur datꝰ Spiritus Sãctus ad operationem miraculorum, quia data eſt eis gratia gratum faciens cum ſigno manifeſtante, ſi autẽ daretur ſolum ſignum gratiæ gratũ facientis ſine gratia, non diceretur dari ſimpliciter Spiritus Sanctus.* Sicut ergo cum primo dantur hæc dona, non ſunt ratio vt Spiritus Sanctus detur; & conſequentẽr non ſunt ratio vt Spiritus Sanctus mittatur; ſed ſignum gratiæ gratum facientis, ſecundum quam datur, & mittitur, ita profectus in gratiam miraculorũ, aut prophetiæ, non eſt ratio cur de nouo mittantur perſonæ, ſed ſignum profectus, & nouitatis gratiæ gratũ facientis, ratione cuius de nouo mittuntur; & ſicut ſi daretur donũ prophetiæ, aut gratia miraculorum ſine gratia gratum faciente, non daretur, nec mitteretur abſolutẽ Spiritus Sãctus: ita ſi daretur in prædictis gratijs profectus ſine profectu in gratia gratum faciente, non daretur noua miſsio. Ex qua doctrina reſpondetur in forma explicando D. Thomam, & diſtinguendo maiorem: datur noua miſsio ratione profectus in gratiam miraculorum, aut prophetiæ, nego maiorem: ratione profectus in gratia gratum faciente ſignificati, & ſuppoſiti per profectum in gratiã miraculorum, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam.

174 *Vltimũ corollarium.* Denique infertur, ad nouã miſsionẽ perſonarũ ſufficere nouitatẽ intenſiuã, aut extenſiuã gratiæ gratũ faciẽtis, nullã tamen ex illis neceſſario requiri. Prima pars huius corollarij traditur à D. Th. *in hac q. art. 6. ad 2. Et in 1. diſt. 15. q. 5. art. 1. quæſt. 2.* Vbi quãuis oppoſitum probabiliꝰ cenſuerit in fine corporis, ita concludit: *Quidã tamẽ dicũt, quod in omni augmento gratiæ gratũ faciẽtis, eſt miſsio diuinæ perſonæ, quod et iã facilè poteſt ſuſtineri.* Quod repetit ſolutione ad 1.

175 *Prima pars prob. 1.* Et probatur primo ex Auguſtino lib. 4. de Trinitate cap. 20. vbi docet: *Quod tunc cuiquam mittitur Filius, cum à quoquam cognoſcitur quantum cognoſci, & percipi poteſt pro captu, vel proficiẽtiæ animæ in Deũ, vel profectæ animæ rationalis in Deo*; ſed per augmentum intenſiuum gratiæ gratum facientis proficit anima rationalis in Deum,

& perfectius in ipsum tendit : ergo secundum hoc augmentũ mittitur Filius;sed non eadẽ missione,qua mittitur in infusione gratiæ : ergo noua,& distincta missione.

176 *Secũdo.* Secundo: nam licet per gratiam primo infussam habeãtur diuinæ personæ, & inhabitent animã iusti,per augmentum tamen gratiæ habentur pleniori modo , & perfectius inhabitant animam;sed hoc sufficit vt de nouo mittantur:ergo sufficit ad nouam missionem personarũ nouitas, vel augmentum intensiuũ gratiæ gratum facientis.

Tertio. Tertio:quod enim sufficit vt perfectius mittantur personæ,quam ante,sufficit ad nouam missionem; sed per augmentum intensiuũ gratiæ perfectius mittuntur:ergo de nouo mittũtur.Probatur minor:quod sufficit vt vni subiecto perfectius mittantur personæ,quam alij;sufficit etiam vt vni,& eidem subiecto mittantur perfectius;sed excessus intensiuus gratiæ sufficit vt vni subiecto perfectiꝰ mittãtur,quã alij;perfectius enim mittuntur habenti intẽsiorem gratiã , sicut perfectius possidentur in patria ob maiorem intensionem luminis: ergo sufficit vt vni,& eidẽ subiecto perfectiꝰ mittãtur, quod in eodẽ subiecto detur excessus gratiæ intensiuꝰ,quod fit cum gratia intensiuẽ augetur; tũc enim fit gratia intensiuẽ maior, quã ante erat in eodem.

177 *Obijcias 1.* Si opponas primo : nã missio dicit nouum modũ essendi personæ in creatura rationali;sed per augmẽtum intensiuum gratiæ non est Deus in Sãctis alio modo,ac prius erat,cum ratione gratiæ iã esset in illis vt obiectum cognitum , & amatum , & per augmentum non existat alio modo: ergo non fit noua personarum missio ad illos , qui in gratia existunt per augmentum gratiæ intensiuum.

Secũdo. Secundo: vt enim dicit Magister, missio personarum fit ad reuocãdum craturam rationalem in Deum:ergo missio supponit creaturam,ad quam fit,auersam,& separatam à Deo ; sed existentes in gratia non sunt à Deo auersi , vel separati, sed conuersi ad illum,& cum illo coniuncti:ergo per augmentũ gratiæ non mittuntur personæ diuinæ ad illos.

178 *Resp.ad 1.obiectionem.* Respõdeo,concessa maiori,distinguẽdo minorẽ: alietate generica,vel specifica,concedo minorem : alietate modali maioris perfectionis intra idẽ genꝰ,& speciem,nego minorẽ,& consequentiã:nã licet per augmentũ intensiuum gratiæ non sit Deus in iustis alio modo, ac antea erat genericẽ,vel specificẽ,continetur enim nouus iste modus intra modum essendi vt obiectum cognitum,& amatũ,nec alio modo specificẽ cum id quod additur,intra modum essendi ratione eiusdẽ gratiæ contineatur: est tamẽ alio modo ratione maioris perfectionis intra eũdẽ modum specificẽ, quo Deus est in nobis ratione gratiæ iustificantis,&hoc sufficit ad nouam personarum missionem.

179 *Ad 2.* Ad secundam explico Magistrum, & distinguo antecedens:quãdo creatura rationalis præsupponitur in culpa, concedo maiorem . quando non supponitur in peccato existens,nego antecedens, & distinguo cõsequens: per se nego cõsequentiã:peraccidẽs, concedo consequentiam. Et cõcessa minori subsumpta, nego consequentiam.Vt enim docet D.Th.loco vbi proximẽ solutione ad 2. *Reuocare aberrantẽ accidit missioni ex parte eius ad quem fit missio, qui est in culpa, missio enim determinat terminũ ad quẽ,vt scilicet per missionẽ gratia conferatur,non autem ex ratione missionis determinatur terminus à quo,siue sit status culpæ,siue sit status naturalium tantũ , vel etiam statum minoris gratiæ.*

180 *Secũda pars prob.* Secunda pars eiusdem corollarij probatur:vt enim docet D.Th.in 1. sent.dist.15.q.5.art.1.quæst. 3. & in hac q.art.6.ad 3. *Ad beatos,est facta missio inuisibilis in ipso principio beatitudinis:postmodũ ad eos fit missio inuisibilis, nõ secũdũ intẽsionem gratiæ,sed secũdũ quod aliqua misteria eis reuelãtur de nouo.* Ex quo sic arguitur: ad Angelos,& ad homines

beatos fit noua miſsio perſonarum cum aliqua miſteria eis reuelantur de nouo; ſed tunc non augetur illorum gratia intenſiuê, vt docet D. Thomas, aliàs augeretur lumen gloriæ, & viſio beata in illis, & creſceret in præmio eſſentiali, quod dicendum non eſt: ergo noua miſsio fit ratione augmenti extenſiui. Quia nempê vt docet D. Thomas loco allegato ex ſententiarijs quæſtiuncula 3. in corpore: *Secundum illas nouas reuelationes conſurgunt ad Dei amorem, non quidem vt magis ament, ſed vt ſub alia ratione eorum amor dirigatur in Deum.* Et vt magis explicat in ſolutione ad 1. *Quia quamuis nõ fiat ad eos miſsio ſecundum augmẽtum gratiæ intenſiuè, fit tamen ſecundum quod quodammodo eorum gratia extenſiuè ad plura augetur ex nouis reuelationibus.*

181 *Ratione prob. maior.*

Et ex hìs probatur maior ratione: Deus namque incipit eſſe in beatis amatus nouo modo, cum illis fiut nouæ reuelationes; ſed hoc ſufficit ad nouam perſonarum miſsionem, ſicut ſufficit vt abſolutê mittãtur perſonæ ad creaturam rationalẽ, quod Deus in illa eſſe incipiat vt cognitus, & amatus: ergo mittuntur de nouo perſonæ diuinæ ad beatos cum illis fiunt nouæ reuelationes. Maior probatur; nam per nouas reuelationes cognoſcunt in Deo nouas rationes illum diligendi: ergo licet de nouo non diligant Deum magis intenſiuê, ipſum tamen diligunt plus extenſiuê, hoc eſt, ſub pluribus rationibus diligendi; & conſequenter incipit Deus eſſe in beatis vt cognitus, & amatus nouo modo. Sicut ſi Parenti Dominico reueletur de nouo aliquod beneficium ſuo Ordini conferendum, incipit diligere Deum ſub illa ratione conferẽtis tale beneficiũ, & Deꝰ incipit de nouo eſſe in illo vt dilectus ſub illa ratione. Et hoc eſt eorum gratiam, & charitatem extenſiuê augeri, nempê extendi ad Deum diligendum ſecundum diuerſas diligendi rationes.

182 *Nota--*

Et, ni fallor, hac ratione inductus vt D. Thomas *loco vbi ſupra allegato*, vt probabilius cenſeret augmẽtum gratiæ intenſiuum non eſſe ſufficiens ad nouam perſonarum miſſionem. Cũ tamen de augmento extenſiuo gratiæ oppoſitum iudicauerit. Quia ſcilicet per augmentũ intenſiuum non amatur Deus ſub noua amandi ratione, licet ſub eadem intenſius ametur; & conſequenter non incipit eſſe nouo modo vt amatus, cum ſub eadem ratione per charitatem minus intenſam ametur. Per augmentum vero gratiæ extenſiuum amatur ſub noua ratione, & Deus incipit eſſe de nouo vt amatus. Ideoque, etſi de augmento intenſiuo probabilius ibi cenſuerit, non eſſe ad nouam miſsionem ſufficiens, de augmẽto extenſiuo oppoſitum iudicauit.

tur D. Tho. doctrina.

183 *Obiter obiectio diluitur.*

Nec ex hac doctrina ſequitur, factam eſſe ad Chriſtum nouam Spiritus Sancti miſsionem diſtinctam ab illa, qua miſſus fuit Spiritus Sanctus ad humanitatẽ Chriſti in primo ſuæ conceptionis inſtanti: nam Chriſtus in primo ſuæ conceptionis inſtanti vidit omnes rationes diligendi Deũ, & ſub omnibus illum dilexit, hoc enim humanam eius dignitatem decebat. Vnde ſucceſſu temporis nec intenſiuum, nec extenſiuum augmentum eius gratia, & charitas ſuſceperunt. Et ideo ad humanitatẽ Chriſti non fuit noua miſsio facta.

184 *Tertia pars prob. 1.*

Tertia pars corollarij probatur: cum enim aliquis confirmatur in bono, fit ad illum noua miſsio; ſed confirmatio in bono nõ prouenit ex augmento gratiæ intenſiuo, aut extẽſiuõ: ergo ſtat noua miſsio perſonarum ſine augmento gratiæ, aliquo ex prædictis modis; & conſequenter, licet ad nouam miſsionẽ ſufficiat augmentum gratiæ intenſiuum, aut extẽſiuũ, neutrum tamẽ neceſſariũ eſt ad nouitatẽ miſsionis. Vtraque cõſequẽtia cõſtat. Minor patet: ſtat enim aliquem in bono non cõfirmatũ: excedere illũ, qui à Deo cõfirmatur in bono in augmẽto gratię intẽſiuo, & extẽſiuo, & plures Sãcti dũ in hac vita degebãt, & in bono cõfirmati non fuerũt,

in augmento gratiæ excedebat alios existentes in gloria, qui in bono sũt confirmati: ergo confirmatio in bono non prouenit ex augmẽto in gratia intensiuo, aut extensiuo, sed ex alia gratiæ perfectione, quam explicare nostrum in præsenti non est.

185 *Maior prob.* Maior autem probatur ex Diuo Thoma *in hac quæst. art. 6. ad 2.* illis verbis: *Sed tamen secundum illud augmentum gratiæ, præcipuè missio inuisibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem nouũ actum, vel nouum statum gratiæ.* Sed per cõfirmationem in bono proficit sic confirmatus in nouum statũ gratiæ, non nisi viris eximiæ sanctitatis, concessum: ergo ratione confirmationis in bono factæ, non per extrinsecam prouidentiam, sed per intrinsecam gratiæ perfectionem, fit noua missio personarum. Secundo: nam secundum augmentum gratiæ intensiuum missio personarum attenditur, quia Deo vt obiecto amato perfectiori modo per tale augmentũ vnimur, & Deo vt vltimo fini perfectiori modo adhæremus, sed confirmatus in bono ex vi doni confirmationis, Deo vt vltimo fini perfectiori modo vnimur, cum firmiter ei vniatur, & adhæreat immobiliter, quod magna perfectio est: ergo ratione illius mittuntur de nouo personæ ad eum, qui ex gratia Dei de nouo confirmatur in bono.

186 *Prob. 2.* Secundo probatur: nã per diuinam gratiam vt fomitem extinguentem fit noua personarum missio, cum per illam firmior adhæsio ad Deum vt finem vltimum inducatur, frænando appetitum inferiorem, ne suis motibus contra rationem insurgens, illius ad Deum subordinationem impediat; sed extinctio fomitis non prouenit ex augmento gratiæ intensiuo, aut extensiuo, sed ex alia gratiæ perfectione, vt fusè ostendimus *tom. 3. in 3. p. tractatu 11. disp. 42.* ergo sine augmento gratiæ intensiuo, aut extensiuo, fieri potest noua personarũ missio; & cõsequenter, quamuis augmentum gratiæ aliquo ex prædictis modis ad nouam missionem personarum sufficiat: non tamen est necessarium. Ex quo infero, verba illa Archangeli ad Beatissimam Virginẽ: *Spiritus Sãctus superueniet in te*, posse accipi, non solum de aduentu Spiritus Sancti ad corpus Christi formandum, nec de nouo aduentu ratione solius augmenti gratiæ, sed etiam de nouo Spiritus Sancti aduentu ratione illius perfectionis, qua gratia fomitem antè ligatum, post Christi conceptionem extinxit, vt docet Diuus Thomas *3. p. quæst. 7. artic. 3.* Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri vbi disputatio præcedens. *M. Set.*





DISPVTATIO CENTESIMA.

An ex vi miſsionis conſtituantur diuinæ perſonæ realiter præſentes animæ præſentia phyſica diſtincta à præſentia per immenſitatem?

§. I.

Quæ certa ſunt præmittuntur.

Nu. 1. *Per miſſionẽ donantur ipſæ perſonæ.*

SVPPONO Primo: cum mittuntur diuinæ perſonæ in mentem per miſsionẽ inuiſibilem, nõ ſolum donari nobis dona gratiæ, quæ à miſsione connotãtur, ſed etiã dari ipſas diuinas perſonas, prout à donis gratiæ diſtinctas. Ita omnes Scholaſtici cũ Magiſtro *in 1. ſententiarum diſt. 14. & diſt. 15.* Et Theologi cum D. Thoma *in hac quæſt. art. 3. Et in 1. diſt. 14. q. 2. artic. 1.* contra quoſdam, quos ſine nomine referunt Magiſter, & D. Thomas, oppoſitum ſentientes. Quorum ſententiam D. Thomas *in hac quæſt. art. 3. in 1. argumento* appellauit errorem. Cuius ſententiæ cenſuræ conſentit P. Suarez *lib. 12. de Trinit. cap. 5. conc. 3.* vbi docet Theologos cõmuniter ita sẽtire. Et Molina *in hac quæſt. art. 3. conc. 3* placitum illorum, qui negãt perſonas diuinas per miſsionem donari, docet eſſe parum conſentaneum fidei.

2 *Prob. 1. ex Scriptura.*

Et probatur teſtimonijs Scripturæ. Primum eſt illud Pauli ad Corinthios 6. *Membra veſtra tẽplum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo.* Ex quibus ita probatur: ea ratione dicitur de Spiritu Sancto eſſe in nobis, & à nobis haberi, qua nos dicimur eſſe templum illius; ſed ſumus templum Spiritus Sancti, vt à donis gratiæ diſtincti; templum enim non donis gratiæ creatis, ſed ſoli Deo dicatur: vnde vt ait Suarez ex hoc teſtimonio probant Patres, Spiritus Sancti diuini-

ta-

tatem : ergo ex vi donorum gratiæ, quæ connotantur à missione personarum; ac proinde ex vi missionis, est in nobis Spiritus Sanctus , & à nobis habetur; & consequenter donatur Spiritus Sanctus,& non solum dona illius. Secundum est illud Pauli ad Romanos 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: vbi distinguendo charitatem, quæ est donum creatum à Spiritu Sancto, dicitur charitatem esse in cordibus nostris diffusam per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis : ergo non solum dantur nobis dona gratiæ, sed etiam Spiritus Sanctus , & aliæ personæ diuinæ, prout à donis gratiæ distinctæ.

3 *Resp. Arriaga.*

Arriaga *tractatu de Trinitate disp.* 55 *sectione* 1. & 5. cui censura in oppositam sententiam displicuit,& nescio,an sententia placuerit. Respondet his testimonijs, non ita efficaciter communem sententiam probari, vt opposita sentẽtia debeat erronea censeri, imò addit esse quæstionem de nomine,& eum, qui assereret personas diuinas mitti , quia nobis sua dona communicant , facilè hoc ipsum dicturum de donatione personæ, ideò scilicet personã esse donatam , quia donantur eius dona. Nec obstat in Scriptura dici donari Spiritum Sanctum, & illius dona dari : hoc namque explicari potest, non vt duo distincta donentur, sed ita vt vnum explicatio alterius sit. Et addit *sect.* 5. *nu.* 16. quod cum Pater Suarez modum, quo donationem personarum explicuit, vocet piam considerationem , non debuisset propter suam pietatem oppositam sententiam damnare.

4 *Displicet istius Authoris doctrina.*

In cuius Authoris doctrina displicet primo ratio , qua redarguit Patrem Suarez, nimirum, quod cum modum, quo explicuit donationem personarum, scilicet, per realẽ præsentiam distinctam ab illa , qua per immensitatem sunt omnibus rebus præsentes, solum piam sententiã vocauerit, nõ debuit damnare vt erroneam sententiam illorum, qui negãt personas diuinas dari. Quæ reconuentio,& redargutio est meo videri ridicula. Et quidem, qui negaret processioni Filij rationem generationis conuenire, aut assereret processioni Spiritus Sãcti cõpetere, merito ab omnibus Theologis damnaretur, vt hæreticus; & tamen in explicando, cur vna ex his processionibus generatio sit , & non alia , & quomodo vni,& non alteri diffinitio generationis cõueniat, non vtuntur rationibus euidentibus, sed solum congruentijs id probant, ita vt nullus possit asserere suam sententiam esse euidentem , sed ad summum esse probabilem : ergo ex eo quod Pater Suarez, modum quo explicuit personas diuinas dari, piam sententiam vocauerit, nõ ideò debuit abstinere à censura illorum, qui negant diuinas personas dari. Et ratio est: nam in his , quæ ad fidem pertinent, supponuntur dogmata vt vera , & inuestigatur à Theologis modus, quo facilius defendi possint. Et idcircò ex eo quod modus ab aliquo inuentus non sit euidens , sed probabilis , & pius, non ideò abstinere debet à censura illorum , qui veritates ad fidem pertinentes negarent.

5 *Solutio reijcitur primo.*

Deinde contra solutionem arguitur primo: nam in Scriptura ponuntur vt duo donatio personæ diuinæ &communicatio donorum: ergo id ita explicare vt non sint duo, sed vnum est contra mentem Scripturæ. Secundo: nam verba Scripturæ debẽt in sensu proprio explicari, nisi ex illo aliquod absurdum sequatur; sed hæc propositio: *Spiritus Sãctus est datus*, in sensu proprio explicata, petit vt non solum dẽtur dona Spiritus Sancti, sed etiam quod Spiritus Sãctus detur vt à donis distinctus. Et aliàs ex eo quod sic explicetur , nullum sequitur absurdum : ergo debet sic explicari. Maior cum consequentia tenet,& minor pro secunda parte constat: non enim sequitur aliqua contradictio in Scriptura , nec aliquid rationi naturali contrarium

ex

ex eo quod Spiritus Sanctus detur, & non solum eius dona. Pro prima probatur: dari namque Spiritum Sanctum, quia solum eius dona dantur, est per figuram rhetoricam accipere effectum pro causa: ergo est sensus metaphoricus; & consequenter proprius sensus illius propositionis petit, quod Spiritus Sanctus detur, prout à donis condistinctus.

6 *Tertio reijcitur.*

Tertio: nam quod Spiritus Sanctus detur, & aliæ personæ ad nos veniant, attribuitur donis gratiæ in speciali; sed dari solum in sensu causali non est donis gratiæ speciale; in omni enim effectu datur Deus effectiuè, hoc enim nihil est aliud quam aliquid quod datur efficere: ergo quod nobis per dona gratiæ, aut secundum dona gratiæ dentur diuinæ personæ, non potest in sensu solum causali explicari; quia nempè in nobis efficiunt ea quæ nobis donantur.

7 *Quarto*

Præterea, mitti ad nos personas diuinas, non potest explicari in sensu solum causali: ergo nobis personas diuinas dari, non potest explicari in hoc sensu, sed quia ipsæ personæ dantur prout à donis condistinctæ. Probatur antecedens: mitti ad nos personas diuinas explicatum in sensu causali, est illarum dona mitti, sicut dari in sensu causali est illarum dona dari; sed dona gratiæ non dicuntur ad nos mitti, sed effici in vi missionis; id enim quod mittitur, ad missionem præsupponitur, missione accepta terminatiuè, vt *disp.* 98. explicuimus, & omnes fateri tenentur, dona autem gratiæ non præsupponuntur ad missionem, sed per illam efficiuntur: ergo mitti ad nos personas diuinas, non potest in sensu causali explicari.

8 *Denique*

Denique: nam verba Scripturæ debent accipi iuxta intelligentiam Patrum; sed Patres verba allegata accipiunt de donatione personarum, prout distinguuntur à donis: ergo sic sunt accipienda. Maior cum consequentia tenet, minor autem probatur: nam Augustinus *lib.* 15. *de Trinitate cap.* 26. expresse docet, eundem Spiritum Sanctum datum esse Apostolis cum insuflauit illos. *Et sermone* 43. *de verbis Domini*, explicans verba illa Pauli: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, &c.* sic ait. *Si charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, à quo datur? Ab illo qui dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritum Sanctum, qui tale dat donum, qualis est ipse, magna est misericordia eius, qui donum dat æquale sibi, quia donum eius Spiritus Sanctus est.* Vbi, vt clarè constat, Augustinus charitatem, & Spiritum Sanctum distinguens vtrumque dari nobis affirmat, ex hoc Dei donantis misericordiam commendans, quod donum sibi æquale det nobis; si autē solum darentur dona creata, & non persona diuina vt à donis creatis distincta, falsò diceretur, donū Patri, & Filio æquale dari hominibus, cum Spiritus Sanctus datur. In eodem sensu testimonia adducta Scripturæ accepit Ambrosius *lib.* 1. *de Spiritu Sancto cap.* 4. cuius verba refert Magister *sententiarū in* 1. *distinct.* 14. §. 4. Leo Papa, & alij, quos refert Suarez vbi supra *cap.* 5.

Si fortè dicatur, Patres esse in eodem sensu accipiendos, in quo testimonia Scripturæ, nempè, vt non sint duo, quæ nobis donantur, sed vnum sit alterius explicatio. In contrarium obstat primo: verba ex Augustino relata non admittere istam explicationem, seu fugam, cum ex æqualitate illius, quod nobis datur cum Patre, & Filio donantibus, Dei amorem erga nos, & eximiam misericordiam commendet: ergo sentit dari nobis Spiritum Sanctū vt Deū, & prout à donis distinctum, qua ratione Patri, & Filio, donantibus est æqualis.

9 *Euasio reijcitur* 1.

Secundo obstant verba illa Augustini libro 15. de Trinitate cap. 18. in principio: *Dantur, & alia per Spiritum Sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt, nisi ergo tantum impertiatur, cuique Spi-*

10 *Secūdo*

ritus

ritus Sanctus vt cum Dei, & proximi faciat amatorem, à sinistra nō transfertur ad dexterā, neque Spiritus propriè dicitur donum, nisi propter dilectionem : sentit ergo Augustinus, secundum charitatem diffusam in cordibus nostris proprie dici Spiritum Sanctum donum, idest nobis datum ; secundum alia autem munera, quæ esse possunt sine charitate, non proprie, sed improprie nobis dici posse datum; sed dari nobis Spiritum Sanctum, solum quia charitas datur, non est proprie Spiritum Sanctum dari, sed improprie, & in sensu metaphorico accipiendo effectum pro causa, in quo sensu etiā secundum alia munera à charitate distincta, & cum illa non connexa donantur : ergo cum docet charitatem diffundi, & dari Spiritum Sanctum duo dona distinguit, nec explicari potest ita vt vnum alterius explicatio.

Tertio. Denique : nam sensus Patrum accipiendus est ex communi explicatione Theologorum: sed Theologi communiter sic accipiunt verba Patrum explicantium testimonia Scripturæ, vt non solum nobis dentur dona creata, sed etiam ipsæ personæ donentur prout à donis condistinctæ: ergo nec Scripturæ testimonia, nec Patrum verba sunt in alio sensu accipienda.

11 *Confir.* Quæ omnia confirmantur, & vrgentur: si namque prædicta explicatio Scripturæ asserentis, Spiritum Sānctum dari, & Sanctorum Patrum admittatur, sequitur posse defendi, Filium per Incarnationem non esse nobis donatum vt Deum, & prout à donis creatis distinctum sine præiudicio illorum verborum Ioannis : *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret* ; consequens absurdum est, nec Catholicus aliquis id audebit affirmare: ergo explicatio illa, qua prædictus Author testimonia Scripturæ & Patrum conatur eludere, sustinenda non est. Probatur sequela : nam iuxta illam explicationem Filium dare nobis Spiritum Sanctum, saluatur sufficienter per hoc quod det nobis dona creata, quæ Spiritui Sancto appropriantur: ergo etiam saluari poterit, quod Pater det nobis Filium, & quod Filiū nobis dederit per hoc quod dederit nobis dona, quæ Filio appropriantur; & consequenter ex verbis relatis Ioannis non infertur adeō certē, Filium vt Deum esse nobis donatum, vt sine illorum præiudicio non possit aliquis negare Filium datum esse vt Deum, illa explicando de donatione Filij ratione donorum gratiæ, quæ ab illo nobis donantur.

12 *Prima ratio.* Licet autem veritas ista non possit euidenti ratione probari, duplex ratio, vel congruentia, vel explicatio à D. Thoma assignatur. Prima habetur *in 1. sententiarum distinct. 14. quæst. 2. art. 1. in corpore*, quæ potest ad hanc formam reduci; cum enim dona gratiæ per Spiritum Sanctum recipimus, non solum dona gratiæ, sed etiam Spiritus Sanctus dicitur ad nos procedere prout à donis condistinctus : ergo non solum dantur dona creata, sed etiam Spiritus Sanctus prout distinguitur à donis. Consequentia tenet: antecedens autem probatur: nā in processione temporali Spiritus Sancti duplex consideratur respectus: vnus nempe ad illud à quo procedit, & alius in illum ad quem procedit; sed vterque respectus ponitur in Spiritu Sancto vt distincto à donis creatis : ergo Spiritus Sanctus prout distinguitur à donis dicitur ad nos procedere. Maior cum consequentia tenet. Minor pro prima parte est certa ; respectus enim quo vt procedens processione æterna ad suum principium refertur ipsi Spiritui Sancto conuenit, & per illum cōstituitur. Pro secunda parte probatur: nam Spiritus Sanctus dicitur ad nos referri, non ob sui mutationem, sed ob mutationem nostram, & quia nos ad ipsum referimur, & aliter nos habemus; sed relatio, qua referimur cum dona gratiæ recipimus, non sistit in donis gratiæ receptis, ita vt illa solum habeamus, sed etiam

tranſit ad Spiritum Sanctum, prout à donis gratię diſtinctum, quia aliter ipſum habemus, quam prius: ergo ipſe Spiritus Sanctus vt à donis gratiæ diſtinctus ad nos prædicta relatione refertur; & conſequenter nō ſolum illius dona, ſed etiam Spiritus Sanctus, quatenus à donis diſtinctus dicitur in nos temporaliter procedere.

13 *Obijcies*

Sed dices: ſequi ex iſta ratione dari Spiritum Sanctum ſecundum dona naturæ: nam relatio in eis fundata non ſiſtit in donis, ſed tranſit ad ipſum Deum. Reſpondet D. Thom. *quæſtiuncula allegata art. 2. ad 2.* non qualemcumque relationem creaturæ ad Deum ſufficere, ſed requiri relationē, qua creatura referatur ad Deum tamquam ad habitum: *Quia quod datur alicui*, inquit D. Tho. *habetur aliquomodo ab illo, perſona autem diuina non poteſt haberi à nobis, niſi vel ad fructum perfectum, & ſic habetur per donum gloriæ, aut ſecundum fructum imperfectum, & ſic habetur per donum gratiæ gratum facientis.* Hæc D. Thomas, ex quibus aperte colligitur, non qualēcumque relationem ad Spiritum Sanctum, & ad alias perſonas ſufficere vt nobis donentur, ſed requiri relationem ad illas vt habitas. Et quia relatio in donis gratiæ gratum facientis fundata terminatur ad diuinas perſonas vt habitas; fit conſequens, quod ratione illorum nobis perſonę donent ur.

14 *Secūda ratio D. Thom.*

Ex qua doctrina, & ex alia D. Thomæ *in hac quæſt. art. 3. in corpore, & in ſolutione ad 1.* ſumitur ſecunda ratio ſub hac forma: id dicitur nobis donari; quod à nobis habetur; ſed in vi donorum gratiæ gratum facientis, non ſolum ipſa dona habentur à nobis, ſed etiam perſonæ diuinæ: ergo in vi miſsionis diuinarum perſonarum non ſolum dona gratiæ, ſed etiam perſonæ diuinæ nobis donantur. Conſequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur à D. Thoma: nam id ſolum habere dicimur, quo libere poſſumus vti, vel frui; ſed per donum gratiæ gratū facientis perficimur ad hoc quod libere non ſolum ipſo dono gratiæ vtamur, ſed etiam vt fruamur ipſis diuinis perſonis: ergo in vi donorum gratię gratum facientis, non ſolum ipſa dona gratiæ habentur à nobis, ſed etiam habemus ipſas diuinas perſonas, prout condiſtinctas à donis.

15 *Opponēs.*

Si opponas: ſequitur ex hac doctrina, quod viri ſancti poſsint dare alijs Spiritū Sanctum; conſequēs eſt falſum: ergo etiam doctrina tradita: falſitas conſequentis conſtat ex Auguſtino *lib. 15. de Trinitate cap. 26.* illis verbis: *Non aliquis diſcipulorum dedit Spiritum Sanctum*, & addit, Chriſtum accepiſſe Spiritum Sanctum vt hominem, & effudiſſe vt Deum: *Nos autem*, inquit Auguſtinus, *accipere quidem hoc donum poſſumus pro modulo noſtro, effundere vero ſuper alios nō vtique poſſumus, ſed vt hoc fiat Deum ſuper eos à quo id efficitur, inuocamus.* Auguſtinum ſequuntur Magiſter ſententiarum *in 1. diſtinct. 14. §. 5. & 6.* D. Thomas ibi *q. 3. artic. vnico*, quibus omnes Theologi conſentiunt. Sequela autem probatur: quod enim alicui datum eſt; ſuū eſt, quod autē ſuū eſt, poteſt alteri donare: ergo ſi Spiritus Sanctus datur viris Sanctis in vi gratiæ gratum facientis, poſſunt Spiritum Sanctum dare.

16 *Reſp.*

Reſpondeo negando ſequelam: cum enim perſonæ diuinæ donentur in vi gratiæ gratum facientis, & hæc à nulla creatura poſsit principaliter cauſari in probabiliori ſententia, adhuc de potentia Dei abſoluta; fit vt nec de potentia abſoluta Dei poſſit aliqua creatura Spiritum Sanctū dare. Ad probationem ſequelæ reſpondet D. Thomas *1. ad Annibaldum diſtinct. 14. quæſt. vnica art. 5.* illis verbis: *Ad tertium, quod ſuū eſt quilibet dare poteſt, dicendum, quod ſuum aliquando dicitur multipliciter, vel vt alicuius poſſeſsio, & ſic verum eſt, vel vt eius per-*

fectio;

fectio, & sic non: secundo igitur modo, non primo dicitur Spiritus Sanctus alicuius esse. Iuxta quã doctrinam respondetur distinguendo minorem: quilibet potest dare, quod suum est quoad proprietatem, & vt possessum subiacens illius dominio, concedo minorem: quod suum est tanquam eius perfectio, qua potest vti, vel frui, nego minorem, & consequentiam; quia Spiritus Sanctus non dicitur à viris Sanctis haberi, quia illorum sit, vt ab illis possessus, nec vt subiacens illorum dominio, sed quia est illorum perfectio, non subiectiuê, illos perficiens, sed obiectiuê, quia nempe obiectiue Spiritu Sancto, & aliis personis fruuntur. Et quidem dona gratiæ nobis dantur, & dicuntur esse nostra, & tamen non est in nostra potestate illa dare, quia nõ sunt nostra, vt libera nostra possessio subiacens nostro dominio quoad illorum distributionem, sed sunt, & dicuntur nostra, quia subiectiuê perficiunt, & quia illis vti possumus in ordine ad operandum.

17 *Non solũ datur Spiritus Sanctus.*

Suppono secundo: non solum dari nobis Spiritum Sanctum, sed etiam alias personas. Cuius contrarium docuere quidam, quos refert Bonauentura *in* 1. *distinct.* 17. asserentes in missione inuisibili, quæ fit per gratiam sanctificantem solum Spiritum Sanctum dari. Quæ sententia videtur attribui posse Magistro Sententiarum *in* 1. *distinct.* 17. §. 2. vbi explicans quomodo Spiritus Sanctus detur, ait: *Quod ipse idem Spiritus Sanctus est amor, siue charitas, qua nos diligimus Deum, & proximum, quæ charitas cum ita est in nobis vt nos faciat diligere Deum, ac proximum, tunc Spiritus Sanctus dicitur mitti; ac dari nobis*: cum autem hanc vnionem immediatam cum voluntate nostra, vel per modum principij quo diligendi, vel per modum actualis dilectionis, quam Spiritui Sancto attribuit, & per quam illius missionem explicat, non tribuat alijs personis, videtur sensisse, quod solus Spiritus Sanctus detur, vel saltim, quod sicut in missione visibili Verbi facta per Incarnationem, Filius aliqua ratione venit ad humanitatem, & illi donatus fuit, sub qua nec Pater diuinus venit, nec Spiritus Sanctus fuit missus, etsi omnes tres personæ ad humanitatem venerint. Ita etsi in missione inuisibili, quæ fit per infusionem gratiæ, & donorum, omnes diuinæ personæ veniant ad animam iusti, & omnes tres illi dentur, atamen Spiritus Sanctus datur, & venit ad nos aliqua speciali ratione, qua aliæ personæ, nec dantur, nec ad nos veniũt, scilicet per vnionem immediatam vt principium *quo* diligendi, vel vt actualis dilectio.

18 *Prob.* 1.

Nostra tamen suppositio docetur ab omnibus Theologis. Et probatur ex illo Ioannis 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, quibus aduentus personarum ad animam iusti per gratiam, & charitatem, tribus personis sine vlla differentia attribuitur; sed idem est personas ad nos venire, ac personas nobis dari, etsi non omnes mittãtur, quia missio supra aduentum superaddit processionem ab alio, quæ diuino Patri non conuenit: ergo in missione inuisibili, quæ fit per gratiam gratum facientem, non solum Spiritus Sanctus, sed etiam aliæ personæ animæ iusti donantur. Secundo: nam quod personæ diuinæ dentur nobis secundum dona gratiæ gratum facientis fundatur in illorum efficientia: & in eo quod per illa tendimus in Deum, vt in obiectum cognitum, & amatum, & illi vnimur tanquam obiecto fruibili: vel in eo quod per gratiam, quia est perfecta amicitia, Deus sit nobis præsens realiter aliqua noua præsentia, distincta ab ea qua Deus per immensitatem est præsens; sed efficientia donorum gratiæ est communis omnibus diuinis personis, tendentia donorum gratiæ in Deum vt in obiectum, & vnio cum Deo vt cum obiecto fruibili, ad omnes terminatur personas, ratio etiam amicitiæ gratiæ iustificanti conue-

niens

niens eſt cum Deo vt tribus perſonis communi: ergo ratione gratiæ, & donorum, non ſolum datur Spiritus Sanctus nobis, ſed etiam aliæ diuinæ perſonæ.

19 *Nõ dari Spiritũ Sanctũ modo diſtincto ab alijs perſonis prob.* 1.

Quod autem Spiritus Sanctus non detur aliquo modo, quo non detur aliæ perſonæ, probatur primo: nã ſententia illa, quam ex Magiſtro Sententiarũ retulimus aſſerens Spiritum Sanctum per modum charitatis ſe ipſo nobis immediatè vniri, diſplicet communiter Theologis, nec benè audit apud illos, illamque tractatu de viſione Dei reiecimus, probantes non poſſe Deũ intellectui noſtro vniri vt principium quo intelligendi. Et tractatu de ſcientia Chriſti probando non potuiſſe intellectum Chriſti creatum per intellectionẽ increatam intelligere, nec illius voluntatem creatam velle per increatam volitionem; ſed ſolum prædicta ſententia admiſſa defendi poteſt ſpecialis modus, quo Spiritus Sanctus detur, vel ad nos mittatur: ergo non mittitur aliquo modo ſpecili, quo Filius ad nos non mittatur per miſſionem inuiſibilem, nec datur modo aliquo ſpeciali, quo non dentur tres perſonæ.

20 *Secũdo prob.*

Secundo: nam dato quod poſſit Deus ſe ipſo immediatè vniri cum voluntate creata, vel vt principium *quo* amandi, vel vt actualis dilectio, non poſſet talis vnio Spiritui Sancto attribui, & negari alijs perſonis; cum non conueniret illi ratione proprietatis perſonalis, ſed ratione prædicati communis, ſcilicet voluntatis, & volitionis, quæ ſunt prædicata abſoluta, & tribus perſonis communia: ergo adhuc prædicta ſententia admiſſa, non ſequitur Spiritum Sanctũ dari nobis in vi miſsionis inuiſibilis aliquo modo ſpeciali, quo aliæ perſonæ non dentur, aut mitti aliquo modo ſpeciali, quo Filius ad nos nõ mittatur.

21 *Cõfirm.* 1.

Explicatur, & vrgetur; quia namque efficientia, & actio ad extra, conuenit Deo ratione omnipotentiæ, quæ eſt communis tribus perſonis, infertur ab omnibus Theologis, non poſſe de potentia abſoluta aliquid cauſari efficientêr ab vna perſona diuina, quod ab alijs non cauſetur; ſed dato quod nõ repugnet Deo vniri cum voluntate creata vt principium *quo* amandi, vel vt actualis dilectio, hæc vnibilitas conueniret ratione prædicatorum tribus perſonis communium: ergo non poſſet vniri cum voluntate creata vna perſona diuina vt principium *quo* diligendi, vel vt dilectio actualis, quin aliæ perſonæ vnirentur; & conſequẽtêr, etiam ſi illa ſententia admittatur, non poteſt in illa fundari quod Spiritus Sanctus detur per miſsionem inuiſibilem aliquo modo ſpeciali, quo aliæ perſonæ non dentur. Maior cum conſequentia tenet: minor autẽ probatur: nam Deum poſſe vniri cum voluntate creata vt principium *quo* amandi conueniret ipſi ratione volũtatis diuinæ, & poſſe vniri vt actualis dilectio conueniret Deo ratione prædicati amoris actualis; ſed voluntas, & actualis amor ſunt prædicata abſoluta tribus perſonis communia, & in illis non multiplicata, ſicut nec intellectus, nec omnipotentia realitêr multiplicantur: ergo dato quod non repugnet Deo vniri cum voluntate creata vt principium *quo* amandi, vel vt dilectio actualis, hæc vnibilitas cõueniret perſonis diuinis ratione prædicatorum tribus perſonis cõmunium.

22 *Vrgetur* 2.

Confirmatur, & vrgetur ſecundo: nam etiam admiſſo, quod poſſet diuina volitio, quæ communis eſt vniri, non vt communis, ſed vt propria Spiritus Sancti, & vt modificata per illius perſonalitatem, neceſſarium erat ad hoc, quod prædicto modo vniretur vnio perſonalis Spiritus Sancti cum natura creata, ſicut de facto vnita fuit Sanctitas diuina, quæ eſt tribus perſonis communis, non vt communis, ſed quatenus propria Filij cum humanitate Chriſti; quia humanitas fuit vnita vnione perſonali cum Verbo; ſed Spiritus Sanctus nõ vnitur de facto perſonaliter cum natura

tura rationali, aliàs de facto incarnatus fuisset, quod est hæreticum: ergo etiam si admittatur possibilis vnio immediata Spiritus Sancti cum voluntate creata vt principium *quo* amandi, vel vt actualis dilectio, quæ non sit tribus personis communis, non potest salua fide defendi, de facto sic fuisse vnitum; ac proinde asserendum non est, de facto Spiritum Sanctum donari per missionem inuisibilem aliquo speciali modo, quo aliæ personæ non dantur.

23 Nec obstat, quod sanctificatio rationalis creaturæ specialiter Spiritui Sancto attribuitur, hoc enim non ideo est quia datur aliquo speciali modo, sed quia opera amoris, qualis est sanctificatio, per appropriationem attribuũtur Spiritui Sancto, etsi à tribus personis procedant. Et quidem opus Incarnationis attribuitur Personæ Spiritus Sancti, vt constat ex illis verbis, quibus Archãgelus Gabriel salutauit Beatissimam Virginem: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi, &c.* quin ex hoc liceat colligere fuisse cum humanitate vnitum aliquo modo speciali, vel aliqua specialis efficientia Incarnationis, quæ non conueniat alijs diuinis personis.

24. *Obijcies* Sed dices: si Filius daretur proprie per missionem inuisibilem, sequeretur esse proprie donum dono accepto personaliter; consequens est falsum: ergo non datur Filius proprie per missionem inuisibilem. Falsitas consequentis constat ex doctrina D. Thomæ *supra quæst. 38. art. 2.* vbi docet: *Quod donum secundum quod personaliter sumitur in diuinis, est proprium nomen Spiritus Sancti*: ergo Filius non est proprie donum, sumpto dono personaliter. Sequela autẽ probatur: si nãque proprie daretur, diceretur proprie datus; & consequenter, diceretur proprie donabilis, & aliàs est, & dicitur Patris per originem: ergo esset proprie donum prout in diuinis donum sumitur personaliter. Probatur consequentia ex alia doctrina D. Thomæ *quæst. allegata art. 1. ad 1.* vbi supponens, donum debere esse aliquomodo dantis, & distinguentis triplicem modum huius, quod est donum esse alicuius, scilicet per identitatem, qua ratione Spiritus Sanctus dat se, quia per identitatem est sui: & vt possessio, vel seruus, qua ratione requiritur, quod donum essentialiter distinguatur à donante, & sic donum Dei est aliquid creatũ. Et per originem, qua ratione Filius est Patris, & Spiritus Sanctus vtriusque, ita concludit: *In quantum ergo donum hoc modo dicitur esse dantis, sic distinguitur à dante personaliter, & est nomen personale*; sed Filius est, & dicitur Patris per originem, & aliàs est proprie datus, & proprie ab ipso donabilis: est ergo proprie donum, prout ly *donum* in diuinis sumitur personaliter.

25 *Resp.* Respondeo negando sequelam. Ad illius probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam: nam donabilitas conuenit Filio ratione prædicatorum essentialium, quæ omnia proprie Filio conueniunt; & consequenter, proprie illi conuenit donabilitas. Vt autem esset donum proprie, prout in diuinis sumitur personaliter, necessarium erat vt ex vi suæ processionis formaliter esset donabilis, & quia hoc non conuenit Filio, bene vero Spiritui Sãcto, fit vt Filius non sit donũ prout in diuinis sumitur personaliter, bene vero Spiritus Sanctus. Sicut repræsentatio omnium, quæ à Deo cognoscũtur, quia conuenit Deo ratione prædicatorum essentialium, proprie conuenit Spiritui Sancto, cui proprie conueniunt prædicata essentialia, quin ex hoc colligatur esse proprie Verbum, Verbo accepto personaliter, quia id non habet formaliter ex vi suæ processionis, quamuis id per processionem habeat; Filius autem proprie est Verbum, quia ex vi suæ processionis formaliter conuenit illi esse repræsentatiuum.

26 Et Filius est imago Patris pro-

prie,

Solus Filius eſt imago.

priê, quia ex vi ſuæ proceſsionis eſt ſimilis Patri in natura, quod requiritur ad rationem imaginis. Spiritus autem Sanctus, etſi Patri, & Filio ſit non minus ſimilis in natura, quam Filius Patri; imago tamen non eſt; quia quamuis eſſe ſimilem habeat per proceſsionem, non tamen id habet per proceſsionem formaliter. Ita ſimiliter quamuis Filius ſit proprie donabilis, & id habeat per proceſsionem à Patre; quia tamen id nõ habet ex vi ſuę proceſsionis, eo quod non vt amor, nec vt impulſus per voluntatem procedit, ſed per intellectum vt Verbum procedit, ideo non eſt donum prout donum in diuinis ſumitur perſonaliter, quia donum ſic ſumptum requirit eſſe donabile, non materialiter per proceſsionem, ſed ex vi proceſsionis formaliter.

27 *Probatio ſequelæ non vrget.*

Nec probatio ſequelæ ex doctrina D. Thomæ ſumpta obſtat contra iſtam doctrinam; cum enim ait: *In quantum donum dicitur dantis per originem eſſe nomen perſonale*, ly *in quantum* denotat id quod requiritur, non autem quod ſolum ſufficit vt donum perſonaliter proprie dicatur. Vnde ex eo quod Filius ſit Patris per originem, & aliàs à Patre detur, non ſequitur eſſe donum proprie, dono ſumpto perſonaliter; quia ad hoc vltra requirebatur, vt eſſe donabilem, conueniret Filio formaliter ex vi proceſsionis. Quæ doctrina ſumitur ex D. Thoma *loco vbi proxime art. 2. ad 1. argumentum*, quo intendebatur probare *donum* non eſſe nomen proprium Spiritus Sancti: *Donum enim dicitur ex eo quod datur; ſed vt dicitur Iſaiæ 9. Filius datus eſt nobis: ergo eſſe donum conuenit Filio, & Spiritui Sancto.* Cui argumento reſpondet D. Thomas: *Ad primum dicendum, quod ſicut Filius, quia procedit per modum Verbi, quod de ratione ſua habet, quod ſit ſimilitudo ſui principij, dicitur proprie imago, licet etiam Spiritus Sanctus ſit ſimilis Patri: ita etiam Spiritus Sanctus, quia à Patre procedit vt amor, dicitur proprie donum, licet etiam Filius detur.* In quibus verbis doctrina à Nobis tradita expreſſe continetur, & ſic eſt intelligenda, quod ſicut, vt ſolus Filius ſit imago Patris, nõ obſtat quod Spiritus Sãctus ſit ſimilis Patri, quia ſimilitudo non conuenit Spiritui Sãcto ex vi ſuę proceſsionis formaliter, bene tamen Filio, & iſte modus cõueniẽdi ſimilitudinis petitur ad rationẽ imaginis: ita quod Filius detur non obſtat ad hoc, quod ſolꝰ Spiritus Sãctus ſit donũ: nã Spiritui Sancto cõuenit aptitudo vt donetur ex vi ſuæ proceſsionis formaliter, quod ad rationem doni requiritur; Filius autem licet detur non habet, quod poſsit donari formaliter ex vi ſuæ proceſsionis: ergo cum D. Thomas art. 1. in argumento allegato docet: *Donum dari perſonaliter in quantum eſt dantis per originem*, ly *in quantum* non importat totum, quod requiritur ad rationem doni perſonaliter accepti, ſed aliquid requiſitum; ac proinde licet Filius detur à Patre, & ſit Patris per originem, non ſequitur eſſe donũ ſecundum quod donum perſonaliter ſumitur in diuinis.

28 *Replic.*

Sed dices: Filius proprie dicitur datus à Patre, ſicut proprie dicitur miſſus ab illo: ergo proprie eſt dabilis à Patre datione dicente authoritatem in dante, ſicut proprie eſt à Patre authoritatiuê miſsibilis; ſed donum ſumptum perſonaliter in diuinis conſiſtit formaliter in aptitudine, vt detur ab habente authoritatem dandi: ergo Filius proprie eſt donum, ſumpto dono perſonaliter. Vel vt hoc de Filio negetur, negandum eſt neceſſario quod nobis à Patre detur, & quod per miſsionem inuiſibilem detur rationali creaturæ.

29 *Reſp.*

Reſpondeo conceſſo antecedẽti, & prima conſequentia, diſtinguendo minorem ſubſumptam: donum conſiſtit formaliter in aptitudine, vt detur ab habente authoritatem, habita dicta aptitudine formaliter ex

vi processionis ab illo: qui habet auctoritatem, concedo minorem: non habita ex vi processionis formaliter, sed per processionem identice, & materialiter, nego minorem, & consequentiam; quia licet Filio conueniat aptitudo vt detur auctoritatiuè à Patre per suam processionem ab æterno, non tamen illi conuenit ex vi suæ processionis formaliter, & ideo non est donum prout personaliter sumitur in diuinis; quia donum sic sumptum consistit in habitudine vt detur, non solum conueniente rei donabili formaliter in esse rei, sed illi conueniente formaliter ex vi processionis, & in ratione termini illius.

30 *Instatur arg.*

Vnde sicut ista consequentia non valet: *Spiritus Sanctus est formaliter Deus, & consequenter similis suo principio in natura similitudine habita per suam processionem: ergo est formaliter Filius*, eo quod nomen Filij significat terminú similem generanti in natura similitudine habita ex vi processionis formaliter: ita ista consequentia non tenet: *Filio competit formaliter aptitudo, vt detur habita per processionem: ergo est donũ formaliter*; & ob eandem rationem, quia nẽpe donum, prout sumitur personaliter in diuinis non significat dictã aptitudinẽ, vt quomodocumque conuenientẽ, & per processionem habitam, sed vt habitam formaliter ex vi processionis, ita vt termino procedenti cõueniat, non solum formaliter in esse rei, sed etiam in esse termini processionis.

31 *Doctrina est D. Tho.*

Quæ doctrina est expressa D. Th. *in 1. sentẽt. dist. 18. q. 1. art. 2. ad 1.* Et ad Anibaldum *in eadem distinct. q. vnica art. 2. ad 2.* quod ita procedebat: *Aut Filius fuit donabilis ab æterno, aut non; si sic: ergo donum, quia donum ab aptitudine dandi dicitur; si non: ergo cõtra rationem suæ proprietatis fuit, quod daretur.* Cui argumento ita respondet: *Ad secundum dicendum, quod Filius ab æterno fuit habilis vt donaretur in tempore, tamen ista habilitas non importatur in ratione suæ processionis, sed importatur in ratione Spiritus Sancti.* Quibus verbis nostræ solutionis doctrina satis exprimitur: mareat ergo firmũ per missionem inuisibilem dari non solũ Spiritum Sanctum, sed etiam Patrẽ, & Filium, in quo nullum dissidiũ inter Theologos versatur.

Hoc ita præsuppositio inquirimus, vtrum ex vi missionis, & ex vi termini à missione connotati, nẽpe gratiæ gratum facientis, ita diuinæ personæ dentur rationali creaturæ, vt constituantur illi physicè præsentes præsentia aliqua physica distincta ab illa, qua sunt præsentes omnibus rebus per suam immẽsitatem, ad modũ quo persona Verbi ex vi vnionis hypostaticæ est præsens physicè humanitati, taliter quod si per impossibile Deus non esset immẽsus, & ratione immensitatis præsens physicè omnibus rebus, Verbum non posset humanitati vniri sine eo quod physicè esset humanitati præsens. An, licet non eodem modo, ex vi gratiæ sanctificantis taliter diuinæ personæ sint præsentes creaturæ rationali, & indistantes ab illa, quod si per impossibile Deus non esset immensus, & ratione immensitatis præsens omnibus rebus physicè, nõ posset gratiam infundere, quin præsens esset physicè rationali creaturæ, & indistans physicè ab illa?

32 *Pũctus difficultatis aperitur*

§. II.

Relatis sententijs, vera eligitur, & probatur.

33 *Prima sẽtẽtia.*

QVA in re duplexẽ regione opposita versatur sententia. Pri

ma affirman- eſt, quam tenet Suarez *lib. duodecimo de Trinitate cap.5. num.2. & ſequentibus*, cui aliqui Recentiores ſuæ familiæ ſubſcribunt. Illamque probabiliter defendit Granadus *Tractatu 15. de Trinitate diſp.4. num.5.* Tenent etiam ex noſtris Albelda *in hac 1. parte ſupra quæſt.8. diſp.18.* Patres Salmanticenſes *Tractatu 6. de Trinitate diſp.19. dub.5.* pro eodem reputantes per miſsionẽ inuiſibilem, non ſolum nobis communicari dona creata, ſed etiam perſonas diuinas nobis dari prout à donis condiſtinctas, atque fieri in vi donorum gratiæ nobis realiter præſentes præſentia phyſica diſtincta ab ea, qua per immenſitatem ſunt præſentes omnibus rebus; cum tamen ſint longè diuerſa. Hæc namque realis præſentia ante Patrem Suarez in nullo, quem viderim inuenitur expreſſa, nec vbi illam adſtruit aliquẽ Doctorem pro illa in particulari refert, illamque adſtruere ſolum eſt ſententia probabilis. Et Suarez piam appellat: fortè, quia pietate magis, quam ratione fuit ad illam defendendam inductus. Negare autẽ quod diuinæ perſonæ prout à donis creatis diſtinctæ dentur rationali creaturæ, error vocatur à D. Thoma, & à Theologis erroneum, aut parum fidei conſentaneum cenſetur: ergo non eſt vnum confundendum cum alio, nec pro eodem vtrumque reputandum. In quo etiam alios Recentiores deceptos inuenio.

34 *Recentiorũ deceptio apperitur.*

Authores illos, qui hanc phyſicam præſentiam negant referentes pro ſententia docente, non dari nobis perſonas diuinas, ſed tantum dona creata. Et forſan ideò vnum cum alio confundunt; quia ad ſuadendam perſonarum donationem plura extant teſtimonia Scripturæ, Patrum dicta, & Angelici Præceptoris perſpicuæ, & manifeſtæ doctrinæ. Cum tamẽ præſentia phyſica diuinarũ perſonarũ facta in vi donorũ gratię, nec teſtimonijs Scripturæ probari poſsit, nec à D. Th. inſinuetur.

Eandem ſententiam tenet, & illuſtrat Reuerendiſsimus, & doctiſsimus Magiſter Sancto Thoma *in hac quæſtione diſputatione 17. articulo 3.* doctẽ, vt illi moris eſt, vnum ab alio diſtinguens, & donationem perſonarum tanquam certam ſupponens, inquirit modum quo dantur, an per phyſicam, & realem præſentiam perſonarum in anima iuſti in vi donorum gratiæ gratum facientis. Et reſpondet, miſsionem inuiſibilem perſonarum in animam factam ratione gratiæ petere neceſſario realem, & intimam præſentiam perſonarum in anima, prẽter præſentiam cõmunem immenſitatis; hæc enim manet, extincta gratia in homine peccatore, requirere tamen præſuppoſitiue immenſitatem, qua remota, non poſſet illa realis præſentia erga gratiam reſultare.

35 *Mag.S. Thom. cum moderatione, illã tenet.*

Secunda ſententia eſt negans, quæ videtur eſſe Antiquorum Thomiſtarum. Capreoli *in 1. diſt.14. q.1.* Ferrarienſis 4. *Contra gentes cap.23.* Caietani *in hac quæſt. art.3.* Magiſtri Bañez, & aliorum circa eundem articulum, miſsionem perſonarum, & illarum donationem explicantium per præſentiam obiectiuam; qua in anima iuſti exiſtunt vt obiectum cognitum, & amatum, nulla præſentia phyſica, & realis facta mentione: fortè, quia in quæſtionem iſta præſentia phyſica, & realis, non venerat. Eandem ſententiam tenent ex Patribus Societatis Molina *in hac quæſtione circa articulum tertium.* Vazquez *diſput.170.* & frequentius Recentiores ex eadem familia.

36 *Secũda sẽtẽtia*

Quam pro concluſione ſtatuens probo primo: nam D. Thomas *in hac q.art.3. in 1. ſententiarum diſtinct.14. quæſt.2. art.1. & 2.* & in alijs locis vbi agit de miſsione perſonarum, & de nouo modo exiſtendi perſonarum in anima iuſti, à miſsione connotato, & neceſſario ad illã requiſito, illũ sẽper explicuit per obiectiuã præsẽtiã, qua sũt in anima iuſti vt obiectũ cognitum, & amatũ, nulla

37 *Oſtenditur 1.*

men-

mentione facta præsentiæ physicæ,& realis distinctæ ab ea,qua per immensitatem sunt omnibus rebus præsentes;sed vt personæ diuinæ sint in creatura rationali vt obiectum cognitũ, & amatum,præsentia physica,& realis necessaria non est;cum id quod est physicè absens,& distans possit cognosci,& amari; & consequenter esse in aliquo à se distincto, vt obiectum cognitum,& amatum: ergo præsentia ista physica ad mentem D.Tho. non est,imo contra illius mentem defenditur. Si namque vt missio personarum subsisteret, præsentia ista foret necessaria,diminute nimis Diuus Thomas processisset in explicanda, & tuenda missione diuinarum personarum,talem præsentiam non explicans, & ad obiectiuam præsentiam recurrens,qua sunt in creatura rationali,vt obiectum cognitum, & amatum ab illa.

38 *Resp. Suarez* Huic argumento respondet Pater Suarez *vbi supra num.* 14. D. Thomam loqui de obiecto cognito, & amato,non vtcumque, sed per modum amici intimè dilecti,qui non vt cumque dicitur esse in amante,sed tãquam bonum intimè præsens,& intra ipsum amatum existens vt eum peculiariter custodiat, & regat, & ab eo in corde suo adoretur. Quod explicat exemplo beatorum, qui ratione luminis gloriæ habent Deum suis mẽtibus præsentem in ratione obiecti visibilis intimè ipsis vnitum,vbi lumen gloriæ nõ præstat istam vnionẽ, sed est talis dispositio,quæ ex natura sua postulat illam præsentiam, etiam præcisa præsentia per immensitatẽ: cur ergo non poterit gratia,& charitas esse similis dispositio alio titulo,nempe amicitiæ.

39 *Reiicitur 1.* Sed contra istam solutionem obstat primo. Ex hoc quod amicus intime diligatur,non constitui præsentem physice amico intimè diligẽti,sed tantum affectiuè, & obiectiuè vt obiectum intime dilectum: ergo ex eo quod D.Thom. docuerit,Deũ per gratiam gratum facientem esse in creatura rationali; vt obiectum cognitum,& amatum,& amicum intime dilectum, non sequitur physicã præsentiam Dei in creatura rationali ratione donorum gratiæ statuisse.

40 *Secũdo.* Secundo: nam loquitur D.Tho. de amore,& cognitione,quibus Deus cognoscitur, & amatur à nobis in via;sed cognitio,& amor viæ,nõ terminatur ad Deũ vt obiectum physice præsens amanti: ergo non loquitur de Deo cognito, & amato vt bono intime præsenti amanti,& intra ipsũ existente. Maior cum consequentia tenet.Minor loquendo de cognitione per fidem certissima est,de cognitione autem habita per donum sapiẽtiæ probabitur infra. Loquendo autem de amore probatur:amor enim, vel est actus desiderij, vel amor specialiter dictus,vel delectatio:primus est de bono absenti: secundus præscindit à præsentia, & absentia boni amati: delectatio autem viæ non est de bono habito in re,sed in spe, vel in iure,vt infra ex D.Thoma videbimus: ergo amor viæ non terminatur ad Deum vt bonum intime præsens per realem præsentiam amati,nec vt intra ipsum physicè existens.

41 *Exẽplũ non est ad rem.* Nec exemplum luminis gloriæ, quo vtitur Suarez illi fauet, sed potius officit,& aduersatur: ideõ nãq; lumẽ gloriæ vt dispositio se habet ad hoc,quod Deus se ipso vniatur cum intellectu beati vt species ipsum cõplens in ordine ad visionẽ beatificã, quia est intuitiuæ cognitionis Dei principiũ;cognitio autẽ intuitiua est cognitio obiecti vt physicè præsẽtis, & Deus non potest intuitiuè videri, nisi ipsa diuina essentia intellectui vniatur vt species, quæ sit visionis principium,sed gratia prout communicata in via,non est principium notitiæ intuitiuæ Dei, nec alterius actus, qui Dei physicam præsentiam requirat: ergo ex eo quod lumen gloriæ vt dispositio se habeat ad intimam vnionem cum intellectu beati,& ad physicam præsentiam, qua animæ beatorum est præsens, non sequitur gratiam iustificantem vt communicatam in via vt dispo-

ſitionem ad realem Dei præſentiam ſe habere, ſed potius oppoſitum.

42 *Aliorũ ſolutio.*

Secundo reſpondetur ab alijs, cum docet D. Thomas Deum ratione gratiæ eſſe in rationali creatura vt obiectũ cognitũ, & amatum, loqui de cognitione, & amore procedentibus ex perfectiſsima amicitia. Licet autem cognitio, & amor ex ſe, præſentiam realem in obiecto amato nõ inferant, prout tamen ex perfectiſsima amicitia procedunt, præſentiam realem important; eo quod amicitia exigit inter amicos, vnionem non ſolum affectiuam, & ſecundum conformitatem affectuum, ſed etiam vnionem ſecundum præſentiam realem, & ſubſtantialem coniunctionem; & cõſequenter amicitia perfectiſsima, qualis eſt amicitia diuina vtrãque obtinet vnionem. Ex quo vlterius fit, vt Deus quatenus cognitus, & amatus cognitione, & amore procedentibus ex amicitia perfectiſsima, non ſolum ſit præſens animæ ipſum cognoſcenti, & amanti præſentia obiectiua, & affectiua, ſed etiam præſentia reali, & non ſolum ſit vnitus, ipſum ſic amanti vnione affectiua, ſed etiam vnione reali.

43 *Reijcitur 1.*

Sed nec iſta ſolutio ſatisfacit, & contra illam facit primo, id quod cõtra primam ſolutionem appoſuimus: amor enim viæ, ex eo quod ſit amicabilis, & ex perfecta amicitia procedat, non terminatur ad Deum, vt bonum præſens amanti præſentia phyſica, & reali: ergo ex eo quod Deus ſit ratione gratiæ in rationali creatura vt obiectum cognitum, & amatum cognitione, & amore procedentibus ex perfectiſsima amicitia, non ſequitur eſſe realiter præſentẽ, nec ex eo quod D. Thomas de Deo vt hoc modo cognito loquatur, ſequitur realem præſentiam Dei in creatura rationali ex vi donorum gratiæ ſtatuiſſe. Probatur antecedens: nam actus, quo Deum ex perfecta amicitia diligimus, vel eſt actus deſiderij, vel amor ſpecialiter ſumptus, vel delectatio, aut fruitio; ſed nullus iſtorum quamuis ex perfecta amicitia procedat terminatur ad Deum vt bonum præſens realiter amanti: ergo amor viæ, etiam vt ex perfectiſsima amicitia procedens, nõ terminatur ad Deum vt bonum præſens amanti præſentia phyſica, & reali. Minor pro prima, & ſecunda parte patet: nam deſiderium eſt boni abſentis, amor autem ſpecialiter ſumptus abſtrahit à præſentia, & abſentia, qua ratione ſumpta ex doctrina D. Thomæ tractatu de beatitudine oſtendimus, non poſſe in actu voluntatis conſtitui eſſentiam noſtræ beatitudinis formalis: ergo quamuis iſti actus ex perfecta amicitia procedant, non terminantur ad Deum vt bonum præſens realiter amanti.

44 *Fruitio Dei in hac vita, non eſt Dei, vt habiti in re.*

Quod autem, nec delectatio, aut fruitio, qua viatores Deo fruuntur ad ipſum vt præſentẽ realiter terminetur. Probo ex doctrina D. Th. 1. 2. *q.* 11. *art.* 4. vbi inquit: *Vtrũ fruitio ſit ſolum finis habiti?* Et ad probandum ita eſſe dicendum, arguit ex Auguſtino *lib. decimo de Trinitate cap.* 11. vbi ait: *Quod fruitio eſt cum gaudio vti, nõ adhuc ſpei, ſed iam rei: ſed quandiu res non habetur, non eſt gaudium rei, ſed ſpei: ergo fruitio, non eſt niſi finis habiti.* Et reſoluens in corpore articuli, fruitionem perfectam, eſſe vltimi finis iam habiti in re; fruitionem autem imperfectam, eſſe finis vltimi, non habiti in re, ſed in intentione tantum, reſpondet: *Ad primũ ergo dicendum, quod Auguſtinus loquitur de fruitione perfecta.* Sentit ergo D. Thomas fruitionem, quæ eſt actus voluntatis erga finem vltimum, ſemper eſſe finis habiti; cũ hac tamen differentia, quod fruitio perfecta eſt vltimus finis vt iam habiti in re: fruitio autem imperfecta eſt vltimi finis, non vt habiti in re, ſed tantum in intentione; ſed fruitio, qua in hac vita fruimur Deo, non eſt fruitio perfecta, ſed imperfecta, vt enim docet D. Thomas, vbi proximè in 3. argumento: *Frui eſt*

capere fructum. Et vt docet idem D. Thomas in 1. distinct. 14. quæst. 2. art. 2. in solutione ad 2. *Persona diuina non potest haberi à nobis, nisi vel ad fructum perfectum, & sic habetur per donum gloriæ, vel ad fructum imperfectum, & sic habetur per donum gratiæ gratum facientis*: ergo iuxta D. Thomam delectatio, qua viatores delectantur de Deo, quæ idem est quod fruitio, qua in hac vita Deo fruuntur, non est Dei vt finis habiti in re, sed tantum in intentione; & consequenter non terminatur ad Deum vt bonum præsens realitér amanti.

45 *Secũdo reijcitur.* Secundo reijcitur principalitér secũda solutio: vt enim docet D. Th. 1. 2. quæst. 28. art. 1. in corpore: *Duplex est vnio amãtis ad amatũ: vna quidem secundum rem, puta cũ amatum præsentialitèr adest amanti: alia vero secundum affectum.* Et posteà subiũgit: *Primã ergo vnionẽ amor facit effectiuè, quia mouet ad desiderandum, & quærendum præsentiam amati, quasi sibi conueniẽtis, & ad se pertinentis; secũdam autem vnionem facit formaliter, quia ipse amor est talis vnio, vel nexus, &c.* Vbi D. Thomas loquitur de amore amicabili, & ex perfecta amicitia procedente: ergo ex vi amoris amicabilis non habetur realis amici præsentia, etsi ad illam moueat desiderando, & quærendo vt sibi conuenientem, & ad se pertinentem; & consequenter ex eo quod D. Thomas, cum docet, Deum in creatura rationali existere nouo modo ratione donorum gratiæ, quia ratione illorum est in creatura rationali vt obiectum cognitum, & amatũ, loquatur de cognitione, & amore procedentibus ex perfecta amicitia, non sequitur physicam Dei præsentiam distinctam ab immensitate in vi donorum gratiæ statuisse.

46 *Cõfirm.* Quod amplius vrgetur: quod enim ab amore amicabili, non formaliter, sed tantum effectiuè præstatur, debet ab alio, vt à forma, & ratione formali præstari; sed amor amicabilis quantumcũque sit perfectus, tantum effectiuè potest realem Dei præsentiam præstare, vt constat ex doctrina D. Thomæ: ergo vt Deus sit realiter nobis præsens præsentia ab immensitate distincta, debet aliquid ab amore amicabili distinctum assignari, per quod vt à forma talis præsentia præstetur, vel in quo vt ratione formali tendendi fundetur; sed talis forma in homine viatore non datur, supra quam realis Dei præsentia distincta ab immensitate fundetur: ergo hæc præsentia realis statuenda non est.

47 *Resp.* Respondebis negando minorẽ; sicut enim lumen gloriæ vt dispositio, vel fundamentum se habet ad hoc, quod Deus per modum speciei vniatur cum intellectu beatorum, & illis sit præsens realiter præsentia reali obiectiua distincta ab immensitate: ita gratia habitualis dispositiuè concurrit ad hoc, quod Deus sit realiter præsens animæ præsentia reali distincta ab immensitate, & in mutatione facta per gratiam in anima hæc præsentia realis fundatur.

48 *Sed contra, & prob. cõclusio 2.* Sed contra, & probatur secundo nostra sentẽtia, vt enim supra arguebamus, ideò lumen gloriæ vt dispositio se habet ad vnionẽ realem diuinæ essentiæ cum intellectu beati, quia est principium notitiæ intuitiuæ Dei, quæ petit ad Deum vt præsentem realiter terminari, nec aliter potest elici, nisi vnita essentia diuina vt specie; sed in gratia iustificante prout communicatur in via nullum est prædicatum exigens Deũ vt præsentem realiter animæ ergo non potest vt dispositio se habere ad vnionẽ Dei vt præsentis realiter animæ, nec realem Dei præsentiam fundare. Cõsequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur: gratia namque, prout communicata in via solum est radix cognoscendi Deũ obscurè actu spei, & amoris amicabilis, & aliorum actuum virtutum per se infussarum; sed prout radici istorum actuũ nõ debetur illi Deus vt realiter præsens præsentia ab immensitate

diſtincta: ergo in illa prout communicata viatori nullum eſt prædicatũ exigens iſtam præſentiam. Probatur minor: præſentia enim, quæ actibus non debetur, non poteſt radici illorum deberi; ſed nulli ex prædictis actibus eſt debita præſentia Dei ab immenſitate diſtincta; non enim debetur cognitioni obſcuræ Dei, nec illius amori amicabili, vt manet probatum, de alijs autem certum eſt, quod non debeatur: ergo gratiæ vt illorum radici, non eſt debita talis præſentia.

49 *Reſp.* Reſpondebis, quod licet realis præſentia, non debeatur gratiæ iuſtificanti, vt communicatæ in via ex prædicato radicis cognoſcendi Deũ obſcure, ipſumque diligendi, debetur tamen ratione alterius prædicati ipſi conuenientis, etiam vt communicatæ in via; quia nempe eſt perfecta amicitia cum Deo; cum enim amicitia perfecta petat vnionem inter amicos, non ſolum affectiuam, ſed etiam ſecundum realem præſentiã, & Deus ratione gratiæ diligat amicabiliter hominem; fit conſequens, quod ſibi complaceat in eo quod homo ſit illi præſens, & ſe eſſe homini præſentem deſideret & cum alias illius voluntas ſit efficax, fit vt ratione gratiæ ſe homini ſibi grato realiter præſentem conſtituat: ita vt ſi per impoſsibile, non eſſet præſens per immenſitatem homini in gratia exiſtenti, eo ipſo quod diligeret amicabiliter hominem, ſe intra ipſum conſtitueret exiſtentem, & præſentem realiter redderet. Hæc ſolutio colligitur ex doctrina Patris Suarez *vbi ſupra cap.5.* quam ex ipſo alij Recentiores mutuarunt.

50 *Sed contra 1.* Sed contra illam facit primo: vt enim ex dictis conſtat, etſi amicitia petat vnionem inter amicos ſecundum præſentiam realem, ipſa tamen talem præſentiam non fundat: ergo quamuis gratia iuſtificans, vt communicata in via, ſit perfecta amicitia creaturæ rationalis cum Deo, & præſtet ius ad præſentiam realem Dei, ipſa tamen ratione ſui, nõ fundat iſtam præſentiam; ſed omnis præſentia Dei debet ſupra aliquam creaturæ mutationem fundari; & conſequenter, ſupra aliquam formam intrinſecam ipſi creaturæ: ergo vt Deus ſit realiter præſens homini in gratia exiſtenti, aliquid à gratia diſtinctum eſt in illo conſtituendum, ſupra quod iſta præſentia fundetur; ſed in homine viatore hoc fundamẽtum diſtinctum à gratia iuſtificante non datur: ergo nec realis præſentia Dei ab immenſitate diſtincta.

51 *Secũdo.* Facit ſecundo ex iam dictis: ſi nã que ratione gratiæ ex conceptu amicitiæ cum Deo, Deus eſſet realiter præſens homini in gratia exiſtenti, prout communicata in via, frueretur homo viator Deo, non ſolum vt habito in ſpe, ſed etiam vt habito in re; ſed ex D. Th. iam vidimus, quod fruitio Dei prout in via, nõ eſt Dei vt habiti in re, ſed tantum vt habiti in intentione: ergo ratione gratiæ, vt communicatæ in via, ex ratione, & conceptu amicitiæ, non eſt Deus præſens homini in gratia exiſtenti præſentia reali ab immenſitate diſtincta.

52 *Tertio.* Tertio: nã hæc realis præſẽtia Dei, vel eſt Dei, vt principij efficiẽtis, vel Dei vt obiecti, & finis rationalis creaturæ; neutrum horum dici poteſt: ergo admittenda, non eſt vt gratiæ viatoris debita ex conceptu amicitiæ. Conſequentia eſt bona. Maior videtur certa: nam præter vnionem humanitatis, cum Verbo, quæ ad ipſum terminatur vt humanitatem ſuppoſitans, non poteſt dari, nec cogitari alius modus vnionis creaturæ cum Deo, ſupra quam præſentia Dei ad illam fundetur, niſi vel vt cum principio efficiente, vel vt cum obiecto, & fine, vt docet D. Thom. *in 1. diſt. 14. q. 2. art. 2. ad Annibaldũ in eadem diſt. q. vnica. art. 3.* & *in 1. ſentẽtiarum diſt. 37. q. 1. art. 2.* ergo ſi ratione gratiæ ex conceptu amicitiæ eſt Deus realiter præſens homini in gratia exiſtenti, debet eſſe præſens realiter, vel vt principiũ efficiens, vel vt obiectũ, & finis. Minor pro prima

par-

parte cõstat: nã præsẽtia Dei in rebꝰ vt principium effectiuum fundata in vnione cum Deo, vt cum principio efficienti, est præsentia immensitatis omnibus rebus communis; sed præsentia Dei ad hominem ratione gratiæ, & donorum, est præsentia specialis distincta à præsentia, Deo ratione immensitatis conuenient: ergo non est Dei, vt principij efficientis. Pro secunda parte probatur: nã præsentia Dei vt obiecti non potest deberi gratiæ, nisi ex conceptu radicis actuum, quibus Deo vnimur; sed vt arguebamus supra, gratiæ ex conceptu radicis actuum, quos radicat in via, non debetur Deus vt obiectum physice, & realiter præsens, eo quod nulli ex actibus ab illa radicatis in via talis præsentia debetur; & consequenter, nec gratiæ illos radicanti debetur ex conceptu radicis: ergo præsentia physica, & realis Dei, vt obiecti, & finis, non potest gratiæ prout in via deberi ex prædicato amicitiæ.

53 *Deniq; reijcitur.*

Denique tradita solutio reijcitur: nam ratio amicitiæ, cum Deo gratiæ iustificanti conueniens, consistit in eo quod sit radix amandi Deum, & terminus amoris diuini, cõstituens hominem obiectum diuinæ dilectionis amicabilis, & potentem radicaliter ipsum amicabiliter diligere; sed præsentia realis Dei ad hominem in gratia existentem, non debetur gratiæ ex conceptu constituẽtis hominem radicaliter potentem ad Deum diligendum, nec ex conceptu constituentis hominem obiectum congruum diuinæ dilectionis amicabilis: ergo non debetur gratiæ ex conceptu amicitiæ. Consequentia tenet. Maior est certa, nec aliter explicari potest ratio amicitiæ, gratiæ iustificanti conueniens. Minor pro prima parte constat ex dictis.

54 *Minor prosecũda parte prob. primo.*

Pro secunda autem probatur primo: nam gratia ex illo conceptu solum habet constituere hominem dignum vt ex complacentia in gratia Deus illi velit suam realem præsentiam; sed hoc non est talem præsentiam fundare ratione sui, sed præstare ius ad illã: ergo vt Deus sit præsens realiter homini in gratia existenti, requiritur alia forma, in qua Dei præsentia fundetur, non enim potest talis præsentia consurgere, sine forma illam fundante; sed hæc forma à gratia distincta in homine viatore non datur: ergo nec realis præsentia Dei ab immensitate distincta, vel à præsentia, quæ Deo conuenit ex ratione immensitatis.

55 *Secũdo.*

Secundo probatur: nam gratia, vt obiectum dilectionis Dei amicabilis, etsi hominem dignum tali dilectione constituat, non tamen Deum necessitat ad huiusmodi dilectionẽ. Vnde potest Deus de sua potentia absoluta homini in gratia existenti, & vsque ad finem vitæ in illa perseuerãti, gloriam in perpetuũ negare, imo etiam in inferno illum detrudere, vt cum frequenti Theologorum sententia docuimus *Tomo 3. in 3. p. disp.* 52. §. 7. ergo licet constituat hominem dignum vt ex complacentia in illo, quatenus grato velit illi suam præsentiam, non tamen necessitat Deum ad suam realem præsentiã volendam homini in gratia existenti; & consequenter ratione solius gratiæ non consurgit talis præsentia, sed aliquid est addendum à gratia habituali distinctum, vt de facto talis præsentia consurgat: cumque hoc superadditum à gratia iustificante distinctum in homine viatore non detur, non est in illo dicta præsentia admittenda.

56 *Tertio.*

Tertio: nam homo ratione gratiæ habet ius ad æternam beatitudinem, & reddit hominem dignum, vt Deus ex complacentia in illo ratione gratiæ ei beatitudinem velit; & tamen ex hoc non sequitur, quod de facto illi conferat beatitudinem: ergo ex eo quod hominem dignum constituat vt ex complacentia in gratia illi velit suam præsentiam, non sequitur, quod illam de facto velit; & consequentér, non sequitur de facto ratione gratiæ homini præsentem constitui.

57 *Conf.* Confirmatur. & vrgetur: nam amicitia perfecta non ſolum petit vnionem inter amicos ſecundum præſentiam phyſicam, ſed etiam petit facialem amicorum præſentiam, hoc eſt ſe mutuo videre, imo hæc ſecunda eſt, quam principaliter amici deſiderant, & tamen ex eo quod Deus ratione gratię hominem viatorem amicabiliter diligat, & illius voluntas ſit efficax, nõ ſequitur, quod homini in via exiſtenti ſe de facto vidẽdum, & intuendum exhibeat, & quod de facto illi, ſui viſionem communicet: ergo ex eo quod perfecta amicitia petat phyſicam amicorum præſentiam, & Deus hominem in gratia exiſtentem amicabiliter diligat, & Dei voluntas ſit efficax, non ſequitur, quod homini in gratia exiſtenti, velit de facto efficaciter ſuam præſentiam phyſicam, nec quod de facto illi ſe phyſice præſentem conſtituat.

58 *Omnium ratio aſſignatur.* Et ratio omnium eſt: nam licet voluntas Dei efficaciſsima ſit, & ideô omne à Deo efficaciter volitum, infallibiliter fiat, hoc tamen debet eſſe iuxta illius beneplacitum, & in tempore à diuina voluntate præſcripto. Vnde ſicut ob hanc cauſam, ex eo quod hominem in gratia exiſtentem amicabiliter diligat, & eius voluntas ſit efficax, non ſequitur, quod illi de facto ſui notitiam intuitiuam cõmunicet, ſed ſolum in tempore à diuina voluntate præſcripto: ita ob eandem rationem non ſequitur, quod homini in gratia exiſtenti ſe realiter præſentem conſtituat quandiu eſt in ſtatu viæ; quia licet voluntas Dei ſit efficax, non tamen vult efficaciter præſentiam realem Dei à præſentia immenſitatis diſtinctam homini in ſtatu viatoris communicare. Quod autem iſtam præſentiam homini pro ſtatu viæ efficaciter non velit, colligitur ex iam dictis; quia nempe gratia ratione ſui iſtam præſentiam non fundat, nec poteſt realis Dei præſentia ſine reali fundamento conſurgere, & tale fundamentum, à gratia habitualiter diſtinctum, in homine viatore non datur.

Nec vis iſtius argumenti eneruatur aſſerendo, vt videtur ab aliquibus inſinuari, præſentiam realem Dei in homine viatore ratione gratiæ ſtatutam, non eſſe præſentiam ab immenſitate diſtinctam, ſed eandem nouo titulo debitam, ſicut præſentia Verbi ad humanitatem eſt eadẽ præſentia, quæ Deo conuenit ratione immenſitatis; ita debita humanitati ex vi vnionis, vt ſi per impoſsibile Deus ratione immenſitatis non eſſet præſens omnibus rebus: non poſſet Verbum vniri humanitati hypoſtaticê quin fieret illi præſens: ita gratia habitualis taliter nos vnit Deo, vt ſi per impoſsibile Deus non eſſet immenſus, non poſſet gratiam iuſtificantem infundere, quin præſens fieret realiter homini exiſtenti in gratia. Vnde præſentia, quæ Deo conuenit ratione immenſitatis, fit nouo titulo debita ratione iuſtificantis gratiæ homini exiſtenti in illa.

59 *Aliquorum neuatio.*

60 *Excluditur ex iam dictis.* Non inquam hac ſolutione vis argumenti facti euacuatur, vt enim præſentia realis Dei ad hominem exiſtentem in gratia, ſiue diſtincta ſit, ſiue non à præſentia immenſitatis, nouo titulo ratione gratiæ debeatur, oportet vt in gratia iuſtificante aſſignetur aliquod prædicatum ratione, cuius exigat illam præſentiam; ſed tale prædicatum, non poteſt in gratia aſsignari, vt probauimus: ergo realis Dei præſentia non poteſt nouo titulo ratione gratiæ deberi.

61 *Conf.* Confirmatur, & vrgetur: in de namque in vnione humanitatis cum Verbo probatur debitum realis præſentiæ Verbi ad humanitatem, & quod ſi Verbum immenſum nõ eſſet, & omnibus præſens realiter ratione ſuæ immenſitatis, fieret præſens humanitati ratione vnionis cum illa; quia humanitas vnita fuit Verbo vt ſuppoſito terminãti humanitatem, & cum illa vnum per ſe conſtituenti, quod à Verbo phyſice ab humanitate diſtante, neutiquam poſſet præſtari; ſed vnio hominis cum Deo ratione gratiæ habitualis, non eſt cum

ipso sub aliquo munere, quod distans exercere nō posset, si Deus nō esset im mēsus: ergo nullū est fundamentū ad probandum, ita realem Dei præsentiam ratione gratiæ deberi, vt si Deus non esset immensus, fieret realiter præsens homini existenti in gratia ratione gratiæ habitualis. Maior cum consequentia tenet: minor autem probatur: nā sub duplici ratione per gratiā vnimur Deo, nēpē vt principio gratiæ effectiuo, & vt obiecto cognoscibili, & amabili; sed si Deus nō esset immēsus, posset gratiā iustificātem infundere, distās realitēr ab homine illam recipiente, si semel admittatur, quod posset alias entitates efficere cum distantia reali ab illis; posset etiam ab homine grato cognosci, & diligi amicabiliter, quamuis realitēr ab illo distaret: ergo gratia non vnit creaturam rationalē cum Deo sub aliqua ratione, vel munere, quod non posset distans realitēr ab illa exercere, si per impossibile nō esset immensus.

62 *Resp.* Dices, gratiam iustificantem vnire hominem cum Deo, non solum vt principio efficiēte, & vt obiecto cognito, & amato ab homine, sed etiā cum Deo vt hominem amicabilitēr diligente, licet autem munera principij efficientis, & obiecti cogniti, & amati posset Deus exercere, distans realitēr ab homine, casu quo immensus non esset, non tamen posset hominem diligere amicabilitēr, quin fieret illi præsens, ob rationem supra assignatam; quia nempē amor amicabilis petit amicorum præsentiam, & cum amor Dei sit efficax, necessario illam inferret.

63 *Sed contra* 1. Sed præterquamquod huius solutionis doctrina à D. Thoma recedit; quia vt multoties supra vidimus, totam rationem cur per gratiam iustificantem dentur, & mittātur personæ ad creaturam rationalem, reducit ad vnionem, quæ fit per gratiam cum Deo vt obiecto cognito, & amato. Præter hoc inquam, reijcitur ex iam dictis, primo: nam gratia iustificans non necessitat Deū ad amorem amicabilem, etsi hominē dignum tali dilectione constituat: ergo quamuis dilectio Dei amicabilis sit ita cōnexa cum præsentia reali Dei, vt in omni casu illam inferat, non tamen inde probatur realem Dei præsentiam, ita esse cum gratia habituali connexam, & ita gratiæ esse debitam, vt ab illa in omni casu inferatur, nec possit Deus gratiam habitualem infundere, quin ratione gratiæ, homini in illa existenti præsens realiter constituatur, quamuis supponantur Deum immensum non esse, nec ratione immensitatis præsentem omnibus rebus.

64 *Secūdo.* Secundo: nam etsi gratiæ habituali essentialitēr conueniat constituere hominem dignum dilectionis Dei amicabilis, & ab illo diligibilē, non tamen est gratiæ essentiale constituere hominem actu dilectū à Deo, & actu terminantem dilectionē Dei amicabilem: ergo quamuis Deus vt actu amicabilitēr diligens, necessario inferat realem sui præsentiam cum homine sic dilecto, non sequitur esse gratiæ essentiale vnire hominem cū Deo sub aliqua ratione, vel munere, quod exercere nō possit distans realitēr ab homine.

65 *Tertio.* Præterea: nā falsum est non posse Deum hominem diligere amicabiliter, quin fiat illi præsens realitēr: ergo etiam si concedamus esse essentiale gratiæ iustificanti vnire hominem cum Deo vt illū actu diligente amicabilitēr, non sequitur esse illi essentiale vnire hominem cum Deo sub aliqua ratione, vel munere, quod nō possit exercere distans ab homine realitēr.

66 *Antec. prob.* 1. Consequentia tenet, antecedens autē probatur primo ex iam dictis; amor enim Dei non potest realem præsentiam fundare ratione sui: ergo vt esset illi essentiale realem Dei præsentiam inferre, oportebat vt esset illi essentiale causare aliquem effectum, vel formam ratione sui dictā præsentiam fundantem; sed hoc non est essentiale amori amicabili Dei: nam Deus de facto hominem existen-

tem

tem in gratia diligit amicabiliter, & tamen in illo vt in via exiſtente non cauſat aliquam formam à gratia iuſtificante diſtinctam, iſtam præſentiã fundantem, gratia autem habitualis non cauſatur ab amore Dei amicabili, ſed ad illum præſupponitur: ergo non eſt illi eſſentiale prædictam formam cauſare.

67 *Secũdo prob.*

Secundo: nam inde ſolum probatur ab Authoribus contrarijs, non poſſe Deum diligere amicabiliter hominem, quin fiat illi præſens realiter, quia amicitia perfecta petit vnionem inter amicos ſecundũ realem præſentiam, & dilectio Dei eſt efficax; ſed ratio hæc eſt inefficax: ergo falſum eſt non poſſe Deum diligere amicabiliter hominẽ, quin fiat illi præſens realiter. Probatur minor: vt enim ſupra arguebamus, amicitia non ſolum petit vnionem inter amicos ſecundum præſentiam phyſicam, ſed etiam petit vnionem inter amicos ſecundum præſentiam facialem, & intuitiuam, id eſt, quod ad inuicem amici videantur; & tamen ex hoc, & ex eo quod amor Dei ſit efficax, non infertur non poſſe Deũ diligere amicabiliter hominẽ, quin ſe præbeat ab ipſo videndum, & quin illi viſionem, & notiam ſui intuitiuam communicet: ergo ex eo quod amicitia petat vnionem inter amicos, & amor diuinus ſit efficax, non probatur efficaciter, quod non poſsit Deus diligere amicabiliter hominem, quin ſe homini dilecto realiter præſentem conſtituat.

68 *Secũda ſolutio argum. principalis.*

Secundo reſpondebis argumẽto principali, gratiam iuſtificantem, prout communicatam in via, non ſolum radicare cognitionẽ Dei per fidem, ſed etiam cognitionem experimentalem Dei, quæ eſt actus doni ſapientiæ. Vnde media gratia habituali, vt communicata in via vnimur cũ Deo, vt obiecto cognoſcibili experimentaliter. Et quia obiectum non præſens realiter, non poteſt ſubeſſe cognitioni experimentali, fit conſequens, vt ratione gratiæ vt communicatæ in via vniamur cum Deo vt realiter nobis præſenti, quæ præſentia diſtincta eſt à præſentia immenſitatis, illam tamen neceſſario ſupponit, quia namque Deus infundendo gratiam contactu virtuali nobis per immenſitatem, fit præſens, conſtituitur ratione gratiæ experimẽtaliter cognoſcibilis; ſicut quia anima rationabilis per informationem vnitur materiæ redditur nobis cognoſcibilis experimẽtali cognitione. Ex qua doctrina poteſt etiam occurri alijs, quæ contra priorem ſolutionẽ obiecimus; iam enim aſsignatur aliquod prædicatum in gratia vt communicata in via, realem Dei præſentiam expoſcens, nempè eſſe radicem cognitionis experimentalis Dei, & vnire nos cum ipſo, vt experimentaliter cognoſcibili. Sicut enim lumen gloriæ eſt diſpoſitio exigens realem præſentiam, quia per illud Deo vnimur vt cognoſcibili cognitione intuitiua, quæ petit ad Deum vt realiter præſentem terminari: ita gratia habitualis vt cõmunicata in via eſt diſpoſitio ad præſentiam realem Dei, & realis Dei præſentia ſuper illam fundatur, quia vnit nos cum ipſo, vt cognoſcibili experimẽtali cognitione, quæ petit terminari ad Deũ vt realiter nobis præſentem. Ita Magiſter Sancto Thoma, *vbi ſupra numero 4. & ſequentibus.*

69 *Impugnatur primo.*

Cæterum, quamuis ſolutio iſta profunditate ſolita à viro ſapientiſsimo excogitata ſit, & alijs meo iudicio præferenda, ſi ſententia, quam impugnamus ſit defenſanda. Contra illam facit primo: nam perſonæ diuinæ mittuntur, & dantur nobis ratione gratiæ iuſtificantis, prout vnit nos Deo vt obiecto cognito per fidem, & amato per charitatem; ſed gratia vt ſic nos vniens Deo non exigit illius realem præſentiam: ergo ſine hac præſentia ſaluatur perſonarũ miſsio, & datio; & conſequentèr recurſus ad cognitionem experimentalem neceſſarius non eſt. Conſequentia tener, minor videtur certa: nam iuxta doctrinam ſolutionis gratia, ſolum petit præſen-

tiam

tiam Dei realem in anima secundum quod vnit illam Deo vt experimentalitêr cognoscibili; sed cognitio fidei non est experimentalis, hæc namque iuxta istius Magistri doctrinam est actus doni sapientiæ: ergo gratia vt vniens Deo vt per fidem cognoscibili, & amabili per charitatem, actu regulata per fidem non petit præsentiam Dei realem in anima.

70 *Maior prob. 1.* Maior autem probatur primo expresso D. Thomæ testimonio *in 1. distinct. 37. quæst. 1. art. 2.* vbi distinguens duos modos, quibus creatura coniungitur Deo: vnum secundum similitudinem tantum, quẽ docet esse omnibus creaturis communem, pertinereque ad generalẽ modum essendi in creaturis per essentiam, præsentiam, & potentiam. Et alterum specialem, secundum quem creatura coniungitur Deo per gratiam, istum modum explicans, ait: *Secundo, creatura attingit ad ipsum Deum secundum suam substantiam consideratum, & non secundum similitudinem tantum, & hoc est per operationem, scilicet, quando aliquis fide adhæret ipsi primæ veritati, & charitate ipsi summæ bonitati, & sic est alius modus, quo Deus specialiter est in sanctis per gratiam.* Hæc D. Thomas; ex quibus probatur maior: sub eadem consideratione, est gratia iustificans ratio vt mittantur, & dẽtur nobis personæ, sub qua est ratio vt Deus sit modo speciali in Sanctis; sed iuxta D. Thomã, gratia est ratio vt Deus in nobis speciali modo existat, prout nos coniungit per fidem primæ veritati, & summæ bonitati per charitatem: ergo est ratio vt personæ diuinæ mittantur, & dentur nobis, prout vnit nos Deo vt obiecto per fidem cognito, & per charitatem amato.

71 *Secũdo prob. maior.* Secundo probatur maior; vt enim docet D. Thom. *in 1. distinct. 15. q. 4. artic. 2. ad secundum argumentum*, considerata missione personarum ex parte donorum, in quibus fit, *præcedit missio Filij missionem Spiritus Sancti*; sed si gratia non esset ratio vt diuinæ personæ mittantur, prout vnit nos Deo, vt per fidem cognoscibili, & amabili per charitatem dilectione regulata per fidem, non esset vera hæc doctrina: ergo iuxta D. Thomam, personæ mittuntur, & dantur nobis ratione gratiæ vt nos vnientis Deo, vt obiecto cognito per fidem, & per charitatem amato. Probatur minor: vt missio Filij ex parte donorum sit prior missione Spiritus Sancti, oportet, quod gratia, prout in illa fit missio Filij, sit prior se ipsa, prout in illa fit missio Spiritus Sancti; sed gratia non habet hanc prioritatem vt est principium cognoscendi Deum cognitione experimentali, quæ est actus doni sapiẽtiæ; donum enim sapientiæ ad charitatẽ consequitur; & consequẽtêr gratia vt illud, & illius actum radicans, non est prior se ipsa vt radicante actum, & habitum charitatis: ergo si gratia non est ratio, cur personæ diuinæ mittantur, & dantur nobis vt nos Deo vnit vt obiecto cognito per fidem, non potest missio Filij ex parte donorum, in quibus missio exercetur, esse prior missione Spiritus Sancti.

72 *Deniq; prob. maior.* Deniq; probatur maior: etenim ratione gratiæ vt radicantis primũ actum dilectionis Dei super omnia, mittitur Spiritus Sanctus missione sibi appropriata, vt vidimus *ai p. 98. §. 8.* sed missio vt appropriata Spiritui Sancto supponit missionem vt appropriatam Filio: ergo mittitur Filius appropriatiuê ratione gratiæ vt radicantis notitiam regulantem primum actum charitatis; sed notitia regulans primum actum dilectionis non est actus doni sapiẽtiæ, sed fidei, vt ostendimus loco vbi proximẽ, & *disp. 96. §. 6.* ergo mittitur Filius ratione gratiæ vt radicãtis cognitionem Dei elicitam medio habitu fidei, & consequenter gratia iustificans est ratio, cur diuinæ personæ mittantur, & dentur nobis, prout nos coniungit Deo vt obiecto per

fidem cognito, & per charitatem amato.

73 *Secũdo impugnatur.* Secundo facit contra eandem ſolutionem, etenim notitia experimẽ talis de Deo habita in hac vita, non petit Deum realiter obiectiuê præſentem; & conſequenter, nec gratia vt illam radicans: ergo ratione gratiæ vt radicantis prædictam notitiã, non fit Deus obiectiue realiter in ſe ipſo præſens præſentia reali diſtincta à preſentia per immenſitatem ſupponente præſentiam immẽſitatis. Conſequentia tenet ex his, quibus primam ſolutionem ſecundi argumenti impugnauimus.

74 *Antec. prob. 1.* Antecedens autem probatur primo ex D. Thoma *in 1. diſtinct. 15. q. 4. artic. 1. ad 1.* vbi de notitia in hac vita habita per donum ſapientiæ, quæ eſt notitia experimẽtalis Filij, ait: *Sed tamen me habere actuale donum, in quo perſona diuina datur, non poſſum ſcire certitudinaliter in actu propter ſimilitudinẽ actuum moralium ad actus meritorios, etſi poſsim ex aliquibus ſignis conijcere*: ergo iuxta D. Thomam notitia experimentalis Filij habita per donum ſapientiæ non eſt certa, ſed coniecturalis; at notitia coniecturalis, non petit eſſentialiter realem obiecti præſentiam, cum eo ipſo, quod ſit tantũ coniecturalis poſſit exiſtere, obiecto non exiſtente: ergo notitia experimentalis habita in hac vita de Deo, non petit eſſentialiter Deum realiter obiectiuê in ſe ipſo præſentem.

75 *Secũdo.* Secundo probatur: notitia enim experimẽtalis habita per donum ſapientiæ, eſt iudicium de diuinis ex connaturalitate ad diuina, quæ per charitatem fit, vt docet D. Thomas *2.2. quæſt. 45. art. 2.* Charitate applicatiuê ſe habente ad prædictum iudicium formandum, vt volunt aliqui cum Patre Suarez *lib. 2. de gratia cap. 18. num. 17.* vel connaturalitate per charitatem facta, tranſeunte in conditionem obiecti, vt oſtẽdit Magiſter Sancto Thoma *tom. 2. in 1.2. art. 4.* verſu *quare dicendũ*; ſed charitas, prout communicata in via, non petit realem Dei præſentiã obiectiuam, hoc eſt, ad Deum vt in ſe ipſo diligenti realiter præſentẽ terminari, vt contra primam ſolutionẽ ſecundi argumenti oſtendimus: ergo notitia experimentalis, & iudiciũ de Deo formatum per donum ſapiẽtiæ, talem præſentiam non petit.

76 *Tertio.* Tertio, & explicatur magis hoc ipſum: notitia habita per donum ſapientiæ dicitur experimentalis, quia nititur experientiæ de diuinis habitæ per actum charitatis, & ex guſtu, & dulcedine ex actu charitatis relictis formatur, vt explicat Magiſter Sancto Thoma, vbi proximè; ſed actus charitatis elicitus ab homine in via non terminatur ad Deum, vt realiter obiectiuê præſentem; & conſequenter guſtus, aut dulcedo conſequuta ad talem actum non ſunt de Deo vt præſente reali obiectiuê: ergo notitia experimentalis innitens dilectioni diuinæ, & guſtui, aut dulcedini ex ipſa perceptis, non terminatur ad Deum vt realiter obiectiuê præſentem, nec illius realem obiectiuam præſentiam requirit.

77 *Conf. 1.* Confirmatur, & vrgetur primo: vt enim ſupra monſtrauimus ex Diuo Thoma *1.2. q. 11. art. 4. in corpore, & ſolutione ad 1.* fruitio, ſeu delectatio, qua Deo in hac vita fruimur, & de Deo delectamur, non eſt Dei vt habiti in re, ſed vt habiti in intentione, in ſpe, vel in iure; ſed dulcedo, vel guſtus, quem iuſti in hac vita percipiunt, vel in fruitione, & delectatione conſiſtunt, vel ad illam conſequuntur: ergo non ſunt de Deo vt habito in re, ſed vt habito in intentione, aut in ſpe; & conſequẽter, nec guſtus, aut delectatio, nec notitia doni ſapientiæ, quæ guſtui, & delectationi de Deo in hac vita perceptis innititur, terminatur ad Deũ vt realiter obiectiuê præſentem, nec illius realem obiectiuam præſentiam expoſcunt.

78 *Conf. 2.* Confirmatur, & vrgetur ſecundo ex D. Thoma *vbi proximè ſolutione ad 3. argumentum*, quod ita

pro-

procedebat: *Frui est capere fructū, sed non capitur fructus, nisi quādo iam finis habetur: ergo fruitio non est nisi finis habiti.* Cui argumento ita respondet: *Ad tertium dicēdum, quod finem accipere, vel habere dicitur aliquis, non solum secundum rem, sed etiam secundum intentionem, vt dictum est in corpore articuli.* Ex quibus in hunc modum arguitur: dulcedo spiritualis, qua iusti in hac vita potiuntur, est fructus captus de Deo, & ex affectu erga Deum, & illius amore perceptus; sed iuxta D. Thomam fructus in hac vita capti, non capiuntur de Deo vt habito in re, sed vt habito in intentione, aut in spe: ergo dulcedo, vel gustus, quibns iusti in hac vita potiuntur, non versatur erga Deum vt ipsis realiter obiectiue præsentē, nec illius realem obiectiuam præsentiam exposcunt: & consequenter notitia habita per donum sapiētiæ, quæ ideō experimentalis dicitur, quia nititur gustui, & dulcedini de Deo in hac vita perceptis, non terminatur ad Deum vt in se ipso realiter obiectiuē præsentem, nec realem Dei præsentiam obiectiuam requirit. Ex quo vlterius fit, vt gratia iustificās, prout communicata in via, non petat Deū vt realiter obiectiuē præsentem præsentia distincta à præsentia per immensitatem; & super illam fundata: vt enim gratia præsentiam illam exigeret vt comumnicata in via, oportebat radicare aliquem actum viatoris ad Deum terminatum vt realiter obiectiuē præsentem: & realem Dei præsentiam exposcentem; sed nō datur talis actus elicitus à viatore, qui ad Deum terminetur vt realiter obiectiuē præsentem, non enim actus fidei, nec actus charitatis, nec notitia experimentalis habita per donum sapientiæ, vt per omnes discurrendo probauimus: ergo gratia vt communicata in via, non potest realem Dei præsentiam exigere, nec illam potest fundare.

§. Vltimus.

Argumentis in cōtrarium occurritur.

79 *Contra arguitur primo ab authoritate.*

COntra nostram sententiam arguunt oppositi Authores 1. ex illis testimonijs Scripturę, in quibus habetur non solum dari dona creata nobis, sed etiam ipsas diuinas personas, prout à donis condistinctas: ad Romanos 5. & alibi, adiunctis Patribus, qui id etiam expressē docent. Colliguntque ex prædictis testimonijs. Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 4. Bernardus de vita solitaria ad fratres de monte Dei. Augustinus *sermone 43. de verbis Domini lib. 15. de Trinitate cap. 18. & cap. 26.* vbi ait: *Eundē Spiritum Sanctum datum, cum insufflasset Iesus.* Magister Sententiarum *in 1. distinct. 14.* Bonauentura *ibidē art. 2. quæst. 2.* D. Thomas *quæst. 2. art. 1. & 2. & distinct. 37. quæst. 1. art. 2. 4. Contra Gentes cap. 18. In hac quæst. art. 3. & in 1. ad Anibaldum distinct. 14. quæst. vnica art. 3.* vbi docet, *quod habetur aliquid per aliquem modum vnionis, sicut habetur vestimentum, vel albedo: homo autem quando iustificatur, nō solum vnitur dono Dei, quod formaliter in anima recipitur sed ipsi Deo per cognitionem, & amorem actualiter, quia qui adhæret Deo vnus Spiritus est, primæ ad Chorinthios 6.* Sed personas diuinas dari secundum substantiam, & prout à donis distinctas, non potest verificari, nisi in vi missionis ad creaturam rationalem fiant illi realiter præsentes præ-

Augusti. M. Sēt. Bonau. D. Th.

sen-

ſentia reali diſtincta à præſentia immenſitatis: ergo vt veritas verborũ Scripturæ,& loquutionis Patrũ ſubſiſtat, neceſſario eſt aſſerendum,cum per dona gratiæ gratum facientis mittuntur ad nos perſonæ, fieri realiter nobis præſentes præſentia phyſica,& reali diſtincta ab ea , qua ratione immenſitatis ſunt præſentes rebus omnibus per eſſentiam , præſentiam,& potentiam.

80 *Minor prob.* Probatur minor: ſola præſentia obiectiua vt obiectum cognitũ, & amatum, non ſufficit vt perſonæ diuinæ dentur intelligenti,& amanti: ergo vt verum ſit quod dantur, requiritur neceſſario,quod fiant realiter præſentes.

Antec. prob.1. Probatur an eccẽs primo: etenim perſonas diuinas eſſe obiectiuê præſentes vt obiectum cognitum, & amatum actu,vel habitualiter , eſt denominatio extrinſeca à cognitione,& amore ſumptis pro actibus, vel pro habitibus: ergo ſic eſſe præſentes non eſt dari ipſas perſonas , ſed ſolum creata,à quibus ſumitur prædicta denominatio.

81 *Secũdo.* Secundo idem antecedens probatur: vt enim perſonæ mittantur, & dentur nobis,debent eſſe in nobis nouo modo realiter,& realiter à nobis haberi,vt conſtat in exẽplo quo vtitur D. Thomas de albedine, & veſtimento , quæ à nobis habentur realitêr, quia illis realitêr vnimur; ſed ſi ratione donorum gratiæ non ſunt diuinæ perſonæ nobis præſentes præſentia phyſica , & reali , ſed ſolum præſentia obiectiua,non poſſunt dici realitêr à nobis haberi, nec nos realiter dici poſſumus illis vniri, ſed ſolum prædictis donis: ergo ſola præſentia obiectiua non ſufficit vt diuinæ perſonæ ratione donorũ gratiæ mittãtur,& dentur nobis, prout à donis diſtinguuntur. Tertio probatur : nam ſi per impoſsibile Deus non eſſet immenſus,poſſet cognoſci, & amari à nobis ; & conſequentêr poſſunt perſonæ diuinæ eſſe in creatura rationali obiectiuê,vt obiectum cognitum , & amatum , & tamen in

82 *Tertio.*

tali caſu non darentur creaturæ rationali,cum nõ mitterentur ad illa, vtpotê ab illa diſtantes phyſicê : ergo ſola præſentia obiectiua non ſufficit vt perſonæ diuinæ dentur rationali creaturæ,prout à donis cõdiſtinctæ.

83 *Deniq; antec. prob.* Deniqne probatur: per hoc enim quod vnus homo alium cognoſcat, & amicabiliter diligat, non dicitur amicum dilectum ad amicum diligẽtem,& cognoſcentem venire,nec dicitur ipſi donari;& tamen in vi cognitionis,& amoris fit præſens cognoſcenti, & amanti per præſentiam obiectiuam : ergo perſonas diuinas eſſe rationali creaturæ præsẽtes præſentia obiectiua vt obiectum cognitum,& amatum ab illa , non ſufficit vt dicantur illi dari, prout à donis gratiæ diſtinctæ,nec ad illam , prout ſic mitti.

84 *Reſp.* Reſpondeo concedendo totum, quod in maiori continetur, ſcilicet, perſonas diuinas dari rationali creaturæ , prout à donis gratiæ diſtinctas, & hoc colligi ex teſtimonijs Scripturæ,& ex Patribus citatis. Et negando minorem: vt enim perſonæ diuinæ dentur vt à donis gratiæ diſtinctæ,ſufficit,quod creatura rationalis vniatur,non ſolum cum donis gratiæ,ſed illis mediantibus vniatur Deo, prout eſt in ſe ipſo , & etiam perſonis diuinis,quod fit per operationem,*per quam*,inquit D. Thomas in 1. diſtinct. 37. quæſt. 1. art. 2. *creatura attingit ad ipſum Deum ſecundum ſubſtantiam ſuam conſideratum,& non ſecundum ſimilitudinem tantum,ſcilicet,quãdo aliquis fide adhæret ipſi primæ veritati,& charitate ipſi ſũmæ bonitati.* Et cõcluditDiuus Thomas.*Et ſic eſt alius modus, quod Deus ſpecialiter eſt in Sanctis per gratiã*: vt ergo Deus dicatur eſſe ſpeciali modo per gratiã in Sanctis,ſufficit,quod vniantur uõ ſolum cum ipſa gratia,ſed quod media gratia vt ex radice prædictarum operationum Deum ipſum attingentium ſecundũ ſuam ſubſtantiam , ipſi Deo ſecundum ſuam ſubſtãtiã vnian-

tur

tur, vt primæ veritati, & ſummæ bonitati; & conſequenter hoc ſufficit, vt perſonæ diuinæ dicantur mitti, & dari nobis, prout à donis gratiæ diſtinctæ.

85 *Ad 1. antec. probationẽ*

Ad probationem minoris, nego antecedens. Ad cuius primã probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: nam licet eſſe obiectiuê in creatura rationali ſit denominatio extrinſeca à donis gratiæ deſumpta, quia tamen mediantibus donis gratiæ vnimur ipſi Deo ſecundum ſubſtantiam ſuam, & perſonis diuinis, prout à donis gratiæ diſtinctis; fit conſequens, vt non ſolũ dentur dona gratiæ intrinſicê in nobis recepta, ſed etiam ipſæ perſonæ, quibus vt à donis gratiæ diſtinctis mediantibus illis vnimur. Et quidẽ perſonas mitti eſt denominatio extrinſeca, vt docet Pater Suarez, cuius eſt hoc argumentum, *vbi ſupra cap. 5.* hinc probans, nõ poſſe perſonas mitti ſine intrinſeca mutatione creaturæ; & tamen propriê mittuntur: ergo ex eo quod perſonas diuinas eſſe in rationali creatura, vt obiectum cognitum, & amatum, ſit denominatio extrinſeca à donis gratiæ desũpta, malé infertur à Suarez prædictũ modum eſſendi non ſufficere vt propriê mittantur ad creaturam rationalem, illique dentur perſonæ diuinæ.

86 *Ad 2.*

Ad ſecundam antecedentis probationem, conceſſa maiori, nego minem: nam per dona gratiæ, non ſolũ ipſis donis vnimur, ſed ipſis mediantibus vnimur realiter perſonis diuinis ſecundum ſuam ſubſtantiam, & quatenus ſunt in ſe ipſis vt obiecto cognito, & amato, & fini à nobis fruibili, quæ vnio realis eſt, etſi nobis tantum intrinſeca, perſonis autem extrinſeca. Et in vi prædictæ vnionis ſunt in nobis realiter perſonæ præſentia reali obiectiua, etſi nõ ſint nobis præſentes phyſica, & reali præſentia, & non ſolum realiter habemus dona, ſed etiam habemus realiter ipſas diuinas perſonas. Vt enim arguit D. Thomas in hac quæſt. artic. 3. *Id habere dicimus, quo liberè poſſumus vti, vel frui, per donũ autem gratiæ gratum facientis perficimur ad hoc, quod liberè, non ſolum ipſo dono gratiæ vtamur, ſed etiam vt ipſis diuinis perſonis fruamur. Et ideò*, concludit D. Thomas, *miſsio inuiſibilis fit ſecundùm donum gratiæ gratum facientis, & tamen ipſa diuina perſona datur.*

87 *Defectus præſentiæ phyſicæ non obſtat vt ſaluetur fruitio.*

Nec obſtat ad hoc, quod per donum gratiæ gratum faciẽtis fruamur perſonis diuinis, quod ex vi illius nõ fiãt realiter præſentes nobis. Vt enim ſupra vidimus ex D. Thoma 1. 2. *quæſt. 11. art. 4. in corpore*, ſola fruitio perfecta petit eſſe de vltimo fine vt habito in re; fruitio autem huius vitæ non eſt fruitio perfecta, vt ſupra ex doctrina D. Thomæ monſtrauimus, & ideò non petit finem vt in re habitum, ſed ſolũ in intentione, & in ſpe; & conſequenter non petit finem vltimum vt realiter obiectiuê præſentẽ. Nec vt dẽtur nobis realiter diuinæ perſonæ petitur realis præſẽtia, ſed ſufficit, quod realiter à nobis habeãtur, quod enim habetur, datur. Vt autem docet D. Th. vbi proximê in corp. artic. *Vltimus finis habetur dupliciter, vno modo perfectè, alio modo imperfectè; perfectè quidem quando habetur, non ſolum in intentione, ſed etiam in re; imperfectè autem quando habetur in intentione tantum*: vt ergo perſonæ diuinæ dicantur haberi à nobis, non eſt neceſſarium, quod habeãtur in re, ſed tantum in intentione; quod autem in intẽtione tantum habetur, non habetur vt realiter præſens: ergo vt realiter haberi dicantur, nõ eſt neceſſarium quod ſint realiter præſentes; & conſequenter, neque vt realiter dentur, requiritur realis præſentia, quod enim ſufficit vt perſonæ à nobis habeantur, ſufficit vt nobis dentur.

88 *Replicabis.*

Sed dices, ſequi ex iſta ſolutione dari in nobis in hac vita, non ſolũ perſonas diuinas, ſed etiam viſionẽ ipſam beatificam, qua poſſidentur in patria; conſequens eſt falſum: ergo

& tradita ſolutio. Conſequentia eſt bona, minor certa: nullus enim Theologorum aſſeruit æternã beatitudinem nobis in hac vita dari. Sequela autem probatur: nam ex doctrina ſolutionis, ſequitur beatitudinẽ æternam haberi in hac vita à nobis; ſed ideò perſonæ dantur, quia à nobis habentur: ergo ſequitur dari nobis in hac vita beatitudinẽ æternam. Probatur ſequela: ideo habentur à nobis perſonæ per dona gratiæ in hac vita, quia licet non habeantur in re, habẽtur tamen in ſpe, vel in intententione, vel in iure præſtito nobis per gratiam; ſed ipſa æterna beatitudo habetur à nobis in præſenti vita in ſpe, in intentione, & in iure: ergo ſi ob hanc cauſam habentur à nobis, & nobis dantur perſonæ, habetur etiam à nobis, & nobis in præſenti datur ipſa æterna beatitudo.

89 *Reſp.* Reſpondeo negando ſequelam: nam viſio beatifica eſt habitio perfecta vltimi finis. Vnde non poteſt dici, quod viſio beatifica habetur, niſi vltimus finis habeatur perfectè. De⁹ autem, qui eſt vltimus finis vt *quod*, & obiectiu⁹ *p teſt haberi perfectè, vel imperfectè, perfectè quidẽ, quãdo habetur in re; imperfectè autem, quando habetur non in re, ſed in intentione*; vt docet D. Thomas, vbi ſupra. Et ideò per gratiam viæ, per quam finis vltimus obiectiuus habetur in iure, & in intentione, dicitur finis vltimus aliquo modo haberi. Eſt inſuper alia ratio diſcriminis: nã finis vltimus cõmunicatur obiectiuê, poteſt autem obijci cognitioni perfectæ, & cognitioni imperfectæ, & ideò poteſt haberi perfectè per cognitionem perfectam, & imperfectê per imperfectam, & obſcurã cognitionem. Viſio autem beatifica, non beatificat obiectiuê vt *quod*, ſed tantum formaliter, & vt *quo*. Et ſic requiritur, quod vt forma communicetur; non autem poteſt vt formà cõmunicari, niſi habita in re; ac proinde non poteſt dici haberi, niſi habeatur in re.

90 *Ad 3.* Ad tertiam antecedentis probationem, conceſſa maiori, & prætermiſſa minori, diſtinguo conſequens: ſola præſentia obiectiua præſupponens realem, & intimam præſentiam perſonarum, nego conſequentiam: hanc præſentiam nõ præſupponens, tranſeat conſequens: nam in illa hypoteſi præſentia obiectiua perſonarum nõ ſupponeret realem illarum præſentiam factam in vi gratiæ gratum facientis. Et ideò nõ ſufficeret vt perſonæ mittẽrẽtur. Vt enim docet D. Tho. in hac quæſt. artic. 1. ad 2. *Illud quod ſic mittitur vt incipiat eſſe, vbi prius nullo modo erat, ſua miſsione localiter mouetur*: ac proinde vt ſic mittatur debet fieri realiter præſens; cum ergo in illo caſu non ſupponantur realiter præſentes perſonæ ratione immenſitatis, vt in tali caſu mitterentur, deberent incipere eſſe vbi prius nullo modo erant; & conſequenter moueri localiter, & acquirere phyſicam realem præſentiam. Modò autẽ ſupponuntur perſonæ præſentes realiter per immenſitatem ratione gratiæ, & donorum, prout ſunt à Deo, vt à principio efficiente, & ratione eorũdem ſecundum ordinem, quem dicunt ad Deum vt obiectum per operationem attingendum repræſentantur propria perſonarum, & vnimur illis ſecundum ſuam ſubſtantiam vt obiecto cognoſcibili, amabili, & fruibili à nobis. Et ideò ratione illorum, prout ſic dicuntur mitti perſonæ, quamuis ſolum fiant obiectiuê præſentes, quia incipiunt eſſe nouo modo in creatura rationali nouitate cõtenta intra modum eſſendi obiectiuê, ſupponente realem præſentiam perſonarum per immenſitatem ratione eorundem donorum, prout sũt à Deo, tanquam à cauſa efficiente.

91 *Ad vlt. antec. prob.* Et ex his ad vltimam antecedentis probationem, conceſsis maiori, & minori, nego conſequentiam: cognitio enim, & amor, quibus vnus homo ab alio cognoſcitur, & amatur, nec illum phyſicê præſentem conſtituunt, nec illum ſic præſentem ſupponuntur, nec procedunt

ab aliquo principio, ratione cuius illum cognoscens, & amans habet liberam facultatẽ illo fruendi, ac proinde tales actus nõ sufficiunt, vt ille qui amicabiliter ab alio diligitur, dicatur ad diligentem mitti, aut diligẽti donari. Cuius oppositũ in cognitione, & amore quibus Deum cognoscimus, & amamus opposita de causa contingit: nam licet in vi istorum actuum non fiant physicé præsentes personæ, sed tantũ præsentia obiectiua, ad illos tamẽ supponũtur physicè præsentes, tum ratione donorum naturalium, tum etiam ratione gratiæ, prout est à Deo vt à principio efficiente, & ideo ratione præsentiæ obiectiuæ, quæ à donis gratiæ præstatur, ratione ordinis ad Deum tamquam obiectum, habent nouum modum essendi sufficientem vt de nouo mittatur. Et quia ratione gratiæ conuenit rationali creaturæ, facultas libera fruendi personis diuinis, ratione illius habentur, & donantur personæ. Et quidem, quamuis cognitio, & amor, quibus vnus homo alium cognoscit, & diligit, terminarentur ad illum vt existentem, & physicè præsentem, non diceretur homo cognitus, & dilectus veniens, & missus ad cognoscentem, & diligentem illum in vi prædictorum actuum, & tamen vt docent contrariæ sentẽtiæ Authores in vi cognitionis, & amoris ad Deum vt præsentem physicè tendentium mittuntur ad nos personæ diuinæ, & nobis donantur: tenentur ergo assignare discrimen, & factum argumentum diluere.

92 *Tacita obiectio diluitur*

Nec ex hac doctrina sequitur, missionẽ personarũ fieri per dona gratiæ vt sunt à Deo, vt à principio efficiente. Tũ, quia per illa sic sumpta nõ repræsentãtur personæ secũdũ sibi propria, sed tantũ prout sunt vnũ in esse tia. Tum etiam, quia ratione illorũ, prout sic non habẽtur à nobis, nec referũtur ad personas vt habitas; & cõsequẽter, nec vt à nobis donatas, quorũ vtrũque requiri ad missionẽ personarũ, cõstat ex supra dictis. Supta autẽ dona gratiæ secũdum ordinem ad Deũ, tãquã obiectũ, repræsentãt propria personarum, & personæ ratione illorum habentur à creatura rationali, & medijs illis refertur ad Deũ, tanquam ad habitum. Ex quo fit, quod personæ dicantur nobis dari, & ad nos mitti ratione donorum gratiæ secundum ordinem, quem dicunt ad Deum vt ad obiectum, & prout nos Deo coniungunt, tãquam obiecto cognito, & amato, & tanquam fini fruibili, non exclusa, sed necessario præsupposita physica personarum præsentia ratione eorũdem donorũ, prout sunt à Deo, vt à principio effectiuo.

93 *Secũdo arg. ratione.*

Secundo principaliter arguunt: vt enim docet D. Thomas 1. 2. *q.* 28. *in corpore, & solutione ad* 2. triplex vnio consideratur in amore, vna identitatis, vel similitudinis, quã amor supponit; alia est vnio affectiua, quam amor formaliter facit. Tertia est vnio realis secundum realem amicorum præsentiam, & de ista vnione, ait, *quod est effectus amoris, quam amans quærit de re amata, & est secundum conuenientiã amoris: vt enim Philosophus dicit secundo Polyticorum, Aristophanes dixit, quod amantes desiderant ex ambobus fieri vnum, sed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterum eorum corrumpi, quæ sunt vnionem, quæ conuenit, & decet, vt scilicet simul conuersentur, & simul coloquantur, & in alijs huiusmodi coniungantur.* Hæc D. Tho. ex quibus arguit Suarez, & ex illo recentiores: amor amicitiæ est causa vnionis realis inter amicos illã quærendo, & desiderando; sed Deus ratione gratiæ diligit amicabiliter hominẽ existentẽ in illa, & amor illius efficacissimus est; & consequenter potest assequi quod intendit: ergo ex vi gratiæ, & charitatis, quã in anima causat, vnimur illi, non solũ vnione effectiua, sed etiam vnione reali, & secundum realem, & substantialem præsentiam: ita vt si per impossibile non esset immẽsus, & ratione immẽsitatis præsens rebus omnibus secundum

substantiam suam, ratione gratiæ, & charitatis præsens esset homini existenti in gratia.

94 *Resp. 1.* Resp. 1. ex præmissis illi⁹ argumẽti, esto inferretur vnio realis Dei cũ homine grato secundum realẽ præsẽtiam, non tamẽ rectẽ inferri, fieri huiusmodi vnionem ratione gratiæ, & charitatis. Vt enim arguebamus *supra n. 45. & seqq.* amor amicabilis quantũcũque sit perfectus, nõ vnit se ipso formaliter amicos vnione reali, sed tantum effectiuẽ, & consequenter ex eo quod amor quo Deus diligit amicabiliter hominem existẽtẽ in gratia efficacissimus sit, ad sũmũ inferri potest vnire realiter Deum cum homine grato effectiuẽ se ipso, & formaliter ratione alicuius formæ ab illo efficienter causatæ; gratia autẽ, etsi homini, cui inest obiectum cõgruum constituat, vt Deus ex cõplacentia in illa eum amicabiliter diligat, non tamen vt terminus efficienter causatus per amorẽ amicabilem; & consequenter, quamuis quia talis amor est efficax, inferatur vnio realis Dei cum homine quẽ diligit, non tamen infertur quod ratione gratiæ, & charitatis realiter cum illo vniatur, & quod gratia ratione sui fundet realem Dei præsẽtiam ad hominẽ in gratia existentem.

95 *Resp. 2.* Secũdo respõdeo, nec realẽ præsẽtiã Dei homini in gratia existẽti hoc argumento probari: nã ex eo quod amor, quo Deus diligit amicabiliter hominem efficacissimus sit, solum sequitur realis Dei cũ homine præsentia pro tẽpore conueniente, & à diuina voluntate statuto. Deus autẽ non intẽdit efficienter sui physicã, & realem præsentiã distinctã à præsentia immensitatis cũ homine in statu viæ, sed solũ in statu gloriæ; ac proinde ex summa efficacia amoris amicabilis Dei, ex qua est potens assequi omne quod intendit, non sequitur vnio realis Dei cũ homine in statu viæ, sed solũ in statu gloriæ, in quo Deus efficaciter prædictã vnionẽ vult. Quod autẽ Deus per amorẽ amicabilẽ, quo diligit hominẽ in gratia existentẽ non intendat efficaciter vnionem secundũ realem præsentiam cum homine in statu viæ, constat ex his, quæ diximus probando nostram sententiã: nã physica Dei præsentia petit fundari in aliqua forma creata cum tali præsentia connexa: Deus autem non intendit aliquam formam in via cum physica Dei præsentia connexã: gratia nãque, & dona ipsam consequentia, hanc connexionem non habẽt, vt fusẽ ostendimus supra, alia autẽ forma non datur; & consequenter per amorẽ Dei amicabilem vnio ista non intenditur; ac proinde ex eo quod efficax sit, & potens assequi quod intẽdit, non sequitur Deũ in statu viæ vniri secundum realem præsentiã cũ homine, quem amicabiliter diligit.

96 *Instatur argum.* Et quidẽ vt supra arguebã, amor amicabilis nõ solũ quærit, & desiderat vnionẽ inter amicos secũdũ præsentiã physicã, sed etiã desiderat facialẽ amicorũ præsentiã, & invicẽ se videre; & tamẽ ex eo quod amor Dei amicabilis efficacissimus sit, & potẽs assequi quod intẽdit, nõ sequitur vniri cũ homine grato in via secundũ facialẽ præsẽtiã, & quod illi sui visionẽ cõmunicet: ergo pariter ex eisdẽ præmissis, nõ sequitur vnio realis Dei cũ homine in gratia existente secundum præsentiam physicam. Et ob eandem rationem: nam ideô primum non sequitur, quia dilectio Dei quantumuis efficax sit, non tamen vult efficaciter sui facialẽ præsentiam homini cõmunicare, quãdiũ est in statu viæ, & ideô ex eius summa efficacia, non sequitur quod illam in prædicto statu inferat, Deus autem hominem diligens non intendit efficaciter vniri reali vnione secundum præsentiam realem ab immensitate distinctam cum homine in statu viæ, aliàs realem formam causaret cum tali præsentia connexam. Quam in hoc statu non dari, efficaciter supra monstrauimus, & ideô ex efficacia amoris Dei amicabilis non infertur talis vnio cum homine in statu viæ.

97 *Arg. 3.* Tertio obijciunt Patres Salmanticenses *vbi supra* §. 2. gratia viæ

vnit nos Deo vt physicé per suã substantiã præsenti: ergo ex defectu formæ cõmunicatæ in via fundãtis physicam, & realem præsentiam, per perã à nobis colligitur ex vi donorũ gratiæ nõ esse personas diuinas vnitas rationali creaturæ secundũ physicã, & realẽ præsẽtiã. Probatur antecedẽs: gratia viæ, & gratia patriæ sunt eiusdem speciei; sed gratia habitualis in patria vnit animã cũ Deo vt realitêr physicê præsẽti: ergo etiã gratiæ viæ vnit animã cũ Deo vt realiter physice præsenti.

98 *Resp.* Respõdeo negãdo antecedẽs. Ad probationẽ cõcessis maiori, & minori, nego cõsequẽtiã: nã gratia cõsũmata patriæ, ideo vnit cũ Deo vt præsẽti physicê, quia radicat lumẽ, & visionẽ beatificã, quæ cũ sit notitia intuitiua, de cuius ratione est physica obiecti præsentia, ad Deũ vt præsẽtẽ physicê terminari petit: gratia autẽ viæ nõ radicat lumẽ gloriæ, nec beatificã visionẽ, nec aliquã aliã virtutẽ intellectus, aut voluntatis viatoris, quæ petat Deũ vt obiectũ præsẽs physicê, vt fusê §. præcedẽti monstrauimus, & ideo non vnit cũ Deo vt obiecto physicé præsenti, nec potest physicã personarũ præsentiam fundare. Et sicut ista cõsequẽtia nõ tenet: *Gratia viæ, & gratia patriæ, sunt eiusdẽ speciei; sed gratia patriæ radicat lumen, & visionẽ beatificã: ergo illa etiã radicat vt cõmunicata in via*: ita ex eo quod gratia in vtroque statu sit eiusdẽ speciei, & in Patria vniat animam cũ Deo vt obiecto physicê præsenti, non sequitur eodẽ modo vnire gratiã vt cõmunicatam in via.

99 *Vrgent cõtra solutionẽ* Sed vrgent allegati Authores; si nãque daretur gratia cõsũmata patriæ sine lumine gloriæ, & visione beatifica, vt potest de potentia absoluta cõtingere, sic ipsa vniret cũ Deo vt physicê secundũ suã substantiã præsenti: ergo etiã sic vnit cũ Deo vt cõmunicata in via. Cõsequentia videtur bona: nam sublatis lumine, & visione beatifica, eiusdem rationis est gratia viæ, & gratia patriæ: ergo quod illis sublatis à gratia cõsummata præstatur, potest etiã præstari, & de facto præstatur ab eadẽ gratia vt cõmunicata in via. Antecedens autẽ probatur: etenim gratia, tunc casus vniret animã cũ Deo vt obiecto, etsi nõ visibili proximê, nec actu viso, bene tamẽ vt visibili radicaliter; sed Deus nõ est etiã radicalitêr, & remotê visibilis, nisi sub præsentia physica: ergo vniret cũ Deo vt præsente physicê, & Deus secũdu sã substantiã esset illi præsens per modũ obiecti radicaliter visibilis.

100 *Resp.* Respõdeo prætermisso antecedẽti negãdo cõsequentiã. nã gratia in prædicta hypotesi, ideo vniret cũ Deo vt præsente physicê, & illum sic præsẽtẽ exigeret, quia vniret cũ Deo vt visibili radicalitêr, vt constat ex probatione antecedẽtis: gratia autẽ vt cõmunicata in via, nõ vnit cum Deo vt radicaliter visibili; & cõsequẽtêr, etsi gratia eadem sit, non sequitur, quod vniat cum Deo vt præsente physicê. Quod autẽ gratia pro statu viæ non vniat cũ Deo vt visibili radicaliter, patet, nã ideo gratia cõsummata, lumine non subsequuto, vniret cũ Deo vt visibili radicalitêr, quia licet actu nõ radicaret visionẽ beatificã, & lumen gloriæ, illa tamen poterat radicare; gratia autem vt cõmunicata in via, nec actu radicat lumẽ, nec illud radicare perit, aliàs sicut miraculosũ esset gratiã consũmatã ab actuali radicatione luminis gloriæ impedire, ita miraculũ esset, quod gratia viatoris nõ radicaret actu lumẽ gloriæ, & visionẽ beatificã, & consequenter nõ vnit cũ Deo vt obiecto radicalitêr visibili. Et sicut ex eo quod gratia consũmata petat radicare lumen gloriæ, & visionẽ beatificã, & gratia viatoris radicationẽ istã nõ petat, nõ sequitur differre specificê: ita ex eo quod gratia consũmata se ipsa vniat animã cũ Deo secundu realẽ præsentiã, & vt radicalitêr visibili, & gratia viatoris nõ vniat isto modo cũ Deo, nõ sequitur, quod specificê differãt, sed modalis differẽtia, quæ ad primũ videtur sufficiẽs, debet etiã ad secudũ sufficere.

101 *Denique arg.* Denique obiiciunt: actus charita-

tis viæ terminatur ad Deum,& ad diuinas perſonas vt phyſicè ſecundum ſuam ſubſtantiam præſentes rationali creaturæ: ergo gratia,prout communicata in via,vnit creaturã rationalem Deo,& diuinis perſonis vt illi phyſicè,& ſecundum ſuam ſubſtãtiã præſentibus. Conſequentia tenet ex dictis inter probandam noſtram ſententiam. Antecedens autẽ oſtenditur primo,vt enim docet D.Th. *Opuſc.* 4.§.*ſic ergo*, *qui Deũ diligit habet ipſum,& ideò animus diligẽtis,& deſiderantis quietatur in eo*, vbi D. Th.loquitur de actu charitatis viæ; ſed niſi ad Deum phyſicé terminaretur,non poteſt animũ diligentis quietare,finis enim vltimus non quietat noſtrum appetitum,niſi vt habitus in re;& conſequenter vt præſens,vt docet D.Th.1.2.*q*.11.*art*.4. ergo actus charitatis in via terminatur ad Deũ,& ad diuinas perſonas,vt ſecundũ ſuam ſubſtantiam phyſicè præſentes rationali creaturæ.

*Antec. prob.*1.

102 *Secũdo prob.*

Secundo probatur:nam perfectiſſimus actus intellectus, ſcilicet viſio beatifica,eſſentialiter petit Deum vt præſentem phyſicé: ergo idẽ eſt de perfectiſſimo actu voluntatis dicendũ;ſed perfectiſſimus actus voluntatis eſt dilectio Dei amicabilis: ergo eſſentialiter petit Deum vt præſentẽ phyſicè;& cõſequenter in via ad Deũ vt præſentẽ phyſicè terminatur. Prima conſequentia,in qua ſola eſt poſita difficultas,probatur primo:nã ſũma proportio, quæ inter iutellectũ, &voluntatem inuenitur,videtur exigere,vt quod conuenit perfectiſſimo actui intellectus in ordine ad ſuũ obiectũ,id etiam perfectiſſimo actui voluntatis cũ ſuo obiecto cõparato cõueniat. Secũdo,quia vt docet D.Th. 1.2.q.28.art.1.ad 3. *Amor eſt magis vnitiuus,quam cognitio*: ergo ſi perfectiſsimꝰ actus intellectus vnit vnione reali cũ Deo exigẽdo eſſentialiter Deum vt præſentem phyſicé,etiã perfectiſsimus actus voluũtatis vnit vnione reali cum Deo, & illius præſentiam phyſicam eſſentialiter exigit.

103 *Tertio*

Denique primũ antec.prob. actus enim charitatis viæ eſt eiuſdẽ ſpeciei cũ actu charitatis patriæ,aliàs virtus charitatis nõ eſſet in vtroque ſtatu eadẽ ſecundũ ſpeciem,quod communi Theologorũ ſententiæ aduerſatur;ſed fruitio,quæ eſt actus charitatis in patria,ad Deũ vt præſentẽ phyſicè terminatur:ergo etiam fruitio, ſeu gaudiũ,quo viatores gaudent de Deo,ad Deum terminatur,quatenus præſentem phyſicè.

prob.ante.

Reſp.negando antec.vt enim fusè oſtendimus §.*præcedenti n.*43.*& ſequentibus*,nullus actus charitatis in via ad Deum vt præſentẽ phyſicè terminatur. Ad primam antec.prob. explico,& diſtinguo maiorem: animus diligẽtis Deũ quietatur in eo obiecti uẽ,hoc eſt conditione obiecti attenta,cõcedo maiorem:quietatur in eo abſolutè,& attenta conditione ſubiecti appetentis,ſubdiſtinguo maiorẽ: ſi Deus habetur in re,concedo maiorẽ: ſi non habeatur in re,ſed tantũ in intentione,qualiter ſolum habetur à viatore ipſum amante,nego maiorẽ. Et ſub eadẽ diſtinctione minoris,nego conſequentiã : vt enim docet D. Th.1.2.q.11.art.4.ad 2.*Quies voluntatis dupliciter impeditur,vno modo ex parte obiecti,quia ſcilicet nõ eſt vltimus finis,ſed ad aliud ordinatur:alio modo ex parte appetentis finem,qui nondũ adipiſcitur finem.* Ex quo infert D.Th.fruitionem,qua Deo fruũtur viatores,etſi propriè ſit fruitio,eo quod eſt vltimi finis,& ſpecies ſumitur ab obiecto, non tamen quietare appetitum,quia eſt vltimi finis nõ habiti,& ſola fruitio vltimi finis vt habiti abſolutè quietat appetitũ.Cũ ergo docet D.Th. loco in cõtrarium adducto, animum diligentis Deum quietari in ipſo, quia Deum diligens habet Deũ,loquitur de quiete appetitus, non ſumpta adæquatè, &ex omni principio,ſed inadęquatè, & ex vno, ſcilicet ex parte obiecti: inquietudo namque appetitus humani prouenit ex duplici capite, nempè ex parte rei amatæ, quæ vltimus finis non eſt; & conſequentèr ordinatur ad illud, & ideo quamuis habea-

104 *Reſp.negãdo antec.*

Ad primã probationẽ

tur,

tur, & posideatur, appetitum illam possidẽtis nõ quietat, sed inquietum relinquit, vt cõtingit in amore creaturam, quæ non habitæ appetuntur, & habitæ, illarum vilitate cognita despiciuntur. Secundo prouenit inquietudo appetitus ex parte subiecti appetentis, quia nempè finem vltimũ perfectè non habet. Vnde vt quies adæquatè consurgat, vtrumque impedimentum quietis inquietudinem causans debet auferri, etsi vnum auferatur alio relicto, erit quies inadæquatè ex vno principio, non tamen adæquatè, & ex omni capite ad quietem desiderato: quia ergo Deus est vltimus finis, amor illius aufert impedimentũ quietis ex vno principio, scilicet ex parte obiecti, & ideo quietat inadæquatè, & ex isto capite appetitũ, quia tamen non semper ab amãte habetur perfectè, non tollit omne impedimentum quietis: & consequẽtèr quietem adæquatè sumptam non infert. Et quidem si Thomistæ recentiores adeò claram Angelici Præceptoris doctrinam aduertissent, nõ vterentur facto argumento ad probandum actum charitatis in via ad Deũ vt præsentè physicè terminari; si nãque aliquis actus charitatis in via posset quietare appetitum, maximè fruitio, quæ est de bono diuino aliquomodo habito, hunc autẽ nõ quietare appetitum docetur expressè ab Angelico Doctore: ergo ex ipso nõ potest argumentũ aliquod sumi ad probandũ actũ dilectionis in via appetitũ diligentis quietare, & ob hanc causã ad Deum vt præsentem physicè terminari debere.

105 *Ad 2. antec. prob.*

Ad secũdã antecedentis probationẽ, concesso antecedenti, nego consequẽtiã. Ad cuius primã probationẽ, nego quod proportio voluntatis cũ intellectu petat, vi id quod supremo actui intellectus conuenit; conueniat etiã supremo actui voluntatis, aliàs quia supremus actus intellectus est sui obiecti assequutio, etiã id conueniret supremo actui voluntatis. Quod arguentes nõ concedent, cũ sit expresse contra D. Th. à quo eis non licet recedere. Et quidẽ si amor Dei amicabilis, qui est supremus voluntatis actus essẽtialitèr exigeret physicã sui obiecti præsentiã, etiã essentialiter exigeret regulari per beatificã visionẽ essentialitèr exigẽtẽ physicã sui obiecti præsentiã; cũ non possit voluntas amare suũ obiectũ vt præsens, nisi ab intellectu vt præsens proponatur; sed nõ exigit essentialitèr pro regula visionẽ beatificã; aliàs nõ posset regulari per fidẽ, nec in statu viæ existere: nõ ergo petit essentialiter Deũ vt præsentẽ physicè, nec proportio voluntatis cũ intellectu petit quod illius supremus actus conueniat cũ supremo actu intellectus in exigentia essentiali præsentiæ physicæ obiecti.

Ad secundã consequentiæ probationẽ dicatur, loqui D. Th. de amore cõparato cũ cognitione obiecti per speciẽ ab illo distinctã formata. Et de hoc loquendo verũ est amorẽ esse magis vnitiuũ, quam illa; quia huiusmodi cognitio, inquit D. Th. *perficitur per hoc, quod cognitum vnitur cognoscenti secũdũ suã similitudinẽ*, ideſt, fiſit in hac vnione, quæ solũ est obiectiua; amor autẽ supponit vnionem per similitudinem obiecti amati cũ amante, vnit formalitèr affectiuè, & quærit, & desiderat vnionem secũdum præsentiã realẽ, vt docuerat D. Th. in corpore articuli. Ex quo solũ sequitur, quod perfectissimus actus voluntatis vniat se ipsa amãtẽ cum obiecto amato vnione perfectissima affectiua, & quærat vnionẽ perfectissimã secundũ præsentiã physicã obiecti amati cũ amante, nõ tamen quod illã præstet formalitèr, vel quod illã essentialitèr exigat, sicut exigitur à visione beatifica, quæ quia est essentialitèr notitia intuitiua Dei, essentialiter supponit essentiã diuinã vnitã cũ intellectu beati vt speciẽ, & Deum vt præsentem physicè tamquã obiectũ.

106 *Explicatur D. Tho.*

Ad tertiam antec prob. reſponderi potest primo, concessis maiori, & minori, negando cõsequentiã. Sicut enim in Deo vt per charitatẽ amabili accidit, quod clarè, vel obscurè proponatur, & ideò actus charitatis

107 *Ad 3. prob. prima ſolutio.*

viæ regulatus cognitione obſcura fidei eſt eiuſdem ſpeciei cum actu charitatis patriæ regulato viſione beati fica; ita Deo vt obiecto fruibili accidit, quod à fruitione attingatur, vt habitum in re, vel in ſpe, & ideò fruitio viatoris, quæ eſt de Deo habito in ſpe, eſt eiuſdem ſpeciei cum fruitione comprehenſoris, quæ eſt de Deo habito in re, vt eſt phyſicè præſens. Quę doctrina inſinuari videtur à D. Tho. 1.2.q.11.a.4.ad 2. vbi docet: *Quod eius quod non eſt vltimus finis fruitio eſt impropria, quaſi deficiens à ſpecie fruitionis: finis autem vltimi non habiti eſt fruitio, propriè quidē, ſed imperfecta propter imperfectum modum habēdi vltimum finē*: ſentit ergo D. Tho. fruitionem finis vltimi non habiti eſſe eiuſdem ſpeciei cum fruitione illius non habiti. Tū, quia contraponit illam fruitioni rei, quæ non eſt vltimus finis, de qua docet deficere à ſpecie fruitionis; & cōſequenter ſentit fruitionem finis vltimi non habiti à ſpecie fruitionis nō deficere. Tum etiam, quia docet eſſe propriā fruitionem, ſed imperfectā: ergo ſentit differre à fruitione finis vltimi habiti in re, ſicut perfectū ab imperfecto; quæ autem ſic diſtinguūtur, non differunt eſſentialiter. Et ſuffragatur ratio: ſunt enim eiuſdē boni, & eiuſdem obiecti, ſolum eſt cum differentia in modo illud habēdi sūpta ex parte ſubiecti non poſſidentis vltimum finē, nec illum perfectè in ſe habentis; ſpecies autem ſumitur ab obiecto; & conſequenter actus idem habentes obiectū ſunt eiuſdē ſpeciei.

108 *Diſplicet prædicta ſolutio.*

Sed cōtra iſtā ſolutionem facit: nā fruitio beatifica, quæ idem eſt quod gaudium, quo beati gaudēt de Deo, quatenus ſibi bono, eſt de Deo, quia poſſeſſo, & habito in re; ſed eo ipſo, quod ſit de Deo, quatenus à beatis poſſeſſo non poteſt non differre eſſētialiter à fruitione, & gaudio viatorū, quod eſt de Deo vt habito, nō in re, ſed tantum in ſpe: ergo inter iſtas fruitiones datur eſſētialis diſtinctio. Conſequētia eſt bona, præmiſſæ autē indigent probatione. Maior probatur: vt enim docet D. Th. in hac 1.p. ſupra q.20.art.1. *Gaudiū, & delectatio eſt de bono præſenti, & habito; deſiderium autē, & ſpes de bono nōdū adepto; amor autē reſpicit bonū in cōmuni, ſiue habitū, ſiue nō habitū.* Quā differētiā eſſe eſſentialē, cōſtat ex eo, quod vt ibi docet D. Th. amor eſt primus actus voluntatis, & principiū cęterorū, ſcilicet deſiderij, delectationis, & odij; & cōſequenter cū illis ſimul exiſtit, quod eſſe nō poſſet ſi eſſētialiter nō diſtinguerētur ex alia doctrina Angelici Præceptoris, nēpē, quod duo accidētia ſolo numero diſtincta nō poſſunt ſimul exiſtere in eodē ſubiecto; at niſi delectatio ſit de bono poſſeſſo, & habito, quia habito, & poſſeſſo, nō poteſt gaudiū ab amore ſpecialiter ſumpto diſtingui; cū etiam eſſe poſsit de bono poſſeſſo, vt conſtat in amore ſpeciali, quo Deū ſe ipſū diligere docuimus cum cōmuni ſententia *tom.2.ſupra diſp.57.* & in amore, quo beati amant bonitatē diuinā regulato ſcientia beatā; & cōſequenter terminato ad diuinam bonitatem præſentem habitam, & poſſeſſam. Quo circa, etſi à poſſeſsione nō moueatur ex boni præſentia ſolet augeri: ergo gaudium, vel delectatio eſt de bono, non ſolum poſſeſſo, & habito, ſed quia habito, & poſſeſſo. Deinde probatur minor: nā finem haberi in re, & haberi tantum in ſpe, ſunt modi habendi eſſentialiter diſtincti: ergo eo ipſo, quod delectatio, & gaudium, quo beati gaudent de Deo, ſit de Deo ab ipſis habito, quia habito in re non poteſt nō diſtingui eſſentialiter à gaudio viatorū de Deo vt habito, non in re, ſed in ſpe. Nec obſtat, quod vtrumque gaudium ſit de eadē bonitate diuina: nā etiā deſideriū, & gaudium eādem bonitatē reſpiciūt, & tamen eſſentialiter diſtinguuntur.

Nec doctrina D. T. fauet, loquitur enim de ſpecie ſubalterna, nō autē de ſpecie infima; cū conueniētia autē in ſpecie ſubalterna, ſtat differentia eſſentialis. Nec iuuat, quod dixerit fruitionem viatorum eſſe propriam fruitionem, ſed imperfectā ſumptam

109 *Non iuuat D. Tho.*

ex

ex imperfectione ſubiecti non habẽtis in ſe finem vltimum perfectẽ; cum enim iſta imperfectio tranſeat in cõditionem obiecti, infert diſtinctionẽ eſſentialem. Et quidem obſcuritas ad fidem requiſita, & conditio non habiti requiſita ad ipſam, ex parte ſubiecti, & imperfectionis eius ſe tenẽt, & tamen virtutes iſtas eſſentialiter diſtinguũt à cognitione clara eiuſdem obiecti, & à gaudio. Quod ergo conditio non habiti in re, ſed tãtum in ſpe proueniat ex imperfectione ſubiecti, non tollit quod fruitio viatorum, quæ eſt de Deo vt habito, non in re, ſed in ſpe diſtinguatur eſſentialiter à fruitione, & gaudio beatifico.

110 *Explicatur præcedens doctrina.*

Vbi obiter eſt aduertendum, doctrinam iſtam procedere de gaudio concupiſcentiæ, non autem de gaudio amicabili, quo beati gaudent de bonitate diuina, quatenus habita, & poſſeſſa à Deo, hoc enim eſt eiuſdem ſpeciei in patria, & in via; habet enim idem obiectum, nempẽ bonitatẽ diuinam, quatenus à Deo poſſeſſam, & quod in via reguletur per fidem, & in patria per viſionem claram, & intuitiuam, non poteſt ſpecificam diſtinctionem inducere, vt ex D. Thoma mõſtrauimus *tom. 3. in 3. p. diſp.* 48. §. 4. & 5. Gaudium vero concupiſcentiæ beatorũ eſt de Deo prout poſſeſſo ab illis in re: gaudium autẽ viatorum eſt de Deo, non vt poſſeſſo in re, ſed vt habito in ſpe, vel intentione, quod ſufficit vt inter vtrumque gaudium detur diſtinctio ſpecifica, vt conſtat ex dictis.

111 *Vera ſolutio traditur.*

Et quia argumentum de hoc gaudio, & fruitione procedit, ideo ſolutione iſta in ſua probabilitate relicta occurendũ eſt ad vltimam primi antecedentis probationem, diſtinguendo maiorem: actus charitatis primarius eſt eiuſdem ſpeciei in patria, & in via, concedo maiorem: ſecundarius, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: nam fruitio de Deo vt à nobis habito non eſt actꝰ primarius charitatis, nec in via, nec in patria; naſcitur enim ex amore concupiſcentiæ, quo Deum diligimus vt nobis bonum, qui non primario, ſed ſecundario elicitur à Charitate, ſicuti amor, quo nos, & proximum diligimus ex charitate, non primario, ſed ſecundario à charitate procedit; ac proinde ex eo quod in patria ad Deum vt præſentem phyſicẽ, & vt in re habitum terminetur, in via tamen à præſentia, & reali poſſeſſione præſcindat, & ex hoc dictæ frutiones eſſentialitẽr diſtingnantur, non ſequitur charitatem viæ à charitate Patriæ eſſentialitẽr diſtingui: nam charitas non ab actu ſecũdario, ſed à primario ſpecificationem ſumit, iſte autem in vtroque ſtatu eſt idem, nẽpé amor, quo Deum diligimus, illi ſuam bonitatem ex complacentia in ipſo volendo, habet enim pro obiecto eandem bonitatem diuinam, etſi per diuerſas cognitiones propoſitam, quæ diſtinctio per accidens ſe habet ad Deum vt obiectum diligibile, & ad habitum, & actum charitatis, & ideõ prædictus actus eſt in vtroque ſtatu idem ſpecie, & hoc ſufficit vt habitus charitatis in vtroque ſtatu ſit idem.

112 *Replicabis.*

Sed dices: etiã iſte actꝰ amoris, quo beati Deo volunt ipſam bonitatem diuinam, ad illam vt præſentem phyſicẽ terminatur: ergo ſi amor quo viatores Deo volunt ſuam ipſius bonitatem, non ſic terminatur ad illam, diſtinguuntur ſpecifice; & conſequenter ſpecifice multiplicant, & diſtinguunt charitatẽ viæ, & patriæ. Secunda conſequentia ex prima, & ex dictis colligitur: nam huiuſcemodi actus primario à charitate eliciũtur. Prima conſequentia patet à paritate fruitionum vtriuſque ſtatus, inter quas diſtinctionem eſſentialem admiſimus, quia vna, & non alia ad Deum vt præſentem phyſicẽ terminatur. Antecedens autem probatur: nã prædictus amor in patria regulatur viſione beatifica, quæ bonitatem diuinã, vt phyſicẽ preſentẽ voluntati proponit: ergo amor regulatus per illã terminatur ad bonitatẽ diuinam vt phyſicẽ amanti præſentem.

113 *Reſp.*

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: terminatur ad bonitatẽ diuinam vt præſentem, & poſſeſſam, quia præſens, & poſſeſſa eſt, nego antecedens: quia abſolutè bona eſt, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Quæ non probatur à paritate, fruitionum vtriuſque ſtatus; fruitio namque beatifica, ſeu gaudium concupiſcentiæ, quo beati gaudent de Deo ab ipſis poſſeſſo, eſt de Deo quia poſſeſſo, aliàs non diſtingueretur ab amore, ſumpto ſpecialitèr, vt proximè argumentabamur, & ideo eſſentialiter diſtinguitur à fruitione, & gaudio viatorum, quod ab ipſis habetur de Deo, non quia habito, & poſſeſſo in re, ſed tantum in intentione, vel in ſpe: reſpectu autem amoris ſpecialitèr ſumpti regulati per viſionem beatificam, non ingreditur poſſeſsio, vel præſentia bonitatis Dei motiuè, & formalitèr, ſed materialitèr terminatiuè, licet enim non præſcindat à præſentia bonitatis & illius poſſeſsione, non tamen mouetur ab illa, ſed bonitatem præſentem attingit, non quia præſentem, ſed quia bonam abſolutè, & idcircò non diſtinguitur eſſentialitèr ab amore, quo viatores Deo volunt bonitatẽ diuinam. Videantur quæ diximus *ſupra tom.* 2. *diſp.* 57. §. 4. & 5. de amore ſpecialitèr ſumpto, quo Deus ſe ipſum, & propriam diligit bonitatem.

114 *Inſtabis primo.*

Sed inſtabis primo: poſſeſsio ſummi boni aliquid creatum eſt, ſcilicet viſio beatifica; ſed nihil creatũ poteſt eſſe motiuum fruitionis qua beati Deo fruuntur: ergo non eſt de bono diuino poſſeſſo, & habito, quia poſſeſſo, & habito in re. Minor probatur: vt enim communitèr à Thomiſtis docetur, virtus Theologica nõ poteſt ab aliquo creato etiam inadæquatè moueri: ergo motiuum adæquatum omnis actus virtutis Theologicæ debet eſſe aliquid increatum; ſed fruitio, vel gaudium quo beati gaudent de Deo, quatenus ſibi bono, eſt actus virtutis Theologicæ: in noſtra enim ſententia elicitur à charitate, & in ſententia aliorum ab ſpe, quarum vtraque virtus Theologica eſt: ergo nec inadæquatè poteſt ab aliquo creato moueri.

115 *Secũdo.*

Secundo inſtabis: ſi cognitio, qua viatores Deũ cognoſcunt, eſſet eiuſdem ſpeciei cum viſione beatifica, ex eo quod beatifica viſio ad Deũ vt præſentem phyſicè terminatur, euidenter inferrẽtur cognitionem, qua viatores Deum cognoſcunt ad Deum vt præſentem terminari: ergo pariter ex eo quod amor beatificus ſit eiuſdem ſpeciei cum amore Dei habiti in via, & ille ad Deum vt præſentem phyſicè terminetur, per bonã conſequentiam colligitur, iſtum etiã ad bonitatem diuinam vt præſentẽ phyſice terminari.

116 *Reſp. ad 1. inſtantiã.*

Reſpondeo ad primam inſtantiam, conceſſa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: motiuum adæquatum omnis actus primario eliciti à virtute Theologica, concedo conſequentiam: omnis actus etiam ſecundario eliciti, nego conſequentiam: & ſub eadem diſtinctione minoris ſubſumptæ, nego conſequentiam: gaudium enim quo beati gaudent de Deo, quatenus ipſi bono, non primario, ſed ſecundario elicitur à charitate virtute Theologica, & ideo poteſt proximè ab aliquo creato inadæquatè moueri, etſi non fiſtat in illo, ſed ad motiuum increatum tranſeat, vt atactũ in obliquo. Quæ doctrina non poteſt à diſcipulis D. Thomæ negari, cum in ſententia apud illos frequentiori dilectio proximi, etiam propter propriam bonitatem, ſecundario à charitate eliciatur, cum tamen proximè non à bonitate diuina, ſed à bonitate creata moueatur. Et ratio eſt: nã actus ſecundarius non poteſt motiuũ virtutis, à qua ſecũdario elicitur attingere eodẽ modo, quo attingitur ab actu primario, aliàs ſecundarius non eſſet. Vnde ſufficit, quod motiuum virtutem ſpecificans attingatur in obliquo ab actu ſecundario ab illa elicito, cũ quo ſtat, quod in recto

aliud

aliud motiuum attingat. De quo fusè à Nobis tract. de charitate disputando celebrem illam quæstionem, an Deus, & proximus eodem charitatis habitu diligantur?

117 *Ad 2.* Ad secundam concesso antecedēti, nego consequentiam, ratio autem discriminis est: nam vt cognitio viatorum esset eiusdem speciei cum visione beatifica, debebat conuenire cū illa in motiuo, & in specie se tenēte ex parte principij; & consequēter debebat à diuina essentia procedere vt vnita per modum speciei, & ab eadem essentia moueri; cumque visioni beatificæ conueniat Deum vt præsentem physicè exigere, quia ab illa vt specie procedit, & ab eadē essentia immediatè mouetur; fit cōsequēs, quod ex conuenientia specifica cum illa in ratione cognitionis inferatur rectè eadem exigētia in cognitione, quæ dictam conuenientiam haberet, amori autē beatifico nō conuenit terminatio ad bonitatē diuinam, vt præsentem physicè ex vi sui obiecti motiui: mouetur enim à bonitate diuina, non quia præsens est, sed quia bona; sed solum illi conuenit, quia regulatur visione beatifica, & quia regulationem istam non petit ex sua essentia; fit consequens, vt possit amor Dei elicitus à viatore cum illo conuenire in obiecto motiuo, & in prædicatis essentialibus, quamuis amor beatificus ad bonitatem diuinam vt præsentem physicè terminetur, amor autem viatoris bonitatem diuinam, vt præsentem physicè non exposcat. (?)

Et hæc de ista Disputatione applicanda litteræ Magistri *in 1. distinct. 14. §. 4.* ad illa verba: *Sed quid ipse Spiritus Sanctus, &c.* Et dist. 15. §. 1.

¶ *Hæc sunt, quæ de excelso, & abscondito Trinitatis Mysterio per speculū, & in enigmate videre potuimus; faxit Deus, vt sicut fide credimus, & corde confitemur, reuelata facie, Deo donante videamus. Et omnia correctioni Ecclesiæ, & sapientium emendationi subijcimus, & Angelico Nostro Præceptori dicamus, à quo si quid deuium, vel per latum vnguem discedens à nobis assertum fuerit, pro non dicto haberi volumus, illudque libenti animo retractamus.*

***

*** ***

FINIS.

***

***

***

FINIS

INDEX.

LOCVPLETISSIMVS RERVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc Tertio Tomo in Primam Partem D. Thom. continentur.

D. *vel* Disp. *Disputationem.* N. *vel* Num. *Numerum marginalem denotat.*

A

Abel.

Abel processit immediate ab Adam, & etiã mediate Eua matre eius, quæ processit ab Adam. *Pag.* 405.

Abstractio, Abstractvm.

Licet abstractum, & concretum tam substantiale, quam accidentale idem significent, non tamen pro eodem supponũt. *Disp.* 80. *nu.* 21. 22. 23. & 24.

Conceptus abstractus à relatiuo, & absoluto, non est absolutus, sed *præcisiuè* tantum, & non *repugnantèr* à termino, absoluitur. *Disp.* 81. *num.* 15.

Abstractio alia totalis, formalis alia, earum differentia explicatur. *Pag.* 537.

Accidens.

Inhærentia solum connaturaliter requiritur, vt accidens existat: vnde in Eucharistia suppletur. *Disp.* 80. *num.* 89.

Inhærentia accidentis est prior prioritate naturæ, existentia eiusdem accidentis. *Disp.* 80. *num.* 121. & *seqq.*

Licet inhærentia accidentis explicetur per inexistentiam in subiecto, in illa tamen nõ consistit. *Ibidem num.* 123.

Actio.

Secluso motu ab actione, siue creata sit, siue diuina, remanet formalitas actionis à relatione distincta. *Disp.* 71. *num.* 33. & fusiùs, *à num.* 43. *vsque ad* 46.

Non est de conceptu actionis ex communi conceptu, terminum productum habere. *Disp.* 73. *num.* 14.

Actio, & passio, non identificantur cum motu maiori identitate, quam illa, quam inter se habent, & probabilius est, sola distinctione virtuali, & rationis ratiocinatæ distingui inter se, & à motu. *Disp.* 82. *num.* 110. 111. & 112.

Istæ propositiones, *actio est motus*, *passio est motus*, absolutè conceduntur: ista vero, *actio est passio*, absolutè negatur. *Ibidem. num.* 112.

Ad actionem virtualiter transeuntem, non sufficit *directiuè*, vel *motiuè* influere ad extra, sed requiritur influxus, vt causalitas potentiæ executiuæ. *Pag.* 397.

A termino actionis immanentis, & etiam transeuntis, & non solum ab actione, potest principium, tale aliquando denomina

ri, aliquando autem non. *Disp.95.num.6. & 7.*

Quando terminus actionis est de intellectu illius, vt significata Verbo, vel nomine, potest principium à termino denominari in casu ablatiuo, quando autem non clauditur in intellectu actionis, potest cum illa terminus construi in casu accusatiuo. *Disp.95. num 10. & seqq.* Vbi varia exē pla aducuntur.

Actio à creata, & increata abstrahens, non est respectus transcendentalis, sed vel transcē dentalis, vel prędicamentalis. *Disp.96.n. 137. & 138.*

Actio non potest prius intelligi in se, quam intelligatur in ordine ad principium, à quo essentialiter egreditur. *Disp.96.nu. 279. & 281.*

Sicut de ratione actionis personalis est suppo nere personam constitutam: ita de ratione actionis naturalis est natu am constitutam supponere. *D.96.à nu.283.vsque ad 294.*

Actio, & passio, non sunt fundamenta relatio nis paternitatis, & Filiationis, vel si supra actionem & passionem fundantur, aliquomodo realiter distinguuntur. *Disp.97.nu. 57. & seqq.*

Actionis non datur actio, ex quo tamen non bene infertur, quod relationis, non detur relatio. *Disp.97.num.163. & seqq.*

Respectu actionis & passionis, quæ non *strictè*, sed tantum *grammaticaliter*, est passio, potest dari eadem potentia. *Disp.97. num.314.*

ACTVS CHARITATIS.

PEr actum charitatis, non datur, nec mittitur Spiritus Sanctus. *Disp. 99. num. 127. & seqq.* maximê *num. 130. & 131.*

AER.

ISte terminus *aer tenebrosus* est comple. xū connotatiuum, supponens solum prosubstracto priuationis: vnde hæc propositio, *aer tenebrosus potest illuminari*, est vera: ad differentiam istius, *persona potest communicari alieno supposito.* Disp. 80. num.68. & 69.

Aer appellatur in Scriptura *Spiritus.* Disp. 82.num.58.

ÆQVALE, ÆQVALITAS.

ÆQuale dicitur quasi per negationem excessus, seu maioris, & minoris. *Pagina 627.*

Æqualitas fundatur super quantitatem molis, aut virtutis, quæ idem est, quod perfectio, & reperitur in diuinis personis. *Pagina 628. & Disp.97. num.20. & sequentibus.*

Æqualitas significata per nomina, mutuo dicitur de Patre, & Filio, secus si per verba significetur: vnde licet ista propositio sit vera: *Filius coæquatur Patri*, hæc tamen *Pater coæquatur Filio*, est falsa. *Ibidem*, & fusiùs. *Disp.97. num.16. & seqq.*

Æquale, simile, & idem formaliter sumpta, non in absoluto, sed in relatione consistūt, prout de diuinis personis dicuntur. *Disp. 97.à num.26.*

Æquale, etiam in creaturis, relatiuê dicitur. *Ibidem num.27. & 28.*

Relatio æqualitatis inter diuinas personas in magnitudine essentiæ fundata, non est realis, sed rationis. *Disp.97.a num.36.*

Æqualitas fundamentaliter sumpta denominat absolutê tres diuinas personas ab æterno æquales, & sic accepta adoratur adoratione latriæ. *Disp.97 num.103. & sequē tibus.*

Æqualitas creata pro fundamento exemplatur à diuina æqualitate, non autem sumptis relatiuê, & formaliter. *Disp.97.num. 134.*

Æqualitas, vel inæqualitas, similitudo, aut dissimilitudo in diuinis personis, non attenditur secundum relationes, sed tantum secundum absoluta. *Disp.97.à nu. 176.*

Relatio realis inæqualitatis, dissimilitudinis, & distinctionis, solum supra multitudinem perfectionum fundari petit, & potest: vnde Relatio inæqualitatis, inter diuinas relationes, non realis, sed rationis est. *D.97.à num.187.*

Nouus modus defendendi æqualitatem diuinarum personarum proponitur. *Disp.97. a num.254. vsque ad 267.* & impugnatur, *num.268. & seqq.*

ALIVD, ALIVS, ALIQVID.

ISte terminus *alius* significat alietatem in supposito, *aliud* vero, alietatem in natura, sicut & ly *aliquid*, quod in diuinis, non dicitur pluraliter. *Disp.85. num.30. & seqq.*

Aliquis homo significat de formali naturam, ad differentiam; de ly *persona*, quod de

formali perſonalitatem, & de materiali naturam importat. *Diſp.* 85. *num.* 38.

AMICITIA.

AD veram, & propriam amicitiam requiritur neceſſario realis perſonarum diſtinctio. *Diſp.* 82. *num.* 9.

AMOR, AMANS.

AMatum eſt in amante, non vt tentum, ſeu poſſeſſum ab amante, ſed potius vt tenens, & poſsidens amantem: ſicut graue trahitur, & tenetur à centro, non è contra. *Diſp.* 73. *num.* 19.

Amor ſumptus, non pro actu amoris, ſed notionaliter pro termino per amorem producto, eſt proprium nomen Spiritus Sancti. *Pag.* 407. & 408.

Amor non eſt, nec intelligitur mutuus, niſi quatenus ab vno egreditur, & ad alium, non præcisè vt obiectum amatum, ſed etiã vt redamantem, terminatur. *Diſp.* 93. *n.* 17.

Licet ratio mutui, non addat perfectionem, addit tamen modum perfectionis, & complementum amoris eſſentiali. *Ibidem num.* 19. Vel licet non addat perfectionem *entitatiue*, addit tamen *explicatiuè*. *Ibidem num.* 22.

ANGELVS.

SI Angeli fuiſſent creati in puris naturalibus, eſſet inter illos ſocietas, non obſtante, quod inter illos ſit ſpecifica differentia. *Pag.* 210. & 211.

Si vnus Angelus, & vnus homo eſſent in Beatitudine, nullus illorum diceretur ſolitarius in illa. *Pag.* 210.

Licet diſtinctio perſonalitatis à naturis Angelicis non ſit concluſio Theologica, eſt tamen myſterio Incarnationis conformior. *Diſp.* 80. *num.* 18. & 19.

In Angelis ſuppoſitum, & natura differunt realiter. *Diſp.* 80. *num.* 30. & *ſequentibus.*

Subſiſtentia Angeli non conſiſtit in creatione actiue, aut paſsiuè ſumpta. *Diſp.* 80. *n.* 109.

Angelos neſcire diem iudicij, non ſolum ad reuelandum, verum etiam abſolutè, colligitur ex illis verbis: *De die autẽ illo, &c.* Diſp. 82. num. 38. & 39.

Angeli non cognoſcunt cognitione naturali potentiam obedientialem, licet ſit entitatiue naturalis. *Diſp.* 83. *num.* 63.

Verbum quod format Angelus, alium intelligendo eſt imago illius. *Diſp.* 90. *nu.* 39.

APOSTOLI.

TEmerarium, imo erroneum eſt, aliquos Sanctos, qualicumque prærogatiua præfulgentes, Apoſtolis præferre, aut æquiparare in gratia, & gloria, Virgine Beatiſſima excepta. *Diſp.* 99. *num.* 146. & *ſequentibus.*

ATTRIBVTA.

DIuina eſſentia claudit in ſuo conceptu eſſentialiter attributa, & vnum attributum aliud. *Diſp.* 77. *num.* 28.

Attributa, vt virtualiter ab eſſentia diſtincta, non gaudent ſubſiſtentijs virtualiter diſtinctis à ſubſiſtentia abſoluta eſſentiæ. *Diſp.* 84. *num.* 61.

AXIOMA.

AXioma illud, *quando quidpiam de quopiam prædicatur, quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur etiam de ſubiecto*, tripliciter explicatur. *Diſp.* 77. *à num.* 19. *vſque ad* 25.

Axioma illud, *Perfectum eſt cui nihil deeſt in proprio genere*, explicatur de proprio genere dicente perfectionem. *Diſp.* 78. *n.* 47.

Axioma illud, *ex duobus entibus completis, & in actu, non poteſt vnum per ſe reſultare*, explicatur. *Diſp.* 80. *num.* 136. & *Diſp.* 96. *num.* 82.

Axioma illud, *quicumque intelligit, eo ipſo quod intelligit format verbum*, explicatur. *Diſp.* 82. *num.* 92.

Axioma illud, *quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, latiſsimè explicatur. *Diſp.* 82. *à nu.* 99. maximè *à nu.* 113. *vſque ad* 148.

Huic principio, quod vel eſt idem cum illo *dici de omni, & dici de nullo*, vel ad illud ſupponitur, ars Sylogiſtica nititur. *Ibidem num.* 101. 102. & 103.

Axioma illud, *actiones ſunt ſuppoſitorum*, explicatur. *Diſp.* 96. *num.* 76.

Axioma illud, *relatio prædicamentalis reſpicit terminum, vt purum terminum*, explicatur. *Diſp.* 96. *n.* 136. & 143. & *à n.* 150. *vſque ad* 156.

Axioma illud, *prius aliquid intelligitur cõſtitutum in ſe, quam intelligatur in ordine ad aliud*, explicatur. *Diſp.* 96. *num.* 281.

Axioma illud, *totum eſſe relationis, eſt ad*

aliud ſe habere, explicatur *Diſp.* 97. *nu.* 207.

Axioma illud, *quod eſt capax illius, quod maius eſt, eſt etiam capax illius, quod minus eſt*, explicatur *Diſp.* 99. *n.* 138.

B

BEATVS.

NOn foret Beatus ille, qui eſſentiam videret, non viſis Perſonis, licet relationes perfectionem ad eſſentiam non addãt. *Diſp.* 93. *n.* 19.

BONVM.

BOnum eſt communicatiuum ſui, & ſummum bonum, ſummè communicatiuum: vnde Deus, etſi creaturis ſummũ bonum communicet, non tamen ſummè. *Diſp.* 82. *n.* 10.

C

CAVSA EFFICIENS.

CAuſa efficiens per veram actionem debet ad illam, ſaltim pro priori præintelligi exiſtens: ad differentiam efficientiæ dimanatiuæ, & per reſultantiam, quæ nec vera actio, nec efficientia rigoroſa eſt. *Diſp.* 80. *num.* 97. & 98.

CHRISTVS.

LIcet in Chriſto detur duplex natura, nõ tamen dicitur, neque eſt duplex individuum propter vnitatem ſuppoſiti. *Diſp.* 85. *num.* 42.

COGITATIO.

COgitatio propriè accepta, in inquiſitione veritatis conſiſtit, in Deoque non reperitur. *Pag.* 389.

COGNITIO, COGNOSCIBILITAS.

COgnoſcibilitas immediata, & in ſe ſequitur entitatem, & commenſuratur cũ illa, non ſic cognoſcibilitas mediata, & in alio. *Diſp.* 83. *num.* 55.

COMPOSITIO.

EX re, & modo realiter ab illa diſtincto, reſultat realis cõpoſitio modalis. *Diſp.* 75. *num.* 7. 8. & 9.

Ad realem compoſitionem duorum, non requiritur, quod vnũ alteri inhæreat. *Diſp.* 75. *n.* 17. & *n.* 28. & *ſeqq.*

Licet perſonalitates diuinæ diſtinguãtur realiter inter ſe, non tamen vniuntur inter ſe, nec in aliquo tertio, à quo realiter differant: vnde non faciunt realem compoſitionem. *Ibidem à num.* 18. *vſque ad* 21.

Compoſitio rationis eſt duplex, alia *ſimpliciter* talis conſiſtens in vnione conceptuũ mutuo ſe excludẽtium, alia *ſecundũ quid* reſultans ex conceptibus ſe mutuo includentibus cum ſola diſtinctione penes implicitum, & explicitum, & hæc non repugnat Deo. *Diſp.* 76. *num.* 13. *Et fuſiùs diſp.* 96. *num.* 19. & *ſeqq.*

Ad compoſitionem realem non requiritur exiſtẽtia extremorum pro omni priori naturæ, ſed ſufficit exiſtentia illorum in inſtanti reali temporis. *Diſp.* 80. *n.* 126.

CONCILIVM.

LIcet argumenta, quæ faciunt Concilia non ſint de fide, ſunt tamen magnæ authoritatis. *Diſp.* 74. *n.* 34.

CONNEXIO.

COnnexio cum independentia dabilis eſt, etiam in Deo. *Diſp.* 90. *num.* 12. & *ſeqq.*

CONNOTATVM.

SOla negatio connotati ab aliqua potentia, ſufficit, vt potẽtia de aliquo ſubiecto negetur. *Diſp.* 93. *n.* 26.

CONSTITVTIO.

CONſtitutio duplex, vna per omnimodã identitatem, alia per compoſitionẽ, vel ad modum compoſitionis. *Diſp.* 96. *num.* 35. & *ſeqq.* maximè *à num.* 46.

CONTINENTIA.

LIcet nulla res poſsit continere ſe ipſam vt *quod*, vt *quo* tamen poteſt aliquid ſe ipſum continere, ſi ratione diſtinguatur à ſe ipſo propter aliquam formalitatẽ, aut modificationem in obliquo importatam. *Diſp.* 72. *n.* 82.

CREATOR, CREATIO.

CReatio *entitatiuè* ſũpta, conuenit Deo ab æterno, nõ autem *denominatiuè* accepta, & hoc modo fundat relationem Creatoris, quæ non ab æterno, ſed in tempore Deo conuenit. *Pag.* 396.

CREATVRÆ, CREATVRÆ POSSIBILES.

CReaturæ non procedunt per ſe à Deo vt trino, ſed vt vno: vnde ex cognitione effectuum naturalium non poteſt euidenter exiſtentia Trinitatis demonſtrari. *Diſp.* 83. *nu.* 39. & *ſequentibus. Et diſp.* 93. *n.* 12.

Creaturæ poſsibiles eſſentialiter ab omnipotentia dependent, quæ illis non cognitis, nequit comprehendi. *Diſp.90.num.9.& ſeqq.*

Poſsibilitas creaturarum intrinſeca, non cõſiſtit in mera negatione, ſed eſt vera entitas poſitiua in prædicamento colocata. *Diſp.90.num.46.*

Si creaturæ, quæ modô ſunt poſsibiles, rederentur repugnantes, variaretur omnipotentia Dei, & Deus non eſſet Deus, non per conſequentiam à priori, ſed à poſteriori, & à ſigno, quod etiam eſt verum loquẽdo de aliqua creatura in particulari. *Diſp.90.num.41.& ſeqq.*

D

Denominatio.

DEus denominatur realiter Dominus, & Chriſtus realiter Filius B. Mariæ Virginis, abſque eo quod relationes Dominij, & Filiationis reales relationes ſint: non autem poteſt Deus denominari realiter Pater, aut Filius abſque relatione reali Paternitatis, & Filiationis. *Pagina 109.& 110.*

Dependentia.

AD veram dependentiam vnius ab alio, non ſufficit, quod vnum ab alio procedat, nec quod ab illo accipiat eſſe, nec quod ſine illo eſſe non poſsit, ſed requiritur, quod omnia iſta ex ſubordinatione vnius ad alium oriantur ad quod alietas in natura indiſpenſabiliter exigitur. *Diſp.71.à num.7 vſque ad 10.*

Datur affirmatio dependentiæ abſque deſtructione poſitiuæ entitatis, & negatio dependentiæ abſque fundamento ſuperaddito entitati poſitiuæ, quod duplici exemplo oſtenditur. *Diſp.80.num.72.73.& 74.*

Deitas, Devs.

DEus eſt indiuidua ſubſtantia, ly *indiuidua* non logicê, ſed metaphyſicé accepta. *Diſp.81.num.85.*

Licet in Deo ſint tres ſubſtantiæ, non tamen eſt abſolutê proferendum eſſe tres ſubſtantias in Deo, ſed cum addito, ſcilicet tres ſubſtantias indiuiduas. *Ibidem.*

Datur in Deo realis perſonarum diſtinctio. *Diſp.82.à num.4.*

Hæc realis diſtinctio perſonarum, eſt cum vnitate eſſentiæ. *Diſp.82.à nu.11.vſque ad finem.*

Deitati repugnat omnis diuiſio, & multiplicatio. *Diſp.82.num.17.*

Licet Deus, vt vnus ſit *entitatiuè* ſupernaturalis, non minus quam vt Trinus, in ratione tamen cognoſcibilis *quoad an eſt*, & *à poſteriori*, ſupernaturalis non eſt: vnde exiſtentia Dei vt vni, eſt naturaliter demõſtrabilis, non vero vt Trini. *Diſp.83.num.54.& ſeqq.*

Deus vt communis tribus perſonis exiſtit, & ſubſiſtit vt *quod*, operaturque actiones eſſentiales, non vero notionales. *Diſp.84.num.55.*

Regula generalis ſtatuitur ad cognoſcendũ, quæ prædicata dicantur in Deo ſingulariter, aut pluraliter. *Diſp.85.num.2.& ſeqq.*

Prædicata communia, quæ dicunt reſpectum neceſſarium ad creaturas, ſunt in Deo priora intellectu, quã prædicata perſonalia, & propria; ſecus de prædicatis communibus, & eſſentialibus, quæ liberum reſpectum in actione libera ad extra terminata fundatum, dicunt. *Pag.385.*

In Deo, non datur compoſitio realis, etiam virtualis, nec formalis per rationem. *Diſp.96.num.22.& ſeqq.*

Datur tamen in illo compoſitio rationis quoad explicitum. *D.76.num.13.& D.96.num.26.& ſeqq.*

Licet naturæ diuinæ, quæ prima perfectio eſt, repugnet cauſalitas, & virtualis dependentia, alijs tamen perfectionibus diuinis non repugnat. *Diſp.96.num.33.& 34.*

In Deo reperiri non poſſunt duo prædicata realia ſolo numero diſtincta. *Diſp.97.num.67.& ſeqq.*

Demonstratio.

DEmonſtratio à priori non petit procedere ex cauſis, quæ formaliter ſint cauſæ, ſed vel ex cauſis, vel per rationem à priori. *Diſp.83.num.37.& ſequentibus.*

Dictio.

Dictio ſignificat intellectionem exprimentem verbum; vnde dictio eſt intellectio formaliter, & non actus ex æquo ab intellectione diſtinctus. *D.71.nu.58.& ſeqq.*

Dictio diuina, non abſolutê, ſed ſecundum id

quod addit ad intellectionem eſſentialem, prius terminatur ad Verbum quam ad obiectum cognitum, ſcilicet diuinam eſſentiam: ad differentiam dictionis creatæ, quæ ſemper terminatur prius ad verbum, & mediante verbo ad rem intellectam. D. 71. *num.* 68.

Dictio creata ſub inadæquato conceptu eſt formaliter intellectio, adæquate vero ſúpta, non eſt prior intellectione. *Diſp.* 71. *n.* 71.

In dictione creata ordo ad Verbum productum, eſt prior ordine ad obiectum intellectum: in dictione autem diuina oppoſitum contingit. *Diſp.* 71. *num.* 72.

Dictio creata comparatur ad intellectionem vt ſic, tanquam ſpecies ad genus: dictio autem diuina non ita, ſed ſicut res cum modo ad rem ſine modo. *Ibidem num.* 73.

Dictio producens Verbum, eſſentialiter differt à dictione Verbum non producente, hæc tamen diſtinctio non prouenit ex ratione productionis vni, & non alteri conuenientis; ſed ex diuerſitate obiectorum. *Diſp.* 71. *num.* 73. & 74.

Dictio, loquutio, & verbum, non ſolum perſonaliter, ſed etiam eſſentialiter dicuntur in diuinis. *Diſp.* 82. *num.* 91.

In dictione datur duplex munus, ſeu conceptus, alter generationis terminatus ad Filium, vt ſubſiſtentem in natura diuina, & alter expreſsionis terminatus ad Verbũ, vt repræſentatiuum. *Diſp.* 74. *num.* 73.

Dictio diuina, vt dictio, non eſt adæquatè neceſſaria, ad differentiam illius vt generationis. *Diſput.* 91. paſsim, maxime *num.* 28.

DIFFERENTIA.

ABlata ab aliquo vltima differentia adæquata, nullo modo remanet conſtitutum per illam, ſecus vero ſi differentia ablata, ſolum inadæquata ſit de diuinis loquendo. *D.* 88. *num.* 32. 33. & 39.

Differentia vltimo conſtituens aliquid in eſſe, neceſſario illud diſtinguit realiter ab omni alio à quo realiter diſtinguitur. *D.* 96. *num.* 217. 218. & 219.

DIFFINITIO.

LIcet rerum diffinitionibus nihil ſit addẽdum, vt pars diffinitionum, poteſt tamen aliquod addi per modum explicationis. *Diſp.* 74. *num.* 84.

Diffinitio poteſt eſſe defectuoſa per exceſſum, attribuendo rei aliquid, quod illi nõ conuenit, & hoc vitiat diffinitionem: alio modo per defectum adæquationis, quatenus nõ explicat omne prædicatum conueniens rei, prout eſt in ſe, & hoc modo omnis diffinitio data à viatoribus de Deo eſt defectuoſa, ideſt non adæquata. *Diſp.* 75. *num.* 40. 41. & 42.

DILIGO, DILIGERE.

VErbum *diligo* in diuinis accipitur *eſſẽtialiter*, & *notionaliter*, ad differentiam Verbi *intelligo*, quod ſolum eſſentialiter ſumitur. *Diſp.* 95. paſsim, maxime *num.* 23.

DISTINCTIO.

IN creatis non poteſt dari diſtinctio realis aliquorum cum identitate in tertio, & oppoſitum mirabili Sanctiſsimę Trinitatis myſterio derogat. *D.* 82. *à num.* 104. *vſque ad* 112.

Diſtinctio rationis ratiocinatæ extremorũ à medio, non infert poſitiuè diſtinctionem realem extremorum inter ſe, illam tamen permittit. *Diſp.* 82. *num.* 122. *& ſequentibus.*

Diſtinctio, quæ reperitur in creatis excedit in ratione diſtinctionis diuinam diſtinctionem. *Pagina* 536.

Diſtinctio ſolum numerica in diuinis prædicatis, ſiue abſolutis, ſiue relatiuis, non datur. *D.* 97. *à num.* 66. *vſque ad* 83. Nec abſque vniuoca conuenientia ſaluatur. *Ibiẽ num.* 78. *& ſeqq.*

DISTINCTIO EMINENTIALIS, ET VIRTUALIS.

SOla eminentialis diſtinctio inter duas rationes, vel conceptus eiuſdem rei, ſufficit vt ſub vna ratione cõmunicetur, & participetur, & non ſub alia. *Diſp.* 74. *nu.* 48. & 49.

Ad diſtinctionem virtualem adæquatam in Deo adſtruendam, non ſufficit æquiualentia ad perfectiones creatas realiter, aut formaliter adæquatè diſtinctas: nec quod ſic ſe habeãt perfectiones diuinæ in ordine ad effectus quos præſtant, ac ſi realiter differrent. *Diſp.* 96. *num.* 130. & *ſeqq.*

Sola diſtinctio virtualis inadæquata inter duos conceptus eiuſdem rei ſufficit, vt prędicata contradictoria de illa verificẽtur. *Diſp.* 96. *num.* 232.

Quod etiam in formis creatis eſt verum. *Ibidem n.* 233. & 234. Vbi explicatur in quo diſtinctio virtualis adæquata, ab inadæquata differat.

DISTINCTIVVM.

AB vltimis diſtinctiuis abſtrahi poteſt aliquid reale poſitiuum analogum, nō tamen vniuocum. *Diſp.* 81. *nu.* 12. & *ſeqq.*

DIVISIO.

IN diuiſione adæquata, & eſſentiali, quando diuiſum facta aliqua reduplicatione cōuenit eſſentialiter, aliquod ex membris diuidentibus ſub eadem reduplicatione, debet eſſentialiter conuenire: ad differentiā diuiſionis accidentalis. *Diſp.* 76. *numero* 7. 8. & 9.

DVRATIO.

SI exiſtentia multiplicatur in diuinis relationibus, etiam duratio debet realiter multiplicari. *Diſp.* 79. *num.* 29. & *num.* 30.

Duratio conſequitur immutabilitatem. *D.* 97. *n.* 316.

E

EFFECTVS.

EFfectus creati connexionem per ſe habent cum Deo vt vno, non vero cum Deo, vt Trino. *Diſp.* 83 *n.* 39. & *ſequētibus*, maximē *à num.* 58. *vſque ad num.* 82.

ENS, ENTITAS.

ENs diuiditur adæquate, & eſſentialiter in creatum, & in increatum: vnde de quo cumque prædicatur eſſentialiter ens, debet prædicari eſſentialiter ratio entis creati, aut increati: nec eſt dabile medium, etiam facta quauis reduplicatione. *Diſp.* 76. *n.* 6. & *ſeqq.*

Entitas naturalis poteſt, non per ſe primo, ſed ex conſequenti tollere potentiam obedientialem. *Diſp.* 84. *num.* 14.

Ens *nominaliter* poteſt ſumi, vt concretum exiſtentiæ, vt cōcretū ſolius eſſentię, quæ eſt exiſtēdi principiū, & vt concretum entitatis, prout opponitur contra nihil. *D.* 85. *nu.* 12. 13. & 14.

Ens ſumptum *nominaliter*, ſi abſolute accipiatur, eſt concretum, non exiſtentiæ, nec entitatis vt oppoſitæ nihilo, ſed eſſentiæ vt eſt exiſtendi principium. *Ibidem num.* 15. & 16.

Ens quatenus concretum exiſtentiæ, & concretum eſſentiæ, non prædicatur *pluraliter* de diuinis perſonis: bene tamen quatenus eſt concretum entitatis, vt nihilo oppoſitæ. *Diſp.* 85. *num.* 17. & *ſeqq.*

ENS RATIONIS.

ENs rationis, non poteſt ante intellectus operationem exiſtere, nec in poſſe ab intellectu apprehendi conſiſtit, nec per ſui fundamenti exiſtentiam exiſtere poteſt. *Diſp.* 97. *à num.* 96. *vſque ad* 102.

Fundamentum proximum entis rationis exiſtere, ſufficit ad abſolutam denominationem. *Diſp.* 97. *à num.* 104. *vſque ad* 112.

ESSENTIA DIVINA.

Vide. *Relatio*, & *Sylogiſmus.*

DIuina eſſentia, & per modum eſſentiæ, & per modum naturæ, eſt de eſſentia relationis prout virtualiter, & ratione noſtra ab illa diſtinctæ. *Diſput.* 76. *à nu.* 14.

Non omnia prædicata, quæ eſſentialiter dicūtur de eſſentia, prædicantur de eo de quo eſſentialiter eſſentia enunciatur. *Diſp.* 76. *num.* 35. & *ſequentibus.*

In hoc ſylogiſmo, *eſſentia diuina eſt Pater, eſſentia diuina eſt Filius: ergo Filius eſt Pater*, duplex defectus committitur. *Diſp.* 82. *num.* 147. & 148.

Licet hæc propoſitio, *eſſentia Filij procedit ab eſſentia Patris*, ſit hęretica: hæc tamen, *eſſentia Filij ſecundum aliquid ſibi identificatum procedit à Patre*, vera, & catholica eſt. *Diſp.* 83. *n.* 13.

Licet eſſentia diuina terminet per ſe viſionē beatificam, vt actu communicata tribus diuinis perſonis, non tamen mouet, nec gerit munus ſpeciei per ſe, vt actu communicata, ſed ratione perfectionis abſolutæ à relationibus diſtinctæ. *Diſp.* 83. *numero* 97.

Eſſentia diuina prō priori ad relationes exiſtit, & ſubſiſtit, non ſolum vt *quo*, verū etiam vt *quod*. *Diſp.* 84. *à numero* 21. *vſque ad* 28.

Tres diuinæ Perſonæ ſunt eiuſdem eſſentiæ, ſumpta eſſentia pro natura, quæ eſt radix operationum, & pro ſuſceptiuo proximè exiſtentiæ: ſumpta vero eſſentia pro abſtracto entis tranſcendentaliter accepti, ideſt pro entitate, diuerſas eſſentias habent, ſicut & diuerſas entitates. *Diſp. 96. num. 316.*

Eſſentia diuina prout in Patre, refertur vt *quod* ad ſe ipſam prout in Filio relatione rationis. *Diſp. 97. n. 145. & ſeqq.*

ÆTERNITAS, ÆTERNVS.

NOn dantur in Deo tres æternitates relatiuæ, nec concedi poſſunt tres æterni ſubſtantiuè relatiuè. *Diſp. 79. n. 22. & ſeqq.*

EXISTENTIA, EXISTENTIA DIVINA.

IN Deo datur exiſtentia communis, & eſſẽtialis. *Diſp. 79. num. 1. 2. & 3.*

Non dantur in Deo exiſtentiæ relatiuæ realiter inter ſe, & ratione ab exiſtentia abſoluta eſſentiæ diſtinctæ. *Ibidem à nu. 5.*

Exiſtentia cuiuſuis relationis, ſiue increatæ, ſiue creatæ, non eſt relatiua, ſed abſoluta. *Diſp. 79. num. 31. & ſeqq.* & iterum *n. 49. 50. & 51.*

Nihil poteſt duplici exiſtentia actuari, & exiſtere. *Diſp. 79. nu. 36.*

Effectus formalis exiſtentiæ, non eſt rem conſtituere extra purum nihil, ſed extra nihil completè. *Diſp. 79. num. 45. 46. & num. 47.*

Exiſtere per ſe, tripliciter accipitur. *D. 81. n. 81.*

Exiſtentia, non multiplicatur, etiam virtualiter in Deo, ſed vnica exiſtentia abſoluta exiſtunt eſſentia, attributa, & relationes. D. 84. *num. 64. & Diſp. 85. num. 5.*

Exiſtentia eſt eſſentialis omnibus diuinis prædicatis, & formalitatibus, prout vltimo cõſtitutis per ſuam quaſi vltimam differentiam ſpecificam, non vero ſumptis quaſi genericè, & communiter. *D. 97. à nu. 77. vſque ad 83.*

EXTREMA.

POſſunt extrema magis à medio, quam inter ſe diſtingui. *Diſp. 96. nu. 208.* Vbi varijs exemplis demonſtratur.

F

FIDES HVMANA.

INtellectus creatus poteſt fide humana credere myſterium Trinitatis ſuppoſita illius reuelatione, non tamen poteſt illud demonſtrare. *Diſp. 83. n. 87.*

FILIATIO, FILIVS.

FIliatio eſt triplex, vna communis omni creaturæ intellectuali in creatione fundata, alia adoptiua, & alia naturalis in generatione propria fundata. *Diſp. 82. num. 20.*

De conceptu eſſentiali Filij, non eſt quod aſsimiletur patri in fœcunditate alterius ſuppoſiti productiua, ſed ſufficit illi aſsimilari in natura ſub conceptu naturæ. D. 74. *à num. 27. vſque ad 39.*

Filius Dei non habet potentiam alterius Filij generatiuam, nec ex hac negatione colligitur aliquis defectus potentiæ in illo. *Diſp. 8[illegible]. à num. 78. vſque ad 90.*

Filius vnica relatione ad Patrem, & matrem refertur, etſi ex parte illorum dentur duæ relationes *ſpecificè inadæquatè* in ratione terminandi diſtinctæ. *Diſp. 86. nu. 25. & ſeqq.*

Mortuo Patre, non refertur Filius ad matrẽ eadem relatione, qua antea referebatur, ſed alia ſpecie diuerſa. *Ibidem num. 27. 28. & 29.*

Licet Verbum in diuinis dicatur perſonaliter, & eſſentialiter, proprie inadæquate; Filius tamen nullo modo dicitur eſſentialiter. D. 88. *n. 38. & 39.*

Filius Dei, vt Filius, eſt adæquatè neceſſarij non autem vt Verbum. *Diſp. 91. num. 28.*

Filiatio non eſt ratio formalis terminandi relationem Spiritus Sancti ad Filium. D. 92. *n. 4.*

Licet Filiatio, non opponatur *relatiuè formaliter* proceſsioni, opponitur tamen illi *connexiuè*, & *ſubſtractiuè*. Ibidem num. 42. & 43.

Filiatio ſub expreſſo Filiationis conceptu, non eſt ratio formalis diſtinguens realiter Filum à Spiritu Sancto, ſed ſub cõceptu radicis ſpirationis per modum Verbi. D. 92. *num. 58. & ſeqq.*

In Filio Dei, distincta est potentia vt generetur, ab actuali passiua generatione. *D.96. nu.*101. non tamen requiritur distincta relatio ab illa, qua vt genitus refertur ad Patrem: ad differentiam Filij creati, vel increatis. *num.*102.

Relatio Filiationis constituit Filiũ in ratione personæ, non sub expresso conceptu referentis, sed sub conceptu subsistentis, & formæ hypostaticæ, sub quo non consequitur posito termino, sed motum & actionẽ per se primo terminat, & alia multa, quæ relationi accidẽtali negantur. D. *96. n.*103. *& seqq.*

Filius non constituitur origine, seu passiua generatione, sed Filiatione. D. *96. n.*246.

Licet possit de Filio Dei dici, quod *semper nascitur*, melius tamen dicitur, *semper natus*. Pag. *631.*

Filius est in Patre, & ê conuerso, secundum essentiam, secundum relationem, & secũdũ originem *Pag.636.* Imo, & Filiatio est in Paternitate secundum essentiam, non tamen debet concedi absolute ista propositio, *Paternitas est Filiatio.* Pag. *637.* & *638.*

Filius est æqualis Patri secundum potentiã. *Pag.639.* & fusiùs. *Disp.97. à num.*280. *vsque ad* 315.

Filiatio, & Paternitas diuina, non differunt specifice in ratione relationum, sed se totis, ad differentiam Filiationis, & Paternitatis in creatis, quæ vniuoce in ratione relationis conueniunt. D. *97. à num.* 72. *vsque ad* 83.

Hæc propositio non deuet concedi, *aliqua potentia productiua conuenit Patri, & non Filio*: hæc tamen est vera: *Aliqua potentia productiua ad intra, conuenit Patri, & non Filio.* Disp. *97.* nu. *310.* & 311.

Forma.

Licet forma vt in re existens, debeat in re omnem suum effectum subiecto capaci præbere, non tamen est necessariũ, quod omnes effectus subiecto præstet pro omni priori. *Disp.96. num.*164.

Fvndamentvm.

POsito fundamento, & termino in relationibus realibus, statim resultat relatio, secus in relationibus rationis. D. *97. num.* 138.

In relationibus primi generis subiecta primo relata, etiam vt *quod*, sunt fundamenta, quod in alijs non contingit. D. *97. nu.*84. *& seqq. & num.*140. *& seqq.*

Fundare entitatem, etiam non dicentem perfectionem, in illamque effectiuè influere, perfectio est, & actualitatem in efficiente supponit. *Disp.97. num.* 189. 190. *&* 191.

G

Generatio Activa Divina.

GEneratio actiua in diuinis, seu actualis actiua processio, non est adæquatè relatio principij, sed aliquid absolutum cũ respectu: idemque de potentia generatiua est dicendum. *Disp.71. num.*30. 31. *& sequentibus.*

Generatio actiua, non est se tota ratio distinguendi Patrem à Filio, sed tantum secundum aliquam formalitatem distinguit: aliter tamen, ac potentia generatiua. D. 71. *num.*55. *&* 56.

Generatio Filij in diuinis est perfectissimè vniuoca. *Disp.72. num.*53.

Licet in creatis principium *quo* primum generationis debeat à genito adæquate distinguiꝛin diuinis tamen sufficit distinctio in aliquo solum in obliquo importato. *Ibidem num.*54.

Actualis generatio, est diuina intellectio connotata Paternitate, & generari est passiuũ intelligi cõnotata Filiatione. D. 82. *n.*88.

Generatio actiua, non constituit personã Patris, nec passiua personã Filij. D. *96. nu.* 235. *& seqq.* maximè *num.*246. 247. *&* 248. & iterum *num.* 272. *& sequentibus.*

Generatio actiua, non est fundamentum relationis Paternitatis, sed potentia generatiua. D. *97. num.*57.

Gentiles Phylosophi.

GEntiles Phylosophi, non cognouerunt Mysterium Trinitatis: si autem aliqui Trinitatem personarum cognouerunt, non hoc proprijs industria acquisiuerunt, sed vel ex illorum relatione, quibus reuelatum est, vel ex libris Hebræorum. *Disp.* 83. *num.*89.

GRATIA.

GRatia ſanctificans, prout radicat notitiam, appropriatiuè Filio tribuitur, & vt radicat amorem appropriatur Spiritui Sancto. *D.98.num.164.*

GRAVE.

QVamuis motus, quo graue in centrum mouetur, dimanet à grauitate, nõ tamen poteſt concedi quod graue ſe in centrum moueat. *Diſp.80.nu.97.*

H

HABITVDO.

HAbitudo, ſiue conuenientiæ, ſiue diſcõuenientiæ, non connectitur formaliter, niſi cum formali termino, vel extremo, vnde poteſt habitudo cognoſci, & comprehendi, non cognito termino materiali. *Diſp.83.num.65.*

HABITVS.

HAbitus opinatiuus eſt virtus, quatenus inclinat in aſſenſum probabilem verum, & illum poteſt elicere: prout autem inclinat in aſſenſum probabilem falſum, non virtus, ſed vitium eſt. *Diſp.83.n. 30.31.32.& 33.*

Actus falſus, vt falſus, non poteſt ab habitu virtutis procedere: bene tamẽ ſi actus eſto ſit ſpeculatiuè falſus, practica veritate gaudeat. Exemplum adducitur. *Diſp.83.nu. 31.& 32.*

HOMO.

HOmo eſt per ſe imago Dei, vt vni, Dei vero vt Trini, non eſt imago per ſe, ſed quaſi per accidens, hoc eſt attenta propria exigentia: vnde ex cognitione hominis, non poteſt exiſtentia Trinitatis oſtendi. *Diſp.83.num.59.*

Quocumque pergit homo, vadit miſſus à Deo, niſi vadat ad peccatum: ad differentiam Filij creati, qui non it miſſus à Patre, quocumque pergit. *Diſp.98.num.24. & 25.*

HOSTIA NON CONSECRATA.

IVdicium regulans adorationem hoſtiæ verè non conſecratæ ex malitia Sacerdotis, eſt falſus ſpeculatiuè, practicè autem eſt verus, & elicitur, nõ à fide, ſed ab habitu prudentiæ. *D.83.nu.32.*

HVMANITAS CHRISTI.

LIcet humanitas Chriſti careat in eſſe formali propria perſonalitate, habet tamẽ illam eminentialiter in ſubſiſtentia Verbi ſibi vnita: vnde nec violentiam patitur, nec in propriam perſonalitatem naturaliter inclinat. *Diſp.80.num.85.*

Ad humanitatem Chriſti in inſtanti conceptionis facta fuit duplex miſsio diuinarum perſonarum, vna ratione ſanctitatis ſubſtãtialis, & ratione accidentalis alia. *Diſp. 99.num.151.& ſeqq.*

HYPOSTASIS.

AD ſignificandam ſubſtantiam indiuiduam, & incommunicabilem, habent Græci hoc nomen *hypoſtaſis*, quod nõ eſt idem, ac *ſubſiſtentia* in omni ſua ſignificatione, ſed ſolum quatenus ſignificat perfeitatem excludentem communicabilitatem alteri ſuppoſito. *Diſp.84. num. 33. & ſeqq.*

Abſtractis per intellectum relationibus, non manent diuinæ hypoſtaſes. *Diſp.96.num. 307.308.& 309.*

Hypoſtaſis, & perſona, non differunt in Deo ex parte proprietatis conſtituentis, & diſtinguentis, quam in recto dicunt, ſed tantum ex parte naturæ, quam in obliquo important. *Ibidem num.309.*

Non datur in Deo hypoſtaſis communis reali communitate tribus diuinis hypoſtaſibus: ſicut nec perſona, nec ſuppoſitum. *D. 96.num.312.*

I

IGNIS.

IGnis genitus eſt vera imago ignis generantis, non ſic vnum ouum reſpectu alterius. *Diſp.74.num.26.*

IMAGO.

IMago *eſt ſimilitudo expreſſa ab alio*, quæ diffinitio late explicatur, & ea, quæ ad rationem imaginis deſiderantur, ſtatuuntur. *Diſp.74. a n.12. vſque aa 26. & D.89. num.13.14.& 15.*

Imago dependet per ſe ab eo, cuius eſt imago per ſe, non vero ab eo, cuius eſt imago, quaſi peraccidens, qualiter homo eſt Trinitatis imago. *Diſputatione* 83. *num.* 59.

Imago (quæ in diuinis dicitur ſolum perſonaliter) petit ſimilitudinẽ in ſpecie, vel ſaltim in ſigno ſpeciei, cum origine, & expreſsione alterius. *Pag.* 400. & 401. *Et diſp.* 88. *num.* 34. & *ſeqq.*

Nomen *Imago* eſt proprium Filij in diuinis. *Pag.* 402.

Ad rationem imaginis requiritur ſimilitudo, & deductio ex alio, tanquam rationes inadæquatæ illius repræſentationis. *Diſp.* 89. *n.* 13. 14. & 15.

Relatio imaginis, etſi ſimilitudinem ſupponat, non tamen eſt relatio ſimilitudinis, nec ſupra illam fundatur, ſed ſupra originem, vel expreſsionem, qua ab exemplari procedit. *Diſp.* 97. *num.* 91.

IMPVLSVS.

Vide *Voluntas.*

IN eadem perſona coincidere nequeunt ratio Verbi, & ratio impulſus; bene tamen ratio Filij, & ratio Verbi. *Diſp.* 82. *num.* 97.

INCOMMVNICABILE.

INcommunicabile ſumptum formaliter, in negatione conſiſtit, & negationem ſignificat, ſumptum vero fundamentaliter, ſeu radicaliter poſitiuam entitatẽ importat, & ſic accipitur in diffinitione perſonæ. *D.* 80. *n.* 75. & 76. *Et Diſp.* 81. *num.* 8.

INFINITAS, INFINITVM.

LIcet inter infinitum poſitiuê, & poſitiuê finitum, non detur medium in re, datur tamen ſub reduplicatione alicuius conceptus. *Diſp.* 73. *num.* 6.

Infinitas ſequitur, non realitatem, ſed perfectionem: vnde in diuinis non dantur plures infinitates, ſicut nec plures perfectiones. *Diſp.* 85. *n.* 8.

INDIVIDVATIO, INDIVIDVVM.

INdiuiduum *Logicè* ſumptũ dicitur correlatiuê ad ſpeciem, non autem *Metaphyſicè*, & primo intentionaliter acceptum. *Diſp.* 81. *n.* 85.

Indiuiduatio in rebus materialibus ſumitur à materia, non in rebus, ſeu ſubſtãtijs immaterialibus. *Ibidem.*

Indiuiduum ſignificat de formali naturam, & eſt nomen ſubſtantiuum: vnde in diuinis non dantur tria indiuidua, licet dẽtur tres perſonæ. *Diſp.* 85. *num.* 38. & *ſequentibus.*

INGENITVM.

INgenitum tripliciter accipitur, & in aliquo ſenſu eſt proprium primæ perſonæ. *Diſp.* 87. *n.* 1. & 2.

Hoc nomen *ingenitum* de formali ſignificat negationem, & non aliquid poſitiuum; de materiali autem aliquod fundamẽtum intrinſecum importat. *Ibidem, nu.* 3. 4. & 5.

In ratione quintæ notionis non conſtituitur ingenitum per poſitiuum de materiali importatum, ſed per negationem, quam de formali ſignificat. *Diſp.* 87. *n.* 14. & *ſeqq.*

INNASCIBILITAS.

NOn obſtante quod innaſcibilitas in negatione conſiſtat, & dignitatem nõ explicet formaliter, eſt notio ad differentiam inſpirabilitatis, & ingenerabilitatis, quæ nec *circũloquutiuè*, nec *à poſteriori* dignitatem indicant. *Diſp.* 86. *n.* 32. & *ſeqq.*

INTELLECTIO.

IMpoſsibile eſt intellectionẽ vt ſic, ſeu ex conceptu communi intellectionis eſſe ex propria ratione productionem Verbi, & quod ex ratione ſpecifica repugnet alicui intellectioni productio Verbi. *Diſp.* 71. *n.* 11. & *ſeqq.* Vide etiam *diſp.* 76. *n.* 38.

De conceptu intellectionis vt ſic, non eſt productio Verbi, eſt tamen de ratione naturæ intellectualis, quod in aliqua ſui intellectione Verbum formet. D. 71. *nu.* 15. 16. & 17.

INTELLECTIO DIVINA, INTELLECTVS DIVINVS.

NOn datur in Deo intellectio notionalis, & relatiua, ab intellectione eſſentiali, & abſoluta diſtincta in linea intellectionis ſicut nec datur duplex deitas, alia abſoluta, relatiua altera, idemque de potentia, miſericordia, iuſtitia, &c. dicendũ. *Diſp.* 71. *n.* 39.

Si per impoſsibile intellectio eſſentialis eſſet intellectio producta, adhuc non obtineret rationem Verbi, quod non in intel-

lectione, ſed in eius termino cõſiſtit. *Diſp.* 27. *n.* 29.

Intellectus diuinus intra propriam lineam, & ex differentia contractiua formaliter intellectus vt ſic, eſt aſsimilatiuus nedum in eſſe intelligibili, & intentionali, verum etiã in eſſe naturali, & entitatiuo, quod verum eſt etiam ſuppoſita diſtinctione virtuali inter lineam entis, & lineam intelligibilem paſsiuam in Deo. *Diſp.* 74. *n.* 62. *& ſequentibus.*

Obiectum intellectus diuini non eſt verum, vt verum, ſed quidditas rei ingrediente veritate, vt modo. *Diſp.* 74. *num.* 74.

Intellectio diuina non eſt, adhuc repræſentatiuê, natura diuina. *Diſp.* 74. *numero* 79.

Licet intellectus præſupponat naturam vt operatiuam remotê, non tamen ſupponit illam vt proximê operatiuam: vnde operatio intellectus, non præſupponit operationem naturæ. *Diſp.* 82. *num.* 97. & 98.

INTELLECTVS CREATVS.

NVllus intellectus creatus poteſt ratione naturali euidenter demonſtrare exiſtentiam Myſterij Trinitatis ante illius reuelationem. *Diſp.* 83. *à numero* 34.

Nec reuelatione ſuppoſita. *Ibidem*, & *num.* 83. & *ſeqq.*

Poteſt tamen, reuelatione ſuppoſita, illud fide humana credere, & illi aſſenſum naturalem probabilem præbere. *Diſp.* 83. *nu.* 87. & 88.

INTELLIGIBILE.

GEnus intelligibile paſsiuum, non diſtinguitur virtualiter à genere entitatiuo, & naturali in Deo: nec intellectiuum radicale, & proximum ſunt in illo lineæ ex æquo diſtinctæ. *Diſp.* 74. *numero* 59. & 60.

L

LATRIA.

SI relationes diuinæ diſtinguerentur realiter ab eſſentia, non eſſent adorantæ adoratione latriæ per ſe, ſed tantum per aliud, & ratione eſſentiæ: ſicut adoratur humanitas Chriſti ratione ſuppoſiti Verbi diuini. *Pag.* 112.

LOQVVTIO.

LOquutio, non ſolum perſonaliter, verũ etiam eſſentialiter dicitur in diuinis. *D.* 87. *num.* 91. & *Diſp.* 88. *num.* 29.

Loqui alteri, eſt illi aliquid producendo manifeſtare. *Diſput.* 88. *num.* 18. & *ſequentibus.*

Ad loquutionem, non requiritur, quod audiens ſupponatur ignorans. *Ibidem nu.* 21.

M

MAGNITVDO DIVINA.

MAgnitudo in diuinis idem eſt, quod perfectio, diciturque abſolute, & ad ſe, non relatiue, & ad aliud: vnde non dantur in Deo tres magnitudines, ſed vna tantum. *Diſput.* 78. *numero* 19. 20. & 21.

MARTYRES MARTIRYVM.

MArtyres non ſolum in primitiua Eccleſia, ſed etiam modô multiplicãtur, ſicuti & miracula, ad differentiam miſſionis viſibilis. *Diſp.* 98. *num.* 142. & 143. Vbi primarius eius finis aſsignatur.

MATERIA PRIMA.

MAteria prima, non eſt entitas creata ratione ſui, ſed ratione formæ in communi, cuius eſt capax. *Diſp.* 79. *num.* 20. & 21.

Dependentia materiæ primæ à forma vt exiſtat eſt eſſentialis, & inſuplebilis de potentia abſoluta: ad differentiam ſubſiſtentiæ, quæ ſolum connaturaliter requiritur, vt natura creata exiſtentiam recipiat. *D.* 80. *num.* 89.

MISSIO.

MIſsio importat habitudinem miſsi ad terminum ad quem mittitur, & exitũ miſsi à mittente, vel ſecundum imperium, conſilium, aut originem. *Pag.* 640. & D. 98. *num.* 1. & *ſeqq.*

Non eſt æterna, ſed temporalis. *Pag.* 641. & 642. & fuſius. D. 98. *num.* 193. & *ſeqq.*

Patri non conuenit mitti, ſed Filio, & Spiritui Sancto. *Pag.* 643. 644. & 645. Vbi iſtarum miſsionum differentia explicatur.

Miſsio inuiſibilis fit ad omnes, qui ſunt participes gratiæ. *Pag.* 645.

De

De ratione miſsionis diuinarum perſonarũ eſt proceſs o & habitudo ad effectum temporalem. *Diſp.98.à num.9.* Et vtraque habitudo importatur directe in miſsione. *Diſp.98.à num.75.*

De ratione miſsionis ex communi conceptu non eſt, quod ex vi exitus miſsi à mittente determinetur voluntas miſsi in ordine ad terminum miſsionis. *Diſp.98.n.20.& ſeqq.*

Vna perſona mitti poteſt ab alia à qua non procedit. *Diſp.98.num.32.& ſequentibus.*

Variæ miſsionis diuiſiones traduntur. *D.98. nu.111.& ſeqq.*

Miſsio mixta ex viſibili, & inuiſibili, eſt abſolute viſibilis. *Diſp.98.num.127.& ſequentibus.*

De ratione miſsionis viſibilis eſt, quod inuiſibilem manifeſtet. *Diſp.98. num.127.& ſeqq.*

Chriſto,& Apoſtolis facta fuit miſsio viſibilis, non autem ad Patres veteris teſtamenti. *Diſp.98. numero 137. & ſequentibus.*

Nec ad Prælatos Eccleſiæ nunc exiſtentes. *Ibidem à num. 139. vſque ad numerum 143.*

Miſsio Filij,& Spiritus Sancti ex parte principij, & proceſsionis diſtinguuntur realiter,& etiam ex parte termini miſsione accepta appropriatiuè: ſecus autem ſi miſsio proprie accipiatur. *Diſp.98.num.144. & ſequentibus*, maximè *à numero 147.*

Miſsio inuiſibilis Filij connexa eſt cum miſsione Spiritus Sancti, etiam ſi de illis vt appropriatis Filio,& Spiritui Sancto loquamur. *Diſp.98.à num.159.*

Miſsio viſibilis non diſtinguitur ex æquo ab inuiſibili, ſed vt includens ab incluſo. *D. 98.à nu.176.*

Licet tres Perſonæ ad nos veniant, & poſſint viſibiliter apparere, Pater tamen nec mittitur, nec mitti poteſt. *Diſp.98.à nu. 199.*

Quadruplex differentia inter miſsionem Filij, & miſsiones viſibiles Spiritus Sancti traditur. *Ibidem num.201.& ſequentibus.*

Oportuit quod fieret miſsio viſibilis ſpecialis Spiritus Sancti ad Chriſtum, & eius Apoſtolos, non autem ad Beatiſsimam Virginem, nec ad Patres veteris teſtamenti. *Diſp.98.à n.208. vſque ad nu. 214.*

Non mittuntur diuinæ perſonæ ſecundum dona naturæ. *Diſputatione 96 à numero 6.*

Nec mitti poſſunt per ſolam acceptationem extrinſecam, *à n.53.*

Solum per gratiam gratum facientem dicuntur diuinæ perſonæ mitti miſsione propria, & ſimpliciter tali. *Diſp.99.à numero 75.*

Ad miſsionem Filij, non ſufficit quæcumque cognitio, ſed requiritur notitia inferens amorem. *Diſp.99. à num.99. vſque ad 126.*

Non mittuntur diuinæ perſonæ proprie per actus, vel ratione illorum, ſed ſolum ratione donorum permanentium. *Ibidem nu.127.& ſeqq.*

Miſsio inuiſibilis diuinarum perſonarum fieri non poteſt ad irrationales creaturas. *Diſputatione 99.num.134. & ſequẽtibus.*

Miſsio diuinarum perſonarum facta fuit ad Angelos in primo ſuę creationis inſtanti, nouaque fit ad illos, & homines in inſtanti glorificationis. *Diſp.99.nu.160. & ſeqq.*

Ad nouam perſonarum miſsionem ſemper eſt neceſſaria aliqua nouitas in gratia gratum faciente. *Diſp.99.num.171.172. & 173.*

Ad quam ſufficit nouitas gratiæ intenſiua, vel extenſiua. *Ibi numero 174.& ſequentibus.*

Cum mittũtur diuinæ perſonæ in mẽtem per inuiſibilem miſsionem, non ſolum donantur nobis dona gratiæ, ſed etiam ipſæ diuinæ perſonæ prout à donis gratiæ, diſtinctæ. *Diſp. 100. à num.1. vſque ad 16.*

Non ſolum Spiritus Sanctus, ſed etiam aliæ perſonæ per miſsionem nobis donantur. *Diſp. 100. num. 17.& ſequentibus.*

Ex vi miſsionis, & termini à miſsione connotati, nempe gratiæ gratum facientis, non ſunt diuinæ perſonæ phyſicè præſentes creaturæ rationali, aliqua præſentia phyſica diſtincta ab illa, qua præſentes ſunt omnibus rebus per immenſitatẽ. D. 100. *à n.37.*

Modvs.

Licet modi non detur modus, nec vnionis vnio eiusdem rationis, diuersæ tamẽ rationis datur. *Disp.97. num.165.*

Motvs.

Svpra modum non potest aliqua realis relatio fundari. *Disp.97. num.210. & sequentibus.*

N

Natvra.

Conceptus naturæ in toto rigore saluatur, absque vi realiter productiua alterius suppositi. *Disp.74.n.30. & seqq.*

Licet subsistentia requiratur connaturaliter, vt natura existat, hæc tamen dependẽtia non est essentialis, sed connaturalis, sicut inhærentia accidentis vt existat: vnde vtrumque supplebile est de potentia absoluta: ad differentiã materiæ primæ, quę sine præuia forma per nullam potentiam existere potest. *Disp.80. num.89. 90. & 134.*

Si natura creata poneretur extra causas sine subsistentia, existeret per se, non *positiuè*, sed tantum *negatiuè*, vnde non esset suppositum, nec persona. *Num.90. & sequẽtibus.*

Natura creata subsistens, potest existere per increatam existentiam separatam ab existentia propria creata: numquam tamen potest persona creata diuinæ personæ vniri. *Disp.8.n.129. & seqq.*

In prædicto casu ex persona creata, & existẽtia diuina resultaret vnum per se, non in linea entis *nominaliter* sumpti, sed in linea entis *nominaliter*, & *participialiter* accepti. *Disp.80.n.135. & 136.*

Natvra Divina.

Natura diuina communicatur adæquatẽ Verbo Diuino quoad substantiam, non autem quoad modum: vnde est vlterius per modum voluntatis Spiritui Sancto communicabilis, licet in natura creata (quæ cum suis proprietatibus idẽtificata non est) non reperiatur, nisi vnus modus communicationis. *Disp.73. num. 4.5. & 6. Et disp.82.n.67.*

Natura diuina non significatur directẽ per hoc nomen *Persona Diuina*, sed tantum in obliquo importatur. *Disp.81. nu.16. & seqq.*

Natura diuina in abstracto non existit, nec subsistit vt *quod*, sed tantum vt *quo*. *Disp. 84.n.54.*

Natvra Rationalis.

Licet natura rationalis vt intellectiua, sit indifferens ad assensum verum, & falsũ, per inclinationem tamen solum tendit in verum. *Disp.83.n.7.*

Natura rationalis inclinat in habitum opinatiuum, prout est virtus: non tamẽ prout vitium est, quatenus assensum probabilem falsum elicit. *Ibidem. num.30. & seqq.*

Necessarivm.

Licet magis necessarium à minus necessario dependere non possit, potest tamen cum illo per se connecti, & illud ad sui consistentiam exigere. *Disp.90. a n. 48. vsque ad 51.*

Negatio, Negativvm.

Ex positiuo, & negatiuo non potest vnũ per se resultare. *Disp.80.n.64. & 65.*

Negatio ab extrinseco conueniens, v.c. negatio lucis in aere, fundamentũ ex quo oriatur in subiecto non petit, nec de materiali illud importat, ad differentiam negationis intrinsecæ, & essentialis. *Disp.87.n. 5.*

Nomen, Nomina.

De significatis per hæc nomina *individuum, res naturæ, suppositum, hypostasis, subsistentia*, & alijs similibus, *vide disp.81.n.3.4. & 5. Et num.20. & seqq. Et disp.85. a num.34. vsque ad 43.*

Nomina, quæ in Deo substantiam absolutè significant, non partiuntur ad additionem terminorum numeralium. *Disp.81. num.17.*

Significatũ formale nominis, est id ad quod significãdum est principaliter impositum nomen, significatum vero materiale est id in quo ratio per nomen significata saluatur, seu reperitur. *Disp.81.n.49.*

Significatum formale nominis non variatur propter veritatem, aut falsitatem propositionis. *Disp.81.n.58. & 59.*

Nomen numerale cadens supra substantiuũ, numerat formas, supra adiectiuum vero, non formas, sed suppositа. *Disp.85. num. 17.* Quod magis explicatur, *num.38. & sequentibus.* Et iterum *disp.94. nu.6.15. & seqq.*

Omne nomen ſignificans realem perfectionem, prius, & principaliùs dicitur de Deo, quam de creaturis, e contra autem, ſi nomen vtrique commune entitatem rationis importet, vel à reali, & rationis abſtrahẽtem. *Diſp.97.n.135.& ſeqq.*

NOTITIA INTVITIVA.

DE ratione notitiæ intuitiuæ, etiam cõprehenſiuæ, non eſt terminari ad omnes formalitates in obiecto repertas, vel obiecto identificatas, niſi omnes contineantur intra ſphæram cognitionis vt talis. *Diſp.83.n.63.*

De ratione obiecti notitiæ intuitiuæ, quæ practica eſt, ſolum eſt coexiſtere ſimul cũ illa in eadem durationis menſura; vnde poteſt ſuum obiectum efficere, & illud non ſupponere. *Diſp.89.a num.24.vſque ad 34.*

NOTIO.

NOtio eſt *propria ratio cognoſcendi diuinam perſonam*, ſuntque in diuinis quinque notiones, ſcilicet, innaſcibilitas, paternitas, communis ſpiratio, filiatio, & proceſsio, ex quibus quatuor ſunt proprietates, & tres tantum ſunt perſonales, ideſt, conſtituentes perſonas. *Pagina* 214. Et fuſius *diſp.86.a n.1.*

Dari notiones quoad rem ſignificatã in diuinis, æquê certum eſt, ac dari proprietates conſtituentes, & diſtinguentes perſonas. *Ibidem.*

Eſſe etiam admittendas in diuinis notiones, quoad vſum nominis *notio*, adeò certum eſt, vt oppoſitum temeritate non careat. *Diſp.86.n.2.& ſeqq.*

Notio propriê loquendo, debet ſignificari in abſtracto, & magis propriê accipitur pro obiectiuo conceptu, quã pro formali. *Ibidem, num.8.9.& 10.*

Ad rationem notionis, non requiritur quod ſit dignitas, & aliquid poſitiuum, ſed ſufficit, quod *circũloquutiuè*, & à poſteriori dignitatem explicet, ſeu indicet. *Diſputatione 86.num.32.& ſeqq. Et diſp.87. num.17.*

Ad diſtinctam notionẽ, non requiritur quod diuerſam dignitatem, aut perſonam notificet. *Diſp.87.n.18.19.& 20.*

O

OMNIPOTENTIA.

OMnipotentia comprehendi non poteſt non cognitis creaturis ſub eſſe poſsibili, cum quibus eſſentialiter connectitur. *Diſp.90.a num.2.* maximê *num. 11. & ſeqq.* Etiã ſumptis in particulari, *num. 60.61.& 62.*

Omnipotentia eſt vis productiua creaturarum abſolutê, & ab intrinſeco, & non ſub conditione non repugnantiæ termini producibilis; imô talis vis productiua ſub cõditione, eſt omnino impoſsibilis. *Ibidem à n.15.* & iterum, *nu.29.*

Omnipotentia ſecundum ſuam eſſentiam, nõ ſpecificatur adæquatê à perſonis ad intra productis, nec à perſona diuina ſub ratione communi producibilis ab hac, vel illa perſona abſtrahens. *Diſp.90.num.25. & 26.*

Productio ad intra, non poteſt eſſe actꝰ primarius omnipotentiæ ſecundum ſuã eſſentiam. *Ibidem, num.26.*

Si lapis v.g. qui modo eſt poſsibilis, reddere tur repugnans, variaretur omnipotentia per conſequentiam à poſteriori, & à ſigno. *Diſp.90.n.41.& ſeqq.*

Omnipotentia poteſt comprehenſiuê amari, poſsibilibus non amatis ex ſuppoſitione quod amabilia non ſunt; non autem poteſt comprehenſiuê cognoſci illis non cognitis, etiã in particulari. *Diſp.90.n.53. 60. 61.& 62.*

Terminus formalis *qui* diuinæ omnipotẽtiæ eſt ens creabile ſub communi ratione, ratio vero *ſub qua* formalis, & ſpecificatiua eſt diuina eſſentia, vt à creaturis imitabilis. *Diſp.90.n.62.*

Omnipotentia comprehendit ſub ſe potentiam generandi ad intra. *Diſp.97.num. 281.& ſeqq.*

Omnipotentia non dicitur per reſpectum ad non implicans reſpectiuê ad ſubiectũ, ſed ad non implicans abſolutê. *Diſp.97.num. 297.298.& 299.*

OPPOSITIO CONTRADICTORIA.

LIcet oppoſitio contradictoria ſit omnium maxima quantum ad veritatem, & falſitatem propoſitionis; incompati-

bilitas tamen in eadem forma, non eſt tanta inter terminos contradictorios, atque inter terminos relatiuè oppoſitos: vnde cũ ſola diſtinctione inadæquata rationis poſſunt contradictoria verificari, ſeu cõtradictoriæ non ſunt. *Diſp.75. num.46. & ſeqq.* maximè *num.50.* Et fuſius *Diſp. 96. num.23. & ſeqq.*

OPPOSITIO DISPARATA.

OPpoſitio diſparata non poteſt diuinas perſonas diſtinguere. *Diſp.92. a num. 23. vſque ad 35.*

ORIGO.

ORigo, ſiue actiua, ſiue paſsiua ſit, non conſtituit diuinam perſonã. *Diſp.96. à num.235.*

Illam tamen diſtinguit pro eo quod de cõnotato importat. *Num.240. & 251.*

Origo tam actiua, quam paſsiua eſt in recto aliquid abſolutum, & ſolum de connotato importat reſpectum. *Ibidem, num.236. & ſeqq.*

Origo nec pro eo quod implicite claudit poteſt perſonam conſtituere: ad differentiam relationis paternitatis, quæ licet vt relatio non conſtituat Patrem, bene tamẽ ſub conceptu formæ hypoſtaticæ, quem implicat. *Diſp 96. num.270. & 271. & à n. 259. vſque ad 269.* Variæ diſparitates, & ſolutiones examinantur, & *num. 279.* vera, & genuina diſparitatis ratio aſsignatur.

Origo actiua diſtinguitur virtualiter adæquatẽ à natura diuina & à perſona, à relatione autem perſonam conſtituente, ſolum inadæquatẽ differt. *Diſp.96. a num.298. vſque ad 301.*

P

PATER ÆTERNVS, PATERNITAS.

Vide *Relatio.*

TRiplex relatio in Patre æterno ab Alarcon excogitata, reijcitur. *Diſp. 72. nu. 41. 42. & 43.*

Licet paternitas non identificetur adæquatẽ cum diuina eſſentia, prout hoc nomine ſignificatur, identificatur tamen adæquatè cum illa ſecundum realitatem, prout in re, ideſt cum omni eo cum quo identificatur eſſentia. *Diſp.75. num 23. & 24.*

Quidquid prædicatur realiter de paternitate, prædicatur eſſentialiter de illa. *Diſp. 76. num.18.*

Licet paternitas ſit eſſentialiter eſſentia diuina, & hæc ſit eſſentialiter communicabilis tribus perſonis, hæc tamen propoſitio, *paternitas eſt communicabilis tribus perſonis, aut Filio*, eſt omnino falſa. *D 76. nu. 29. & ſeqq.* Vbi variarum propoſitionum hanc materiam concernentium, veritas & falſitas examinatur iuxta Dialecticæ regulas. *Et Diſp.77. num.9. & ſeqq.*

Tota paternitas eſt propria Patris, ly *tota* accepto *cathegorematicè*, nõ tamẽ ſi *syncathegorematicè* ſumatur. *Diſp.76. num. 32.*

Pater dicitur Pater Filij, non tamen poteſt dici perſona Filij. *Diſp.81. num.25.*

Inter Patrem, & Filium reperitur ordo in operando, non tamen ſubordinatio in virtute, vel operatione. *Diſp.82. num. 28.*

Pater dicitur, & eſt principium Filij, non autem cauſa Filij apud Latinos, nec Filius debet dici principiatum à Patre. *P.381. & 382.*

Hoc nomen *Pater*, non prout eſt analogum Deo, & creaturis, ſed prout eſt membrum principale analogiæ, eſt nomen proprium primæ Perſonæ. *Pag.382.*

Hoc nomen *Pater* dicitur de Deo *eſſentialiter*, prout eſt toti Trinitati commune, & *perſonaliter*, prout ſoli primæ perſonæ reſpectu ſecundæ conuenit, & in hac acceptione prius dicitur in diuinis prioritate durationis, & dignitatis. *P.383. 384. 385. 386.*

Eſſe ingenitum eſt proprium Patri. *P.387. & 388.* Vbi ſignificatum de ly *ingenitũ*, explicatur. Et fuſius *Diſp.87. à n.1.*

Pater dicitur ſpirare per Filium, ſed non Filius per Patrem. *Pag.406.*

Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti. *Ibidem.*

Nihil poſitiuum diſtinctũ *obiectiuè adæquatè* à Paternitate, eſt fundamentum negationis *ingeniti*, ſed eſt ipſa paternitas, prout immediatè coniungitur cum diuina natura, in ratione formæ hypoſtaticæ. *Diſp.87. à n.7.*

Pater non poteſt dici ſapiens ſapiẽtia genita, Filius vero dici poteſt ſapiens ſapien-

tia ingenita,& ſapientia genita. *Diſp.95. num.39.*

Circa modum quo paternitas conſtituit Patrem,referuntur,& reijciuntur ſeptē modi dicendi. *Diſp.96.a num.107.vſque ad 175.*

Paternitas diuina, non eſt relatio tranſcendentalis,ſed prædicamentalis. *Diſp.96.n. 148.& 149.& ſeqq.*

Paternitas per modum relationis conſiderata,ſupra generationem fundatur,& Patrē in ratione perſonæ conſtitutum ſupponit; ſub conceptu autem formæ hypoſtaticè ſubſiſtentis,ad generationem ſupponitur, & Patrem in eſſe perſonæ cōſtituit. *Diſp. 96.à n.176.vſque ad 234.*

Paternitas vt forma hypoſtatica, & vt relatio,differt in ratione obiecti ſignificati diſtinctione rationis ratiocinatæ adæquata, in ratione tamen entis diſtinctione rationis virtuali,aut eminentiali inadæquata. *Diſp.96. num.228.& ſeqq.*

Paternitas nō eſt Patri,ratio reſpiciendi Filium,vt ſimilem,aut diſsimilem,ſed tantū vt Filium,& genitum. *Diſp.97.nu.166. 167.168.& 169.*

Pater non perficitur intrinſecè filiatione. *D.97.à num.254.vſque ad 267.* Vbi contraria ſententia vt publicè à Nobis defenſata proponitur,& tandem,vt falſa reijcitur,*à n.268.*

PATRES VETERIS TESTAMENTI.

AD Patres veteris teſtamenti non fuit facta miſsio viſibilis. *Diſp. 98. num. 213.& 214.*

Fuit tamen illis facta miſsio inuiſibilis, etſi non ita plena,& perfecta(communiter loquendo)atque poſt incarnationē. *Diſp. 99. num.139.& ſeqq.*

Licet plures Sancti veteris teſtamenti exceſſerint in gratia perſonali plures Sanctos Teſtamenti noui, facta tamen comparatione inter viros eximiæ Sāctitatis vtriuſque ſtatus,noui,veteres in gratia exceſſerunt. *Diſp.99. num.145.& ſeqq.*

PERFECTIO,PERFECTVM.

PErfectio realis *compoſitiuè*,vel *informatiuè* perficiens debet diſtingui realiter à perfectibili per illam : ſecus autem ſi perfectio realis perficiat per identitatem. *Diſp.78.n.4.5.& 13.*

Vnumquodque in tantum eſt perfectum, in quantum eſt in actu exiſtentiæ,vel ad illam ordinem dicit. *Diſp.78.num.38.& 47.*

Licet inter perfectum,& imperfectum abſolutè,non detur medium, facta tamen aliqua reduplicatione dari poteſt medium inter perfectum, & imperfectum priuatiuè, quamuis inter perfectum & imperfectum negatiuè, medium non detur. *Diſp.78.n. 48.*

Exigentia identitatis cum aliqua perfectione,non exprimens ordinem ad exiſtentiā, non eſt formaliter perfectio. *Diſp.78.nu. 49.* Et fuſius, *Diſp.97.nu.247.& ſequentibus.*

PERSONA,PERSONALITAS.

Vide *Subſiſtentia*,& *Æqualitas.*

HOc nomen *Perſona* in diuinis,eſt abſolutum ex parte modi ſignificādi, ſed ex parte rei ſignificatæ eſt relatiuum; vnde in diuinis multiplicantur perſonæ: ad differentiam exiſtentiæ,quæ vna,& abſoluta eſt. *Diſp.79.num.37. Et Pag.203. & 204.*

Diffinitio perſonæ,& an nomen *Perſona* ſit ponēdum in diuinis,explicatur *Pag.201. 202.& 203. Et Diſp.80. num.75. & 76.*

Perſona diuina non addit ſupra naturā aliquid ab illa diſtinctum realiter ex natura rei,aut diſtinctione reali modali: perſona vero creata ſupra naturam addit aliquid realiter ab illa diſtinctum. *Diſp.80.à n. 3.*

Sententia oppoſita,etſi vera non ſit,non tamen eſt erronea, vt multi dicunt. *Ibidem à num.7.vſque ad 11.*

Hoc nomen *Perſona*,& *ſuppoſitum* ſignificant ſubſiſtentiam,ſeu perſonalitatem de formali : iſta vero nomina *homo*, vel *hic homo* ſolum de materiali ſuppoſitalitatem important. *Diſp.80.n.21.*

Id quod perſona creata ſuperaddit ad naturam,non eſt pura negatio,ſed aliquid poſitiuum. *Diſp.80.à num.52.* Idem,& à fortiori,eſt de perſona diuina dicēdū. *Num. 53.& ſeqq.*

Stat diſtinctio,& multiplicatio perſonarum cum vnitate naturæ creatæ. *Diſp.*80.*nu.* 55.

Perſona diuina non conſtituitur per repugnãtiam communicationis ad ſuppoſitum extraneum,ſed hæc illi conuenit pro priori ad relationes,& perſona non eſt. *Diſp.* 80.*n.*56.

Incommunicabilitas petita ad rationẽ perſonæ, non ſolum dicit negationem communicabilitatis naturalis, ſed etiam obedientialis. *Diſp.*80.*num.*58.

Perſonalitas creata recipitur in natura,illãque,ex conceptu creatæ, intrinſece informat,non tamen educitur ex potentia naturæ,ſed ex vi eiuſdem actionis creatiuæ naturæ, concreatur. *Diſp.* 80. *num.* 101. 102. & 103.

Perſonalitas creata non addit ſupra naturã accidentium collectionem. *Diſp.* 80. *nu.* 106.

Nec conſiſtit in actione,qua natura ſubſtantialis producitur. *Ibidem,à num.*107.*vſque ad* 115.

Perſonalitas in Deo non præcedit exiſtentiam, ſed illam ſupponit:ad differentiam perſonalitatis creatæ,quæ prior eſt exiſtẽtia. *Diſp.*80.*num.*138.

Hoc nomen *perſona* vt eſt commune ad creatam, & increatam, non ſignificat determinatẽ relatiuum,vel abſolutum, ſed aliquid vtrique commune. *Diſp.* 81. *num.* 1.

Hoc nomen *perſona diuina*,non ſignificat de formali ſecundam intentionem rationis. *Diſp.*81.*à num.*2.*vſque ad* 5. nec negationem,ſed aliquid poſitiuum. *Ibidem*, *à num.*6.

Nec ſignificat directe eſſentiam ſumptã pro natura diuina. *Diſp.* 81.*num.*16.& *ſeqq.*

Relatio in concreto eſt ſignificatum directũ huius nominis *perſona diuina*: in abſtracto autem ſumpta, ſolum in obliquo importatur. *Diſp.*81.*à num.*28.

Significatũ formale huius nominis *perſona diuina*,eſt relatio formaliter formalitate rei, non tamen formalitate obiecti ſignificati. *Diſp.* 81. *à num.*46.

Perſona diuiditur per differentias quaſi extraneas deſumptas ex parte naturæ,v.c. in humanam,Angelicam,& diuinam; & etiam diuiditur per differẽtias intraneas, hoc eſt deſumptas ex parte ipſius perſonalitatis,qualiter perſona,vt ſic,diuiditur in relatiuam,& abſolutam. *Diſp.* 81. *num.* 72.

De fide eſt rationem perſonæ cum proprietate in Deo reperiri. *Diſp.* 81. *à num.* 76.

Licet perſonalitas excedatur in perfectione à natura, perſona tamen, vtraque eſt perfectior,ſicut compoſitum excedit partes: vnde nomen *Perſona* ſignificat quod perfectiſsimũ eſt in tota natura. *Diſp.* 81. *num.* 88.& *ſeqq.*maximẽ *num.*90.

Perſonæ diuinæ diſtinguuntur realiter inter ſe. *Diſp.*82.*à num.*4.

Perſonæ diuinæ ſunt tres,& non plures, nec pauciores. *Diſp.*82.*à num.*68.

Perſonalitates diuinæ ratione illius quod ad eſſentiam addunt, non ſunt principium agendi, nec exemplariter ad creaturarum productionem concurrunt, nec alicuius creaturæ ſunt exemplaria. *Diſp.*83.*num.* 66. & *ſeqq.*

De fide eſt non dari in Deo perſonalitatem communem,ſicuti nec datur perſona cõmunis. *Diſp.*81.*num.*1.

Dari in Deo tres perſonalitates relatiuas, indubitatum eſt. *Ibidem.num.*3.

Ea quæ perſonis conueniunt ratione ſolius eſſentiæ, *ſingulariter* tantum dicuntur, quæ ſolum ratione proprietatum perſonalium, dicuntur ſolum *pluraliter*: quæ autem, & ratione eſſentiæ,& ratione proprietatum perſonis conueniunt, &*ſingulariter*,& *pluraliter* dicuntur. *Diſp.* 85. *à num.*2. Vbi per ſingula prædicata diſcurritur.

Perſonæ diuinæ dicuntur, vna res,& plures res,vna res,quæ eſt eſſentia,& plures res, quæ ſunt perſonæ. *Diſp.*85.*n.*5.

Tres diuinæ perſonæ non ſunt dicendæ abſolutè tria entia,ſed cum addito, ſcilicet, *tria entia relatiua*. *Diſp.*85.*n.*19.

Nec ſunt dicendæ tria indiuidua,etiam perſonalia. *Ibidem n.*34.& *ſeqq.*

Dantur in diuinis perſonis proprietates aliquæ reales,quibus conſtituuntur, & inter ſe diſtinguuntur. *Diſp.*96.*à n.*6

Hæc conſtitutio non eſt realis formalis, ſed virtualis,& per rationem formalis. *Diſp.* 96.*num.*35.& *ſeqq.* maximẽ *à n.*46.

Perſonæ diuinæ non conſtituuntur, nec diſtinguũtur proprietatib⁹ abſolutis. *Diſp.* 96.*à n.*49.

Perſonæ diuinæ non conſtituuntur originibus actiuis, aut paſsiuis. *Diſp.96.à num.* 235.

Perſona diuina nõ eſt communis reali communitate trib⁹ diuinis perſonis. *Diſp.96. num.*312. Bene tamen communitate rationis, non vniuoca, ſed analoga. *Num.* 313.

Perſona diuina prædicatur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, non denominatiuè, ſed quidditatiuè. *Diſp.96.num.*314. *& ſeqq.*

Perſonæ diuinæ ſunt idem in eſſentia, & perfectiſsimè ſimiles. *Diſp.97.num.*1.2.3. *& ſeqq.*

Sunt etiam inter ſe omnino æquales. *Ibidem à num.*10. *vſque ad* 22.

Non datur in illis relatio realis æqualitatis diſtincta à relationibus originis, fundata in proprietatibus perſonalibus. *Diſp.*97. *à num.*154.

Perſonæ diuinæ ſunt in dignitate æquales. *Diſp.*97. *à n.*227.

Ex modo eſſendi vnius perſonæ in alia per circũinſeſsionem, non colligitur quod Pater ſit perfectus formaliter perfectione filiationis. *Diſp.*97. *n.*245.

PERSONALITAS CREATA.

PErſonalitas creata non exemplatur à diuina ratione illius, quod ad naturam ſuperaddit, nec eſt illius participatio. *Diſp.* 83. *à n.*70. *vſque ad* 82.

Perſonalitas creata præſtat propriæ naturæ incommunicabilitatem alteri, vt ſuppoſito terminanti, quod perfectionem non explicat, & independenti m ab altero, tanquam à ſuſtentante, quod perfectio eſt. *Ibidem, num.*74.

PERSONALITAS VERBI.

PErſonalitas Verbi ratione cõceptus expliciti non continet eminenter perſonalitatem creatam, nec eſt exemplar illi⁹. *Diſp.*83. *à num.*68. *vſque ad* 82. maximè *num.*74.

Perſonalitas Verbi tribuit humanitati independentiam ab alio, tanquam à ſuſtentante ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, quam implicitè includit, vt modificatæ ſubſiſtentia relatiua Verbi: incommunicabilitatẽ autem alteri, tanquam ſuppoſito terminanti, præſtat illi ratione conceptus expliciti. *Diſp.*83. *num.*74.

POTENTIA GENERATIVA.

POtentia generatiua comprehenditur ſub omnipotentia, non abſolutè, ſed vt in Patre, & licet Filio non conueniat eſt in perfectione æqualis Patri. *Diſp.*72. *nu.* 45. 46. & 47.

Potentia realis ſaluatur ſine diſtinctione reali illius à termino realiter producto; quæ tamen diſtinctio eſt omnino neceſſaria in agente *quod*. *Diſp.*72. *num.* 83. & 84.

Potentia generatiua in diuinis nõ diſtinguitur à potentia terminatiua generationis. *Diſp.*82. *num.*86. *& ſeqq.*

Potentia generatiua, & actualis generatio pro eo quod important in recto, non ſunt origines, ſed tantum pro eo quod de connotato dicunt. *Diſp.*86. *à num.*13. *vſque ad* 19.

POTENTIA OBEDIENTIALIS.

LIcet in omni entitate creata detur potentia obedientialis, & ſubiectio ad creatorem, non tamen in ordine ad omnes effectus reperitur in omnibus rebus, ſed cum diuerſa extenſione. *Diſp.* 80. *nu.* 84.

Quamuis potentia obedientialis ſit *entitatiuè* naturalis, eſt tamen ſupernaturalis *terminatiue*, & extra ſphæram naturalis cognitionis, etiam Angelicæ. *Diſp.* 83. *n.* 63.

PRÆDESTINATIO.

PRædeſtinatio, non eſt actio *virtualiter* tranſiens, ſed *formaliter* immanens in Deo, illiumque ab æterno prædeſtinantem denominans, non obſtante quod producat effectus ad extra. *Pag.*397.

PRÆDICATORES.

AVdatiæ, temeritatis, imò erroris notã inuruntur aliqui Euangelici Oratores, qui aliquos Sanctos Apoſtolis, Beatiſsimæ Virgini, imò & Chriſto Domino æquiparare, aut præferre audẽt. *Diſputatione* 99. *num.*146. *& ſeqq.* maximè *num.*149.

PRÆDICATVM, PRÆDICATIO.

NOn omne prædicatum, quod formaliter ſe habet ad eſſe rei, habet ſe for-

maliter ad illam, quatenus terminat propriam actionem, quod exemplis ostenditur. *Disp.74.num.95.*

Prædicata quæ conueniunt, etiam essentialiter, alicui rationi communi (estô transcêdens sit) cum reduplicatione superioritatis illius, non affirmantur absolutê de inferioribus, de quibus illâ ratio communis essentialiter prædicatur, bene tamen alia prædicata, quæ sine tali reduplicatione illi cõueniũt, maximê in diuinis. *Disp. 76.num.35.& seqq.*

Prædicationi accidentali non obstat identitas realis formæ prædicatæ cum subiecto, nisi simul sit extra essentiam subiecti, quod in diuinis relationibus, & in entis proprietatibus exemplificatur. *Disp.77. n.5.*

Prædicatum cuius aliqua pars essentialis, essentialiter repugnat subiecto, potest verê, & essentialiter de subiecto enunciari, si talis pars repugnans, non exprimatur, nec enuncietur, sed tantum in significãdo implicitê importetur. *Disp.77.n.23.*

PRINCIPIVM.

PRincipium *quod*, debet realiter à termino producto distingui, si realis sit productio: ad differentiam principij *quo*, etiam realis, quod talem distinctionẽ non exposcit. *Disp.72. à num.78. vsque ad* 84.

Licet *principium* significet relationem, id tamen quod est principium, relationem non significat, & datur principium reale sine reali relatione. *Ibidem n.84.*

Hoc nomen *principiũ Spiritus Sancti*, substantiuum est, & non plurificatur in Patre, & Filio. *Disp.94.n.6.* Et fusius, *num.* 15.*& seqq.*

Principium spiratiuum non supponit immediatê pro spiratore vt *quod* Patri, & Filio communi, & ratione ab illis distincto. *Disp.94.n.7.& seqq.*

In hac propositione *Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti*, ly *vnum principium* supponit confusê, quasi collectiuê. *Disp.94.n.21.*

Maior distinctio requiritur inter principiũ, & id quod ab illo egreditur, quam inter conditionem principij, & actionem. *Disp. 96.n.300.& 301.*

PRIORITAS.

PRioritas tripliciter accipitur, absolutê tamen prolata stat pro prioritate temporis, aut causalitatis. *Pag.633.*

Ad differentiam principij, quod absolutê enunciatum abstrahit à principio realiter causante, & originante. *Disp.97.nu.330.*

PROBABILE.

ILlud quod à ratione est probabile, habet probabilitatem intrinsecam, & est absolutê probabile.. *Disp.83. num.23.*

PROCESSIONES DIVINÆ.

DE fide est dari in Deo processiones per quas vna persona ab alio procedit. *Disputatione 71.1 n.1.vsque ad 4.*

Istæ processiones non sunt secundum actionem transeuntem, sed immanentem, non vt effectus à causa, nec vt causa se explicat in diuersos effectus, sed omni causalitate, dependentia, & imperfectione seclusa. *Ibidem num.5.& seqq.*

Processio actiua non identificatur adæquatê cum termino producto per illam. *Disp. 71.à n.20.*

Processiones actiuæ non identificantur adæquatê cum relationibus principiorum, v.g. generatio non identificatur adæquatê cum relatione Patris, nec spiratio actiua cum relatione spiratoris. *Disp.71. à num. 30.*

Processio actiua, qua Verbum procedit, nõ est actus ex æquo ab intellectione distinctus, sed est intellectio, vt modificata paternitate. *Disp.71.à num.57.*

Processiones actiuæ sunt verê, & propriê actiones vitales immanentes. *Disp.71.n. 75.76.& 77.*

Intellectus, & voluntas diuina ingrediuntur formalem constitutionem principij *quo* processionum in Deo. *D.72.à nu.2.*

Actio intelligendi concurrit ad Verbi productionem, vt actio qua Verbum producitur, & vt principium, non actionis, sed Verbi: idemque de volitione respectu spirationis actiuæ est dicendum. *Disp.72. à num.16.*

Principium *quo*, siue proximum, siue remotum diuinarum processionum non est sola perfectio absoluta, sed cointellecta simul relatione. *Disp.72. à nu.38.*

Principium *quo* primum diuinæ proces-

ſionis nõ eſt relatio, ſed diuina eſſentia vt modificata relatione. *Diſp.72. à nu.* 48.

Principium *quo* proximũ generationis Verbi per modum potentiæ, non eſt paternitas, ſed intellectus cointellecta paternitate de connatato. *D.72. à num.64.*

Terminus *quo* diuinarum proceſsionum eſt aliquid abſolutum in recto connotata relatione. *Diſp.72. num.* 85.

Principium *quo* diuinarum proceſsionũ importat relationem, non tanquam compartem conſtituentem, neq; tantum vt conditionem, nec vt quid extrinſecum ad productiuam potentiam in Deo, ſed vt modum afficientem intrinſecè. *Ibidem nu.* 86.

Diſtinctio illa principij proceſsionis, prout eſt productio, & prout eſt communicatio ab aliquibus excogitata, eſt falſa, chimerica, & impoſsibilis. *D.72. num.87.*

In diuinis ſunt duæ proceſsiones, vna per intellectum, alia per voluntatem. *Diſp.73. à num.1.*

Proceſsio Verbi Diuini eſt infinita in linea veluti ſpecifica, non autem in linea quaſi generica proceſsionis vt ſic, niſi ad ſummum negatiuè. *Diſp.73. num.5. & 6.*

In diuinis non ſunt plures proceſsiones, quã duæ. *Diſp.73. à num.21.*

De fide eſt proceſsionem Verbi eſſe generationem, non autem proceſsionem Spiritus Sancti. *Diſp.74. num.2.*

Varij modi dicendi referuntur, & reijciuntur, *à n.3. vſque ad 39.*

Sex alij modi explicandi rationem D. Tho. vt inſufficientes impugnantur, *ibi à num.* 40. *vſque ad 55.*

Vera explicatio rationis D. Tho. traditur, *num.36.* & defenditur vſque ad finem.

PRODVCTIO.

LIcet productio tendat ad conſtituendam rem exiſtentem, non tamen eſt neceſſarium quod exiſtentiam producat, ſed ſufficit, quod iam productam, vel de ſe improductam communicet. *Diſp.79. nu.* 41. *& ſeqq.*

PROPOSITIO.

HÆc propoſitio, *intellectus diuinus intelligit*, eſt vera: iſta vero, *intellect' diuinus generat*, eſt omnino falſa, non obſtante quod vtriuſque actus ſit principium *quo* proximum. *Diſp.72. n.* 7.

Hæc propoſitio, *paternitas eſt eſſentia diuina eſſent aliter*, eſt vera: hæc autẽ eſt abſolute falſa, *paternitas eſt communicabilis tribus perſonis. Diſp.76. num.29. & ſeqq. vſque ad 43.* Vbi multarum propoſitionum veritas, vel falſitas examinatur.

Iſtæ propoſitiones, *Pater eſt Deus*, & *Deus eſt Pater*, ſunt per ſe non ſolum per identitatem, ſed etiam per incluſionem eſſentialem deitatis in paternitate, & paternitatis in deitate. *Diſp.77. num.5.*

PROPRIETAS.

Vide *Relatio Diuina.*

VNa numero proprietas eſſe poteſt in duobus ſuppoſitis ſi ſint eiuſdem numero naturæ, vt ſpiratio actiua in Patre, & Filio. *Diſp.93. n.23.*

Proprietates abſolutæ, non conſtituunt, nec diſtinguunt diuinas perſonas. *Diſp.96. à num.49.*

Q

QVALITAS.

CVm eadem numero qualitate ſtat maioritas, minoritas, & exceſſus, non tamen cum eadem numero quantitate virtutis. *Diſp.97. num.14.*

QVANTITAS.

LIcet quantitas in Euchariſtia nõ inhæreat de facto, illi tamen non repugnat inhærentia: vnde non ſubſiſtit per ſe *poſitiuè*, ſed tantum *negatiuè*. *Diſp.8. num.* 90.

Duæ quãtitates palmares non ſolum vt *quo*, ſed etiã vt *quod*, ſunt æquales. *Diſp.97. n.* 86. *& ſeqq.*

Si eadem numero quantitas poneretur in duobus ſubiectis, non ſe reſpicerent relatione reali æqualitatis, etiam ſi vniones eſſent diuerſæ. *Diſp.97. à num.113. vſque ad 123.*

Pluralitas quantitatum eſt conditio ad fundandam relationem æqualitatis, & ratio formalis fundandi relationem realem diuerſitatis. *Diſp.97. n.132.*

R

Ratio Natvralis.

Rationi naturali non opponitur myſterium Trinitatis. *Diſp.* 83. *à num.* 6.

Licet ratio naturalis dictet, terminum realis proceſsionis debere à principio, etiam in Deo diſtingui; non tamen dictat quod quæ ſunt eadem vni tertio abſolute, quãuis diſtinguantur ratione, ſint eadem inter ſe. *Diſp.* 83. *à num.* 8. *vſque ad* 15.

Rationi naturali actuali probabili non contrariatur Myſterium Trinitatis. *Diſp.* 83. *à num.* 19. *vſque ad* 33.

Ratio naturalis nõ inclinat in aſſenſum probabilem falſum, ſed tantum abſtrahit à ratione probabili vera, à certa, & ab euidenti. *Diſp.* 83. *n.* 27. 28. *& ſequentibus.*

Realitas.

Realitas accipitur pro eſſentia, & pro relationibus; vnde datur in Deo vna res, & plures res. *Diſp.* 85. *num.* 5. & 6.

Relatio.

Licet relatio creata conueniat *Logicè* cum relatione diuina, non minus quã ſapientia creata cum increata: non tamen eſt imitatio relationis diuinæ ſecundũ id quod addit ad eſſentiam, ſicut ſapientia, & bonitas creata imitantur diuinam. *Diſp.* 83. *num.* 66. *& ſeqq. vſque ad* 82.

Vna relatio, ſecundum ſpeciem, poteſt ad plures terminos numero, vel ſpecie inadæquatê diſtinctos terminari, ſecus ſi ſpecie adæquata in ratione terminandi diſtinguantur. *Diſp.* 86. *num.* 25. *& ſequentibus.*

In prædicamento relationis non reperiuntur relationes tranſcendentales. *Diſp.* 96. *num.* 118.

De eſſentia relationis eſt in actu ſecundo referre. *Diſp.* 96. *n.* 165.

In relatione creata præter conceptum *ad* reperitur duplex conceptus *in*, vnus communis, differentialis inadæquatus alius. *Diſp.* 96. *à num.* 189.

Vt aliqua relatio ſit realis, requiritur diſtinctio realis, non ſolum extremorum, ſed etiam fundamentorum. *Diſp.* 97. *nu.* 84. *& ſeqq.* Quæ doctrina maxime verificatur de relatione primi generis. *Num.* 130.

Vna relatio realis, non poteſt aliam fundare. *Diſp.* 97. *à nu.* 197.

Relatio, Divina Relatio.

Conceptus *ad* conſtitutiuus prædicamenti relationis realis, non abſtrahit à reali, & rationis, ſed implicat realitatem, nec poteſt relatio ſub conceptu *in* eſſe realis, & ſub conceptu *ad* eſſe aliquid rationis. *Pag.* 110. & 111. Vbi Caietani ſententia à ſiniſtra intelligentia vindicatur, & propria illius mens explicatur.

In Deo ſunt quatuor relationes reales, ſed non omnes ſunt realiter diſtinctæ, ſed tãtum tres, nempe paternitas, filiatio, & proceſsio. *Pag.* 114.

De fide eſt relationes diuinas, non diſtingui realiter entitatiue ab eſſentia. *Diſp.* 75. *num.* 1. & 2.

Inter relationes, & eſſentiam datur diſtinctio rationis ratiocinatæ. *Diſp.* 75. *nu.* 3. Et diſtinctio virtualis reſpectiue ad formalem factibilem ab intellectu, non vero comparatiue ad formalem diſtinctionem præuenientem actualem intellectus negotiationem. *Ibidem, num.* 4.

Inter relationes, & eſſentiam non datur diſtinctio realis modalis. *Diſp.* 75. *à num.* 7.

Relationes diuinæ nullam faciunt realem cõpoſitionem, nec inter ſe, nec cum eſſentia. *Diſp.* 75. *nu.* 18. 19. & 20. Et prout inter ſe oppoſitæ non componunt vnum per ſe, nec vnum peraccidens. *Nu.* 21.

Inter relationes, & eſſentiam non datur diſtinctio formalis ex natura rei ante intellectus operationem. *Diſp.* 75. *à num.* 25.

Ratio entis diuini eſt de quidditate relationum, prout virtualiter diſtinguuntur à natura diuina; & conſequenter eſt de conceptu, quem viatores formamus de illis. *Diſp.* 76. *à num.* 7.

Multiplicatis relationibus, multiplicatur realiter entitas diuina, ſeu realitas, quæ tranſcendit illas per modum prædicati communis communitate rationis: non tamen multiplicatur eſſentia diuina, quæ eſt prædicatum tranſcendens commune ſola cõmunitate reali. *D.* 76. *n.* 40. & 42.

Relationes ſunt de quidditate diuinæ eſſentiæ ſecundum realitatem, quam à parte rei habent: non tamen ſunt de quidditate illius, vt metaphyſicum eius conſtitutiuũ. *Diſp.77.n.1.& diſp.82.n.119.*

Relationes ſunt de cõceptu quidditatiuo diuinitatis, vt virtualiter, & ratione ab illis diſtinctæ, & ſub ratione eſſentiæ, & ſub cõceptu naturæ. *D.77 à n.3.*

Licet relationes ſint de conceptu eſſentiali eſſentiæ, non tamen conſtituunt illam relatam, ſed implicitè tantum, & tanquã modi determinatiui illius comparantur ad illam. *Ibidem n.27.*

Si relationes diuinæ diſtinguerentur realiter ab eſſentia diuina, nõ eſſent adorandæ ado ratione Latriæ per ſe, ſed tantũ per aliud, & ratione eſſ ntiæ; ſicut adoratur humanitas Chriſti ratione ſuppoſiti Verbi diuini. *Pag.112.*

Dato quod relationes addant ad eſſentiam perfectionem relatiuam, neceſſario concedendæ ſunt tres perfectiones reales relatiuæ. *D.78.à n.4.*

Id quod conuenit relationi, nedum per reſpectum ad terminum, verum etiam comparatiuè ad fundamentum, realiter multiplicatur in diuinis, & eſt relatiuum implicitè, & connexiuè, licet non explicitè, & formaliter. *D.78.n.16.*

Non ſunt concedendæ in Deo tres perfectiones reales relatiuæ. *Ibiæ à n.19. Et diſp. 97.n.235.& ſeqq.*

Ex oppoſito ſequitur, non poſſe ſaluari ſummam perfectionem, & æqualitatem in diuinis perſonis. *Ibidem à nu.22. vſque ad 34.*

Relationes diuinæ non addunt ad diuinam eſſentiam perfectionem relatiuam ratione ab illa diſtinctam in ratione perfectionis. *D.78.à n.34.*

Relationes diuinæ non addunt ad eſſentiam bonitatem relatiuam. *D.78.n.55.*

Relatiuæ proprietates, & non ſolũ tres perſonæ ſunt adorandæ adoratione Latriæ. *Ibidem n.56.*

Relationes creatæ perfectionem relatiuam non dicunt. *Ibidem n.57.*

Si relationes diuinæ comparatæ inter ſe dicerent perfectionem ralatiuam, etiam cõparatæ cum eſſentia, illam dicerent. *Diſp. 78.n.59.*

Relationes diuinæ ſunt ratione ſui incommunicabiles, excepta relatione ſpiratoris. *D. 81.n.10.*

Relationes diuinæ, vt ab eſſentia diſtinctæ, non continent eminenter aliquam perfectionem creabilem. *D.83.n.70.& ſeqq.* maximè *à n.75.vſque ad 82.*

Relatio ſpiratoris, & paternitas, diſtinguuntur virtualiter adæquatè. *Diſp.86.n.24. & ſeqq.*

Inter Paternitatem, & Filiationem ex vna parte, & relationem ſpiratoris ex alia, nõ datur realis entitatiua, aut formalis diſtinctio, ſed tantum virtualis. *D.86.num. 36.*

Relatio diuina conſtituit eſſentiam terminatam, non vero relatam. *Diſp.96.num.81.*

In Deo non datur tranſcendentalis relatio. *D.96.n.119 & ſeqq.*

In diuinis relationibus duplex reperitur cõceptus vterque inadæquatus, & differentialis, ſci icet, formæ hypoſtaticè ſubſiſtẽtis, & reſpectus ad terminum referentis. *D.96.n.191.& ſeqq.*

Admittere, vel introducere in diuinis aliquã relationem realem, præter quatuor relationes originis, temeritatis nota non caret. *D.97.n.63.64.& 65.*

Relatio diſtinctionis, vel oppoſitionis, quæ inter Paternitatem, & filiationem verſatur, diſtincta eſt per rationem à paternitate, & filiatione. *D.97.n.184.& 185.*

Relatio Rationis.

Licet relatio rationis ex conceptu communi non petat realem extremorũ diſtinctionem, nec illorum exiſtẽtiam, ex conceptu tamen peculiari aliqua id expoſcit. *D.97.n 33.*

Resultantia.

Virtualis reſultantia non repugnat diuinis perfectionibus, & formalitatibus. *Diſputatione 97. num. 171.& ſequentibus.*

S

Sacramenta.

Ad Sacramenta non fit miſsio diuinarum perſonarum, ſed ad eos, qui

per Sacramenta gratiam ſuſcipiũt. *Diſp. 99. n. 136.*

SEPARABILITAS.

SEparabilitas realis, eſt ſignum realis diſtinctionis, ſi mutua ſit, realis entitatiuæ, ſi non mutua, realis modalis. *Diſp. 8. nu. 6. & ſeqq.*

SIMILITVDO.

LIcet ſimilitudo non petat identitatem, illam tamen permittit, & per illam in ratione ſimilitudinis perficitur. *Diſp. 97. num. 4. & ſeqq.*

SOLVS, SOLITARIVS, SOLVM.

ISta dictio *ſolus* accipitur cathegorematicè, & ſincathegorematicè. *Pag. 209. & ſeqq.* Vbi explicatur, quibus terminis poſſit addi in diuinis.

Solitarius deberet dici Deus ſi non eſſet Trinitas perſonarum, etiam ſi Angeli, & homines eſſent, ſi autem vnus homo, & vnus Angelus eſſent in beatitudine, nullus illorum diceretur ſolitarius in illa. *Pagina 210.*

Iſta dictio excluſiua *ſolum*, non excludit ab his, quæ Patri, & Filio ſunt communia, & vtrique neceſſario conueniunt. *Diſp. 82. num. 21.*

SPIRATIO, SPIRATOR.

SPiratio actiua non conſtituit Filium in ratione perſonæ. *Diſp. 92. num. 13.*

Spiratio actiua eſt vna numero notio, & proprietas Patris, & Filij, non obſtante quod ſunt duo ſuppoſita. *Diſp. 93. num. 23.*

Non datur in diuinis ſpirator vt *quod*, Patri, & Filio communis, & ratione ab illis diſtinctus. *Diſp. 94. num. 7. & ſeqq.*

Spirator ſi *adiectiuè* ſumatur, plurificatur in diuinis, verius tamen eſt ſolum *ſubſtantiuè* accipi. *Diſp. 94. num. 22.*

Hæc eſt falſa, *Pater, & Filius ſpirant Spiritu Sancto.* Diſp. 95. num. 15.

SPIRITVS.

HOc nomen *Spiritus*, quod à reſpiratione animalium deſumptum eſt, ſignificat in Scriptura aliquando aerem, aliquando animam, Deum, & Spiritum Sanctum propter diuerſas ſimilitudines, & proportiones. *D. 82. n. 58.*

SPIRITVS SANCTVS.

Vide *Proceſſio.*

CVr proceſsio Spiritus Sancti, non ſit generatio? Latè explicatur *Diſp. 74.* vbi varij modi dicendi examinantur *à nu. 3. vſque ad 39.*

Vera huius ratio proponitur, & defenditur. *Ibidem à n. 40.*

Proceſsio Spiritus Sancti non eſt libera, ſed neceſſaria. *D. 74. à n. 8. vſque ad 11.*

Ideò Spiritus Sanctus non eſt Filius, nec genitus; quia procedit per voluntatem, quæ aſsimilatiua non eſt. *D. 74. à n. 82.*

Licet Spiritui Sancto per proceſsionem cõmunicetur diuina natura primario in exequutione, & in genere ſubiecti, & principij: in intentione tamen, & in genere rationis formalis prius communicatur illi attributum naturæ, ſcilicet impulſus: vnde iſte, & non natura eſt ratio formalis terminandi illam actionem. *Diſp. 74. nu. 87. & ſeqq.*

Spiritus Sanctus non eſt Filius realiter, & identice per proceſsionem, eſt tamen per proceſsionem Deus. *Diſp. 74. num. 105. & 106.*

Eſſet tamen Filius identice caſu in quo à ſolo Patre procederet. *Ibidem.*

Spiritum Sanctum eſſe eiuſdem eſſentiæ cum Patre, & Filio, late probatur. *Diſp. 82. à num. 42.*

Quod Spiritus Sanctus, ſeu amor Diuinus per voluntatem productus, diſtinguatur realiter a Verbo, non prouenit ex diſtinctione intellectionis, & volitionis, ſed ex ordine vnius proceſsionis ad aliã. *D. 82. n. 74. & ſeqq.*

Hoc nomen *Spiritus Sanctus* ſumptum in vi duarum dictionum, commune eſt tribus perſonis: ſumptum vero *incomplexè*, & in vi vnius dictionis eſt proprium tertiæ perſonæ, non obſtante quod relatiuum nõ ſit. *Pag. 403. & 404.*

Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, & dici poteſt quod procedit à Patre per Filium. *Pag. 404. & 405.*

Spiritus Sanctus non eſt Verbum Patris, nec Filij, licet ſe in ipſo cognoſcant. *Diſp.* 88. *num.* 14. & 15.

Spiritus Sanctus non prius libere procedit, quam Verbum ſecundum formalitates liberas, & ex oppoſito ſequitur, Verbū ſecūdum illas à Spiritu Sancto procedere. D. 91. *num.* 48. & *ſeqq.*

Spiritus Sanctus quoad ſuam entitatem ex amore creaturarum poſsibilium procedet, ſi Deus neceſſario illas diligit: ſecus autem ſi illas diligat liberê, procedit autē (ſi hoc concedatur) ex amore illarū ſecundum aliquam liberam formalitatē. *Diſp.* 91. *num.* 54. & *ſeqq.*

Spiritum Sanctum procedere à Filio, eſt de fide. *Diſp.* 92. *à num.* 1. *vſque ad* 8.

Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo. *Diſp.* 92. *à num.* 15.

Vbi antecedenter probatur hypoteſim eſſe vt vtilem admittendam.

Si Spiritus Sanctus procederet à Filio, & nō à Patre, diſtingueretur realiter ab vtroque. *Diſp.* 92. *n.* 46. & *ſeqq.*

Spiritus Sanctus ratione ſuæ proprietatis perſonalis, petit per ſe pluralitatem ſuppoſitorum in principio ſpirante. *Diſp.* 93. *à num.* 3.

Licet in Patre, & in Filio ſit virtus adæquata reſpectu proceſsionis Spiritus Sancti, non tamen omnis conditio in agente *quod* poſtulata à termino producto. *Diſp.* 93. *n.* 13.

Cum hoc tamen verificatur de Patre, & Filio ſigilatim, quod ſint perfectum Spiritus Sancti principium. *Ibidem num.* 14.

Si per impoſsibile Pater ſine Filio maneret, poſſet ſpirare, & producere Spiritum Sanctum, ſed non ſecundum adæquatam rationem, quam habet de facto, nec procederet ex amore amicabili, & mutuo adæquate, ſed tantum inadæquate. *Diſp.* 93. *num.* 16. & 17.

Connotatum à principio *quo* ſpiratiuo, vt eſſentiale complementum illius non ſunt paternitas, & filiatio, ſed relatio communis ſpiratoris: illæ autem ſolum requiruntur vt conditiones producentiū vt *quod*. *Diſp.* 93. *à num.* 23.

Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti cum proprietate, non plura principia. *Diſp.* 94. *à num.* 3.

Iſta propoſitio, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, ſumpto ly *diligunt*, non eſſentialiter, ſed notionaliter, eſt vera, & propria. *Diſp.* 95. *à num.* 4.

Hæc autem concedi non debet, *Pater, & Filius ſpirant Spiritu Sancto*. Ibidem nu. 15.

Pater, & Filius non ſolum ſe, ſed etiam Spiritum Sanctum, & creaturas futuras diligunt Spiritu Sancto. *Diſp.* 95. *num.* 33.

Pater non denominatur diligens Spiritu Sancto vt actione, ſed vt à termino per actionem producto. *Ibidem num.* 36. 37. & 38.

Licet Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio vt amor, & per modum voluntatis, non tamen eſt dicendum procedere volūtariê, nec liberê, nec quod voluntate procedat, ſed cum addito, ſcilicet, *per modum naturæ*. Pag. 624. & 625.

Spiritus Sanctus mittit Filium, etiam vt perſonam diuinam, licet à Spiritu Sancto non procedat. *Diſp.* 98. *à num.* 32. *vſque ad* 57.

Spiritus Sanctus ratione naturæ in qua viſibiliter apparuit, & eſt miſſus, non poteſt dici minor Patre, & Filio, nec ignis, aut columba: de Filio autem dicitur ratione naturæ humanæ, quod eſt vere homo, & minor Patre. *D.* 98. *n.* 203.

SVBSISTENTIA.

Vide *Perſonalitas*.

SVbſiſtentiam addere ſupra naturam humanam, ſaltim aliquod connotatum extrinſecum realiter ab illa diſtinctum, eſt de fide mediate: quod autem in recto importet aliquid realiter diſtinctum à natura, licet ſit conformius principijs Fidei, non tamen eſt adeò certum, vt oppoſitum cenſendum ſit error. *Diſp.* 8. *à num.* 7. *vſque ad* 10. & *num.* 15. & *ſeqq.*

Subſiſtentia ſolum connaturaliter eſt requiſita, vt natura creata recipiat exiſtentiā. *D.* 80. *num.* 89. & 134.

Suſtſiſtentia non addit ſupra naturam accidens aliquod prædicamentale, nec conſiſtit in actione, qua natura ſubſtātialis producitur. *D.* 80. *à num.* 106. *vſque ad* 115.

Nec conſiſtit in reddendo naturam exiſtentem, ſed ſubſiſtentia ab exiſtentia ſubſtantiæ diſtinguitur. *Ibi. num.* 116. & 117.

Nec etiam consistit in modo distincto à natura,& existentia,hanc supponente, & illam modificante. *Ibiaem num.* 118. & 119.

Subsistentia pertinet ad substantiam in linea entis sumpti *nominaliter*. Disp.80. num. 119.

Subsistentia creata est modus complens naturam constituens concretum substantiale receptiuum vt *quod* existentiæ,& incõmunicabile alteri,tanquam supposito.*D.* 80.*à n.*120.*vsque ad* 138.

Licet subsistentia sit prior existentia, implicat tamen naturã subsistere, quin existat, propter necessariam connexionem vtriusque.*Disp.*80.*n.*127.*& seqq.*

Datur in Deo subsistentia absoluta tribus personis communis.*Disp.*84.*à n.*7.

Subsistentia dicitur in Deo absolutè, & relatiuè: ad differentiam hypostasis,quæ solum secundum aliquam acceptionem subsistentiæ,est idem cum illa. *Disp.*84.*nu.* 33.*& seqq.*

Non est asserendum esse in Deo vnam subsistentiam,nisi addendo *absolutam*, vt vitetur erroris occasio. *Ibidem nu.*37. & 38.

Subsistentia sumpta pro existentia per se independenter à sustentante, non multiplicatur in diuinis personis,sed vna subsistẽtia absoluta tres personæ subsistunt.*Disp.* 84.*à n.*56.

Subsistentia sumpta pro perfeitate incõmunicabilitatis,non datur subsistentia cõmunis,sed tãtum tres relatiué.*D.*84.*à n.*86.

Subsistẽtia dicitur vna, & conceduntur etiã plures.*Disp.*85.*n.*5.

Non datur in diuinis subsistentia ralatiua communis,v.g. relatio spiratoris. D.94. *n.*11.*& seqq.*

SVBSTANTIA.

DEus non dicitur cum proprietate *substantia* quoad id à quo est hoc nomen impositum, scilicet à substando accidentibus;bene autem quoad rem per nomen significatam.*D.*81.*n.*83.

Hoc nomen *substantia* accipitur pro essentia frequentius,quam pro supposito in diuinis,ad differentiam huius nominis *subsistẽtia*, quod communiter vsurpatur pro termino incõmunicabili: vnde non absolutè,sed cum addito asserimus tres substantias in Deo, & tres subsistentias esse illo. *D.*84.*n.*36.37.38.& 76.

SVPPOSITVM.

NOn datur in Deo suppositum commune per aliquid absolutum constitutũ. *Disp.*96.*n.*68.*& seqq.*

Suppositum,& persona solum distingunntur ex parte naturæ in obliquo connotatæ. *Ibiaem n.*73.

SYLOGISMVS EXPOSITORIVS.

SYlogismus expositorius,est vtilis ad infe rendum,& consequentia formalis. *Disp.* 82.*à n.*124.*vsque ad* 131.

In hoc sylogismo expositorio,*hæc essentia diuina est Pater, hæc essentia diuina est Filius: ergo Filius est Pater,* duplex defectus committitur. *Disp.*82. *num.* 147. & 148.

T

TRADITIO.

TRaditio est *ab Apostolis,vsque ad nos alicuius veritatis continuata consensio.*Disp.81.num.79.

TRINITAS.

Vide *Ratio Naturalis.*

TRinitas personarum absolutè perfecta est, reduplicata tamen distinctione ab essentia,nec perfecta,nec imperfecta est *priuatiuè* : est tamen *negatiuè* imperfecta,hoc est,nõ perfecta. *D.*78.*num.*48. & 49.

Trinitas personarum non potest per rationẽ naturalẽ euidenter cognosci,imõ qui hac via illam probare nitũtur, fidei dupliciter derogant.*Pag.*213.*&* 214.

Quibus terminis vti possumus, vel nõ possumus in diuinis,explicatur *P.*207.*&* 208. Realis personarum distinctio probatur. *Disp.*82.*à n.*4.*vsque ad* 10.

Secũda Trinitatis persona est eiusdẽ essentiæ, & naturæ cum Patre. *ibidem à n.*11.

Mirabile,quod in Mysterio Trinitatis inuenitur, cõsistit in eo quod personæ realiter inter se distinctæ, idẽtificentur realiter cũ essentia.*D.*82.*n.*104.*& seqq.* Vbi temeritatis nota inuritur quædam singularis huius rei mirabilis,explicatio.

Myſterium Trinitatis non eſt lumini rationis naturalis contrarium. *Diſp.* 82. *num.* 141. Et fuſius *Diſp.* 83. *à num.* 6.

Nullus intellectus creatus poteſt naturali ratione demonſtrare euidenter exiſtentiam Myſterij Trinitatis, ſiue ante, ſiue poſt illius reuelationem. *Diſput.* 83. *à num.* 34.

Reuelatio Myſterij Trinitatis non dat creaturis à Deo efficienter cauſatis dependentiam per ſe à Deo vt trino: vnde etiam reuelatione ſuppoſita, non poteſt ratione naturali euidenter demonſtrari à poſteriori illius exiſtentia, etiam ſub ratione poſsibilis. *Diſp.* 83. *num.* 41. 42. & 43.

Deus, vt eſt in ſe, eſt formaliter trinus formalitate rei, non vero formalitate principij. *Diſp.* 83. *num.* 57. & 58.

Hoc Myſterium non cognouerunt Philoſophi Gentiles propria induſtria: quod ſi aliqui Trinitatem perſonarum cognouerunt, fuit, vel ex relatione illorum, quibus fuit reuelatum, vel ex libris Hebræorum. *Diſp.* 83. *num.* 89.

Contra negantes hoc Myſterium, non eſt arguendum rationibus, ſed authoritatibus Scripturæ contra illam admittentes: contra alios vero, qui Scripturam non admittunt, ſufficit defendere non eſſe improbabile. *Ibidem. num.* 90.

Hoc Myſterium non poteſt ratione naturali demonſtrari non impoſsibile, poteſt tamen defendi, quod impoſsibile nõ ſit. *Ibidem num.* 91.

Suppoſita exiſtentia Trinitatis poteſt illius conuenientia demonſtrari demonſtratione Theologica. *Diſp.* 83. *n.* 92. 93. & 94.

In effectibus ſupernaturalibus comparatis cum Deo tanquam cum cauſa efficienti, non poteſt euidenter Deus vt trinus cognoſci. *Ibidem num.* 95.

Deus vt tribus perſonis communis poteſt dici *Pater noſter*, & *Spiritus noſter*, non autem *Filius noſter*. Pag. 404.

Tres diuinæ perſonæ ſunt ſibi coæternæ. *P.* 628. 629. 630. Et æquales in potentia. D. 97. *num.* 279. & *ſeqq.*

In diuinis perſonis eſt ordo originis, non tamen ordo naturæ, nec prioritas. *Pag.* 632. & fuſius *Diſp.* 97. *num.* 319. & *ſeqq.*

Tres diuinæ perſonæ ſunt in duratione æquales. *Diſp.* 97. *à num.* 316.

Pater eſt dicendus prior realiter Filio, & Filius realiter poſterior Patre, prioritate, & poſterioritate reali originis. *Diſp.* 97. *num.* 322. & *ſeqq.* maximè *nu.* 328. 329. & 330.

V

VERBVM DIVINVM.

Vide *Proceſsio.*

CVr proceſsio Verbi diuini ſit generatio, & non proceſsio Spiritus Sancti? Latiſsimè explicatur, & defenditur D. 74. *à num.* 56.

Verbo ex vi proceſsionis non communicatur primo, & formaliter intelligi per modum actus ſecundi, ſed diuina natura ſub conceptu naturæ. *Diſp.* 74. *num.* 68. & *ſeqq.* maximè *num.* 70. & 75.

Licet Verbum, & Filius ſint idem re, & ratione in eo quod important in recto, differunt tamen in eo quod de connotato, & in obliquo dicunt: quod explicatur *Diſp.* 74. *num.* 68. 69. & *ſeqq.* Præcipuè *num.* 73. & *à nu.* 107. *vſque ad finem.*

Verbum diuinum eſt, & dicitur ſapientia genita, ſumpta ſapientia, non pro principio ſapiẽtiæ, nec pro actuali ſapientia, ſed pro termino per ſapientiam producto. D. 74. *num.* 81.

Verbum diuinum non poteſt multiplicari ſpecificè, nec numericè. *Diſp.* 82. *num.* 71. & *ſeqq.*

In ordine inter verba, & in proceſsione vnius Verbi ab alio, maxima reperitur imperfectio; ſecus in ordine, & proceſsione vnius perſonæ diuinæ ab alia. *Diſp.* 82. *num.* 76. & 77.

Verbum diuinum intelligendo ſe, non producit aliud Verbũ. *Diſp.* 82. *n.* 90. & *ſeqq.*

Verbũ in diuinis, non ſolũ perſonaliter, ſed etiam eſſentialiter dicitur. *Ibidem nu.* 91.

Si Verbũ diuinũ aſſumeret duas humanitates, diceretur vnus homo, & non plures, ex defectu pluralitatis ſuppoſiti. D. 85. *n.* 42.

Verbũ in diuinis ſi nomen propriè ſumatur, eſt perſonale, & nullo modo eſſentiale. *Pag.* 388. & *ſeqq.* & fuſius. *Diſp.* 88. *à num.* 6.

Verbum eſt nomen proprium Filij. *Pag.* 391.

& 392. Et importat reſpectum ad creaturas, à pag. 393. vſque ad 400.
Verbum ab æterno dicitur de Deo, etſi non exiſtat ab æterno formalis reſpectus ad creaturas: ad differentiam dominij, & Creatoris, Pag. 395. 398. & 399.
Ad rationem Verbi non ſufficit quod ſit manifeſtatiuum, ſed etiam quod per intellectum procedat. Diſp. 88. n. 14.
In productione Verbi, Pater loquitur ſibi, & Filio. Diſp. 88. num. 18 & ſeqq. Non autem Spiritui Sancto. Num. 23.
Verbum accipitur tripliciter, obiectiuè, ſubiectiuè, & principiatiuè. Ibidem num. 20.
Ratio Verbi ſumpta inadæquatè, eſſentialiter dicitur. Diſp. 88. à n. 24.
Abſoluté loquendo de Verbo, ſolum perſonaliter dicitur. D. 88. n. 41.
Verbum per ſe in quarto modo ex eſſentiæ, & paternitatis notitia procedit. Diſp. 89. à n. 5.
Verbum non eſt per ſe imago huius Dei omnibus perſonis cõmunis, ſed Patris à quo realiter procedit, & à quo realiter diſtinguitur. Diſp. 89. n. 9.
Verbum eſt imago Patris, non ſolum ratione naturæ in qua aſsimilantur, ſed etiam ratione proprietatis perſonalis, in qua diſtinguuntur. Diſp. 89. num. 13. 14. & 15.
Verbum per ſe in quarto modo procedit ex cognitione ſui. Diſp. 89. à n. 16.
Verbum procedit ex cognitione ſui, non abſtractiua, ſed intuitiua. Ibidem num. 24. & ſeqq.
Verbum per ſe in quarto modo procedit ex cognitione Spiritus Sancti. Diſp. 89. à num. 36.
Verbum per ſe procedit ex cognitione creaturarum poſsibilium. Diſp. 90. à nu. 2. Non tamen eſt imago illarum. Num. 4.
Verbum Diuinum eſt Verbum creaturarum in genitiuo caſu, non in ablatiuo, & non originatur ab illis, nec illas imitatur, nec eſſe, aut dici poteſt illarum imago. Diſp. 90. n. 38. & 39.
Verbum Diuinum quoad ſuam intrinſecam entitatem, non procedit per ſe ex cognitione libera futurorum, & abſolutè dicendum eſt, non procedere ex illa. Diſp. 91. à num. 2.
Nec ex ſcientia futurorum contingẽtium in ſtatu conditionato. Ibidem nu. 5.
Verbum Diuinum ſub conceptu liberæ terminationis repræſentatis creaturas futuras, per ſe in quarto modo ex illarũ cognitione procedit. Diſp. 91. à num. 11.
Verbum præter ordinem realem ad Patrem, vt dicentem, importat ex conſequenti ordinem rationis ad omne obiectum Verbo manifeſtatum, cũ hac differentia, quod reſpectu creaturarum eſt manifeſtatiuũ, & factiuum, ad perfectiones vero diuinas ſolum importat reſpectum manifeſtatiui. Diſp. 91. n. 55.
Hæc propoſitio, *Pater intelligit Verbo*, eſt falſa: iſta vero, *Pater intelligit in Verbo ſuo*, eſt vera. Diſp. 95. n. 20. 21. & 22.

Veritas, Verum.

Veritas, non *pluraliter*, ſed *ſingulariter*, de tribus diuinis perſonis prædicatur. Diſp. 85. à n. 22.
In his propoſitionibus, *Pater generat, Spiritus Sãctus à Patre, & Filio procedit*, non datur diſtincta veritas pro formali, ſed tantum pro ſubſtracto veritatis. Ibiẽ n. 27. & 28.

Visio Beatifica.

Viſioni beatificæ nõ poteſt repugnare ex conceptu ſpecifico productio Verbi; ſi habere illam anexam eſt de ratione intellectionis vt ſic. Diſp. 71. à num. 11. vſque ad 14.
Viſio beatifica non poteſt per vires naturæ demonſtrari, etiam vt poſsibilis, niſi etiã poſsit intellectus creatus euidenter cognoſcere Myſterium Trinitatis ſub ratione poſsibilis. Diſp. 83. n. 64. Vbi explicatur, quid in contraria ſententia ſit dicendum.
Viſio beatifica non eſt per ſe à Deo vt trino, tanquam à cauſa efficiente. Diſp. 83. num. 97.
Eſtõ vna perſona videri poſsit ſine alia, & admiſſa eſſentiali diſtinctione relationum in ratione realitatis, adhuc viſio vnius perſonæ non diſtingueretur eſſentialiter à viſione alterius in ratione cognitionis. D. 97. n. 244.

Virgo Maria.

AD Beatiſsimam Virginem non fuit facta miſsio ſpecialis viſibilis Spiritus

Sancti, etsi in die Pentecostes inter Apostolos extitisse credatur, & ad ipiam simul cum alijs visibilem missionem fuisse factã. *Disp.98.n.210.211.& 212.*

Beatissima Virgo in plenitudine gratiæ, virtutum, & meritorum excesit omnes puras creaturas, etiam collectiuê sumptas. *Disp.99.n.150.*

VNITAS.

IN diuinis dantur tres vnitates, & vna vnitas, primum ratione essentiæ, secundum, ratione relationum. D.85.*n.7.*

Vnitas sumitur dupliciter, primo, vt est abstractum huius cõcreti *vnum* sumpti *neutraliter substantiuè*, & in hac acceptione non conceduntur tres vnitates in diuinis: secundo accipitur, prout est abstractũ huius concreti *vnum* sumpti *masculinê*, & isto modo dantur tres vnitates, sicuti, & tres alietates. D.85.*n.33.*

VOLVNTAS.

VOluntas nostra per actum volitionis producit terminum ab illo distinctũ, qui vocatur impulsus. *Disp.73.a n.8.*

Non potest Deus se ipso exercere munus impulsus; bene tamen munus Verbi. *Ibidem num.12.*

Impulsus non potest esse principium effectiuum actus voluntatis: sicut nec Verbum est principium intellectionis. *Disp. 73.n. 14.*

Nec est principium effectiuum desiderij, & gaudij, nec amoris vt continuati. *Ibidẽ n.15.& 16.*

Obiectum voluntatis amatur se ipso, idest, absque aliquo distincto ratione cuius terminet dilectionem, sicuti de obiecto visibili dici solet. *Ibidẽ nu.17.* Vbi & in seqq. multa de impulsu, & eius necessitate attinguntur.

INDEX.

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRAE,

Quæ in hoc Tertio Tomo in Primam Partem D. Thom. explicantur.

D. *vel* Disp. *Disputationem.* N. *vel* Num. *Numerum marginalem denotat.*

Ex Genesi.

CAP. I. In principio creauit Deus Cœlum, & terram. *Disp.* 82. *num.* 4.

Ibidem. Faciamus hominem ad imaginẽ, & similitudinem nostram. *Disp.* 82. *num.* 6.

Ibidem. Spiritus Domini ferebatur super aquas. *Disp.* 82. *n.* 57. & 58.

Cap. 3. Cum audissent vocem Domini deambulantis in Paradyso. *Disp.* 82. *n.* 59.

Cap. 11. Venite descendamus, & confundamus linguas eorum. D. 82. *n.* 6.

Cap. 18. Descendã, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere cõpleberint. D. 82. *n.* 59.

Cap. 19. Dominus pluit ignem, & sulphur à Domino de Cœlo. *Disp.* 71. *n.* 1.

Cap. 22. Nunc cognoui quod timeas Dominum. D. 82. *n.* 64.

Ex Exodo.

CAP. 3. Hæc dices Filijs Israel: Dominus Deus Patrum vestrorum misit me ad vos. *Disp.* 82. *n.* 6.

Ibidem. Ego constitui te Deum Pharaonis. D. 82. *n.* 19.

Ex Numeris.

CAP. 11. Auferam de Spiritu tuo, tradamque eis. D. 82. *nu.* 62. & 63.

Ex Libro Iudith.

CAP. 16 Misisti Spiritum tuum, & creata sunt. D. 82. *n.* 44.

Ex Iob.

CAP. 26. Spiritus eius creauit Cœlos, D. 82. *n.* 44.

Ex Psalterio.

PSalmo 2. Dominus dixit ad me, Filius me' est tu, ego hodie genui te. *Disp.* 82. *num.* 14.

Psalm. 32. Verbo Domini Cœli firmati sũt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. *Disp.* 82. *n.* 44.

Psalm. 44. Eructauit cor meum Verbum bonum. D. 72. *n.* 2.

Pſalmo 81. Ego dixi, Dij eſtis, & Filij excelſi omnes, vos autẽ ſicut homines moriemini, & ſicut vnus ex principibus cadetis. *Diſp.* 82. *n.*20.

Pſalmo 103. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. *Diſp.*82. *num.*44.

Ex Proberbiis.

*Cap.*15. Longe eſt Domin⁹ ab impijs. *D.99. nu.*85.

Ex Libro Sapientiæ.

*Cap.*1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. *Diſp.*82. *num.*46.

Ibidem. Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum. *Diſp.99.nu.*85.

Ibidem. In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. *Diſp.99.nu.*85.

Ex Isaia.

Cap.6. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. D.82. *num.6.*

*Cap.*24. Secretum meum mihi. *Diſp.*82. *nu.*46.

*Cap.*48. Nunc miſsit me Dominus Deus, & Spiritus eius. *Diſp.92. n.2. & Diſp.*98. *num.*30.

Cap.66. Nunquid, qui alios parere facio, ſterilis ero? D. 71. *n.3.*

Ex Ieremia.

*Cap.*23. Cœlum, & terram ego impleo. D.82. *n.*46.

Ex Daniele.

*Cap.*2. Eſt Deus in cælo reuelans myſteria. *Diſput.*82. *numero* 46.

Ex Propheta Amos.

*Cap.*4. Ecce formans mentes, & creans Spiritum. *Diſputatione* 82. *num.*57. & 58.

Ex Zacharia.

*Cap.*12. Extendens cœlum, & fundans terram, & creans Spiritum hominis in eo. *Diſp.*82. *n.*57 & 58.

Ex Ioele.

*Cap.*1. Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem. *Diſp.*82. *n.*57. & 59.

Ex Evangelio Matthæi.

*Cap.*6. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. *Diſp.*73. *num.*9.

Ibidem Tu es Chriſtus Filius Dei viui. D. 82. *n.*16.

*Cap.*11. Nemo nouit Filium, niſi Pater, & cui voluerit Filius reuelare. *Diſp.*83. *nu.* 35.

*Cap.*17. Beatus es Simon Bar-iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt. *Diſp.*83. *numero* 35.

*Cap.*20. Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratũ eſt à Patre meo. *Diſp.* 82. *num.* 29.

*Cap.*24. De die autem illa nemo ſcit, nec Angeli in Cœlo, neque Filius, niſi Pater. D. 82. *à n.*30. *vſque ad* 40.

Cap. vltimo. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Diſp.*82. *n.* 7. & *Diſp.96. num.*50.

Ibidem. Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra. *Diſp.* 82. *n.*29.

Ex Ioanne.

*Cap.*1. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. *Diſp.* 82. *num.* 15.

Ibidem. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Diſp.*82. *n.*17.

Ibidem. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. *Diſp.* 82. *numero* 17.

*Cap.*7. Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum. *Diſp.* 71. *nu.*1.

Ibidem. Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Ieſus glorificatus. *Pag.*646. & *Diſp.99. num.*139.

*Cap.*8. Ego ex Deo proceſsi. *Diſp.*71. *nu.*1. & *Diſp.*73. *num.*1. & D.82. *num.*8.

*Cap.*10. Ego, & Pater vnum ſumus. *Diſp.*82. *num.*12.

*Cap.*14. Rogabo Patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis. *Diſp.*73. *num.*1.

Ibidem. Pater maior me eſt. *D.97.num.11. & 12.*

Cap.15. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. *D.71.num.1. & D.82.num.8. & D.73.num.1.*

Cap.16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & anuntiabit vobis. *D.91.numero 5.*

Cap.17. Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. *D.82.n.13.*

Ibidem. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum. *D.82.nu.21.*

Ex Actibvs Apostolorvm.

Cap.5. Dedit Spiritum Sanctum obedientibus ſibi. *Diſp.92.num.4.*

Cap.16. Tentabant ire Bithiniam, & non permiſit eos Spiritus Ieſu. *Diſp.92.num. 4.*

Ex Epistola Ad Romanos.

Cap.5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. *Diſp.82.num.53.*

Cap.8. Ipſe Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus Filij Dei. *D.82. num.19.*

Ibidem. Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus *Diſp.82.nu.64.*

Ibidem. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. *D.92.nu.4.*

Ex Epistola 1. Ad Corinthios

Cap.2. Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei *D.82.num.46.*

Ibidem. Loquimur Dei ſapientiam, quam nemo principium huius ſæculi cognouit. *D. 83.n.89.*

Cap.6. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis? templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos. *D. 99.num.81.*

Cap.12. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult. *Diſp.82.nu.48.& 50.*

Ibidem. Alij per Spiritũ datur ſermo Sapientiæ, alij ſermo ſcientiæ. *D.82.nu.53.*

Cap.14. Spiritus loquitur myſteria. *D.82.n. 46.*

Ex Epistola Ad Galatas.

Cap.4. Miſsit Deus Filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege. *D.82.nu. 8.*

Ibidem. Miſsit Deus Spiritum Filij ſui in corda noſtra. *D.92.num.4.*

Ex Epistola Ad Ephesios.

Cap.4 Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei. *D.82.num.64.*

Ex Epistola Ad Philipenses.

Cap.1. Eo quod habeam vos in corde. *D.73.num.9.*

Ex Epistola Ad Hebræos.

Cap.1. Cui enim Angelorum dixit aliquando Filius meus eſt tu, ego hodiê genui te? *D.82.num.16.*

Cap.3. Moyſes quidem fidelis erat in tota eius domo, tanquam famulus, Chriſtus autem tanquam Filius in domo ſua. *D.82. num.15.*

Ex Epistola B. Ioannis.

EX epiſtola 1. *cap.5.* Vt ſimus in vero Filio eius, hic eſt verus Deus. *D.71.nu. 5.& Diſp.82.num.15.*

Ibidem. Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt. *Diſp.71.num.5. & Diſp.82.num.7.* & fuſiùs. *Diſp 82. num. 54.& ſeqq.& Diſp.96.num.50.*

Ibidem. Diligamus nos inuicem: quia charitas ex Deo eſt. *D.73.num.2.*

Cap.4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *D.73.num.9.*

Ex Epistola B. Iacobi Apostoli.

Cap.1. Voluntariê enim nos genuit Verbo veritatis. *D.82.num.19.*

FINIS.

SERIES CARTHARVM HVIVS TOMI,

✠ A B C D

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,


Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp
Qq Rr Sſ Tt Vv Xx Yy Zz,

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh

Iii KKK Lll.

Omnes ſunt Quaterniones, præter d. & Lll. Terniones.

Et habet 250.



REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL

Hos ergo ſeruos fuiſſe probatur ex d.l. 4. & ex Claudiano vbi proxime † qui Eutropio illi notiſsimi nominis eunucho qui cubicularius, & Conſul fuit Arcadij Imperatoris tempore, vt tradit Socrates lib. 9. tripart. c. 4. Baronius tom. 5. anno 399. ſæpius ſeruitutis notam inurit his verbis.

13 *Eutropius eunuchus Arcadij cubicularius.*

----------Lybiæ ſi diſcis arenas
Eutropij nominabis heros
Nudatus quoties medicum dum conſulit emptor
Omnes pœnituit pretij, venumque redibant.

His ergo conceſſum eſt priuilegiū, vt etſi ſerui, poſſent tamē ob ſacri cubiculi honorem exemplo omnium facere teſtamentum.

14 *Impugnatur Cuiac. ſententia.*

Hanc tamē interpretationem, etſi antea præſenſerit Anton. Auguſtinus lib. 3. emendatio. cap. 5. non probo, eamque reſpuit Oſualdus lib. 6. Donelli cap. 5. litera P. quoniam etſi caſtratos cubicularios Imperatores in vſu habuerint, † tamen aliquando *Eunuchus* magis eſt nomen officij quam vitij, quod varijs literarum probare poſſumus monumentis; ſic Putiphar Pharaonis eunuchus dicitur Geneſ. 37. & 39. ideſt Regij cubiculi cuſtos, Princeps aulæ, nam caſtratum non fuiſſe innuit habuiſſe vxorem. Vn de Chaldæus pro *Eunucho* vertit *Rabba* ideſt, Princeps, Satrapa ita ex Procopio Gennadio docet Cornelius de lapide d. capite 37. verſ. 36. Pererius ibi, diſp. 9. Martinus del Rio ad Senec. Hypol. 3. p. verſ. 620. P. Greg. 3. ſyntag. cap. 2. num. 32. ſic Daniel & eius ſocij eunuchi vocantur ideſt aulici, quamvis non fuerint execti, ita docente Maldonato & alijs, laudatis à Cornelio ſuper Danielem cap. 1. verſu 3. † Nec obſtat d.l. 4. nam etſi daremus ibi eunuchis ſeruis teſtamentariam factionem concedi, minime poſſet conuenire cum noſtra leg. cum illius fuerit auctor Leo Imperator qui floruit ſub anno 472. ſi fides danda Contio in faſtis, Caſiodoro, Genebrardo, & Onuphrio in Chronologijs, at noſter Conſtantius vt diximus multo ante vixit. Rurſus falſum eſt quod ex d.l. 4. voluit probare Cuiacius cum potius Leo ibi libertatis imponendæ quendam modum introduxerit, ſcilicet vt ſi quis ſeruus in ſacrum cubiculum fuerit donatus, poſtquā fuerit cæteris cubicularijs adſociatus ad libertatem rapiatur, ratio fuit quoniam proprium eſt maieſtatis principalis vt non famulorum, ſicut priuatæ conditionis homines, ſed liberorum honeſtis vtantur obſequijs, quod idem tradit Iuſtinian. in l. fin. C. qui militare

15 *Nomen eunuchus aliquando nomen officij magis quā vitij.*

16 *Explicatur leg. 4. C. de præpoſ. ſacri cubi.*

ſitare poſsint lib. 12. ibi: *Cui enim ferendum eſt homines à noſtra manu donationes accipientes adhuc inter ſeruos haberi & forte cum ſuis dominis noſtram purpuram adorantes?* † cum enim ad impoſitionem libertatis multæ ſolemnitates requirantur quas ſedulo commemorat Donel. lib. 2. comment. cap. 15. Petrus Fab. 2. ſemeſtrium cap. 20. & alij relati ab Oſualdo d. cap. 15. litera B. & ſequentibus, † tamen in libertate quam conſequitur ſeruus traditas in ſeruitutem Principis non requiritur alius actus niſi ſolum aſſociatio cubiculariorum, nam Principis præſentia omnem ſupplet ſolemnitatem, l. omnium, C. de teſtamentis, & in conſequentiam quoque conſequutæ libertatis datur eis, vt poſsint condere teſtamenta, quæ omnia extendit ad eunuchos qui ſacri cubiculi miniſterijs donati ſunt, ſcilicet vt poſsint ſi ſeruierint conſequi libertatem, & teſtari non tamen ex hoc ſequitur eunuchos ſeruos fuiſſe, & ob cubiculi Principis miniſterium eo priuilegio affectos, vt etſi ſerui, adhuc poſſent facere teſtamentum, quod æque contrariatur literæ, & menti Leonis in d. l. 4. qui Nouella ſua 60. caſtrationem inhibuit conſtituens, quod ſi ſeruus caſtraretur, ex hoc in libertatem reuocaretur.

17 *Solemnitates manumiſſionum remiſſiue.*

18. *Libertatis aſſequēdæ modus per cubiculariorum aſſociationē.*

Quare totius fere cauteæ conſenſu recepta eſt aliaratio, quā tradidit idem Cuiacius in d. l. 6. inquam iurarunt Gothofred. & Gilquen. hic Duaren. in paraphi. ad titulum de teſtamentis, cap. qui teſtamenta facere poſſunt, verſ. ſuperius Oſualdus ad Donellum d. lib. 6. cap. 5. litera P. & nos etiam eam inſinuauimus in l. vnic. C. de Maiuma, lib. 10. ex num. 40. ſcilicet, quod lex puberibus tantum teſtamenti factionem permiſit l. 4. C. hoc titulo l. 5. ff. eodem §. præterea, I. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum cum traditis ibi à Pichardo, & Gilquen. in d. l. 4. cum autem eunuchi nunquam pubeſcant non videntur habere teſtamenti factionem vt indicat Paulus lib. 3. ſententiarum tit. 4. §. 2. ibi. *Spadones eo tempore poſſunt facere teſtamentum quo plerique pubeſcunt, id eſt anno 18.* Nam cum non dum eſſet ad pubertatem definita ætas vt notaui in d. l. vnic. num. 35. & ex aſpectu corporali probaretur, cum eunuchi ex habitu corporis ſemper reputarentur impuberes conſequenter teſtari non potuerunt.

19 *Recepta proponitur adhic l. interpretatio*

Verum hæc interpretatio, etſi mihi aliquando arriſerit, nūc re ma-

20 *Reprobatur.*

re maturius considerata non placet. Primo quia sequeretur mulieres quoque testari non potuisse, etsi enim pubescant (vt cõtra Vulterinum, & alios defendit Osualdus lib. 9. Donel. cap. 14. litera C.) tamen cum, vt Cuiacius ait, non fuerit definita ætas pubertatis, & inspectio illa inhonesta, qua pubertas cognoscebatur, de qua Iust. in principio instit. quibus modis tutel. fin. non fuerit in fœminis admissa, vt dixi in d.l. vnic. num. 30. mulieres tanquam perpetuo impubescentes non possent testari, quod tamen falsum est. † Secundo nam etsi inter Proculianos, & Sabinianos circa tempus pubertatis maxima orta fuerit dissensio, vti refert Vlpianus in fragmentis, tit. 11. §. fin. Iust. in dict. principio, tamen quod attinet ad testamentum obtinuit sententia, vt quatuor decim anni in maribus, & duodecim in fœminis sufficerent l. 5. de testament. iunctis traditis à Duar. ad titulũ de testamentis in princ. Gothofred. in l. fin. C. quãdo tutores vel cura. esse desi. Merill. lib. 1. obseru. c. 14. & 22. Osuald. lib. 3. Donel. cap. 14. litera A. & sequentib. Pichard. in d. §. præterea num. 6. quibus non est permissum. † Quoties enim aliqua dubitatio oriebatur inter I. C. instituebatur fori disputatio, & quidquid post varias controuersias verius videbatur, id obtinebat, & tanquam ius receptum obseruabatur, l. vetus 68. de vsufruct. l. penult. ff. de leg. 1. tradit Reuar. in l. 1. de regulis iuris. † Inde cum maxime fuerit controuersus articulus hic, verius obtinuit, vt pubertas in testamentis ex annorũ numero, non ex aspectu æstimaretur, vt indicat Vlpia. in d. l. 5. & inprin. in d. l. 4. Ex quo fit vt etiã eunuchi, vt pote deficiẽte illa ratione possent testari: saltẽ plenæ pubertatis tẽpore, & sic hæc constitutio superflua videbatur. † Deinde non rectè procedere videtur Cuiac. nam posset euenire, vt mares non castrarentur, nisi post decimum sextum, vel 20. annum: qua ætate probarit in aliquo negotio puberem esse. Quod ita cõtigisse vt castratio ea ætate fieret aperte docet Iuuenal de eunuchis loquens Sat. 6.

21 *Iure Consultorũ de pubertate dissensio.*

22 *De fori disputatione inter I. C. habita.*

23 *Pubertas ex annorũ numero magis quã aspectu æstimatur.*

24 *Quo tempore mares solebant castrari.*

------Cum iam calida, & matura iuuenta
Inguina traduntur Medicis
Ergo spectatos, & iusos crescere primum, &c.

Sed hoc casu non posset eunuchus à testamentaria factione arceri. Denique considero, quod si vera esset Cuiacij ratio eunuchi

gredimur asperã, & in qua vix alicuius possumus calcare vestigiũ, sed Deo auspice præeundũ est, & inaccessa hæc referanda.

In primis itaq; salubs & nugis Accursij hîc exulare iussis *Cuiac. qui familiam ducit in paraphra. ad hunc titulum*, eam fuisse scribit rationẽ. † Quoniam Eunomianis Hæreticis mos fuit viros emasculare, & ob impietatem criminis eis modo data, modo adẽpta est faciendi testamenti facultas *L. Eunomianis, C. Theod. de hæreticis*, nam Arcadius eos late vexauit, *l. 26. C. Theod. de hæreticis*, & Theodosius *in l. 7. C. Theod. ne sacrum baptisma iteretur*, refert *Baron. tom. 4. anno Christi 395. nu. 6. & 396. num. 10.* indeq; eisdem adempta hac lege restituitur. † Quæ traditio omnino falsa est, nec conuenire potest nostro textui, qui generaliter, & in distincte de eunuchis loquitur, sub quorum nomine Eunomiani non comprehendebantur, nam eorum error magis in Arrianismum tenditquã in castrationem, vt post *Ruffin. lib. 1. hist. Eccle siast. cap. 5. Theodoretum lib. 5. tripart. cap. 43. tradit Bernardus de Lucemburg. de Hæreticis litera E. Petr. Gregor. lib. 33. syntag. ca. 8. nu. 10. Pancirolus lib. 2. variarum cap. 175. & nouissime Iacob. Gualterus in tabula chronograph. status Ecclesiæ sæculo 4. cap. 17.* † Deinde quia Eunomius auctor illius hæresis viguit sub Arcadio ann. 400. vt idem commemorant auctores: quo modo ergo Constantius potuit sua constitutione id præuidere anno 337. quo Imperare cœpit? Scio etiam sectam quandam eunuchorum hæreticorum fuisse, vt refert Epiphanius hæresi 58. cuius fuisse auctor Origenes insinuat Eusebius, vt docet Baron. tomo 3. anno 230. num. 5. attamen hæc eo anno cœpit. Quin etiã certum est, vt infra dicemus, in eunuchorum gratiam (quibus maxime fuit addictus Cõstantius) hanc constitutionem editam fuisse. † Vnde ipse Cuiacius in l. 6. de lib. & posthum. & lib. 14. obseruat. cap. 24. proprius ait hanc constitutionem intelligendam de Principum cubicularijs, qui spadones fuerunt, & eunuchi, l. 4. C. de præpos. sacri cubiculi lib. 12. ibi: *Et hæc omnia volumus custodiri cum sponte sua quis dederit eunuchum sacri cubiculi ministerijs adhæsurum.* † Castratis enim cubicularijs olim vsos fuisse Imperatores, sicut apud Turcas hodie moris est, referunt historiæ apud quas huius rei plurima mentio vt præter D. Gregorium Nazianzen. & D. Athanas. infra, referendos docet Ammian. li. 14. Claudian. lib. 1. in Eutrop.

3 *De ratione huius prohibitionis disquiritur.*

8 *Eunomiani hæretici qui fuerint expenditur Cuiacij explicatio.*

9 *Quæ impugnatur.*

10 *Quo tempore vixit secta Eunomianorum Hæreticorum.*

11 *Cuiacij alia expositio, de principũ cubicularijs.*

22 *Cubicularij principum spadones.*

Militia eunuchi nunquam progressa cubile.

2 tia. Rom. ca

p. 12. † Verum postea coangustata est, & restricta, vel loquum, vel ctoritate iura constituentium veluti lege Voconia, Falcia, Furia Elia Sentia, & similibus de quibus *Vlpian. in frag. tit. 1. & 8. dict. pcipio de l. Falcid. §. eadem lege instit. quibus manumittere nō ct, Comm. 2. comment. cap. 5. Cuiac. ad frag. Vlpian. dict. tit. 1. §. penul. Anton. Fabian. riſpru. tit. 5. prin. 1. illa. 7. & tit. 6. prin. 8. Donel lib. 8. cap. 22. vbi Oaldus, & lib. 9. cap. 2. litera B.* † Item & auctoritate Iure Consultorum (sic enim explicanda sunt illa verba Pomponij: *Iura constituentium*, & responsa de iure naturali, l. si furioſi 25. C. denupt. l. nulla, C. de procurat. l. quoties 1. C. de quæstionibus.) † Restricta etiam fuit vt inofficiosa querela in officiosi testamenti, si credimus *Fulgos. in l. 2. num. 3. de inofficioſo testamento, Reuardo de auctoritate prudent. num. 12. Balduino supr.*, Quod magis constabit cum moribus populi inductum esse alij afferment, quos refert noster *Pichardus in principio inst. de inofficios. n. 10 Donel. 19. comment. cap. 4* Nā hoc populus non alia ratione introduxit, nisi ex prudentum prius habita disputatione, & à populo amplexa, sicut alia quæ moribus recipiuntur in iure introducta, *l. 2. ff. de vulg. l. more 8. de ferijs, l. mores diuersi dictione, l. more 8. ff. de acquirenda hæreditate, l. libertinus 8. de ritnupt. l. de quibus 32. de leg. l. cum prætor, ff. de iudicijs Vlpianus tit. 11. moribus*, alias enim quomodo color ille non sanæ mentis, quæsitus fuisset, nisi ex prudentum ratiocinatione. Iique comprobari potest *l. 1. ff. de donat. inter. vbi* moribus, dicitur interdicta donatio inter cōiuges, & tamē *Alicarnasius lib. 3.* eam legem fuisse scribit, nota *Hotom. 3. obseruat. cap. 4. in fin.* † Quemadmodum in posthumo alieno non instituendo ea ratio admissa ab eisdem fuit, quoniam dum nuro est, incerta reputetur persona, & non homo, sed quædam spes amantis, *principio de bonorum possessione, §. posthumo, iuncto §. incertis sit, delegat. & l. 2. ff. de mort. infer.* tradunt DD. in l. Gallus in principio de lib. & posthum. † Vnde cum ab ea facultate amplissima testandi, multi fuerint exclusi, quos nominatim retulit Iustinia. *inti. stit. quibus non est permissum facere testamentum*, & Trib. multas ad id spectantes proposuerit constitutiones in hoc titulo, & sub titulo de testamentis, inter eas interpretatione, vt credo prudentum, eunuchus fuit connumeratus, & testamenti factione ereptus, siue ad tempora Imperatoris Cōstantij, qui illud permisit ex nostra lege privilegium, vt eunuchi cæterorum exemplo vltimas elogia conderent, siue. Sed quæ ratione prohibitio hæc fuerit introducta difficile est tradere. Vlpian. gradi-

3 Imo Consultorū interpretatio nec tamen stricta.

4 Querela inofficiosi testamenti quo iure introducta.

5 Quare alieno posthumo prohibi to institui.

6 Eunuchi interpretatione prudentum à testamentaria factione exclusi.

chi non tanquam prohibiti testari existimandi erant, quam omisit à lege at prohibitos fuisse probat no tione legis, ibi *liceat facere*: ergo antea prohibiti, vera prohibi in fraudo- Nec fauet Cuiacio, Paulus vbi supra, nam loquitur nibus, qui maxime differunt ab eunuchis, vt infra dicā. † ficilis sane iam facta videtur hæc inuestigatio cum vix pr bitionis huius possit causa considerari. Ego tamen exist prohibitos esse eunuchos testari ob ipsorum od im, † nam semper Romani proli, soboleque procreandæ laximum dium impenderint, quod non solum lege Iulia, & Papia ductum est (de qua ex Suetonio in Augusto cap. 4. Dione lib 56. Tertul. in Apolog. Tacito. lib. 3. ann. tradit multa fuit Lipsius lib. 2. variarum lect. cap. 1. & in notis ad Tacitum ich. 25. vbi etiam Dorleanus Pamel. in notis ad Tertul. supra cap. 4. num. 52. Duarenus lib. 1. disp cap. 40. Comān. 8. comment. cap. 1. Rosin. lib. 8. ant. cap. 16. Balduinus ad legem Iuliam, & Papiam Amesqua de potest. in seipsum, lib. 1. cap. 4 nu. 8. cum sequentibus, & alij quos consulto omitto, neque enim in re vulgari immorari licuit) verum & à primo vbis exordio consuetudine receptum est. Ita testatur Augustas apud Dion. lib. 56. Histor. in oratione contra cælibes proferenda lege Iulia, & Papia. *Ita ab initio cum Romanorum esset per quam exiguus numerus nuptijs studentes, liberosque procreantes, non virtute modo, sed multitudine hominum omnes mortales superauimus, & post. Considerate vero an non summā iram iure Romulus auctor noster conceptus sit, & qui cum eo fuerunt, si expadant se alienas virgines rapuisse, sc bello prolem quæsisse: enim veo patres nostri, & bellum contra Sabinos pronuptijs gesserūt.* † Sic etiam Camillus, & Posthumius Censores eos qui ad senectutem cælibes venerant, æra cenæ nomine in erarium dissere iussernt, quod matri & patri is- Cælibes- nis esse

Romanis- maxima cura sobolis.

Ex Bibliotheca
Petri Antonii
Corbelli

1.087